BULLARIUM FRANCISCANUM

INCEPIT

IOANNES HYACINTHUS SBARALEA

CONTINUAVIT

CONRADUS EUBEL

TOMUS QUINTUS

BULLARIUM FRANCISCANUM

SIVE

ROMANORUM PONTIFICUM

CONSTITUTIONES, EPISTOLAE, DIPLOMATA

TRIBUS ORDINIBUS

MINORUM, CLARISSARUM, POENITENTIUM

A SERAPHICO PATRIARCHA SANCTO FRANCISCO INSTITUTIS

AB EORUM ORIGINIBUS AD NOSTRA USQUE TEMPORA

CONCESSA

TOMUS QUINTUS

BENEDICTI XI, CLEMENTIS V, IOANNIS XXII MONUMENTA

IUSSU ATQUE AUSPICIIS

REVERENDISSIMI PATRIS MAGISTRI

LAURENTII CARATELLI DE SIGNIA

TOTIUS ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI CONVENTUALIUM

POST SERAPHICUM PATRIARCHAM

MINISTRI GENERALIS CVI

A

CONRADO EUBEL

EIUSDEM ORDINIS ALUMNO

DIGESTA

ROMAE, MDCCCXCVIII

TYPIS VATICANIS

Prostat apud Ottonem Harrassowitz bibliopolam Lipsiensem

PRAEFATIO

Bullarii Franciscani saeculo elapso tres tomi studio et labore P. M. Ioannis Hyacinthi Sbaraleae Ord. Min. Conv. prodierunt: annis videlicet 1759, 1761, 1765, quorum postremum ipse Sbaralea († 1763) non iam absolvit. Fratres et collegae superstites tribus illis voluminibus anno 1768 quartum tomum addiderunt. Et Supplementum quidem P. Flaminius Annibali Ord. Min. Obs. cum « praeviis animadversionibus in notas a Sbaralea singulis bullis appositas » confecit. Ipsum vero Bullarium inceptum nemo continuavit. Res enim adversae impediebant, quominus ea, quae plurima collecta et praeparata erant, ad opus absolvendum componerentur.

Haec fuit rerum conditio, quum Rm̃us P. Bonaventura Soldatic, qui ab anno 1879 usque ad annum 1891 Ordinem Minorum Conventualium moderabatur, illa intercepta de Bullario studia perficere moliretur. Qua in re Rm̃um P. Laurentium Caratelli, quem in Ordine Minorum Conventualium regendo habuit successorem, simul nactus est aemulum studiosissimum. Uterque sane Minister Generalis, ut opus illud tandem aliquando absolveretur, eo magis cupiebat, quo melius cognoverat, quantus fructus pro rebus gestis Ordinis Minorum diligentius cognoscendis ex eo nasceretur. Quorum Virorum votis, studiis, adhortationibus, maxime autem Rm̃i P. Laurentii Caratelli meritis, iam effectum est, ut labores tamdiu intermissi denuo resumerentur.

Et primo quidem bullarum de rebus Ordinis Minorum editarum exempla, quae fratres saeculo elapso descripserant et in archivo Ordinis Min. Conv. recondiderant, diligentius erant recognoscenda. Quo in negotio id magnum attulit emolumentum, quod bullarum fere omnium in registris Vaticanis servantur transumpta authentica, quibus uti antea quidem paucissimis tantum raro beneficio concedebatur, nunc vero a Leone papa XIII ea qua eminet animi nobilitate omnibus, qui rerum gestarum memoriam indagant, liberaliter est permissum. Diligentiore igitur cum otio atque uberiore cum fructu registra illa pro nostro opere perficiendo consulebantur.

Alterum commodum id contigit, quod bullae a pontificibus Benedicto XI et Clemente V, a quibus praesens hic Bullarii Franciscani tomus initium capit, ab aliis iam recognitae publicique iuris nuper sunt factae. Itaque ea, quae deerant, sat facile sunt addita.

At vero bullarum earum, quas Ioannes papa XXII tam multas easque gravissimas pro Ordine Minorum dedit, nulla, proh dolor, nobis superfuerunt transcripta. Ea quidem ipsa a fratribus saeculo elapso facta esse pro certo habemus. Cum vero illa iam non

superessent, quinquaginta quinque registra Ioannis XXII in tabulario Vaticano examinanda erant atque ex sexaginta millibus documentorum, quae in ipsis continentur, ea, quae ad Ordinem Minorum pertinent, deligere oportuit atque describere.

Itaque Bullarii Franciscani tomus quintus complectitur annos a Benedicto XI usque ad mortem Ioannis XXII (1303–1334).

Res collectae vel recognitae ita in hoc tomo disponuntur, ut documenta ordine chronologico afferantur, eorum argumenta paucis comprehendantur, ubinam epistolae inveniantur notetur, ea, quae interpretem hinc inde gratum reddunt, notis explicentur. Documentorum verba referendi haec est lex, ut alia quidem integra, alia non integra (relictis formulis technicis satisque cognitis), alia regestorum instar afferantur. Quod eo consilio factum est, ne volumen amplius neve expensae maiores fierent. Neque enim varii generis documenta eiusdem gravitatis sunt. Specie sua universa tomus quintus haud multum differt a tomis prioribus. Itaque ratio scribendi nostrum, non medii aevi, sequitur morem; argumenta verbaque initialia bullarum significantur, indices adduntur. Attamen praeter tabulam materiarum (pag. XLI positam) bullis ipsis descriptis subiungitur duplex conspectus novus: *a*) singulorum Ordinis Minorum conventuum, qui ab ipsius Ordinis originibus ad saeculum decimum quartum quasi medium exstiterunt; *b*) singulorum eiusdem Religionis virorum, qui ad dignitates ecclesiasticas ab Ordine instituto usque ad extremum Ioannis XXII pontificatum sunt evecti.

En ratio tomo quinto observata. Ut vero Bullarium integrum reddatur, magnus labor, expensae magnae adhuc requiruntur. Faxit Deus, ne quando operi huic complendo liberales fautores strenuive desint adlaboratores.

Fr. LAURENTIUS CARATELLI DE SIGNIA

ARTIUM ET S. THEOLOGIAE DOCTOR

EX-PRAEFECTUS APOSTOLICUS MISSIONIS CONSTANTINOPOLITANAE

CONSULTOR S. C. DE PROPAGANDA FIDE

ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI CONVENTUALIUM

EX-PROCURATOR GENERALIS, EIUSDEMQUE TOTIUS ORDINIS

POST SERAPHICUM PATRIARCHAM

MINISTER GENERALIS CVI

Cum Tomum operis ex titulo *Bullarii Franciscani* Quintum, quem ad continuationem eiusdem Bullarii A. R. P. Mag. Conradus Eubel Confrater Noster dilectissimus digessit, tres ex Nostro Ordine Theologi iussu Nostro recognoverint, eumque publice edi posse retulerint: hinc Nos libentissime Nostram impertimur facultatem, qua enuntiatus Tomus publicetur, si tamen quod Nobis, iis, ad quos maxime pertinet, idem videatur. — In quorum fidem etc.

Datum Romae, ad Ss. XII Apostolos, die 29 novembris 1897.

Fr. LAURENTIUS CARATELLI
Minister Generalis

Fr. Coelestinus M.ª Fattuta *Socius Ads. Gen. loco Secretarii Ads. Gen.*
Fr. Aloysii Santoro (*absentis ob infir.*)

Quintum Bullarii Franciscani Tomum, ab A. R. P. Mag. Conrado Eubel nostro confratre auspiciis Rm̃i Patris Nostri Ministri Generalis Laurentii Caratelli digestum, mandato eiusdem Rm̃i Patris attente perlegimus; cumque in eo nihil in catholicam fidem bonosve mores adversum deprehenderimus, hinc in lucem edi posse censemus, si his, ad quos attinet, ita placuerit. — In quorum fidem etc.

Datum Romae, ad Ss. XII Apostolos, die 22 novembris 1897.

Fr. Ioseph Olivieri *Def. Gen. et Procurator totius Ordinis.*
Fr. Ioseph Fonzi *Def. Gen. et Rector Seraph. Collegii Franciscalis de Urbe.*
Fr. Ioseph Lesen *Ex-Provincialis, Parochus Ss. XII Apostolorum de Urbe, et Consultor S. C. de Propaganda Fide.*

IMPRIMATUR

Fr. Albertus Lepidi Ord. Praed. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Franciscus Cassetta Patr. Antioch. Vicesgerens.

TABULA SIVE INDEX CHRONOLOGICUS DIPLOMATUM

BENEDICTUS PAPA XI.

Anno Domini 1303.

1. **Nov. 2.** Priorem Praed. et guardianum Min. fratrum ordinum Mediolanen. de electione abbatissae mon. s. Mariae de Baxiliano ord. s. Ben. inquirere iubet.
2. » **2.** Clarissas Ravellen. ministris ord. Min. submittit.
3. » **5.** Episcopum Papien. monasterium ord. s. Clarae in civ. Lauden. fundandum recipere eique de abbatissa et monialibus providere iubet.
4. » **6.** Controversiam inter Mendicantium ordines et clerum parochialium ecclesiarum Meten. ad se revocat.
5. » **7.** Comitissae Drocen. facultatem monasteria monialium devotionis causa ingrediendi concedit.
6. » **16.** Archiepiscopum Maguntin. ecclesiam Clarissarum Clarendalen. consecrare iubet.
7. » **29.** Alexandrum de Alexandria ord. Min. lectorem theol. in palatio apostolico instituit.
8. » **30.** Excommunicationis sententiam ab episcopo Firman. in fratres Praed. et Min. dioec. Aesculan. latam revocat.
9. **Dec. 5.** Controversias inter fratres Praed. et Min. de distantia locorum exortas dirimit.
10. » **5.** Archiepiscopo Burdegalen. mandat, ut ordinationem de distantia locorum fratrum Praed. et Min. factam observari iubeat.
11. » **12.** Monasterio Clarissarum de Gordiano ecclesiam s. Donati incorporat.
12. » **18.** Leonardum ep. Albanen. institutionem Bertrandi Maustini in priorem mon. beatae Mariae Carpentoraten. per praepositum eccl. Carpentoraten. et guardianum fratrum Min. de Montiliis factam confirmare iubet.
13. » **23.** Nonnulla a Bonifatio VIII et ab ordinis Min. cardinali protectore in mon. s. Silvestri de Urbe ord. s. Clarae constituta revocat.

Anno Domini 1304.

14. **Ian. 2.** Priorem Praed. et guardianum Min. fratrum Eugubin. electionem Venturae Pauli in abbatem mon. s. Mariae de Alfiolo ord. s. Ben. factam confirmare iubet.
15. » **28.** Fratribus Praed. locum Clugiensem non obstantibus processibus ab inquisitoribus ex ord. Min. super eodem habitis concedit atque confirmat.
16. » **31.** Nicolao ep. Ostien. et sedis apost. legato facultatem quotcunque et quoscunque fratres Praed. ac Min. ad sua obsequia assumendi retinendique concedit.
17. **Febr. 1.** Guardianum fratrum Min. Pisan. aliosque electionem Ioannis de Organis in abbatem mon. ss. Gorgonii et Viti factam confirmare iubet.
18. » **4.** Abbatissam mon. Clariss. de Gattaiola et Guilelmum Opizonis de Luca clericum coram se comparere iubet causam acturos super occupatione hospitalis prope castrum Ficechi (*Fucecchio*) a Rufino archiep. Mediolan. fundati.
19. » **13.** De bonis Loterii Bonamici ab Angelo de Aretio ord. Min. in Tuscia inquisitore confiscatis varieque distractis inquiri iubet.
20. » **17.** Constitutionem *Super cathedram* a Bonifatio VIII factam revocat.
21. » **20.** Monasterio Taurinen. ord. s. Clarae ecclesiam s. Benedicti incorporari iubet.
22. » **23.** Rectores fraternitatis s. Francisci de Urbeveteri ad vendendum fratribus Praed. quendam locum contiguum induci iubet.
23. » **26.** Fernandum Garsiae ord. Min. defectu natalium laborantem ad assequendas sui ordinis dignitates habilitat.
24. » **28.** Priorem eccl. s. Sabinae et Henricum Amonnis fratrem ord. Min. Ianuen., executores testamenti Henrici Compagnoni, quamdam summam pecuniae ab ipso ecclesiae Romanae legatam quibusdam camerae apost. mercatoribus assignare iubet.
25. » **28.** Episcopum Fundan. contra molestatores fratrum Min. de s. Germano procedere iubet.
26. **Mart. 1.** Simoni ord. Min., inquisitori haer. prav., mandat, ut si quos iniuste aut nimis rigide punitos invenerit, erga ipsos benigne se gerat.
27. » **4.** Certis quibusdam religiosis mulieribus, quae hucusque sub regula s. Aug. vivebant, facultatem ad ordinem s. Clarae se transferendi concedit.
28. » **4.** Ioannem Oliverii de Parma, qui dudum ab ordine Minorum ad ord. s. Ben. se transtulit, ad dignitates in eodem obtinendas habilitat.

28ª. » **5.** Bartholomaeo Iacobi de Cazago clerico Brixien. consideratione fr. Martini ord. Min. pro eo supplicantis beneficium eccl. in civ. et dioec. Brixien. reservat.

29. » **9.** Episcopum Aquen. (*Dax*), qui fratres Min. in ipsa civ. Aquen. multipliciter molestabatur, ad cessandum ab his molestationibus induci iubet.
30. » **18.** Henrico duci Silesiae duo monasteria ord. s. Clarae in terris suis fundandi facultatem concedit.
31. » **21.** Fridericum ord. Min., poenitentiarium apostolicum, ecclesiae Rigen. in archiepiscopum praeficit.

Benedictus papa XI — Anno Domini 1304.

32. **Apr. 2.** Certos quosdam archiepiscopos et episcopos instituit executores et conservatores constitutionis *Inter cunctas* pro fratribus Min. editae.
33. **» 2.** Fratres Min. a quacunque locorum antistitum iurisdictione eximit.
34. **» 16.** Bernardum Deliciosi ord. Min. ad se deferri iubet.
35. **» 22.** Ioannae reginae Franciae concedit licentiam monasterium de Pruvino ord. s. Clarae devotionis causa intrandi.
36. **Maii 12.** Priori Praed. et guardiano Min. fratrum Ianuen. concedit facultatem absolvendi Ianuenses a censuris eccl.
37. **» 14.** Monasterio Clariss. Iporien. manus adiutrices porrigentibus indulgentias elargitur.
38. **» 20.** Episcopi Aurasicen. et Cavallicen. mandat, ut episcopum Carpentoraten., qui in plures fratres Min. et alios clericos manus iniecit violentas, apostolico aspectui se praesentare iubeant.
39. **» 31.** Episcopo Gravinen. committit, ut Paulum episcopum Melfiten. coram sede apost. comparere iubeat, responsurum super iniuriis fratribus Min. illatis.
40. **» 31.** (Petrum) Minoritam ecclesiae Foropopulien. praeficit in episcopum.
41. **Iunii 1.** Episcopo, priori Praed., guardiano Min. fratrum Palentin. concedit facultatem confirmandi Petrum de villa Vincentii in abbatem mon. s. Mariae de Trianis electum.
42. **» 4.** Ministro ord. fratrum Min. prov. Colonien. concedit facultatem collocandi moniales in monasterio Clariss. Colon. nuper fundato.
43. **» 8.** Clarissas a solutione decimarum et quarumcunque exactionum eximit.

CLEMENS PAPA V.

Anno Domini 1305.

44. **Nov. 13.** Petro Empedurani, olim ord. Min. prov. Aragoniae, concedit facultatem ad ordinem s. Aug. transeundi.

Anno Domini 1306.

45. **Ian. 1.** Mariae comitissae Iuliacen. concedit facultatem monasterium de Longocampo ord. s. Clarae devotionis causa ingrediendi.
46. **» 3.** Mariae viduae Philippi III regis Franc. concedit eandem facultatem.
47. **» 10.** Matthaeo de Monteberon ord. Min. concedit licentiam ad ord. s. Ben. se transferendi.
48. **» 12.** .. Capellano Lucae s. Mariae in via lata diac. card., qui olim ab ord. Min. ad mon. s. Stephani Ianuen. ord. s. Ben. transiit, concedit facultatem officia et dignitates in suo ordine obtinendi.
49. **» 15.** Michaeli de Mercona ord. Min. presbytero et Henrici comitis Lincoln. confessario concedit facultatem confessiones ipsorum familiarium eiusdem comitis audiendi.
50. **» 17.** Ecclesiam s. Mariae de Camina Olenen. dioec., iuxta quam Isabella principissa Achaiae monasterium Clariss. construere intendebat, sed perficere non potuit, monasterio de Dalfino ord. Cist. dioec. Athenien. incorporat.
51. **» 20.** Guardiano fratrum Min. Florentin. aliisque committit, ut Bonacurso Berti de Frescobaldis de Florentia ordinem fratrum Erem. s. Aug. ingresso concedant licentiam ad saeculum redeundi.
52. **Febr. 17.** Restaurum Minoritam ecclesiae Grossetan. praeficit in episcopum.
53. **» 18.** Franciscum Minoritam ecclesiae Gaietan. praeficit in episcopum.
54. **» 19.** Cuidam mulieri concedit facultatem monasterium s. Catharinae Ianuen. ord. s. Clarae devotionis causa ingrediendi.
55. **Mart. 3.** Alionorae reginae Trinacriae concedit eandem facultatem pro monasterio Clariss. Messanen.
56. **Apr. 16.** Guilelmum Vitalis, olim ord. Min. professorem, in monasterio s. Michaelis in Eremo ord. s. Ben. dioec. Pictaven. recipi iubet.
57. **Iun. 28.** Philippino de Saona ord. Min. aliisque mandat, ut Ianuenses ad treugam cum Henrico rege Cypri ineundam inducant.
58. **Iulii 2.** Cum Armenis periclitantibus condolet eosque ad spem erigit.
59. **» 7.** Guardiano fratrum Min. Placentin. aliisque committit, ut Papienses in causa inter ipsos et monasterium de s. Christina Mediolan. ord. s. Ben. vertentem apostolico conspectui se praesentare iubeant.
60. **» 9.** Simonem canonicum Florentin. ecclesiae Balneoregien. praeficit in episcopum, cassata electione de fr. Monaldo ord. Min. a nonnullis canonicis eccl. Baln. facta.
61. **» 24.** Margaritam Cancellarii in abbatissam mon. ss. Cosmae et Dam. de Urbe ord. s. Clarae electam confirmari iubet.
62. **Aug. 21.** Clarissis de Monte Marciano dioec. Aduren. concedit licentiam, tempore generalis interdicti in festivitate b. Clarae divina officia in ecclesia sua celebrandi.
63. **» 22.** Indulget Aremburgi abbatissae mon. Minoriss. Petragoricen., ut in sui monasterii coemeterio (non obstante iuramento in contrarium praestito) sepeliri valeat.
64. **» 22.** Concedit eidem facultatem dispensandi cum sororibus sui monasterii in casibus, in quibus minister generalis ord. Min. dispensare potest.
65. **» 22.** Decimas eidem monasterio a comite Petragoricen. donatas confirmat.
66. **» 22.** Moniales ipsius monasterii Petragor. a decimis solvendis eximit.

Clemens papa V — Anno Domini 1306.

67. **Aug. 22.** Christifidelibus eidem monasterio caritatis subsidia erogantibus indulgentias elargitur.
68. » **22.** Item pro monasterio Minorissarum de Rupella dioec. Xanctonen.
69. » **22.** Moniales ipsius mon. Rupellen. a solvendis decimis eximit.
70. » **27.** Ioannem quendam in archiepiscopum praeficit ecclesiae Armachan., ad quam Michael Maglochlyn ord. Min. non admissus erat.
71. **Nov. 4.** Arnaldum can. Convenarum praeficit in episcopum ecclesiae Pictaven. vac. per resign. Gualterii episcopi (ex ord. Min.).
72. » **6.** Visitantibus capellam regiam Parisien., ad quam Philippus rex Franc. caput s. Ludovici regis transtulit, indulgentias concedit.
73. **Dec. 9.** Priori et lectori Praed. ac guardiano Min. fratrum Burdegalen. concedit facultatem, decanum et canonicos eccl. Burdeg. ad cautelam absolvendi.

Anno Domini 1307.

74. **Febr. 25.** Andream Minoritam ecclesiae Antibaren. praeficit in archiepiscopum.
75. **Mart. 3.** Beatrici de Burgundia, abbatissae mon. Palmen. ord. s. Ben. dioec. Bisuntin., quae inquisitione priori Praed. et guardiano Min. fratrum Bisuntin. commissa ipsius mon. bona dilapidasse est convicta, administrationem eiusdem adimit.
76. » **30.** Beatrici comitissae Marchiae concedit facultatem monasteria monialium ord. Cist. et s. Clarae ingrediendi.
77. **Maii 29.** Gunthero de Biberstein presbytero Vratislavien., qui, quum in ecclesia fratrum Min. Vratislav. quosdam processus contra Henricum episcopum Vratislav. habitos publicasset, bonis suis est spoliatus et e terris Poloniae expulsus, haec bona restitui iubet.
78. **Iunii 1.** Mariae viduae Philippi III regis Franciae licentiam novum introitum ad monasterium Clariss. de Longocampo construendi concedit.
79. **Maii 31.** Alidi uxori Ingerami domini de Magniaco concedit facultatem ingrediendi monasteria monialium secundum instituta Praed., Min., Praem., Carth. ord. viventium.
80. **Iunii 1.** Margaritae comitissae de Luxemburg (postmodum imper. Rom.) concedit licentiam ingrediendi mon. ord. Cist. et de Longocampo ord. s. Clarae.
81. » **1.** Margaritae comitissae Ebroicen. (postm. reginae Franciae) concedit facultatem ingrediendi mon. de Longocampo et s. Marcelli ord. s. Clarae.
82. » **1.** Visitantibus capellae hospitalis s. Elisabeth de Thuringia de Anneto dioec. Carnoten. indulgentias elargitur.
83. » **5.** Gotefridum Minoritam praeficit ecclesiae Civitatis Castellanae in episcopum.
84. **Iulii 23.** Fratribus Min. (et Praed.) in terras infidelium aut schismaticorum proficiscentibus confirmat privilegia ab Alexandro IV concessa.
85. » **23.** Ioannem de Montecorvino ord. Min. praeficit ecclesiae Cambalien. in primum archiepiscopum.
86. » **23.** Alios sex Minoritas constituit suffraganeos archiepiscopi Cambalien.
87. » **23.** Istis sex suffraganeis committit, ut illi Ioanni de Montecorvino munus consecrationis impendant palleumque assignent.
88. » **23.** Eidem Ioanni concedit facultatem munus consecrationis a quovis ex dictis suffraganeis recipiendi.
89. » **28.** Fratribus Min. de Sumidrio concedit licentiam ad alium locum in eodem oppido situm se transferendi.
90. **Aug. 3.** Episcopos Xanctonen. et Lectoren. de miraculis rec. mem. Ludovici episcopi Tolosan. inquirere iubet.
91. » **8.** Gentili tit. s. Martini in montibus presb. card. (ex ord. Min.) committit legationis officium in Hungariae aliisque finitimis regnis.
92. **Oct. 27.** Fratribus Min. de Arbario prov. Ianuen. concedit licentiam ad alium locum magis idoneum se transferendi.
93. **Nov. 5.** Blanchae filii s. Ludovici regis Franciae concedit facultatem infra septa mon. s. Marcelli et de Longocampo ord. s. Clarae habitandi.
94. » **12.** Philippae comitissae Haynoniae concedit licentiam monasteria monialium ord. Cist., Praed., Min. ingrediendi.
95. . . . . . . inhibet, ne fratres tertii ordinis tempore interdicti a fratribus Min. in ecclesiis suis ad divina officia admittantur.
96. **Nov. 22.** Inquisitores haer. prav. in Tuscia, marchia Ancon., ducatu Spoletano, Romandiola, Massa Trabaria (ex ord. Min.) contra Templarios inquirere iubet.
97. » **22.** Minorissis Petragoricen. confirmat permutationem bonorum cum comite Petragoricen. (fratre Aremburgis abbatissae et patre Marchesiae monialis ipsius mon.) factam.
98. » **22.** Eidem Minorissis locum Rupellae a rege Franciae pro construendo altero Minoriss. monasterio sibi concessum confirmat.
99. » **22.** Monasterium Minoriss. Rupellen. regimini ministrorum generalis et provincialis prov. Turoniae subiicit.
100. **Dec. 5.** Guardiano Barchinonen. concedit facultatem absolvendi quosdam mercatores Barchin., qui merces vetitas in Alexandriam portaverunt.
101. » **11.** Fratribus Min. de Vandecino concedit facultatem permutandi quendam censum cum monasterio maiori Turonen. O. S. B.

Clemens papa V — Anno Domini 1308.

102. **Ian. 15.** Petrum Minoritam ecclesiae Rapollan. praeficit in episcopum.
103. **» 15.** Eidem concedit facultatem munus consecr. a quocunque antistite recipiendi.
104. **Febr. 5.** Controversiam quandam inter fratres Min. et nonnullos incolas oppidi de Manso componit.
105. **Mart. 15.** Archiepiscopum Compostellan. aliosque de gravaminibus fratribus Min. Aurien. illatis cognoscere et referre iubet.
106. **» 23.** Aremburgi abbatissae et Marchesiae moniali mon. Petragoricen. ord. s. Clarae licentiam concedit in causis necessariis septa monasterii exeundi.
107. **» 23.** Ratam et gratam habet compositionem dicti monasterii cum Arnaldo Garsiae Delgot (fratre Clem. V) super vicecomitatu Leomaniae et Altivillaris factam.
108. **Apr. 1.** Gregorio de Cataro ord. Min. et Henrico de Arimino ord. Praed. concedit facultatem assistendi Urosio regi Rasciae fidem eccl. Rom. exoptanti.
109. **» 1.** Eidem Urosio regi de schismate ad fidem cath. accessuro congratulatur.
110. **» 1.** Patriarchae Gradensi ac procuratoribus gener. Praed. et Min. ordinum committit, ut ipsum regem ad fidem cath. inducant.
111. **Maii 1.** Sclarmundae reginae Maioricarum concedit facultatem loca religiosa et praesertim monasteria ordinis s. Clarae ingrediendi.
112. **» 1.** Guillelmum de Villanova ex ord. Min., unum ex sex suffraganeis archiepiscopi Cambalien. in partibus Tartarorum, ad illas partes proficisci iubet.
113. **» 4.** Petro de Boscho concedit facultatem ab ordine fratrum Min. ad ord. s. Ben. se transferendi.
114. **» 7.** Episcopum Corkagen. ob neglectam quandam appellationem, quae nomine guardiani Corkagen. aliorumque iudicum a sede apostolica in illa causa institutorum legitima pronuntiata est, citari iubet.
115. **» 27.** Ministro prov. Calabriae ord. Min. concedit facultatem recipiendi unum locum in castro Nicoterrae.
116. **Aug. 1.** Visitantibus ecclesiam fratrum Min. de Grandisono indulgentias elargitur.
117. **Oct. 25.** Universos praelatos ac religiosos Mendicantium aliorumque ordinum monet, ut quosdam collectores apostolicos ad partes Alamanniae destinatos in exequendis negotiis adiuvent.
118. **» 31.** Ecclesiam pauperum caecorum Parisien. a b. Ludovico rege Franciae constructam visitantibus indulgentias elargitur.
119. **» 31.** Item ecclesiam Novaevillae iuxta Compendium dioec. Suessionen. in hon. eiusdem b. Ludovici fundatam visitantibus.
120. **Nov. 7.** Clarissis Burdegalen. licentiam monasterium suum mendicandi causa exeundi concedit.
121. **» 7.** Universis monasterio Clariss. Burdegal. manus adiutrices porrigentibus indulgentias elargitur.
122. **Dec. 20.** Guilelmum de s. Marcello aliosque mittit in insulam Siciliae, ut contra Templarios inquirant.

Anno Domini 1309.

123. **Ian. 24.** Guardiano fratrum Min. Lodoven. aliosque committit, ut Petrum Buxeriae in pacificam possessionem cuiusdam ecclesiae sibi collatae inducant.
124. **Apr. 7.** Petro de Campania concedit facultatem ab ordine Min. ad ord. s. Ben. se transferendi.
125. **» 10.** Guardianum fratrum Min. Autissiodoren. aliosque resignationem abbatis mon. s. Germani Autissiod. recipere iubet.
126. **Maii 7.** De controversia inter fratres Praed. et Min. de Alexandria vertente cognosci et decerni iubet.
127. **» 10.** Priori Praed. et guardiano Min. fratrum Halberstaden. committit, ut Iunctam in abbatissam mon. s. Servatii de Quedelinburg ord. s. Aug. electam confirment.
128. **» 13.** Guardiano fratrum Min. Ianuen. concedit facultatem absolvendi mercatores Ianuen., qui merces vetitas ad Saracenos portaverunt.
129. **» 13.** Fratribus Praed. aut Min. ordinum prov. Ianuen. concedit facultatem recipiendi locum pro alterutro ordine a Rainaldo Spinulae de Luculo civi Ianuen. oblatum.
130. **» 25.** Fratribus Min. concedit licentiam recipiendi unum locum in villa Laberhani ad usum ipsorum fundandum.
131. **» 27.** Fratribus Min. Oxonien. concedit locum olim fratrum de Sacco ipsis contiguum.
132. **Iunii 14.** Ioanni de Cabilone domino de Arlato concedit facultatem monasterium Clariss. in oppido suo Arlaten. fundandi.
133. **» 14.** Ministrum prov. Burgundiae regimen et curam Clarissarum Arlaten. suscipere iubet.
134. **» 20.** Petro episcopo Ruthenen. (ex ord. Min.) officium plenae legationis in Alexandrin., Antiochen., Hierosol. patriarchatibus et Cypri atque Armeniae min. regnis committit.
135. **» 24.** Ioanni de Gustis indulget, ut ad dignitatem abbatialem assumi possit, non obstante quod olim ordinem fratrum Min. sit professus.
136. **» 29.** Venutum de Neocastro ord. Min., electum Catacen., citari iubet.
137. **Iulii 4.** Dispensat cum Guilelmo de Sabaudia, ita ut non obstante, quod olim frater Minor fuerit, ad dignitatem abbatialem in ordine s. Ben., ad quem se postmodum transtulit, assumi possit.
138. **» 11.** Christifideles per religiosos ordinum Mendicantium moneri iubet, ut fratribus ord. s. Ioannis Hieros. pro passagio ultramarino subsidium erogent.
139. **» 15.** Simonem Minoritam ecclesiae Pacen. in episcopum praeficit.

Clemens papa V — Anno Domini 1309.

140. **Iulii 27.** Episcopum et capitulum Aeduen. hortatur, ut Ioannem de Divione ord. Min., poenitentiarium suum, ad illas partes destinatum benigne recipiant.
141. **Aug. 9.** Margaritae reginae Romanorum concedit facultatem devotionis causa monasteria et loca quarumcumque sororum inclusarum intrandi.
142. **» 28.** Fabricae ecclesiae Clariss. Ledonen. subvenientibus indulgentias elargitur.
143. **» 30.** Privilegium fratribus et sororibus tertii ordinis a Nicolao IV die 18 aug. 1289 concessum se transcribi fecisse testatur.
144. **Nov. 5.** Prohibet, ne iuxta loca fratrum Carmel. infra spatium 140 cannarum ceteri religiosi Mendicantes sua loca construant.
145. **» 6.** Rambaudae dominae de Tornello concedit facultatem in civitate Mimaten. monasterium Clariss. fundandi.
146. **» 6.** Christifidelibus ad hoc ipsum opus manus adiutrices porrigentibus indulgentias elargitur.
147. **» 6.** Item Christifidelibus ecclesiam Clariss. Carcassonen. visitantibus.
148. **» 12.** Episcopis Aragoniae mandat, ut indulgentias impendentibus auxilium ad Saracenos e regno Granatae expellendos concessas per rectores ecclesiarum ac religiosos ordinum Mendic. aliasque personas ecclesiasticas publicari faciant.

Anno Domini 1310.

149. **Ian. 15.** Guilelmum de s. Marcello ord. Min. ad Urbem se conferre eandemque pacificare iubet.
150. **» 22.** Episcopo Argentin. ac priori Praed. et guardiano Min. fratrum Basileen. mandat, ut Gerardum episcopum ab eccl. Lausanen. ad Basileen. translatum in sedem suam immittant, amoto intruso.
151. **Febr. 3.** Archiepiscopum Neapolitan. de statu et numero sororum ord. s. Clarae in mon. s. Ioannis ad Nidum Neapolitan. se informare et referre iubet.
152. **» 11.** Stephanum Minoritam ecclesiae Portugallen. praeficit in episcopum.
153. **Mart. 8.** Nicolaum episcopum Virdunen., ob maculam in altero oculo munere suo fungi non valentem, per priorem Praed. et guardianum Min. fratrum Virdunen. citari iubet.
154. **» 23.** Fratres Praed. et Min. Lubicen. sententiam ab episcopo Lubicen. in civitatem Lubicen. latam observare iubet.
155. **» 23.** Sabino abbati mon. s. Salvatoris de Timmaro ord. s. Ben. dioec. Acheruntin. concedit, ut dignitatem abbat. retinere possit, non obstante quod olim fuerit frater Minor.
156. **Apr. 8.** Fernando Garsiae ord. Min., quocum iam dispensatum erat super defectu natalium, ita ut hoc defectu non obstante ad dignitates sui ordinis assumi posset, concedit, ut etiam ad dignitatem episcopalem promoveri queat.
157. **» 12.** Petro episcopo Rapollan. (ex ord. Min.) concedit facultatem de libris ad ordinem Min. spectantibus, quos adhuc apud se habet, infra domos fratrum ipsius ordinis ordinandi.
158. **» 14.** Gravi in ordine Min. de observanda paupertate exorta controversia praecipuos ipsius zelatores ad se evocat et interim ad obedientia ministri generalis eximit.
159. **Maii 1.** Geraldo Salomonis, qui ordinem Min., quem professus erat, reliquit, facultatem ad ord. Cist. transeundi concedit.
160. **» 7.** Episcopis Saonen. et Naulen. ac guardiano fratrum Min. Saonen. mandat, ut citent Franciscum de Gualiano, qui se pro canonico Saonen. gerit.
161. **» 25.** Guardiano fratrum Min. Tarvien. aliisque committit, ut circa monasterium s. Petri Generen. O. S. B. dioec. Tarvien. in spir. et temp. collapsum inquisitione legitima praecedente corrigant et reforment, quae sunt corrigenda et reformanda.
162. **» 27.** Petro episcopo Rapollan. (ex ord. Min.) concedit facultatem testandi.
163. **» 30.** Venutum de Neocastro ord. Min., qui dolose in episcopum Catacen. se fecit consecrari, de novo citari iubet.
164. **Iunii 1.** Ministro prov. Siciliae ord. Min. committit curam et regimen monasterii Clariss. Messanen.
165. **» 18.** Fratribus Min. concedit facultatem monasterium in Königsfelden ab Elisabeth vidua Alberti regis Rom. fundatam recipiendi.
166. **» 19.** Contra praeceptores et fratres ord. Hosp. s. Mariae Teut. propter varios excessus, etiam in fratres Praed. et Min. patratos, inquiri iubet.
167. **» 28.** Vitalem de Furno ord. Min., mag. theol., aliosque de quibusdam accusationibus ad causam contra Bonifatium VIII motam pertinentibus testium depositionem excipere iubet.
168. **Iulii 6.** Guidoni com. Flandriae facultatem monasterium Belliloci ord. s. Clarae dioec. Tornacen. ingrediendi concedit.
169. **» 6.** Henrico Rom. regi facultatem monasteria et loca ord. s. Clarae aliarumque religiosarum mulierum ingrediendi concedit.
170. **Aug. 20.** Cum Michaele Maclachloym ord. Min. super defectu natalium dispensat.
171. **Sept. 12.** Causam inter capitulum Lectoren. ex una et fratres Praed. ac Min. Lectoren. ex altera parte super funeralibus vertentem audiri et decidi iubet.
172. **Nov. 13.** Iacobo Odaclith, qui olim ab ordine Min. ad mon. s. Iacobi extra muros Herbipolen. absque licentia superiorum transiit, facultatem ad ord. Cist. se conferendi concedit.
173. **» 22.** Ministrum gen. Min. aliorumque ordinum superiores generales ad concilium generale Viennam convocat.

Clemens papa V — Anno Domini 1311.

174. **Ian. 13.** Ad novam structuram ecclesiae fratrum Min. de Sparro manus adiutrices porrigentibus indulgentias elargitur.

175. **Febr. 17.** Friderico archiepiscopo Rigen. (ex ord. Min.) indulget, ut fratribus Praed. et Min. concedat facultatem loca in singulis provinciae Rigen. civitatibus recipiendi.

176. **» 19.** Fratres Thomam, Hieronymum, Petrum de Florentia ord. Min. in episcopos suffraganeos archiepiscopi Cambalien. assumit.

177. **Apr. 14.** Hugoni de Veer facultatem monasterium Clariss. de Beche ab ipso fundatum ingrediendi concedit.

178. **Iunii 4.** Ioanni Clerici et Francisco de Posalis, qui de ordine Min., quem professi sunt, exierunt, facultatem ad ord. Cist. se transferendi concedit.

179. **» 13.** Cum Nicolao Richelini ord. s. Ben. dispensat, ita ut non obstante, quod olim ordinem Min. sit professus, ad dignitates sui ord. assumi queat.

180. **» 13.** Fratribus Min. prov. Aragoniae concedit facultatem quibusdam bonis sibi pro loco construendo legatis renuntiandi.

181. **» 22.** Osino regi Armeniae indulget, ut sex fratres Minores apud ipsum commorari valeant.

182. **» 22.** Ministro prov. regni Cypri mandat, ut eidem regi illos sex fratres mittat.

183. **» 22.** Petrum episcopum Ruthenen. et apost. sedis legatum (ex ord. Min.) electionem de Daniele Minorita in archiepiscopum Tharsen. factam examinare et confirmare iubet.

184. **» 22.** Cum Raymundo Palpavini ord. s. Ben. dispensat, ita ut ad dignitates sui ordinis assumi queat, non obstante, quod olim fuerit frater Minor.

185. **» 27.** Iacobo de Tosecti canonico Ebredunen. mandat, ut in patriarchatu Constantinop. una cum priore Praed. et guardiano Min. fratrum in illis partibus degentium contra Templarios procedat.

186. **» 27.** Petrum ord. Praed. praeficit ecclesiae Civitatis novae in episcopum, reiectis Iannino de Tervisio ord. Min. et quodam presbytero Veneto in discordia electis.

187. **Iulii 15.** Guardianum fratrum Min. Burdegalen. a sacrista eccl. s. Severini Burd. resignationem beneficiorum recipere iubet.

188. **» 31.** Clerum saecularem et regularem dioec. Basileen. a divinis iubet cessare in locis, ubi Lutoldus intrusus Basileen. commoratur.

189. **Aug. 25.** Petro episcopo Ruthenen. et apost. sedis legato mandat, ut in regno Cypri una cum priore Praed. et guardiano Minorum fratrum ibidem existentium contra Templarios procedat.

Anno Domini 1312.

190. **Ian. 14.** Ad instantiam guardiani de Castro Gelosii aliorumque executorum testamenti cuiusdam burgensis villae de Portu s. Mariae contra ipsius heredes procedi iubet.

191. **Febr. 12.** In causa inter fratres Praed. et Min. Alexandrin. vertente deputat cognitores, qui se informent referantque.

192. **Mart. 15.** Claruciam Iacopelli in monasterio s. Mariae de Monte lucido ord. s. Clarae in monacham recipi iubet.

193. **Apr. 8.** Clarissas de Moncello participes reddit privilegiorum ordini s. Clarae concessorum.

194. **» 29.** Capellam regiam Parisien. die translationis capitis s. Ludovici regis visitantibus indulgentias elargitur.

195. **Maii 6.** Quaedam dubia in regula fratrum Minorum declarat constitutione *Exivi de Paradiso.*

196. **» 6.** Sacrosancto concilio Viennen. approbante definit quaedam circa fidem catholicam, qua definitione quaedam opiniones Petri Ioannis Olivi ord. Min. implicite damnantur.

196ª. **» 6.** Approbante concilio Viennen. cassat constitutionem Benedicti XI *Inter cunctas* et illam Bonifatii VIII *Super cathedram* innovat.

197. **» 9.** Gerardinum plebanum plebis de Campo praeficit ecclesiae Lunen. in episcopum, reiecto Guilelmo Minorita in discordia cum ipso electo.

198. **» 11.** Ampliat indulta Blanchae filiae s Ludovici regis Franciae infra monasteria Clariss. de Longocampo vel de s. Marcello habitanti concessa.

199. **Iunii 20.** Sanciae reginae Siciliae concedit licentiam duas Clarissas secum habendi.

200. **» 20.** Eidem reginae concedit facultatem fundandi unum monasterium ord. s. Clarae.

201. **» 24.** Percivallum Minoritam ecclesiae Nebien. praeficit in episcopum.

202. **Iulii 8.** Fundationem monasterii Clariss. de Guadalfaiara confirmat.

203. **» 23.** Ministrum provincialem aliosque fratres Min. prov. Provinciae coram se comparere iubet.

204. **» 31.** Fratrem Boncortese al. Bonagratiam de Pergamo ord. Min. ad locum Vallis caprariae mitti ibique detineri iubet.

205. **Aug. 1.** Fratrem Menelaum de Iustinopoli eiusque socium Vitalem molestari vetat.

206. **Dec. 29.** Blanchae filiae s. Ludovici regis indulget, ut ad ipsam infra septa monasteriorum Clariss. de Longocampo vel de s. Marcello degentem personae saeculares et fratres Min. accedere possint.

Anno Domini 1313.

207. **Ian. 13.** De gravaminibus per episcopum Tudertin. monasterio Clariss. de Montesancto irrogatis cognosci iubet.

208. **Febr. 9.** Mandat episcopo et archidiacono Constantien., ut guardianos fratrum Min. Nanneten. et Veneten. aliosque a molestationibus ducis Britaniae desistere iubeant.

Clemens papa V — Anno Domini 1313.

209. **Apr. 18.** Ecclesiam Clariss. de Trebis visitantibus indulgentias elargitur.
210. **» 22.** Andream de Annibaldis, monachum mon. s. Laurentii foris portam Urbis ord. s. Ben., olim fratrem Minorem, aliosque ipsius mon. monachos in aliis eiusdem ordinis s. Ben. monasteriis collocari iubet.
211. **Maii 15.** Vitalem de Villanova militem Barchinon. absolvit a voto et iuramento fratribus Min. Barchinon. de sepultura in ipsorum ecclesia eligenda praestitis.
212. **» 21.** Fratribus Min. in capitulo generali Barchinonae proxime congregandis iniungit, ut declarationem regulae a se nuper confectam observent et virum providum in ipsorum ministrum generalem eligant.
213. **Iunii 30.** Ioanni Picardi ord. Min. concedit facultatem ad ordinem s. Ben. se transferendi.
214. **Iulii 1.** Episcopo Sistaricen. mandat, ut monasterium Clariss. Manuascae construi sinat.
215. **» 7.** Fratribus Min. concedit facultatem recipiendi unum locum Larini et alterum Limosani.
216. **» 9.** Francisco episcopo Gaietan. (ex ord. Min.) concedit facultatem testandi.
217. **» 15.** Quosdam fratres Min. prov. Tusciae a suis conventibus recedentes et alia loca recipientes, ut ad pristinas domos redeant, compelli iubet.
218. **» 15.** Declarationem in regulam fratrum Min. factam *(Exivi de Paradiso)* observari et contrafacientes, ut ad obedientiam superiorum redeant, compelli iubet.
219. **» 23.** Fratribus Min. Vigintimilien. concedit facultatem se transferendi ad alium locum infra ipsam civitatem Vig.
220. **Sept. 4.** Fernandum Gundisalvi ord. Min. apostatam, qui nunc se Gometium ord. s. Ben. nominat, et Ioannem de Palmela, qui se gerit episcopum Marrochitan., capi iubet.
221. **Oct. 8.** Stephanum episcopum Portugalen. (ex ord. Min.) ad ecclesiam Ulixbonen. transfert.
222. **Nov. 14.** Guardiano fratrum Min. Senen. aliisque committit, ut locum olim fratrum Saccorum Ricciardo s. Eustachii diac. card. iusto pretio emendum concedant.

Anno Domini 1314.

223. **Ian. 10.** Thomae comiti Marsici concedit facultatem fundandi unum locum ad usum fratrum Min.
224. **Febr. 26.** Petrum episcopum Ruthenen. (ex ord. Min.) in patriarcham Hierosol. promovet.
225. **Mart. 25.** Cancellarium Parisien. Arnaldo Roiardi ord. Min. magisterium in s. theol. conferre iubet.

IOANNES PAPA XXII.

Anno Domini 1316.

226. **Sept. 30.** Ioannae comitissae Pictaven. concedit licentiam monasteria mulierum religiosarum, etiam Minorissarum, ingrediendi.
227. **Oct. 8.** Item Matildi comitissae Atrebaten.
228. **» 26.** Item Blanchae viduae Philippi de Atrebato.
229. **Nov. 12.** Item Philippo regna Franciae et Navarrae regenti.
230. **» 17.** Religiosis tam Mendicantibus quam aliis in dioec. Albien. constitutis inhibet, ne solemnizent matrimonia absque parochorum licentia.
231. **» 29.** Sanciae reginae Siciliae concedit facultatem intrandi monasterium s. Mariae Neapolitan. ord. s. Clarae.
232. **» 29.** Ecclesiam eiusdem monasterii visitantibus elargitur indulgentias.

Anno Domini 1317.

233. **Ian. 1.** Blanchae filiae s. Ludovici regis concedit facultatem assumendi fratres Min. in executores sui testamenti.
234. **» 3.** Guilelmum Minoritam praeficit ecclesiae Patracen, in archiepiscopum.
235. **» 10.** Theodoro marchioni Montisferrati concedit facultatem fundandi in Clavasio locum ad usum fratrum Min.
236. **» 10.** Sanciae reginae Siciliae concedit licentiam augendi numerum monialium mon. s. Clarae Neapolitan.
237. **» 10.** Eidem reginae concedit facultatem fundandi in civ. Neapolitan. unum locum ad usum fratrum Min.
238. **» 10.** Eidem reginae indulget, ut monasterium Clariss. Neapolitan. ab ipsa fundatum potiatur indulgentiis et privilegiis, quae ordinibus Min. et s. Clarae sunt concessa.
239. **» 10.** Ministris generali et provinciali Terraelaboris adimit facultatem concedendi quibusvis personis licentiam monasterium s. Clarae Neapolitan. ingrediendi.
240. **» 10.** Archiepiscopum Neapolitan. constituit conservatorem iurium et privilegiorum eiusdem monasterii.
241. **» 10.** Contribuentibus ad structuram eiusdem monasterii indulgentias elargitur.
242. **» 29.** Matthaeum episcopum Imolen. (ex ord. Min.) transfert ad eccl. Clusin.
243. **» 29.** Bertrandum de Turre ord. Min. et Bernardum Guidonis ord. Praed. instituit apost. sedis legatos ad partes Italiae.
244. **Febr. 1.** Ad instantiam Sanciae reginae Siciliae iniungit, ut moniales monasterii Clariss. Neapoli ab ipsa fundati in sua professione praeter tria vota consueta promittere teneantur, quod sub eadem clausura convivant.
245. **» 4.** Clarissis de Monte Marciano confirmat quasdam donationes a vicecomite Bearnii sibi factas.
246. **» 4.** Eisdem confirmat donationes ab episcopis Aduren. sibi factas.

Ioannes papa XXII — Anno Domini 1317.

247. **Febr. 4.** Episcopus Vasaten., Aquen., Condomien. instituit conservatores iurium et privilegiorum eiusdem monasterii.
248. » **12.** Margaritae comitissae de Rociaco concedit facultatem intrandi monasteria monialium ordinum Mendic.
249. » **13.** Petrum Minoritam praeficit ecclesiae Pensaurien. in episcopum.
250. » **21.** Ioannem Minoritam praeficit ecclesiae Trecoren. in episcopum.
251. » **28.** Ioannem Minoritam praeficit ecclesiae Nepesin. in episcopum.
252. **Mart. 1.** Guilelmo episcopo Puteolan. (ex ord. Min.) concedit facultatem testandi.
253. » **1.** Bertrando de Turre ord. Min. et Bernardo Guidonis ord. Praed., apost. sedis nuntiis, mandat, ut reforment pacem inter nobiles Italiae.
254. » **1.** Item eisdem inter Guelfos et Ghibellinos illarum partium.
255. » **20.** Aliciae comitissae Norfolchiae concedit facultatem intrandi monasteria monialium, etiam Clarissarum.
256. » **15.** Regem Trinacriae hortatur, ut fratres Minores parva caputia gestantes capiat et de sua terra expellat.
257. **Apr. 7.** Canonizat Ludovicum filium Caroli II regis Siciliae, episcopum Tolosanum et ord. Min. alumnum.
258. » **8.** S. Ludovici episcopi Tolosani sepulchrum visitantibus indulgentias elargitur.
259. » **9.** Eiusdem canonizationem significat Mariae reginae Siciliae, matri ipsius sancti, necnon eiusdem sancti fratribus, sororibus, neptibus.
260. » **9.** Item Philippo regi Franciae.
261. » **9.** Item Iacobo regi Aragoniae, Sancio regi Maioricarum, Sanciae reginae Siciliae.
262. » **13.** Archiepiscopos et episcopos diversarum mundi partium constituit conservatores iurium et privilegiorum ordinis s. Clarae.
263. » **15.** Priorem Praed. et guardianum Min. fratrum Rothomagen. inquirere iubet super petitione de ecclesia s. Iuliani de Bonella monasterio de Villari ord. s. Ben. incorporanda.
264. » **24.** Guilelmum Minoritam ecclesiae Nicien. praeficit in episcopum.
265. » **24.** Richardum Minoritam ecclesiae Ossorien. praeficit in episcopum.
266. » **27.** Officiali Narbonensi mandat, ut citet quosdam fratres Min. « Spirituales » vocatos.
267. » **27.** Item officiali Biterren.
268. **Maii 9.** Naiam Donati de Donatis de Florentia in monasterio de Monticellis ord. s. Clarae Florentin. recipi iubet.
269. » **15.** Mariae reginae Siciliae concedit facultatem intrandi monasterium s. Clarae Neapolitan.
270. » **19.** Ministro generali ord. Min. concedit facultatem recipiendi decem loca.
271. » **28.** Episcopos Agennen., Petragoricen., Lemovicen. constituit conservatores iurium et privilegiorum monasterii Delpeyrat de Maron ord. s. Clarae.
272. » **28.** Episcopo Petragoricen. committit facultatem benedicendi eiusdem monasterii coemeterium.
273. » **29.** Monialibus eiusdem monasterii communicat privilegia monasterio Clariss. Avinion. concessa.
274. **Iunii 1.** Luciae de Mari moniali mon. Cremonen. ord. s. Clarae concedit licentiam ad mon. Ianuen. eiusdem ordinis se transferendi.
275. » **8.** Episcopos Noviomen. et Melden. causam inter mon. Clariss. de Bonoloco et clerum s. Audomari dioec. Morinen. super sepulturis vertentem audire iubet.
276. » **30.** Ioannem Viel ord. Min. in poenitentiarium apostolicum assumit eique concedit, ut in servitio regis et reginae Franciae, cuius specialis confessor est, commorari possit.
277. **Iulii 8.** Priorem Praed. et guardianum Min. fratrum Agennen. treugas inter Amanevum de Lebreto et Sanseverinum de Pinibus inducere iubet.
278. » **18.** Ioannem episcopum Nepesin. (ex ord. Min.) constituit vicarium in Urbe.
279. **Aug. 13.** Capellam regiam Parisien. in die translationis capitis s. Ludovici regis visitantibus indulgentias elargitur.
280. » **13.** Philippo regi Franciae concedit facultatem ingrediendi monasteria monialium.
281. » **15.** Ladislaum Minoritam ecclesiis Colocen. et Bachien. praeficit in archiepiscopum.
282. **Sept. 5.** Fratres Min. Tolosan. super quibusdam bonis ab episcopo Pampilonen. apud ipsos depositis et ab eis camerae apost. traditis absolvit.
283. » **17.** Ordinem s. Clarae a praestandis decimis et a contribuendo in procurationibus eximit.
284. » **18.** Eduardo regi Angliae scribit, non constare de Thomae ord. Min. promotione in episcopum s. Andreae.
285. » **28.** Aycardum Minoritam ecclesiae Mediolan. praeficit in archiepiscopum.
286. **Oct. 1.** Ministris ord. Min. quasdam litteras Innocentii IV super regimine Clarissarum de novo confirmat.
287. » **1.** Ubertinum de Ilia de Casali ab ordine Min. ad ordinem s. Ben. transfert.
288. » **6.** Amanevo de Lebreto ad litteras per Arnaldum lectorem fratrum Min. Tolosan. sibi missas respondet.
289. » **7.** Quaedam dubia circa regulam fratrum Min. declarat constitutione *Quorundam exigit.*
290. » **25.** Vitali (de Furno ord. Min.) presb. card. concedit facultatem testandi.
291. » **26.** Petrum patriarcham Hierosol. (ex ord. Min.) et apost. sedis legatum de singulis a se gestis, administratis, receptis rationem sufficientem reddidisse declarat.
292. **Nov. 1.** Fratribus Min. de Cragferiis super funere cuiusdam militis apud ipsos sepulti, cuius corpus fratres Praed. de Drogheda postmodum abstulerunt, iustitiam fieri iubet.
293. » **6.** Michaelem Monachi ord. Min., inquisitorem haer. prav., contra quosdam pseudo-fratres Min. (Spirituales) procedere iubet.
294. » **22.** Bertrandum de Turre ord. Min., apost. sedis nuntium, arguit, eo quod fines mandati sui excessit.
295. **Dec. 21.** Clarissas Colimbrien. privilegiis ordini Min. concessis potiri et frui permittit.
296. » **12.** Earundem ecclesiam visitantibus indulgentias elargitur.
297. » **30.** Contra Fraticellos aliosque id genus pseudo-religiosos procedi iubet constitutione *Sancta Romana.*

Ioannes papa XXII — Anno Domini 1318.

298. **Ian.** **1.** Fratribus Min. de Trim iustitiam fieri iubet super funere cuiusdam mulieris, quae apud ipsos elegit sepulturam, cuius tamen corpus a fratribus Praed. de Mullingar detinetur.
299. » **6.** Priori Praed. et guardiano Min. fratrum Bononien. mandat, ut restitui faciant quaedam bona a Çoen episcopo Bonon. relicta.
300. » **13.** Sanciae reginae Siciliae concedit facultatem certis diebus monasterium s. Clarae Neapolitan. ingrediendi.
301. » **13.** Ministro gen. ord. Min. concedit facultatem ampliandi numerum monialium eiusdem monasterii.
302. » **28.** Constitutione *Gloriosam ecclesiam* prohibet, ne Spiritualibus in insula Sicilia degentibus eorumque antesignano Henrico de Ceva favor aut auxilium praebeatur.
303. **Febr.** **6.** Hieronymum episcopum in partibus Tartarorum (suffraganeum archiepiscopi Cambalien.) ad ecclesiam Caphen. transfert.
304. » **6.** Agneti, sorori eiusdem Hieronymi episcopi, moniali mon. Clariss. Nigriponten., ad mon. Clariss. de Perpiniano se transferendi facultatem concedi iubet.
305. » **23.** Ord. Teut. magistrum, praeceptorem Livoniae, commendatores in Livonia et Pruscia citat, responsuros super querelis a Frederico archiepiscopo Rigen. (ex ord. Min.) contra ipsos motis.
306. **Mart.** **1.** Monasterium s. Clarae Neapolitan. a praestandis decimis, a contribuendo in procurationibus, a solvendis pedagiis eximit.
307. » **1.** Ecclesiam eiusdem monasterii visitantibus indulgentias elargitur.
308. » **1.** Leonem Minoritam ecclesiae Lauden. praeficit in episcopum.
309. » **11.** Custodi fratrum Min. Ianuen. concedit facultatem capitaneos Ianuenses absolvendi a censuris, quas incurrerunt capiendo abbatem de Zerbino.
310. » **11.** Clarissis de Calignano confirmat omnia privilegia ordini s. Clarae concessa.
311. » **11.** De permutatione nonnullorum eiusdem monasterii bonorum inquiri iubet.
312. » **11.** Item de permutandis aliis ipsius mon. bonis.
313. » **15.** Clarissis de Villacomitis regulam ab Alexandro IV concessam confirmat.
314. » **16.** Ioannae reginae Franciae concedit licentiam assumendi unum fratrem Min. in executorem sui testamenti.
315. » **21.** Stephanum episcopum Ulixbonen. (ex ord. Min.) arguit, eo quod discordiam inter Dionysium regem Portugalliae eiusque uxorem Elisabeth seminasse dicitur.
316. » **22.** Episcopis, qui de vita et miraculis rec. mem. Clarae de Montefalco ord. Er. s. Aug., olim tertio ordini s. Franc. adscriptae, inquirere iussi sunt, quoddam salarium in exequendo hoc officio concedit.
317. » **28.** Hieronymo episcopo Caphen. concedit facultatem dispensandi super impedimento consanguinitatis vel affinitatis in quarto gradu.
318. » **28.** Usbek imperatorem Tartarorum monet, ut verbum Dei in suis terris praedicantibus (praecipue ex ord. Min.) benignitatis affectum continuet.
318ª. **Apr.** **1.** Civitatem Soltanien. in metropolim erigit finesque inter ipsam et provinciam Cambaliensem limitat.
319. » **1.** Petrum de Palude ord. Praed. et Stephanum de Neriaco ord. Min. nuntios apostolicae sedis ad partes Flandriae destinat.
320. » **15.** Priori Praed. et guardiano Min. fratrum Agennen. committit, ut Matham comitissam Armaniaci et Margaritam comitissam Fuxensem ad pacem inter se habendam inducant.
320ª. **Maii** **1.** Fratribus Praed. in terras infidelium proficiscentibus eadem privilegia, quae fratribus Min. illuc iam profectis concessa erant, concedit decernitque, quae sit distantia locorum utriusque ordinis.
321. » **1.** Officium inquisitionis haer. prav. in Cracovien. et Vratislavien. dioec. Peregrino Praed. et Nicolao Min. ord., Coldae Praed. et Hartmanno Min. ord. in Pragen. et Olomucen. dioec. committit.
322. » **2.** Clarissis Messanen. indulget, ut fruantur privilegiis ordini s. Clarae concessis.
323. » **2.** Fratribus Min. Aretin. concedit facultatem vendendi antiquum ipsorum locum.
324. » **2.** Episcopum Perusin. Clarissis de Pausio de Assisio locum suum permutandi licentiam concedere iubet.
325. » **10.** Fratribus Min. concedit facultatem recipiendi duo loca in insula Siciliae.
326. » **14.** Fratribus Min. prov. Aragoniae concedit facultatem recipiendi unum locum in villa de *Tarrega*.
327. **Iun.** **6.** Monialibus de Villacomitis concedit regulam s. Clarae aliquatenus moderatam.
327ª. » **27.** Magistrum Ioannem de Polliaco contra ordines Mendic. sermocinantem citari iubet.
328. **Iul.** **1.** Perusinis ad litteras per fr. Egunaldum, lectorem domus fratrum Min. Perusin., oblatas respondet.
329. » **4.** Conradum Minoritam in archiepiscopum Ephesin. electum confirmat.
330. » **14.** Cancellarium Parisien. Petro Aurioli ord. Min. licentiam legendi largiri iubet.
331. » **18.** Archiepiscopum Messanen. Francisco comiti Vigintimilien. et Giracen. facultatem fundandi unum locum ad usum fratrum Minorum concedere iubet.
332. **Aug.** **1.** Donationem ecclesiae s. Laurentii in Panisperna de Urbe per capitulum Lateran. Iacobo de Columna S. R. E. card. ad moniales in domibus annexis collocandas factam confirmari iubet.
333. » **2.** Inquisitores haer. prav. e Praed. et Min. fratrum ordinibus in diversis Italiae partibus constitutos ad computum de receptis faciendum compelli iubet.
334. » **6.** Monasterium Clariss. de Znoyma a solvendis decimis eximit.
335. » **13.** Ecclesiam mon. Clariss. de *Medina Pomar* visitantibus indulgentias elargitur.
336. » **15.** Petrum de Columna s. Angeli diac. card. protectorem mon. s. Silvestri de Urbe ord. s. Clarae instituit.

Ioannes papa XXII — Anno Domini 1318.

Anno Domini 1319.

Ioannes papa XXII — Anno Domini 1319.

374. **Aug. 8.** Ministrum prov. Terraelaboris ord. Min. ad idem monasterium duas Clarissas in cantu expertas transferre iubet.
375. **» 9.** Eundem ministrum ad ipsum monasterium duos alios fratres destinare iubet.
376. **Sept. 11.** Ioannam reginam Franciae monet, ut indultis de visitanda Blanca filia, Clarissa mon. de Longocampo, sibi concessis raro utatur.
377. **» 17.** Superiores fratrum Min. et Praed. Ianuen. incolis ipsius civitatis confessarios deputare iubet.
378. **» 19.** Guardiano fratrum Min. Ragusin. aliisque mandat, ut Andream archiepiscopum Antibaren. citent.
379. **Oct. 1.** Rossolinum Minoritam ecclesiae Regen. praeficit in episcopum.
380. **Nov. 5.** Ministro gen. ord. Min. concedit facultatem recipiendi unum locum a vidua Henrici comitis de s. Severino fundandum.
381. **» 13.** Monasterio « Corporis Christi » ord. s. Clarae Neapolitan. confirmat omnes donationes a rege et regina Siciliae ipsi factas.
382. **Dec. 13.** Fratribus Praed. et Min. Portugallen. confirmat privilegium liberae sepulturae.
383. **» 16.** Clarissis mon. s. Mariae Vallis gloriae concedit facultatem se transferendi ad alium locum.

Anno Domini 1320.

384. **Ian. 6.** Ecclesiam Clariss. Colimbrien. visitantibus indulgentias elargitur.
385. **» 13.** Blancae, filiae Philippi regis et Ioannae reginae Franciae, moniali mon. de Longocampo ord. s. Clarae, concedit nonnulla privilegia.
386. **» 18.** Iacobinam de Monexilio in monasterio Clariss. Asten. recipi iubet.
387. **» 28.** Capellam in hon. s. Ludovici ep. et conf. in ecclesia s. Mariae Foroiulien. constructam visitantibus indulgentias elargitur.
388. **Febr. 25.** Sententiam adversus Bernardum Deliciosi ord. Min. latam aggravat.
389. **Mart. 1.** Archiepiscopo Beneventan. concedit facultatem confirmandi Laurentium Minoritam in episcopum Arianen. electum.
390. **» 2.** Guardiano fratrum Min. de Piperno concedit facultatem dispensandi super impedimento matrimonii inter Massimum Ioannis de Piperno militis et Geminam filiam alterius militis de Piperno contrahendi.
391. **» 7.** Hedvigi ducissae Poloniae concedit facultatem ingrediendi monasterium Clariss. Cracovien.
392. **» 18.** Ministro prov. s. Francisci ord. Min. concedit facultatem vendendi nonnulla bona monasterii Montis sancti prope Tudertum ord. s. Clarae.
393. **» 18.** Ministro prov. Bononiensis ord. Min. concedit facultatem recipiendi unum locum.
394. **Apr. 8.** Capellam in hon. s. Ludovici ep. in ecclesia fratrum Min. Valentin. constructam visitantibus indulgentias elargitur.
395. **» 17.** Episcopum Curien. fratribus Min. in Heidelberg ad alium locum transeundi licentiam concedere iubet.
396. **» 18.** Episcopum Basileen. eiusque officiales fratres Min. Basileen. vexantes citari iubet.
397. **Maii 5.** Ioannem Minoritam ecclesiae Tiburtin. praeficit in episcopum.
398. **» 25.** Priorem Praed. et guardianum Min. fratrum Lucan. quaedam legata a nonnullis civibus Lucan. sedi apostolicae facta exigere iubet.
399. **Iun. 17.** Mathildem Alberti de Freiberg in monasterio Clariss. de Söflingen recipi iubet.
400. **» 21.** Rectorem civ. Beneventan. super electione Petri de Scalea ord. Min. in episcopum Neocastren. facta inquirere iubet.
401. **Iul. 22.** Episcopum Colimbrien. monasterio Clariss. Colimbrien. quandam ecclesiam incorporare iubet.
402. **Aug. 18.** Guardiano fratrum Min. Roxeburgen. concedit facultatem dispensandi super impedimento matrimonii inter Ioannem Giffardi militem dioec. s. Andreae et Eufenam de Marahono contracti.
403. **» 21.** Episcopos Cathanien. et Saonen. a fratribus Min. Ianuen. quandam crucem aliasque res pretiosas ad thesaurum eccl. Rom. pertinentes exigere iubet.
404. **» 27.** Monasterium Clariss. Isernien. a iurisdictione episcopi loci eximit.
404[a]. **» 27.** Ecclesiam eiusdem monasterii visitantibus indulgentias elargitur.
405. **» 28.** Episcopum Anconitan. et Laurentium de Mondaino ord. Min., inquisitorem haer. prav., contra quosdam cives Racanaten. et Auximan. ac Fredericum de Monteferetro procedere iubet.
406. **Sept. 1.** Minorissas Bononien. a praestandis decimis aliisque contributionibus eximit.
406[a]. **» 3.** Bertrandum de Turre ord. Min. ecclesiae Salernitan. praeficit in archiepiscopum.
407. **» 24.** Ecclesiam monasterii Corporis Christi Neapolitan. ord. s. Clarae visitantibus indulgentias elargitur.
408. **» 24.** Idem monasterium a praestandis decimis aliisque contributionibus eximit.
409. **Oct. 3.** Matthaeum Minoritam in archiepiscopum Surrentin. electum confirmari iubet.
410. **Nov. 16.** Ioannem de Beccario ord. Min. instituit administratorem ecclesiae Papien.
411. **» 22.** Episcopum Tolonen. Beguinas castri de Areis in statu ipsarum dimittere easque manutenere iubet.
412. **» 26.** Raymundum Minoritam ecclesiae Vigintimilien. praeficit in episcopum.
413. **Dec. 4.** Priorem generalem ord. Erem. s. Aug. certiorem reddit de optione quibusdam fratribus ipsius ordinis, qui ad ordinem Min. se transtulerunt, concessa.
414. **» 13.** Isabellae filiae regis Franciae concedit facultatem visitandi Blancam monialem mon. de Longocampo ord. s. Clarae, sororem suam.
415. **» 13.** Item Margaritae alteri filiae ipsius regis Franciae.

Ioannes papa XXII — Anno Domini 1320.

416. Dec. 13. Ioannae uxori regis Franciae, matri ipsius Blancae monialis, indulget, ut ad eandem unum de medicis regiis mittere possit, qui de statu eiusdem sibi referat.
417. » 31. Episcopis Cameracen., Tornacen., Parisien. idem de Beguinis mandat, quod nuper episcopum Tolonen. (cfr. supra n. 411) facere iusserat.

Anno Domini 1321.

418. Ian. 16. Gerardum Minoritam ecclesiae Bruniaten. praeficit in episcopum.
419. Febr. 9. Raymundum episcopum Alben. (ex ord. Min.) transfert ad ecclesiam Theatin.
420. » 9. Guilelmum Minoritam ecclesiae Alben. praeficit in episcopum.
421. » 13. Episcopo Spiren. mandat; ut Franciscum de Lutra apostatam ord. Min. capiat et ad Curiam destinet.
422. » 16. Archiepiscopos Neapolitan., Capuan., Salernitan. constituit conservatores iurium et privilegiorum mon. Corporis Christi Neapolitan. ord. s. Clarae.
423. » 16. Eidem monasterio confirmat omnes donationes a Sancia regina Siciliae ipsi factas.
424. » 24. Prohibet, ne quis infra ipsius monasterii septa aedificia construat.
425. » 27. Petrum Aurioli ord. Min. ecclesiae Aquen. praeficit in archiepiscopum.
426. Mart. 20. De causa inter fratres Min. Basileen. et vicarium gen. episcopi Basileen. super quodam funere vertente inquiri iubet.
427. » 30. Ordinationes inter fratres Min. et Praed. Xanctonen. super construendo quodam loco factas confirmat.
428. Apr. 12. Iura Bertrandi (de Turre ord. Min.) S. R. E. cardinalis et administratoris ecclesiae Salernitan. defendi iubet.
429. » 30. Arnaldum Royardi ord. Min. ecclesiae Salernitan. praeficit in archiepiscopum.
430. Maii 12. Blansaflorem Guroni de Garisendis in monasterio Clariss. Bononien. recipi iubet.
431. » 15. Fratres Min. Condomien. durante capitulo provinciali apud ipsos proxime celebrando non subiacere declarat interdicto, cui supposita est civitas Condom.
432. » 15. Ministro gen. ord. Min. concedit facultatem recipiendi unum locum in castro Taussignani.
433. » 16. Geminam filiam Bindoli civis Perusini in monasterio s. Mariae de Montelucido ord. s. Clarae recipi iubet.
434. » 23. Guardiano Barchinon. concedit facultatem absolvendi quosdam mercatores Barchinon. a censuris, quas incurrerant, eo quod merces vetitas portabant ad soldanum Babyloniae.
435. Iunii 4. Venutum episcopum Catacen. (ex ord. Min.) reintegrari iubet.
436. Iulii 18. Ioannem Minoritam ecclesiae Albingan. praeficit in episcopum.
437. » 24. Tres propositiones Ioannis de Polliaco contra privilegia ordinum Mendic. directas damnat.
438. » 31. Capellam in hon. s. Nicolai in ecclesia fratrum Min. Fulginaten. constructam visitantibus indulgentias elargitur.
439. Oct. 15. Mathildi comitissae Atrebaten. concedit facultatem intrandi monasterium Clarissarum de s. Audomaro.
440. » 15. Zachariae archiepiscopo s. Thaddaei in Armenia et vicario Praed. ac custodi Min. fratrum in Tartarorum partibus commorantium concedit facultatem dispensandi super quibusdam defectibus cum ecclesiasticis illarum partium praelatis.
441. » 15. Ad Georgium regem Georgianorum et universos Tartarorum populos quasdam litteras per fratres Min. mittit.
442. » 21. Episcopo Assisien. et inquisitoribus haer. prav. in provincia s. Francisci (ord. Min.) mandat, ut raptores thesauri ecclesiae Rom. in sacristia fratrum Min. Assis. depositi ad restituendum compellant.
443. » 23. Privilegia et indulta a Clem. V fratribus Min. et Praed. ad terras infidelium et schismaticorum proficiscentibus concessa confirmat.
444. Nov. 22. Abbatem mon. Virgiliacen. ord. s. Ben. propter iniurias fratribus Min. Virgiliacen. illatas citari iubet.
445. » 22. Stephano episcopo Sarayen. super iniuriis per Bogos episcopum Armenorum sibi illatis compatitur.
446. » 22. Vicario in partibus Tartariae Aquilonaris et s. Mariae ac s. Francisci de Capho guardianis ord. Min. mandat, ut cives Caphen. ad satisfaciendum de iniuriis episcopo Caphen. irrogatis compellant.
447. » 22. Hieronymo episcopo Caphen. concedit facultatem cum 4 fratribus Min. ad partes Hierosol. transfretandi.
448. » 22. Eidem episcopo concedit licentiam, 3 fratres Min. secum ad partes Tartarorum ducendi.
449. » 22. Christianos in imperio Tartarorum constitutos monet, ut in obedientia sedis apost. perseverent.
450. » 22. Abuscanum regem Tartarorum ad fidem christ. (opera et studio fratrum Min.) conversum hortatur, ut subditos quoque ad eamdem fidem suscipiendam inducat.
451. » 22. Mussayd imperatori Tartarorum fratres Petrum et Iacobum ord. Min. una cum aliis christianis in imperio suo commorantibus commendat.
452. » 22. Singulis in illis partibus ad fidem christ. (opera et studio fratrum Min.) conversis et posthac convertendis quasdam indulgentias concedit.
452[a]. » 22. Universos Armenorum episcopos et populos monet, ut ad unionem ecclesiae catholicae redeant et festa Domini ac sanctorum iuxta ritum ecclesiae Rom. per fratres Iacobum et Petrum ord. Min. ipsis tradendum colant.
453. » 30. Episcopos Valentin. et Vivarien. atque inquisitorem haer. prav. (ord. Min.) contra illos, qui fratres Cathalanum Fabri et Petrum Paschalis trucidarunt, procedere iubet.
454. » 30. Episcopum Valentin. de vita ac miraculis eorumdem fratrum inquirere iubet.
455. Dec. 20. Fratribus Min. Sibenicen. concedit facultatem se transferendi ad alium locum.
455[a]. » 23. Rectorem ducatus Spoletan. et inquisitores haer. prav. in prov. s. Francisci (ord. Min.) contra Spoletanos, qui Fredericum de Monteferetro in suum capitaneum assumpserunt, procedere iubet.

Ioannes papa XXII — Anno Domini 1322.

456. **Ian.** **22.** Ministro gen. ord. Min. mandat, ut fratrem Deodatum, quondam moderatorem Clarissarum mon. s. Silvestri de Urbe, reintegret.
457. » **23.** Eidem ministro committit officium visitationis Clarissarum mon. s. Antonii de Policiano.
458. » **25.** Eidem ministro concedit facultatem recipiendi unum locum in castro novo (*Correggio*).
459. **Febr.** **1.** Episcopo Spiren. mandat, ut Franciscum de Lutra ord. Min. apostatam ad Curiam mittat.
460. » **10.** Laurentium Minoritam ecclesiae Ragusinae praeficit in archiepiscopum.
461. » **26.** Paulino de Venetiis ord. Min., poenitentiario apostolico, committit, ut Venetos inducat ad abstinendum ab hostilibus contra Ariminenses.
462. » **26.** Episcopos Narbonen., Tholosan., Auxitan. aliarumque provinciarum contra fratres et sorores tertii ordinis s. Franc. de rebus fidei minus recte altercantes inquirere iubet.
463. **Mart.** **1.** Sententias a fratribus Min. et clero Spiren. inter se sacramentorum sodalibus tertii ord. s. Franc. administrandorum causa latas suspendi iubet.
464. » **26.** Poenas a Nicolao III contra glossatores regulae fratrum Min. comminatas suspendit constitutione *Quia nonnumquam.*
465. **Iun.** **3.** Fundationem monasterii Clariss. Panormitan. confirmat.
466. » **22.** Episcopo Ilerden. committit, ut sororibus de Virgaria ord. ss. Trin. concedat facultatem confitendi fratribus Praed. aut Min.
467. **Iulii** **4.** Ministro Min. et priori Praed. fratrum prov. Armeniae mandat, ut ad Ioannam reginam Armeniae binos fratres cum eadem moraturos mittat.
468. » **6.** Rectorem marchiae Ancon. ab inquisitoribus ipsius marchiae (ord. Min.) bona haereticorum confiscata exigere vetat, quotiescunque expensae inquisitionis ascendunt ad valorem ipsorum bonorum.
469. » **9.** Ioannem de Tessenderia ord. Min. praeficit ecclesiae Lodoven. in episcopum.
470. » **18.** Aymericum Minoritam in episcopum Paphen. electum confirmat.
471. » **19.** Bernardum Minoritam ecclesiae Corisopiten. praeficit in episcopum.
472. » **21.** Episcopum Colimbrien. inquirere iubet, si qui conventus religiosorum Mendic. bona immobilia contra ipsorum regulam possideant.
473. **Aug.** **1.** Ministro prov. Anconitan. ord. Min. concedit facultatem permutandi locum de Serra (Petrona) cum alio magis accommodo.
474. » **1.** Inquisitoribus haer. prav. mandat, ut constitutionem *Sancta Romana* contra Fraticellos editam observari faciant.
475. » **1.** Episcopos Agennen., Petragoricen., Lemovicen. instituit conservatores iurium et privilegiorum monasterii Clariss. del Peyrat de Maron.
476. » **6.** Prohibet, ne fratres ord. Carmel. in ordinibus fratrum Praed., Min. vel Erem. s. Aug. recipiantur.
477. » **6.** Prohibet, ne fratres Erem. s. Aug. in ordinibus fratrum Praed., Min. vel Carmel. recipiantur.
478. » **21.** Stephanum episcopum Ulixbon. (ex ord. Min.) ad ecclesiam Conchen. transfert.
479. **Sept.** **17.** Ministro gen. ord. Min. mandat, ut Rufinum de Assisio eiusdem Ordinis, qui se fingit episcopum, capiat.
480. » **22.** Eundem ministrum quandam summam pecuniae pro restauranda basilica Lateran. receptam curatoribus fabricae ipsius basilicae assignare iubet.
481. » **26.** Bonaiunctae Minoritae, inquisitori haer. prav. in partibus Venetis, indulgentiam plenariam in articulo mortis concedit.
482. » **27.** Paulino de Venetiis ord. Min., apost. sedis nuntio, committit, ut fratrem Saurum, ipsius Bonaiunctae socium, ad restituendam quandam pecuniae summam impellat.
483. » **27.** Iudicium finale de apostillis Petri Ioannis Olivi ord. Min. sibi reservasse declarat.
484. **Oct.** **14.** Cum Berengario de Queralto ord. Min. super defectu natalium dispensat.
485. **Nov.** **17.** Innovat litteras die 30 nov. 1321 datas, quibus contra occisores Cathalani Fabri et Petri Paschalis ord. Min. procedi iusserat.
486. **Dec.** **8.** Bonorum in ordine Min. acquisitorum dominium non amplius ad ecclesiam Rom. sed ad ipsum ordinem Min. spectare declarat constitutione *Ad conditorem canonum.*

Anno Domini 1323.

487. **Ian.** **5.** Prohibet, ne Petrus de Perusio ord. Min. ab officio inquisitoris haer. prav. abque licentia speciali sedis apost. amoveatur.
488. » **18.** Matthaeum Minoritam ecclesiae Beryten. praeficit in episcopum.
489. **Febr.** **28.** Guilelmum de Villanova ex ord. Min. in episcopum in partibus Tartarorum (suffr. archiepiscopi Cambalien.) assumptum ad ecclesiam Sagonen. transfert.
490. » **28.** Andreae episcopo Alben. bona a Martino praedecessore eius (ex ord. Min.) relicta assignari iubet.
491. **Mart.** **21.** Gaucerando de Angularia ord. Min. concedit licentiam ad ordinem Can. s. Aug. se transferendi.
492. **Apr.** **1.** Clarissis Civitaten. concedit liberam sepulturam.
493. » **1.** Easdem ab exactionibus super legatis et oblationibus ipsis factis defendit.
494. » **28.** Ioanni Picardi ord. Clun. concedit facultatem obtinendi sui ordinis officia et dignitates, non obstante quod olim fuerit ord. Min.

Ioanues papa XXII — Anno Domini 1323.

495. **Maii 1.** Clarissis Perpinian. concedit liberam sepulturam.
496. » **1.** Easdem ab exactionibus super legatis et oblationibus ipsis factis defendit.
497. » **1.** Easdem participes reddit privilegiorum ordini Min. concessorum.
498. » **1.** Declarat Ioannem de Turre de Adria ord. Min. non incurrisse irregularitatem ob vulnerationem alicuius fratris Erem. s. Aug. sibi necem paraturi.
499. » **16.** Custodem fratrum Min. Colimbrien. pro construendo monasterio Clariss. Colimbrien. duos fratres Min. assignare iubet.
500. » **24.** Cancellarium Paris. Francisco de Mayronis ord. Min. magisterium in theol. facultate conferre iubet.
501. **Iunii 4.** Ministro Apuliae concedit facultatem recipiendi unum locum in Castro de Caurata.
502. » **6.** Petrum Minoritam ecclesiae Maceraten. praeficit in episcopum.
503. » **6.** Petrum Minoritam ecclesiae Humanaten. praeficit in episcopum.
504. **Iulii 29.** Capellam in hon. s. Ludovici ep. in ecclesia Villae novae dioec. Ruthenen. constructam visitantibus indulgentias elargitur.
505. **Aug. 4.** Petro de Vienna ord. Min., nuntio regis Armeniae, concedit facultatem visitandi sepulchri Dominici.
506. » **5.** Episcopo Aurien. committit, ut fratribus Minoribus de Monteregis concedat licentiam se transferendi ad Vianam.
507. » **15.** Rectori ducatus Spoletan. committit, ut fratribus Min. concedat facultatem recipiendi unum locum in districtu villae Cordiglianae.
508. » **16.** Priorem Praed. et guardianum Min. fratrum Tolosan. ad comitissam Vindocinen. et nobiles de Convenis mittit pacis inter eos reformandae causa.
509. » **26.** Ermengaudo de Pasoliis ord. Can. s. Aug. concedit facultatem obtinendi dignitates sui ordinis, non obstante quod olim fuerit ord. Min.
510. **Sept. 1.** Fratribus Min. Albingan. concedit facultatem se transferendi ad alium locum.
511. » **25.** Easdem litteras, quas die 28 martii 1318 ad Usbek imperatorem Tartarorum direxerat, de novo eidem destinat.
512. » **28.** Mariam Theodini de Monte de Urbe in mon. ss. Cosmae et Dam. de Urbe ord. s. Clarae recipi iubet.
513. **Oct. 10.** Boruntium de Florentia ord. Min. in monasterio Insulae barbarae prope Lugdunum ord. s. Ben. recipi iubet.
514. » **10.** Franciscum de Lutra ord. Min. in monasterio s. Andreae ord. s. Ben. dioec. Avinion. recipi iubet.
515. **Nov. 1.** Cum Donato de Urbino ord. Min. super defectu natalium dispensat.
516. » **4.** Religiosos Mendic. in suis conventibus una tantum campana contentos esse debere decernit.
517. » **8.** Ecclesiam fratrum Minor. Massilien. in festivitate translationis s. Ludovici ep. visitantibus indulgentias elargitur.
518. » **12.** Pertinaciter affirmare, Christum eiusque apostolos neque in speciali neque in communi aliqua possedisse, haereticum fore declarat constitutione *Cum inter nonnullos*.
519. » **24.** Francisco Manneti de Florentia ord. Camald. concedit facultatem dignitates sui ordinis obtinendi, non obstante, quod olim fuerit ord. Min.
520. **Dec. 1.** Guilelmum (Occam?) dictum Anglicum ord. Min. puniri iubet, eo quod Bononiae praedicavit, Christum eiusque apostolos non habuisse quidquam in proprio vel in communi.
521. » **14.** Rectorem ducatus Spoletani aliosque in regestris summorum pontificum penes locum fratrum Min. Assisien. àsservatis de miraculis Philippi archiepiscopi Bituricen. perquirere iubet.

Anno Domini 1324.

522. **Ian. 2.** Henrico de Solliaco concedit facultatem ingrediendi monasterium de Longocampo ord. s. Clarae.
523. **Mart. 14.** Marino de Diano concedit facultatem in ecclesia parochiali de Diano construendi capellam in honorem s. Ludovici episcopi.
524. » **23.** Processus contra Vicecomites Mediolan., qui praeter alia facinora immunitatem locorum fratrum Praed. Min., Erem. s. Aug. laedebant, publicat.
525. » **23.** De bonis mon. Scafati ord. Cist. et hosp. s. Ioannis Hieros. ex una et mon. Corp. Chr. Neapolitan. ord. s. Clarae ex altera parte commutandis inquiri iubet.
526. » **25.** Guardiano eiusdem mon. Corp. Chr. concedit facultatem non semel tantum in anno, sed quoties expedierit, confessiones ipsarum monialium excipiendi.
527. **Apr. 1.** Easdem moniales participes reddit privilegiorum ordinibus Min. et s. Clarae concessorum.
528. » **4.** Eisdem monialibus concedit facultatem cum fratribus Min. ad ipsarum servitium deputatis officium divinum vicissim cantandi.
529. » **10.** Regi Siciliae concedit licentiam ingrediendi ipsum monasterium Corp. Chr.
530. **Maii 23.** Capellam in hon. s. Ludovici in ecclesia s. Laurentii fratrum Min. Neapolitan. constructam visitantibus indulgentias elargitur.
531. » **24.** Cum Bernardo de Castillione et Francisco de Aquaputrida ord. Min. super defectu natalium dispensat.
532. **Iunii 1.** Guilelmum episcopum Puteolan. (ex ord. Min.) ad ecclesiam Adversan. transfert.
533. » **1.** Prohibet, ne Friderico archiepiscopo Rigen. (ex ord. Min.) a curia Romana ad provinciam suam se conferenti impedimenta afferantur.
534. » **2.** Episcopum Castellan. excessum per quosdam canonicos Tergestinos in Fabianum Minoritam, haer. pravj inquisitorem, commissum punire iubet.

Ioannes papa XXII — Anno Domini 1324.

Anno Domini 1325.

Ioannes papa XXII — Anno Domini 1325.

575. **Maii 28.** Gabrieli de Arimino ord. s. Ben. concedit facultatem obtinendi dignitates sui ordinis, non obstante quod olim fuerit ord. Min.
576. **» 31.** Ioanni de Monteolivo ord. Min. denegat licentiam ipsum ordinem exeundi.
577. **Iunii 5.** Stephanum principem Bosniae monet, ut Fabiano Minoritae, inquisitori haer. prav., in exequendo officio infra Bosniae fines opem auxiliumque ferat.
578. **» 5.** Item Carolum Hungariae regem.
579. **Iulii 1.** Gentili de Sarnano monacho ecclesiae Montisrealis ord. s. Ben. concedit facultatem obtinendi dignitates sui ordinis, non obstante quod olim fuerit ord. Min.
580. **» 1.** Item Pontio Goy monacho mon. s. Victoris Massilien.
581. **» 1.** Quaedam statuta mon. Corp. Chr. Neapolitan. ord. s. Clarae moderat.
582. **» 18.** Rectorem et inquisitores haer. prav. (ord. Min.) in marchia Anconitana sententiam contra Guidonem episcopum Aretin. latam sibi mittere iubet.
583. **» 29.** Causam inter capitulum Corduben. et Clarissas Corduben. vertentem componi iubet.
584. **Aug. 9.** Fratribus Min. de castro Xericii ad alium locum se transferendi licentiam concedit.
585. **» 9.** Ecclesiam Clariss. Meten. visitantibus indulgentias elargitur.
586. **» 13.** Ministro prov. Hiberniae ord. Min. concedit facultatem recipiendi unum locum in villa de Totmoy.
587. **Sept. 16.** Ministris generali et provincialibus ord. Min. mandat, ut Ubertinum de Casali ord. s. Ben. (olim ord. Min.) apostatam capiant.
588. **» 17.** Guardianum fratrum Min. Florentin. causam inter priorem capellanosque plebis s. Mariae de Fagna dioec. Florentin. et fratres Erem. s. Aug. super loco ab his intra fines illius plebis occupato vertentem cognoscere iubet.
589. **Oct. 7.** Per ministrum gen. ord. Min. certior fieri vult de iis, quae in causa fr. Petri Arnaldi lectoris in conventu Maioricarum sint acta.
590. **» 14.** Clarissas universas a praestandis decimis et aliis contributionibus eximit.
591. **» 22.** Episcopo Swerinen. concedit facultatem confirmandi fundationem monasterii Clariss. de Ribenitz per Henricum dominum Magnopolen. factam.
592. **Nov. 8.** Robertum Lepetit (ex ord. Min.), nullius ecclesiae episcopum, ecclesiae Enaghdun. praeficit in episcopum.
593. **» 21.** Episcopum Abrincen. inquirere iubet contra illos, qui quandam summam pecuniae in domo fratrum Min. de Dinano depositam rapuerunt.
594. **» 22.** Guilelmo episcopo Alben. (ex ord. Min.) concedit licentiam eligendi duos fratres Min., quos nuntios mittat ad sedem apostolicam.
595. **» 22.** Bertrando episcopo Tusculan. (ex ord. Min.) concedit facultatem testandi.
596. **Dec. 9.** Ministro ceterisque fratribus Min. prov. Aquitaniae gratias agit de orationum suffragiis in eorum capitulo provinciali sibi impensis.

Anno Domini 1326.

597. **Ian. 8.** Guardiano fratrum Min. Ratisbonen. mandat, ut Franciscum de Lutra ord. s. Ben. (olim ord. Min.) apostatam capiat.
598. **» 15.** Petrum, lectorem fratrum Min. Adversan., ecclesiae Calinen. praeficit in episcopum.
599. **» 15.** Capellam in hon. s. Ludovici ep. in ecclesia Neapolitan. a Philippo principe Tarentino constructam visitantibus indulgentias elargitur.
600. **Febr. 1.** Elisendi reginae Aragoniae concedit facultatem fundandi unum monasterium ord. s. Clarae.
601. **» 8.** Quasdam opiniones Petri Ioannis Olivi ord. Min. reprobat et sententialiter condemnat.
602. **» 10.** Ad obtinendam quandam summam pecuniae olim apud Clarissas de Venetiis depositam procedi iubet.
603. **» 21.** Raymundum episcopum Theatin. (ex ord. Min.) ad ecclesiam Adversan. transfert.
604. **Mart. 1.** Francisco de Montefalco ord. Min., inquisitori haer. prav., concedit facultatem absolvendi rectorem ducatus Spoletan. a quadam censura ecclesiastica.
605. **Apr. 13.** Episcopos Argentin., Herbipolen., Ratisbonen. constituit conservatores iurium et privilegiorum Clarissarum in Alamannia superiori existentium.
606. **» 19.** Ministro generali ord. Min. commendat fr. Nicolaum de Regio ad sententias Parisiis legendas.
607. **» 30.** Eidem ministro indulget, ut vicariis in illis partibus, ubi provinciales non existunt, circa promotionem fratrum subditorum ad visitationis, praedicationis, confessionis officia easdem facultates concedat, quam habent ipsi provinciales.
608. **Maii 15.** Archiepiscopo Auxitan. committit, ut Clarissis Lectoren. concedat facultatem recipiendi unum monasterium in civitate Auxitan.
609. **» 26.** Ministris et custodibus provinciarum Tusciae et Mediolan. ord. Min. concedit facultatem absolvendi fratres subditos, qui interdictum ecclesiasticum non observabant et cum rebellibus S. R. E. communicabant.
610. **» 26.** Nicolaum de Machilona ord. Min. ecclesiae Scarpaten. praeficit in episcopum.
611. **Iunii 1.** Episcopo Valentin. iniungit, ut concedat facultatem fundandi unum monasterium Clariss. ex legatis a Laurina de Denteza vidua Rogerii de Lauria amirati relictis.
612. **» 6.** Guilelmo episcopo Alben. (ex ord. Min.) concedit facultatem testandi.
613. **» 6.** Capellam in hon. s. Ludovici ep. in ecclesia fratrum Min. de Civitella ab eodem episcopo constructam visitantibus indulgentias elargitur.

Ioannes papa XXII — Anno Domini 1326.

614. **Iunii 7.** Fratribus ord. Teut. domus Marburgen. concedit facultatem, in sua ecclesia, ubi corpus s. Elisabeth de de Thuringia (patronae tertii ord. s. Franc.) quiescit, tempore interdicti ianuis apertis divina celebrandi.
615. **» 9.** Hedvigi reginae Poloniae concedit facultatem ingrediendi monasteria Clariss.
616. **» 13.** Raymundo Morini et Guillelmo Castellani ord. Min. concedit facultatem ad alium ordinem Mendic. se transferendi.
617. **» 20.** Petro de Via concedit facultatem fundandi unum mon. Clariss. in loco de Granayraco dioec. Ruthenen.
618. **» 21.** Ad instantiam Sanciae reginae Siciliae quaedam statuta monasterii s. Corp. Chr. ord. s. Clarae Neapolitan. moderat.
619. **Iulii 26.** Rolando de Gregoris de Papia ord. Min. concedit licentiam eligendi unum fratrem sui ordinis, quocum veniat ad sedem apost.
620. **Aug. 1.** Canonicatum eccl. Assisien. per Mariani Nini canonici Assisien. professionem religiosam in ordine fratrum Min. faciendam vacaturum sibi reservat.
621. **» 6.** Sinibaldum ministrum prov. marchiae Ancon. ord. Min. dioecesi Auximan. praeficit in episcopum.
622. **» 21.** (Ioannem de Ancona ord. Min.) inquisitorem haer. prav. in marchia Ancon. contra Iacobum episcopum Fanen., de fautoria haereticorum delatum, procedere iubet.
623. **» 21.** Hugolinum abbatem mon. s. Petri Perusin. et Matthaeum Ungari ord. Min., quidquid contra Petrum Mini de Senis ord. Min. apostatam procedentes conscripserint, sibi mittere iubet.
624. **» 25.** Priorem Praed. de Argento et guardianum Min. Sagien. fratrum contra Gaufridum abbatem mon. de Supradinam ord. s. Ben. dioec. Sagien. inquirere iubet.
625. **» 30.** Lambertum Minoritam, inquisitorem haer. prav. in Romandiola, contra fautores haereticorum procedere iubet.
626. **Sept. 3.** Nonnullos fratres Min. Exoldunen., qui quaedam enormia infra missarum et vesperarum solemnia commiserunt, punit.
627. **» 11.** Ioannem de Ancona ord. Min., inquisitorem haer. prav., fidelem et devotum a se haberi declarat.
628. **Oct. 1.** Priorem Praed. prov. Hungariae se informare iubet de illis, qui constitutiones apostolicas de paupertate Christi editas observare nolunt.
629. **» 5.** Laurentio Roderici ord. Cist. concedit facultatem obtinendi dignitates sui ordinis, non obstante quod olim fuerit ord. Min.
630. **» 6.** Fratres Min. de Peyra, suburbio civ. Constantinop., ad portionem canonicam rectori ecclesiae s. Michaelis de Peyra solvendam teneri declarat.
631. **» 6.** Monaldum Minoritam ecclesiae Melfien. praeficit in episcopum.
632. **» 10.** Sinibaldo in episcopum dioecesis Auximan. promoto concedit facultatem officium ministeriatus prov. marchiae Ancon., quo hucusque fungebatur, usque ad proximum capitulum provinciale retinendi.
633. **» 10.** Episcopum Elnen. contra Guilelmum Nigri ord. Min. de Villafranca, qui publice praedicavit Christum eiusque discipulos non habuisse quidquam nec in communi nec in proprio, procedere iubet.
634. **Nov. 4.** Archiepiscopo Salzeburgen. quaedam committit circa monasterium Clariss. de s. Vito nuper per Conradum de Auffenstein, marescalcum Carinthiae, fundatum.
635. **» 22.** Abbatem mon. s. Petri Perusin. et Petrum de Prato fratrum Min. Perusin. de excessibus Petri Mini de Senis ord. Min. se informare iubet.
636. **» 22.** Eundem abbatem et lectorem fratrum Min. Perusin. super quibusdam articulis ab ipso Petro Min. assertis inquirere iubet.
637. **» 26.** Alfonsum regem Castellae et Legionis monet, ut restituat quaedam bona Clarissis Salamant. per suam curiam ablata.
638. **Dec. 4.** Iacobam filiam Colae de Perusio in monasterio Clariss. de Montelucido recipi iubet.
639. **» 5.** Salvum conductum pro gentibus fr. Bernardum Fusterii ord. Min. ad Curiam adducentibus petit.
640. **» 13.** Populum Tudertinum de tumultu contra Franciscum Damiani ord. Min., inquisitorem haer. prav., suscitato arguit.
641. **» 15.** De meritis Hugolini ord. Min., inquisitoris haer. prav., ab Hugolino episcopo Parmen. recommendati inquiri iubet.

Anno Domini 1327.

642. **Ian. 5.** Facultatem ministris prov. Thusciae et Mediolan. ord. Min. de fratribus subditis a quibusdam censuris eccl. absolvendis concessam revocat.
643. **» 23.** Quosdam processus ab officiali Burdegalen. contra fratres Praed. et Min. Burdegalen. institutos cassat et irritat.
644. **Febr. 2.** Monasterio Clariss. de Clarenthal duas ecclesias parochiales incorporari iubet.
645. **» 18.** Angelam filiam Betti mag. Venturae de Diruta in monasterio Clariss. Montis Christi dioec. Tudertin. recipi iubet.
646. **» 22.** Fratres Praed., Min., Erem. s. Aug. de Barolo ad observandum interdictum, cui ipsum castrum de Barolo suppositum est, compelli iubet.
647. **» 26.** Francisco de Area clerico dioec. Vicentin., olim ordinem Min. professo, concedit facultatem ad ordinem s. Ben. se transferendi.
648. **» 28.** Compluribus praelatis et ecclesiarum rectoribus concedit conservatores contra religiosos ord. Mendic (litteris incip. *Frequentes hactenus*).

Ioannes papa XXII — Anno Domini 1327.

649. **Mart.** **1.** Episcopum Ruthenen. de quodam loco olim fratrum Saccorum, quem Clarissae Amilianenses sibi concedi petunt, inquirere iubet.
650. » **7.** Nicolao de Regio ministro prov. Calabriae concedit facultatem capiendi Fraticellos.
651. » **15.** Michaelem ministrum gen. ord. Min. quosdam libros ad thesaurum eccl. Rom. pertinentes, qui olim apud fratres Min. Assisien. depositi, sed inde postmodum ablati sunt, restituere iubet.
652. » **21.** Ministro prov. Aragoniae mandat, ut fr. Guilelmum Morelli e carcere, in quo detinetur, liberet.
653. » **21.** Eundem ministrum a molestatione aliquorum suae provinciae fratrum desistere iubet.
654. » **21.** Michaelem Monachi ord. Min., inquisitorem haer. prav., mandat, ut quosdam de haeresi suspectos Ioanni de Prato ord. Praed., inquisitori haer. prav., restituat.
655. » **21.** Guilelmum Astre ord. Min., inquis. haer. prav., eidem Ioanni de Prato transumptum litterarum in causa cuiusdam de haeresi accusati confectarum transmittere iubet.
656. » **23.** Episcopo Cabilonen. committit, ut Margaritae dominae de s. Cruce facultatem fundandi unum monasterium ord. s. Clarae concedat.
657. » **29.** Conrado de Criswitz concedit facultatem de ord. Min. ad ord. s. Ben. se transferendi.
658. **Apr.** **14.** Archiepiscopo Acheruntin. committit, ut Aquilinae dominae castri Gentiani concedat facultatem fundandi unum monasterium ord. s. Clarae.
659. » **17.** Guardiano fratrum Min. de Cuneo mandat, ut fr. Petrum de Roccaforti mittat ad Curiam.
660. » **20.** Fratribus Min. de Casinis concedit facultatem se transferendi ad alium locum.
661. » **21.** Officiali Massilien. mandat, ut fr. Bernardum Fusterii ord. Min. ad Curiam caute adduci iubeat.
662. » **24.** Priorem Praed. et guardianum Min. fratrum Montispessulan. de illis, quorum Berengarius prior prioratus de Fabricis ord. Can. s. Aug. accusatus est, inquirere iubet.
663. **Maii** **1.** Clarissis de Amiliano concedit facultatem se transferendi ad locum, qui in eadem villa olim fratrum Saccorum erat.
664. » **25.** Lucae de Castello ord. Min. committit administrationem ecclesiae Cuman.
665. » **31.** Guardiano fratrum Min. Xancton. concedit facultatem a quodam voto absolvendi Radulfum comitem Augi.
666. **Iunii** **6.** Legato apost. sedis in Thuscia committit, ut fratribus Min. concedat facultatem recipiendi unum locum in castro de Montevarchio.
667. » **8.** Michaelem ministrum gen. ord. Min. ad Curiam venire iubet.
668. **Iulii** **1.** Officium inquisitionis fratribus Praed. in Sclavonia concessum revocat utpote iam commissum fr. Min.
669. » **1.** Carolum regem Hungariae monet, ut Fabianum Minoritam, inquisitorem haer. prav. in Sclavonia, manuteneat et defendat.
670. **Aug.** **12.** Eidem regi regratiatur, eo quod ipsum Fabianum benigne recepit.
671. » **21.** Landulfum Caracciolo ord. Min. ecclesiae Stabien. praeficit in episcopum.
672. » **31.** Capellam in hon. s. Ludovici ep. in ecclesia fratrum Min. Barchinonen. constructam visitantibus indulgentias elargitur.
673. » **31.** Raymundo Guilelmi ord. Min. concedit facultatem se transferendi ad ord. s. Ben.
674. » **31.** Item Alberto de Bellovidere ord. Min.
675. **Sept.** **1.** Nicolao de Butigellis de Papia ord. Min. concedit licentiam adeundi curiam Rom.
676. » **25.** Guilelmum ep. Sagonen. (ex ord. Min.) transfert ad eccl. Tergestin.
677. » **30.** Petro Moreti ord. Min. concedit facultatem se transferendi ad ord. s. Ben.
678. **Oct.** **11.** Margaritae ducissae Bavariae infer. concedit licentiam ingrediendi monasteria Clarissarum.
679. » **18.** Monasterio Clariss. de Petra alba communicat privilegia ordini s. Clarae concessa.
679[a]. » **18.** Eisdem Clarissis concedit plenariam peccatorum remissionem in mortis articulo a confessore impertiendam.
680. » **18.** Guardiano fratrum Min. Barchinonen. mandat, ut ad ipsum monasterium certis quibusdam festivitatibus quatuor sui ordinis fratres destinet.
681. » **18.** Ecclesiam eiusdem monasterii visitantibus indulgentias elargitur.
682. » **23.** Ludovicum Bavarum, qui inter alios excessus contra constitutiones *Cum inter nonnullos* et *Quia quorumdam* se opponebat, omnibus honoribus, dignitatibus, iuribus privat.
683. » **27.** Elisabeth reginae Portugalliae concedit facultatem construendi unum hospitale iuxta monasterium Clariss. prope Colimbriam fundatum.
684. » **27.** Guilelmum Astre ord. Min. confirmat in officio inquisitionis haer. prav.
685. **Nov.** **1.** Monasterii Clariss. de Longocampo curam gerenti mandat, ut mulierem a regina Franciae ad visitandas quasdam moniales missam ipsum monasterium intrare permittat.
686. » **2.** Erga Ioannam comitissam Hannoniae se excusat, quod nondum sibi miserit reliquias s. Ludovici ep., avunculi.
687. » **8.** Michaeli ministro gen. ord. Min. scribit, se eius nuntios recepisse.
688. » **12.** Capellam in hon. s. Ludovici ep. Viennae in Austria constructam visitantibus indulgentias elargitur.
689. » **17.** Alexandrum Minoritam ecclesiae Nucerin. praeficit in episcopum.
690. » **21.** Episcopum Vratislavien. cum Anna de Fürstenberg moniali mon. Clariss. de Strehlen super defectu aetatis dispensare iubet, ita ut in abbatissam ipsius mon. eligi valeat.
691. **Dec.** **21.** Nicolao (de Butigellis) de Papia concedit facultatem ad Bertrandum electum Ostiensem, sedis apost. legatum in Lombardia, accedendi et deinde ad Curiam redeundi.
692. » **21.** Eidem Nicolao concedit licentiam visitandi sepulchrum Dominicum.
693. » **23.** Clarissis Sistaricen. concedit aliqua privilegia.

Ioannes papa XXII — Anno Domini 1328.

694. **Ian. 17.** Claram Iacobi Waltbodonis in monasterio Clariss. de Clarenthal recipi iubet.
695. » **21.** Priorem Praed. et guardiano Min. fratrum Meten. ab Ademaro, electo Meten., resignationem canonicatus Meten. recipere iubet.
695ª. » **26.** Abbatem mon. s. Petri Perusin. in causa Petri Mini ord. Min. iustitiae complementum celeriter facere iubet.
696. » **26.** Roberto de Pontiaco militi concedit ius patronatus in capella s. Ludovici conf. in ecclesiae s. Mariae de Pontiaco dioec. Melden. constructa.
697. » **31.** Interdictum, cui suppositus est marchionatus Brandeburgen., ab omnibus, etiam religiosis Mendic., observari iubet.
698. **Febr. 13.** Rudolfo duci Saxoniae et Henrico domino Magnopolensi respondet ad litteras per Theodoricum, custodem custodiae Lubicen. prov. Saxoniae ord. Min. sibi missas.
699. » **22.** Clarissas de Vallegloriae in suis iuribus et possessionibus defendi iubet.
700. **Mart. 7.** Rationes inquisitionis per Bonaiunctam ord. Min. in partibus Venetis gestae exigi iubet.
701. » **7.** De verbis a quibusdam Minoritis in detractionem sedis apost. et fidei orthodoxae detrimentum prolatis inquiri iubet.
702. » **14.** Fratres Praed. et Min. ad observandum processus et sententias a se latas compelli iubet.
703. » **14.** Albertum de Sicardis ord. Min. ecclesiae Callen. praeficit in episcopum.
704. » **20.** Antonium Minoritam ecclesiae Sagonen. praeficit in episcopum.
705. » **23.** Guardianum Biterren. aliosque contra abbatem mon. s. Iacobi Biterren. procedere iubet.
706. **Apr. 23.** Bertrandum electum Ostien. et apost. sedis in Lombardia legatum praesidentibus generalis capituli fratrum Min. Bononiae celebrandi assistere iubet.
707. » **28.** Monaldum episcopum Melfien. (ex ord. Min.) de iis, quae in partibus illis (maxime in causa Fraticellorum) occurrunt, saepius scribere iubet.
708. **Maii 25.** Fratribus Min. castri Mirandae licentiam concedit ampliandi locum suum.
709. » **25.** Philippo VI regi Franciae facultatem monasteria monialium cum octo fratribus Praed. et Min. aliaque decenti comitiva ingrediendi concedit.
710. » **28.** Circa ultimam voluntatem b. m. Vitalis (de Furno ex ord. Min.) episcopi Albanen. quaedam ordinat.
711. » **28.** Michaelem de Caesena, Bonagratiam de Pergamo, Guilelmum de Occham ord. Min., a curia Romana fugitivos, capi iubet.
712. » **28.** Regem Franciae aliosque reges et principes de fuga Michaelis et sequacium eius certiores reddit.
713. **Iunii 1.** Michaelem Monachi ord. Min., inquisitorem haer. prav., bona Michaelis de Caesena fugitivi petere iubet.
714. » **6.** Michaelem de Caesena privat ministeriatu generali ord. Min.
715. » **9.** Regi Franciae, qui pro Michaele de Caesena supplicavit, processus contra ipsum habitos communicat eumque rogat, ne aures accommodet supplicantibus pro illo.
716. » **13.** Bertrando ep. Tusculan. (ex ord. Min.) committit vicariatum ministeriatus generalis ord. Min., usquedum alius eligatur minister generalis.
717. » **15.** Inquisitoribus haer. prav. in Lombardia et Tuscia atque illis Italiae terris, quae ecclesiae Rom. subsunt, quasdam litteras ipsius cardinalis et vicarii ord. Min. generalis exhiberi iubet.
718. » **20.** Processus contra Michaelem de Caesena eiusque sequaces habitos publicari iubet.
718ª. » **28.** Archiepiscopum et clerum Burdegalen. monet, ut sint favorabiles fratribus Praed. et Min. Burdegalen.
719. **Iulii 1.** Accursium Minoritam, inquis. haer. prav., in coeptis intrepide et constanter perseverare iubet.
720. » **11.** Thomam de Brancetona (*Brandston* in Anglia?) ord. Min. in ordine Praed. recipi iubet.
721. » **30.** Regi Franciae, qui sibi scripserat, ecclesiae turbationem ipsaque turbantium (imprimis Michaelis de Caesena) facta reprobra sibi valde odibilia et molesta esse, respondet.
721ª. » **30.** Simili modo reginae Franciae, quae sibi scripserat, se factum ipsius Michaelis ignorasse, respondet.
722. **Aug. 9.** Bonifatio Perdicis ord. Min., familiari suo, concedit facultatem visitandi sepulchrum Dominicum.
723. » **11.** Thesaurum ecclesiae Rom. olim apud fratres Min. Assis. asservatum ad civ. Perusin. transportari iubet.
724. » **20.** Bartolotto ministro prov. Ianuae ad litteras sibi missas respondet eique facultatem absolvendi aliquos fratres, qui haereticis adhaerebant, eosque ad misericordiam ecclesiae recipiendi, Savonenses autem contumaces corrigendi concedit.
725. » **25.** Ioanninum Macharelli de Assisio, qui ab ordine fratrum Min. ad ordinem s. Ben. se contulit, a monasterio s. Eutitii de valle Spolet. ad mon. s. Silvestri de Nonantula transfert.
726. » **28.** Regem Franciae certiorem reddit de iis, quae novissime in Urbe acciderunt, praesertim de discessu Ludovici Bav. et Petri de Corbaria.
727. **Sept. 1.** Clarissis Nemausen. communicat privilegia Clarissis Avinionen. concessa.
728. » **5.** Fratres Min. Ravennatenses et Foroliviensės ad observandum interdictum ecclesiast. compelli iubet.
729. » **5.** Inquisitorem haer. prav. in Aragonia (ord. Praed.) ab inquisitione contra quosdam fratres Min. desistere iubet.
730. » **6.** Raymundum episcopi Vigintimil. (ex ord. Min.) ad eccl. Vencien. transfert.
731. » **20.** Contra Petrum Gloti de Calciata ord. Min. adversus constitutionem *Cum inter nonnullos* praedicantem procedi iubet.
732. » **20.** Contra vicarios ord. Min. a Michaele de Caesena institutos procedi iubet.

Ioannes papa XXII — Anno Domini 1328.

733. **Sept. 20.** Ministro prov. Lombardiae (Bononiensis) ord. Min. concedit facultatem duos fratres ad civ. Ferrarien. praedicandi causa mittendi.
734. » **20.** Contra religiosos et saeculares in Urbe consistentes, qui Ludovico Bav. et Petro de Corbaria adhaerent, procedi iubet.
735. » **24.** Contra Petrum Gloti de Calciata ord. Min. denuo procedi iubet.
736. » **26.** Inquisitoribus in marchia Ancon. constitutis (ex ord. Min.) sufficientem provisionem de bonis haereticorum confiscatis assignari iubet.
737. **Oct. 5.** Matthaeum de Castropetri ord. Min. ecclesiae Balneoreg. praeficit in episcopum.
738. » **17.** Ioannem Minoritam ecclesiae Ayacen. in Armenia praeficit in episcopum.
739. **Nov. 7.** Ioannem de Ancona ord. Min., inquis. haer. prav. in marchia Ancon., eccl. Senogalien. praeficit in episc.
740. » **20.** Privilegia Clarissis Nemausen. concessa exemplari iubet.
741. » **20.** Rectorem ducatus Spoletan. contra fratres Min., qui Michaeli de Caesena post ipsos processus contra eum habitos adhaerent, procedere iubet.

741ª. **Dec. 1.** Episcopum Burgen. communitati castri de Ordealibus facultatem fundandi monasterium ord. s. Clarae concedere iubet.

742. » **2.** Contra fr. Humilem, custodem prov. s. Francisci ord. Min., Michaeli de Caesena adhaerentem procedi iubet.
743. » **12.** Rudolfum Minoritam ecclesiae Dunen. praeficit in episcopum.
744. » **20.** Archiepiscopum Arboren. contra schismaticos et haereticos in insula Sardiniae existentes procedere iubet.
745. » **21.** Erga Lucam de Castello ord. Min., administratorem ecclesiae Cuman., se excusat, quod non ipsum, sed alium, in eiusdem eccl. episcopum promoverit.
746. » **1.** Minum ministrum prov. Tusciae ord. Min., qui ab adhaesione Michaelis de Caesena recessit, habet excusatum.
747. » **23.** Aggravat processus contra fratres Min. Saonenses Michaeli de Caes. adhaerentes.
748. » **29.** Inquisitori haer. prav. in Aragonia praedicit, ne guardianum fratrum Min. Caesaraugust. amplius molestet.
749. » **29.** Hac de re regem Aragoniae certiorem reddit.

Anno Domini 1329.

750. **Ian. 2.** Gregorio Cepulla de Albingano ord. s. Ben. concedit facultatem obtinendi sui ordinis dignitates, non obstante, quod olim fuerit ord. Min.
751. » **13.** Ministrum prov. Castellae ord. Min. inquirere iubet contra Stephanum Salamantinum, olim ministrum s. Iacobi, adversus ecclesiam Rom. obloquentem.
752. » **13.** Eidem destinat transumptum informationis contra ipsum Stephanum factae.
753. » **15.** Guidoni de Macy monacho mon. s. Dionysii in Francia ord. s. Ben. concedit facultatem obtinendi dignitates sui ordinis, non obstante, quod olim fuerit ord. Min.
754. » **15.** Bertrandum ep. Ostien., legatum sedis apost. in Lombardia, contra Franciscum de Tergesto, olim ministrum prov. Sclavoniae ord. Min., Michaeli de Caesena adhaerentem, procedere iubet.
755. » **15.** Contra Thomam de Rocca de Mathelica ord. Er. s. Aug. in Senogaliensem, Conradum Teutonicum eiusdem ord. Er. s. Aug. in Auximanam, Vitalem de Urbino ord. Min. in Firmanam ecclesias intrusos procedi iubet.
756. » **15.** Contra nonnullos religiosos in marchia Ancon., qui cum Ludovico Bav., Petro de Corv., Michaele de Caes. tractatus illicitos inierant, procedi iubet.
757. » **15.** Episcopum Saonensem contra fratres Min. Saonenses et Albinganos interdictum eccl. violantes procedere iubet.
758. » **15.** Eidem episcopo concedit facultatem absolvendi illos fratres Min. Saonenses, qui ad gremium Ecclesiae redire desiderant.
759. » **21.** Clarissis Claromonten. concedit, quod extra civ. Claromonten. non possint trahi in iudicium.
760. » **24.** Elisabeth comitissae Iuliacen. concedit facultatem ingrediendi monasteria Clarissarum aliarumque monialium inclusarum.
761. » **24.** Bernardo de Ponte ord. Clun. concedit facultatem obtinendi sui ordinis dignitates, non obstante quod olim fuerit ord. Min.
762. » **25.** Ioanni ep. Senogalien. (ex ord. Min.) concedit facultatem post ipsam promotionem exercendi officium inquisitionis haer. prav. olim sibi commissum.
763. » **25.** Eundem episcopum et inquisitorem contra intrusos supra n. 755 nominatos procedere iubet.
764. » **26.** Capellam in hon. s. Ludovici conf. in ecclesia B. M. V. de Pontiaco dioec. Melden. constructam visitantibus indulgentias elargitur.
765. **Febr. 6.** Eliae de Nabinali ord. Min. Parisiis studenti mandat, ut Franciscum de Aesculo errores in Francia disseminantem capi faciat.
766. » **11.** Episcopo Cracoviensi praedicit, ne Clarissas Cracovien. ad decimas solvendas compellat.
767. » **11.** Contra fautores Ludovici Bav., Petri de Corv., Michaelis de Caes. procedi iubet.
768. » **28.** Episcopum Cortonen. monet, ut in publicandis processibus contra illos, qui constitutionem *Cum inter nonnullos* impugnant, habitis sollicitus sit.

Ioannes papa XXII — Anno Domini 1329.

Ioannes papa XXII — Anno Domini 1329.

807. **Aug. 24.** Regem Angliae monet, ut eidem nuntio in capiendis ipsis fratribus Min. assistat.
808. **Sept. 1.** Guardiano fratrum Min. de Marmanda concedit facultatem in alia pietatis opera commutandi quoddam votum a Guilelmo de Fargis emissum.
809. **» 1.** Itherio de Concoreto supra (n. 806) nominato mittit duas diversas litteras, ita ut procedendo contra quosdam fratres Min. alterisutris utatur.
810. **» 6.** Generali et provincialibus ministris ord. Min. concedit facultatem absolvendi illos fratres Min., qui olim Ludovico Bav., Petro de Corb., Michaeli de Caes. faventes nunc ad devotionem Ecclesiae redire desiderant.
811. **» 11.** Zachariam archiepiscopum s. Thaddaei Armen. hortatur, ut episcopos Taurisien. et Diagorganen. ex ord. Praed. aliosque fratres Praed. et Min. benigne recipiat.
812. **» 11.** Item christianos in imperio Persidis constitutos.
813. **» 12.** Rectorem et thesaurarium ducatus Spoletani omnia bona a Theobaldo olim episcopo Assisien. (ex ord. Min.) relicta pro camera apost. ad manus suas recipere iubet.
814. **Oct. 5.** Vincentium ep. Nebien. (ex ord. Min.) contra quendam legatum a Ludovico Bav. et antipapa in ins. Corsicam missum procedere iubet.
815. **» 7.** Petit salvum conductum pro fr. Henrico de Pisis ord. Min., sedis apost. nuntio.
816. **» 15.** Episcopo Argentin. concedit facultatem absolvendi a censuris eccl. Walterum Rulaenderlin ord. Min., qui ab antipapa officium poenitentiariae receperat et per aliquot dies exercuerat.
817. **» 21.** Guilelmum Fulcosii praepositum Grassen. de diligentia in causa Verani Boyre Minoritae Grassensis contra constitutiones *Ad conditorem canonis*, *Cum inter nonnullos*, *Quia quorundam* obloquentis adhibita commendat.
818. **Nov. 2.** Elchigadan Tartarorum in Corossan, Turquestan, Hindustan imperatorem hortatur, ut Thomam episcopum Semiscanten. ex ord. Praed. aliosque fratres Praed. et Min. benigne recipiat.
818[a]. **» 5.** Visitantibus ecclesiam fratrum Min. de Cuccaro indulgentias elargitur.
819. **» 9.** Contra Franciscum de Traiecto et Garrinum de Instria ord. Min., sequaces Ludovici Bav., Petri de Corb., Michaelis de Caes., procedi iubet.
820. **» 16.** Constitutione *Quia vir reprobus* confutat argumenta, quibus Michael de Caes. constitutiones *Ad conditorem canonum, Cum inter nonnullos, Quia quorundam* impugnabat.
821. **» 22.** Libellum *Quia vir reprobus* publicari iubet.
822. **» 22.** Carolo regi Hungariae et Stephano principi Bosniae regratiatur de ope operaque Fabiano Minoritae, haer. prav. inquisitori, exhibitis.
823. **» 22.** Contra archiep. Iadren., qui Fabiano praedicto quosdam de haeresi suspectos eripuit, procedi iubet.
824. **» 22.** Petro de Bessis ord. Min. ad ord. s. Ben. se transferendi facultatem concedit.
825. **» 27.** Clarissis mon. s. Mariae de Castellario de Montefalco permittit, ut in loco suo permanere valeant non obstante lite a fratribus Erem. s. Aug. contra eas mota.
826. **» 30.** Clarissis mon. de Petra alba concedit facultatem fruendi privilegiis Clarissis Nemausen. concessis.
827. **Dec. 1.** Vincentium Min. ab ecclesia Nebien. ad Maranen. transfert.
828. **» 1.** Populis principibusque schismaticis in partibus orientis fratres Praed. et Min. semen fidei catholicae inter eos seminantes commendat.
829. **» 4.** Guilelmum de Belloreguardo, olim ord. Min., nunc ord. Cist., habilitat ad officia et dignitates obtinendum.
830. **» 5.** Processus contra aliquos haereticos (Fraticellos) habitos publicari et in ipsos procedi iubet.
831. **» 13.** Guilelmum Dulcini ord. Praed. et Grimaldum de Prato ord. Min. de bonis per Accursium Min., haer. prav. inquisitorem, relictis se informare iubet.

Anno Domini 1330.

832. **Ian. 5.** Archiepiscopo Armachan. concedit facultatem Ioannem Corkagen. et Rudolphum (ex ord. Min.) Dunen. episcopos ad invicem transferendi.
833. **» 9.** Episcopum Lubicen. monasterio Clariss. de Ribenitz ecclesiam ipsius loci de Ribenitz incorporare iubet.
834. **» 11.** Prohibet, ne Clarissae Sistaricen. super privilegio de sepulturis recipiendis a sede apost. ipsis concesso molestentur.
835. **» 21.** Singulos de haeresi propter fautoriam Ludovici Bav. et antipapae suspectos per litteras in locis solemnibus solummodo publicandas citari sufficere declarat.
836. **Febr. 6.** Ioannino de Mantua ord. Min. ab officio inquisitoris haer. prav. olim amoto idem officium de novo confert.
837. **» 10.** Berengarium Min. ab antipapa in archiepiscopum Ianuen. promotum excommunicatum denuntiari et citari iubet.
838. **» 15.** Populum Romanum a fautoria Ludovici Bav. et antipapae ad devotionem Ecclesiae redeuntem a censuris absolvit.
839. **» 19.** Ioannem de Badas ord. Min., inquisitorem haer. prav., contra Gantalinum Gantalini procedere iubet.
840. **» 20.** Fratribus Min. extra castrum Braunsberg dioec. Warmien. degentibus concedit facultatem infra ipsum castrum se transferendi.
841. **» 22.** Ecclesiam fratrum Min. de Cuccaro visitantibus ampliores indulgentias elargitur.
841[a]. **» 26.** Episcopos Lemovicen. et Engolismen. de miraculis b. Ivonis presbyteri saecularis, tertio ordini s. Francisci adscripti, se informare iubet.

Ioannes papa XXII — Anno Domini 1330.

842. **Febr. 28.** Diligentiam ab episcopo Parisien. in causa fr. Conradi de provincia Alamanniae superioris ord. Min. adhibitam commendat.
843. **Mart. 1.** Archiepiscopo Pisan., episcopo Florentin., electo Lucan. processum contra Petrum de Corb. antipapam habitum communicat.
844. » **1.** Singulos in civitate Pisana et vicinis civ. degentes moneri iubet, ut revelent, ubi sit ille Petrus de Corb.
845. » **7.** Contra Franciscum de Traiecto et quondam Garinum de Instria ulterius procedi iubet.
846. » **14.** Galganum Min. ecclesiae Alerien. praeficit in episcopum.
847. » **15.** Contra Franciscum (de Assisio?) Min. procedi iubet.
848. » **16.** Fratres Praed. et Min. prov. Slavoniae et Dalmatiae de officio inquisitionis in illis partibus exequendo contendentes citari iubet.
849. » **22.** Aliquos fratres Min. in prov. Angliae constitutioni *Ad conditorem* aliisque id genus constitutionibus obloquentes citari iubet.
850. **Apr. 2.** Michaelem de Caes., Guilelmum Ockam, Bonagratiam de Perg. capi iubet.
851. » **24.** Praelatos per Alamanniam constitutos in capiendis Michaele de Caes. et Iacobo olim episcopo Castellan. operosam adhibere iubet diligentiam.
852. **Maii 4.** Per fratres Minores aliosque Mendicantes in provincia Maguntin. constitutos omnes illos excommunicari iubet, qui contra Henricum (de Virneburg) archiep. Maguntin. sunt rebelles.
853. » **4.** Petrum ep. Calinen. (ex ord. Min.) ad ecclesiam Valven. transfert.
854. » **10.** Bonifatio de Donoratico mandat, ut Petrum de Corb., quem habet in sua potestate, mittat ad Curiam.
855. **Iunii 27.** Arnaldum (de Roiardis ord. Min.) archiepiscopum Salernitan. transfert ad ecclesiam Sarlaten.
856. » **27.** Parisiensi episcopo concedit facultatem dispensandi super irregularite cum fr. Ioanne de Hiermonte ord. Min.
857. » **30.** Eundem episcopum in causa fr. Conradi de Alamannia ord. Min. ulterius procedere iubet.
858. **Iulii 4.** Henricum Min. ecclesiae Isernien. praeficit in episcopum.
859. » **12.** Contra nonnullos Tudertinos de haeresi suspectos procedi iubet.
860. » **13.** Bonifatium de Donoratico denuo monet, ut Petrum de Corb. antipapam assignet archiepiscopo Pisan. et episcopo Lucan.
861. » **13.** Ipsum Petrum, qui per litteras abiuravit errores suos, monet, ut perseveret.
862. » **13.** Archiepiscopo Pisan. et episcopo Lucan. concedit facultatem absolvendi a censuris eccl. illum Petrum de Corb.
863. » **13.** Sufficere declarat, quod alteruter illorum antistitum in negotio conversionis Petri de Corb. agat et procedat.
864. **Aug. 9.** Ipsi Petro ad Curiam ituro iter prosperum adprecatur.
865. » **9.** Bonifatium de Donor. et Tinucium eius baiulum commendat de iis, quae agebant in conversione Petri de Corb.
866. » **13.** Bertrando (de Turre ord. Min.) episcopo Tusculano facultatem testandi concedit.
867. » **19.** Regem Siciliae aliosque principes de conversione Petri de Corb. certiores reddit.
868. » **30.** Superioribus ord. Praed. et Min. mandat, ut Bonifatio de Donor. assignent duos sui ord. fratres, quotiescunque iste id petierit.
869. » **31.** Ipsum Bonifatium commendat, quod eius opera Petrus de Corb. errores suos abiuraverit.
870. **Sept. 1.** Archiepiscopo Pisan. concedit facultatem absolvendi a censuris eccl. illos fratres Min. Pisan., qui Ludovico Bav. et antipapae adhaerebant.
871. » **1.** Gratum sibi esse declarat, quod accusationes contra fr. Ioanninum de Mantua ord. Min., inquisitorem haer. prav., verae non sunt inventae.
872. » **2.** Archiepiscopum Pisan. de abiuratione errorum a Petro de Corb. Niciae et Avinione facta certiorem reddit.
873. » **7.** Idem scribit regi Franciae aliisque principibus.
874. » **16.** Habitum religiosum, quo Bartholomaeus Brugnière olim ord. Min., postmodum de eo propter haeresim expulsus, indutus erat, ipsi ordini Min. restitui iubet.
875. » **19.** Episcopum capitulum, universitatem studii Parisien. certiores reddit de conversione Petri de Corb.
876. » **26.** Ioanni regi Bohemiae scribit accuratius, non Petrum de Corb., sed Iacobum olim ep. Castellan. coronasse Romae Ludovicum Bav.
877. » **26.** Facultatem ministro provinciali Alamanniae super. de absolvendis fratribus Min. Ludovico Bav., antipapae, Michaeli de Caes. olim adhaerentibus concessam ad custodes ipsius provinciae extendit.
878. » **29.** Guilelmo comiti Iuliacen. concedit facultatem ingrediendi monasteria Clariss.
879. **Oct. 8.** Episcopo Lucano concedit facultatem absolvendi illos Lucanos extrinsecos, qui olim Ludovico Bav. et antipapae adhaerebant.
880. » **22.** Alamannum de Donatis ord. Min. ecclesiae Suanen. praeficit in episcopum.
881. **Nov. 5.** Episcopum Portugalen. procedere iubet contra illos fratres Min., qui praedicationi, in qua conversio Petri de Corb. recitanda erat, interesse renuerunt.
882. » **7.** Locum fratrum Min. de Prestona custodiae Wigorniensi prov. Angliae incorporari iubet.
883. » **22.** Bonifatio de Donoratico poenas excommunicationis, quas forsan incurrit receptando Petrum de Corv., ad cautelam relaxat.
884. » **23.** Fratrem Conradum ord. Min. prov. Alamanniae de haeresi condemnatum ordini suo restitui iubet.

Ioannes papa XXII — Anno Domini 1330.

885. **Nov. 24.** Ioannam reginam Franciae de hac restitutione certiorem reddit.
886. » **24.** Monaldo ep. Melfien. scribit, Mansuetum Min., qui olim schisma intrusit in ecclesia Aretina, nunc autem ad ipsum papam poenitentiam acturus accedere desiderat, benigne se recepturum esse.
887. » **25.** Margaritam de Vargiate in monasterio s. Apollinaris Mediolan. ord. s. Clarae in monacham recipi iubet.
888. » **27.** Guilelmum de Graniaco monachum ecclesiae Casinen. ord. s. Ben., olim ord. Min., ad officia et dignitates obtinenda habilitat.
889. **Dec. 1.** Ratam et gratam habet exemptionem Petro de Corb. ab archiep. Pisano concessam.
890. » **7.** Franciscum de Cauccella ord. Min., germanum Guilelmi ep. Alben. et ab ipso in suum vicarium institutum, monet, ut in hoc officio bene se gerat.
891. » **12.** Robertum regem Siciliae monet, ut praelatis et inquisitoribus terrarum suarum contra pestiferos Fraticellos assistat.
892. » **24.** Praelatos Alamanniae hortatur, ut subditos suos moneant, ne Michaeli de Caes. adhaereant, illos autem fratres Min. prov. Alamanniae, qui erga sedem apost. sunt devoti, a vexationibus ipsius Michaelis defendant.

Anno Domini 1331.

892[a]. **Ian. 21.** Dogmatizantes contra constitutionem *Quia quorundam* capi iubet.
893. » **22.** Officialem Lingonensem contra illos fratres Min. Divionenses, qui publicationem confessionis Petri de Corb. perturbabant, procedere iubet.
894. » **26.** Philippo de Maioricis ad ipsius petitum de regula s. Francisci unacum ipsius testamento ad litteram observanda respondet.
895. **Febr. 6.** Iacobinam Merli de s. Sebastiano in monasterio Clariss. Taurinen. recipi iubet.
896. » **7.** Episcopos et inquisitores in regno Siciliae constitutos contra Fraticellos procedere iubet.
897. » **20.** Contra Ioannem comitem de Claromonte *(Chiarmonte)*, fautorem Ludovici Bav. et antipapae, procedi iubet.
898. » **22.** Bonifatio de Donor. concedit facultatem fundandi unum monasterium ord. s. Clarae in civ. Pisana.
899. » **22.** Eidem indulget, ut legata quaedam incerta in utilitatem huius monasterii convertere valeat.
900. » **22.** Ipsi monasterio hospitale quoddam incorporari iubet.
901. **Martii 1.** Archiepiscopum Lugdunen. ea complere iubet, quae quoad fundationem monasterii ord. s. Clarae per Margaritam de s. Cruce constructi sunt complenda.
902. » **1.** Praelatos quosdam constituit conservatores iurium et bonorum huius monasterii.
903. » **1.** Ecclesiam ipsius monasterii visitantibus indulgentias elargitur.
904. » **1.** Monialibus ipsius monasterii indulget, ut fruantur privilegiis aliis monasteriis ord. s. Clarae concessis.
905. » **12.** Salvatum Martini ord. Min. ecclesiae Lamecen. praeficit in episcopum.
906. » **19.** Alenuciam de terra Arnulforum in monasterio s. Pauli inter vineas Spoletan. ord. s. Clarae recipi iubet.
907. **Apr. 11.** Corpus Edmundi comitis Kantiae in ecclesia fratrum Min. Wintonien. sepultum exhumari et ad ecclesiam mon. Westmonasterien. transferri iubet.
908. **Maii 1.** Eliam de Nabinali ord. Min. ad magisterium in theol. facult. promoveri iubet.
909. » **25.** Ministro generali ord. Min. concedit facultatem instituendi ministros provinciales in prov. Mediolan. et Siciliae.
910. » **27.** Eidem ministro generali mittit quasdam litteras, quae ad capitulum generale Perpiniani celebrandum pertinere videntur.
911. **Iunii 5.** Clarissis de Altaripa dioec. Tolosan. indulget, ut privilegiis Clarissis Tolosanis concessis uti possint.
912. » **13.** Monasterio Clariss. de Söflingen quasdam ecclesias incorporari iubet.
913. » **13.** Ioanni de Montenantolio ord. Min. licentiam ad ord. s. Ben. se transferendi concedit.
914. **Iulii 1.** Petrum Minoritam ecclesiae Acernen. praeficit in episcopum.
915. » **7.** Excusat se erga Raynaldum comitem Gelrensem, quod ei licentiam ingrediendi monasteria Clarissarum concedere non potuit.
916. » **8.** Regem Siciliae monet, ut litteras apostolicas contra Fraticellos aut sequaces Michaelis de Caes. sibi missas publicet.
917. » **15.** Ecclesiam vel capellam fratrum Min. Cassellen. et de Botonia visitantibus indulgentias elargitur.
918. » **15.** Guilelmo de Brena ord. Min. magisterium in theol. facult. conferri iubet.
919. » **22.** Elisabeth reginae Hungariae concedit facultatem fundandi unum locum ad usum fratrum Min.
920. » **27.** Henricum de Somons (Semons) ord. Min., mag. theol., in suum recipit capellanum.
921. **Aug. 1.** In consistorio publico ministris ord. Min. provincialibus Romano, Tusciae, Terraelaboris, Ianuensi eorumque subditis praecipit, ut regulam s. Francisci et constitutiones *Exiit qui seminat* atque *Exivi de Paradiso*, quantum inprimis tangunt usum pecuniae, observent.
922. » **5.** Guillelmum Astre ord. Min., inquisitorem haer. prav. in partibus Provinciae monet, ut in negotio provide coepto persistat.
923. » **10.** Reginae Siciliae respondet ad quaedam dubia, maxime circa paupertatem Christi.
924. » **10.** Regi Siciliae eadem de re scribit, Geraldum ministrum generalem ord. Min. recommendat, quaedam nova communicat et, ut certae quaedam litterae publicentur, mandat.
925. » **10.** Cum Endelina moniali mon. s. Marcelli prope Parisios ord. s. Clarae, filiae illegitimae Ludovici X regis Franc., dispensat, ita ut in abbatissam eligi valeat.
926. » **13.** Inquisitori haer. prav. in Tuscia mandat, ut, si constat, fratres Erem. s. Aug. locum de Scarperia prope Florentiam indebite occupasse, eos de eodem expellat.

Ioannes papa XXII — Anno Domini 1331.

927. **Aug. 18.** Thedinum Min., qui in marchia Ancon. commorans Michaelis de Caes. olim ord. Min. generalis ministri vicarium se gerit, capi iubet.
928. » **29.** Privilegia sive indulgentias fratribus Min. hucusque concessa confirmat.
929. **Sept. 3.** Episcopum Grassen. civibus Grassen. facultatem fundandi unum monasterium ord. s. Clarae concedere iubet.
930. » **12.** Bartholinum Iohannelli ord. Min., inquisitorem haer. prav. in provincia s. Francisci, contra heredes cuiusdam de haeresi condemnati procedere iubet.
931. » **20.** Landulfum ep. Stabien. (ex ord. Min.) ad ecclesiam Amalfitan. transfert.
932. » **22.** Reginae Siciliae scribit, se sospitate corporali gaudere ac credere, ipsam litteras per Geraldum ministrum generalem ord. Min. transmissas accepisse.
933. » **24.** Iacobum Min. ecclesiae Sagonen. praeficit in episcopum.
934. **Oct. 1.** Simonem de Tarquio ord. Min., inquisitorem haer. prav. in prov. Romana, absque speciali sedis apost. licentia a suo officio amoveri non debere declarat.
935. » **4.** Ministro generali ord. Min. concedit facultatem hac vice providendi provinciae Sclavoniae de ministro prov.
936. » **9.** Guilelmo Astre ord. Min., inquisitori haer. prav., quaedam hospitia in domo fratrum Min. Avinionen. restitui iubet.
937. » **19.** Universos religiosos interdictum, cui subiacet civ. et dioec. Wormatien., observare iubet.
938. » **21.** Cum Arnaldo de Laminis ord. Min. dispensat, ita ut non obstante defectu natalium promoveri possit ad magisterium in theol. facult.
939. » **24.** Raphaeli Min. concedit facultatem ad partes Lombardiae se conferendi.
940. » **24.** Bonifatium de Donor. Petro de Corbario quaedam bona restituere iubet.
941. » **28.** Cum Ioanne de Valle ord. s. Ben. dispensat, ita ut non obstante, quod olim ordinem Min. professus fuerit, ad officia et dignitates sui ordinis promoveri valeat.
942. **Nov. 2.** Episcopo Florentino et Petro de Prato ord. Min., inquisitori haer. prav., concedit facultatem absolvendi Franciscum de Assisio ord. Min.
943. » **3.** Licentias et gratias a Michaele de Caes. olim ministro generali ord. Min. quibusdam personis concessas revocat et annullat.
944. » **13.** Fratres Min. in regno Siciliae de haeresi suspectos secundum statuta sui ord. puniri iubet.
945. » **13.** Andream de Galiano et Petrum de Cadeneto ord. Min. propter excessus eorum citari iubet.
946. » **13.** Episcopo Condomiensi concedit facultatem per aliquem sacerdotem idoneum reconciliandi coemeterium fratrum Min. de Neriaco effusione sanguinis pollutum.
947. » **17.** Cum Ioanne Stephani ord. s. Ben. dispensat, ita ut non obstante, quod olim ordinem Min. professus fuerit, ad officia et dignitates sui ordinis promoveri valeat.
948. » **22.** Contra Angelum de Valle Spoletana (sive de Clarino?) Fraticellorum ducem procedi iubet.
949. **Dec. 1.** Ministris prov. Ianuae et Thusciae ord. Min. facultatem concedit assumendi ex utraque provincia sex fratres ad verbum Dei in insula Corsica praedicandum.
950. » **1.** Superioribus quatuor ord. Mendic. concedit facultatem recipiendi trina loca in insula Corsica.
951. » **3.** Ministro generali ord. Min. concedit facultatem absolvendi nonnullos sui ordinis fratres, qui olim Ludovico Bav. et Michaeli de Caes. adhaerebant.
952. » **9.** Bona et pecunias a Paulo de Viterbio ord. Min., pseudocardinali, Corneti deposita thesaurario patrim. s. Petri tradi iubet.
953. » **16.** Ministro prov. Alamanniae superioris ord. Min. concedit facultatem absolvendi Theodoricum de Burgheim ord. Min. ab antipapa in episcopum Vercellen. promotum.
954. » **21.** Laurentium Min. dudum in episcopum Arianen. promotum confirmari iubet.
955. » **24.** Fratres Min. in Alamannia contra constitutiones apost. de paupertate Christi dogmatizantes capi iubet.

Anno Domini 1332.

956. **Ian. 2.** Monasterio Clariss. de Camberiaco ecclesiam s. Roberti dioec. Gebennen. incorporari iubet.
957. » **3.** Dandinum ord. Min. ab antipapa in episcopum Cremonen. promotum secundum canonica instituta puniri iubet.
958. » **10.** Cum Alboina de Lascala dispensat, ita ut non obstante defectu aetatis in abbatissam mon. s. Mariae de Campo Martio Veronen. ord. s. Clarae assumi valeat.
959. » **16.** Ministro prov. Ianuen. ord. Min. facultatem concedit absolvendi 12 fratres Min. conventus Saonen., qui de schismate redierunt.
959[a]. » **23.** Petro Ayquelini ex ord. Min. egresso concedit licentiam ad ord. s. Ben. se transferendi.
960. **Febr. 4.** Inquisitores haer. prav. in marchia Ancon. partem bonorum ex officio inquisitionis provenientem, quae ad cameram apost. pertinet, eidem assignare iubet.
961. » **12.** Petrum de Prato ord. Min. in ministrum prov. Thusciae institui iubet.
962. » **22.** Cum Alvaro Pelagii ord. Min. super defectu natalium dispensat.
963. » **29.** Landulfo archiep. Amalfitan. regratiatur, eo quod astitit ministro gen. ord. Min. in persequendis Fraticellis.
964. **Martii 5.** Eundem archiepiscopum contra ipsos Fraticellos ulterius procedere iubet.
965. » **5.** Commune Neapolitan. eidem archiepiscopo in hoc negotio auxilium praebere iubet.
966. » **6.** Luciae Belliprandii et Fayni dominae facultatem concedit fundandi monasterium ord. s. Clarae.
967. » **7.** Facultatem ministro prov. Alamanniae de fratribus Min. olim Ludovico Bav. et Michaeli de Caes. adhaerentibus a censuris eccl. absolvendis ad ipsius provinciae custodes extendit.

Ioannes papa XXII — Anno Domini 1332.

968. **Martii 9.** Cum Berardo Nicolai ord. Min., cuius mater de haeresi est condemnata, dispensat, ut hoc non obstante ad administrationes sui ordinis promoveri valeat.
969. » **9.** Petro de Prato vicario prov. Tusciae ord. Min. concedit facultatem dispensandi cum sex fratribus, qui a quodam episcopo rebelli ordines susceperunt.
970. » **13.** Ministrum generalem ord. Min. certiorem reddit de litteris commendatitiis pro eo ad regem et reginam Siciliae missis.
971. » **14.** Commutationem bonorum inter archiepiscopum Toletan. et monasterium Clariss. de Guadalfaiara factam confirmari iubet.
972. » **27.** Quandam constitutionem Alexandri IV per moniales mon. Claromonten. ord. s. Clarae observari permittit.
973. **Apr. 13.** Raphaelem Spinulae Min. ecclesiae Nebien. praeficit in episcopum.
974. » **15.** Facultatem ministro generali de instituendo aliquo ministro provinciali concessam revocat.
975. » **24.** Guilelmum Jorneti Min. ecclesiae Sulcitan. praeficit in episcopum.
976. **Maii 7.** Deodatum de Praeneste ord. Min. a conventu s. Sepulchri de Urbe ad conventum Urbevetan. transferri iubet.
977. » **8.** Novum inquisitorem haer. prav. in partibus Romanis institui iubet.
978. » **13.** Bonifatium de Pisis ord. Min. defectu natalium et reservatione apost. sedis obstantibus in episcopum Sulcitan. promotum habilitat ad alium episcopatum obtinendum.
979. » **16.** Archiepiscopum Tholosan. et rectorem ecclesiae de Layraco citari iubet responsuros super iniuriis monasterio Clariss. Tholosan. illatis.
980. » **29.** Bartholinum de Perusio ord. Min. processus contra Tudertinos prosequi iubet.
981. **Iunii 3.** Bonifatium supra n. 978 nominatum ecclesiae Corbavien. praeficit in episcopum.
982. » **4.** Reginam Siciliae Fraticellis aut saltem sequacibus Michaelis de Caes. adhaerentem monet, ut ad viam salutis revertatur.
983. » **8.** Contra quosdam fratres Min. in Scotia apostatantes et libros ac calices auferentes procedi iubet.
984. » **12.** Guilelmum Astre ord. Min. ecclesiae Apten. praeficit in episcopum.
985. » **16.** Item Alvarum Pelagii ecclesiae Coronen.
986. » **25.** Friderico archiep. Rigen. (ex ord. Min.) concedit facultatem libere disponendi de libris suis.
987. **Iulii 8.** Inquisitori haer. prav. in civ. Massilien. mandat, ut quendam haereticum, quem tenet captum, reddat inquisitori in partibus Pedemontis.
988. **Aug. 7.** Fratribus Min. in civ. Basileen. capitulum provinciale celebraturis concedit facultatem divina solemniter celebrandi non obstante interdicto, cui ipsa civitas Basileen. subiacet.
989. » **7.** Ecclesiam Clarissarum de Merano visitantibus indulgentias elargitur.
990. **Sept. 2.** Reginae Siciliae scribit de his, quae in capitulo provinciali (prov. Terrae Laboris contra quendam nuntium ipsius reginae) attentata esse dicuntur.
991. » **3.** In processu contra Humilem custodem prov. s. Francisci ord. Min. instituto sententiam ferri iubet.
992. » **3.** Inquiri iubet super iniuriis cuidam nuntio reginae Siciliae ad capitulum prov. Terraelaboris misso illatis.
993. » **15.** Andream de Perusio ord. Min. in studio Neapolitano ad magisterium in theol. facult. promoveri iubet.
994. » **20.** Angelum Min. ecclesiae Acien. praeficit in episcopum.
995. **Oct. 2.** Sententias excommunicationis ab archiepiscopo Tolosan. contra Minorissas Tolosan. ob denegatam decimarum solutionem latas suspendit.
996. » **4.** Vitum de Monteferreo ord. Minor. ecclesiae Milchovien. in episcopum praefici iubet.
997. » **30.** Ioannem Min. in episcopum Isernien. electum et confirmatum ecclesiae Calven. praeficit in episcopum.
998. **Nov. 2.** Arnaldo de Claromonte ord. Min. licentiam vacationibus proxime futuris Parisiis sententias legendi concedi iubet.
999. » **16.** Eliam de Nabinali ord. Min. ecclesiae Nicosien. praeficit in archiepiscopum.
1000. **Sec. 2.** Item Franciscum de Spoleto ord. Min. ecclesiae Satrianen. in episcopum.
1001. » **4.** Regi et reginae Siciliae scribit, se negotium Petrum de Cadeneto et Andream de Galiano tangens ad manum suam retinuisse.
1002. » **8.** Moniales mon. s. Gregorii Neapolitan. ad permutanda quaedam bona cum conventu fratrum Min. Neapolitan. compelli iubet.
1002ª. » **8.** Ioanni episcopo Lingonen. concedit facultatem ingrediendi monasterium Clariss. de Longocampo, Blancam de Francia ipsius mon. monialem, consanguineam suam, visitandi causa.
1003. » **16.** Fratribus Min. concedit facultatem recipiendi locum in villa de Maydenston.
1004. » **28.** Ministros ord. Min. prov. s. Angeli, Terraelaboris, Pennensis, Apuliae, Thusciae, Bononiae, Mediolan., custodesque Assisiensem et Romanae provinciae de ipsorum devotione commendat eosque, ut perseverent, monet.

Anno Domini 1333.

1005. **Ian. 13.** Fratribus Min. concedit facultatem recipiendi locum in oppido Bechin.
1006. » **14.** Friderico archiepiscopo Rigen. (ex ord. Min.) concedit facultatem reformandi monasterium Canonissarum in Dubravnik, cuius abbatissa nomine Offka, neptis ipsius, minus bene se gerit.
1007. » **24.** Velhildi comitissae de Hals concedit facultatem ingrediendi monasteria ord. Cist. et s. Clarae.
1008. » **26.** Fratribus Min. concedit facultatem recipiendi locum in oppido Lubaniensi.
1009. **Febr. 28.** Comiti ac comitissae Gelren. concedit facultatem ingrediendi monasterium Clarissarum Colonien.

Ioannes papa XXII — Anno Domini 1333.

1010. **Mart. 8.** Executoribus testamenti b. m. Bertrandi (de Turre ex ord. Min.) episcopi Tusculan. iustitiae complementium fieri iubet.
1011. » **13.** Inquiri iubet de iis, quae in causa inter fratres Min. et Erem. s. Aug. super distantia locorum in castro Murovallium vertente attentata sunt.
1012. » **15.** Franciscum de Perusio ecclesiae Sarnen. praeficit in episcopum.
1013. » **19.** Item Hugucionem de Perusio ecclesiae Sutrin.
1014. » **31.** Clarissis Condomien. indulget, ut privilegiis fratribus Min. concessis uti ac liberam sepulturam habere et ad decimas solvendas minime adstringi valeant.
1015. » **31.** Ministro generali ord. Min. committit officium protectoris ordinis s. Clarae.
1016. **Apr. 18.** Regi Siciliae ad quosdam articulos super concordia inter reginam Siciliae et ministrum generalem ord. Min. in causa fratrum Petri de Cadeneto et Andreae de Galiano stabilienda sibi missos respondet.
1017. » **19.** Ipsos fratres Petrum et Andream, qui protecti a regina Siciliae obedientiae et ecclesiae et superiorum sui ordinis se subtraxerunt et ad sedem apost. citati non comparuerunt, ab excommun. sententia, quam hincinde contraxerunt, absolvit.
1018. **Maii 2.** Bartholomaeum Ioanelli ord. Min. instituit poenitentiarium apost. in Urbe.
1019. » **10.** Pro Lambertucio de Frescobaldis et Francisco de Bolzano ord. Min. ad Curiam proficiscentibus salvum petit conductum.
1020. » **14.** Galterum de Divione ord. Min. Ioannae reginae Franciae quaedam e scriptura sacra et sanctorum patrum scriptis excerpta (inprimis ad visionem beatificam respicientia) in vulgari exponere iubet.
1021. » **25.** Clarissis mon. de Königsfelden facultatem concedit faciendi celebrari divina tempore cuiuslibet interdicti.
1022. **Iunii 3.** Episcopum Florentinum a processibus contra fratres Min. desistere iubet.
1023. » **9.** Alvarum Pelagii (ex ord. Min.) episcopum Coronen. ad ecclesiam Silven. transfert.
1024. **Iulii 1.** Simoni Philippi de Spoleto ord. Min. officium inquisitionis in prov. Romana committit.
1025. » **23.** Pro Henrico de Thalheim ord. Min., mag. theol., olim ministro prov. Alamanniae superioris, ad Curiam profecturo salvum petit conductum.
1026. » **30.** Ioannem de Prestona ord. Min. ecclesiae Neocastren. praeficit in episcopum.
1027. **Aug. 1.** Fratribus Min. concedit facultatem recipiendi locum in villa dicta Berga dioec. Urgellen.
1028. » **25.** Ecclesiam Clariss. Tricaricen. visitantibus indulgentias elargitur.
1029. » **27.** Blasio Argentello de Interamna ex ord. Min. egresso ad alium ordinem religiosum se transferendi facultatem concedit.
1030. **Sept. 5.** Inquiri denuo iubet de processibus per inquisitores ord. Min. contra fratres Erem. s. Aug. super distantia locorum in castro Murovallium habitis.
1031. » **5.** Geraldum ministrum generalem ord. Min. et Arnaldum de s. Michaele ord. Praed. instituit nuntios suos ad tractandam pacem inter reges Angliae et Scotiae.
1032. » **10.** Matthaeum (ex ord. Min.) episcopum Beryten. ad ecclesiam Mothonen. transfert.
1033. » **10.** Arnaldum de Claromonte ord. Min. ecclesiae Tutellen. praeficit in episcopum.
1034. » **10.** Archiepiscopo Ianuen. mandat, ut Iacobum de Portuli in capiendis nonnullis fratribus Min. haereticis adiuvet.
1035. » **13.** Aycardo (ex ord. Min.) archiep. Mediolan. concedit facultatem testandi.
1036. » **16.** Elisabeth abbatissae mon. Clariss. de Barletta concedit indulgentiam plenariam in articulo mortis ipsi impertiendam.
1037. » **18.** Nicolaum Min. ecclesiae Cambalien. praeficit in archiepiscopum.
1038. » **19.** Ministro generali ord. Min. concedit facultatem absolvendi illos fratres Min. in Sardinia, qui fratres a Michaele de Caes. illuc missos receperunt.
1039. **Oct. 1.** Imperatori regibusque Tartarorum commendat Nicolaum archiep. Cambalien. aliosque fratres Min. verbum Dei in istis partibus praedicantes.
1039a. » **1.** Antonio de Aribaldis de Valentia ord. Min. magisterium in theol. facult. conferri iubet.
1040. » **1.** Cum Ymberto de Cabanis ord. s. Ben. dispensat, ita ut ad officia et dignitates sui ord. promoveri possit, non obstante, quod olim ordinem Min. fuerit professus.
1041. **Sept. 30.** Guilelmum de Meleduno ord. Min. ad sententias Parisiis legendas assignat.
1042. **Oct. 14.** Robertum de Campuli ord. Min. ecclesiae Cephaluden. praeficit in episcopum.
1043. » **31.** Regi Armeniae et « catholico » Armenorum commendat Nicolaum archiep. Cambalien.
1044. » **31.** Geraldum ministrum generalem ord. Min. et Arnaldum de s. Michaele ord. Praed., nuntios ad reges Angliae et Scotiae missos, revocat.
1045. **Nov. 2.** Guardiano fratrum Min. Avinionen. concedit facultatem dispensandi super irregularitate cum fr. Petro de Sala Girontii.
1046. » **11.** Rectori ducatus Spoletani mandat, ut in negotiis fidei simul cum inquisitoribus haer. prav. (ex ord. Min.) procedat.
1047. » **20.** Ecclesiae mon. Clariss. Condomien. visitantibus indulgentias elargitur.
1048. **Dec. 5.** Dominicam de Montemelino in mon. s. Mariae Angelorum prope Perusium ord. s. Clarae recipi iubet.
1049. » **6.** Guilelmum (ex ord. Min.) episcopum Alben. ad ecclesiam Brundusin. transfert.
1050. » **30.** Minum de s. Quirico ord. Min., inquisitorem haer. prav. in Tuscia, in processibus faciendis episcopos locorum admittere iubet.

Ioannes papa XXII — Anno Domini 1334.

1051. **Ian. 10.** Raymundum (ex ord. Min.) episcopum Vencien. ad ecclesiam Nicien. transfert.
1052. » **10.** Henricum de Cephaludo ord. Min. ecclesiae Milevitan. praeficit in episcopum.
1053. » **18.** Capellam s. Ludovici conf. Civitellae a Guilelmo archiep. Brundusin. (ex ord. Min.) constructam visitantibus indulgentias elargitur.
1054. » **18.** Eidem archiepiscopo concedit facultatem testandi.
1055. **Febr. 7.** Arnaldum de Antesaco (Antesico) ord. Min. ecclesiae Vencien. praeficit in episcopum.
1056. » **11.** Contra Fraticellos et alios Beguinos in prov. Romana procedi iubet.
1056ª. » **13.** Simonem Min., inquisitorem haer. prav. in prov. Romana, in exequendo officio impediri vetat.
1057. » **13.** Nicolao (ex ord. Min.) archiep. Cambalien. concedit facultatem assumendi secumque ad ecclesiam suam adducendi nonnullos fratres Min.
1058. » **21.** Guardiano (conventus Aracoelitani) de Urbe ord. Min. atque inquisitori haer. prav. in prov. Romana mandat, ut capiant ministrum Fraticellorum.
1059. **Mart. 15.** Isabellam et Henrietam, filias Henrici de Soliaco, in monasterio de Longocampo ord. s. Clarae recipi iubet.
1060. **Apr. 13.** Electionem de Dieterico de Feldsberg in ministrum prov. Austriae factam confirmat.
1061. » **23.** Ministrum generalem aliosque superiores in capitulo ord. Min. generalis Assisii congregandos monet, ut erga subditos, et subditos, ut erga superiores bene recteque se habeant.
1062. » **22.** Illos fratres Min. in regno Siciliae et in partibus Venetis, qui olim Michaeli de Caes. adhaerentes ab eius obedientia recesserunt, a censuris eccl. absolvi iubet.
1063. **Maii 1.** Episcopum Olomucen. fratribus Min. licentiam recipiendi locum in oppido Hradisch concedere iubet.
1064. » **11.** Vitum de Castroferreo ord. Min. ecclesiae Nitrien. praeficit in episcopum.
1065. **Iunii 16.** Item Gregorium Min. ecclesiae Sirmien.
1066. » **28.** Fratribus Min. prov. Daniae in oppido Svendborg capitulum provinciale peracturis concedit facultatem divina officia publice celebrandi, non obstante interdicto eccl.
1067. **Iulii 15.** Elisabeth reginae Hungariae concedit facultatem fundandi monasterium Clariss. in oppido Budae.
1068. » **23.** Iacobum (de Stephanescis) s. Georgii ad velum aureum diac. card. instituit protectorem ordinis Min.
1069. » **31.** Iacobum de Pistorio, qui olim a fide catholica et ab ordine Min. apostatans ad eosdem fidem et ordinem redire desiderat, per ministrum prov. Thusciae misericorditer recipi et a censuris eccl. absolvi iubet.
1070. **Aug. 1.** Guilelmo (ex ord. Min.) archiep. Patracen. concedit facultatem testandi.
1071. » **3.** Pastorem de Serrescuderio ord. Min., mag. theol., ab obedientia ministri generalis eximit.
1072. » **17.** Gratiam de Aquila (ord. Min.) ecclesiae Dulchinen. praeficit in episcopum.
1073. » **18.** Mariae Barrili moniali mon. s. Mariae domnae reginae Neapolitan. concedit indulgentiam plenariam in articulo mortis sibi impertiendam.
1074. » **29.** Certam pecuniae quantitatem a Mino de s. Quirico ord. Min., inquisitore haer. prav., receptam et apud quendam mercatorem Florentin. depositam ad eodem exigi iubet.
1075. » **29.** Inquisitores haer. prav. in Thuscia (ex ord. Min.) ad computum faciendum induci iubet.
1076. **Sept. 1.** Fortanerio Vassalli ord. Min. magisterium in theol. facult. conferri iubet.
1077. » **5.** Petro de Engolisma ord. Min. concedit indulgentiam plenariam in articulo mortis sibi impertiendam.
1078. » **13.** Ministrum prov. Daniae ord. Min. monet, ut a molestatione duorum fratrum ab ord. Min. ad ord. Cist. translatorum desistat.
1079. » **25.** Monasterio de Waterbech ord. s. Clarae quandam ecclesiam incorporari iubet.
1080. **Oct. 4.** Quandam donationem fratribus Min. in monte s. Mariae (in Georgio) factam confirmari iubet.

INDEX ALPHABETICUS DIPLOMATUM

TABULA MATERIARUM

I. Minoritae.

1. Documenta de regula observanda referuntur numeris 158, 195, 203, 204, 212, 217, 218, 289. 464, 472, 486, 516, 607, 652, 653, 894, 921, 1004, 1071.
2. Constitutiones adversus Spirituales, Fraticellos, Beguinos a summis pontificibus datae describuntur numeris 158, 203, 217, 218, 256, 266, 267, *279, 293, 297, 302, 340, 411, 417, 421, 474, 565, 571, *572, 623, 650, 707, 830, 891, 894, 896, 916, 924, 944, 948, 963-965, 1034, 1056, 1058.
3. Monumenta, quae ad controversiam illam de paupertate atque ad turbas per Michaelem de Caesena eiusque assectas excitatas pertinent, afferuntur numeris 518, 520, 554, 557, 558, 564, 628, 633, 667, 682, 687, 701, 711-718, 721, 721*, 724, 728, 729, 731, 732, 741, 742, 746-749, 751, 752, 754, 756, 757, 758, 763, 765, 767, 768, 773, 779, 780, 783, 784-786, 788, 789, *791, 793, *795, *797, 802, 806, 807, 809, 810, 817, 819-821, 847, 849,-851, 857, 877, 884, 885, 892, 892*, *910, 916, 923, 927, 932, 942-944, 951, 955, 959, 967, 982, 990-992, 1001, 1016, 1017, *1025, 1038, 1062.
4. Adduntur litterae apostolicae contra Ludovicum Bavarum in regem Romanorum discorditer electum et contra antipapam ab eo intrusum scriptae: numeris 535, 535*, 544, *554, 644, *667, 682*, 721*, 726, 734, 755, 756, *762, 763, 767, *768 772, 775, 783, *786, 788-790, 797, 810, 814-816, *817, 819, 820, 835, 837, 838, 843, 844, 846, 851, 854, 860-865, 867, 869, 870, 872, 873, 875-877, 879, 881; 883, *884, 886, 889, 893, 897, 940, 952. 953, 957, *859, 967, *976, *1095.
5. Minoritae variorum accusati delictorum occurrunt numeris 34, 136, 163, 196, 208, 357, 372, 388, 403, 421, 483, 498, 589, 626, 635, 636, 639, 652, 653, 659, 661, 695*, 735, 785, 871, 874.
6. Quae constituta sunt de capitulis generalibus ac provincialibus celebrandis vel de rebus in iisdem gestis, de ministris provincialibus extra eiusmodi capitula instituendis, de cardinalibus renuntiandis ordinis protectoribus, habentur numeris, 212, 431, *486, (p. 234), 569, 574, 596, *667, 706, 716, 771, 788, 791, 795, 797, 800, 909, *910 935, 961. 974, 988, 1060, 1061, 1066, 1068.
7. Accedunt licentiae de conventibus recipiendis vel transferendis ac de bonis eorum permutandis: numeris 89, 92, 101, 115, 129-131 165. 175, 180, 215, 219, 223, 235, 237, 270, 305, 323, 325, 326, 331, 337, 342, 358, 369, 370, 380, 393, 395, 455, 458, 473, 501, 506, 507, 510, 537, 539, 555, 562, 584, 586, 660, 666, 708, 840, 882, 919, 1002, 1003, 1005, 1008, 1027, 1063, 1080.
8. Indulgentiae nonnullis ordinis ecclesiis concessae referuntur numeris 116, 174, 367, 387, 394, 438, 530, 613, 672, 688, 818*, 841, 917, 946, 1053.
9. De Minoritis inter sanctos adscriptis recteque colendis agitur numeris 90, 257-261, 454, 504, 517, 523, 599-686; cfr. 530, 613, 672, 688, 1053.
10. Quae inter schismaticos atque infideles Minoritae missionarii egerint agereve sint iussi, exponitur numeris 84-88, 108-110, 112, 181, 182, 318, 318*, 320*, 440, 441, 443, 452, 467, 511, 572, 804, 811, 812, 818, 828, 949, 950, 1039, 1043, 1057.
11. Quae privilegia (praesertim praedicandi, confessiones audiendi, alienos apud se sepeliendi) Minoritis data sunt quaeve a clericis animarum curae addictis contra sunt opposita, describuntur numeris 4, 8, 20, 25, 29, 32, 33, 38, 39, 49, 104, 105, 171, 196*, 211, 230, 292, 298, 327*, 346, 365, 382, 396, 426, 437, 524, 540, 643, 648, 718*, 781, 907, 928, 1022.
12. De ordinis ingressu, de transitu ad alium ordinem, de apostasia agitur numeris 28, 44, 47, 48, 56, 113, 124, 135, 137, 155, 159, 172, 178, 179, 184, 210, 213, 220, 287, 413, 421, 459, 491, 494, 509, 513, 514, 519, 543, 547, 560, 575, 576, 579, 580, 587, 597, 616, 620, 623, 629, 647, 657, 673, 674, 677, 720, 725, 750, 753, 761, 770, 824, 829, 888, 913, 941, 947, 959*, 983, 1029, 1040, 1069, 1078.
13. Ordinis Minorum ad ceteros ordines Mendicantium relatio ac praesertim locorum distantia tractatur numeris 9, 10, 15, 126, 144, 166, 191, 413, 427, 444, 476, 477, 498, 926, 1011, 1030.
14. Interdicta certis locis vel terris interdum inflicta rite

exequenda mandantur numeris 431, 559, 609, 646, 697, 702, 728, 733, 937.

15. Res pretiosae ac thesaurus ecclesiae Rom. apud fratres Minores deponuntur numeris 282, 442, 521, 563, 593, 651, 723; cfr. 28*, 77.

16. Accedunt diplomata plurima, quorum argumenta magis ad personas pertinent quorumque locus numeris indicatur hisce:

a) Minoritarum ad dignitates ecclesiasticas promotio promotorumque singularia officia (e. g. nuntiorum vel legatorum apost. sedis) aut iura (e. g. testandi facultas): 31, 40, 52, 53, 60, 70, 71, 74, 83, 85, 88, 102, 103, 134, 139, 152, 157, 162, 176, 183, 186, 197, 201, 216, 221, 224, 234, 242, 249-251, 264, 265, 278, 281, 284, 285, 290, 291, 296, 303, 305, 308, 315, 317, 329, 341, 348, 366, 378, 379, 389, 397, 400, 406*, 410, 412, 418, 420, 425, 428, 429, 435, 436, 445-452*, 460, 469-471, 478, 479, 488-490, 502, 503, 532, 533, 541, 542, 545, 546, 548, 566, 567, 592, 594, 595; 598, 603, 610, 612, 621, 631, 632, 664, 671, 676, 689, 703, 704, 710, 730, 737-739, 743, 745, 755, 774, 778, 787, 789, 790, 801, 803, 813, 827, 832, 837, 846, 853, 855, 858, 866, 880, 886, 890, 905, 914, 931, 933, 952-954, 957, 973, 975, 978, 981, 984, 986, 994, 996, 997, 999, 1000, 1006, 1010, 1012, 1013, 1023, 1026, 1032, 1033, 1035, 1037, 1042, 1049, 1057, 1052, 1054, 1055, 1064, 1065, 1070, 1072.

b) Inquisitorum ex ordine Minorum renuntiatio aliaeque res ad officium inquisitionis spectantes: 19, 26, 96, 122, 321, 333, 405, 442, 453, 455*, 468, 474, 481, 482, 485, 487, 534, 536, 573, 577, 578, 582, 604, 622, 625, 627, 632, 640, 641, 654, 655, 668-670, 684, 700, 719, 736, 744, 762, 763, 769, 822, 823, 831, 836, 839, 848, 859, 871, 897, 922, 926, 930, 934, 936, 942, 948, 960, 977, 980, 987, 1011, 1024, 1030, 1046, 1050, 1056*, 1074, 1075.

c) Poenitentiarii apostolici, lectores s. palatii, summi pont. capellani e Minoritis adsciti: 7, 140, 276, 920, 1018.

d) Magisterium in theol. facultate Minoritis concessum: 225, 330, 500, 606, 908, 918, 993, 998, 1039* 1041, 1076.

e) Munera varia aliquibus Minoritis a summis pontificibus commissa, videlicet:

electos confirmandi: 1, 12, 14, 17, 41, 61, 127;

a censuris ecclesiasticis absolvendi et super impedimentis dispensandi: 36, 51, 73, 100, 128, 309, 377, 390, 402, 434, 466, 642, 665, 808;

litigantes inter se reconciliandi: 57, 91, 114, 123, 149, 150, 277, 320, 343, 461, 482, 508;

ad papam accusatos advocandi et in eos inquirendi: 59, 75, 140, 153, 160, 161, 167, 185, 189, 263, 347, 378, 588, 624, 662, 705, 792;

alia id genus faciendi: 16, 117, 125, 138, 148, 154, 187, 188, 222, 243, 253, 254, 294, 297, 319, 338, 339, 398, 480, 535, 535*, 544, 553, 594, 695, 805, 852, 868, 1020, 1031, 1044;

aliorum testamenta executioni mandandi: 24, 90, 233, 314, 359;

f) Gratiae quaedam singulares Minoritis concessae, videlicet:

dispensationes super natalium aliisque defectibus: 23, 156, 170, 484, 515, 531, 856, 938, 962, 968, 969, 1045;

indulgentia plenaria in art. mortis: 481, 796, 1077;

licentia visitandi sepulchrum Dominicum: 447, 505, 692, 722;

litterae de salvo conductu et licentia itinerandi: 205, 619, 639, 675, 691, 794, 815, 939, 970, 1019, 1025.

g) Nuntiorum munere ad papam funguntur Minoritae: 58, 288, 328, 344, 556, 698.

II. Clarissae.

Pro ordine Clarissarum decem rerum genera numeris diplomatum significantur:

1. Regulae observatio, Minoritarum super Clarissas regimen, ordinis protectoris institutio: numeris 2, 13, 64, 99, 106, 120, 133, 164, 199, 286, 313, 327, 336, 350, 353, 361, 364, 374. 375, 385, 456, 457, 499, 526, 528, 549, 559, 581, 618, 680, 799, 972, 976, 1015.
2. Monasteriorum fundatio vel translatio: numeris 3, 30, 42, 50, 98, 132, 145, 151, 165, 177, 200, 202, 214, 231, 236, 244, 301, 332, 383, 465, 568, 591, 600, 608, 611, 617, 634, 649, 656, 658, 663, 683, 741*, 825, 898, 899, 901, 929, 966, 1067.
3. Bonorum possessio vel commutatio: numeris 18, 65, 97, 107, 245, 246, 311, 312, 324, 381, 392, 423, 525, 602, 637, 971.
4. Ecclesiarum incorporatio: numeris 11, 371, 401, 644, 782, 833, 900, 912, 956, 1079.
5. Iurum ac privilegiorum concessio vel confirmatio (e. g. hereditandi, alienos apud se sepeliendi, non solvendi decimas, non pendendi vectigalia vel tributa, non contribuendi in procurationibus legatorum sedis apost.): 43, 62, 63, 66, 69, 193, 207, 238, 272, 273, 275, 283, 295, 306, 310, 322, 334, 355, 356, 373, 404, 406, 408, 492, 493, 495, 497, 527, 549, 550, 583, 590. 679, 693, 727, 740, *759, *766, 826, 834, 904, 911, 979, 995, 1014.
6. Conservatorum pro illis iuribus et privilegiis tuendis institutio: 240, 247, 262, 271, 422, 424, 475, 551, 605, 699, 902,
7. Indulgentiae eis, qui Clarissarum ecclesias visitant, concessae et indulgentia plenaria aliquibus Clarissis in art. mortis impertienda: 37, 67, 68, 121, 142, 146, 147, 209, 232, 241, 296, 307, 335, 384, 404*, 407, 552, 561, 585, 676, 679*, 681, 903, 1021, 1028, 1036, 1047, 1073.
8. Abbatissarum electarum approbatio: 61, 368, 570, 690, 925, 958.
9. Virginum ad religionem aspirantium in monasteria receptio et facultas ad alia monasteria transeundi nonnullis monialibus concessa: 27, 192, 268, 274, 304, 345, 349, 386, 399, 430, 433, 512, 638, 645, 694, 887, 895, 906, 1048, 1059.
10. Visitandi monasteria Clarissarum facultas: 5, 35, *43, 45, 46, 54, 55, 76, 78-81, 93, 94, 111, 141 168, 169, 198, 199, 206, 226-229, 239, 248, 255, 269, 280, 300, 351, 352, 360, 362, 363, 364*, 376, 391, 414-416, 439, 522, 529, 615, 678, 685, 709, 760, 798, 878, 915, 1002*, 1007, 1009.

III. Poenitentes.

Documenta, quae ad tertium ordinem s. Francisci sive Poenitentium pertinent, duplicis sunt generis:

1. De regula et vita; habentur numeris 22, 95, 143, 354, 396, 411, 417, 426, 462, 463.
2. De sanctis sanctorumque cultu; continentur numeris 72, 82, 118, 119, 194, 279, 316, 367, 614, 696, 764, 841*.

BULLARIUM FRANCISCANUM

SIVE

ROMANORUM PONTIFICUM

CONSTITUTIONES, EPISTOLAE, DIPLOMATA

TRIBUS ORDINIBUS

MINORUM, CLARISSARUM, POENITENTIUM S. PATRIS FRANCISCI

CONCESSA

BULLARIUM FRANCISCANUM

SIVE

ROMANORUM PONTIFICUM

CONSTITUTIONES, EPISTOLAE, DIPLOMATA

TRIBUS ORDINIBUS

MINORUM, CLARISSARUM, POENITENTIUM S. PATRIS FRANCISCI

CONCESSA

BENEDICTUS PAPA XI

(olim Nicolaus Boccasinus de Tarvisio O. Praed., episcopus Ostien. et Velletren.)

electus Romae anno 1303 die 22 octobris, coronatus eiusdem anni et mensis die 27

sanctissime obiit Perusii 1304 iulii 7

1. Innovat quasdam litteras Bonifatii VIII die 16 aug. 1303 datas, sed non bullatas, [1] quibus infra nominatis religiosis iniunctum erat, ut super electione novae abbatissae monasterii s. Mariae de Baxiliano ord. s. Ben. dioec. Mediolanen. inquirerent et, si eandem invenissent de persona idonea canonice celebratam, auctoritate apostolica eam confirmare curarent. [2]

1303, novembris 2, Laterani.

Benedictus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis ... priori Praedicatorum et ... guardiano Minorum fratrum ordinum [Mediolanen.] salutem et apostolicam benedictionem. [3]

Venerabilis frater noster Papinianus episcopus Parmensis, S. R. E. vicecancellarius *etc.* Datum Laterani, IV nonas novembris, pontificatus nostri anno primo.

2. Clarissas Ravellen. ministris ord. Min. submittit et privilegio munit. [4]

1303, novembris 2, Laterani.

Dilectis in Christo filiabus abbatissae et conventui monasterii sanctae Clarae Ravellen. [5] *ordinis eiusdem sanctae.*

Religionis, in qua relictis saeculi vanitatibus Domino deservitis, favor exposcit, et devotionis vestrae merita nos inducunt, ut in iis, quae secundum Deum possumus, vobis favorem apostolicum impendamus. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat, quod vos olim ad Dei laudem et animarum profectum monasterium sanctae Clarae Ravellen., in quo nunc sub communi vita degitis, in honorem ipsius sanctae de consensu dioecesani episcopi [6] devotione pia et provida construxistis, dictusque dioecesanus vos in eodem monasterio collocavit; quare pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut huiusmodi piam actionem apostolici favoris praesidio benigne prosequi ac vos, quae, inclusae corpore in claustris claustralibus mente tamen libera devote Domino famulantes, .. generali [7] et .. provinciali ordinis fratrum Minorum Terrae Laboris ministris committi pro salute vestra cupitis, eisdem ministris committere dignaremur. Nos itaque huiusmodi vestris piis supplicationibus favorabiliter annuere intendentes ac pium vestrum propositum in hac parte in Domino commendantes, quod super praemissis provide factum est, gratum et ratum habentes, id auctoritate apo-

[1] Relatas in huius operis t. IV, p. 580.

[2] Reg. Vat. t. 51, f. 4, ep. 12 (ed. *Grandjean* p. 16 n. 12). Verba « ed. *Grandjean* » omittentur in ceteris bullis Benedicti XI; apponentur tantum pagina et numerus, quibus unaquaeque bulla in ipsius opere reperitur.

[3] Verba « Benedictus episcopus, servus servorum Dei » et « salutem et apostolicam benedictionem » omittentur in ceteris bullis.

[4] Reg. Vat. t. 51, f. 5, ep. 13 (p. 18 n. 13), apud *Waddingum* in Ann. Min. ed. II t. VI, reg. pont. Ben. XI n. 1.

[5] Ravellum alias Rebellum, incolis Ravello, quae civitas in partibus Neapolitanis in iugo altissimi montis sita parum distat ab Amalphi, a qua civitate suam traxit originem.

[6] Ioannis videlicet Allegri Hottani, qui ex episcopo Ogentino postulatus in episcopum Ravellen. III kal. octobris anno 1291 a Nicolao IV confirmatus fuit; a vivis discessit anno 1313.

[7] Tunc temporis *Ioanni Minio de Muro*, qui, etsi a Bonifatio VIII cardinalis titulo s. Rufinae et episcopus Portuensis fuerit ordinatus, exemplo s. Bonaventurae ordinem regere usque ad subsequens capitulum generale a Pontifice iussus non recusavit.

stolica confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus, ac vos et dictum monasterium vestrum auctoritate praesentium generali et provinciali ministris committimus supradictis; eadem auctoritate nihilominus statuentes, ut sub magisterio et doctrina eorumdem ministrorum generalis et provincialis Terrae Laboris dicti ordinis, tam qui sunt quam qui pro tempore fuerint de cetero, maneatis, illis gaudentes privilegiis, quae ordini praedicto fratrum ipsorum ab apostolica sede concessa sunt vel in posterum concedentur; ipsique generalis vel provincialis ministri, animarum vestrarum sollicitudinem gerentes et curam, eidem monasterio per se vel per alios fratres sui ordinis, quos ad hoc viderint idoneos, quoties expedierit, officium visitationis impendant, corrigendo et reformando ibidem tam in capite quam in membris, quae correctionis seu reformationis officio noverint indigere; et nihilominus instituant et destituant, mutent et ordinent, prout secundum Deum viderint expedire; electio tamen abbatissae libere pertineat ad conventum; [1] confessiones quoque vestras audiant, et ministrent vobis ecclesiastica sacramenta. Et ne pro eo, quod in monasterio vestro ipsius ordinis fratres residere continue non tenentur, propter defectum sacerdotis possit periculum imminere, praedicti generalis et provincialis ministri ad confessiones in necessitatis articulo audiendas, ministranda sacramenta praedicta et divina officia celebranda vobis deputent aliquos discretos et providos capellanos. [2] Ad haec liceat vobis redditus et possessiones recipere ac eas libere retinere; non obstantibus contrariis consuetudinibus vel statutis vestri ordinis confirmatione sedis apostolicae aut quacumque alia firmitate roboratis. Nulli ergo *etc.* Datum Laterani, IV nonas novembris, anno primo.

3. Mandat, ut monasterium in civitate Lauden. pro Clarissis erigendum infra nominatus episcopus accipiat, abbatissam ei praeficiat, moniales in illud introducat. [3]

1303, novembris 5, Laterani.

Venerabili fratri .. [4] *episcopo Papiensi.* [5]

Pia desideria devotorum benigno libenter animo prosequimur et eorum iustis postulationibus assensum benevolum impertimur. Cum itaque dilectus filius nobilis vir Antonius de Fuxiraga [6], sicut ex parte ipsius fuit expositum coram nobis, de salute propria cogitans ac ad ordinem celebrem sanctae Clarae speciale gerens devotionis affectum, quasdam domos in proprio fundo in civitate Lauden. [7] ea intentione construi fecerit, ut sit in eis ad laudem divini nominis monasterium dicti ordinis, cui paratus est pro sustentatione abbatissae et monialium, quas ibi cupit institui, competentes redditus assignare: nos, ipsius nobilis pium in hac parte propositum prosequi favorabiliter intendentes, eius supplicationibus inclinati fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus eodem nobili faciente, quod offert, auctoritate nostra domos praedictas nomine ordinis memorati recipiens statuas ibi perpetuis temporibus fore monasterium, in quo per moniales ordinis supradicti Domino serviatur, ipsumque monasterium ordini praedicto incorporans provideas illi hac prima vice de aliqua persona idonea ordinem eumdem professa, quae sciat et possit salubriter gubernare, praeficiendo eam in abbatissam monasterii praelibati, eique munus benedictionis impendas, ac ibidem personas aliquas cupientes sub eodem ordine Domino famulari, de quibus expedire videris, recipi facias in monachas et sorores; contradictores autem, et rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, iure dioecesani episcopi in dicto monasterio semper relicto. Datum Laterani, nonis novembris, anno primo.

4. Revocat ad se controversiam inter regulares Mendicantes et clerum saecularem Meten. civitatis exortam ob constitutionem Bonifatii VIII « Super cathedram ». [8]

1303, novembris 6, Laterani.

Dilectis filiis .. abbati monasterii sancti Mansueti extra muros Tullen. [9] *et archidiacono maioris ac .. decano sancti Gengulphi Tullen. ecclesiarum.*

Dudum fel. record. Bonifatius papa VIII praedecessor noster cupiens discordiam, quae inter praelatos et rectores seu sacerdotes et clericos

---

[1] Iuxta praedecessorum Benedicti XI statuta alibi iam exhibita. Cfr. huius op. t. I, p. 4, 12, 13, 14, 53 etc.

[2] Ex hoc intelligas, Ravelli eo tempore coenobium ordinis Min. nondum excitatum fuisse, quod tamen non multo post inibi extructum esse liquet e « provinciali » ordinis fratrum Minorum anno circiter 1340 conscripto, quod nuper (1892) denuo edidimus. — Hoc in loco fama et miraculorum splendore clarus obiit die 26 Octobris 1711 *Bonaventura a Potentia* O. Min. s. Francisci Conventualium sacerdos professus, quem Pius VI beatorum albo recensuit.

[3] Reg. Vat. t. 51, f. 4, ep. 11 (p. 15, n. 11), apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Ben. XI n. 2.

[4] Guidoni ex comitibus Langaschiis.

[5] *Pavia*, quae civitas (alias dicta Ticinen. a fluvio huius nominis, a quo alluitur) est episcopalis Insubriae olim soli Romano pontifici subiecta, nunc sub archiep. Mediolanen.

[6] Alias Fissiraga, quem *Waddingus* l. c. ad an. 1288, n. 8, etiam fratribus Minor. coenobium ait construxisse eo anno, nempe vel novum a fundamentis excitasse vel vetus auxisse; nam domus ipsa diu ante extabat, ut ipsemet *Waddingus* fatetur et litterae Innocentii IV in huius op. t. I relatae demonstrant.

[7] Laudum, alias Laus Pompeia, Italis *Lodi*, colonia et urbs episcopalis Insubriae sub archiepiscopo Mediolanensi.

[8] Reg. Vat. t. 51, f. 7, ep. 21 (p. 25, n. 21), apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Ben. XI n. 3 et in Bull. O. Praed. t. 2, p. 715.

[9] *Toul*, sedes episcopalis in Lotharingia, olim sub archiepiscopo Treviren. nunc cum Nancyen. unita et suffrag. Bisuntin.

parochialium ecclesiarum ex una parte, et Praedicatorum et Minorum ordinum fratres ex altera super praedicationibus fidelium populis faciendis, audiendis eorum confessionibus, poenitentiis iniungendis eisdem et tumulandis defunctorum corporibus, qui eligunt apud fratrum ipsorum loca vel ecclesias sepulturam, prorsus evellere, quamdam super his constitutionem [1] edidit, in qua ubi, quando et quomodo liceat eisdem fratribus praedicare, huiusmodi confessiones audire, poenitentias iniungere, qualiter etiam ipsi fratres liberam habeant sepulturam, et de quarta obventionum per eos eisdem parochialibus sacerdotibus et ecclesiarum rectoribus seu curatis integraliter exhibenda, plenius continetur. Nuper vero ex parte dilectorum filiorum prioris et fratrum Praedicatorum ac guardiani fratrum Minorum Meten. [2] fuit expositum coram nobis, quod, cum idem praedecessor super observatione dictae constitutionis ad instantiam rectorum seu curatorum, presbyterorum et clericorum parochialium ecclesiarum Meten. civitatis et dioecesis suas vobis certi tenoris litteras [3] direxisset, vos eisdem priori et guardiano et fratribus Meten. plura gravamina contra iustitiam intulistis, propter quae ex parte ipsorum ad sedem fuit apostolicam appellatum. Verum vos appellationi non deferentes huiusmodi vices vestras in hac parte dilectis filiis Iofrido cancellario, Ioanni praecentori et magistro Petro de Vinea canonico ecclesiae Metensis commisistis; qui talis commissionis praetextu priorem, guardianum et fratres Meten. praedictos multipliciter contra iustitiam aggravantes, appellatione praedicta contempta, diversas in eos excommunicationum et interdicti sententias pro eorum voluntatis libito promulgarunt. Cum autem super his omnibus ex parte dictorum prioris, guardiani et fratrum Meten. ad nos habitus sit recursus, nos quieti partium providere ac obviare scandalis, quae praemissorum occasione dicuntur in illis partibus exoriri, salubriter intendentes, ac propterea potestatem vobis in eisdem litteris traditam totumque negotium ad examen apostolicum revocantes, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus super his ulterius per vos vel alium seu alios procedere nullatenus praesumatis, quin potius eisdem subdelegatis vestris inhibere curetis, ne se de his quomodolibet intromittant; nos enim nihilominus ex nunc irritum decernimus et inane, si secus super hoc a quoquam contigerit attentari. Omnes vero sententias latas et processus habitos super his per vos vel subdelegatos eosdem omnemque ipsorum sententiarum et processuum effectum suspendimus usque ad apostolicae sedis beneplacitum voluntatis. Datum Laterani, VIII idus novembris, [4] pontificatus nostri anno primo.

5. Comitissae Drocensi indulget, ut claustra monasteriorum Cisterciensis, Carthusiensis ac s. Clarae ordinum in diversis regni Franciae dioecesibus constitutorum cum duabus honestis matronis bis in anno devotionis causa intrare valeat. [5]

1303, novembris 7, Laterani.

Nobili mulieri Beatrici comitissae Drocensi. [6]

Ex tuae magnitudinis meritis *etc.* Dat. Laterani, VII idus novembris, anno primo.

6. Archiepiscopo Maguntino mandat, ut consecret ecclesiam Clarissarum Clarendalen. [7]

1303, novembris 16, Laterani.

Venerabili fratri [8] *archiepiscopo Maguntin.*

Petitio carissimae in Christo filiae nostrae [9] reginae illustris, relictae clarae memoriae A. [10] regis Romanorum, nobis exhibita continebat, quod, licet olim iidem rex et regina de salute propria cogitantes monasterium monialium de Clarendale [11] ordinis sanctae Clarae tuae dioecesis, tua super hoc obtenta licentia, construxerint et dotaverint congruenter, tu tamen ecclesiam ipsius monasterii dedicare sine causa rationabili denegasti et con-

---

[1] *Super cathedram,* relatam ad ann. 1300, t. IV, p. 498.

[2] *Metz,* civ. episcop. olim suffr. Treviren., nunc apostolicae sedi immed. subj.; cfr. huius op. t. II, p. 538, n. 124.

[3] Quibus initium: *Cupientes olim* datas 1303, die 25 ianuarii, et in huius op. t. IV, p. 571, relatas.

[4] Non « IV kal. decembris », sicut *Wadd.* Ann. Min. ad a. 1303, n. 12, exhibet.

[5] Reg. Vat. t. 51, f. 14, ep. 47*b* (p. 56, n. 47*b*).

[6] Coniugi Roberti comitis Drocensis *(Dreux)* et filiae unicae comitis de *Montfort Aumary,* † 9 mart. 1312.

[7] Reg. Vat. t. 51, f. 89, ep. 379 (p. 292, n. 430), apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Ben. XI n. 7.

[8] Gerardo de Eppenstein, qui, cum esset archidiaconus Trevirensis ac canonicus Maguntinus, bis in archiepiscopum Maguntin. in discordia electus, tandem a Nicolao IV anno 1289 post mortem Henrici Minoritae eius antecessoris ad hanc metropolitanam sedem evectus est.

[9] Imaginae, teste *Waddingo* ad hunc an. n. 41, ubi et de hoc Clarissarum monasterio eiusque fundatoribus, et de hac epistola sermo est.

[10] Adolphi comitis Nassoviae, qui in regem Romanorum electus Francofurti anno 1292, die 6 ianuarii, coronatusque Aquisgrani die s. Ioanni Baptistae sacra, cum regnasset annis sex et totidem fere mensibus, in bello, quod ipsum inter ac Albertum Austriacum exarsit, apud pagum *Göllheim* prope Spiram occisus est anno 1298 die 2 iulii.

[11] *Clarenthal* i. e. Valle s. Clarae, loco olim dioecesis Maguntinae nunc Limburgensis, ubi monasterium inchoatum fuit 1296 maii 8 (teste Wernero de Saulheim O. Min., confessario in dicto monasterio, qui anno circiter 1314 de ipsius fundatione tractatum scripsit); litteris Spirae die 16 ian. 1298 datis Adolfus rex Rom. hoc monasterium, quod anno c. 1560 supprimitur, amplis bonis et redditibus ditavit. Cfr. *Kremer,* Orig. Nassov. II, 457; *Schliephake,* Geschichte von Nassau IV, 37.

secrationi huiusmodi per alium faciendae assensum praestare denegas minus iuste, super hoc ab eadem regina humiliter requisitus. [1] Nos igitur volentes, ut tam pium ipsius reginae propositum debitum sortiatur effectum, fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus, si praemissa veritati nitantur, dictam ecclesiam, prout ad tuum spectat officium, ad requisitionem ipsius reginae sine difficultate qualibet consecrare procures: alioqui venerabili fratri nostro archiepiscopo Treveren. [2] nostris damus litteris in mandatis, ut ipse ex tunc auctoritate nostra praedictam ecclesiam studeat dedicare. [3] Datum Laterani, XVI kalendas decembris, [4] pontificatus nostri annò primo.

In eundem modum venerabili fratri .. archiepiscopo Treveren.

Petitio carissimae... Datum ut supra.

7. Alexandrum de Alexandria ord. Min. constituit lectorem theologiae in sacro palatio apostolico seu Lateranen. [5]

1303, novembris 29, Laterani.

Dilecto filio fratri Alexandro Bonino [6] *de Alexandria* [7] *ordinis fratrum Minorum Aquen.* [8] *dioecesis.*

Dum foecunditatem scientiae litteralis praesertim facultatis theologiae, eloquentiae venustatem, gravitatem morum, aliaque dona virtutum, quibus personam tuam Dominus illustravit, attendimus, dignum arbitramur et congruum, ut illa te favorabiliter gratia honoremus, ad quam idoneus comprobaris ob tuorum exigentiam meritorum. Cum itaque tu ab olim studio dictae facultatis insistens sic profeceris per Dei gratiam laudabiliter in eadem, quod Parisiis librum sententiarum [9] legisti solemniter ac in scholis magistrorum facultatis praedictae arguendo et respondendo frequenter te idoneum comprobasti ad conscendendum cathedram magistralem: nos, praemissis debita consideratione pensatis, te ad hoc idoneum reputantes, de fratrum nostrorum consilio licentiam docendi, legendi, disputandi et determinandi Parisiis et ubique locorum tibi auctoritate apostolica in eadem concessimus facultatem; tuque postmodum de mandato nostro sub dilecto filio nostro G. [10] tituli sancti Martini in montibus presbytero cardinali in aula nostri palatii Lateranen. [11] in facultate praedicta solemniter incepisti, [12] praestitis a te in manibus eiusdem cardinalis (pro nobis et ecclesia Romana recipientis) corporaliter iuramentis, quae in universitate Parisien. solemniter incipientes in facultate praedicta soliti sunt praestare. Nulli ergo *etc.* Datum Laterani, III kal. decembris, pontificatus nostri anno primo.

8. Revocat excommunicationum et interdicti sententias ab episcopo Firmano et quodam eius delegato promulgatas in fratres ordinum Praed. et Min. Esculanae dioec., inter quos ex una parte et clerum parochialem dictae dioec. ex altera gravis vertebatur discordia de observanda Bonifatii VIII constitutione « Super cathedram ». [13]

1303, novembris 30, Laterani.

Ven. fratri .. episcopo Firmano.

Dudum fel. rec. Bonifatius papa VIII *etc.* Datum Laterani, II kal. decembris, anno primo.

9. Controversias inter fratres Praedicatores et Minores de suorum conventuum distantia exortas dirimit et diremptas confirmat. [14]

1303, decembris 5, Laterani.

Dilectis filiis prioribus provincialibus caeterisque fratribus Praedicatorum, ac generali et provincialibus ministris caeterisque fratribus Minorum ordinum.

Licet ea, quae de mandato sedis apostolicae fiunt, plenam obtineant firmitatem, nos tamen illis aliquando apostolicae confirmationis robur adiicimus, ut magis illibata persistant, cum nostro fuerint praesidio communita. Petitio siquidem vestra nobis exhibita continebat, quod olim inter vos Praedicatorum ex una parte vosque Minorum ordinum fratres ex altera super nonnullis locis vestris et cannarum distantiis [15] quaestionibus, litibus et discordiis pluribus in diversis mundi partibus non

---

[1] Anno enim 1298 Maguntinus archiepiscopus una cum electoribus Brandeburgensi et Saxone Adolphum deposuerunt et Albertum Austriacum ei subrogarunt.

[2] Diethero O. Praed., fratri praedicti Adolphi Rom. regis.

[3] Vide infra in fine huius bullae.

[4] Non « februarii », sicut *Wadd.* l. c. exhibet.

[5] Reg. Vat. t. 51, f. 10, ep. 33 (p. 41 n. 33 et *Denifle-Chatelain*, Chart. Univ. Paris. t. II, p. 105, n. 639), cuius autographum in archivo conv. s. Franc. Alexandriae Statiellorum asservabatur.

[6] Qui demum anno 1313 ad supremam ordinis praefecturam evectus, post annum unum nonnullosque menses suos dies complevit.

[7] Statiellorum in Liguria.

[8] Cui tunc episcopatus Alexandrin. unitus erat.

[9] In quem commentarios composuit, de quibus aliisque eius scriptis egit *Sbaralea* in supplem. ad *Waddingi* Scriptores ord. Min. p. 10 n. LVI.

[10] Gentili de Monte Florum ordinis Min. anno 1300 creato.

[11] Innocentius enim IV (c. *Cum de diversis* n. 6, lib. 5, tit. 7 De privil. c. 2) constituit Romae studium seu gymnasium penes sedem apostolicam.

[12] Successit in hoc munere Guilelmo de Gainesborough anno 1302 ad Vigornien. episcopatum promoto.

[13] Reg. Vat. t. 51, f. 17, ep. 57 (p. 64, n. 57); cfr. *Wadd.* Ann. Min. ad a. 1303, n. 32, et supra n. 4.

[14] Reg. Vat. t. 51, f. 209, ep. 62 de curia (p. 707, n. 1165), apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Ben. XI n. 5.

[15] De quibus in Clem. IV constitutionibus *Ad consequendam* a. 1265 et *Quia plerumque* a. 1268 editis (Bull. Franc. III, 58 et 159).

absque gravi fidelium scandalo insurgentibus, quarum aliquae coram nonnullis Romanae ecclesiae cardinalibus aliisque iudicibus, conservatoribus, [delegatis] eorumque subdelegatis pendebant, et in eorum aliquibus nonnulli habiti erant processus lataeque sententiae et appellationes hinc inde etiam interiectae, fel. rec. Bonifatius papa VIII praedecessor noster bo. me. M. [1] episcopo Portuensi nobisque tunc tituli sanctae Sabinae presbytero cardinali omnes lites et causas huiusmodi tunc exortas, et quae possent inter vos occasione huiusmodi exoriri, iudicio vel compositione amicabili decidendas commisit oraculo vivae vocis; nosque ac idem episcopus in his auctoritate commissionis huiusmodi procedentes per viam amicabilis compositionis statuendum duximus et etiam ordinandum, ut in his causis et negotiis, quae inter vos nondum decisa vel definita essent per amicabilem compositionem vel iudicialem sententiam, quae in rem transisset iudicatam, quibuscumque privilegiis de cannis a sede memorata vobis concessis et quibusvis aliis sententiis latis, processibus super hoc habitis, aut appellationibus interiectis nequaquam obstantibus, utraque pars ecclesias et loca vestra, sicut de primo tenebatis et inhabitabatis, sic teneatis in antea et habitetis libere in eisdem. Verum quia huiusmodi statutum et ordinatio propter varias occupationes ac propter absentiam dicti episcopi se de mandato praedecessoris ipsius ad partes alias transferentis [2] non fuerunt effectum sortita, idem praedecessor postmodum nobis tunc episcopo Ostien. ac dilecto filio nostro G. [3] tituli sancti Martini in montibus presbytero cardinali omnes lites, causas et negotia huiusmodi commisit modo simili decernenda; nosque ac idem cardinalis statutum seu ordinationem praedicta mandavimus perpetuis futuris temporibus observari ac nihilominus de voluntate procuratorum utriusque partis ordinavimus atque statuimus, quod, si aliqui ex vobis ecclesias vel oratoria sua ex tunc ampliare vel construere vellent, hoc eis quoad omnem plagam liceat, illa dumtaxat excepta, quae respicit locum ordinis alterius, versus quam constructio vel ampliatio nulla fiat, nisi forsan ultra duodecim cannarum spatium ab eorum ecclesiis mensurandarum per aëra, etiam ubi alias secundum locorum dispositionem et aedificiorum regularium legem construi vel aedificari non posset; sed sicut stabatis antea, privilegiis et de cannarum spatiis vel quibusvis processibus nequaquam obstantibus, ita ubilibet persisteretis. Per hoc autem noluimus impedire, quin vobis invicem de cannarum spatiis, si velletis, gratiam possetis facere ampliorem, prout in patentibus litteris inde confectis, nostro quo tunc utebamur dictique cardinalis sigillis munitis, haec omnia seriosius continentur. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, statuta et ordinationes huiusmodi provide ac rite facta rata et grata habentes, ea auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus, tenorem dictarum litterarum praesentibus inseri facientes, qui talis est. « Miseratione divina « frater Nicolaus Ostien. et Velletren. episcopus, « et frater Gentilis tituli sancti Martini in montibus presbyter cardinalis, universis iudicibus, conservatoribus, delegatis et subdelegatis ab eis, a « sede apostolica deputatis seu in antea deputandis, « salutem in Domino sempiternam. Caelestis agri« colae mira benignitas sacros Praedicatorum et « Minorum fratrum ordines pro salute fidelium in « horto plantavit ecclesiae, qui velut agri virtu« tum fructiferi, superni roris benedictione perfusi, « dono Domini cultores habent industrios, viros « beatae vitae producunt ac eis in ecclesia univer« sali ad divini nominis laudem et gloriam fide« liumque salutem fructus succrescunt uberes et « salubres. Propterea nos ad eorum, quantum cum « Deo possumus, intendentes augmentum, efficax « studium libenter impendimus et diligentem solli« citudinem adhibemus, ut iidem ordines, sopitis « discordiis, in sincerae dilectionis fervore persi« stant et in gratia perseverent solidae caritatis. « Sane quia ex eo, quod inter huiusmodi fratres « Praedicatorum et Minorum ordinum, quos omni« modam [sequi] decet sanctitatem et pacem, in « diversis mundi provinciis super ipsorum ordinum « locis et cannarum distantiis coram nonnullis eccle« siae Romanae cardinalibus et aliis etiam diversis « iudicibus, conservatoribus, delegatis et subdele« gatis ab iis, non absque fidelium gravi scandalo « plurimorum, quaestiones insurgebant variae, et « nonnulli super illis habiti processus lataeque sen« tentiae, ac etiam hinc inde appellationes erant « ad sedem apostolicam interiectae, ipsorum fra« trum famae laudabili derogari quam plurimum « videbatur, sanctissimus pater et dominus noster « dominus Bonifatius papa VIII, velut pius pater « et pacis amator cupiens, ut inter fratres ipso« rum ordinum ad invicem pax et concordia iu« giter vigeat, regnet amor, caritas ferveat et ani« morum identitas perseveret, venerabili patri fratri

---

[1] Matthaeo Aquaspartano ord. Minor. anno 1302 defuncto.

[2] Anno enim 1300 destinatus fuerat sedis apost. legatus in Tusciam totamque Italiam occidentalem ex Bonifatii VIII diplomate *Considerantes attentius* etc. eo anno die 23 maii emisso. Cfr. huius bull. t. IV, p. 503.

[3] Gentili e Monte-Florum ord. Minor. (cf. supra p. 4, n. 10.)

« Matthaeo Portuen. et sanctae Ruffinae episcopo « ac nobis fratri Nicolao praedicto tunc temporis « titulo sanctae Sabinae presbytero cardinali omnes « causas, lites, controversias et quaestiones huius- « modi, quae ad invicem inter fratres ipsorum or- « dinum vertebantur seu verti usque nunc poterant « et oriri, anno pontificatus sui quinto, kalendis au- « gusti, [1] decidendas iudicio seu amicabili compo- « sitione terminandas commisit oraculo vivae vo- « cis; et huiusmodi commissione reverenter recepta « super his causis et negotiis, quae nondum de- « cisa seu definita iudiciali sententia dignosceban- « tur, a qua appellatum non fuerat, et ubi alias « negotium non dignoscebatur amicabili fuisse com- « positione sopitum, auctoritate commissionis huius- « modi diligenti collatione praehabita processimus « et statuimus per viam compositionis amicabilis « et ordinavimus, quod dicti fratres Praedicatorum « et Minorum ordinum, ubicumque videlicet, sicut « praemittitur, negotium fuisse decisum non digno- « scebatur, ita quod iam in rem transivisse iudi- « catam dignosceretur, sicuti tenebant et inhabi- « tabant ecclesias, monasteria et loca quaelibet « ante tempus quaestionum ac processuum, appel- « lationum et commissionum huiusmodi, sic et in « antea in perpetuum libere teneant, stent, inha- « bitent, celebrentque divina: quibuscumque privi- « legiis de centum quadraginta cannis [2] fratribus « ordinum praedictorum sive de trecentis cannis [3] « certis locis ordinum eorumdem a sede memorata « concessis et quibusvis processibus (citra defini- « tivas sententias nulla appellatione suspensas, et « quae iam in rem transivisse iudicatam digno- « scebantur) ac appellationibus et hinc inde pro- « positis et probatis et aliis praemissorum occa- « sione secutis nequaquam obstantibus, ac si ea « lata, habita, interposita et proposita et appro- « bata a principio non fuissent. — Verum quia id, « quod sicut praemittitur super praemissis et sin- « gulis statutum et ordinatum fuerat auctoritate « praedicta, propter varias occupationes nec non « et absentiam praedicti patris Portuen. et sanctae « Ruffinae episcopi, quem idem dominus noster « Bonifatius papa VIII extra Romanam curiam ex « certis causis legatum sedis apostolicae duxit post- « modum destinandum, remanserat incompletum, « tandem praefatus dominus noster papa Bonifa- « tius, quieti et paci fratrum ipsorum ordinum vo- « lens paterna sollicitudine providere, nobis fratri « Nicolao Ostiensi et Velletren. episcopo et fratri « Gentili tituli sancti Martini in Montibus presby- « tero cardinali praedictis (ipso Portuen. episcopo « in legatione huiusmodi absente) mox omnes cau- « sas, lites, quaestiones, controversias et negotia « huiusmodi eadem auctoritate oraculo vivae vocis « commisit modo simili terminanda. Qui huiusmodi « commissione reverenter recepta super praemissis « causis et negotiis omnibus auctoritate commissio- « nis praefatae processimus eoque modo, quo supra « narratur prius ordinatum fuisse, amicabili compo- « sitione terminavimus et terminamus et, supradi- « ctam ordinationem sive compositionem et termina- « tionem et compositionis eiusdem sive ordinationis « et terminationis modum et formam ratam habentes « et approbantes, eam innovavimus et etiam inno- « vamus et adhaerentes eidem a fratribus ipsorum « ordinum propter bonum pacis, quod exinde utri- « que ordini provenire conspeximus, per omnia te- « neri et observari perpetuo eadem auctoritate « statuimus et ordinavimus atque decrevimus omni « impedimento cessante. Statuimus insuper et or- « dinavimus auctoritate, qua supra, et de voluntate « procuratorum ordinum praedictorum, quod si « forte aliqui ex fratribus antedictis ecclesias vel « ipsorum oratoria ex tunc ampliare vel construere « voluerint, quod hoc eis quoad omnem plagam li- « ceat excepta illa parte, quae directe respicit lo- « cum alterius ordinis eorumdem fratrum, versus « quam partem constructio vel ampliatio oratorii « vel ecclesiae nulla fiat, nisi forsan ultra [4] duode- « cim cannarum spatium [ab eorum ecclesiis men- « surandarum per aëra, etiam] ubi alias secundum « locum dispositionem et aedificiorum regularium « legem construi vel aedificari non posset; sed sicut « stabant ante tempus processuum et appellationum « ac commissionum huiusmodi, privilegiis de can- « narum spatiis et quibusvis processibus nequa- « quam obstantibus, ita stabunt ubilibet fratres « ordinum praedictorum. Per hoc tamen non in- « tendimus impedire, quin fratres ipsi sibi ad invi- « cem de cannarum spatiis, si voluerint, gratiam fa- « cere valeant ampliorem. In cuius rei testimonium « praesentes litteras fecimus sigillorum nostrorum « appensione muniri. Datum Anagniae anno Do- « mini MCCC, die XXVIII mensis iulii, pontificatus « dicti domini Bonifatii papae VIII anno sexto. » Nulli ergo etc. Datum Laterani, nonis decembris, [5] pontificatus nostri anno primo.

---

[1] Anno 1299 die 1 augusti.

[2] Iuxta cit. Clementis IV constitutionem *Quia plerumque.* Cfr. huius op. t. III, p. 158, et t. V, p. 4, not. 15.

[3] Ex praedicti Clementis bulla *Ad consequendam.* Cf. l. c. p. 58.

[4] *In registro legitur minus recte, ut videtur:* per.

[5] Non « ianuarii », sicut exhibet *Wadd.* l. c.

10. Iniungit archiepiscopo infra nominato, ut supra scriptam ordinationem de distantia conventuum fratrum ord. Praed. et Min. faciat firmiter observari. [1]

1303, decembris 5, Laterani.

Venerabili fratri .. [2] archiepiscopo Burdegalensi.

Petitio dilectorum filiorum *etc.* Dat. ut supra.

11. Monasterio Clarissarum de Gordiano unit ecclesiam s. Donati ipsi vicinam et exemtionem concedit. [3]

1303, decembris 12, Laterani.

Dilectis in Christo filiabus .. abbatissae et conventui monasterii de Gordiano ordinis sanctae Clarae Valven. dioecesis. [4]

Sacrae religionis honestas, sub qua virtutum Domino servitis, exposcit, ut apostolica sedes vos et monasterium vestrum illâ gratiâ favorabiliter prosequatur, quae vestris fore conspicitur necessitatibus opportuna. Cum itaque, sicut dilectus filius noster Iacobus de Gordiano [5] poenitentiarius noster, fundator dicti monasterii, [6] nobis exposuit, facultates vestrae sint adeo tenues et exiles, quod non potestis ex eis congrue sustentari, nos volentes vobis de alicuius subventionis remedio providere, dicti poenitentiarii supplicationibus inclinati, ruralem ecclesiam sancti Donati prope monasterium praedictum Valven. dioecesis, cui cura non imminet animarum, subiectam prioratui sancti Liberatoris de Maiella Theatin. dioecesis ad monasterium Cassinen. spectanti, in qua vos et nullus alius ius patronatus habetis et in qua rectoris institutio ad praepositum vel priorem dicti prioratus, qui est pro tempore, pertinet, de qua etiam prior vel praepositus antedictus ac conventus dicti prioratus certum censum valoris duorum florenorum auri vel circa consueverunt percipere annuatim, cum iuribus et pertinentiis suis vobis et per vos dicto monasterio in usus proprios auctoritate apostolica deputamus, nihil iuris in ea venerabili fratri nostro .. episcopo Valven., priori vel praeposito, conventui, monasterio et prioratui supradictis quomodolibet reservando, quin potius ecclesiam ipsam a iurisdictione et potestate ac dominio episcopi, praepositi vel prioris et conventus praedictorum ac abbatis et conventus dicti monasterii Cassinen. prorsus eximimus et ab omni iure, quod ipsi episcopus, monasterium vel prioratus, prior vel prepositus, abbas et conventus haberent in ea, penitus liberamus; vobis auctoritate praedicta nihilominus concedentes, ut cedente vel decedente dilecto filio Nicolao rectore dictae ecclesiae libere possitis eiusdem ecclesiae possessionem apprehendere eamque in usus retinere praedictos, cuiusquam assensu minime requisito; ac decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super hoc a quoquam contigerit attentari: proviso, quod in eadem ecclesia faciatis per aliquem presbyterum in divinis officiis deserviri. Nulli ergo etc. Si quis autem etc. Datum Laterani, II idus decembris, [7] pontificatus nostri anno primo.

In e. m. magistro de Mediolano archidiacono Pergamensi, capellano nostro, ac .. praeposito et .. thesaurario [necnon Thomasio] de Gordiano canonico Valven. [8]

12. Leonardo ep. Albanen. committit, ut Bertrando Maustini canonico monasterii beatae Mariae prope muros civ. Carpentoratensis [9] ord. s. Aug. per priorem soliti gubernari (qui per .. praepositum ecclesiae Carpentoraten. et .. guardianum fratrum ord. Min. de Montiliis [10] dictae dioecesis ipsius monasterii et prioratus sanctae Mariae de Paternis eiusdem ord. et dioec. ad dictum monasterium spectantis et gubernari per ipsius monasterii canonicos consueti praetextu cuiusdam facultatis prior est institutus, sed nunc conscientiam se asserit remordere praesertim ex eo, quod guardianus praedictus potestatem huiusmodi de sui superioris licentia non receperat), libera praedicti prioratus de Paternis ab ipso resignatione recepta, prioratum ipsum eidem de novo conferat et assignet. [11]

1303, decembris 18, Laterani.

Venerabili fratri Leonardo episcopo Albanen. [12]

Exposita nobis dilecti filii Beltrandi Maustini etc. Dat. Laterani, XV kalendas ianuarii, pontificatus nostri anno primo.

---

[1] Reg. Vat. t. 51, f. 210, ep. 63 de curia (p. 711, n. 1166), cfr. *Wadd.* Ann. Min. suppl. ad a. 1304, n. I.

[2] Bertrando de Gouth, qui a. 1305 ad summi pont. apicem exaltatur nomine Clementis V.

[3] Reg. Vat. t. 51, f. 33, ep. 130 (p. 117, n. 139), apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Ben. XI, n. 6.

[4] In ulteriori Aprutio, nunc Sulmonensi cathedrae unitae unique Romano pontifici subiectae.

[5] Ordinis Minorum, ut supplere est e Bonifatii VIII bulla *Inter ceteras* anno 1302 die 17 iunii exarata. Cfr. huius op. t. IV, p. 552, n. 233.

[6] Tempus tamen fundationis et pontificia permissio nos adhuc latent.

[7] Non « ianuarii », sicut legitur apud *Wadd.* l. c. et ad a. 1304, n. 41.

[8] Tamquam rei executoribus.

[9] *Carpentras*, qui episcopatus 1818 unitus est Avinionensi.

[10] *Montellier* in custodia Avinionensi provinciae Provinciae secundum morem ord. min.

[11] Reg. Vat. t. 51, f. 128, ep. 549 (p. 419, n. 661).

[12] Qui a. 1297 ab eccl. Mothonen. ad Aversan. et a. 1299 ab hac eccl. ad Capuan., a. denique 1300 ad Albanen. translatus est et ideo, sicut plerumque fit (etiam in huius op. t. IV, p. 496), confundi cum illo Leonardo, qui a. 1290 ex can. Alatrin. in ipsius eccl. episc. promotus et a. 1295 ad Aesin. translatus est, quam retinebat usque ad vitae suae terminum a. 1312, minime debet.

13. Revocat nonnulla per Bonifatium VIII et ordinis Min. cardinalem protectorem in monasterio infra nominato constituta. [1]

1303, decembris 23, Laterani.

Dilectis in Christo filiabus Ioannae abbatissae et conventui monasterii sancti Silvestri in capite de Urbe [2] *ordinis Minorum sororum inclusarum.*

Dudum [3] fel. record. Bonifatius papa VIII praedecessor noster auctoritate apostolica statuit, [4] ut in monasterio vestro, in quo ordo sororum Minorum inclusarum servatur et tunc etiam salubriter servabatur, ex tunc ordo seu regula sanctae Clarae a piae memoriae Urbano papa IV praedecessore nostro edita [5] servaretur, et quod abbatissa, sorores et conversi, quos et quas post statutum huiusmodi in ipso monasterio contingeret profiteri, profiterentur regulam supradictam ac secundum eam perpetuo vivere tenerentur, quodque praelibatum monasterium esset et diceretur dicti ordinis sanctae Clarae; praecipiens nihilominus, quod personae illae tunc in monasterio ipso degentes et in eo dictum ordinem sororum Minorum inclusarum [6] professae, quae profiteri nollent regulam praelibatam, deberent in aliis monasteriis ipsius ordinis, quem professae fuerant, collocari. Decrevit quoque idem praedecessor, ut dilectus filius noster Matthaeus [7] sanctae Mariae in porticu diaconus cardinalis, qui est et tunc erat gubernator, ac ceteri Romanae ecclesiae cardinales, qui essent pro tempore gubernatores, protectores et correctores aliorum monasteriorum eiusdem ordinis sanctae Clarae ac ordinis fratrum Minorum, essent de cetero gubernatores, protectores et correctores praelibati monasterii vestri, personarum atque bonorum ipsius, et in praefato monasterio, personis et bonis eius potestatem haberent, sicut in aliis monasteriis praefati ordinis sanctae Clarae. Denuo autem huiusmodi statuti praetextu tam per cardinalem praefatum quam etiam per dilectum filium Petrum Garlengi canonicum basilicae principis apostolorum de Urbe ex commissione ab eodem cardinali super hoc sibi facta, vobis requisitis et monitis, quod infra certum terminum per illos praefixum vel profiteremini regulam praedictae sanctae aut illam profiteri nolentes clausuram praefati monasterii exirent, ut iuxta tenorem dicti statuti possent in aliis monasteriis vestri ordinis collocari: quia requisitionibus et monitionibus huiusmodi minime paruistis, fuerunt per eosdem cardinalem et canonicum in personas vestras excommunicationis ac in dictum vestrum monasterium interdicti sententiae promulgatae. Quare nobis humiliter supplicastis, ut, cum ex statuto praedicto, quod sine aliqua causa rationabili editum fuisse asseritis, et processibus ac sententiis praelibatis inde secutis gravium turbationum et dolorum sitis aculeo sauciatae ac circa regularem observantiam, quae in monasterio ipso vigere solebat, nimium in derogationem cultus divini nominis impeditae, ac nonnulla bona dicti monasterii occasione praefati statuti occupata existant et damna plurima vobis et eidem monasterio irrogata, et alias vos et monasterium ipsum sustinueritis in spiritualibus et temporalibus non modica detrimenta, providere in hac parte vobis et dicto monasterio de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur praemissis et aliis, quae circa ea consideranda erant, diligenter pensatis, intendentes vobis de illius providentiae remedio subvenire, per quod vos et monasterium ipsum a praedictis gravaminibus et dispendiis relevari, ad salubrem et tranquillum statum reduci et in eo utiliter conservari possitis – vobis primitus per dilectum filium nostrum Gentilem [8] tituli sancti Martini in montibus presbyterum cardinalem de mandato nostro beneficio absolutionis a vinculo excommunicationis iuxta ecclesiae formam impenso ac interdicti huiusmodi sententia relaxata – praedictum statutum ac omnes processus et sententias, et quaecumque alia contra vos vel praedictum monasterium secuta sunt ex ipso statuto vel ob id, auctoritate apostolica revocamus, cassamus et irritamus et omnino carere viribus nuntiantes vosque ad observationem ipsorum aliquatenus non teneri. Volumus quoque, ut bonorum temporalium monasterii vestri, quae occasione dicti statuti vel alias de mandato eiusdem praedecessoris Bonifatii adempta fuerant, necnon fructuum et reddituum medio tempore perceptorum ex eis vobis restitutio plena fiat. Nulli ergo *etc.* Datum Laterani, X kalendas ianuarii, [9] pontificatus nostri anno primo.

In e. m. (mutatis mutandis) venerabili fratri Iohanni [10] *episcopo Portuen.*

Dudum *etc. usque* restitutio plena fiat. Quo-

[1] Reg. Vat. t. 51, f. 61 ep. 238 (p. 209, n. 272), apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Ben. XI, n. 4. Cfr. infra n. 336 et t. III, p. 544.

[2] De quo loco cfr. annotationem ad bullam Honorii IV *Ascendit fumus* t. III, p. 544, huius Bull. relatam.

[3] Anno 1298, nonis aprilis.

[4] Constitutione incip. *Ad apicem apostolicae* (cfr. t. IV, p. 468).

[5] Anno 1263 die 18 octobr. incip. *Beata Clara virtute clarens.* Cfr. l. c. t. III, p. 509.

[6] Ita quoque vocari petierunt et obtinuerunt sanctimoniales monasterii « Humilitatis b. Mariae » prope Parisios anno 1263 die 27 iulii ex diplomate eiusdem Urbani IV incip. *Religionis augmentum.*

[7] Rubeus Ursinus Romanus, de quo alias haud semel egimus.

[8] Ex ordine Minorum, anno 1300 creatum, de quo pluries.

[9] Non « III nonas ianuarii », sicut exhibet *Wadd.* l. c.

[10] De Muro Vallium, olim ministro generali ord. Min.

circa fraternitati tuae praesentium auctoritate committimus et mandamus, quatinus huiusmodi bona temporalia dicti monasterii praefatis abbatissae et conventui, quae occasione dicti statuti vel alias de mandato eiusdem praedecessoris B[onifatii] eis adempta fuerant, nec non fructus et redditus medio tempore perceptos ex eis dictis abbatissae et conventui ac eidem monasterio plene restitui faciens, de fructibus, redditibus et proventibus dicti monasterii, qui a praefatis officialibus seu aliis percipi potuerunt, nec non et de pretio eorumdem ac de expensis factis pro recollectione et conservatione ipsorum fructuum et salario officialium, ab eisdem officialibus seu quibusvis aliis per te vel alium seu alios exactam exigas rationem, et quicquid supererit, dictis abbatissae et conventui facias assignari in utilitatem dicti monasterii convertendum, quitatione et reservatione facta per dictas abbatissam et conventum de hiis, quae ab eis de mandato tuo recipi contigerit de praedictis: contradictores *etc.* Dat. Laterani, X kalendas ianuarii, anno primo. [1]

14. Mandat infradictis, ut, si electionem de fratre Ventura Pauli in abbatem monasterii s. Mariae de Alfiolo ord. s. Ben. dioec. Eugubin. canonice celebratam invenerint, illam auctoritate apostolica confirment, alioquin ipsa rite cassata ad aliam electionem a monachis dicti monasterii procedi faciant. [2]

1304, ianuarii 2, Laterani.

Dilectis filiis .. priori Praedicatorum et .. guardiano Minorum fratrum ordinum Eugubin. [3]

De universis orbis ecclesiis et monasteriis *etc.* Dat. Laterani, IV nonas ianuarii, anno primo.

15. Non obstantibus quibuscumque processibus ab inquisitoribus ord. Min. peractis vel peragendis concedit atque confirmat fratribus ord. Praed. locum Clugiensem ex illa constructum pecunia, quam in hunc finem in sua ultima voluntate disposuit Dianus Veronensis. [4]

1304, ianuarii 28, Laterani.

Dilectis filiis .. priori et conventui fratrum ordinis Praedicatorum de Clugia. [5]

Vota vestra favore benevolo proseqnentes illam vobis gratiam libenter impendimus, per quam turbationis et scandali tollatur materia et status vestri tranquillitas procuretur. Ex parte siquidem vestra fuit propositum coram nobis, quod pro eo, quod locus vester de Clugia constructus extitit de quadam pecuniae summa, quam olim Dyanus natione Veronensis, habitator terrae Venetiarum Castellan. dioecesis, pro alicuius constructione loci ordinis vestri praedicti legasse dicitur in sua ultima voluntate, inquisitor seu inquisitores haereticae pravitatis de ordine fratrum Minorum in dictis terris Venetiarum et Clugiae ac illis partibus auctoritate apostolica deputati, asserentes post obitum Dyani praefati fuisse sibi suggestum, Dyanum ipsum fuisse dum viveret pravitatis eiusdem labe respersum, ac super hoc inquirentes, postquam Dyanum praefatum sub praetextu pravitatis haereticae condemnaverunt, bona eius omnia confiscando vos super eodem loco vestro pro sua voluntate multipliciter molestarunt, licet postmodum a molestiae processu destiterint, pro eo quod huiusmodi inquisitionis officium fuit tunc in partibus illius fratribus dicti ordinis Minorum certis ex causis per sedem apostolicam interdictum [6]. Nos igitur ..... praefatum locum cum omnibus iuribus et pertinentiis suis (quibuscumque processibus aut sententiis inquisitoris seu inquisitorum praedictorum vel alterius cuiuscumque, praeteritis seu futuris, praedicta occasione habitis seu latis nequaquam obstantibus) vobis vestrisque successoribus auctoritate apostostolica concedimus, et in posterum confirmamus *etc.* Datum Laterani, V kalendas februarii, pontificatus nostri anno primo.

16. Nicolao episcopo Ostiensi, suo in provinciis Tusciae, Romaniolae et marchiae Tervisinae legato, indulget, 1. ut valeat assumere et retinere ad propria obsequia quotcumque et quoscumque voluerit de fratribus Praed. ac Min. ordinum; 2. ut ipsis et aliorum ordinum fratribus ad se vocatis iniungere possit, quodcumque persecutioni officii

---

[1] Reg. Vat. t. 51, f. 65, ep. 253 (p. 216, n. 289), cfr. *Wadd.* Ann. min. ad a. 1304, n. 45.

[2] Reg. Vat. t. 51, f. 32, ep. 121 (p. 111, n. 130).

[3] De minoritico Eugubino coenobio cfr. huius op. t. II, p. 275 et t. IV, p. 5, 230, 243.

[4] Reg. Vat. t. 51, f. 127, ep. 548 (p. 417, n. 659).

[5] Seu de Fossa Clodia, incolis *Chioggia*, prope Venetias.

[6] Ob causas, quas singillatim per capita enumerat Bonifatius VIII in epist. *Etsi excessus* anno 1302 die 12 iunii data. Cf. huius op. t. IV, p. 553, n. 234, et p. 551, n. 232. Dubitare igitur licet, utrum inquisitores haereticae pravitatis in Paduana et Vicentina civitatibus et dioecesibus constituti, quos Benedictus XI litteris « Gravem dilectorum » d. d. 11 martis (V idus martii, non V kal. maii) a. 1304 monet, « ut officium suum in illis partibus taliter studeant exercere, quod ad sedem apostolicam occasione processuum ab ipsis factorum clamor ulterius non ascendat », inter ipsos fratres Minores tum debuerint numerari annon. *Antonius Melissanus de Macro* quidem eos ipsis fratribus Minoribus adscripsisse videtur; nam in suppl. II ad *Waddingi* Ann. Min. a. 1304 istas litteras refert. Sed idem scriptor ibi etiam ponit alias Benedicti XI litteras die 2 martii 1304 directas ad inquisitores Lombardiae, qui sane fratres Praedicatores erant. Cfr. Reg. Vat. t. 51, f. 87, ep. 370 et f. 104, ep. 439 (p. 280, n. 420 et p. 340, n. 509).

sui viderit expedire; 3. ut iisdem dare possit licentiam equitandi et vescendi cibariis quibuscunque. [1]

1304, ianuarii 31, Laterani.

Venerabili fratri nostro N[icolao] episcopo Ostiensi, apostolicae sedis legato.

Cum te *etc.* Dat. Laterani, II kal. februarii, anno primo.

17. Religiosis infra nominatis mandat, ut, si Iohannem de Organis monachum electum in abbatem monasterii ss. Gorgonii et Viti ord. s. Ben. dioec. Pisan. idoneum invenerint ad eiusdem coenobii regimen exercendum, ipsius electionem confirment, alioquin dicto monasterio personam aliam praeficiant, cui per aliquem catholicum antistitem faciant munus benedictionis impendi. [2]

1304, februarii 1, Laterani.

.. Abbati monasterii s. Michaelis de Burgo Pisano [3] et .. priori Praed. ac .. guardiano Min. fratrum ordinum Pisan.

Debitum officii nostri requirit *etc.* Dat. Laterani, kalendis februarii, anno primo.

18. Plebano plebis de Massa mandat, ut abbatissae et conventui monasterii de Gattaiola ord. s. Clarae, dioecesis Lucan., et Guilelmo Opizonis de Luca clerico diem dicat, ut compareant coram sede apostolica, super possessione hospitalis prope castrum Ficechi a b. m. Rufino archiepiscopo Mediolan. fundati, causam acturi. [4]

1304, februarii 4, Laterani.

Dilecto filio .. plebano plebis de Massa del Cozile Lucan. dioec.

Petitio dilectorum filiorum .. prioris et .. lectoris ordinis fratrum Praedicatorum Lucanorum ac .. rectoris hospitalis de Altopassu Lucanae diocesis, executorum testamenti quondam Rufini archiepiscopi Mediolanensis,[5] nobis exhibita continebat, quod idem archiepiscopus dum viveret quoddam hospitale de bonis ad eum ratione personae suae spectantibus prope castrum Ficechi [6] dictae diocesis construxit pariter et dotavit, in eo pauperes et infirmos recipi faciendo; et demum, condito testamento per manus dictorum executorum, in hospitali praedicto huiusmodi pauperes et infirmos recipi ac hospitalitatem servari mandavit. Et licet tam dictus archiepiscopus adhuc vivens quam praedicti executores dictum hospitale tenuerint et in eo hospitalitatem huiusmodi aliquandiu servaverint pacifice et quiete, tamen .. abbatissa et conventus monasterii de Gattaiola ordinis sanctae Clarae, dictae diocesis, eosdem executores possessione dicti hospitalis et omnium bonorum eius contra iustitiam spoliari fecerunt per potentiam saecularem, dictumque hospitale Guillelmo nato Opizonis de Luca clerico de facto, cum de iure non possent, pro suae voluntatis libito contulerunt, qui praetextu collationis huiusmodi praedictum hospitale et omnia iura ipsius occupavit et adhuc ea detinet occupata; propter quod pia ipsius testatoris intentio defraudatur. Quare iidem executores nobis humiliter supplicarunt, ut eis super hiis apud sedem apostolicam faceremus exhibere iustitiae complementum.

Nos itaque negotium pauperorum et infirmorum cordi gerentes ac volentes, ut apud sedem praedictam finem debitum sortiatur, dilectum filium magistrum Symonem de Marvilla, thesaurarium ecclesiae Metensis, capellanum nostrum ac palatii nostri auditorem causarum, super hiis (quamquam negotium huiusmodi per appellationem non sit ad sedem apostolicam devolutum nec de sui natura apud sedem ipsam tractari debeat vel etiam terminari) concessimus partibus auditorem.

Quocirca discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatinus easdem abbatissam et conventum ac dictum Guillelmum et omnes alios, qui sua crediderint interesse, per te vel per alium aut alios ex parte nostra peremptorie citare procures, ut infra unius mensis spatium post citationem huiusmodi cum omnibus actis, iuribus et munimentis suis negotium ipsum contingentibus per se vel per procuratores ydoneos compareant, coram nobis facturi et recepturi super praemissis, quod ordo dictaverit rationis. Diem vero huiusmodi citationis et formam, et quidquid super hiis duxeris faciendum, nobis per tuas litteras harum seriem continentes studeas fideliter intimare. Dat. Laterani, II nonas februarii, anno primo.

19. Cardinali episcopo Ostien. mandat, ut de bonis Loterii Bonamici a fr. Angelo de Aretio ord. Min. in Tuscia inquisitore confiscatis varieque distractis sollicite inquirat et referat. [7]

1304, februarii 18, Laterani.

Venerabili fratri N[icolao] episcopo Ostiensi.

Eam gerimus de tua circumspectione fiduciam, quod ea, quae tibi committuntur a nobis, tam prudenter quam fideliter exsequaris. Cum itaque, sicut nuper ad nostrum pervenit auditum, dilectus filius frater Angelus de Aretio ordinis Minorum, tunc inquisitor haereticae pravitatis in Pisana provincia

[1] Reg. Vat. t. 51, f. 213 et 214, ep. 88, 90 et 94 de curia (p. 733-736, nn. 1192, 1194, 1198). Has et similes facultates singulis apostolicae sedis legatis concessas esse nemo ignorat, quare eas non amplius recensemus.

[2] Reg. Vat. t. 51, f. 110 ep. 472 (p. 367 n. 559).

[3] Ord. Camaldulen.

[4] Ex autographo in archivo status Lucan. asservato publicavit *Grandjean* in reg. Ben. XI p. 816 n. 1301.

[5] A Bonifatio VIII die 31 aug. 1295 promoti et octo vel novem mensibus post iam mortui.

[6] *Fucecchio* Pisas inter et Florentiam.

[7] Reg. Vat. t. 51, f. 67, ep. 263 (p. 223, n. 299).

deputatus, contra quemdam Loterium Bonamici civem Pisanum, qui dicebatur eadem pravitate fuisse respersus, post obitum inquirens ipsius memoriam suam huiusmodi occasione damnavit, bona sua Romanae ecclesiae confiscando, [1] de quibus quidem bonis aliqua per eumdem inquisitorem donata et alia pro modico pretio vendita certis personis, quaedam vero penes aliquos mercatores et nonnulla penes personas alias [deposita] fore dicuntur. Nos ad huiusmodi recuperationem bonorum diligentius intendentes, fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus super bonis iam dictis, ubi et penes quos fuerint, de quantitate ipsorum auctoritate nostra diligenter inquirens, quae super hiis inveneris, nobis fideliter referre procures *etc.* Datum Laterani, idibus februarii, pontificatus nostri anno primo.

20. Bonifatii VIII constitutionem « Super cathedram » revocat et eam, quae sequitur, ipsi substituit. [2]

1304, februarii 17, Laterani.

Ad perpetuam rei memoriam.

Inter cunctas sollicitudines nostras, quibus nos pastorale premit officium et debitum apostolicae servitutis astringit, illa debet esse praecipua, ut gregi Dominico nobis superna dispensatione commisso animarum cura non desit, nec illum lupus rapax antiquus serpens humani generis inimicus invadet, eiusque sanguis de nostris, quod absit, id clamante propheta, manibus requiratur. Debemus insuper, quantum nobis ex alto permittitur, pacem inserere, removere scandala, iurgiorum amputare materiam et « intelligere super pauperem et egenum », quia « non in finem oblivio erit pauperis et patientia pauperum non peribit finem ». [3] — Sane dudum bonae memoriae Bonifatius papa VIII praedecessor noster quamdam specialem inter praelatos, rectores seu sacerdotes et clericos parochialium ecclesiarum ex parte una, et Praedicatorum et Minorum ordinum fratres ex altera super faciendarum praedicationem, audiendarum confessionum per eosdem fratres ac de eis relictis et de funeralibus canonicae portionis articulis constitutionem [4] edidit, certum iis modum imponens, prout in eadem constitutione plenius continetur. Sed pro quam intendebat quiete turbatio nata est, pro concordia sunt suborta dissidia [5], et pullulatae inquietudines pro tranquillitate nascuntur: sicque, dum ansam solvisse se credidit, nodum ligasse videtur et septem uno hydrae amputato capite suscitasse. Nec mirum, quia plerumque pariunt novitates discordiam, praesertim dum ab eo, quod diu aequum visum est, per novam constitutionem receditur; nec, quare recedatur, utilitas evidens vel alia causa subest. — Ideoque cupientes, ut ipsi gregi cura nostra eo plenior impendatur, quo amplior in agro Domini operariorum numerus operetur, super egenum intendentes et pauperem, ac novitatem removentes per eamdem constitutionem inductam, statuimus de fratrum nostrorum consilio, ut ipsorum ordinum fratres, qui ad hoc deputati fuerint, in ecclesiis et locis eorum, quae in praesentiarum habent et in posterum obtinebunt, ac in plateis communibus seu publicis libere absque dioecesanorum et aliorum praelatorum petita licentia valeant clero et populo praedicare eisque proponere verbum Dei. Caveant tamen omnino, ne hora, in qua dioecesani praedicti praedicarent vel coram se facerent praedicari, praedicent iidem fratres; putamus etenim dignum, ut maiori minor et superiori inferior deferat in hac parte; nisi forsan aliud circa hoc facerent de voluntate dioecesanorum ipsorum aut in studiis generalibus diebus illis dumtaxat, quibus sermones ad clerum fieri solent et solemniter praedicari, sive mortuorum funeribus vel eorumdem fratrum festis specialibus seu particularibus, quia his in casibus cum dioecesanis in praedicatione concurrere poterunt, praedicarent. Ubi vero iidem dioecesani convocarent generaliter ad se clerum aut aliqua ratione vel urgente causa illum ducerent congregandum, ea hora in studiis memoratis diebus supradictis fratres ab huiusmodi praedicatione cessabunt. In ecclesiis autem parochialibus fratres ipsi invitis earum rectoribus seu sacerdotibus, nisi iussi a superioribus earumdem, non audeant praedicare. — Sed quia multoties propositum verbum Dei audientem a peccato non retrahit, idcirco post peccatum necessarium est poenitentiae sacramentum, circa quod, nisi articulus necessitatis occurrat, oris sacerdoti facienda confessio, prout scriptum est: « corde ad iustitiam creditur, ore autem fit confessio ad salutem », [6] exigitur; alias frustra esset in sacramento eodem sacerdotis, qui inter lepram et lepram debet discernere, ministerium institutum. Electi igitur ab eisdem fratribus ad audiendas confessiones et poenitentias iniungendas libere auctoritate apostolica absque dioecesanorum vel aliorum praelatorum inferiorum exemptorum et non exemptorum, quibus subsunt,

---

[1] Hac de re extat et epistola Bonifatii VIII, cui initium *Nuper ad aures*, data die 11 maii 1297 et exhibita in huius Bullarii tomo IV, pag. 437.

[2] Reg. Vat. t. 51, f. 210, ep. 67 de curia (p. 714, n. 1170), apud *Wadd.* l. c. ad a. 1304 supplem. 1.

[3] Ps. 40, 2 et 9, 19.

[4] Incipientem *Super cathedram*, quae inter Bonifatii VIII epistolas in huius op. t. IV, p. 498, exhibita fuit sub n. 179.

[5] Ut liquet e nonnullis ipsius Bonifatii litteris t. IV relatis.

[6] Rom. 20, 10.

qui ad confitendum accedunt, audiant eis peccata sua confiteri volentes (non religiosos, qui secundum statuta suorum ordinum [1] propriis praelatis confiteri debent aut ab eis, ne confiteantur aliis, prohibentur), absolvant ipsisque poenitentiam salutarem iniungant infra sibi designatos terminos ad huiusmodi exercendum officium constitutos. Excommunicationis vero vel alias sententias per praelatos latas contra hoc vel in eius fraudem denunciamus irritas et inanes. Nec confessi ipsis fratribus peccata illa, de quibus confessi sunt eis et absoluti, poenitentes de illis sacerdotibus propriis teneantur, sicut et non tenentur, iterum confiteri: non obstante constitutione generalis concilii, [2] quae sano intellectu (ne sequatur absurdum, quod per poenitentiam dimissa peccata quis confiteri debeat et quod liberatus debitor adhuc ad solvendum maneat obligatus) intelligenda est, ut ex ea patet, de illis, qui sua peccata legitime confiteri aliis neglexerunt; sed sacerdotes ipsi taliter confessis et absolutis adstricti sint ministrare eucharistiae et extremae unctionis etiam sacramentum. Super confessione autem facta fratribus memoratis, cum hic de confitentis solius praeiudicio, si falsum dicat, agatur, in iudicio animae suae seu poenitentiali foro stabitur simplici verbo illius, qui sacramenta petit praedicta et dicit dictis fratribus se confessum. Duos tantum casus excipimus: si sacerdos asserat eum excommunicatum aut notorie peccatorem; sed videat, ne id dicat mendaciter aut in dolum vel fraudem, quia, si hoc egerit, a delicto tali, nisi plene satisfecerit, praeterquam in morte, absolvi nequeat neque de illo ad poenitentiam aliter admittatur. — Ut autem dioecesanis honor debitus reservetur, praecipimus, ut provinciales priores Praedicatorum et ministri Minorum ordinum praefatorum per se vel alios, verbo vel scripto, eis significent, se fratres ad huiusmodi confessionum audiendarum et poenitentiarum iniungendarum officium elegisse; et non nominando aut coram ipsis sistendo eos, nec illorum numerum exprimendo, petant humiliter a dioecesanis eisdem, quod iidem electi fratres de ipsorum beneplacito et licentia dictum possint in eorum civitatibus et dioecesibus infra eis determinatos fines officium exercere. Quod si denegent vel infra triduum non concedant, ex tunc iidem fratres nihilominus auctoritate eadem huiusmodi officium exequantur. Datam vero licentiam per dioecesanorum mortem nolumus terminari. — Per haec autem non intendimus, quod saepe dicti fratres, qui ad hoc eliguntur officium exercendum, plus habeant in audiendis confessionibus et poenitentiis iniungendis, quam parochiales sacerdotes noscuntur habere: sicque de casibus episcopis et superioribus, quos inferius adnotamus, ac sedi apostolicae reservatis se nullatenus intromittent. Observent ergo sollicite dicti fratres, ne ad confessionem recipiant criminosos criminibus, pro quibus esset solemnis poenitentia [3] indicenda; modo eodem excommunicatos respuant et clericos, qui propter delictum irregularitatem aliquam incurrerunt. Inconveniens etenim existimamus, ut a peccato absolvat, qui poenitentiam ei debitam imponere aut irregularitatis poenam (peccati sequelam) vel excommunicationem, quae infligitur maxime a iure quandoque pro crimine, quaeve ab ecclesia et per consequens a participatione sacramentorum ecclesiasticorum excludit, removere non potest. Incendiarios etiam eosque, qui tam enormibus sunt irretiti peccatis, quod ea rationabilis consuetudo praescripta canonice in episcopatibus aliquibus reservavit episcopis, similiter non admittant: quam consuetudinem ex causa, quae iuste ad id animum nostrum movet, solummodo circa voluntarie homicidas, falsarios, ecclesiarum immunitatis et libertatis ecclesiasticae violatores et sortilegos approbamus. Quod si forsan, antequam ab eo, qui potestatem habet, absolvi possint, mors talium confiteri volentium verosimiliter timeatur, etiam in praedictis casibus saepefati fratres eis confiteri volentes audiant ipsisque beneficium absolutionis impendant; sed subeant iuramentum, quod liberati se suis episcopis et excommunicatoribus praesentabunt, excommunicantium super iis, pro quibus ab eis excommunicati erant, et episcoporum pro peccato huiusmodi parituri mandatis. — Verum, quia post baptismum inter cetera magis [propitia fore noscitur] ad salutem propositio verbi Dei, quo audientes illud, quae est victoria nostra, instruuntur in fide, docentur fugienda fugere et sectanda sectari, ac quo per peccatum lapsi resurgunt et poenitentiae sacramentum perficitur: grandis nobis sollicitudo incumbit, ut tales ad hoc promoveantur fratres, qui oleo dulcedinis verbi eiusdem nostros foveant subditos, a peccatis prohibeant, increpationis vino peccatorum suorum mordeant vulnera, eosque ad illa poenitentiae acrimonia purgandum et tergendum provocent et inducant. Ad id vero exequendum scientia huius legis exposcitur, desideratur ordo, et vitae integritas etiam postulatur. Scriptum est enim: « Tu scientiam repulisti, et ego te repellam, ne

[1] Ex bulla Alexandri IV incip. *Cum magister* anno 1255 die 22 februarii edita pro ordine Praedicatorum aliisque religiosis.

[2] Lateranensis IV, a. 1215 coacti, cap. 21: *Omnis utriusque sexus fidelis.*

[3] Haec antiquissima solemnis poenitentia saeculo XIV adhuc in usu aliquo erat, ut ex script. de sacramentis veterique disciplina eccles. apparet.

sacerdotio fungaris mihi »;[1] quia « labia sacerdotis custodiunt scientiam et legem exquirunt de ore eius »;[2] alias, prout ad eum pertinet, inter peccatum et peccatum non posset discernere, nec peccator existens Dei deberet « narrare iustitias et testamentum illius assumere per os suum »;[3] nam cuius vita despicitur, consequens est, ut eius praedicatio contemnatur. Quare decernimus, ut magister et minister generales ac priores et ministri provinciales Praedicatorum et Minorum ordinum praefatorum vel eorum vicarii de discretorum consilio ad tam salubre officium fratres divina scientia doctos, discretione vigentes, vita probatos et expertos moribus (alioquin districtam reddent in futuro examine rationem) eligant et assumant: sic enim, quod praedicabunt, facient, quae arguent, operari cessabunt, et in eis aedificabitur populus verbo pariter et exemplo. — Ceterum, licet, sicut praedicitur, de necessitate non sit iterum eadem confiteri peccata, tamen (quia propter erubescentiam, quae magna est poenitentiae pars, ut eorumdem peccatorum iteretur confessio, reputamus salubre) districte iniungimus, ut fratres ipsis confitentes attente moneant et in suis praedicationibus exhortentur, quod suis sacerdotibus saltem semel confiteantur in anno, asserendo id ad animarum profectum procul dubio pertinere. — Porro ut circa sepulturam apud loca eorumdem fratrum eligentium sepeliri et portionem canonicam de relictis eisdem fratribus minime detrahendam nequeat in posterum dubitari, iubemus, ut corpora defunctorum, qui apud eos elegerunt, dum viverent, sepulturam, processionaliter cum cruce, thuribulo et aqua benedicta, cantando seu legendo officium mortuorum vel psalmos, et alienas ingrediendo parochias, possint assumere et ad suas deferre ecclesias tumulanda. De quibuscumque vero relictis praefatis fratribus in communi vel singulis in ultimis decedentium voluntatibus, sive apud eos sepeliendi sint sive alibi, nulla per parochiales sacerdotes morientium, a qua fratres ipsos liberos esse volumus, canonica portio, et multo minus per episcopos episcopalis quarta,[4] cum eis tamquam exempti non subsint, nec etiam debita iure parochiae, si forsan cathedralis defunctorum esset parochialis ecclesia, detrahatur. De funeralibus autem medietatem, si commode divisionem recipiant, alias eiusdem medietatis aestimationem solvant parochiali ecclesiae et sacerdotibus antedictis: funeralia vero intelliguntur hoc casu, quae cum funere deferuntur. De candelis tamen, quas fratres portant, portio non petatur. Moneant autem iidem fratres et pro posse inducant confitentes sibi, ut de propriis bonis suis parochialibus ecclesiis earumque sacerdotibus competenter relinquant, et quae eis debent parochialia iura reddant. — Ad haec non murmuret, quaesumus, saecularis clerus, non gerant moleste praelati, quod circa praemissa sic duximus providendum; attendant, quanta ex eis, quae in primis duobus articulis statuta sunt, salus animarum proveniat; advertant, quanta tollantur iurgia, et prudenter considerent, quod eorum onera cum aliis nostro beneficio salubriter et quasi necessario partiuntur. Circa tertium vero articulum diligenter intelligant, quod fratres ipsi haec per privilegia Romanorum pontificum eis benigne concessa ante constitutionem eamdem hactenus habuerint, quodque sunt pauperes nihil habentes singuli nec in communi[5] rustica praedia, imo nec urbana vel mobilia: eorum alter vel etiam universi mendicant victum, quaerunt vestitum et eatenus subsistere possunt, quatenus vel vivorum pietas aut morientium caritas his necessaria subministrat. Quis ergo non misereatur eorum, qui omnia voluntarie huiusmodi etiam reliquerunt? Quis non compatiatur eisdem operantibus tam utiliter in agro praedicto? Certe nullus, nisi qui « triturantis bovis os impie alligare » velit, aut eos subtractis alimentis necare. Inopes patrimonii onera ipsa non habendi necessitate non sustinent, et a curialibus res ecclesiis vel piis locis donatas a quartae praestatione seu lucrativorum inscriptionibus lex facit immunes: relicta pauperibus non patiuntur falcidiam[6]; et legata ad fabricam vel pro ornamentis ecclesiae aut ad divinum cultum perpetuum solutioni non subiacent canonicae portionis. Pauperes autem, ut dictum est, sunt fratres; et quod eis relinquitur, aut in sua alimenta erogant aut in fabricam sive in cultum divinum et ecclesiae ornamenta convertunt: propter quae nos, qui debemus « intelligere super egenum, et pauperem »[7] et non oblivisci eorum (cum humanitatis sit etiam saecularis prin-

---

[1] Osee 4, 6.

[2] Malach. 2, 7.

[3] Psal. 49, 16.

[4] Hanc solam, sed omnino solvendam sanxit Bonifatius VIII.

[5] Utique: nam dominum bonorum illorum, ex quorum fructibus fratres tum Minores cum Praedicatores alebantur, non penes ipsos, sed vel penes Romanam residebat ecclesiam, vel penes alios, quibus onus incumbebat aliquid fratribus praedictis suppeditandi. Hoc pacto isti non bonorum dominio potiebantur, sed simplici dumtaxat usu, non quidem iuris, sed facti tantum, quod idem est ac neque in particulari neque in communi quidquam possidere. Hinc sapientissime s. Bonaventura in tract. apolog. qu. 9: *Haec est vera et pura vita mendicorum: quod detur, ex gratia recipere, non ex iure.*

[6] Ab auctore Falcidio plebis tribuno tempore Augusti Caes. latam, qua legatis modum praescripsit eaque amputavit, quando ut minimum quarta bonorum pars non superest haeredibus.

[7] Psal. 40, 2.

cipis prospicere egenis et dare operam, ut pauperibus alimenta non desint) non tam pie quam quodammodo iuste in eodem articulo egimus eosdem (ut praemittitur) reddendo fratres ab onere canonicae portionis exemptos. — Haec autem, dicta constitutione, quae incipit « *Super cathedram* », quam penitus revocamus, [1] aliisque quibuscumque constitutionibus specialibus et generalibus, statutis, privilegiis, indulgentiis sub quacumque forma verborum concessis, etiam si de ipsis de verbo ad verbum vel aliquorum nominibus in nostris litteris oporteret fieri mentionem, conventionibus, pactis, iuramentis, sententiis et consuetudinibus contrariis nequaquam obstantibus, inviolabiliter observari sancimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, denunciationis, exemptionis, praeceptorum, approbationis, iussionis, voluntatis, revocationis et sanctionis infringere vel ei ausu temerario contraire: si quis autem *etc.* Datum Laterani, XIII kalendas martii, pontificatus nostri anno primo.

21. Monasterio Clarissarum Taurinen. iubet uniri ecclesiam s. Benedicti dicto loco vicinam. [2]

1304, februarii 20, Laterani.

Venerabili fratri episcopo Asten. [3] *et dilectis filiis praeposito de Cherio* [4] *Taurinen. dioecesis et primicerio Taurinen.*

Iniunctae nobis debitum servitutis exposcit, ut de personis ecclesiasticis, religiosis praecipue, sollicite cogitantes providere curemus necessitatibus eorum, ut eo devotius quo liberius valeant suum Domino studere famulatum. Cum itaque abbatissa et conventus monasterii sancti Francisci Taurinen. [5] ordinis sanctae Clarae, sicut ex parte ipsarum venerabilis frater noster P[apinianus] episcopus Parmen., sanctae Romanae ecclesiae vicecancellarius, exposuit coram nobis, adeo tenues habeant facultates, quod ex eis nequeant commode sustentari: nos eisdem .. abbatissae et conventui paterno in hac parte compatientes affectu ac volentes eis propter hoc et obtentu dicti episcopi, qui pro ipsis nostram gratiam suppliciter imploravit, de alicuius subventionis remedio providere, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios ecclesiam ruralem sancti Benedicti sitam prope Taurinum monasterio praedicto vicinam, dummodo ad id dilectorum filiorum praepositi et capituli ecclesiae sancti Bernardi de monte Iovis [6] ordinis sancti Augustini Augusten. [7] dioecesis, qui eam ad se asserunt pertinere, accedat assensus, cum iuribus et pertinentiis suis in usus proprios concedere et assignare curetis, ita quod cedente vel decedente rectore, qui nunc est, ipsius ecclesiae ruralis, vel alio quovis modo ea vacante, possint eadem abbatissa et conventus ruralis ecclesiae iurium et pertinentiarum praedictarum possessionem apprehendere et in usus retinere praedictos pro earum necessitatibus relevandis, cuiusquam assensu minime requisito et nihil iuris in ea venerabili fratri nostro episcopo et episcopatui Taurinen. seu dictis praeposito et capitulo vel cuique alii reservato, facientes eas pacifica illorum possessione gaudere. Non obstante *etc.* Datum Laterani, X kalendas martii, pontificatus nostri anno primo.

22. Iohanni cardinali episcopo Portuen. mandat, ut moneat rectores et congregationem fraternitatis s. Francisci de Urbeveteri, ut quandam domum cum horto, quam habent iuxta locum fratrum ord. Praed. civitatis eiusdem, ipsis fratribus vendant pro pretio competenti. [8]

1304, februarii 23, Laterani.

Venerabili fratri .. [9] *episcopo Portuen.*

Ex parte dilectorum filiorum .. prioris et conventus fratrum ordinis Praedicatorum Urbevetanorum *etc.* Dat. Laterani, VII kalendas martii, anno primo.

23. Fernando Garsiae ord. Min. indulget, ut natalium defectu non obstante ad sui ordinis dignitates assumi queat. [10]

1304, februarii 26, Laterani.

Dilecto filio fratri Fernando Garsiae de Calataiubio [11] *ordinis fratrum Minorum Tirasonensis* [12] *dioecesis.*

Testimonio tibi suffragante laudabili, quod a Domino gratiam consecutus geniturae maculam, quam ex prohibita parentum copula contraxisti de soluto genitus et soluta, probitate morum ab-

---

[1] Clemens vero V et post cum alii summi pontifices hanc Benedicti constitutionem revocarunt et illam Bonifatii praevalere voluerunt.

[2] Reg. Vat. t. 51, f. 215 ep. 107 de curia (p. 744, n. 1211), apud *Wadd.* l. c. in reg. pont. Ben. XI, n. 8.

[3] *Asti* in Liguria sub archiep. olim Mediolan. nunc Taurin.

[4] *Chieri,* 6 mil. pass. ab urbe Taurini distante.

[5] Cuius origo, tempus, fundatores ignorantur.

[6] Montis *s. Bernardi maioris* in limite Valesiae, ubi Alpes Graiae separantur a Penninis.

[7] *Aosta,* in provincia olim Tarentasien. nunc Taurinen.

[8] Reg. Vat. t. 51 f. 170 ep. 742^a (p. 562 n. 940).

[9] Ioanni Minio de Muro Vallium olim ministro generali fratrum ord. Min.

[10] Reg. Vat. t. 51, f. 78, ep. 323 (p. 256, n. 364).

[11] Non « Calatambio »; quod oppidum sonat in lingua vernacula « *Calatayud* », ubi erat conventus fratrum Minorum (custodiae Valentiae in provincia Aragoniae), sicut liquet e « provinciali » ord. Min. anno c. 1340 compilato.

[12] *Tarazona,* quae est civitas episcopalis Aragoniae.

stergis, dignum duximus, ut a te illegitimitatis notam plenitudo apostolicae potestatis aboleat, quam sicut accepimus claris virtutibus recompensas. Propter hoc igitur et obtentu dilecti filii nobilis viri Roberti [1] ducis Calabriae, nobis pro te in hac parte sua precamina destinantis, tecum, ut eodem non obstante defectu ad omnia officia, administrationes et praelaturas tui dumtaxat ordinis assumi licite valeas, auctoritate apostolica dispensamus. [2] Nulli ergo *etc.* Datum Laterani, V kalendas martii, pontificatus nostri anno primo,

24. Volens habere in promptu illas sexcentas libras Ianuensium vel circa, quas qu. Henricus Compagnoni parochianus ecclesiae s. Sabinae Ianuen. ecclesiae Romanae legatas penes Nicolaum David civem et mercatorem Ianuen. reliquit, religiosis infra nominatis tamquam executoribus testamenti ipsius mandat, quatinus eandem pecuniam Bonacurso Bonincontri et eius sociis, mercatoribus Florentinis de societate circulorum, apostolicae camerae mercatoribus, integraliter assignent. [3]

1304, februarii 28, Laterani.

.. *Priori [ecclesiae] s. Sabinae et fratri Henrico Amonnis ordinis fratrum Minorum Ianuen.*

Cum sicut accepimus *etc.* Dat. Laterani, III kalendas [4] martii, anno primo.

25. Episcopo Fundano mandat, ut contra molestatores fratrum Minorum conventus s. Germani terrae Casinen. censura procedat. [5]

1304, februarii 28, Laterani.

Venerabili fratri [Leoni] episcopo Fundano. [6]

Conquestus est nobis Ioannes Petri Castagnole civis Fundanus, procurator in hac parte auctoritate apostolica constitutus dilectorum filiorum guardiani et fratrum conventus ordinis fratrorum Minorum de sancto Germano [7] terrae monasterii Cassinensis, quod Nicolaus Boni, Iacobus Rogadei primicerii, Petrus Toccarellus, Benedictus de Banera, et Petrus Nicolai de Sergio clerici de dicto loco de sancto Germano in fratres Antonium de Sora, Ioannem Caynum de Albeto, Petrum de Gallinano, Franciscum de Pontecurvo dictum Antoxa, Franciscum Ioannis de Sancto Donato et Andream de Rocca Sicca de praedicto conventu manus iniecerint usque ad effusionem sanguinis Dei timore postposito temere violentas. Cum autem dictus conquerens, sicut asserit, potentiam praedictorum laicorum merito perhorrescens eos infra terram praedictam monasterii Cassinensis nequeat convenire secure, fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, dictos sacrilegos tandiu appellatione remota excommunicatos publice nunties et facias ab omnibus arctius evitari, donec super iis satisfecerint competenter et cum tuarum testimonio litterarum ad sedem venerint apostolicam absolvendi. Datum Laterani, III kalendas martii, pontificatus nostri anno primo.

26. Simoni ord. Min., inquisitori, committit, ut, si quos in provincia Rom. ob haereseos crimen aut iniuste aut nimis rigide punitos invenerit, circa eosdem benigne se gerat. [8]

1304, martii 1, Laterani.

Dilecto filio fratri Symoni [9] *inquisitori haereticae pravitatis in provincia Romana.*

Etsi contra haereticos *etc.* Nos igitur de tua circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes, discretioni tuae praesentium tenore committimus, quatenus, si quas personas ecclesiasticas vel mundanas inveneris in Romana provincia tibi decreta occasione criminis haereseos per fratres Angelum de Reate [10] et Angelum de Colleveteri, olim inquisitores pravitatis haereticae in eadem provincia per sedem apostolicam deputatos, iniuste privatos suis beneficiis seu officiis aut nimis rigide punitos secundum tuum iudicium extitisse, tu culpis eorum et poenis propter hoc eis inflictis diligenter pensatis possis auctoritate nostra, prout secundum Deum videris expedire, huiusmodi personas ecclesiasticas ad eorum beneficia et officia ecclesiastica, in quibus vel ad quae aliter ius competat, reliquas vero personas ad officia publica seu actus legitimos nec non ad bona temporalia, quibus per inquisitores praedictos fuerant sic privati et quae inveniuntur extare, restituere, amotis quibuslibet illicitis detentoribus ab eisdem, et contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita cohercere. Datum Laterani, kalendis martii, pontificatus nostri anno primo.

---

[1] Filii Caroli II regis Siciliae ac fratris s. Ludovici episcopi Tolosani, qui patre defuncto 1309 suscepit regni praedicti gubernacula. Cfr. de eo *Wadd.* Ann. min. ad a. 1343, n. 14 et 15. Sine dubio hic Robertus praedictum Fernandum familiarius noverat, dum unacum fratre Ludovico a rege Aragoniae Barchinonae apud fratres Minores tamquam obses quasi septennio detinetur.

[2] Ampliorem dispensationem a Clem. V impetratam vide infra n. 156.

[3] Reg. Vat. t. 51, f. 218, ep. 126 de curia (p. 761, n. 1234).

[4] Non « idus »; cfr. l. c. p. 987, not. 1.

[5] Ex autographo olim asservato in conventu praedicto.

[6] *Fondi* in partibus Neapol. Terracinam inter et Formias.

[7] De quo loco extat Innocentii IV epistola *Sua nobis* anno 1247 die 20 septembr. episcopo Calven. data, ut in huius operis t. I, p. 492; et alia, ibi p. 643.

[8] Reg. Vat. t. 51, f. 96, ep. 411 (p. 313, n. 474).

[9] Qui idem ac Simon Philippi celebris ille s. theol. magister esse videtur, de quo *Wadd.* ad a. 1320 n. 1.

[10] De quo *Wadd.* ad a. 1288, n. 22 et ad a. 1291, n. 14.

27. Religiosis mulieribus infra nominatis sub regula b. Augustini viventibus licentiam concedit ad monasterium s. Clarae prope civitatem Cumanam se transferendi. [1]

1304, martii 4, Laterani.

Dilectis in Christo filiabus Beltrammae, Horaebonae, Baldasarae et Iacobae mulieribus domus de Bucinate prope civitatem Cumanam [2] sub observantia regulae beati Augustini viventibus.

Apostolicae sedis benignitas *etc.* Significavit siquidem nobis venerabilis frater noster .. [3] episcopus Cumanus, quod vos ad frugem melioris vitae ardenti desiderio aspirantes vos cum bonis vestris ad monasterium sanctae Clarae prope civitatem Cumanam ordinis eiusdem sanctae, impensurae una cum .. abbatissa et sororibus ipsius monasterii sub eiusdem professionis voto debitum altissimo famulatum, transferri desiderabiliter affectatis [4]. Quare pro parte dicti episcopi fuit nobis humiliter supplicatum, ut, cum praefatae abbatissa et sorores propter honestatem vestrae conversationis et vitae erga vos affectu ferveant charitatis vosque in praedicto monasterio ad earum consortium libenter admittant, concedere translationem huiusmodi dignaremur. Nos igitur vestrum in hac parte laudabile propositum multipliciter in Domino commendantes, vobis transeundi cum bonis vestris ad praedictum monasterium sanctae Clarae ac ibidem vivendi una cum dictis abbatissa et sororibus secundum eiusdem ordinis instituta, dictisque abbatissae et sororibus vos in eodem monasterio recipiendi in monachas et sorores, plenam concedimus praesentium auctoritate licentiam et liberam facultatem. Non obstantibus *etc.* Datum Laterani, IV nonas martii, pontificatus nostri anno primo.

28. Iohanni Oliverii monacho, qui dudum de ordine fratrum Minorum, quem professus fuerat, ad ordinem s. Benedicti de sui superioris licentia convolavit, quia dignoscitur hactenus laborasse fideliter et adhuc laborare in ecclesiae Romanae negotiis in partibus Anglicanis, indulget, ut in quibuslibet monasteriis ord. s. Ben. ad praelaturas, dignitates seu officia quaecunque licite assumi valeat non obstante illa constitutione Nicolai IV. [5]

1304, martii 4, Laterani.

Fratri Iohanni Oliverii de Parma monacho mon. Leonensis ord. s. Ben. dioec. Brixien.

Porrecta nobis *etc.* Dat. Laterani, IV nonas martii, anno primo.

28ª. Obtentu et consideratione fratris Martini ord. Min., capellani et familiaris I(oannis de Muro Vallium ord. Min.) episcopi Portuen., clerico infra nominato reservat beneficium ecclesiasticum in civitate vel dioecesi Brixien. [6]

1304, martii 5, Laterani.

Dil. filio Bartholomaeo nato Iacobi de Cazago clerico Brixien. dioec.

Laudabilia merita probitatis *etc.* Dat. Laterani, III nonas martii, anno primo.

29. Episcopis infra nominatis mandat, quod compellant episcopum Aquen., qui fratres Minores in eadem civitate constitutos multipliciter molestabatur, ad imponendum finem molestiis huiusmodi. [7]

1304, martii 9, Laterani.

Venerabilibus fratribus .. Lascuren., [8] *.. Ruthenen.* [9] *ac .. Assisinaten.* [10] *episcopis.*

Oblata nobis dilectorum filiorum .. guardiani et conventus ordinis fratrum Minorum Aquen. [11] petitio continebat, quod, dudum inter magnificos principes Francorum et Angliae reges illustres guerrarum discriminibus (peccatis exigentibus) in partibus Vasconiae suscitatis, duces exercitus et officiales praefati regis Franciae in praedicta provincia, asserentes, quod per locum dictorum guardiani et conventus constitutum extra muros civitatis Aquen. provinciae supradictae gravia poterant eidem civitati pericula provenire, locum ipsum destrui fecerunt pro eorum libito voluntatis in eorumdem guardiani et conventus grave dispendium et iacturam. Demum vero, quia memorati duces et officiales reparare vel reaedificare dictos guardianum et conventum praefatum locum nullatenus sustinebant, iidem .. guardianus et conventus, adhuc constitutionis [12] fel. record. Bonifatii papae VIII praedecessoris nostri (quae prohibet, ne aliqui de ordine memorato in civitate, castro, villa seu loco quocumque locum seu domos de novo recipere seu hactenus recepta mutare praesumant absque sedis apostolicae licentia speciali) certam notitiam non habentes, quadam necessitate compulsi infra muros civitatis eiusdem emerunt domos et plateas, in quibus habitationem eis necessaria et oratorium construxerunt. Cumque postmodum praefata constitutio ad venerabilis fratris nostri .. [13] episcopi Aquen. notitiam pervenisset, ipse praefatum oratorium eccle-

---

[1] Reg. Vat. t. 51, f. 142, ep. 614 (p. 473, n. 752).

[2] *Como* in Italia superiori.

[3] Leo Lambertenghi ord. Min.

[4] *Mscr.:* affectantes.

[5] Edita 14 maii 1288 (cfr. supra t. IV, p. 20). Reg. Vat. t. 51, f. 168, ep. 735 (p. 558, n. 929).

[6] Reg. Vat. t. 51, f. 111, ep. 473 (p. 369, n. 560).

[7] Reg. Vat. t. 51, f. 129, ep. 554 (p. 424, n. 666).

[8] *Lescar* in Aquitania sub archiep. Auxitan., cui ecclesiae tunc praefuit Arnaldus d'Arbouze.

[9] *Rodez* in Aquitania in provincia olim Bituricen. nunc Albien., cui eccl. illo tempore praefuit Petrus de Plana Cassagna (Pleine Chassagne) ord. Min.

[10] *Assisi* in Umbria, cui eccl. tunc praefuit Theobaldus ord. Minor.

[11] *Dax (d'Acqs)* in Guasconia (custodiae Baionensis et provinciae Aquitaniae).

[12] Incip. « Cum ex eo quod » a. 1296 datae et in huius op. t. IV, p. 424 relatae.

[13] Arnaldi de Villa.

siastico interdicto subiecit et in omnes officia audientes divina vel sepulturam eligentes ibidem excommunicationis sententiam promulgavit. Quare pro parte praedictorum guardiani et conventus fuit nobis humiliter supplicatum, ut eis, quod in praedictis habitatione et oratorio, ut praedicitur, infra muros civitatis praefatae libere remanere valerent, concedere dignaremur. Nos igitur eorumdem .. guardiani et conventus supplicationibus inclinati ipsis, quod in saepedictis habitatione et oratorio, constitutione praefata aliquatenus non obstante, licite remanere possint, auctoritate litterarum nostrarum duximus indulgendum. Quocirca fraternitati vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel per alium seu alios eumdem episcopum ad revocandum praedictas excommunicationis et interdicti sententias auctoritate nostra, prout iustum fuerit, compellentes, praedictos guardianum et fratres, quin in praedicto loco libere et in pace remaneant, ab aliquibus impediri vel molestari nullatenus permittatis: contradictores autem et rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Datum Laterani, VII [1] idus martii, pontificatus nostri anno primo.

30. Henrico duci Silesiae concedit, ut duo Clarissarum monasteria in sui dominii terris aedificare queat. [2]

1304, martii 18, Laterani.

Dilecto filio nobili viro Henrico, [3] *duci Silesiae et domino Glogoviae.*

Devotorum vota, quae salutis operibus obsecundantur, libenter apostolico favore prosequimur et eis assensum gratiosum et benevolum impertimur. Sane petitio tua nuper exhibita continebat, quod tu de propria salute cogitans et cupiens terrena pro caelestibus et transitoria pro aeternis salubri commercio commutare, duo monasteria ordinis sanctae Clarae in terra tua aedificare proponis de bonis propriis pariter et dotare pro tuae ac parentum tuorum animarum remedio salutari; quare nobis humiliter supplicasti, ut super hoc licentiam tibi concedere dignaremur. Nos itaque in hac parte votis tuis, quae sicut credimus de fonte puritatis emanant, favorabiliter annuentes, tuis supplicationibus inclinati, construendi tuis sumptibus et expensis in terra tuae iurisdictioni subiecta, in locis propriis ad hoc aptis, praedicta duo monasteria (assignatis tamen prius bonis stabilibus, quae sufficiant pro ipsorum monasteriorum dotatione decenti, et locorum dioecesani in huiusmodi monasteriis construendis, postquam constructa fuerint, iuribus semper salvis) liberam tibi concedimus auctoritate praesentium facultatem. [4] Nulli ergo *etc.* Datum Laterani, XV kalendas aprilis, pontificatus nostri anno primo.

31. Fridericum ord. fratr. Min. in archiepiscopum praeficit ecclesiae Rigen. vacanti ex eo, quod, cum per Bonifatium VIII Isarnus archiepiscopus Rigen. ad Lunden. et Ioannes archiepiscopus Lunden. ad Rigen. ecclesias translati essent, hic Rigensis ecclesiae regimen suscipere noluit et sic episcopus nullius ecclesiae remansit. [5]

1304, martii 21, Laterani.

Venerabili fratri Frederico archiepiscopo Rigen.[6]

Dum ad universas orbis ecclesias.... exponuntur. Dudum siquidem fel. rec. Bonifatius Papa VIII.... remedia expectavit. Nos autem ad provisionem ipsius [ecclesiae Rigensis] sollicitis studiis intendentes ac cupientes talem ipsi praeesse pastorem, qui eam sciat et possit salubriter gubernare, post deliberationem, quam super hoc habuimus cum nostris fratribus diligentem, consideratis muneribus gratiarum, quibus personam tuam divina bonitas illustravit, ad te ordinis fratrum Minorum professorem, tunc poenitentiarium nostrum, quem litterarum ornat scientia, morum insignit nobilitas, spiritualium et temporalium providentia pluraque alia virtutum dona commendant, direximus oculos nostrae mentis, quibus omnibus diligenti meditatione pensatis de persona tua, nobis et eisdem fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta, ipsi Rigensi ecclesiae providimus, teque de fratrum praedictorum consilio ecclesiae Rigensi praedictae praefecimus in archiepiscopum et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus committendo, tibique deinde conse-

[1] Non « VI », sicut exhibet *Wadd.* l. c. reg. pont. Ben. XI n. 10.

[2] Reg. Vat. t. 51, fol. 180, ep. 791, (p. 595, n. 994), apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Ben. XI, n. 11.

[3] Dicto « fideli », qui a. 1306 in regem Poloniae in discordia electus est.

[4] Hac auctoritate suffultus dictus dux Henricus in oppido Glogoviae (*Gross-Glogau*) unum monasterium Clarissarum fundavit; litteras, quibus 8 febr. 1307 hanc fundationem sancivit, Henricus episcopus Vratislav. 7 iulii 1307 confirmavit. Num aut ubi alterum monasterium Clarissarum fundaverit, non constat. Existebant quidem duo alia huius ord. monasteria in dioec. Vratislav., Vratislaviense et Strehlense; sed haec prius ab aliis fundata sunt.

[5] Postmodum vero ad eccl. Bremen. translatus est. Reg. Vat. t. 51, f. 116, ep. 502 (p. 385, n. 594).

[6] Iam die 3 martii 1304 eidem Friderico « electo » Rigen. Benedictus XI contrahendi mutuum usque ad summam 2000 fl. auri pro suis et ecclesiae suae expediendis apud sedem apost. negotiis et postmodum sc. die 11 maii 1304 duabus personis idoneis tabellionatus conferendi officium concessit facultatem. Cfr. Reg. Vat. t. 51, ep. 396 et 816 (n. 455 et 1027). Hic Fridericus, qui e nobili genere Moraviensi oriundus esse videtur, strenue gubernabat ecclesiam Rigen., sed propter maximas sibi (praesertim ab ordine Theutonico) illatas iniurias plurimum ab eadem abesse cogebatur, interim in curia Romana tunc Avinione existente moram trahens, ubi etiam e vivis discessit a. 1340.

crationis munus nostris manibus duximus impendendum, ac demum palleum de corpore beati Petri sumptum, insigne videlicet pontificalis officii, a te cum ea qua decuit instantia postulatum, per dilectos filios nostros Matthaeum sanctae Mariae in Porticu, Franciscum sanctae Luciae in Silice, Iacobum sancti Georgii ad Velum aureum et Franciscum sanctae Mariae in Cosmedin diaconos cardinales fecimus exhiberi *etc.* Datum Laterani, XII kalendas aprilis, pontificatus nostri anno primo.

In e. m. praeposito et capitulo ecclesiae Rigen.
In e. m. clero civitatis et dioecesis Rigen.
In e. m. populo civ. et dioec. Rigen.
In e. m. universis vassallis ecclesiae Rigen.
In e. m. universis suffraganeis eccl. Rigen.

32. Episcopos infra nominatos constituit executores et conservatores sui privilegii seu constitutionis *Inter cunctas* pro fratribus Min. provinciae Romanae. [1]

1304, aprilis 2, apud s. Petrum.

Venerabilibus fratribus Reatino et Sutrino ac Viterbien. episcopis.

Super egenum nuper intendentes et pauperem, et dantes operam animarum saluti, quamdam inter praelatos, rectores parochialium ecclesiarum et clerum saecularem ex parte una, et fratres Praedicatorum et Minorum ordinum ex altera, tam super praedicationibus libere ab eisdem fratribus faciendis et audiendis confessionibus eis peccata sua confiteri volentium, quam super canonica portione ac episcopali quarta de relictis ipsis fratribus sive in communi sive eorum singulis minime detrahenda, specialem constitutionem edidimus, prout in eadem constitutione, quae incipit « Inter cunctas », [2] haec et alia plenius et seriosius continentur. Sed quia parum esset iura condere, nisi, qui ea tueatur, existeret: nos, volentes constitutionem praedictam irrefragabiliter observari, fraternitati vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel per alium seu alios fratribus dicti ordinis Minorum provinciae Romanae efficacis defensionis praesidio assistentes ac facientes constitutionem eamdem quoad omnia eius capitula prout iacet firmiter observari, non permittatis contra tenorem ipsius memoratos fratres molestari a praedictis praelatis, rectoribus et clero sive aliis, vel eis gravamina aut iniurias irrogari, facturi ipsis fratribus de illatis eis iniuriis, molestationibus et gravaminibus ac de extorta ab eis canonica portione et quarta episcopali praedictis contra tenorem eumdem (in illis videlicet, quae iudicialem requirunt indaginem, per viam iudicii, in aliis vero, prout qualitas ipsorum exegerit) iustitiae complementum; ita quod officium, potestas et iurisdictio vestra ex nunc perpetuata censeatur: molestatores et iniuriatores huiusmodi nec non contradictores et rebelles, quandocumque et quotiescumque expedierit, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Non obstantibus tam de duabus dietis in concilio generali quam fel. record. Bonifatii papae VIII praedecessoris nostri (quarum prima cavetur, ne quis certis exceptis casibus extra suam civitatem et dioecesim, secunda vero, ne reus alterius dioecesis ultra unam dietam a finibus eiusdem dioecesis ad iudicium evocetur) et aliis quibuscumque constitutionibus a praedecessoribus nostris Romanis pontificibus tam de iudicibus delegatis quam conservatoribus aut aliis editis, quae vestrae possent in hac parte iurisdictioni aut potestati eiusque libero exercitio quomodolibet obviare, seu si aliquibus a sede apostolica sit indultum, quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et quibuslibet aliis indulgentiis, privilegiis et litteris apostolicis quibuscumque et in quacumque forma verborum concessis, per quae praesentibus non expressa vel totaliter non inserta dictae iurisdictionis sive potestatis explicatio possit quomodolibet impediri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum opporteat in nostris litteris fieri mentionem. Eamdem insuper vobis, eisdem modo et forma per omnia, iurisdictionem et potestatem concedimus circa conservationem aliorum privilegiorum, quae iidem fratres a nobis habent vel a Romanis pontificibus hactenus habuerunt. Datum Romae apud sanctum Petrum, IV nonas aprilis, pontificatus nostri anno primo.

In e. m. archiepiscopo Colonien. et Traiecten. ac Leodien. episcopis (pro provincia Coloniensi).

In e. m. Roskilden. et Lincopen. ac Stavangren. episcopis (pro provincia Daciae i. e. Daniae).

In e. m. archiepiscopo Pisan. et Florentin. ac Senen. episcopis (pro provincia Tusciae).

In e. m. archiepiscopo Compostellan. et Ulixbonen. ac Zamoren. episcopis (pro prov. s. Iacobi).

In e. m. Brixinen. et Olomucen. ac Iaurien. episcopis (pro provincia Austriae).

In e. m. archiepiscopo Maguntin. et Bambergen. ac Constantien. episcopis (pro provincia Alemaniae superioris).

[1] Litteris plane eiusdem tenoris iam die 10 martii 1304 fratribus ord. Praed. huiusmodi executores et conservatores constituerat. Cfr. Reg. Vat. t. 51, f. 217, ep. 122 de curia (p. 756, n. 1228; p. 758, n. 1229; p. 822, n. 1313 et 1314); apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Ben. XI n. 9.

[2] Vide supra pag. 11 n. 20.

In e. m. archiepiscopo Magdeburgen. et Hildesemen. ac Misnen. episcopis (pro provincia Saxoniae). [1]

33. Ordinem fratrum Minorum ab omni ordinariorum antistitum iurisdictione eximit et nonnisi Romano pontifici subiacere decernit. [2]

1304, aprilis 2, apud s. Petrum.

Dilectis filiis .. [3] *generali et provincialibus ac universis fratribus ordinis fratrum Minorum.*

Inter ceteros ordines, quos coelestis agricolae summa benignitas in horto plantavit ecclesiae, sacrum vestrum ordinem tam per orbis provincias superna gratia propagante diffusum, dum minori fungeremur officio, sincera charitate dileximus, ad statum eius feliciter promovendum sollicitis studiis intendentes. Nec minuit itaque, sed auxit potius circa ipsum praehabitae dilectionis affectum personae nostrae subsecuta promotio ad apicem apostolicae dignitatis, cum tanto propensius ad ipsius ordinis intendamus augmentum, quanto nobis facultas praestantior, quamquam nostris non exigentibus meritis, noscitur coelitus attributa. Licet igitur nonnulli Romani pontifices [4] praedecessores nostri praefatum ordinem a praelatorum iurisdictione quorumlibet prorsus exemerint ipsumque fore decreverint per ipsorum litteras speciales [5] exemptum, nos tamen, ordinem ipsum ob salutis fructus innumeros, qui ex ipso noscuntur animabus fidelium provenire, gerentes in visceribus charitatis, et propterea nolentes omnino, ut quisquam (cuiuscumque sit ordinis, dignitatis, conditionis aut status) vos generaliter aut specialiter ac praefatum ordinem super exemptione ipsius ac aliis vestri ordinis libertatibus et immunitatibus quibuscumque, sub quavis forma vel expressione verborum vobis et eidem ordini ab apostolica sede concessis, impugnare, turbare ac impetere valeat vel quomodolibet molestare, vos et ordinem ipsum ab omni et singulorum quorumlibet praelatorum et personarum ecclesiasticarum omnimoda potestate et iurisdictione prorsus eximimus de apostolicae plenitudine potestatis, ita quod nec etiam ratione delicti commissi vel initi contractus aut rei sitae, positae vel existentis contra loca vestra exempta possitis coram eis (non obstante constitutione fel. record. Innocentii papae IV [6] praedecessoris nostri in contrarium edita) impeti, molestari seu quomodolibet conveniri; decernentes, vos et ordinem ipsum immediate eidem sedi ac soli tantummodo Romano pontifici subiacere. Ecclesias insuper, oratoria, domos ac loca, quae tenetis et inhabitatis ad praesens ac tenebitis et inhabitabitis in futurum, dum et quoties vos illa tenere et inhabitare contigerit, exempta prorsus existere nulloque medio sedi subesse decernimus praelibatae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae exemptionis et declarationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem *etc.* Datum Romae apud sanctum Petrum, IV nonas aprilis, pontificatus nostri anno primo.

34. Fratrem Bernardum Deliciosi ord. Min. ad se deferri iubet.

1304, aprilis 16, Viterbii.

Dilecto filio ministro fratrum Minorum in provincia Aquitaniae vel eius vices gerenti.

Ea nobis de fratre Bernardo Deliciosi tui ordinis referuntur, quae non intendimus, prout etiam nec debemus, saltem propter exempli perniciem, si veritati nitantur, aliquatenus relinquere incorrecta. Ipse namque, ut accepimus, contra officium inquisitorum haereticae pravitatis illarum partium, tanquam eadem forsitan pravitate respersus, vel contra inquisitores praedictos livoris ardore succensus, non est veritus publice praedicare et eorum pro suo posse officium impedire, concitando fidelium populos contra eos ipsos tam in curia carissimi in Christo filii nostri regis Franciae illustris quam alibi nequiter diffamando et se opponendo processibus eorumdem. Nos autem, praedicto tuo in hac parte ordini deferentes ac nolentes propterea huiusmodi negotium cuiquam extra illum committere, discretioni tuae in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis et privationis officii tibi commissi et inhabilitatis ad omnia alia officia et administrationes obtinenda in ordine supradicto poenis, quas te incurrere volumus ipso facto, si mandatum huiusmodi non duxeris adimplendum, districte praecipiendo mandamus, qua-

---

[1] Dubium non est, quin pro aliis quoque singulis ord. Min. provinciis huiusmodi executores et conservatores constituti sint.

[2] Reg. Vat. t. 51, f. 218, ep. 123 de curia (p. 758, n. 1231). Litteris plane eiusdem tenoris et die 12 martii 1304 datis iam fratres Praedicatores eximuntur. Cfr. *Wadd.* l. c. reg. pont. Ben. XI n. 12. Extant huius bullae quamplurima autographa (unum in archivo status Lucern.) et transumpta eorundem (unum in conventu fr. Min. Herbipolen.).

[3] Ioanni de Muro Vallium a Bonifatio VIII s. R. e. cardinalium collegio aggregato eiusque iussu ordinis regimen usque ad capitulum gen. hoc anno 1304 festo Pentecostes celebrandum retinenti.

[4] Praesertim Nicolaus IV et Bonifatius VIII.

[5] Incip. « Quia nonnulli » Nicolai IV a. 1288, et « Inter ceteros ordines » Bonifatii VIII a. 1295 (Bull. Franc. IV, 17 et 370).

[6] Incip. « Volentes libertatem », cui derogabant iam Alexander IV et alii Romani pontifices, uti apparet ex annotatis ad bullam praefati Alexandri IV incip. *Nec insolitum* d. d. 22 dec. 1255. Cfr. huius op. t. II, p. 3.

tenus praefatum Bernardum caute, ut ipse id praesentire non possit, comprehendere et sub fida custodia, quantum id fieri commode poterit, ad nostram praesentiam destinare procures, ita quod nobis vel camerario nostro personaliter praesentetur, mandatum nostrum in hac parte taliter impleturus, quod non solum poenas praedictas evites, sed de obedientia commendari potius merearis. — Datum Viterbii, decimo sexto kalendas maii, pontificatus nostri anno primo. [1]

35. Iohannae reginae Franciae concedit, ut monasterium s. Clarae iuxta Pruvinum cum liberis suis et aliquibus aliis personis intrare valeat. [2]

1304, aprilis 22, Vulsennae.

Carissimae in Christo filiae Iohannae reginae Francorum illustri. [3]

Cum, sicut ex parte tua fuit propositum coram nobis, tu ad monasterium sanctae Clarae iuxta Pruvinum [4] ordinis eiusdem sanctae Senonensis dioecesis specialem geras devotionis affectum: nos tuis supplicationibus inclinati, ut monasterium ipsum cum liberis tuis et tribus vel quatuor fratribus ordinis Minorum et totidem militibus nec non decenti comitiva honestarum matronarum possis, quoties volueris, causa devotionis intrare ibique cum huiusmodi matronis comedere et etiam pernoctare (quibuscumque statutis et consuetudinibus contrariis monasterii et ordinis praedictorum, iuramento, confirmatione sedis apostolicae vel alia quavis firmitate vallatis, nequaquam obstantibus), dummodo ad id abbatissae et conventus eiusdem monasterii accedat assensus, serenitati tuae auctoritate praesentium indulgemus. Nulli ergo *etc.* Datum Vulsennae, [5] X kalendas maii, pontificatus nostri anno primo.

36. Religiosis infra nominatis committit facultatem *a*) absolvendi communitatem civitatis Ianuen. necnon aliquos de civitate eadem eiusque districtu ab excommunicationum sententiis et poenis temporalibus et spiritualibus, quas olim incurrerunt pro eo, quod Siculis ac regi Friderico tunc in rebellione Romanae ecclesiae persistentibus favorem et auxilium exhibebant; *b*) absolvendi ab excommunicationum sententiis ceterisque poenis et mulctis, quas incurrerunt accedendo contra inhibitionem sedis apostolicae ad Saracenorum partes, omnes de civitate et districtu supradictis, qui propter paupertatem et alias causas Romanam curiam adire nequeunt pro absolutionis beneficio obtinendo, dummodo mercatores seu patroni navigabilium vasorum non fuerint nec ad easdem partes mercimonia vetita portaverint. [6]

1304, maii 12, Perusii.

.. Priori Praedicatorum et .. guardiano Minorum fratrum ordinum [Ianuen.].

Olim dum insula Siciliae *etc.* Dat. Perusii, IV idus maii, anno primo.

Eisdem. Cum sicut ex parte. Dat. ut supra.

37. Indulgentias concedit eis, qui monasterio s. Clarae Iporiensis ord. eiusdem sanctae manum adiutricem porrexerint. [7]

1304, maii 14, Perusii.

Universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis.

Quoniam, ut ait apostolus *etc.* Cum itaque, sicut ex parte dilectarum in Christo filiarum .. abbatissae et conventus monasterii sanctae Clarae Yporiensis [8] ordinis eiusdem sanctae fuit propositum coram nobis, facultates dicti monasterii sint adeo tenues et exiles, quod nequeunt ex eis congrue substentari, propter quod sunt eis fidelium suffragia plurimum oportuna: universitatem vestram rogamus et hortamur in Domino in remissione vobis peccatorum iniungentes, quatenus eisdem abbatissae et conventui de bonis vobis a Deo collatis pias elemosinas et grata charitatis subsidia erogetis, ut

---

[1] Hanc bullam *Hauréau* in libro « Bernard Délicieux et l'inquisition Albigeoise » (Paris 1877) p. 190 publicavit. Quam ut melius intelligas, haec notaveris. Circa finem mensis iunii a. 1300 Nicolaus de Abbatisvilla ord. Praed., inquisitor haer. prav. in districtu Carcassonen., a fratribus Minoribus Carcassonen. requisivit, ut sepultum apud ipsos ante viginti circiter annos corpus cuiusdam civis Carcassonen. ditissimi nomine Castelli Fabri, tamquam de haeresi suspecti, sibi traderent. Qui plane persuasi, istum Castellum Fabri vixisse et obiisse more vere catholico, corpus tradere recusabant atque publico instrumento, ab *Hauréau* l. c. pag. 167-175 relato, per suos procuratores, quibus causam agendam commiserant, ad sedem apost. appellarunt. Quorum quidem procuratorum unus erat syndicus fratrum, quem Eleazarus de Claromonte custos custodiae Narbonensis pro se suoque conventu constituerat, alter erat noster fr. Bernardus Deliciosi, lector in eodem fratrum conventu, quem fr. Arnaldus, minister fratrum Minorum prov. Provinciae, rem agere iusserat. Sed fr. Bernardus intra officium iniunctum se non coercuit. Nam sermonibus coram habitis fidelium animos in inquisitores haer. prav. illa in regione concitabat, eisque apud regem Franciae, quem adiit, detractabat. Hinc mirum non est, Benedictum papam XI, iis de rebus certiorem factum, ea quae iussit imperasse. Id discrimen Bernardus quidem effugit summo pontifice paulo post vita decedente, at pericula maiora aliquando erat subiturus. Cfr. infra pag. 24 not. 2 et n. 372 litteras Ioh. XXII ad archiepiscopum Tolosan. die 16 iulii 1322 datas.

[2] Reg. Vat. t. 51, f. 223, ep. 156 de curia (p. 790, n. 1264).

[3] Uxori Philippi Pulchri, heredi regni Navarrae, quae die 2 apr. 1305 obiit.

[4] *Provins.* Monasterium istud, cuius mentio apud *Waddingum* ad annum 1237 n. 17, Theobaldus vir princeps in medio monte, qui s. Catharinae dictus est, aedificavit, eiusque filius Theobaldus, qui ibi corpus suum humari praecepit, amplius ditavit. Hic etiam tumulata dicitur Isabella s. Ludovici Francorum regis filia et huius Theobaldi coniux, quae gravida excessit anno 1271 die 22 aprilis.

[5] *Bolsena* ad lacum cognominem prope Viterbium.

[6] Reg. Vat. t. 51, f. 151, ep. 656 (pp. 400-402, nn. 818-820).

[7] Reg. Vat. t. 51, f. 144, ep. 620 (p. 478, n. 762).

[8] Alias Iporediensis vel Eporediensis, incolis *Ivrea*, civ. episc. olim in provincia Mediolanen. nunc Taurinen., quod monasterium ipsius civitatis episcopus Albertus Gonzaga ord. Min. erigebat.

per subventionem vestram earum inopiae consulatur, vosque per haec et alia bona, quae Domino inspirante feceritis, ad aeternae possitis felicitatis gaudia pervenire. Nos enim de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui eis ad id manum porrexerint charitatis, unum annum et quadraginta dies de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus. Praesentibus post quinquennium minime valituris, quas mitti per quaestuarios vobis districtius inhibemus. Datum Perusii, II idus maii, pontificatus nostri anno primo.

38. Episcopos infra nominatos iubet citare Berengarium episcopum Carpentoratensem *(Carpentras)* ad comparendum coram sede apost. super quadam accusatione (pro eo maxime, quod ipse manus iniecit violentas in plures fratres ordinis Minorum et alios clericos) responsurum. [1]

1304, maii 20, Perusii.

Ven. fratribus [Guilelmo] Aurasicensi [2] *et .. Cavallicensi* [3] *episcopis* etc.

Licet excessus *etc.* Datum Perusii, XIII kal. iunii, anno primo.

39. Episcopo Gravinensi mandat, ut episcopo Melfiten. eiusque in hac parte fautoribus diem dicat ad comparendum coram conspectu apostolico, super quibusdam iniuriis et gravaminibus, quae guardiano et fratribus ord. Min. Melfiten. intulisse noscuntur, de iustitia responsuris. [4]

1304, maii 31, Perusii.

Venerabili fratri [Iacobo] episcopo Gravinensi. [5]

Animus noster gravi commotione turbatur.... et exemplar. Sane dilectorum filiorum .. guardiani et fratrum ordinis Minorum Melfitensium [6] gravem querelam accepimus continentem, quod licet ordini eorum per specialia privilegia apostolicae sedis libera sit sepultura concessa, tamen venerabilis frater noster Paulus [7] episcopus Melfitensis, ad eorum aspirans gravamina, quominus corpora illorum, qui apud locum dictorum guardiani et fratrum eligunt sepulturam, sepeliantur ibidem, impedit minus iuste pro suae libito voluntatis. Idem quoque corpus quondam Iohannis Scantareni, qui in extremis constitutus habitu dictorum fratrum assumpto apud locum praefatum elegerat sepeliri, dum per ipsos guardianum et fratres portaretur tumulandum ibidem, per Paulum Margareti et Paulum de Aprutio familiares ac Iaconum Turcheni Salomonis et Iaconum et Petrum de Nauclerio ac Falconem de Molfecto satellites suos eis violenter fecit auferri; et insuper dicto episcopo peiora prioribus (pontificali abiecta modestia) coacervare non metuente, ad mandatum eius familiares et satellites memorati, [h]orti dictorum guardiani et fratrum per violentiam fracto pariete, locum ipsorum armata manu cum gladiis et fustibus hostiliter sunt ingressi et in eosdem fratres in ecclesia eorum solemniter divina officia celebrantes iniecerunt manus (Dei timore postposito) temere violentas; et hiis iniuriis dictus episcopus non contentus in sua publica et solemni praedicatione sub excommunicationis, quam in contrafacientes protulit et eam ipsos voluit incurrere ipso facto, ac quatuor unciarum auri poenis generaliter inhibuisse dinoscitur, ne aliquis suae iurisdictioni subiectus ad ecclesiam dictorum guardiani et fratrum auditurus ibidem divina officia praesumeret accedere quoquomodo, falso nichilominus asserens, .. ministrum eiusdem ordinis Apuliae provinciae excommunicationis sententia irretitum, et alias guardianum et fratres eosdem apud bonos et graves multipliciter diffamavit, ex quibus dicti minister, guardianus et fratres dampna gravia incurrerunt. Et quamvis episcopus, familiares et satellites memorati propter hoc sententiam excommunicationis incurrerint, tamen eamdem dampnabiliter vilipendentes sententiam divinis ut prius officiis se immiscent, illaque dictus episcopus celebrare immo (quantum in eo est, tamquam propriae salutis oblitus) prophanare propria temeritate praesumit. — Cum itaque memorati guardianus et fratres propter potentiam et malitiam episcopi memorati non possint super praemissis in partibus illis assequi iustitiae complementum, nobis humiliter supplicarunt, ut eis super hiis apud sedem apostolicam fieri iustitiam mandaremus. Quocirca fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus episcopum, familiares et satellites memoratos per te vel per alium seu alios ex parte nostra peremptorie citare procures, ut infra unius mensis spatium post citationem tuam personaliter apostolico se conspectui representent, dictis ministro, guardiano et fratribus super praemissis de iustitia responsuri ac alias facturi et recepturi, quod ordo dictaverit rationis; diem vero citationis et formam, et quicquid inde feceris, nobis remissis praesentibus fideliter intimare procures. Datum Perusii, II kalendas iunii, pontificatus nostri anno primo.

---

[1] Reg. Vat. t. 51, f. 179, ep. 787 (p. 592 n. 990).
[2] *Orange* in provincia eccles. Arelaten. *(Arles)*.
[3] *Cavaillon* unacum Carpentor. in eadem provincia.
[4] Reg. Vat. t. 51, f. 177, ep. 780 (p. 587, n. 983).
[5] *Gravina* in Apulia.
[6] *Molfetta* in Apulia (custodiae Barensis et provinciae Apuliae).
[7] Ex ipso ord. Min.; cfr. huius op. t. IV, p. 375.

40. Certum quendam Minoritam constituit episcopum Foropopulien. eumque suis manibus consecrat. [1]

1304, maii 31, Perusii.

Venerabili fratri .. [2] episcopo Foropopulien. [3]

In supremae dignitatis specula *etc.* Dudum siquidem Foropopulien. ecclesia per obitum bonae memoriae T[haddaei] Foropopulien. episcopi pastoris solatio destituta, licet Pepo de Ordelaffis archipresbyter ecclesiae de sancto Martino Foropopulien. dioecesis fuisset a praeposito et capitulo ipsius ecclesiae in episcopum Foropopulien. electus, tamen fel. record. Bonifatius papa VIII praedecessor noster, electionem ipsam certis ex causis cassans et irritans seu cassam et irritam nuncians, [4] provisionem ipsius ecclesiae ea vice dispositioni sedis apostolicae reservavit, decernendo ex tunc irritum et inane, si secus super hoc a quoquam scienter vel ignoranter contingeret attentari. Sed eodem praedecessore sublato de medio, nos ad apicem summi apostolatus assumpti indemnitati ipsius ecclesiae occurrere cupientes, venerabili fratri nostro R[aynaldo] tunc episcopo Vicentin. in archiepiscopum Ravennaten. electo, in illis partibus commoranti, providendi ea vice auctoritate nostra dictae Foropopulien. ecclesiae de persona idonea eamque praeficiendi ipsi ecclesiae in episcopum et pastorem plenam et liberam concessimus per nostras sub certa forma litteras [5] facultatem. Sane dicto archiepiscopo, nulla per eum provisione facta ecclesiae supradictae, ad Romanam curiam veniente, nos de ipsius ecclesiae ordinatione utili, ne prolixioris vacationis sustineret incommoda, mente vigili cogitantes et talem illi praeesse pontificem cupientes, per quem possit dicta ecclesia salubriter gubernari, considerantes quoque laudabilia tuae conversationis et vitae merita, honestatem morum, donum scientiae aliasque virtutes, quibus te bonorum dator altissimus decoravit, in te ordinis fratrum Minorum professorem direximus oculos mentis nostrae teque de consilio fratrum nostrorum eidem ecclesiae praeficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem dictae Foropopulien. ecclesiae tibi in spiritualibus et temporalibus committendo, et subsequenter munus consecrationis tibi de nostris manibus duximus impendendum *etc.* Datum Perusii, II kalendas iunii, pontificatus nostri anno primo.

In e. m. praeposito et capitulo ecclesiae Foropopulien.

In e. m. clero civitatis et diocesis Foropop.

In e. m. populo civitatis et diocesis Foropop.

In e. m. universis vassallis ecclesiae Foropop.

41. Praelatis infra nominatis mandat, ut Petrum de Villa Vincentii, monasterii s. Mariae de Trianis ord. s. Aug. dioec. Legionen. canonicum et in ipsius monasterii abbatem electum, si eum idoneum invenerint ad dicti monasterii regimen exercendum, auctoritate apostolica abbatem instituant, alioquin eidem monasterio de alia persona idonea provideant. [6]

1304, iunii 1, Perusii.

Venerabili fratri [Alvaro] episcopo et dilectis filiis .. priori Praedicatorum et .. guardiano Minorum fratrum ordinum Palentin. [7]

Etsi locorum religiosorum *etc.* Datum Perusii, kalendis iunii, anno primo.

42. Ministro provinciali prov. Coloniensis mandat, ut monasterium Coloniae pro Clarissis inchoatum admittat et, cum perfectum fuerit, sorores in illud introducat. [8]

1304, iunii 4, Perusii.

Dilecto filio .. [9] ministro fratrum ordinis Minorum provinciae Colonien.

Petitio tua nobis exhibita continebat, quod quondam Richardis comitissa Iuliacen., [10] cupiens pro animae suae salute unum monasterium in civitate Colonien. ad honorem sanctae Clarae, in quo sorores ordinis eiusdem sanctae collocarentur, fundare, quamdam aream ad hoc aptam, sitam in civitate praedicta, et certam quantitatem pecuniae deputavit pro huiusmodi monasterio construendo; quidam quoque civis Colonien. pro aedificatione ipsius monasterii quamdam pecuniae summam in sua ultima voluntate legavit; et iam est dictum monasterium in eadem area inchoatum, ad haec postmodum consensu bonae memoriae Vicboldi quondam Colonien. archiepiscopi [11] accedente. Quare pro parte tua fuit nobis humiliter supplicatum, ut tibi, quod, praefato monasterio cum officinis necessariis consummato, sorores ibidem ponere ac ipsas et monasterium antedictum ordini incorporare praefato, quodque ad informationem sororum ipsarum in regularibus disciplinis tres vel quatuor de mo-

---

[1] Reg. Vat. t. 51, f. 179, ep. 789 (p. 593, n. 992), apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Ben. XI, n. 13.

[2] Petro, non Rudolfo, sicut insinuat *Grandjean* l. c.

[3] *Forlimpopoli* sub archiepiscopo Ravennaten., qua civitate postmodum destructa sedes episcopalis transfertur ad Bertinorium *(Bertinoro).*

[4] Opizoni Ravennat. archiepiscopo litteris IX kalend. martii pontif. anno IX (21 febr. 1303) datis praecepit, ne Peponem electum consecraret in episcopum (ex Hier. Rubei hist. Ravenn.).

[5] Die 13 ian. 1304 datas; cfr. Reg. Vat. t. 51, f. 56, ep. 218.

[6] Reg. Vat. t. 51, f. 186, ep. 818 (p. 621, n. 1029).

[7] *Palencia* in Hispania; conventus fratrum Min. ibi constructus pertinebat ad custodiam Palentinam et provinciam Castellae.

[8] Reg. Vat. t. 51, f. 169, ep. 736 (p. 559, n. 931), apud *Wadd.* l. c. reg. Ben. XI n. 14.

[9] Gerardo de Pomerio, teste *Waddingo* l. c. ad a. 1304 n. 42.

[10] *Jülich* dioec. Colonien. *(Köln).*

[11] Die 26 martii 1304 defuncti.

nialibus de Nussia [1] eiusdem ordinis Colonien. dioecesis (de conventus eiusdem monasterii ac praedictarum assumendarum sororum assensu) recipere et ad ipsum monasterium transferre possis, concedere dignaremur. Nos igitur tuis supplicationibus inclinati, devotioni tuae ponendi praefatas sorores in monasterio supradicto ipsumque monasterium et sorores memorato incorporandi ordini et quod tres vel quatuor moniales praedicti monasterii de Nussia, quae praefatas sorores instruant et informent regularibus disciplinis, de conventus praedicti monasterii et praedictarum sororum assumendarum assensu recipere et transferre ad ipsum monasterium sanctae Clarae (saepedicto monasterio, ut praedicitur, consummato) libere valeas, plenam concedimus auctoritate praesentium facultatem. Nulli ergo *etc.* Datum Perusii, II nonas iunii, pontificatus nostri anno primo.

43. Eximit Clarissas a solutione decimarum et quarumcumque exactionum. [2]

1304, iunii 8, Perusii.

Dilectis in Christo filiabus universis abbatissis et sororibus monasteriorum ordinis sanctae Clarae secundum regulam ipsius ordinis ab Urbano papa IV praedecessore nostro institutam viventibus, tam praesentibus quam futuris.

Sacra vestra religio, sub qua devotum Creatori nostro famulatum impenditis, promeretur, ut apostolica sedes favorabilem se vobis exhibeat et in vestris opportunitatibus gratiosam. Hinc est, quod nos pium et congruum reputantes, ut vos illa prosequamur gratia, quae vestris necessitatibus fore conspicitur opportuna, vobis auctoritate praesentium indulgemus, ut ad praestationem decimarum de quibuscumque possessionibus et aliis omnibus bonis vestris, quae in praesentiarum habetis et iustis modis praestante Domino acquisiveritis in futurum, vel ad exhibendum annuum redditum seu censum vestris dioecesanis episcopis, seu pedagia, telonia et alias exactiones quibusvis regibus seu aliis personis saecularibus, vel etiam ad dandum procurationes aliquas legatis vel nuntiis apostolicae sedis, sive ad decimam vel aliam portionem aut subventionem aliquam de vestris proventibus cuiquam exhibendam, vel ad contribuendum in actionibus vel collectis seu subsidiis aliquibus minime teneamini nec ad id per litteras sedis eiusdem vel legatorum eius aut quorumcumque aliorum, etiamsi in iisdem dictae sedis litteris contineatur expresse, quod ad quaevis exempta vel non exempta loca et monasteria se extendant et aliqua eis, cuiuscumque tenoris existat, ipsius sedis indulgentia non obsistat (nisi forsan dictae litterae sedis eiusdem de indulto huiusmodi et monasteriis vestris ipsis plenam et expressam fecerint mentionem) adstringi debetis; ac nihilominus a iurisdictione et potestate patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum dioecesanorum vestrorum et quorumcumque aliorum eximimus vos et loca et monasteria vestra de gratia speciali. Nos enim ex tunc irritas decernimus et inanes interdicti, suspensionis et excommunicationis sententias, si quas in vos vel aliquas vestrum aut loca et monasteria vestra seu quoscumque alios occasione vestri, praemissorum praetextu, contra huiusmodi concessionis et exemptionis nostrarum tenorem per quemcumque de caetero contigerit promulgari. Nulli ergo *etc.* Datum Perusii, VI idus iunii, pontificatus nostri anno primo. [3]

---

[1] *Neuss* in eadem dioec. Colonien., in quo loco Clarissarum monasterium inchoatum fuit anno 1288 teste *Waddingo* l. c.

[2] Reg. Vat. t. 51, f. 181, ep. 794 (p. 600, n. 997), ap. *Wadd.* l. c. reg. pont. Ben. XI n. 15.

[3] Apud *Wadd.* Ann. Min. ad a. 1304 n. 14 legimus, Gundisalvum (Gonsalvum) de Vallebona *(Valboa)* Hispanum, quem capitulum generale a. 1304 Assisii circa tempus Pentecostis celebratum ordinis Minorum ministrum generalem elegerat, expleto hoc capitulo statim (mense iunio 1304) Benedictum XI tum inter Perusinos degentem adiisse atque ab eo (praeter confirmatam electionem ipsius) haec impetrasse: quod de s. Francisci stigmatibus officium fieret ecclesiasticum ritu duplici, quod anniversaria colerentur cum solemnitate, quod fratres Minores instituerentur, quomodo circa caput XI regulae de non ingrediendo monasteria monacharum se haberent. Quid hac de re idem minister generalis ad ministrum provinciae Tusciae die 26 iulii 1304 scripserit, legas apud *Wadd.* l. c. n. 15. — Paucis diebus ante Benedictus XI, qui moribundus cardinalium collegio in primis fratres Praedicatores et Minores commendavit, e vivis decesserat.

CLEMENS PAPA V

(olim Bertrandus del Goth, archiepiscopus Burdegalen.)

electus Perusii die 5 iunii 1305, coronatus Lugduni die 14 novembris 1305, obiit in Rupemaura dioec. Lemovicen. die 20 aprilis 1314

44. Petro Empedurani, qui ordinem fratrum Min., quem in provincia Aragoniae professus erat, deseruit (et ideo excommunicationis sententiam incurrit, a qua quidem per fr. Ardum ministrum provincialem dictae provinciae absolutus est ea conditione, ut alium ordinem religiosum profiteretur), indulget, ut ad ordinem s. Augustini se transferat. [1]

1305, novembris 13, Lugduni.

Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Petro Empedurani Barchinonen. dioec. salutem et apostolicam benedictionem. [2]

Benigno tibi sunt illa concedenda *etc.* Dat. Lugduni, idus novembris [anno primo].

45. Comitissae Iuliacensi indulget, ut monasterium de Longocampo iuxta s. Clodoaldum ord. s. Clarae cum decenti comitiva intrare valeat. [3]

1306, ianuarii 1, Lugduni.

Dilectae in Christo filiae nobili mulieri Mariae comitissae Iuliacen. [4] *et nepoti carissimae in Christo filiae nostrae Mariae reginae Francorum illustris.* [5]

Cum ad monasterium monialium de Longocampo iuxta sanctum Clodoaldum ordinis sanctae Clarae Parisien. dioecesis, [6] in quo duas sorores germanas ordinem praedictum professas asseris te habere, specialem geras devotionis affectum: nos tuis supplicationibus inclinati, ut monasterium ipsum, quoties volueris, cum decenti comitiva honestarum matronarum ac etiam fratrum Minorum ingredi libere valeas et ibidem coenare et etiam pernoctare (quibuscumque statutis et consuetudinibus monasterii et ordinis praedictorum, iuramento, confirmatione sedis apostolicae vel quacumque firmitate alia roboratis, nequaquam obstantibus), dummodo ad id abbatissae dicti monasterii vel eius locum tenentis accedat assensus, auctoritate tibi apostolica indulgemus. Nulli ergo *etc.* Datum Lugduni, kalendis ianuarii, pontificatus nostri anno primo.

46. Mariae, Franciae reginae viduae, indulget, ut praedictum monasterium de Longocampo cum decenti comitiva intrare valeat. [7]

1306, ianuarii 3, Lugduni.

Carissimae in Christo filiae Mariae [8] *reginae Francorum illustri.*

Tuae devotionis sinceritas, qua Romanam veneraris ecclesiam, promeretur, ut petitionibus tuis favorabiliter annuamus. Hinc est, quod nos intendentes tibi, quae ordinem sanctae Clarae specialis devotionis affectu prosequeris, benigne annuere in hac parte, ut monasterium monialium de Longocampo iuxta sanctum Clodoaldum eiusdem ordinis Parisien. dioecesis per viam, per quam intrare volentibus alicui non sit concessus ingressus, cum decenti et honesta mulierum comitiva ingredi et comedere ac pernoctare valeas, dummodo ad id abbatissae et conventus eiusdem monasterii voluntas accesserit et consensus, quibuslibet dicti ordinis constitutionibus et consuetudinibus contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate tibi praesentium indulgemus. Nulli ergo *etc.* Datum Lugduni, III nonas ianuarii, pontificatus nostri anno primo.

---

[1] Reg. Vat. t. 52, f. 35 (ed. *Monachi Benedictini* n. 213). Verba « ed. *Monachi Benedictini* » omittentur ceteris in bullis Clementis V; apponetur tantum numerus, quo singulae litterae in ipsorum editione reperiuntur.

[2] Verba « Clemens episcopus, servus servorum Dei » atque « salutem et apostolicam benedictionem » omittentur posthac. — Iam duobus circiter mensibus ante Clemens V instante Philippo IV rege Francorum guardiano fratrum Minorum Parisien. mandasse dicitur, ut in suo conventu fr. *Bernardum Deliciosi* ord. Min. arctius custodiret. Cfr. supra notam ad n. 34, infra nr. 372.

[3] Reg. Vat. t. 52, f. 83 (n. 484 cfr. n. 485-488) et *Wadd.* Ann. Min. ad a. 1306, n. 29.

[4] *Jülich* dioec. Colonien., filiae Godefridi ducis Brabantiae et coniugis Guilelmi com. Iuliac. Cfr. supra n. 42.

[5] Secundae uxoris b. m. Philippi III regis Franc., filiae Henrici III ducis Brabantiae, sororis praedicti Godefridi.

[6] Alias « Humilitatis b. Mariae » a b. Isabella sorore s. Ludovici regis Franc. fundatum.

[7] Reg. Vat. t. 52, f. 84 (n. 489 cfr. 479-483).

[8] Cfr. infra n. 78 et supra n. 45, not. 5.

47. Concedit consideratione I(ohannis) episcopi Anicien. infra nominato Minoritae ad ordinem s. Benedicti transeundi licentiam. [1]

1306, ianuarii 10, Lugduni.

Dilecto filio fratri Matthaeo de Monteberon. ord. Min.

Devotionis tuae laudibus *etc.*

Dat. Lugduni, IV idus ianuarii, anno primo.

48. Dispensat cum .. capellano Lucae s. Mariae in via lata diac. card., ut valeat assumi ad omnes dignitates etc. in monasteriis ord. s. Bened., non obstante defectu natalium aut quod ex licentia superiorum de ordine fratrum Min. ad monasterium s. Stephani Ianuen. ord. s. Ben. transierit. [2]

1306, ianuarii 12, Lugduni.

Suffragantia tibi merita gratiarum *etc.* Dat. Lugduni, II idus ianuarii [anno primo].

49. Comiti Lincolniensi indulget, ut Michael de Mercona ord. Min., confessor eius, etiam familiarium ipsius confessiones audire valeat. [3]

1306, ianuarii 15, Lugduni.

Dilecto filio nobili viro Henrico comiti Lincolnien.

Sincerae devotionis affectus *etc.* Cum itaque te per diversas provincias pro tempore transire contingat, nos tuis supplicationibus inclinati auctoritate tibi praesentium indulgemus, ut dilectus filius frater Michael de Mercona presbyter ordinis Minorum, confessor tuus, dum tecum per huiusmodi transitus fuerit, possit confessiones familiarium tuorum te taliter transeuntem sequentium sibique confiteri volentium audire ipsisque auctoritate apostolica pro commissis poenitentiam salutarem iniungere et super hiis debitae absolutionis beneficium impertiri, nisi quod absit talia forte commiserint, propter quae foret sedes apostolica merito consulenda. Nulli ergo *etc.* Datum Lugduni, XVIII kalendas februarii, pontificatus nostri anno primo.

50. Annuens supplicationibus L(eonardi) episcopi Albanen. et Isabellae principissae Achaiae, ecclesiam s. Mariae de Camina Olonen. dioec., iuxta quam eadem principissa monasterium ord. s. Clarae construere intendebat, sed propter piratarum incursus aliasque difficultates perficere non potuit, infra nominato incorporat monasterio. [4]

1306, ianuarii 17, Lugduni.

Dil. filio abbati et conventui monasterii de Dalfino Cistercien. ord. Athenien. dioc.

Praesignis ordinis vestri *etc.* Dat. Lugduni, XVI kal. februarii, anno primo.

51. Mandat infra nominatis, ut Bonacursum Berti de Frescobaldis de Florentia militis filium, qui infra quartumdecimum aetatis suae annum ordinem Eremitarum s. Aug. invito patre ingressus est, ad saeculum et ad patrem remeare faciant. [5]

1306, ianuarii 20, Lugduni.

Dil. filiis thesaurario ecclesiae ac priori Praedicatorum et guardiano Minorum fratrum ordinum [Florentin.].

Ex parte dilecti filii *etc.* Dat. Lugduni, XIII kal. februarii, anno primo.

52. Praeficit Restaurum Minoritam ecclesiae Grossetan. in episcopum. [6]

1306, februarii 1, apud s. Ciricum.

Dilecto filio fratri Restauro [7] *electo Grossetan.* [8]

Militanti ecclesiae *etc.* Olim siquidem Grossetana ecclesia ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinente per obitum bonae memoriae Ioannis episcopi Grossetani pastoris solatio destituta, dilecti filii capitulum eiusdem ecclesiae (vocatis omnibus, qui voluerunt, debuerunt, et potuerunt commode interesse), die ad eligendum praefixa, ut est moris, pro futuri electione pontificis convenientes in unum, et Spiritus sancti gratia invocata, post diversos tractatus inter se super hoc habitos, deliberantes in huiusmodi electionis negotio per viam procedere compromissi, uni ex seipsis, videlicet Tancredo praeposito ipsius ecclesiae, providendi canonice ipsi ecclesiae de praelato concesserunt unanimiter potestatem, promittentes illum in eorum et dictae ecclesiae episcopum et pastorem recipere et habere, quem idem praepositus vice sua et totius capituli duceret eligendum. Ipse vero praepositus huiusmodi potestate recepta, secedens in partem, post diligentem super hoc deliberationis excursum, eiusdem compromissi forma servata, et habens in hoc prae oculis solum Deum, in te ordinem fratrum Minorum professum, tunc guardianum Massae, direxit oculos suae mentis, ac in te sua et totius eiusdem capituli et de ipsorum assensu ex praedicta potestate sibi ut praemittitur tradita [dirigens vota] te in episcopum Grossetanum elegit, moxque in communi electionem huiusmodi et demum clero et populo publicavit, iidem quoque capitulum electionem ipsam voluntarie et concorditer acceptarunt; tuque postmodum, tui superioris petita licentia et obtenta, ad ipsius praepositi et capituli instantiam electioni praedictae infra tempus canonicum consentiens, propter hoc ad sedem apostolicam accessisti et

[1] Reg. Vat. t. 52, f. 88 (n. 520).
[2] Nomen ipsius desideratur. Cod. Ottob. 2546, f. 117 (n. 1079).
[3] Reg. Vat. t. 52, f. 78, ep. 402 (n. 459).
[4] Reg. Vat. t. 52, f. 90, ep. 1043 (n. 1510).
[5] Reg. Vat. t. 52, f. 78 (n. 457).
[6] Reg. Vat. t. 52, f. 145 (n. 861), apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Clem. V, n. 5.
[7] Non « Neustauro », sicut exhibet *Wadd.* l. c.
[8] *Grosseto* in Etruria, olim immed. subi., nunc sub archiep. Senen.

deinde tam per te ipsum quam iidem capitulum per eorum certos procuratores et nuntios ad sedem eamdem propter hoc specialiter destinatos, praesentato nobis dictae electionis decreto, a nobis infra tempus debitum suppliciter postulastis, ut confirmare electionem huiusmodi dignaremur. Nos igitur tam electionis eiusdem quam tuae examinationem personae venerabili fratri Nicolao episcopo Ostien. et dilectis filiis nostris Stephano tituli sancti Cyriaci in thermis presbytero ac Neapoleoni sancti Adriani diacono cardinalibus duximus committendam. Facta itaque nobis super examinatione ipsa a praefatis episcopo et cardinalibus relatione fideli, quia eamdem electionem invenimus de te, litterarum scientia praedito, morum honestate decoro, discretionis et consilii maturitate conspicuo, et in spiritualibus et temporalibus circumspecto, canonice celebratam, ipsam de praedictorum et aliorum fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica duximus confirmandam, teque praefatae Grossetanae ecclesiae in episcopum praeficimus et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus committendo *etc.* Datum apud sanctum Ciricum prope Lugdunum, XIII [1] kalendas martii, pontificatus nostri anno primo.

53. Praeficit fratrem Franciscum ord. Min. ecclesiae Gaietan. in episcopum. [2]

1306, februarii 18, apud s. Ciricum.

Dilecto filio Francisco electo Gaietan. [3]

Summi providentia principis *etc.* Olim siquidem Gaietana ecclesia ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinente per obitum bonae memoriae Matthaei episcopi Gaietani pastoris solatio destituta, dilecti filii capitulum eiusdem ecclesiae, qui de antiqua et approbata hactenus pacifice observata consuetudine ad electionem futuri pastoris, cum eamdem ecclesiam vacare contingit, absque licentia sedis apostolicae procedere nequeunt, a coetu fratrum nostrorum sanctae Romanae ecclesiae cardinalium, pro eo quod tunc in palatio civitatis Perusinae sub clausura manebant, dum sedes ipsa per obitum bonae memoriae Benedicti papae XI praedecessoris nostri vacaret, huiusmodi licentiam petere nequiverunt, licet ad petendum huiusmodi licentiam eorum certos procuratores et nuntios ad ipsorum cardinalium collegium ut dicitur destinassent. Postmodum autem nos superna dispositione ad apicem summi apostolatus assumpti, super huiusmodi impendenda licentia ab eisdem capitulo minime requisiti, de ipsius ecclesiae, utpote fidelis et devotae sedis apostolicae filiae, ordinatione celeri, ne prolixioris vacationis exposita remaneret incommodis, sollicite cogitantes, post vigilem, quam ad praeficiendum eidem ecclesiae idoneam et approbatam personam adhibuimus, diligentiam, ad te ordinem fratrum Minorum professum, virum utique litteratum, scientia praeditum, morum etiam gravitate decorum, religionis zelatorem, in spiritualibus providum et temporalibus circumspectum, ac super aliis multiplicibus virtutum donis per dilectum filium nobilem virum Robertum ducem Calabriae primogenitum [4] carissimi in Christo filii nostri Caroli Siciliae regis illustris, cuius ducis confessor existis, multipliciter commendatum, direximus oculos nostrae mentis. Quapropter volentes tam gregi Dominico quam dictae ecclesiae salubriter providere, te de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica eidem ecclesiae in episcopum praeficimus et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesiae tibi in spiritualibus et temporalibus committendo *etc.* Datum apud sanctum Ciricum prope Lugdunum, XII kalendas martii, pontificatus nostri anno primo. [5]

54. Indulget cuidam, [6] ut monasterium s. Catharinae ord. s. Clarae Ianuen. ter in anno cum unica honesta matrona devotionis causa intrare valeat. [7]

1306, februarii 19, apud s. Ciricum.

Pium arbitramur *etc.* Dat. apud s. Ciricum in Monte aureo prope Lugdunum, XI kal. martii, anno primo.

55. Concedit infra nominatis licentiam ingrediendi monasterium Minorissarum de Messana ord. s. Clarae, dummodo ibi nec edant nec pernoctent. [8]

1306, martii 3, apud s. Ciricum.

Carissimae in Christo filiae Alyenorae [9] *reginae Trinacriae illustri.*

Pium arbitramur *etc.* Dat. apud s. Ciricum prope Lugdunum, V nonas martii, anno primo.

---

[1] Non « XIV », sicut exhibet *Wadd.* l. c.

[2] Reg. Vat. t. 52, f. 123 (n. 726), ap. *Wadd.* l. c. n. 6. Cfr. infra n. 216.

[3] *Gaeta* in partibus Neapolitanis, immed. subi. Hic electus habendus est idem atque ille Franciscus Scarerius ep. « Segetanus », qui unacum fr. Petro ord. Min. postmodum ep. Rapollano (non Epulano, cfr. infra n. 102) vitam s. Ludovici ep. Tolosan. scripsit.

[4] Ob obitum Caroli Martelli et Ludovici (ord. Min., episcopi Tolosan.) germanorum ante ipsum natorum.

[5] Die 5 ian. 1310 Clemens V, annuens votis eiusdem Roberti regis Siciliae, olim ducis Calabriae, praedicto episcopo eius confessori indulget, ut ad triennium, ipsius servitiis insistens, suam dioecesim per alias idoneas personas possit visitare. Cfr. Reg. Vat. t. 57, f. 76, ep. 271 (n. 5397).

[6] Cuius nomen desideratur.

[7] Reg. Vat. t. 52, f. 48 (n. 273).

[8] Reg. Vat. t. 52, f. 178 (n. 1042-1044).

[9] Filiae Caroli II regis Siciliae, quae nupserat anno 1302 Friderico regi Trinacriae (insulae Siciliae).

In e. m. carissimo in Christo filio Friderico regi Trinacriae illustri.

In e. m. venerabili fratri [Guidotto] archiepiscopo Messanen.

56. Mandat infra nominatis, ut Guilelmum Vitalis, qui iam professus ordinem fratrum Minorum dereliquit et propter hoc excommunicationem incurrit, ab eadem absolvant et ad eius petitionem in monasterio s. Michaelis in eremo ord. s. Ben. Pictaven. dioec. recipi faciant in monachum. [1]

1306, aprilis 16, apud monast. Grandimonten.

Dil. filiis abbati mon. b. Mariae de Lusonio et priori domus Dei ac archipresbytero de Perviniaco Pictaven. dioc.

Petitio Guilelmi *etc.* Dat. apud monasterium Grandimontense, XVI kal. maii, anno primo.

57. Mandat infra nominatis, ut inducant Ianuenses ad ineundam treugam cum Henrico rege Cypri. [2]

1306, iunii 28, Burdegalis.

Venerabili fratri .. [3] *archiepiscopo Ianuen. et dil. filiis mag. Gregorio de Placentia archipresbytero plebis de monte Silicis Paduan. dioc., capellano nostro, et fratri Philippino de Saona ord. Min.* [4]

Quantas non longis retro temporibus *etc.* Dat. Burdegalis, IV kal. iulii, anno primo.

58. Cum Armenis periclitantibus condolet eosque ad spem erigit. [5]

1306, iulii 2, Burdegalis.

Venerabili fratri Georgio patriarchae et carissimo in Christo filio Leoni [6] *regi Armenorum illustri; nobilibus viris fratri Ioanni ordinis Minorum gubernatori terrae Armenorum dictorum, Uxino et Almacho patruis regis eiusdem.*

Sicut primo per venerabilem fratrem nostrum Constantinum archiepiscopum Mamistan. [7] et deinde per dilectos filios magistrum Ioannem [canonicum?] Antiochenum et Calozanum et Aegidium milites nuntios vestros accepimus, te, charissime fili rex, regnumque tuum graviter inimici crucis [8] infestant illudque hostilibus aggrediuntur incursibus et, quod absit, moliuntur suae ditioni subiicere, funestis foedare ritibus inhiant, infausta secta inficere satagunt et impuris suis legibus profanare nituntur. [9] Laboribus vestris compatimur, in vestris vobiscum adversitatibus condolemus; in horum auditu terribili tinniunt aures, tremunt viscera, et animus noster horret, turbatur in turbationibus vestris, in filiorum nostrorum timemus pavoribus, et in exultationibus hostium contristamur. Contra haec per generale passagium [10] providere cupimus, intentio nostra versatur, idque futurum Domino favente speramus; sed quia hoc dilationem ex aliqua causa posset forsan recipere, ad praesens de aliquo, in vere autem proximo de alio convenienti et particulari subsidio vobis et regno praedicto Deo auctore putavimus succurrendum. Vos igitur confortamini et estote robusti, in bello fortes existite, cum antiquo serpente viriliter pugnaturi. Datum Burdegalis, VI nonas iulii [anno primo].

59. Mandat infra nominatis, ut potestatem, capitaneum, officiales, consilium et commune civitatis Papien. citare curent, ut infra duorum mensium spatium apostolico conspectui se praesentent, facturi et recepturi in causa inter ipsos et abbatem et conventum monasterii de s. Crispina (alias Christina) ord. s. Ben. Mediolan. dioec. super occupatione iurium ad dictum monasterium spectantium vertente, quod ordo dictaverit. [11]

1306, iulii 7, Lugduni.

Dilectis filiis .. abbati monasterii s. Sepulchri et .. priori Praedicatorum ac .. guardiano Minorum fratrum ordinum Placentin.

In causa, quam *etc.* Dat. Burdegalis, nonis iulii, anno primo.

60. Simonem canonicum Florentinum ecclesiae Balneoregensi praeficit in episcopum, cassata electione de fr. Monaldo ord. Min. a nonnullis canonicis facta. [12]

1306, iulii 9, Burdegalis.

Dilecto filio Symoni electo Balneoregen.

Militanti ecclesiae *etc.* Dudum siquidem Balneoregen. ecclesia per obitum bonae memoriae Stephani Balneoregen. episcopi pastoris solatio destituta, dilecti filii capitulum eiusdem ecclesiae (vocatis omnibus, qui voluerunt, debuerunt, et potuerunt commode interesse), cum Iohannes Montabovis canonicus eiusdem ecclesiae, volens electioni futuri pastoris personaliter interesse, ad ecclesiam ipsam,

---

[1] Reg. Vat. t. 52, f. 70 (n. 407).

[2] Reg. Vat. t. 52, f. 128 (n. 753, cfr. 752).

[3] Porchetto ord. Min., de quo saepius in t. IV huius op.

[4] Eisdem Clemens V die 2 iulii 1306 respondet ad quasdam litteras (in causa Armenorum, de qua agitur in bulla, quae proxime sequitur et eodem die data est). Cfr. Reg. Vat. t. 52, f. 127 (n. 749).

[5] Reg. Vat. t. 52, f. 127 (n. 748 cfr. 749-751).

[6] Olim Haytoni nominato. Cfr. *Wadd.* l. c. ad a. 1306 n. 24-26 et *Raynaldi* Ann. eccl. ad a. 1306.

[7] Alias Mamistran., vulgo *Malmistra*, quae est urbs Ciliciae mediterraneae sub patriarcha Antiocheno, Adanae finitima, quam volunt esse antiquam *Mopsuestiam*.

[8] Nimirum Saraceni, quibus anno 1303 Armeniae rex bellum intulit auxiliantibus sibi Tartaris.

[9] Quod eis magis magisque procedit; Casano enim Tartaror. regi, Saracenor. hosti, Armenor. amico, succedit Carbaganda, Saracenis addictus. Quo fit, ut Saraceni Armeniam bellis diuturnis premant atque tandem in prov. redigant.

[10] Scil. expeditionem in Palaestinam seu *Terram sanctam*.

[11] Reg. Vat. t. 53, f. 47, ep. 156 (n. 1329).

[12] Reg. Vat. t. 53, f. 8, ep. 8 (n. 1162).

ubi debebat electio huiusmodi celebrari, absque personae periculo propter capitales inimicitias, quas habebat in civitate Balneoregen., accedere non auderet, certam diem ad eligendum Balneoregensem episcopum apud castrum Florentini Balneoregen. dioecesis unanimiter et concorditer statuerunt. Et cum idem Iohannes Montabovis, Iohannes Aldebrandi ac Vivianus magistri Iacobi, canonici ecclesiae supradictae, qui in haec concordes extiterant, ad dictum castrum praefixa die accedere contempsissent, dicti capitulum, deliberantes in ipsius electionis negotio per viam procedere compromissi, duobus ex eis, videlicet Aldebrandino Symonis Donadei et Francisco Peri ipsius ecclesiae canonicis, eligendi Balneoregen. episcopum concesserunt unanimiter potestatem. Iidem vero compromissarii huiusmodi potestate recepta secedentes in partem, post diversos tractatus super hoc invicem habitos, deliberatione intra se praehabita diligenti, in te canonicum Florentinum direxerunt concorditer vota sua, et deinde praefatus Aldebrandinus ex potestate sibi et collegae suo praedicto concessa de mandato eiusdem collegae vice sua et ipsius collegae ac praedictorum capituli in Balneoregensem episcopum te elegit, tuque electioni praedictae, praesentatae tibi vice et nomine capituli praedictorum, ad eorum instantiam infra tempus super hoc a iure statutum voluntarie consentiens, propter hoc infra tempus debitum iter arripuisti ad sedem apostolicam veniendi. Postmodum autem supradicti Iohannes, Iohannes et Vivianus fratrem Monaldum de Urbeveteri ordinis Minorum [1] in Balneoregensem episcopum elegerunt; ac eodem fratre Monaldo pro huiusmodi sua electione ad sedem accedente praedictam, et ipsarum electionum negotio pro parte tua et ipsius fratris Monaldi proposito coram nobis, nos negotium ipsum venerabili fratri nostro L[eonardo] episcopo Albanensi vivae vocis oraculo commisimus audiendum; coram quo te et eodem fratre Monaldo personaliter comparentibus, et hinc inde oblatis libellis et responsionibus subsecutis, tamdem pro parte tua contra dictum fratrem Monaldum obiectum extitit et inventum, quod, cum tua a maiori et saniori et ipsius fratris Monaldi electio a minori parte capituli praedictorum in discordia celebrata fuisset, nullum eidem fratri Monaldo ius ex huiusmodi electione de eo facta fuerat acquisitum, immo erat iuxta constitutionem felicis recordationis Bonifatii papae VIII praedecessoris nostri super hoc editam ipso iure irrita et inanis. Et facta nobis de praemissis omnibus per eundem episcopum relatione fideli, apostolica auctoritate decrevimus electionem dicti fratris Monaldi irritam et inanem sibique nullum ius ex eadem electione fuisse quaesitum; et postmodum per eundem episcopum citatis pluries et peremptorie in audientia publica omnibus et singulis, qui sua crederent interesse et se electioni tuae vellent opponere, et nemine in assignatis sibi terminis comparente, nos electionem tuam tuamque personam per eumdem episcopum et dilectos filios nostros P[etrum] tituli sancti Vitalis presbyterum et Iacobum sancti Georgii ad Vellum aureum diaconum cardinales examinari fecimus diligenter, et fida relatione super hoc nobis facta a cardinalibus supradictis, quia eamdem electionem invenimus de te viro competentis scientiae litterarum, vitae laudabilis, conversationis placidae, morum honestate decoro, discretionis et consilii maturitate conspicuo ac in spiritualibus et temporalibus circumspecto canonice celebratam, ipsam de dictorum cardinalium et aliorum fratrum nostrorum consilio apostolica auctoritate confirmantes ac supplentes omnem defectum, si quis fuit in huiusmodi electione tua, de apostolicae plenitudine potestatis te dictae ecclesiae in episcopum praeficimus et pastorem, curam et administrationem eiusdem ecclesiae tibi in spiritualibus et temporalibus committendo *etc.* Datum Burdegalis, VII idus iulii, pontificatus nostri anno primo.

61. Francisco diacono cardinali committit, ut Margaritam Cancellarii in abbatissam monasterii ss. Cosmae et Dam. de Transtiberim de Urbe ord. s. Clarae, si eam idoneam invenerit, confirmet, alioquin de alia persona provideat ipsi monasterio. [2]

1306, iulii 24, apud Pessacum.

Dilecto filio Francisco sanctae Luciae in Silice diacono cardinali.

Inter sollicitudines alias *etc.* Intimavit siquidem nobis dilectus filius frater Thomas de Balneoregio ordinis fratrum Minorum, visitator monialium ordinis sanctae Clarae in provincia Romana, quod dudum dilecta in Christo filia Thomasia de Bassiano moniali tunc abbatissa monasterii sanctorum Cosmae et Damiani de Transtiberim de Urbe ordinis praedicti [3] ipsius monasterii regimine in manibus dicti visitatoris [4] sponte ac libere resignante ac pe-

[1] Qui forsan idem est ac ille fr. Monaldus ord. Min., qui a. 1328 ecclesiae Melfiten. praeficitur in episcopum.

[2] Reg. Vat. t. 53, f. 41, ep. 125 (n. 1293).

[3] Monasterium istud in regione Transtiberina positum (olim ord. s. Ben.) ex elegantia et structura loci « mica aurea » cognominabatur teste *Wadd.*

[4] De visitatoris officio et visitationis forma ac cautione plura leges apud *Waddingum* ad annum 1264, de libera autem abbatissae electione ab ipsis monialibus facienda cf. bullas Honorii III et Innocentii IV in huius op. t. I, p. 4 et 431 relatas.

tente cum instantia ab eodem regimine se absolvi, dictus visitator eam absolvit ab eodem regimine, prout sibi ex institutis dicti ordinis sanctae Clarae licebat; et postmodum conventus dicti monasterii dilectam in Christo filiam Margaritam Cancellarii eiusdem monasterii monialem (providam ut accepimus et discretam) in earum et dicti monasterii abbatissam canonice elegerunt. Cum autem ordo praedictus sanctae Clarae nunc careat protectore,[1] ad quem confirmatio eiusmodi electionum secundum ipsius instituta ordinis asseritur pertinere, nos de circumspectione tua plenam in Domino fiduciam obtinentes discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus tam super forma electionis quam ipsius electae meritis inquisita diligentius veritate, si electionem eamdem inveneris de persona idonea secundum ipsius instituta ordinis canonice celebratam, illam auctoritate nostra confirmes (non obstante quod ad sedem apostolicam dicta electa procuratorem sufficienter instructum non misit, iuxta constitutiones piae memoriae Nicolai papae III et Bonifatii papae VIII praedecessorum nostrorum, pro huiusmodi electionis apud sedem eamdem negotio prosequendo), alioquin ea rite cassata, dicto monasterio de eadem Margarita, si eam esse utilem putaveris ad ipsius monasterii regimen exercendum, vel de alia persona ydonea assumenda de gremio dicti monasterii aut etiam aliunde hac vice praedicta auctoritate providere procures; praeficiendo dictam Margaritam, si eius fuerit electio confirmata vel de ipsa monasterio praedicto provisum, aut aliam, de qua dicto monasterio providendum duxeris, in abbatissam monasterii memorati ac ei a monialibus dicti monasterii faciendo obedientiam et reverentiam debitam exhiberi. Contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Datum apud Pessacum Burdegalen. dioecesis, IX kalendas augusti, pontificatus nostri anno primo.

62. Indulget Clarissis de Monte Marciano, ut, cum generale fuerit terrae interdictum, liceat eis in festivitate b. Clarae divina officia facere celebrari.[2]

1306, augusti 21, Burdegalis.

Dilectis in Christo filiabus abbatissae et conventui monasterii Montis Marciani[3] *ordinis sanctae Clarae. Aduren.*[4] *dioecesis.*

Vestrae merita religionis exposcunt, ut apostolica sedes vos et monasterium vestrum benivolo favore confoveat et spiritualibus gratiis prosequatur. Vestris itaque supplicationibus inclinati auctoritate vobis praesentium indulgemus, ut, cum generale fuerit terrae interdictum, liceat vobis in festivitate beatae Clarae a vesperis diei proxime praecedentis festivitatem eamdem usque ad vesperas festivitatis ipsius, ita quod in hoc utriusque dictarum dierum vesperae includantur, in ecclesia vestra, quae in ipsius sanctae reverentia est constructa, ianuis apertis divina officia facere solemniter celebrari, dummodo causam non dederitis interdicto nec id vobis contingat specialiter interdici. Ut autem Christi fideles in festivitate praedicta eo libentius ad ecclesiam eamdem conveniant, quo magis ibidem spirituali munere conspexerint se refectos, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui ecclesiam ipsam visitaverint reverenter, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, centum dies de iniunctis poenitentiis misericorditer relaxamus. Datum Burdegalis, XII kalendas septembris, pontificatus nostri anno primo.

63. Concedit Aremburgi abbatissae Minorissarum Petragoricen., ut in sui monasterii coemeterio non obstante iuramento in contrarium praestito sepeliri valeat[5].

1306, augusti 22, Burdegalis.

Dilectis in Christo filiabus Aremburgi[6] *abbatissae et Marchesiae*[7] *ceterisque sororibus monasterii Minorissarum sanctae Clarae Petragoricen.*[8] *ordinis eiusdem sanctae.*

Petitio vestra nuper nobis exhibita continebat, quod a te, Aremburgi, olim ante tuum religionis ingressum et in ipso ingressu custos et fratres ordinis Minorum Petragoricen. iuramentum corporaliter exegerunt, quod in coemeterio ipsorum fratrum te faceres obitus tui tempore sepeliri; vos quoque, Marchesia, et ceterae singulae sorores praestitistis eisdem custodi et fratribus professionum vestrarum tempore corporaliter iuramentum, quod ad id nullum impedimentum vel obstaculum praestaretis. Cum autem tu, Aremburgis, desideres (et reliquae cupiant) in coemeterio monasterii tui Petragoricen., in quo tuum ordinem es professa, cum

[1] Defuncto nuper (1305 sept. 4) Matthaeo Ursino s. Mariae in porticu diac. card., qui ipsius ordinis protectorem agebat.

[2] Reg. Vat. t. 52, f. 26 (n. 159).

[3] *Mont-le-Marsan* in custodia Baionensi provinciae Aquitaniae.

[4] Alias: Aturen. *(Aire).*

[5] Reg. Vat. t. 53, f. 36, ep. 106 (n. 1267), apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Clem. V n. 1.

[6] Sorori Eliae VII Taleyrandi comitis Petragoricen.

[7] Filiae praedicti comitis et Philippae vicecomitissae Leomaniae, cuius obtentu Clemens V Geraldo Bassardi clerico Petragoricen. dioec. parochialem ecclesiam de Atreyo Xanctonen. dioec. confert 1306 sept. 8. Cf. Reg. Vat. t. 53, f. 43, ep. 134 (n. 1304).

[8] *Perigueux* in custodia Petragoricen. provinciae Aquitaniae.

te mori contigerit, inhumari [1], nobis humiliter supplicastis, ut providere vobis in hac parte de opportuno remedio dignaremur: nos itaque vestris super hoc supplicationibus inclinati vos et vestrum quamlibet ab huiusmodi praestito iuramento liberamus et absolvimus de apostolicae plenitudine potestatis, ita quod ad ipsius observationem nullatenus teneamini, tibi Aremburgi nihilominus indulgentes, ut iuramento non obstante praedicto possis in praefato ipsius monasterii tui coemeterio iuxta tui ordinis instituta libere sepeliri. Nulli ergo *etc.* Datum Burdegalis, XI kalendas septembris, pontificatus nostri anno primo.

64. Concedit eidem abbatissae, ut cum sororibus sui monasterii in casibus dispensare possit, in quibus minister generalis dispensare valet. [2]

1306, augusti 22, Burdegalis.

Dilectae in Christo filiae Aremburgi abbatissae monasterii sanctae Clarae Petragoricen. ordinis eiusdem sanctae.

Quanto studiosius tu et sorores tui monasterii divinae contemplationi vacatis Domino famulando, tanto tuae et illarum quieti libentius providemus in iis maxime, quae vestrarum salutem respiciunt animarum. De tuae igitur honestatis industria et circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes, ut cum ministri provincialis fratrum ordinis Minorum provinciae Aquitaniae, cum eum in civitate Petragoricen. adesse contigerit, eo vero absente a civitate praedicta cum custodis Petragoricen. eiusdem ordinis consilio et assensu possis cum sororibus tui monasterii et earum qualibet dispensare in omnibus et singulis casibus, in quibus generalis minister eiusdem ordinis cum eisdem sororibus dispensare posset, qualibet apostolica vel praedictorum ordinum constitutione contraria non obstante, auctoritate tibi praesentium indulgemus. Nulli ergo *etc.* Datum Burdegalis, XI kalendas septembris, pontificatus nostri anno primo.

65. Decimas eidem monasterio Petragoricen. a comite Petragoricen. donatas confirmat. [3]

1306, augusti 22, Burdegalis.

Dilectis in Christo filiabus .. abbatissae et conventui monasterii Minorissarum sanctae Clarae Petragoricen. ordinis eiusdem sanctae.

Sacri ordinis vestri religio *etc.* Sane dilectus filius nobilis vir Elias comes Petragoricen. nobis humiliter supplicavit, ut, cum ipse vobis et monasterio vestro dederit perpetuo et concesserit decimas in parochia ecclesiae sancti Laurentii de Pradolf [4] Petragoricen. dioecesis ad eum ut asserit pertinentes, quas ipse et progenitores sui diu possedisse ac habuisse noscuntur, nec non decimas de novalibus eiusdem parochiae, in quantum ad eum ipsae decimae de novalibus pertinebant seu poterunt pertinere, confirmare vobis et eidem monasterio omnes huiusmodi decimas de speciali gratia ex certa scientia dignaremur. Nos itaque ipsius comitis supplicationibus inclinati, donationem et concessionem huiusmodi ratam et gratam habentes, ipsam auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo *etc.* Datum Burdegalis, XI kalendas septembris, pontificatus nostri anno primo.

66. Eximit moniales eiusdem monasterii a decimis solvendis, nisi ordinem mutaverint. [5]

1306, augusti 22, Burdegalis.

Dilectis in Christo filiabus .. abbatissae et conventui monasterii Minorissarum sanctae Clarae Petragoricen. ordinis eiusdem sanctae.

Pietatis opera, cuius observantiae vos pro Christi gloria deputastis, adeo vobis apostolicae sedis gratiam promerentur, quod dignum reputamus et debitum, ut ea, quae cum Deo et honeste possumus, favore vobis benevolo concedamus. Ea propter, dilectae in Christo filiae, vestris supplicationibus inclinati, ut de terris et possessionibus aliisque bonis immobilibus, quae ex contractibus vel quasi contractibus (gratuitis vel etiam onerosis) acquisivistis hactenus vel in futurum annuente Domino licite acquirere vos contigerit, usque ad eam videlicet quantitatem, quod decima fructuum, reddituum et proventuum bonorum eorumdem centum libras Turonen. parvorum secundum ipsius aestimationem decimae annuum valorem non excedat, etiamsi novalia fuerint dicta bona, nulli decimam ipsam solvere ullo unquam tempore teneamini nec aliquis ad id vos arctare valeat, nisi vos ad alium ordinem transferretis, auctoritate vobis praesentium indulgemus; excommunicationis autem vel interdicti aut suspensionis sententias, quas in vos generaliter vel specialiter aut monasterium vestrum propterea ferri contigerit, ex nunc irritas decernimus et inanes et nullius existere firmitatis. Nulli ergo *etc.* Datum Burdegalis, XI kalendas septembris, anno primo.

---

[1] Iuxta regulam Innocentii IV Clarissis concessam anno 1247 (§ 3): *Morientes vero tam sorores quam servientes infra claustrum, prout convenit, tumulentur.*

[2] Reg. Vat. t. 53, f. 36, ep. 107 (n. 1268), apud *Wadd.* l. c. n. 2.

[3] Reg. Vat. t. 53, f. 38, ep. 115 (n. 1279), apud *Wadd.* l. c. n. 3. Cfr. infra n. 97.

[4] Alias: Prador.

[5] Reg. Vat. t. 53, f. 36, ep. 105 (n. 1265), *Wadd.* l. c. n. 4.

67. Concedit universis Christifidelibus, qui vere poenitentes et confessi ad consummationem eiusdem monasterii Minorissarum Petragoricen. subsidia erogaverint, centum dierum, his vero, qui monasterium ipsum singulis annis in festis s. Clarae et s. Francisci visitaverint, unius anni indulgentias. [1]

1306, augusti 22, Burdegalis.

Universis Christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Quoniam, ut ait apostolus *etc. ut infra n. 68.* Dat. Burdegalis, XI kal. septembris, anno primo.

68. Concedit indulgentias ad consummationem monasterii sororum Minorissarum de Rupella s. Clarae Xanctonen. dioec. subsidia erogantibus. [2]

1306, augusti 22, Burdegalis.

Universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis.

Quoniam, ut ait apostolus *etc.* Cum igitur, sicut dilectae in Christo filiae .. abbatissa et conventus monialium sororum Minorissarum de Rupella [3] ordinis sanctae Clarae Xanctonen. dioecesis nobis significare curarunt, monasterium ipsum inceptum sit opere non modicum sumptuoso nec ad consummationem ipsius operis eis propriae suppetant facultates: nos cupientes, ut huiusmodi opus laudabiliter consummetur et quod monasterium ipsum congruis frequentetur honoribus, universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur in Domino, in remissionem vobis pecaminum iniungentes, quatenus de bonis vobis a Deo collatis ad huiusmodi consummationem operis pias eis elemosynas et grata charitatis subsidia ministretis ac ad dictum monasterium imploraturi a Domino delictorum veniam in humilitatis spiritu accedatis. Nos enim, ut Christi fideles quasi per praemia salubriter ad merita invitemus, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui ad praedicti consummationem operis manus porrexerint adiutrices, centum dies, hiis vero, qui monasterium ipsum annis singulis venerabiliter visitaverint, in singulis videlicet beatae Virginis et eiusdem sanctae Clarae ac beati Francisci festivitatibus, unum annum, octo vero diebus festivitates ipsas immediate sequentibus: centum dies de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus. Datum Burdegalis, XI kalendas septembris, pontificatus nostri anno primo.

69. Indulget iisdem Minorissis, ne ulli ex possessionibus ac bonis suis teneantur solvere decimam. [4]

1306, augusti 22, Burdegalis.

Dilectis in Christo filiabus .. abbatissae et conventui monasterii sororum Minorissarum de Rupella s. Clarae Xanctonen. dioc.

Pietatis opera *etc. ut supra n. 66.* Dat. Burdegalis, XI kal. septembris, anno primo.

70. Certum quendam Iohannem praeficit in archiepiscopum ecclesiae Armachan., ad quam Michael Maglochlyn ord. Min. [5] a Benedicto XI non admissus erat. [6]

1306, augusti 27, Burdegalis

Dilecto filio Iohanni electo Armachan. [7]

Cum attentae considerationis indagine *etc.* Dudum siquidem Armachan. ecclesia per obitum bonae memoriae Nicolai Armachan. archiepiscopi solatio destituta pastoris, licet dilectus frater Michael Maglochlyn ordinis fratrum Minorum per viam compromissi fuit per dilectos filios .. decanum et capitulum ipsius ecclesiae in Armachan. archiepiscopum postulatus, felicis tamen recordationis Benedictus papa XI praedecessor noster, postulationis huiusmodi sibi praesentato decreto, postulationem eamdem certis ex causis legitimis non admisit, sed eidem ecclesiae de dilecto filio Dyonisio ecclesiae praefatae decano providit, praeficiendo eum in archiepiscopum Armachan.: qui demum iuri, si quod ei fuerat ex provisione huiusmodi acquisitum, in manibus dilectorum filiorum nostrorum Thomae tituli sanctae Sabinae presbyteri et Petri sancti Viti in Macello diaconi cardinalium renuntiavit libere atque sponte, dictique cardinales de mandato nostro facto eis oraculo vivae vocis resignationem huiusmodi admiserunt. Nos itaque de statu ipsius Armachan. ecclesiae sollicite cogitantes ac volentes paterna sollicitudine praecavere, ne praefata ecclesia prolixioris dispendia vacationis incurrat, ac ad personam tuam, quam odor famae laudabilis nobis reddidit acceptam, cum habearis vir litterarum scientia praeditus, vitae laudabilis, conversationis honestae morumque honestate decorus, discretionis maturitate conspicuus, praeclarus meritis et alias in spiritualibus et temporalibus circumspectus, mentis nostrae dirigentes intuitum, sperantes quoque, quod virtutibus desursum tibi traditis insignitus eamdem ecclesiam salubri dante Domino regimine gubernabis, ipsaque utilis praesidio munita pastoris optatis affluet incrementis, te ipsi ecclesiae

[1] Reg. Vat. t. 53, f. 36, ep. 104*b* (n. 1264).
[2] Reg. Vat. t. 53, f. 36, ep. 104*a* (n. 1263). Cfr. infra n. 95.
[3] *Rochelles* in custodia Xanctonen. *(Saintes)* provinciae Turoniae, quod monasterium Petragoricensi supradicto coniunctissimum erat.
[4] Reg. Vat. t. 53, f. 36, ep. 105*b* (n. 1266).
[5] Cfr. infra n. 170.
[6] Reg. Vat. t. 53, f. 13, ep. 15 (n. 1172).
[7] *Armagh* in Hibernia.

de fratrum nostrorum consilio et apostolicae plenitudine potestatis praeficimus in archiepiscopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesiae tibi in spiritualibus et temporalibus committendo *etc.* Datum Burdegalis, VI kalendas septembris, pontificatus nostri anno primo.

71. Praeficit Arnaldum canonicum Convenarum et capellanum S. P. ecclesiae Pictaven. *(Poitiers)*, vacanti per liberam resignationem Gualteri (ord. Min.), [1] in episcopum et pastorem. [2]

1306, novembris 4, apud Pessacum.

Dilecto filio Arnaldo electo Pictaven.

Pastoralis officii debitum *etc.* Dat. apud Pessacum Burdegalen. dioc., II nonas novembris, anno primo.

72. Concedit universis christifidelibus capellam, quam s. Ludovicus Francorum rex fundaverat et ad quam Philippus rex Francorum caput eiusdem sancti transferri fecit, [3] in festo vel die translationis eiusdem sancti visitantibus indulgentiam duorum annorum, illis vero, qui per octo dies festivitatem et translationem sequentes accesserint, annuatim duas quadragenas. [4]

1306, novembris 6, apud Pessacum.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Praeclara gloriosi confessoris *etc.* Dat. Pessaci prope Burdegales, VIII idus novembris, anno primo.

73. Speciali dilectione erga ecclesiam Burdegalen. ductus religiosis infradictis committit, ut ipsius decanum et canonicos, si forsan excommunicationum sententiis ligati aut simoniacae pravitatis crimine labefacti fuerint, ab huiusmodi sententiis et reatibus absolvant. [5]

1306, decembris 9, apud Villandraldum.

Dilectis filiis .. priori et .. lectori Praedicatorum ac .. guardiano Minorum fratrum ordinum Burdegalen.

Specialis illa dilectio *etc.* Dat. apud Villandraldum, [6] V idus decembris, anno secundo.

74. Andream lectorem domus Iadren. ord. Min. ecclesiae Antibaren. praeficit in archiepiscopum. [7]

1307, februarii 25, apud Pessacum.

Venerabili fratri Andreae archiepiscopo Antibaren. [8]

Ad exequendum pastoralis officii debitum *etc.* Sane vacante dudum Antibaren. ecclesia per obitum bonae memoriae Marini Antibaren. archiepiscopi, dilecti filii .. archidiaconus et capitulum dictae ecclesiae, prout moris est, convenientes in unum pro futuri facienda substitutione pastoris, tamdem post deliberationem super hoc habitam provisionem faciendam ea vice dictae ecclesiae de pastore ad sedem apostolicam remiserunt, potestatem, quam super hoc habebant, in dictam sedem per viam compromissi totaliter transferendo; et licet frater Gregorius [9] tunc episcopus Suacinen. [10] postmodum se a nonnullis ecclesiae praedictae canonicis in Antibaren. archiepiscopum postulari de facto, cum id de iure fieri nequivit, procurarit, mox tamen idem frater Gregorius tam episcopatui Suacinen. [11] quam omni iuri, si quod sibi ex tali postulatione fuisset forsitan acquisitum, in manibus venerabilis fratris P[etri] episcopi Sabinen. et dilectorum filiorum nostrorum I[oannis] tituli sanctorum Marcellini et Petri presbyteri cardinalis [12] de mandato nostro renuntiationem huiusmodi admittentium renuntiavit libere et expresse. Nos igitur attendentes, quam sit onusta dispendiis, quot et quanta pericula secum trahat ecclesiarum vacatio diuturna, et de ipsius ecclesiae ordinatione celeri, ne vacationis exposita remaneret incommodis, attentius cogitantes (post vigilem, quam ad praeficiendam eidem approbatam et fidedignam personam apposuimus, diligentiam) ad te ordinem fratrum Minorum professum, olim lectorem fratrum eiusdem ordinis conventus Iadren., [13] quem litterarum scientia praeditum, nobilitate conspicuum, fama praeclarum, conversationis et morum honestate decorum, discretione et consilii maturitate dotatum, in spiritualibus providum et temporalibus circumspectum, aliisque virtutum donis divinitus tibi traditis multipliciter insignitum novimus, dire-

---

[1] Iste Gualterus, qui in huius op. t. III et IV passim recurrit, quadam de controversia Bertrandum del Goth archiepiscopum Burdegalen., metropolitam suum, offenderat et ab eo postmodum in summum pontificem (nomine Clementis V) exaltato coactus est, ut ab episcopatu se abdicaret. Antequam renuntiavit, erat excommunicationis vinculo innodatus, ut ex pluribus litteris ab eodem Clemente V datis (v. gr. diebus 7 sept. 1305, 28 apr. 1306, 11 ian. 1306) apparet; cfr. Reg. Vat. t. 52, f. 23, 71, 105 (n. 138, 410, 603). De isto Gualtero, qui fama sanctitatis obiit, agunt Bollandistae in Actis sanctorum die 22 ianuarii.

[2] Reg. Vat. t. 53, f. 60, ep. 223 (n. 1405, cfr. 1514).

[3] Vulgo « *la sainte chapelle.* »

[4] Reg. Vat. t. 53, f. 18, ep. 34 (n. 1191), cfr. infra n. 151.

[5] Reg. Vat. t. 54, f. 5, ep. 91 (n. 1582).

[6] *Vilendrault* in Guasconia prope civ. Vasaten. (*Bazas*), unde Clemens V originem traxit.

[7] Reg. Vat. t. 54, f. 7, ep. 105 (n. 1597).

[8] *Antivari* in Dalmatia australi.

[9] Ord. Minorum.

[10] *Soazzo*, quae sedes, olim sub archiep. Antibaren., non existit amplius.

[11] Cui sic vacanti 1307 dec. 24 praeficitur in episcopum Benedictus canonicus Antibaren. Cfr. Reg. Vat. t. 55, f. 47, ep. 252 (n. 2566) et t. 51, f. 35, ep. 136*b* (n. 146).

[12] Hic desideratur nomen alterius cardinalis, nisi superius loco « dilectorum filiorum » legendum est « dilecti filii ».

[13] *Zara* vel *Zadar* in custodia Spalaten. (alias Iadren.) provinciae Sclavoniae.

ximus oculos nostrae mentis; quibus omnibus in considerationem adductis, tam gregi Dominico quam dictae ecclesiae volentes salubriter providere, te de fratrum nostrorum consilio et apostolicae plenitudine potestatis eidem Antibaren. ecclesiae in archiepiscopum praeficimus et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus committentes, tibique postmodum fecimus per venerabilem fratrem L[eonardum] episcopum Albanen. munus consecrationis impendi ac deinde per dilectos filios nostros [1] Landulfum sancti Angeli diaconum cardinalem palleum de corpore beati Petri sumptum, insigne videlicet pontificalis officii, a te cum ea qua decuit postulatum instantia, exhiberi *etc.* Datum apud Pessacum prope Burdegalas, V kalendas martii, anno secundo.

In eumdem modum (verbis competenter mutatis): Dilectis filiis .. archidiacono et capitulo ecclesiae Antibaren.

Ad exequendum *etc.* Dat. ut supra.

In e. m. Carissimo in Christo filio Urosio regi Serviae illustri. [2]

Divinae retributionis praemium et humanae laudis praeconium tibi acquiritur, si ecclesias et personas ecclesiasticas regni tui favore benivolo protegas et prosequaris auxiliis oportunis; nosque ad id eo libentius celsitudinem tuam inducimus, quo magis illam in operum exercitatione bonorum et speramus promptam et facilem invenire. Sane vacante dudum *etc.* Quocirca magnitudinem tuam rogamus et hortamur attente, quatenus praedictum archiepiscopum et eamdem ecclesiam habeas pro apostolicae sedis et nostra reverentia propensius commendatos et eidem archiepiscopo in prosecutione huiusmodi sibi commissae curae ac in recuperandis bonis et iuribus dictae ecclesiae multipliciter (prout accepimus) deperditis et distractis oportuni favoris sic assistas praesidio, quod praefatus archiepiscopus tuo favore suffultus in sollicitudine muneris sibi crediti possit salubriter prosperari, tuque proinde tibi acquiras apud Deum retributionis aeternae praemium et apud homines praeconium clarae famae, ac nos, qui personam tuam sincera complectimur in Domino charitate, devotionem tuam possimus exinde merito commendare. Datum ut supra.

75. Adimit administrationem monasterii Palmen. ord. s. Ben. dioec. Bisuntin. Beatrici de Burgundia ipsius abbatissae, quae quidem, sicut ex inquisitione priori Praedicatorum et guardiano Minorum fratrum ordinum Bisuntin. commissa innotuit, benedictione non recepta extra monasterium commorans bona ipsius dilapidavit, eamque, sicut monialibus ipsius monasterii scribit, abbati mon. s. Mansueti s. Ben. et priori de Tilicastro s. Aug. ordinum atque archidiacono de Portu in ecclesia Tullen. committit. [3]

1307, martii 3, apud Pessacum.

Dilectis in Christo filiabus conventui monasterii Palmen. ord. s. Ben. Bisuntin. dioc.

Dudum ex parte *etc.* Dat. apud Pessacum prope Burdigalas, V nonas martii, anno secundo.

76. Concedit Beatrici comitissae Marchiae, ut ob specialem ad monasteria Cisterc. et s. Clarae ordinum devotionis affectum, quorum plurima ab eius genitoribus sunt fundata ac in quorum pluribus suorum progenitorum corpora sunt sepulta, in monasteria dictorum ordinum in Burgundiae ducatu, comitatu Marchiae aliisque terris, quae fuerunt quondam Hugonis viri eius, consistentia libere valeat ingredi. [4]

1307, martii 30, apud Fayolam.

Dilectae in Christo filiae nobili mulieri Beatrici [5] *comitissae Marchiae et Engolismae.*

Devotionis tuae sinceritas *etc.* Dat. apud Fayolam, III kal. aprilis, anno secundo.

77. Praelatis infra nominatis mandat, ut Gunthero de Biberstein presbytero Vratislavien. dioec., qui, cum mandante b. m. Benedicto XI, tunc episcopo Ostien. et in partibus Silesiae ac Poloniae legato apostolico, quosdam processus contra Henricum episcopum Vratislavien. eiusque complices in ecclesia fratrum Minorum Vratislavien. publicasset, a quibusdam clericis et laicis in ipsam ecclesiam gladiis evaginatis irruentibus, nisi sacristiam dictae ecclesiae, ad quam aufugit, subito intrasset, interfectus esset, bonis vero omnibus tam ecclesiasticis quam mundanis spoliatus et de terris Poloniae, Bohemiae et Moraviae expulsus est, haec bona restitui faciant et malefactores ad sedem apostolicam citare curent. [6]

1307, maii 29, Pictavis.

Venerabili fratri .. episcopo Pragen. et dilectis filiis s. Mariae de Aularegia et s. Aegidii in Nuremborch monasteriorum abbatibus Pragen. et Bambergen. dioc.

Grave gerimus et molestum *etc.* Dat. Pictavis, IV kal. iunii, anno secundo.

78. Indulget Mariae, Franciae reginae viduae, ut propriis sumptibus possit aedificare novum introitum ad monasterium de Longocampo ord. s. Clarae et per eum intrare ibique coenare ac pernoctare. [7]

1307, iunii 1, Pictavis.

Carissimae in Christo filiae Mariae [8] *reginae*

[1] Nomen unius vel alterius cardinalis desideratur.
[2] Cfr. infra n. 108-111.
[3] Reg. Vat. t. 54, f. 140, ep. 664 (n. 2236).
[4] Reg. Vat. t. 54, f. 128, ep. 612 (2161).
[5] Filiae Hugonis IV ducis Burgundiae et coniugi Hugonis XIII de Lusignan, comitis Marchiae et Engolismae.
[6] Reg. Vat. t. 54, f. 43, ep. 240 (n. 1734). Cfr. t. 56, f. 195, ep. 954 (n. 4758), quibus litteris 1309 apr. 16 datis Clemens V idem mandat archiepiscopo Gneznen. et episcopo Poznanien. ac rectori ecclesiae in Olsenitz dioec. Vratislav.
[7] Reg. Vat. t. 54, f. 98, ep. 476 (n. 1975), cfr. 1976-1978.
[8] Filiae ducis Brabantiae; cfr. supra n. 45.

Franciae illustri, viduae relictae clarae memoriae Philippi regis Franciae.

Quanto maiori apud Deum et apostolicam sedem devotionis claritate praerutilas, tanto favorabilius super hiis, quae votis tuis placita fore perpendimus, apostolicae benignitatis affluentiam explicamus. Exposita siquidem nobis tua petitio continebat, quod tu ob ingentis devotionis affectum, quem ad monasterium seu domum sororum de Longocampo ordinis sanctae Clarae Parisien. dioecesis [1] habere dignosceris, desideras de licentia .. abbatissae et sororum ipsius monasterii pro tua habilitate novum introitum facere tuis propriis sumptibus et expensis et eo facto, per ipsum, quandocumque et quotiescumque malueris, intrare cum decenti et honesta comitiva mulierum et virorum ac etiam fratrum Minorum ibique coenare et pernoctare, quotiescumque volueris, abbatissae licentia non petita. Nos itaque tuis desideriis benignius annuentes, devotioni tuae auctoritate praesentium indulgemus, ut praedictum introitum libere de consensu et licentia praedictarum abbatissae et sororum facere et ipso facto per eum, quandocumque et quotiescumque tibi videbitur expedire, intrare ac in ipso monasterio seu domo cum praefata comitiva coenare et pernoctare valeas, praedictae abbatissae licentia non petita. Non obstantibus *etc.* Datum Pictavis, kalendis iunii, pontificatus nostri anno secundo.

79. Concedit nobili mulieri infra nominatae, ut intrare possit monasteria monialium viventium secundum instituta Praedicatorum et Minorum fratrum necnon Cisterciensium et Praemonstr. et Carthus. ordinum, assensu regentium eadem requisito. [2]

1307, maii 31, Pictavis.

Dilectae in Christo filiae nobili mulieri Alidi uxori dilecti filii nobilis viri Ingerami domini de Mangniaco militis.

Personam tuam *etc.* Dat. Pictavis, II kal. iunii, anno secundo.

80. Concedit Margaritae comitissae de Luxemburg, quod comitatus sui monasteria ord. Cisterc. et monasterium de Longocampo iuxta Parisios ord. s. Clarae cum honesta comitiva ingredi valeat, dummodo ibi neque edat neque pernoctet. [3]

1307, iunii 1, Pictavis.

Dilectae in Christo filiae nobili mulieri Margaritae [4] comitissae de Lucemburc.

Pium arbitramur *etc.* Dat. Pictavis, kalendis iunii, anno secundo.

81. Indulget comitissae Ebroicensi, ut cum honesta comitiva mulierum monasteria monialium de Longocampo prope s. Clodoaldum et prope s. Marcellum [5] ord. s. Clarae Parisien. dioec. et alia quorumcumque ordinum ingredi valeat, superiorum non requisita licentia. [6]

1307, iunii 1, Pictavis.

Dilectae in Christo filiae nobili mulieri Margaritae [7] comitissae Ebroicen.

Desideriis tuis *etc.* Dat. Pictavis, kalendis iunii, anno secundo.

82. Concedit omnibus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui ad capellam hospitalis s. Elisabeth de Thuringia de Anneto Carnoten. [8] dioec. in singulis B. M. V. et s. Elisabeth festivitatibus accesserint, unius anni, qui vero per octo dies festivitates ipsas sequentes, centum dierum indulgentias. [9]

1307, iunii 1, Pictavis.

Universis Christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Licet is, de cuius munere *etc.* Dat. Pictavis, kalendis iunii, anno secundo.

83. Praeficit Gottefridum Minoritam ecclesiae Civitatis Castellanae in episcopum. [10]

1307, iunii 5, Pictavis.

Venerabili fratri Gottefrido episcopo Civitatis Castellanae.

Confluentium undique *etc.* Pridem siquidem maiori ecclesia Civitatis Castellanae [11] per obitum bonae memoriae Monaldi [12] episcopi Civitatis Castellanae pastoris solatio destituta, dilecti filii Petrus archipresbyter et capitulum dictae ecclesiae ac clerus Civitatis Castellanae, ad quos communiter electio Civitatis Castellanae, cum ecclesiam praedictam va-

---

[1] De quo vide supra n. 45 et 46.

[2] Reg. Vat. t. 54, f. 45, ep. 248 et f. 54, ep. 280 (n. 1742 et 1775).

[3] Reg. Vat. t. 54, f. 98, ep. 477 (n. 1984).

[4] Filiae Iohannis ducis Brabantiae et uxori Henrici V comitis Luxemburgen. (postea regis Rom.). Cfr. infra n. 141.

[5] De istius monasterii fundatione bulla relata est in huius op. t. IV, p. 5. Monasterium « Humilitatis B. M. V. », cuius ibi mentio fit, idem est ac supradictum de Longocampo a b. Isabella sorore s. Ludovici regis Franc. fundatum. Cfr. huius op. t. II, p. 477.

[6] Reg. Vat. t. 54, f. 98, ep. 476 (n. 1980 cfr. 1974 et 1981-1983).

[7] Filiae Philippi comitis Atrebaten. *(d'Artois)* et uxori Ludovici com. Ebroicen. *(Evreux)*, fratris et successoris Philippi IV regis Franc.

[8] *Chartres* in Francia, olim in Senonensi nunc in Parisiensi provincia ecclesiastica.

[9] Reg. Vat. t. 54, f. 97, ep. 475 (n. 1973).

[10] Reg. Vat. t. 54, f. 28. ep. 184 (n. 1677).

[11] *Civita Castellana* prope Urbem, apostolicae sedi immed. subiecta, non Civ. Castelli sive Tiferni *(Città di Castello)*, sicut insinuat *Wadd.* Ann. Min. ad a. 1306, n. 27.

[12] Ord. Min.; cfr. huius op. t. IV, p. 26.

care contingit, de antiqua et approbata et hactenus pacifice observata consuetudine pertinet, vocatis omnibus, qui voluerunt, debuerunt et potuerunt commode interesse, certa die ad eligendum praefixa convenientes in unum, post diversos tractatus super hoc habitos, deliberaverunt finaliter in huiusmodi electionis negotio per viam procedere compromissi; sicque dicti capitulum atque clerus dicto Petro archipresbytero et dilectis filiis Pandulfo canonico praedictae maioris, Martino sancti Clementis et Nicholao sancti Benedicti presbyteris ecclesiarum Civitatis Castellanae providendi ea vice de persona idonea undecumque ipsi maiori ecclesiae (suo et omnium aliorum de dictis capitulo atque clero nomine) in pastorem concesserunt unanimiter et concorditer potestatem, promittentes illum in eorum episcopum recipere et habere, quem iidem compromissarii vel eorum quicumque suo et reliquorum nomine ducerent eligendum. Sane compromissarii antedicti huiusmodi potestate recepta recedentes in partem, habito super hoc inter se diligenti tractatu, demum in te fratrum Minorum ordinis professorem direxerunt unanimiter vota sua, dictusque archypresbyter auctoritate concessionis huiusmodi te, dictorum collegarum suorum mandato, de suo et eorumdem collegarum nec non capituli et cleri nomine in episcopum Civitatis Castellanae elegit ac praefatis capitulo atque clero electionem huiusmodi solemniter publicavit. Cumque tu, qui postmodum praesentatae tibi electioni praedictae ad eorum magnam instantiam de tui superioris licentia consensisti, ad sedem apostolicam accessisses pro eiusdem electionis negotio prosequendo, tam per te quam per procuratorem archipresbyteri, capituli et cleri praedictorum fuit nobis (servatis in hiis omnibus statutis a iure temporibus) humiliter supplicatum, ut electionem confirmare praedictam de benignitate apostolica dignaremur. Nos autem per venerabilem fratrem N[icolaum] Ostien. episcopum et dilectos filios nostros G. [1] tituli sancti Martini in montibus presbyterum ac F[ranciscum] sanctae Mariae in Cosmedin diaconum cardinales tam ipsius electionis formam quam tuae personae merita examinari fecimus diligenter. Et quia electionem ipsam invenimus de te persona idonea canonice celebratam, eam auctoritate apostolica de praedictorum episcopi, cardinalium et aliorum fratrum nostrorum consilio confirmantes, te ipsi ecclesiae Civitatis Castellanae praeficimus in episcopum et pastorem, plenam tibi curam et administrationem ipsius in spiritualibus et temporalibus committendo ac faciendo tibi postmodum per praedictum Ostien. episcopum munus consecrationis impendi *etc.* Datum Pictavis, nonis iunii, pontificatus nostri anno secundo.

In eundem modum a) *Dilectis filiis capitulo ecclesiae ac clero Civitatis Castellan.* b) *Dilectis filiis clero diocesis Civ. Castellan.* c) *Populo civitatis et diocesis Civ. Castellan.*

84. Fratribus Minoribus (et Praedicatoribus) in terras infidelium vel schismaticorum proficiscentibus confirmat privilegia ab Alexandro IV concessa, additis aliis privilegiis et indulgentiis. [2]

1307, iulii 23, Pictavis.

Dilectis filiis fratribus de ordine fratrum Minorum in terras Saracenorum, Paganorum, Graecorum, Bulgarorum, Cumanorum, [3] *Iberorum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Sichorum,* [4] *Rutenorum, Iacobitarum, Nubianorum, Nestorianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Moclitorum,* [5] *aliarumque non credentium nationum Orientis et Aquilonis seu quarumcumque aliarum partium proficiscentibus.*

Cum hora undecima sit diei hominibus, ut exeant ad opus usque ad mundi vesperam deputati, et illud Apocalypsis (10, 11) elogium cito credatur cum matris ecclesiae consolatione complendum, videlicet oportere viros spirituales, vitae munditiam et intelligentiae gratiam cum Ioanne sortitos, populis et gentibus, linguis regibusque multis denuo prophetizare, quia non sequetur reliquiarum Israel per Isaiam (10, 21 et 22) prophetizata salvatio, nisi iuxta Paulum apostolum (*Rom.* 11, 25) prius introeat gentium plenitudo: nos, licet immeriti super apostolicae sedis speculam constituti, fideliter ac prudenter dispensandis Dei ministeriis et operibus coadiuvandis intendimus, si vergente plenitudine temporis post pia priorum studia in vineam Domini Sabaoth novos et pene novissimos, qui sapientiam longum didicere per otium, operarios mittere procuramus. Vos igitur, quos iuxta professae religionis officium zelus comedit animarum et [qui] cum quadriga quarta, quam variis charismatum donis et fida fortitudine trahitis, ubique discurrere ac vexillum regis gloriae procul levare gestitis, ad gentes, quae Iesum Christum Domi-

---

[1] Gentilem ord. Min.; cfr. supra n. 7 et 8, infra n. 91.

[2] Cfr. *Wadd.* Ann. Min. ad a. 1307, n. 15 et huius op. t. II, p. 285.

[3] In bulla Alexandri IV inter « Cumanorum » et « Iberorum » inserta sunt nomina « Aethiopum, Syrorum. »

[4] Alias Zichorum i. e. incolarum terrae Ziquiae vel Zechiae, ad pontum Euxinum, confinis Gazariae et Gothiae partibus, in qua Ioannes XXII archiepiscopatum Matrigen. et episcopatum Lucucen. erexit.

[5] Alias: Meclitorum; legendum videtur: Melchitarum. In bulla Alex. IV inter hoc nomen et verba « aliarumque infidelium nationum » inserta sunt nomina « Tartarorum, Hungarorum, maioris Hungariae. »

num non agnoscunt, et ad subtractionis filios, qui sacrosanctae Romanae ecclesiae non obediunt, destinamus, vobis in remissionem peccatorum omnium iniungentes, quatenus seminaturi super aquas multas (*Is.* 32, 20), in illo tantum, qui dixit se mundum vicisse (*Io.* 16, 38), confisi, ad illuminationem caecae multitudinis et exterminium haereticae falsitatis, ad confirmandum nutantium animos et fidelium confortandos in luce sermonis et rectitudine operis, propositum vobis iter sine quorumlibet offensione curratis.

Ut autem ministerium vestrum honoretur plenius et honorabilius impleatur, praesentium vobis auctoritate concedimus, ut in terris, quae adhuc sedis apostolicae magisterio non intendunt, proponere verbum Dei et constitutis ibidem (non obstante, si aliqui sunt excommunicatione ligati) in verbis, officio et cibo ac in aliis secure communicare, et ipsos seu alios converti ad unitatem christianae fidei cupientes recipere, baptizare et aggregare filiis ecclesiae sanctae possitis; [1] ipsisque taliter aggregatis illi ex vobis, qui fuerint in sacerdotio constituti, ubi episcoporum catholicorum copia non extiterit, sacramentum confirmationis conferre ac nihilominus uti oleo et chrismate antiquis, cum in eisdem partibus novum oleum sine magna difficultate haberi non possit, habere valeant (constitutionibus super his in contrarium editis non obstantibus), nec non aggregatos eosdem insignire caractere clericali et ipsos ad acolitatus ordinem promovere. Liceat etiam vobis ibidem redeuntibus ad obedientiam sedis apostolicae, qui sunt excommunicatione ligati, absolutionis beneficium iuxta formam ecclesiae impertiri et super eo [2] dispensare cum ipsis, qui sacros ordines receperunt et divina celebrarunt officia sic ligati. Hoc ipsum vobis sit licitum circa illos de terris eisdem, qui temporibus indebitis vel infra aetatem legitimam aut qui omnes eadem die vel qui superiores praetermissis inferioribus conferre seu recipere ordines praesumpserunt, si tamen in hoc servata forma ecclesiae talis extiterit, per quam ordines recepissent. Vobis praeterea dispensare liceat, ut illi ex nationibus vestrae praedicationi commissis, qui post susceptionem sacrorum ordinum vel in gradibus et casibus a divina lege minime prohibitis matrimonia contraxerunt, remaneant in iisdem; et ii, qui ad catholicae ecclesiae redierunt unitatem, ut inter suos habitent eisque communicent, necnon quod clerici nationum ipsarum publice ad obedientiam sedis apostolicae redeuntes gaudeant privilegio clericali. Similiter vobis liceat omnium fidelium in terris praedictis confessiones audire ac ipsis iniungere poenitentias salutares et excommunicatos a canone vel alio modo iuxta ecclesiae formam absolvere, dummodo iniuriam et damna passis satisfaciant competenter. Cum irregularibus partium earumdem in illis casibus, in quibus solent legati sedis apostolicae dispensare, ac etiam cum clericis ipsarum partium patientibus defectum natalium, dummodo non sint de adulterio vel incestu aut regularibus procreati, sit vobis dispensandi facultas; quam circa illos similiter habeatis, qui ab unitate ecclesiae catholicae seu religione vel clericali ordine discesserunt, si humiliter redire voluerint et digne satisfacere de commissis; ita quod ipsi religiosi ad sua loca salva disciplina ordinis resumantur, et illos ex iam dictis, qui excommunicationis vinculo sunt astricti, iuxta praemissam formam et praedictae satisfactionis modum absolvere valeatis, et cum irregularibus ex eisdem, sicut est expressum superius, dispensare. Ad haec sit vobis absolvendi facultas occisores clericorum et religiosorum praedictorum, in praedictis partibus constitutos; fundandi de novo ecclesias et reconciliandi illas, quae sunt casu aliquo prophanatae, ac de novo fundatis de rectoribus idoneis providendi, et [illis], qui de gentibus vel schismaticis noviter sunt conversi, dandi licentiam, ut uxores suas, cum quibus in gradibus a lege divina non prohibitis contraxerunt, valeant retinere; de causis matrimonialibus, quas in partibus illis ad audientiam vestram deferri contigerit, legitime cognoscendi ac discordantes inter se ad invicem, quod ad pacem et concordiam redeant, nec non quod inordinate viventes de suis excessibus, sicut iustum fuerit, satisfactionem exhibeant, compellendi per censuram ecclesiasticam vobis libera sit potestas.

Insuper in locis, in quibus vos hospitari contigerit, vel in locis partium earumdem, in quibus residentiam facietis, missam et caetera officia divina celebrare in eisdem partibus, coemeteria benedicere, concedere indulgentias et commutare vota facultatem et licentiam habeatis. Ceterum vobis concedimus, quod a catholicis patriarchis, archiepiscopis et episcopis possitis ordines et alia sacramenta ecclesiastica suscipere ac vestes sacerdotales altaris, pallas et corporalia per eos, qui ex vobis sunt presbyteri, cum necesse vobis fuerit, benedicere, ubi catholicorum episcoporum copia non habetur; nec non alia facere, quae ad augmentum divini nominis et ampliationem catholicae fidei ac repro-

[1] Loco verborum, quae proxime sequuntur usque ad « necnon aggregatos eosdem », legitur in bulla Alexandri IV solummodo: « et presbyteri ex vobis ipsos aggregatos possint », ita ut de conferendo sacramento confirmationis sermo ibi non sit.

[2] Intellige: « irregularitate ».

bationem et irritationem [deserviunt] [1] illorum, qui sacris traditionibus contradicunt, sicut pro loco et tempore videritis expedire. [2] Et ut fructum de vestris laboribus reportetis et sentiatis ex eis aeternae salutis vobis commoda uberius proventura, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, vobis et cuilibet vestrum vere poenitentibus et confessis illam indulgentiam praesentium auctoritate concedimus, quam proficiscentibus in terrae sanctae subsidium sedis apostolica concedere consuevit; ac nihilominus, ut christifideles quasi per praemia salubriter invitemus ad merita, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui ecclesias et loca fratrum dicti vestri ordinis in partibus praemissis constructa et imposterum construenda causa devotionis seu eleemosynae faciendae ipsis fratribus singulis diebus visitaverint, centum dies de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus. Vobis insuper apostolica auctoritate concedimus, ut in civitatibus, castris vel villis seu locis quibuscumque ad habitandum domos ac loca quaecumque de novo recipere seu hactenus recepta mutare, aut ea venditionis, permutationis, donationis aut cuiusvis alienationis titulo in alios usus transferre, prout utilius id fieri cognoveritis, de nostra ac dictae sedis speciali licentia valeatis: non obstante prohitione fel. record. Bonifatii papae VIII praedecessoris nostri, [3] qua cavetur, ne aliquis vel aliqui de Praedicatoribus et Minoribus ac religiosis aliis Mendicantibus, quibuscumque super hoc privilegiis muniti existant, praedicta praesumant absque sedis apostolicae licentia speciali plenam et expressam faciente de prohibitione huiusmodi mentionem, quodsi secus actum fuerit, irritum determinatur et inane. Volumus autem et apostolica auctoritate decernimus, ut illa, quae de iure vel de observata consuetudine ad episcopalem iurisdictionem seu dignitatem dumtaxat pertinent, vobis seu quibuscumque aliis fratribus vestri seu cuiuscumque alterius ordinis ad terras non credentium transeuntibus seu iam ibidem existentibus auctoritate apostolica iam concessa vel in posterum concedenda, nisi in illis tamen partibus, in quibus catholici episcopi non fuerint, nec vos nec alii alterius ordinis exercere curetis, decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super his a quoquam scienter vel ignoranter fuerit attentatum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis, licentiae, facultatis, potestatis, relaxationis, voluntatis, et constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Pictavis, X kalendas augusti, pontificatus nostri anno secundo.

In e. m. dilectis filiis fratribus de ordine fratrum Praedicatorum.

85. Ioannem de Montecorvino ord. Min. constituit archiepiscopum Cambalien. apud Tartaros. [4]

1307, iulii 23, Pictavis.

Dilecto in Christo filio fratri Ioanni de Montecorvino [5] *ordinis fratrum Minorum per nos in archiepiscopum Cambaliensem* [6] *electo et constituto.*

Rex regum, salvator noster Iesus Christus inter alia caritatis opera, quae hominibus laborantibus in hac valle miseriae magis necessaria et in conspectu divinae maiestati plus accepta fore noscuntur, evangelicae praedicationis officium, in quo fratres tui ordinis habent incumbere assidue ut solliciti pastoribus ecclesiae adiutores, maioris privilegii voluit praerogativa praeferri. Propterea, ut sermo Domini dignis progressibus provehatur, oportet viros spirituales, vitae munditiam et intelligentiae gratiam cum Iohanne sortitos, qui populis et gentibus, linguis regibusque multis Christum Dominum praedicent, praesertim in partibus illis, ubi negotium catholicae fidei patrocinium salutaris propagationis implorat, in partem huiusmodi pastoralis sollicitudinis deputari. Sane nuper ad notitiam nostram et dictae sedis apostolicae fide digna relatione pervenit, quod tu olim, [7] zelo orthodoxae fidei Christianae accensus, ex praemisso consensu ac ordinis tui generalis ministri licentia speciali, ut lucrifaceres animas infidelium Deo vivo, ad ipsas infidelium orientalium partes te personaliter transtulisti, et interioris dominii Tartarorum partes [8] ingressus plures infidelium per lavacrum sacri baptismatis ad veram fidem Christi, favente tibi Spiritus sancti gratia, reduxisti [9] fideliter et attente. [Considerantes igitur attentius clara huius sanctae operationis studia te in dictis partibus existentem de fratrum nostrorum consensu et apostolicae plenitudine potestatis in civitate Cambalien., magna utique et honorabili regni magnifici

[1] Hoc vel simile verbum inserendum desideratur tum in hac bulla tum in bullis Alex. IV die 19 apr. 1258 et Ioannis XXII die 23 oct. 1321 (v. infra) hac de re editis.

[2] Quae proxime sequuntur usque ad clausulam prohibitivam, desunt in bulla Alex. IV.

[3] Quae exstat in sexto decret. lib. 5, tit. 6 de excessibus praelat. et subdit. cap. un. « Cum ex eo ».

[4] Cfr. *Wadd.* Ann. Min. ad a. 1307, n. 10-14, et *Raynaldi* Ann. eccl. ad a. 1307 n. 20. Mutilus huius bullae textus reconstructus est e bulla, quae proxime sequitur.

[5] In Apulia. Cfr. huius op. t. IV, p. 84, not. (a).

[6] *Cambalù* alias *Peking* in imperio *Cathay* sive Sinarum.

[7] Circa a. 1280, ordinem Min. regente fr. Bonagratia.

[8] Nempe: Cathay, ubi sedes imperii Tartarici erat.

[9] Sicut liquet e litteris eiusdem fr. Ioannis a. 1305 exaratis et a *Wadd.* Ann. Min. ad a. 1305, n. 13 et 14, publicatis.

principis magni regis Tartarorum in archiepiscopum assumimus et praeficimus in pastorem, curam et sollicitudinem animarum omnium existentium in toto dominio Tartarorum tibi plenariam committentes tibique exercendi omnia, quae ad iura archiepiscopalia spectare noscuntur, prout permittunt canonicae sanctiones, eadem auctoritate concedentes plenam et liberam potestatem. [1] Dat. Pictavis, X kalendas augusti, anno secundo.]

86. Minoritas infra nominatos constituit episcopos suffraganeos archiepiscopalis sedis Cambalien. [2]

1307, iulii 23, Pictavis.

Dilecto filio fratri Andreae de Perusio ord. fratrum Minorum per nos assumpto in episcopum archiepiscopalis sedis Cambalien. in dominio Tartarorum.

Rex regum *etc. m. m. ut supra n. 85 usque* potestatem. Ut autem in eisdem partibus incrementum salutis animarum perfectius provenire valeat et fides catholica semper de bono in melius per evangelicae praedicationis doctrinam auctore Domino prosperetur, nos (summi regis magisterio eruditi, qui inclinata coelorum altitudine, ut hominem redimeret, factus homo, discipulos, quos elegit, in universum mundum misit evangelium praedicare) cupientes viros providos et discretos, scientes ad salutem populos incredulos erudire, in partem huiusmodi sollicitudinis evocare, qui rectas faciant semitas Dei nostri et populum acceptabilem ei reddant, te sufficienter in lege Domini eruditum, vita et religione conspicuum, morum honestate decorum ac multarum virtutum titulis commendatum, de fratrum nostrorum consilio et apostolicae potestatis plenitudine in adiutorium commissae dicto fratri Ioanni sollicitudinis pro maiori animarum salute specialiter deputamus ac in dicto dominio in episcopum assumimus et praeficimus in pastorem, mandantes auctoritate praesentium venerabili fratri Ioanni [3] Portuensi et dilectis filiis nostris Ioanni tituli sanctorum Marcellini et Petri presbytero ac Lucae sanctae Mariae in via lata diacono cardinalibus, ut tibi auctoritate nostra faciant munus consecrationis impendi, et constituentes te suffraganeum archiepiscopi supradicti, tibi nihilominus et successoribus tuis episcopis in eodem dominio succedentes, ut omnibus et singulis gratiis et concessionibus, quas nuper per litteras nostras fratribus dicti ordinis in terras Saracenorum, Paganorum et aliorum infidelium proficiscentibus auctoritate apostolica duximus indulgendas, [4] auctoritate nostra libere uti possis. Volumus itaque ac tibi in remissionemi niungimus peccatorum, quatenus, huiusmodi commissum tibi pastorale officium in Dei et nostro nomine devote suscipiens, cum divinae benedictionis gratia ad partes easdem te personaliter transferas, propositurus ibi verbum divinum, prout Spiritus sancti gratia dabit tibi, ac de nostro et apostolicae sedis favore plene confisus dictum officium sic solerter et sollicite secundum datam tibi a Deo prudentiam exequi studeas, ut fructum afferas et fructus tuus manens in prolem filiorum adoptionis excrescat, ac sponsa Christi ecclesia, de sua foecunditate in Christo sponso suo congaudens, fidelem et utilem ministrum se destinasse laetetur, et dictarum partium populi salutis et quietis angelum suscepisse in Domino glorientur, tuque proin nihilominus ipsius ecclesiae gratiam et divinae retributionis gloriam uberius merearis. Datum Pictavis, X kalendas augusti, pontificatus nostri anno secundo.

In e. m. dilecto filio Nicolao de Bantia [5] *eiusdem ordinis.*

In e. m. dil. fil. fr. Gerardo Albuini eiusdem ordinis.

In e. m. dil. fil. fr. Ulrico de Soyfridstorf [6] *eiusdem ordinis.*

In e. m. dil. fil. fr. Peregrino de Castello eiusdem ordinis.

In e. m. dil. fil. fr. Guilelmo de Villanova [7] *eiusdem ordinis.*

---

[1] Scriptor libri « de aetatibus », qui Ioannes de Montiliano sive de Utino ord. Min. esse videtur, minime vero b. Odoricus Utinensis, sicut insinuat *Wadd.* Ann. Min. ad a. 1305, n. 12 (cfr. *Sbar.* Suppl. ad Script. Ord. Min. n. 2314), de ista potestate haec narrat: « Concedit autem dominus papa Clemens fratri « Ioanni in privilegio seu dicta bulla, ut ipse factus archiepi- « scopus episcopos instituere et consecrare possit, et sacerdotes « et clericos in civitatibus et provinciis orientalibus; et etiam « auctoritate sua concedit ei, ut, sicut dominus papa in occiden- « tali et latina ecclesia praesidet summus pontifex super omnes « episcopos et praelatos uti Christi vicarius, ita et frater Ioannes « summus archiepiscopus praesideat super omnes episcopos et « praelatos in partibus illis hoc pacto et titulo, ut semper se « subditum Romano pontifici confiteatur et ob usum pallii reco- « gnoscat, et tam ipse frater Ioannes quam omnes archiepiscopi « Cambalien. futuri per saecula Romanae ecclesiae subiaceant in « his pactis. Commendat etiam dominus papa in eadem bulla « fratrem Ioannem, quod ecclesias construxerit et picturas novi « et veteris testamenti in eis depingi fecerit in testimonium mi- « rabilium operum Dei nostri, ut rudes populi, quia nunquam ista « audiverunt nec sciverunt, per picturas ipsas discant Deum in- « telligere et admiranda opera eius ».

[2] Reg. Vat. t. 54, f. 138, ep. 652 (nn. 2216-2221).

[3] Minio de Muro Vallium ord. Min., olim ministro generali.

[4] Cfr. supra n. 84.

[5] In Apulia, qui tunc ministrum provinciae s. Francisci agebat.

[6] Recte « Seyfridsdorf » in Germania.

[7] *Villeneuve* in Provincia. Hic G., qui postmodum episcopus Sagonen. et dein Tergestin. factus est, iter in imperium Tartar.

87. Mandat infradictis episcopis ex ord. Min., ut Iohanni de Montecorvino ord. fratrum Min. in archiepiscopum Cambalien. assumpto munus consecrationis impendant assignentque pallium. [1]

1307, iulii 23, Pictavis.

Dilectis filiis Gerardo Albuini, Ulrico de Seyfridsdorf, [2] *Guilelmo de Villanova, Nicolao de Bantia,* [3] *Andreae de Perusio et Peregrino de Castello, ord. fratrum Minorum, per nos assumptis in episcopos suffraganeos archiepiscopalis sedis Cambalien. dominii Tartarorum.*

Nuper considerantes *etc.* Dat. Pictavis, X kal. augusti, anno secundo.

88. Concedit archiepiscopo Cambalien. ex ord. Min., quod quivis unus ex sex fratribus episcopis ord. fr. Min. ipsi in adiutorium deputatis munus consecrationis sibi impendere palliumque assignare possit. [4]

1307, iulii 23, Pictavis.

Dilecto filio fratri Iohanni de Montecorvino de ord. fratrum Minorum per nos in archiepiscopum Cambalien. assumpto.

Pridem considerantes *etc.* Dat. Pictavis, X kal. augusti, anno secundo.

89. Fratribus Minoribus de Sumidrio, qui ob frequentes inundationes in domo sua sine periculo remanere non valent, concedit licentiam transeundi ad alium locum in eodem oppido situm. [5]

1307, iulii 28, Pictavis.

Dilectis filiis .. guardiano et fratribus ordinis Minorum de Simudrio [6] *Nemausen. dioecesis.*

Clara ordinis vestri religio, virtutum fecunditate referta et per bonorum operum studia a Domino stabilita, ex suae institutionis exordio ad robur et incrementum erecta fidei orthodoxae, per insignium gratiam meritorum et sacrae praedicationis doctrinam uberes in universali ecclesia honestatis et salutis fructus semper protulit et proferre assidue comprobatur. Quare tam insignem et sanctam religionem ac professores ipsius sincera diligentes in Domino charitate, eos in locis, in quibus ex illis fructus uberior expectatur, affectuosius cupimus collocare ac non indigne intendimus ad quaevis impedimenta super hoc submovenda, cum expedit, apostolicae sedis studium efficax adhibere. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat, quod a paucis temporibus citra flumen Viderle in tantum excrevit, quod domum vestram de Simudrio una cum claustris et magna parte ecclesiae domus eiusdem omnino destruxit ac nihilominus cimiterium dicti loci subintrans corpora defunctorum ibidem temporibus retroactis sepulta de tumulis ipsorum evulsit, illa in diversas partes secum ducens: propter quod, et etiam cum hoc idem alias ibidem contigerit, necnon [propter] frequentes inundationes aquarum, quae pluries inibi evenerunt, in dicto loco de Simudrio sine magno vestro periculo remanere aliquatenus non valetis. Quare nobis humiliter supplicastis, ut, cum carissimus in Christo filius noster Philippus [7] rex Francorum illustris de alio loco magnifico, idoneo et securo apud dictum locum de Simudrio ob amorem divini nominis gratiose vobis mandaverit provideri, transeundi ad alium locum vobis auctoritate apostolica licentiam benignius largiremur. Nos itaque, cupientes vestris in hac parte necessitatibus salubriter providere, vestris supplicationibus inclinati, transferendi vos de dicta domo ad alium locum in dicto loco Simudrii vobis idoneum auctoritate apostolica licentiam concedimus specialem: constitutione felicis recordationis Bonifatii papae VIII praedecessoris nostri *etc.* [8] et qualibet alia constitutione contraria super hoc edita non obstante. Nulli ergo *etc.* Datum Pictavis, V kalendas augusti, pontificatus nostri anno secundo.

90. Episcopis Xanctonen. et Lectoren. mandat, ut inquirant de vita et miraculis recol. mem. Ludovici episcopi Tolosani ord. Min. [9]

[1307, augusti 3, Pictavis.]

Venerabilibus fratribus Guidoni Xanctonen. et Raymundo Lectoren. episcopis.

Ineffabilis providentia Dei congruentia singulis quibuscumque temporibus ordinare dispensans in

---

cum aliis coepiscopis non videtur arripuisse (cfr. infra n. 112). Nicolaus et Ulricus praedicti una cum fr. Andreuccio de Assisio eiusdem ord. Min., quem ipsum nonnulli in episcopum suffr. archiepisc. sedis Cambalien. assumptum esse dicunt, « in ingressu Indiae inferioris in terra quadam crudelissima » perierunt. Ceteri tres usque Cambalum pervenerunt ibique secundum mandatum apostolicum, de quo in bulla sequenti, fr. Ioanni de Montecorvino in archiepiscopum Cambalien. assumpto munus consecrationis impenderunt palliumque assignarunt et ab eo postmodum successive episcopi Zaytonen. in eodem imperio Tartarorum constituti sunt. Primus episcopus Zaytonen. erat Gerardus, qui paulo post obiit; ei successit Peregrinus, quo a. 1323 mortuo Andreas huic ecclesiae praefectus est, cuius litteras a. 1326 ad guardianum conventus Perusini scriptas *Wadd.* Ann. Min. ad a. 1326 n. 2 exhibet. Ioannes de Montecorvino circa annum 1330 sanctissime obiit. Cfr. *Historisch-politische Blätter*, t. 37, p. 225-252, et *Marcellino da Civezza*, Storia universale delle Missioni Francescane, t. III passim, et infra n. 176.

[1] Reg. Vat. t. 54, f. 108, ep. 45 de curia (n. 2300).

[2] In mscr. « Seistdstorf ».

[3] In mscr. « Bontra ».

[4] Reg. Vat. t. 54, f. 108, ep. 46 de curia (n. 2301).

[5] Reg. Vat. t. 54, f. 119, ep. 578 (n. 2110).

[6] Alias: Sumidrio *(Sommières)* in custodia Neumasen. provinciae Provinciae.

[7] Huius nominis quartus, cognominatus « Pulcher ».

[8] Cfr. n. 84, not. ult.

[9] Reg. Vat. t. 54, ep. 282 (n. 1777).

splendoribus sanctorum ecclesiam suam quasi ex utero genuit, dum eos in exordio ipsius nascentis ecclesiae crebra miraculorum corruscatione mirificans et in ipsorum miraculorum fulgore obstupefaciens gentes ac praedestinatos in fide generans Iesu Christi, in cuius haec fieri nomine videbantur, ipsos filiorum adoptionis numero aggregavit. Deinde, crescente fidelium numero et multitudine populi vocati de tenebris ambulare (iuxta Isaiae vaticinium) in lumine Domini Dei sui, mirabilis dispensator in pluviam fulgura sua fecit, dum (signis sive miraculis, quae non erant iam fidelibus necessaria, intermissis) super novos populos pastores, qui eos pascerent scientia et doctrina, sicut per os Ieremiae promiserat, suscitavit, doctores ecclesiae scilicet, qui terram cordis fidelium imbre doctrinae compluerent et extirpatis sentibus vitiorum eam ad proferendum virtutum germen et fructum boni operis fecundarent. Verum quia charitate frigescente ab exercitio boni operis torpet catholicus, errore devio adducente delirat haereticus, caecutit velamine adhuc super cor permanente iudaeus et in tenebris ambulat fide lucis nondum sibi oriente paganus: misericors Dominus, qui neminem vult perire, signa interdum innovat et mirabilia miseratus immutat, ex numero illorum, quos in ecclesia triumphante glorificat, aliquorum fidem et merita declarando in ecclesia militante miraculis, ut per ea catholici mentis torpore discusso ad boni operis excitentur instantiam, haeretici errore dimisso ab invio reducantur ad viam, iudaei atque pagani cognito vero lumine de tenebris et umbra mortis currant ad Christum « lucem, viam, veritatem et vitam ». Profecto non sine laudis iubilo dignae laeti referimus, quod, sicut dudum veridicae famae divulgatis reseravit eloquium ac nuper ad nos venerabilium fratrum nostrorum P[etri] Arelaten., G[uilelmi] Ebredunen. et R[ostagni] Aquen. archiepiscoporum et suffraganeorum suorum ac dilectorum universitatis hominum Massiliensium fide digna relatione pervenit, quod recolendae memoriae Ludovicus episcopus Tolosanus, charissimi in Christo filii nostri C[aroli] Siciliae regis natus, ab ipso suae iuventutis exordio, tamquam praedestinatus ad gloriam raereditatis aeternae, innocentiae semitis divina inspiratione perrexit, et in eo aetate succrescente gradatim ipse gloriosis virtutibus et fama concrevit, ac deinde (spretis pompis et vanitate mundanis) Christi pauperis vestigia prosequens et in ordine fratrum Minorum professorum paupertatis devotam professionem emittens [1] laudabiliter gessit iugum observantiae regularis; vocatusque postmodum ad regimen ecclesiae Tolosanae [2] sic sibi per vitae meritum sicque aliis proficere studuit per exemplum, sic quoque mundanis omnino relegatis affectibus se Deo gratam et acceptabilem hostiam immolavit, quod per grandia eius praecelsaque merita, ipso demum de hac luce subtracto, [3] et reddito eius spiritu Patri luminum, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Io.* 1, 9), etiam ante quam eius corpus iuxta sui dispositionem arbitrii [4] apud locum dictorum fratrum in praedicta civitate Massiliensi traderetur ecclesiasticae sepulturae, et successive postmodum ipse Pater altissimus, qui eum in suae consortem haereditatis firmiter creditur elegisse, multa et evidentia est miracula [5] operatus. Et quamvis pro parte archiepiscoporum, suffraganeorum et universitatis eorumdem fel. record. Bonifatio papae VIII praedecessori nostro iis semel et iterum reverenter expositis et cum instantia multa petito, ut super praemissis inquiri faceret diligenter et veritate sibi patefacta lucidius ad eiusdem Ludovici canonizationem procederet iuxta ritum; quia tamen, antequam praedecessor ipse potuisset de praedictis per exactae discussionis indaginem informari, fuit de hac luce subtractus, petitioni et instantiae praeditorum taliter repetitis nequivit votiva satisfactio provenire: quare archiepiscopi, suffraganei et universitas supradicti nobis per eorum patentes litteras supplicarunt, quatenus eumdem Ludovicum sanctorum patrum catalogo ascribere curaremus, ut auctoritate, sicut convenit, apostolica dignus honor illi exhiberetur in terris, qui, prout claris signis et evidentibus argumentis apparet, honoratur in coelis. Licet igitur, quod divina clementia dignis effert honoribus, humana devotio promptis affectibus honorare debeat et devotionis laudibus revereri, nos tamen in huiusmodi negotio apostolicae sedis consuetam et debitam maturitatem observare volentes fraternitati vestrae de fratrum nostrorum consilio per apostolica scripta mandamus, quatenus de vita et moribus praefati Ludovici, cum praesentis perageret vitae cursum, ac de huiusmodi meritis et miraculis, veritate di-

[1] Anno 1296 in vigilia nativitatis Domini.

[2] Die 29 decembris 1296; cfr. huius op. t. IV, p. 422, ubi corrigenda est nota a, qua affirmatur, s. Ludovico episcopo Tolosano etiam administrationem ecclesiae Apamien. commissam esse, « quia Bonifatius VIII Bernardum Saissetum ad illius regimen, sicut Philippus rex Francorum postulaverat, admittere noluit »; constat enim, istum Bernardum a Bonifatio VIII iam die 23 iulii 1295 in episcopum Apamien. esse promotum.

[3] Die 19 augusti 1297 (non 1298 vel 1299); constat enim, iam 2 decembris 1297 ecclesiae Tolosan. per ipsius obitum vacanti Arnaldum Rogerii praefectum esse in episcopum.

[4] Factam ipso sui obitus die, quam Antonius Pagius publicavit ad calcem sermonum s. Antonii Patavini.

[5] Quae referuntur a Sedulio, Waddingo, Bollandi continuatoribus atque infra n. 257 in bulla canonizationis.

ligentius inquisita, quidquid super iis vos invenire contigerit, nobis scriptum fideliter sub vestris sigillis per fideles et idoneos nuntios remittere studeatis. Datum [Pictavis, III nonas augusti, pontificatus nostri anno secundo]. [1]

91. Committit Gentili cardinali (ex ord. Min.) legationis officium in regno Hungariae et in Poloniae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Serbiae, Lodomeriae, Galatiae, Cumaniaeque partibus. [2]

1307, augusti 8, Pictavis.

Dilecto filio Gentili tit. s. Martini in montibus presbytero cardinali, apostolicae sedis legato.

Rex excelsus *etc.* Dat. Pictavis, VI idus augusti, anno secundo. [3]

92. Fratribus Minoribus de Arbario concedit, ut relicta domo sua de Arbario ad aliam magis idoneam se transferant. [4]

1307, octobris 27, Pictavis.

Dilectis filiis .. guardiano et conventui fratrum ordinis Minorum de Arbario [5] *Ianuen. dioecesis.*

Meritis vestrae religionis inducimur, ut illa vos prosequamur gratia, per quam vobis pacis proveniat commodum et quietis. Sane oblata nobis ex parte vestra petitio continebat, quod frequenter in littore maris, iuxta quod locus vester de Arbario situs fore dinoscitur, mulierum, quae se ibidem balneant, concursus habetur, propter quod nonnulli, qui navigant mare ipsum, mulieres intuentes easdem tam vos quam eas contumeliis et improperiis afficiunt pro eorum libito voluntatis, ex quibus gravia consueverunt ibidem scandala suscitari in vestrum grave praeiudicium et iacturam. Quare pro parte vestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut, cum propter praemissas et certas alias legitimas et iustas causas non possitis in eodem loco sine magno vestro dispendio remanere, transferendi vos ad locum alium vobis licentiam concedere dignaremur. Nos igitur considerantes attentius, quod, quanto maiori status vester pacis tranquillitate fruetur, tanto ferventius divinis poteritis obsequiis inhaerere, vestris supplicationibus inclinati, vobis transferendi vos ad alium locum magis idoneum et plus ab ecclesia matrice distantem, sine iuris praeiudicio alieni, nec non et alienandi praedictum locum de Arbario, prout vobis videbitur expedire, constitutione felicis recordationis Bonifatii papae VIII praedecessoris nostri [6] et qualibet alia super hoc in contrarium edita non obstante, plenam vobis licen-

[1] Secundum Raynaldum, Ann. eccl. ad a. 1307, n. 22.

[2] Reg. Vat. t. 54, f. 157, ep. 27 de curia (n. 2274).

[3] Ad facilius feliciusque exequendam hanc commissionem ipsi, cui Clemens V die 3 nov. 1305 curam et admin. ecclesiae s. Praxedis de Urbe commiserat, sed attendens, eam iam prius Nicolao episcopo Ostien. commissam esse, 30 apr. 1306 ademit (n. 64, 412, 790), variae facultates tribuuntur, sicuti in aliis huiusmodi legationibus moris erat. Indulgetur enim eidem, 1. ut habeat potestatem compellendi quascunque personas ecclesiasticas ad contribuendum ei in procurationibus ei debitis; 2. ut procurationes sibi debitas durante sua legatione tam in absentia quam in praesentia petere ac accipere valeat; 3. ut compellere possit quascunque personas ecclesiasticas ad providendum nunciis suis in necessariis; 4. ut iniungere valeat praelatis aliisque personis ecclesiasticis infra suae legationis terminos constitutis, quaecunque prosecutioni officii vel utilitati negotiorum sibi commissorum viderit expedire; 5. ut infra et extra terminos suae legationis in locis ecclesiastico suppositis interdicto liceat sibi alta voce et solemniter, interdictis et excommunicatis exclusis, celebrare divina; 6. ut, si eum contigerit partes suae legationis egredi, possit ad easdem reingredi et tam intra ipsas quam extra officium suum exercere; 7. ut valeat vere poenitentibus et confessis, porrigentibus manus adiutrices ad fabricas ecclesiarum, per triennium vel quadriennium, concedere decem vel viginti aut triginta vel quadraginta dierum indulgentias; 8. ut possit praedicare per se vel per alios in terris suae legationis contra haereticos et inquirere ac procedere contra illos; 9. ut valeat dispensare super defectu natalium cum clericis suae legationis; 10. ut possit exercere censuram ecclesiasticam in omnes, qui circa eum eiusque familiam extiterint iniuriosi; 11. ut sibi eligere possit confessarium, qui eum absolvere valeat exceptis casibus reservatis; 12. ut possit exercere censuram ecclesiasticam in archiepiscopos, praelatos, reges, comites et quascunque personas in partibus suae legationis; 13. quod, si fratres ord. Min. familiares suos contingat eligi ad aliquas praelaturas durante legatione sua, possit eis dare licentiam consentiendi electioni eorum; 14. quod possit dare licentiam nobilibus mulieribus intrandi loca religiosa; insuper Clemens V: 15. rogat regem Hung., ut ipsi eiusque nuntiis et officialibus auxilium praestet et favorem; 16. hortatur archiepiscopos, episcopos aliasque personas ecclesiasticas, ut eundem benigne recipientes ipsi pro suis et familiae suae necessariis et securo conductu necnon in evectionibus opportunis, si suae in via decesserint vel defecerint aut alias fuerint impeditae, in eundo, morando et redeundo providere curent; 17. denique concedit ei specialem facultatem providendi duodecim personis idoneis in ecclesiis Firman. civitatis et dioecesis et aliis provinciae marchiae Anconitanae, de qua (sc. de Monteflorum) originem traxit, de duodecim praebendis vel beneficiis, etiamsi duo personatus aut dignitates existant, singulis earum de singulis praebendis aut beneficiis, easque faciendi in ecclesiis collegiatis recipi in canonicos seu clericos. Cfr. l. c. f. 152, ep. 28 et seq. (n. 2275-2290) et f. 179, ep. 39 et 40. — Gentilis cardinalis, cui Bonifatius VIII poenitentiariae curam commiserat (cfr. reg. Clem. V, n. 2649), huiusmodi legationem, cuius acta in Monumentis Vaticanis historiam regni Hungariae illustr. ser. I, t. II Budapestini 1885 edita sunt, statim suscepit eaque feliciter finita ineunte anno 1312 in Italiam rediit; die 20 martii huius anni adest Assisii et 6 diebus post Perusii, secundum mandatum papae thesaurum apostolicum ibidem asservatum ad curiam papalem Avinionem translaturus; sed cum Lucam venisset, morbo correptus ibidem die 27 oct. a. 1312 e vivis decessit. Cfr. « Archiv für Litteratur-und Kirchen-Geschichte » (ed. *Denifle* et *Ehrle*) t. I, p. 232 seq. — Die 5 aug. 1313 Clemens V abbatibus s. Laurentii extra muros Urbis et s. Georgii de dicta Urbe mandat, ut bona, quae remanserunt de praedicto cardinali, tradant Vitali tit. s. Martini in montibus presb. card. (ord. Min.); die vero 31 martii 1317 Ioannes XXII contra occupantes bona b. m. Gentilis cardinalis procedi iubet. Cfr. Reg. Vat. t. 60, f. 192, ep. 593 (9643) et *Baluze*, Vit. pap. Avin. II, 305.

[4] Reg. Vat. t. 54, f. 121, ep. 585 (n. 2117).

[5] Alias: Albario *(Albaro)* in custodia et provincia Ianuen. Cfr. *Wadd.* Ann. Min. ad a. 1304, n. 39.

[6] Cfr. supra p. 37 not. 3.

tiam elargimur. Nulli ergo *etc.* Datum Pictavis, VI kalendas novembris, pontificatus nostri anno secundo.

93. Blanchae filiae s. Ludovici regis Franc. indulget, ut infra septa monasteriorum s. Clarae iuxta Parisios et Humilitatis b. Mariae dioec. Parisien. ord. eiusdem s. Clarae, extra tamen eorum claustra, cum decenti comitiva mulierum habitare valeat et ad eam confessarius et physici chirurgici intrare possint. [1]

1307, novembris 5, Pictavis.

Dilectae in Christo filiae nobili mulieri Blancae filiae sanctae memoriae beati Ludovici confessoris regis Franciae [2].

Personam tuam paterna benivolentia prosequentes, votis tuis libenter annuimus, quae praesertim de fervore devotionis procedere tibique salutis parere conspicimus incrementum. Hinc est, quod nos tuis supplicationibus inclinati auctoritate tibi praesentium indulgemus, quod infra septa sanctae Clarae iuxta Parisius [3] et Humilitatis beatae Mariae [4] Parisien. dioecesis monasteriorum ordinis eiusdem sanctae Clarae, extra tamen eorum claustra, tibi liceat cum decenti comitiva honestarum mulierum, quoties et quando volueris, habitare ibique habere (h)ostium et clausuram, unde tu et dictae mulieres ingredi et egredi ac extraneis loqui personis libere valeatis, possintque inde necessaria intromitti ac intrare ad te confessor tuus de ordine fratrum Minorum cum uno fratre dicti ordinis, cum volueris, et similiter physici chirurgici tam saeculares quam religiosi (etiam dicti ordinis Minorum) necnon minutores, quando tibi videbitur opportunum: ita videlicet, quod claves dicti hostii, cum inde recesseris, sub .. abbatissae ipsius monasterii custodia debeant remanere. Nulli ergo omnino *etc.* Datum Pictavis, nonis novembris, pontificatus nostri anno secundo.

94. Indulget comitissae Hainoniae, ut monasteria Cisterc. et inclusarum Praedicatorum et Minorum fratrum ordinum in terris sui dominii constituta ingredi valeat. [5]

1307, novembris 12, Pictavis.

Dilectae in Christo filiae nobili mulieri Philippae comitissae [H]aynoniae. [6]

Pium arbitramur *etc.* Dat. Pictavis, II idus novembris, anno secundo.

95. Inhibet, ne fratres tertii ordinis sive de poenitentia tempore interdicti admittantur a fratribus ord. Min. in suis ecclesiis ad divina officia. [7]

1306, nov. 14 — 1307, nov. 18.

Cum ex eo, quod religiosi viri fratres Minores in suis recipiunt ecclesiis ad audienda divina officia tempore interdicti fratres et sorores de ordine tertio (quem beatus Franciscus instituit) existentes, qui continentes seu de poenitentia nuncupantur, scandalum aliorum, qui ab his excluduntur, mentibus generetur, censura vilescat ecclesiastica et minoris auctoritatis interdicti sententia reputetur: eisdem fratribus Minoribus districtius inhibemus, ne de cetero aliquem vel aliquos praedictorum (etiamsi super hoc hi vel illi quibuscumque privilegiis extiterint muniti, quae ipsis in nullo prorsus quoad hoc volumus suffragari) ad divina in suis ecclesiis tempore interdicti quoquomodo admittant; quod si fecerint, eo ipso excommunicationis sententiae se noverint subiacere, a qua per alium quam per Romanum pontificem vel satisfactione praemissa per locorum episcopos (quos auctoritate apostolica fungi volumus in hac parte) absolutionis beneficium nequeant obtinere.

96. Inquisitoribus infradictis mandat, ut inquirant contra Templarios variorum criminum accusatos. [8]

1307, novembris 22, Pictavis.

Dilectis filiis inquisitoribus haereticae pravitatis patrimonii beati Petri in Tuscia, Marchiae Anconitanae et Vallis Spoletanae, Romaniolae et Massae Trabariae. [9]

Pastoralis praeeminentiae solio (disponente Domino, qui cuncta disponit) licet immeriti praesidentes, hoc praecipue ferventer appetimus, hoc votis ardentibus affectamus, ut circa gregis Dominici custodiam, submovendo noxia et agendo profutura, animas Deo lucrifacere sua nobis cooperante gratia valeamus. Sane iampridem a nonnullis, quorum status humilis leves faciebat aggeres, et quibus non erat immerito in tam grandi arduoque negotio, sed in longe minori a maioris status etiam authoritatis hominibus aures dare difficile ..., contra Templariorum ordinem ac professores ipsius sub-

---

[1] Reg. Vat. t. 54, f. 93, ep. 454 (n. 1950, cfr. 1949, 1951, 1952).

[2] Et viduae Ferdinandi maioris natu filii Alphonsi X Legionis et Castellae regis, quae, cum 7 iunii 1322 obiisset, in ecclesia fratrum Minorum Parisiensium apud altare maius tumulata est.

[3] Vel potius prope villam s. Marcelli; cfr. supra n. 36.

[4] Alias « de Longocampo prope s. Clodoaldum »; cfr. supra n. 36.

[5] Reg. Vat. t. 54, f. 124, ep. 598 (n. 2134, cfr. 2135).

[6] Filiae Henrici III comitis Lucemburgen. et viduae Iohannis comitis Haynoniae *(d'Hainaut)* a. 1304 defuncti.

[7] Clement. lib. 5, tit. 10 De sent. excomm. cap. 3. « Cum ex eo quod »; cfr. l. c. tit. De sent. excomm. cap. 1. « Ex frequentibus » et *Wadd.* ad a. 1306, supplem. n. 3 et 4, atque *Rayn.* Ann. eccl. ad a. 1310, n. 45.

[8] Ex autographo in archivo sacri conventus Assisien. olim asservato. Dubium non est, quin idem sit mandatum aliarum quoque terrarum inquisitoribus. Ut capiant Templarios, Clemens V eadem die 22 novembris 1307 singulos reges christianos litteris iisdem verbis « pastoralis praeeminentiae solio » incipientibus et quasi eiusdem tenoris hortatur. Cfr. infra n. 122.

[9] In dictis terris officium inquisitionis fratribus Minoribus committebatur.

murmuratum extitit, quod, alienati a ventre factique degeneres, in nonnullis a sanctae etiam catholicae fidei institutis exorbitabant et limitibus. Sed alta mediatione pensato, quam longo retro tempore idem ordo in conspectibus hominum considerantium solum, quae extra hominem sunt, multum splenduerat nobilitatis gratia et decoris, quanta fidelium devotio diu viguerat apud eos nulla dudum laborante infamia contra ipsos, quodque a suae religionis exordio publice portaverant signum crucis, corpora exponentes et bona contra hostes fidei pro defensione terrae sanctae Christi sanguine consecratae: huiusmodi submurmurationibus et sussurriis non erant faciliter aures credulae adhibendae. Tandem perductae ad aures clarissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francorum illustris, quod singuli fratres eiusdem ordinis in principio professionis eorum expressis verbis abnegant dominum Iesum Christum et adorant in suis capitulis idolum aliisque se nefariis immergent, quae narrando ruborem ingererent, idem rex ad requisitionem inquisitoris pravitatis haereticae in suo regno generaliter a sede apostolica deputati (de praelatorum, baronum et aliorum sapientum deliberatione solemni) magistrum maiorem et alias singulares personas dicti ordinis, qui tunc erant in eius regno, una die excussa et excogitata diligentia capi fecit, ecclesiae iudicio praesentandos, eorum bonis mobilibus et immobilibus diligenti custodiae assignatis, si dictus ordo convictus legitime damnaretur, in terrae sanctae subsidium deputandis, alioquin fideliter pro ipso ordine conservandis. Deinde praefatus magister (praesentibus maioribus personis ecclesiasticis Parisius, magistris theologiae et aliis) corruptionem horridae abnegationis Christi in fratrum professionibus contra primam institutionem ordinis instigante satana introductam palam et spontanee est confessus; quamplurimum etiam praeceptores maiores et fratres dicti ordinis ex diversis regni Franciae partibus et aliqui etiam aliunde dicta scelera sunt confessi, veram tamen et non simulatam se de commissis habere poenitentiam asserentes, prout haec nos per litteras dicti regis accepimus et ad nos fama publica deferente pervenit.

Nos insuper nonnullos fratres eiusdem ordinis magnae generositatis et auctoritatis viros super pravitate iam dicta personaliter examinare curavimus, qui dictum facinus abnegationis Iesu Christi in ingressu dicti ordinis a se ipsis commissum confessi sunt plenarie coram nobis, et adiecit unus ex eis, vidisse se quemdam nobilem in praesentia ducentorum dicti ordinis fratrum aut plurium, ex quibus centum vel circa milites erant ultra mare, videlicet in regno Cypri, per eumdem magistrum in capitulo suo in fratrem Templi receptum, eodem magistro iubente, praedictum in sua receptione haereticum facinus commisisse. Licet autem, si in agro dicti ordinis, qui putabatur esse virtutum, diabolica sicut ferunt pullulaverint semina, gravi nostra viscera commotione turbentur, tamen, si praemissa veritate testantur, decet et expedit, ut a vinea domini Sabaoth pestiferi palmites extirpentur et anathema quodlibet a domo Domini expurgetur. Ad haec itaque explicanda, ut lucide pateat, si praemissa compleverint opere, intendimus diligenter incumbere et, quantum fuerit ex alto permissum, efficaciter omni sublata tarditate et negligentia vigilare. Caeterum, quia increbrescente rumore et insinuatione multorum accepimus, praetactorum infamiam criminum suscipere quasi continue incrementa, et ob hoc urgente conscientia nolumus nec possumus nec debemus, quin super hiis officii nostri debitum exequamur: vobis omnibus et singulis per apostolica scripta mandamus, quatenus, quam citius post receptionem praesentium commode poteritis, praemissis debita meditatione pensatis, sic prudenter et caute atque secrete studeatis omni diligentia adhibita ordinare, quod omnes et singulos Templarios provinciarum patrimonii beati Petri in Tuscia, Marchiae Anconitanae, Vallis Spoletanae, Romaniolae ac Massae Trabariae, et alios, qui reperiuntur in ipsis, capi faciatis eorumque bona mobilia et immobilia, quae ad vos pervenerint, per bonas personas, omni (maxime quo ad bona ipsa) suspicione carentes, meliori modo quo fieri poterit, donec vobis mandaverimus aliud, nostro et sedis apostolicae nomine in locis tutis et sub fida custodia, confectis exinde publicis inventariis, custodiri et etiam detineri; provisuri attentius, quod terrae ac vineae Templariorum ipsorum, quae ad manus vestras pervenerint, de bonis Templariorum ipsorum mobilibus ad vos pervenientibus et de bonorum ipsorum fructibus more solito excolantur, ut eadem bona ipsis, si innocentes extiterint, alioquin pro terra sancta integre conserventur; habituri vos taliter super hiis, quod exinde praeter humanae laudis praemium apud Deum, cuius in hac parte negotium agitur, gratiae vobis proveniat incrementum, et nihilominus ex hoc nostram et apostolicae sedis gratiam plenius promereri possitis. Quidquid autem super praemissis feceritis et executioni mandaveritis, nobis, quam celerius ...... poteritis, per vestras litteras intimare curetis. Datum Pictavis, X kalendas decembris, pontificatus nostri anno tertio.

97. Confirmat Minorissis Petragoricen. permutationem quarundam rerum ab ipsis cum comite Petragoricen. factam. [1]

1307, novembris 22, Pictavis.

Dilectis in Christo filiabus Aremburgi, sorori dilecti filii nobilis viri Eliae comitis Petrogoricen., abbatissae, et Marquesiae, filiae dicti comitis, aliisque sororibus et conventui monasterii sanctae Clarae Petragoricen. ordinis sanctae Clarae.

Cum, sicut oblata nobis ex parte dilecti filii nobilis viri Eliae comitis Petragoricen. petitio continebat, idem comes quamdam dimidietatem decimae, quam habebat suique praedecessores habebant ab antiquo in parochia ecclesiae sancti Laurentii de Prador Petragoricen. dioecesis, quae in terra suae iurisdictionis existit, nec non medietatem quarterii reliquae decimae eiusdem parochiae, quam acquisivit a Raymundo Calculo seniore et Raymundo Calculo iuniore filio eius, laicis dictae dioecesis, ad quos eadem medietas dicti quarterii pertinebat, vobiscum cum quibusdam redditibus in recompensam dictarum decimarum receptis a vobis duxerit permutandas: [2] nos ipsius comitis supplicationibus inclinati, permutationem huiusmodi ratam et gratam habentes, huiusmodi decimas taliter permutatas vobis et per vos monasterio vestro auctoritate apostolica confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo *etc.* Datum Pictavis, X kalendas decembris, pontificatus nostri anno tertio.

98. Eisdem Minorissis locum Rupellae a rege Franciae concessum et regulam s. Clarae ab ipsis observandam confirmat. [3]

1307, novembris 22, Pictavis.

Eisdem. Ad coelestes delicias mundanis relegatis illecebris aspirantes triennio iam elapso, religionis habitum assumpsistis, sub quo sponso coelesti devotum impenditis famulatum: nosque propterea pium vestrum propositum favore apostolico prosequentes petitionibus vestris libenter annuimus easque, quantum cum Deo possumus, favorabiliter exaudimus. Cum itaque, sicut oblata nobis ex parte vestra petitio continebat, carissimus in Christo filius noster Philippus [4] rex Franciae illustris locum, quem habetis in villa Rupellae [5] Xantonen. dioecesis, tunc ad eum spectantem, vobis regali liberalitate contulerit intuitu pietatis: nos vestris supplicationibus inclinati locum eumdem, non obstante, quod ex parte universitatis dictae villae a concessione huiusmodi facta vobis de loco praedicto fuerit appellatum, vobis auctoritate apostolica confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus, statuentes, ut in eo regula sanctae Clarae, sub qua coepistis Domino famulari, iuxta modum aliarum sororum monasteriorum ducatus Aquitaniae regulam profitentium antedictam, perpetuis temporibus observetur. Nulli ergo *etc.* Datum Pictavis, X kalendas decembris, pontificatus nostri anno tertio.

99. Monasterium Clarissarum Rupellen. regimini ministrorum generalis et provincialis provinciae Turonen. committit. [6]

1307, novembris 22, Pictavis.

Dilectis filiis .. generali et .. provinciali provinciae Turonen. ministris ordinis fratrum Minorum.

Cum dilectae in Christo filiae Airemburgis, soror, et Marquesia, filia dilecti filii nobilis viri Eliae comitis Petragoricen., et aliae sorores monasterii sanctae Clarae Petragoricen. ordinis eiusdem sanctae quemdam locum in villa de Rupella Xantonen. dioecesis acquisiverint, in quo nonnullae sorores sub dicta earum regula Domino famulantur, nosque locum eumdem eis duxerimus confirmandum: discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus aliquos vestri ordinis fratres, quos ad hoc idoneos esse videritis, deputetis ad visitandum easdem sorores dicti loci de Rupella et ad ministrandum eis ecclesiastica sacramenta, prout animarum suarum saluti videritis expedire. Datum, ut supra. [7]

100. Concedit guardiano Barchinonen. facultatem absolvendi quosdam mercatores Barchinonen., qui contra prohibitionem sedis apostolicae generalem merces prohibitas in Alexandriam deportaverunt, ab excommunicationis sententia, quam propterea incurrerunt. [8]

1307, decembris 5, Pictavis.

Dilecto filio .. guardiano fratrum ordinis Minorum Barchinonen. [9]

Cum sicut accepimus *etc.* Dat. Pictavis, nonis decembris, anno tertio.

---

[1] Reg. Vat. t. 55, f. 34, ep. 182 (n. 2491), apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Clem. V n. 8. Cfr. supra n. 65.

[2] Cfr. infra n. 107.

[3] Reg. Vat. t. 55, f. 23, ep. 117 (n. 2426), apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Clem. V n. 9. Cfr. infra n. 99 et 107 ac supra n. 68 et 69.

[4] Cognomento « Pulcher ».

[5] *Rochelles;* cfr. supra n. 68 et 69.

[6] Reg. Vat. t. 55, f. 23, ep. 118 (n. 2427), apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Clem. V n. 10. Cfr. supra n. 98.

[7] Die 25 nov. 1307 Clemens V guardiano fratrum Minorum de s. Iuniano (*saint Junien* in custodia Lemovicensi provinciae Aquitaniae) mandasse dicitur, ut fratrem Bernardum Deliciosi ord. Min., mense aprili 1307 ad istum conventum (ibidem sub fida custodia morandi causa) missum, Pictavas ad curiam Romanam remitteret. Cfr. supra n. 44 p. 24 not. 2 et infra n. 372.

[8] Reg. Vat. t. 55, f. 2, ep. 8 (n. 2310).

[9] *Barcellona* in custodia Barchinonen. provinciae Aragoniae.

101. Fratribus Min. de Vandecino permutationem quamdam cum monasterio maiori Turonen. ord. s. Ben. pro loci ampliatione initam confirmat. [1]

1307, decembris 11, Pictavis.

Dilecto filio .. guardiano et fratribus ordinis Minorum de Vandecino [2] *Carnoten. dioecesis.*

Vestrae sacrae religionis inducimur meritis, ut petitionibus vestris favorabiliter annuamus. Cum itaque, sicut oblata nobis ex parte vestra petitio continebat, permutationem feceritis cum dilectis filiis abbate et conventu maioris monasterii [3] Turonen. ordinis sancti Benedicti de decem solidis Turonen. parvorum annui redditus, vobis pro loci vestri ampliatione legatis, pro duobus solidis eiusdem monetae annui redditus, qui dictis abbati et conventui debebantur super quaedam praedia dicto loco vestro contigua, prout in patentibus litteris inde confectis plenius dicitur contineri: nos vestris supplicationibus inclinati, permutationem huiusmodi ratam et gratam habentes, eam auctoritate apostolica confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo *etc.* Datum Pictavis, III idus decembris, pontificatus nostri anno tertio.

102. Petrum Minoritam, cassata eius electione, per provisionem apostolicam ecclesiae Rapollan. praeficit in episcopum. [4]

1308, ianuarii 15, Pictavis.

Dilecto filio fratri Petro electo Rapollan.

Militanti ecclesiae *etc.* Sane Rapollan. ecclesia, [5] ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinente, per obitum bonae memoriae Rogerii episcopi Rapollan. pastore vacante, dilecti filii capitulum ipsius ecclesiae ut est moris convenientes in unum pro futuri celebranda electione pastoris, te ordinis fratrum Minorum professum, in sacerdotio constitutum, per viam compromissi in Rapollan. episcopum communiter et concorditer elegerunt. Et quia infra tempus a iure statutum consentiendi electioni huiusmodi tibi infra tempus legitimum praesentatae tui superioris licentiam [6] obtinere nequivisti, tu eidem electioni infra tempus debitum consentire non valens ad sedem apostolicam pro ipsius electionis negotio accedere non curasti, propter quod nos electionem ipsam de fratrum nostrorum consilio irritam decrevimus et inanem. Demum vero de ipsius ecclesiae Rapollan. ordinatione sollicite cogitantes, ne prolixioris vacationis exposita incommodis remaneret, post diligentiam, quam ad praeficiendum eidem ecclesiae idoneam et approbatam personam adhibuimus vigilanter, considerantes attentius, quod ex tua multiplici bonitate processit, quod per dictos capitulum unanimi voto et voluntate concordi electus ad ipsius ecclesiae regimen extitisti, in te, quem litterarum scientia praeditum, religionis zelo fervidum, virum quoque vitae laudabilis, conversationis placidae, morum honestate decorum, discretionis et consilii maturitate conspicuum a nonnullis fide dignis audivimus, noster animus requievit. Ad salutem itaque gregis dominici et ipsius ecclesiae statum prosperum intendentes, de te licet absente de fratrum praedictorum consilio et apostolicae plenitudine potestatis memoratae Rapollan. ecclesiae providemus teque ipsi ecclesiae praeficimus in episcopum et pastorem, tibi curam et administrationem ipsius in spiritualibus et temporalibus committendo *etc.* Datum Pictavis, XVIII kalendas februarii, pontificatus nostri anno tertio.

In eumdem modum dilectis filiis capitulo ecclesiae Rapollan.

In eumdem modum dilectis filiis clero civitatis et dioecesis Rapollan.

In eumdem modum dilectis filiis populo civitatis et dioecesis Rapollan.

In eumdem modum dilectis filiis universis vassallis ecclesiae Rapollan.

In eumdem modum, dilecto filio nobili viro Roberto primogenito carissimi in Christo filii nostri C[aroli] regis Siciliae illustris, duci Calabriae ac regni Siciliae vicario generali. [7] Ad ea te nostris sollicite monitis excitamus et exhortationibus paternis inducimus, ex quibus a te libentius executioni productis in oculis divinae maiestatis reddaris acceptior, gratiosus occurras et laudis humanae praeconium erga te gloriosum suscipiat incrementum. Sane Rapollan. ecclesia *etc.* Datum ut supra.

103. Eidem electo Rapollan. concedit, ut munus consecrationis a quocunque maluerit antistite recipere valeat. [8]

1308, ianuarii 15, Pictavis.

Dilecto filio fratri Petro electo Rapollan.

Nuper Rapollan. ecclesia Romanae ecclesiae immediate subiecta pastoris solatio destituta, nos ....

---

[1] Reg. Vat. t. 55, f. 6, ep. 27 (n. 2333), apud *Wadd.* Reg. pont. Clem. V n. 11.

[2] Alias Vendomio (*Vendôme*) in custodia Aurelianen. provinciae Turonen.

[3] *Marmoutier.*

[4] Reg. Vat. t. 55, f. 16, ep. 76 (n. 2385). Cfr. infra n. 103 et 157. Hic electus idem habendus est atque illus Petrus ep. « Epulanus », qui una cum fr. Francisco Scarerio ep. Gaietan. (v. supra n. 53) vitam s. Ludovici ep. Tolosan. scripsit.

[5] *Rapolla* in partibus Neapolitanis, quae dicuntur Basilicata.

[6] Omnimode requirendam secundum constit. Innoc. IV die 22 apr. 1252 et Alex. IV diebus 9 iunii 1256 et 28 maii 1257 editas.

[7] Cui confessor et consiliarius familiarisque dictus fr. Petrus fuisse dicitur.

[8] Reg. Vat. t. 55, f. 16, ep. 77 (n. 2386).

te, licet absentem, ordinis fratrum Minorum professum, in sacerdotii ordine constitutum, de fratrum nostrorum consilio et apostolicae plenitudine potestatis eidem Rapollan. ecclesiae praefecimus in episcopum et pastorem *etc.* Quia vero tibi grave nimis et sumptuosum existeret, ad apostolicam sedem pro consecrationis munere obtinendo personaliter te conferre, nos tuis laboribus et expensis in hac parte benigne parcere intendentes, discretioni tuae suscipiendi consecrationis munus a quocunque malueris catholico episcopo gratiam et communionem apostolicae sedis habente, qui id tibi associatis sibi duobus vel tribus aliis episcopis similem gratiam et comunionem habentibus, cum a te fuerit requisitus, vice nostra valeat impertiri, recepturus a te postmodum idem episcopus, qui tibi munus impertierit praedictum, nostro et ecclesiae Romanae nomine fidelitatis solitae iuramentum iuxta formam, quam tibi sub bulla nostra mittimus interclusam, per te ipsi episcopo assignandam, ac transmissurus nobis per eius proprium nuntium formam iuramenti, quod te praestare contigerit de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo signatas, plenam concedimus auctoritate praesentium facultatem. Datum Pictavis, XVIII kalendas februarii, pontificatus nostri anno tertio.

104. Quandam controversiam fratrum Min. de Manso cum nonnullis incolis oppidi Mansi componit modumque declarat. [1]

1308, februarii 5, Pictavis.

Dilectis filiis .. guardiano, et conventui fratrum ord. Minorum de Manso [2] *Agennen. dioecesis.*

Ex tenore vestrae petitionis accepimus, quod dudum inter vos ex parte una, ac Bernardum Coleti utriusque iuris professorem, dominum loci de Manso nec non et priorem, ac Raymundum Coleti fratrem eius canonicum ecclesiae et nonnullos laicos eiusdem loci de Manso Agennen. dioecesis super quibusdam iniuriis et excessibus contra vos et locum vestrum commissis per eos ex altera, materia gravis dissensionis exorta, tandem vos ad nostram praesentiam accedentes ac super iniuriis et excessibus huiusmodi contra priorem, canonicum et laicos memoratos petentes vobis per nos fieri iustitiae complementum eosque corrigi et super his indemnitati et securitati vestrae de opportuno remedio provideri: nos dilecto filio Ioanni Stephanelli cantori sancti Hilarii Pictaven. et Hugoni Geraldi canonico Lemovicen. ecclesiarum, capellanis nostris, commisimus causam huiusmodi alte et basse omni iuris solemnitate sublata, de plano sine strepitu et figura iudicii, partium ipsarum ad id accedente consensu, iudicio vel concordia terminandam. Dicti vero cantor et canonicus in praemissis procedere amicabiliter eligentes, inquisita super eisdem excessibus diligentius veritate habitoque super ipsis plurium consilio peritorum, pronunciaverunt et ordinaverunt inter alia, quod dictus prior pro expensis, damnis et interesse, quas et quae vos in prosecutione causae huiusmodi subiistis, trecentas libras monetae Arnalden. [3] tunc in dicto loco de Manso currentium hoc modo, videlicet centum infra nativitatem Domini tunc proxime venturam ac centum infra aliam eiusdem nativitatem immediate sequentem et reliquas centum libras dictae monetae infra tertiam praedictae nativitatis festivitatem secuturam immediate, vobis apud dictum locum Mansi solvere procuraret; quodque memoratus prior vobis decem libras praedictae monetae in dicto loco de Manso perpetuo singulis annis solvere teneretur, donec vobis tantumdem in redditibus duceret assignandum: pronunciantes dictum priorem eiusque bona esse vobis propter hoc specialiter obligata; de quibus decem libris idem prior in festo beati Francisci quatuor libras, ac in translatione ipsius sexaginta, et in sancti Antonii de ordine ipso festivitatibus reliquos sexaginta solidos eiusdem monetae persolvat ac solutionem eamdem vobis faciendam in festo translationis eiusdem proxime tunc sequenti incipere teneatur. Quam quidem pronunciationem et ordinationem vos et dictus prior expresse ratificastis et etiam approbastis, promittentes illam ordinationem observare inviolabiliter, prout in instrumento publico inde confecto, eorumdem cantoris et canonici sigillis munito, plenius dicitur contineri. Verum cum, sicut asseritis, memoratus prior in Turonen. duplicibus, computato quolibet Turonen. pro duobus et uno obulo Arnalden., dictas trecentas libras vobis solvere et exhibere proponat, vos considerantes, quod essetis per solutionem huiusmodi in magna parte praedictae pecuniae defraudati, nobis humiliter supplicastis, ut indemnitatibus vestris providere super hoc de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur vestris supplicationibus inclinati, quod dictae trecentae librae de moneta, quae tempore dictae condemnationis in dicto loco de Manso currebat, ac decem librae praefatae vobis ex nunc debitae per dictum priorem de moneta, quae pro eodem tempore condemnationis ipsius currebat, nunc autem de moneta, quae currit ad praesens, pro tempore praesenti solvantur et in

[1] Reg. Vat. t. 55, f. 59, ep. 314 (n. 2633), apud *Wadd.* Reg. pont. Clem. V n. 12.

[2] *Le Mas-d'Agenais* in custodia Agenen. prov. Aquitaniae.

[3] Quarum quaelibet 20 solidos continebat.

futurum de pecunia, quam currere contigerit, persolvantur, auctoritate apostolica declaramus. Nulli ergo *etc.* Datum Pictavis, nonis februarii, pontificatus nostri anno tertio.

In e. m. venerabilibus fratribus archiepiscopo Burdegalen. et Agennen. ac Caturcen. episcopis. [1]

105. Mandat praelatis infra nominatis, ut de gravaminibus fratribus ord. Min. Aurien. illatis cognoscant et referant. [2]

1308, martii 15, Pictavis.

Venerabili fratri [Roderico] archiepiscopo Compostellano, et dilectis filiis .. archidiacono de Coronato et Gundisalvo Petri canonico ecclesiae Compostellan.

Grave gerimus et molestum, cum sinistra nobis de quibuscumque personis praesertim ecclesiasticis referuntur; sed in praelatorum excessibus eo gravius provocamur, quo damnabilius eorum culpae remanent incorrectae, cum facile trahatur a subditis, quod ab eis agitur, in exemplum. Intimantibus siquidem nobis dilectis filiis .. guardiano et fratribus conventus fratrum ordinis Minorum civitatis Aurien. [3] nuper accepimus, quod, licet ipsi olim super lite et quaestione, quae inter ipsos ex una parte et venerabilem fratrem nostrum P[etrum] episcopum Aurien. ex altera super sepulturis decedentium, praedicationibus faciendis, confessionibus audiendis (super quibus dictus episcopus ipsos guardianum et fratres indebite impediebat et etiam perturbabat) dudum mota extitit apud sedem apostolicam, auctoritate sedis eiusdem obtinere pro eis definitivam sententiam meruissent, ac postmodum venerabilis frater noster .. archiepiscopus Bracharen. auctoritate litterarum dictae sedis eamdem sententiam exequens in dictum episcopum, quia canonice monitus praedictae sententiae contumaciter parere contempsit, eadem auctoritate excommunicationis sententiam exigente iustitia promulgasset, idem tamen episcopus debitam reverentiam ad sedem praedictam non gerens praefatos guardianum et fratres super sepulturis, praedicationibus et confessionibus gravius solito impedire ac perturbare praesumit ac nihilominus praedictam excommunicationis sententiam per sex annos et amplius animo indurato sustinuit et adhuc sustinere tamquam famae suae prodigus non veretur; demum autem ex his contra praedictos guardianum et fratres rancore concepto et abiecto Dei timore pariter et amore de conscientia et consensu decani et archidiaconorum nec non et quorumdam canonicorum ecclesiae Aurien. contra praedictos guardianum et fratres per castellanum et alios officiales et familiares ipsius aliosque adhaerentes eisdem in loco ipsorum guardiani et fratrum dictae civitatis insultum fieri faciens et fractis ostiis ecclesiae et domorum dicti loci, non sine morte multorum et verberatione ac vulneratione plurium fratrum loci praedicti, ipsos guardianum et fratres ab eodem loco violenter eiici procuravit, ecclesia, domibus, officinis et aliis ipsius loci totaliter dissipatis; nec his contentus, nonnulla bona deposita in loco praedicto, libros et vestimenta et ornamenta ecclesiastica divino cultui deputata, refectorii et coquinae utensilia, et quaedam alia bona dictorum guardiani et fratrum inibi deputata, ibidem inventa exinde nequiter asportari praecepit, partem ex bonis ipsis ad domum eiusdem episcopi et partem ad dictam ecclesiam Aurien. ausu nefario deferri facere attentando, ac alias dictis guardiano et fratribus per se et alios actualiter et verbaliter damna gravia et iniurias irrogando. Nos autem nolentes, prout etiam nec debemus, praedicta, si veritate nitantur, sub dissimulatione transire, sed ipsis guardiano et fratribus super his intendentes de opportuno remedio providere, discretioni vestrae, de quorum circumspectione fiduciam gerimus in Domino specialem, per apostolica scripta mandamus, quatenus Deum habentes prae oculis vos vel duo aut unus vestrum per vos vel per alium seu alios inquiratis super his et ea contingentibus tam contra dictum episcopum quam contra complices et sequaces ipsius summarie, de plano, sine strepitu et figura iudicii ac indagine non solemni diligentius veritatem, et ea, quae super his inveneritis, fideliter in scriptis redacta sub vestris inclusa sigillis ad nostram praesentiam quantocius transmissuri, ut informari possimus exinde, quod per nos in huiusmodi negotio sit agendum. Datum Pictavis, idibus martii, pontificatus nostri anno tertio.

106. Indulget Aremburgi abbatissae et Marchesiae moniali monasterii Petragoricen. ord. s. Clarae, ut in causis et negotiis necessariis septa monasterii exire valeant et quomodo. [4]

1308, martii 23, Pictavis.

Dilectis in Christo filiabus Airemburgi, germanae dilecti filii nostri nobilis viri Heliae Talayrandi comitis Petragoricen., abbatissae et Marquesiae, filiae

[1] Quibus executio huius rei commissa est. Eorum sedes in lingua vernacula sonant: *Bordeaux, Agen, Cahors.*

[2] Reg. Vat. t. 55, f. 52, ep. 277 (n. 2593), apud *Wadd.* Reg. pont. Clem. V, 13.

[3] *Orense* in custodia Aurien. provinciae s. Iacobi; cfr. *Wadd.* ad a. 1287, n. 19. Cfr. huius op. t. IV, p. 99.

[4] Reg. Vat. t. 55, f. 54, ep. 287 (n. 2607), apud *Wadd.* Reg. pont. Clem. V, n. 14.

dicti comitis, sorori monasterii sanctae Clarae Petragoricen. ordinis eiusdem sanctae. [1]

Cum, sicut ex parte vestra fuit expositum coram nobis, vobis non liceat in regularibus institutis vestri ordinis vestri monasterii septa egredi absque ministri generalis ordinis fratrum Minorum licentia speciali [2] vobisque interdum expediat ratione infirmitatis dilecti filii nobilis viri Eliae Talayrandi comitis Petragoricen. fratris tui, filia Airemburgis, tuique patris, filia Marquesia, ac aliorum propinquorum et amicorum vestrorum nec non pro negotiis vestri ordinis promovendis septa exire praedicta: nos super hoc vobis obtentu dicti comitis nobis in hac parte supplicantis providere volentes, eiusdem comitis supplicationibus inclinati, quod eadem septa cum societate decenti aliarum monialium honestarum vestri ordinis praedicti, quas ad hoc duxeritis eligendas, de licentia provincialis ministri vel custodis dicti ordinis fratrum Minorum exire pro huiusmodi causis libere valeatis, contrariis institutis dicti vestri ordinis nequaquam obstantibus, auctoritate vobis praesentium indulgemus. Nulli ergo *etc.* Datum Pictavis, X kalendas aprilis, pontificatus nostri anno tertio.

107. Ratum et gratum habet, quod Aremburgis abbatissa et conventus monasterii Minorissarum Petragoricen. ord. s. Clarae die 7 maii 1307 ad capitulum congregatae coram officiali Petragoricen. (praesentibus etiam et rogatis ab ipsis fratribus Petro Charretier vicario guardiani fratrum Min. Petragoricen., absentis ratione capituli generalis Tolosae tunc in proximo celebrandi, et Petro Audeberti eiusdem ord. ac discretis viris magistris Andrea Ruphi canonico ecclesiae s. Frontonis Petragoricen. et Raymundo de Rupe iurisperitis, qui tamquam ab olim ipsarum monasterio protectores, advocati et directores assistebant) publico instrumento infra septa dicti monasterii confecto renuntiarunt omni iuri, si quod in vicecomitatus Leomaniae et Altivillaris, qui cum omnibus pertinentiis per Eliam comitem Petragoricen. in Philippum regem Franciae et demum (sc. 14 dec. 1305) ab eodem rege in Arnaldum del Got (germanum Clementis V) eiusque successores translati sunt, ratione Marquesiae unicae filiae dicti comitis Petragoricen. [3] et qu. Philippae uxoris eius, vicecomitissae vicecomitatuum praedictorum, habere poterant ex eo, quod eadem Marquesia, quae dicebatur praedictae suae matri in dictis vicecomitatibus successisse, in eodem monasterio ordinem supradictum professa fuerat: cum, sicut simul declaraverant, ipsis persuasum esset, quod dicti vicecomitatus per praedictas Philippam et Marquesiam, quam die 6 maii 1294 maiorem duodecim annis pater eius (matre iam mortua) solemniter emancipavit et a patria potestate liberavit, diversis declarationibus et actibus publicis (per Marquesiam, postquam emancipata et antequam ordinem s. Clarae professa est) iusto titulo ad dictum comitem, illius maritum et huius patrem, devenisse (reservato tamen sibi omni iure super donatione, assignatione et concessione, quas praefatus comes pro quibusdam et in recompensam quorundam, quae dicta Marquesia se retinuisse dicebat in praedicto vicecomitatu Leomaniae, ipsis fecit de decima seu de parte decimae, quam habebat in burgo et parochia s. Laurentii de Prador dioec. Petragoricen. [4]); — ad quae ministro generali ordinis fratrum Minorum ac toti capitulo generali tunc in proximo Tolosae celebrando necnon et sanctissimo patri et domino papae et sedi apostolicae supplicarunt, ut praemissa omnia ipse minister sua et dominus papa dignaretur auctoritate apostolica confirmare. [5]

1308, martii 28, Pictavis.

Dilectis filiis nobilibus viris Arnaldo Garsiae Delgot vicecomiti Leomaniae et Altivillaris et Bertrando eius filio.

Sedis apostolicae pia mater *etc.* Dat. Pictavis, X kal. aprilis, anno tertio.

108. Mandat Gregorio de Cataro ord. Min. et Henrico de Arimino ord. Praed., ut regi Rasciae Romanae ecclesiae fidem exoptanti assistant usque ad sedis apost. beneplacitum. [6]

1308, aprilis 1, Pictavis.

Dilecto filio fratri Gregorio de Cataro [7] *ordinis fratrum Minorum.*

Cum magnificus vir Urosius rex Rassiae [8] illustris, ut regnet in coelis, in votis habeat sacrosanctae Romanae ecclesiae matri fidelium et magistrae in fidei veritate ac unitate coniungi, cupiatque, sicut asserit, fratrum tui ordinis uti consortio eorumque consiliis et instructionibus in iis, quae Dei sunt, plenius informari: nos, laudabile suum in hac parte propositum dignis in Domino laudibus commendantes, et gerentes de circumspectione tua ac sinceritate fiduciam pleniorem, tibi et socio tuo dicti ordinis, quem minister tuus provincialis tibi deputandum duxerit, morandi cum eodem rege usque ad nostrum et apostolicae sedis beneplacitum in locis decentibus, demum (postquam illa, quae tam circa catholicam fidem quam circa caetera in aliis nostris dicto regi directis litteris comprehensa per eumdem regem et alios, de quibus ibidem fit mentio, fieri volumus, per ipsum regem et alios praefatos fuerint sine simulatione completa) et eundi extra terram dicti regis, cum necessitas id exegerit, pro exequendis negotiis eiusdem regis et regni, prout secundum Deum animae suae saluti et prae-

---

[1] Cfr. infra n. 107 ac supra n. 63-77 et 87-89.

[2] Cfr. regulam ab Innoc. IV Clarissis a. 1247 traditam ubi § 2 legimus: « pro alia etiam et rationabili causa interdum .... de supradicti dumtaxat licentia generalis ».

[3] Qui quidem cum secunda coniuge (Brunissendi filia Rogerii Bernardi comitis de Fuxo) plures liberos genuit, inter quos Eliam Talayrandi, postmodum card. S. R. E. et protectorem ord. fr. Min.

[4] Cfr. supra n. 97.

[5] Reg. Vat. t. 55, f. 222-224, ep. de curia 18 (n. 3556).

[6] Reg. Vat. t. 55, f. 226, ep. 22 de curia (n. 3564).

[7] *Cataro* sive *Cotor* in custodia Ragusin. provinciae Sclavoniae sive Dalmatiae. Cfr. *Vadd.* l. c. ad a. 1308 n. 7.

[8] I. e. Serviae.

dicti regni utilitatibus expedire cognoveris, quotiens ab eodem rege te mitti contigerit, auctoritate praesentium indulgemus. [1] Volumus tamen, quod tu propterea ab obedientia tui superioris et ordinis nullatenus in aliis eximaris. Nulli ergo *etc.* Dat. Pictavis, kalendis aprilis, anno tertio.

In e. m. dil. filio fratri Henrico de Arimino ord. Praed.

109. Urosio regi Rassiae de schismate ad fidem catholicam cum subditis populis accedere cupienti congratulatur. [2]

1308 aprilis 1, Pictavis.

Magnifico viro Urosio regi Rassiae illustri gratiam in praesenti, quae perducat ad gloriam in futuro.

Benedictus Deus et pater domini nostri Ihesu Christi, pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, qui, ubi vult, spirans sic novissime his diebus oculos tuae mentis aperuit radio novae lucis, ut, excussa inde tenebrarum caligine, in votis habeas sacrosanctae Romanae ecclesiae, matri fidelium et magistrae, in fidei veritate ac unitate coniungi. Multum quippe teneris Deo, princeps carissime, qui sic te oculo suae pietatis respiciens ad cognitionem et claritatem verae fidei clementer adducit, ex quo magnitudo tua promovebitur ad salutem et solium tuum stabili vallabitur firmitate; multum etiam laetari debet mater ecclesia, et nos profecto multiplici alacritate perfundimur, quod diebus nostris tam nobilis ovis tantusque populus ad ovile reducantur dominicum et schismate aliisque pulsis erroribus Christi corporis, quod ecclesia est, membrum efficiantur, in eo luceant, perficiantur et vivant.

Sane, serenissime princeps, tu pridem Spiritus sancti gratia illustratus viros providos et discretos: Marcum Lucani et Tryphonem Michaelis, magnificentiae tuae nuncios, cum litteris regiis ad nostram praesentiam destinasti, qui huiusmodi tui propositi laudabile desiderium coram nobis et fratribus nostris prudenter et fideliter exponentes a nobis inter alia suppliciter postularunt, ut te tamquam devotum filium ad gremium dictae ecclesiae et sub protectione ipsius benigne recipere dignaremur, tibique aliquos viros idoneos apostolicae sedis nuncios mitteremus, per quos tu et illi de regno tuo in fide catholica et in via mandatorum Domini possitis salubriter informari. Unde nos, qui Christi vicarius et Petri apostolorum principis effecti (disponente Domino, licet immeriti) successores, ad ea praecipue nostrae curae prorogamus affectum ac diligenti studio et studiosa diligentia sedulo vigilamus, ut errantes ad viam veritatis adducere omnesque lucrifacere, Deo sua nobis gratia suffragante, possimus: habita super his, quae iidem tui postularunt nuntii, cum praedictis fratribus nostris discussione solemni, de ipsorum consilio pie decrevimus, huiusmodi votis tuis libenter annuere ipsasque petitiones tuas, quantum cum Deo possumus, favorabiliter exaudire, si, quod ore profers, corde credis, et quod corde credis, opere compleas evidenter; tibi nihilominus tenore praesentium declarantes, quid tibi ac ceteris sub tua ditione degentibus faciendum incumbit, ut ad sinum eiusdem ecclesiae sano fretus consilio venias reverenter. Quae, si inspirante Domino feceris, ecclesia ipsa mater piissima, filio redeunti sinum largissimae pietatis aperiens, in tuos laeta properabit amplexus. Fides autem catholica, quam te, clerum et populum regni tui profiteri et a nobis recipi ac acceptari volumus, haec est *etc.*

Ecce venerabilem fratrem nostrum Aegidium [3] patriarcham Graden. et dilectos filios fratres Lapum [4] Praedicatorum et Artinisium [5] Minorum fratrum ordinum procuratores in Romana curia generales, latores praesentium, viros utique vita et religione conspicuos, honestate decoros, sacrae scripturae scientia praeditos ac nobis et dictis fratribus nostris acceptos, pro his exequendis ad tuam magnificentiam tamquam salutis et pacis angelos iuxta tuae petitionis instantiam destinamus, quorum salutaribus eruditionibus, favente illo, in cuius manu regum corda consistunt, ipsum dominum Iesum Christum perfecte cognosces et suum gloriosum nomen catholicae fidei observatione colere non postpones, ac status tuus supra firmam petram ecclesiae apostolicae solidatus spiritualibus et temporalibus proficiet incrementis, tuque demum coronam perennis gloriae consequeris. Rogamus itaque serenitatem regiam, monemus et hortamur attente, per

---

[1] Vel rectius: concedimus facultatem.

[2] Reg. Vat. t. 55, f. 225, ep. 21*a* de curia (n. 3559). Cfr. similes litteras Benedicti XI die 23 dec. 1303 et iam Nicolai IV die 28 iulii 1288 ad eundem Urosium sive Orosium regem Serviae sive Rasciae datas (Reg. Vat. t. 51, f. 33, ep. 125, ed. *Grandjean* n. 134, et huius op. t. IV, pag. 27 et 28, n. 39-41), quibus monitus erat, ut ad unitatem S. R. E. abiurato schismate rediret. Quas exhortationes iste rex neque tum est secutus neque modo Romanae ecclesiae unitatem revera petebat. Schismaticus et ipse manebat et Stephanus filius, qui quidem sanctae sedis filium obedientissimum se dixit, eos vero, qui ad « haeresim » Latinorum inclinabantur, ad metalla damnabat. Quo factum est, ut Serbi ab ecclesia separati Mohamedanis tandem subiicerentur.

[3] Ord. Praed., qui a patr. Graden. *(Grado)* a. 1311 ad patr. Alexandrin. transfertur.

[4] De quo scriptores ord. Praed. agunt.

[5] Qui idem esse videtur ac ille fr. Artonasius Bononiensis, qui a. 1311 in provincialem ministrum provinciae marchiae Tervisinae seu s. Antonii deputatur.

aspersionem pretiosissimi sanguinis Iesu Christi obsecrantes, quatenus de tua tuique populi salute cogitans praefatos nostros nuntios, propter hoc ad tuam excellentiam accedentes, ob reverentiam apostolicae sedis et nostram benigne recipias et honorificentia debita ac condigna pertractes ac sic attente praebeas ipsorum salutaribus monitis aures tuas, ut verba, quae ex parte tua praedicti tui retulerunt nuncii, per exhibitionem operis compleantur, et spes, quam de tua laudabili intentione concepimus, fructus nobis et ipsi ecclesiae afferat concupitos, tuque praeter divinae retributionis praemium nostram et dictae sedis gratiam uberius consequi merearis. Datum Pictavis, kalendis aprilis, pontificatus nostri anno tertio.

110. Committit patriarchae Graden. et procuratoribus generalibus ord. Praed. et Min., ut regem Rasciae et alios ad fidem catholicam inducant, inductos recipiant, vexillum a rege petitum tradant. [1]

1308, aprilis 1, Pictavis.

Venerabili fratri Aegidio patriarchae Graden., et dilectis filiis fratribus Lapo Praedicatorum et Artinisio Minorum fratrum ordinum procuratoribus in Romana curia generalibus. [2]

Benedictus Deus, Pater Domini nostri Ihesu Christi *etc.* Verum, ut tantae salutis opus ac tanti boni felix auspicium optatum favente Domino sortiantur effectum, te, frater patriarcha, et vos, dilecti filii Lape Praedicatorum et Arthinisi Minorum fratrum ordinum procuratores in Romana curia generales, pro his exequendis ad eumdem regem tamquam salutis et pacis angelos iuxta eiusdem magnificentiae regiae instantiam destinamus, quorum salutaribus eruditionibus, favente illo, in cuius manu regum corda consistunt, ipsum dominum nostrum Iesum Christum perfecte idem rex cognoscet et suum gloriosum nomen catholicae fidei observatione colere non postponet, ac status eius supra firmam petram ecclesiae apostolicae solidatus spiritualibus et temporalibus proficiet incrementis, ipseque rex demum coronam perennis gloriae consequetur. Quocirca discretioni vestrae, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta mandamus, quatenus ad praesentiam dicti regis vos personaliter conferentes et habentes prae oculis solum Deum, ipsum regem et personas alias supradictas ad unitatem verae fidei et communionem sanctae Romanae ecclesiae salubribus inducatis monitis et inductos ut praemittitur recipiatis eosdem. Quod si annuente Deo tam circa catholicam fidem quam circa praemissa alia, quae fieri volumus per regem ipsum et alios, de quibus supra fit mentio, veraciter compleantur, auctoritate nostra regem eundem et regnum sub protectione dictae sedis apostolicae recipiatis et nostra et vexillum ab eo ex devotione petitum contra infideles illarum partium (sine alterius praeiudicio) usque ad beneplacitum apostolicae sedis tradatis eidem, ipso rege et aliis de dicto regno, qui propter schisma et non recognoscendo primatum sanctae Romanae ecclesiae excommunicationis vinculo sunt ligati, primitus absolutis; rescripturi nobis super praemissis omnibus plenius veritatem, ut, quidquid factum fuerit super eis et super suis aliis petitionibus (quas, prout honestatem ecclesiae decebit, licebit ac expedire viderimus, exaudire proponimus), cum dictis fratribus nostris plene deliberare possimus. Intendimus enim non solum in his, quae superius praescribuntur, dicto regi nos et apostolicam sedem exhibere favorabiles et benignos, sed etiam in aliis, quae sibi et dicto regno noverimus profutura. Quod autem in fermentato pane per sacerdotes non latinos regni praedicti rite ordinatos in missarum solemniis corpus conficiatur Dominicum, quousque aliud per apostolicam sedem ordinatum fuerit, cum praemissa perfecta extiterint, et quod idem rex interesse possit missis huiusmodi, toleramus. Suscipite igitur hilariter iniuncti laboris munus illudque in spe divini iuvaminis fidelibus portate humeris, ut laudabilis exitus diligentiae vestrae commendet industriam et augeat apud Deum et sedem apostolicam vestrorum cumulum meritorum. Quodsi non omnes his exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum, ut supra (*n. 109*).

111. Sclarmundae reginae Maioricarum indulget, ut loca religiosa et specialiter monasteria sororum ord. s. Clarae cum decenti comitiva mulierum et etiam monialium ord. Cist. intrare ibique comedere et morari valeat. [3]

1308, maii 1, Pictavis.

Carissimae in Christo filiae Sclarmundae [4] *reginae Maioricarum illustri.*

Monilibus adhornata virtutum *etc.* Tuis itaque supplicationibus inclinati, ut quotiens volueris

[1] Reg. Vat. t. 55, f. 226, ep. 21*b* de curia (n. 3560).

[2] Cfr. supra (n. 109, not. 3-5). Eisdem eodem die mandatur, ut Orosium regem Rassiae, si fidem catholicam susceperit, sub protectione sedis apostolicae recipiant, atque dispensent cum Stephano eius filio naturali super defectu natalium, ita ut dictus rex ei aliquem sui regni comitatum largiri ac ipse Stephanus illum recipere et habere possit; item cum illis praelatis regni Rassiae, qui ad praelaturam suarum ecclesiarum canonicum non habuerunt ingressum aut rite promoti ad ordines non existunt, ita ut in suis remanere valeant praelaturis aut si maluerint ad alias transferri (n. 3561-3563, cfr. 3566).

[3] Reg. Vat. t. 55, f. 74, ep. 395 (n. 2723 cfr. 2724).

[4] Alias Esclarmundae, filiae Roberti com. de Fuxo, uxori Iacobi regis Maior. (filii Iacobi I regis Aragoniae), cui nupserat

loca religiosa, cuiuscumque ordinis vel habitus fuerint, et specialiter monasteria sororum ordinis sanctae Clarae, cum quibus magis familiariter et frequenter conversaris, causa devotionis seu visitationis tibi propinquarum ibi existentium introire ac tecum ducere mulieres tam de domo tua quam alias et etiam aliquas de ordine Cisterciensi, quae tecum recitent horas canonicas secundum usum Romanae ecclesiae, prout id in consuetudine asseris te habere, quibus liceat tibi dare licentiam vescendi carnibus, quotiens videris expedire, ibique insuper comedere ac morari, quodque cum una sola de sororibus dicti ordinis sanctae Clarae vel uno solo fratre Minorum vel cuiuscumque alterius ordinis (non audientibus aliis) de omni honesto negotio suique ordinis secretis sine ullo scrupulo conscientiae ipsorum fratris vel sororis habere colloquium libere valeas, quocumque statuto dictorum ordinum in contrarium edito sive quovis privilegio apostolico ordini cuicumque concesso, de cuius tenore habenda sit in praesentibus mentio specialis, nequaquam obstante, auctoritate sibi apostolica indulgemus. Nulli ergo etc. Datum Pictavis, kalendis maii, pontificatus nostri anno tertio.

112. Guillelmum de Villanova ord. Min., assumptum in suffraganeum archiepiscopi Cambalien. in partibus Tartarorum, monet, ut ad illas partes se conferat. [1]

1308, maii 1, Pictavis.

Venerabili fratri Guillelmo de Villanova ordinis fratrum Minorum per nos assumpto in episcopum suffraganeum archiepiscopalis sedis Cambalien. in dominio Tartarorum. [2]

Considerantes olim clara sanctae operationis studia, quae dilectus filius frater Ioannes de Monte Corvino in archiepiscopum Cambalien. per nos assumptus in partibus Tartarorum secum Domini favente virtute operatus est hactenus ac in partibus ipsis existens assidue operatur, ipsum fratrem Ioannem ordinem fratrum Minorum professum ac in dictis partibus existentem de fratrum nostrorum consilio et apostolicae plenitudine potestatis in civitate Cambalien. (magna utique et honorabili regni magnifici principis Magni Chani regis Tartarorum) in archiepiscopum assumpsimus et praefecimus in pastorem, curam et sollicitudinem animarum omnium existentium in toto dominio Tartarorum sibi plenarie committentes; teque postmodum, sufficienter in lege Domini eruditum, de praedictorum fratrum nostrorum consilio et apostolicae potestatis plenitudine in adiutorium commune dicto fratri Ioanni et in partem sollicitudinis pro maiori animarum salute specialiter duximus deputandum ac in dicto dominio in episcopum assumpsimus et praefecimus in pastorem; ac demum tibi per venerabilem fratrem nostrum Petrum episcopum Sabinen. apud sedem apostolicam munus fecimus consecrationis impendi. Quocirca fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus ad partes praedictas sine dilatione qualibet cum gratia nostrae benedictionis accedens commissam tibi in hac parte curam et sollicitudinem sic salubriter gerere studeas, quod praeter divinae retributionis praemium dignis possis exinde laudibus merito commendari. Datum Pictavis, kalendis maii, pontificatus nostri anno tertio.

113. Praelatis infradictis mandat, ut Petrum de Boscho, presbyterum dioec. Pictaven., qui ordinem fratrum Minorum, quem professus erat, egressus est et ideo sententiam excommunicationis incurrit, a qua quidem per fr. Henricum ministrum provincialem provinciae Turoniae absolutus est, data ei licentia vel obedientia ad ordinem s. Benedicti se transferendi, in monasterio s. Leodegarii ord. s. Ben. dioec. Xanctonen. recipi faciant. [3]

1308, maii 4, Pictavis.

Abbati monasterii de Abria [4] *in Vastina* [5] *et .. archipresbytero de Pertiniaco Pictaven. dioecesis ac .. scolastico sanctae Radegundis Pictaven. ecclesiarum.*

Exponente nuper nobis dilecto filio Petro de Bosco *etc.* Dat. Pictavis, IV nonas maii, anno tertio.

114. Episcopis infradictis mandat, quod episcopum Corkagen. et Rogerum Russel, ab eo in rectorem ecclesiae s. Nicolai de Rincortan dioec. Corkagen. institutum, reiecto Imaro in eiusdem ecclesiae rectorem per verum ipsius patronum praesentato et neglecta appellatione ab eo ad sedem apostolicam hac de re facta, quam Patritius prior monasterii de Albotractu et Guilelmus Cholican canonicus Rossen. (tamquam subdelegati abbatis monasterii praedicti et prioris Praedicatorum ac guardiani Minorum fratrum ordinum Corkagen., [6] a sede apostolica iu-

---

13 oct. 1275 et ex quo genuit Iacobum Minoritam († 1304, cfr. *Wadd.* ad a. 1304 n. 13 et suppl. n. 4), Sancium regem Maior., Ferdinandum principem Achaiae, Philippum (de quo cfr. *Wadd.* ad a. 1328 n. 30 et 31), atque Sanciam uxorem Roberti regis Siciliae.

[1] Reg. Vat. t. 55, f. 230, ep. 29 de curia (n. 3582) cfr. *Wadd.* ad a. 1308, n. 85.

[2] Cfr. supra n. 86, pag. 38, not. 7.

[3] Reg. Vat. t. 55, f. 80, ep. 426 (n. 2761).

[4] Recte: Absia.

[5] Tractu quodam Galliae in districtu insulae Franciae (*Isle de France*).

[6] *Cork* in custodia Corkagen. provinciae Hiberniae.

dicum in hac causa institutorum) legitimam pronuntiarunt, citent, ut personaliter coram sede apostolica compareant. [1]

1308, maii 7, Pictavis.

Venerabilibus fratribus Limericen., Cluanen. et Rossen. episcopis.

Ad conatus malignantium reprimendos *etc.* Dat. Pictavis, nonis maii, anno tertio.

115. Concedit ministro provinciali provinciae Calabriae, ut in castro Nicoterrae domum iuxta incolarum vota recipere valeat. [2]

1308, maii 27, Pictavis.

Dilecto filio .. ministro fratrum ordinis Minorum provinciae Calabriae.

Ad ordinem fratrum ordinis Minorum et professores ipsius, per quos in horreum Domini salutis fructus uberes inferuntur, sincerae caritatis dirigentes affectum, ipsos in locis, in quibus per eorum ministerium virtuosum fidelium animae deliciarum spiritualium refici valeant ubertate, libentius collocamus. Sane praesentata nobis ex parte tua petitio continebat, quod nonnulli laici de castro Nicoterae [3] Militen. dioecesis, ad ordinem et professores eosdem specialis devotionis habentes affectum ac sperantes per ipsorum salubrium actionum exempla efficacius dirigi ad salutem, apud te et nonnullos alios ex professoribus ipsis, quod in castro ipso aliquem locum fratribus eisdem accommodum recipere curaretis, frequentius instíterunt. Quare nobis humiliter supplicasti, ut (cum in praefato castro, quod pro maiori parte inhabitatur a Graecis, Latini sacerdotes aliqui non existant, ad quos ipsi et alii, qui navigantes per mare, iuxta quod praefatum castrum situm fore dignoscitur, frequenter declinant, recurrere valeant pro iis, quae ad salutem pertinent animarum) recipiendi in eodem castro locum huiusmodi vobis concedere licentiam dignaremur. Nos igitur vestris supplicationibus inclinati vobis recipiendi locum ipsum (sine iuris praeiudicio alieni, fel. record. Bonifatii papae VIII praedecessoris nostri et qualibet alia constitutione super hoc in contrarium edita non obstante) plenam vobis licentiam elargimur. Nulli ergo *etc.* Datum Pictavis, VI kalendas iunii, pontificatus nostri anno tertio.

116. Concedit indulgentias visitantibus ecclesiam fratrum Minorum de Grandisono. [4]

1308, augusti 1, Pictavis.

Universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis.

1. Loca sanctorum omnium pia et prompta sunt devotione a fidelibus Christi veneranda, ut, dum Dei veneramur amicos, ipsi nos amabiles Deo reddant, et illorum nobis vendicantes quodammodo patrocinium apud ipsum, quod merita nostra non obtinent, eorum mereamur intercessionibus obtinere. Cum itaque, sicut ex parte dilecti filii nobilis viri Octonis de Grandissono fuit propositum coram nobis, ipse in fundo proprio in dicto loco de Grandissono Lausanen. dioecesis pro suorum et progenitorum suorum remissione peccaminum quasdam ecclesiam et officinas in honorem beati Francisci confessoris de bonis suis aedificare incepit opere plurimum sumptuoso, et iam fratres ordinis Minorum quamplures locum inhabitent supradictum: nos cupientes, ut ecclesia ipsa congruis honoribus frequentetur, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui eamdem ecclesiam in Nativitatis, Apparitionis, Resurrectionis et Ascensionis Domini, beatae Mariae Virginis, sanctorum Francisci et Antonii ac beatarum Clarae et Catharinae virginum festivitatibus nec non in die Pentecostes, unum annum, eis vero, qui eamdem ecclesiam per octo dies festivitates ipsas immediate sequentes singulis annis venerabiliter visitarint, quadraginta dies, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus. Datum Pictavis, kalendis augusti, pontificatus nostri anno tertio.

2. Licet is *etc.* Cupientes igitur, ut ecclesia fratrum ordinis Minorum de Grandissono Lausanen. dioecesis congruis honoribus frequentetur, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui ecclesiam ipsam in beatorum Francisci et Antonii ac sanctae Clarae festivitatibus et per octo dies festivitates ipsas immediate sequentes annis singulis venerabiliter visitarint, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, unum annum et quadraginta dies de iniuncta eis poenitentia misericorditer relaxamus. Datum ut supra.

117. Mandat universis praelatis ac fratribus Praedicatoribus, Minoribus, Heremitis s. Aug. etc. et quibuslibet aliis ecclesiasticis vel alterius religionis personis per Maguntin., Treveren., Colonien., Magdeburgen. et Salzeburgen. provincias ac earum et Eisteten., Bambergen., Caminen. civitates et dioec. constitutis, ut Petrum de Garlenxs praepositum ecclesiae Frankeforden. et Gabrielem plebanum plebis de Valeneto, Maguntin. et Pisan. dioec., capellanos suos, quos ad praedictas regiones pro exigendis legatis

[1] Reg. Vat. t. 55, f. 130, ep. 641 (n. 3002).
[2] Reg. Vat. t. 55, f. 84, ep. 441 (n. 2778).
[3] *Nicotera*, cui loco dignitatem episcopalem tunc amissam Bonifatius IX restituit. Conventus fratrum Minorum ibidem vi huius concessionis fundatus et custodiae Reginae in provincia Calabriae aggregatus anno 1652 Innocentianae succubuit suppressioni.
[4] *Grandson* in custodia Lausanen. provinciae Burgundiae. Reg. Vat. t. 55, f. 103, ep. 533*a b* (n. 2885 et 2886).

et obventionibus quomodocunque et qualitercunque et sub quacunque conditione et forma verborum Terrae sanctae subsidio deputatis et redemptionibus votorum et crucis et pro quibusdam aliis ecclesiae Romanae negotiis duxit destinandos, in exequendis huiusmodi negotiis adiuvent. [1]

1308, octobris 25, apud Laureum montem.

Cum dilectos filios *etc.* Dat. apud Laureum montem Burdegalen. dioec., VIII kal. novembris, anno tertio.

118. Concedit universis Christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui ecclesiam pauperum caecorum Parisien. a beato Ludovico (rege Franc.) constructam congruis frequentarint honoribus ipsisque pauperibus caecis pias caritatis eleemosynas erogarint, centum dierum indulgentias. [2]

1308, octobris 31, apud Laureum montem.

Universis Christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Licet is *etc.* Dat. apud Laureum montem Burdegalen. dioc., II kal. novembris, anno tertio.

119. Concedit universis Christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui ecclesiam in regali loco Novaevillae iuxta Compendium Suessionen. dioec. in honorem b. Ludovici (regis Franc.) fundatam necnon et capellam in honorem B. M. V. ac beati Ioannis Bapt. ibidem constructam in singulis B. M. V. ac b. Ioannis Bapt. et s. Ludovici etc. festivitatibus devotionis causa annuatim visitarint, unius anni, per octavas dictarum festivitatum accedentibus: centum dierum indulgentias. [3]

1308, octobris 31, apud Laureum montem.

Eisdem (*ut supra n. 118*).

In sanctorum festivitatibus *etc.* Dat. apud Laureum montem Burdegalen. dioc., II kal. novembris, anno tertio.

120. Concedit Clarissis Burdegalen., ut monasterio suo mendicatum aliisque de causis honestis et utilibus exire valeant. [4]

1308, novembris 7, apud Laureum montem.

Dilectis in Christo filiabus .. abbatissae et sororibus monasterii sanctae Clarae Burdegalen. [5] *ord. eiusdem sanctae.*

Odor famae vestrae laudabilis, observantia regularis et alia laudabilia merita, quibus virtutum Domino deservitis, digne nos excitant et inducunt, ut opportunitatibus vestris, quantum cum Deo possumus, benignis et gratiosis favoribus occurramus. Cum itaque, sicut asseritis, adeo premamini onere paupertatis, quod vos oporteat a christifidelibus caritative quaerere victum vestrum: nos vestris supplicationibus inclinati auctoritate vobis praesentium indulgemus, ut propter hoc et pro vestris aliis negotiis honeste ac utiliter procurandis (cum licentia tamen ministri provincialis fratrum ordinis Minorum vobis et vestro monasterio praesidentis) vestrum exire locum messium videlicet per unum mensem et tantumdem vindemiarum temporibus anno quolibet libere valeatis (quacumque constitutione apostolicae sedis seu quibuslibet statutis vel consuetudinibus vestri ordinis contrariis iuramento, confirmatione sedis eiusdem vel quacumque alia firmitate vallatis, non obstantibus): ita tamen, quod soror iuvenis sine sorore sene aliquatenus non incedat. Praesentibus post triginta annos minime valituris. Nulli ergo *etc.* Datum apud Laureum montem Burdegalen. dioecesis, VII idus novembris, pontificatus nostri anno tertio.

121. Relaxat universis christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui supradicto monasterio s. Clarae Burdegalen. ordinis eiusdem sanctae ad supportandam paupertatem manus porrexerint adiutrices, centum dies de iniunctis poenitentiis. [6]

1308, novembris 7, apud Laureum montem.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Quoniam ut ait apostolus *etc.* Dat. apud Laureum montem Burdegalen. dioc., VII idus novembris, anno tertio.

122. Mittit episcopum Soran. et abbatem mon. de Manso Harsilis (Asilis) ord. s. Ben. ac fr. Guilelmum de s. Marcello ord. Min. in insulam Siciliam ad inquirendum contra Templarios ibi constitutos. [7]

1308, decembris 30, Tolosae.

Venerabilibus fratribus universis archiepiscopis et episcopis per insulam Siciliae constitutis.

Cum dilectum filium fratrem Guilelmum de s. Marcello ordinis Minorum [8] *etc.* Dat. Tholosae, III kal. ianuarii, anno quarto. Cum venerabilem fratrem .. episcopum Soran. *etc.* Dat. ut supra. Cum dilectum filium Raymundum abbatem mon. de Manso Harsilis *etc.* Dat. ut supra.

---

[1] Reg. Vat. t. 55, f. 235, ep. 48 de cur. (n. 3615, 3611-3614).
[2] Reg. Vat. t. 55, f. 175, ep. 857 (n. 3237).
[3] Reg. Vat. t. 55, f. 175, ep. 858 (n. 3239).
[4] Reg. Vat. t. 56, f. 26, ep. 123*a* (n. 3778).
[5] *Bordeaux* in custodia Burdegalen. provinciae Aquitaniae. Cfr. *Wadd.* ad a. 1290, n. 35.
[6] Reg. Vat. t. 56, f. 26, ep. 123*b* (n. 3779).
[7] Reg. Vat. t. 56, f. 279, ep. 102 de curia (n. 5100); cfr. f. 207 (3443, 3446). Eodem die et litteris eiusdem tenoris ad singulas orbis catholici partes inquisitores contra Templarios (cfr. supra n. 96) sunt missi.
[8] Cfr. infra n. 149.

123. Mandat infra nominatis, ut Petrum Buxeriae in possessionem pacificam rectoriae ecclesiae s. Baudili de Blandatio dioec. Nemausen. inducant. [1]

1309, ianuarii 24, Carbonae.

Dilectis filiis .. praecentori et Iordano de Podio canonico ac .. guardiano ord. Min. Lodoven. [2]

Exposuit nobis dilectus filius *etc.* Dat. Carbonae Tholosan. dioc., IX kal. februarii, anno quarto.

124. Absolvit Petrum de Campania presbyterum ord. fratrum Min., qui ordinem ipsum, quem professus erat, exiit habitum dimittendo et per saeculum evagando, ab excommunicationis sententia et quacumque irregularitate, conceditque ei licentiam s. Benedicti ordinem ingrediendi et ad monasterium s. Maxentii Pictaven. dioec. se transferendi, cuius abbati et conventui mandat, ut recipiant ipsum in monachum et fratrem nec ei denegent promotionem alicuius beneficii vel officii ipsius ordinis, ad quam habilitatur. [3]

1309, aprilis 7, Avinione.

Dilectis filiis .. abbati et conventui monasterii s. Maxentii ord. s. Ben. Pictaven. dioc.

Dilectus filius frater *etc.* Dat. Avinione, VII idus aprilis, anno quarto.

125. Episcopo et priori Praed. ac guardiano Min. fratrum Autissiodoren. committit, ut, si abbas monasterii s. Germani Autissiodoren., propter senectutem et debilitatem nimiam, qua depressus existit, regimini ipsius monasterii cedere forte voluerit, eius cessionem recipiant. [4]

1309, aprilis 10, Avinione.

Venerabili fratri .. episcopo et dilectis filiis .. priori Praedicatorum et .. guardiano Minorum fratrum ordinum Autisiodoren. [5]

Accepimus nuper relatione fideli *etc.* Datum Avinione, IV idus aprilis, pontificatus nostri anno quarto.

126. Praelatis infra nominatis mandat, ut in controversia inter fratres Praed. et fratres Min. ord. civitatis Alexandrin. de horum oratorio exorta cognoscant et decernant. [6]

1309, maii 7, Avinione.

Dilectis filiis .. abbati monasterii sanctae Iustinae de Saxadio et praeposito sanctae Mariae de Castello de Alexandria ac archipresbytero s. Agathae de Vuiliis Aquen. dioec.

Sua nobis .. guardianus et fratres ordinis Minorum de Alexandria [7] Aquen. dioecesis petitione monstrarunt, quod, licet ipsi quoddam oratorium sui ordinis in loco seu fundo ad ipsos guardianum et fratres spectante et immediate contiguo ipsorum loco, per eosdem guardianum et fratres antiquitus inhabitato, in praedicto loco de Alexandria (prout eis ex forma privilegiorum a sede apostolica dicto ordini concessorum licebat) sine cuiusque iniuria aedificare coepissent, tamen priore et conventu fratrum Praedicatorum dicti loci de Alexandria suggerentibus mendaciter dilecto filio nostro Neapoleoni sancti Adriani diacono cardinali, tunc [8] in illis partibus apostolicae sedis legato, quod iidem guardianus et fratres praedictum oratorium aedificabant contra privilegia dictae sedis ordini Praedicatorum concessa et quod occasione aedificationis huiusmodi quasdam vias clauserant et claudebant in ipsorum prioris et conventus praeiudicium et gravamen, idem legatus maioris ecclesiae et domus Humiliatorum ac sancti Ioannis dicti loci de Alexandria praefatae dioecesis praepositis inter alia suis dedit litteris in mandatis, ut, si inveniretur quomodolibet contra privilegia dictorum fratrum Praedicatorum praedictos guardianum et fratres aedificasse oratorium supradictum ac huiusmodi vias in praeiudicium eorumdem fratrum Praedicatorum claudere vel clausisse, eisdem fratribus Minoribus interdicerent, ut in dicto oratorio non procederetur nec in eo etiam celebraretur, nisi dicti guardianus et fratres eisdem praepositis fidem facerent, quod eis praemissa liceant ex forma dictorum privilegiorum praedicto eorum ordini ut praedicitur concessorum; iidem vero praepositi, non servata forma commissionis huiusmodi, ad instantiam praedictorum prioris et conventus praefatis guardiano et fratribus praetextu commissionis huiusmodi ex abrupto, nulla causae cognitione habita de praemissis, quamquam de iis, quae dicti prior et conventus dicto legato suggesserant, aliquatenus non constaret, prout nec constare poterat, cum ea non essent notoria neque vera, praedictis guardiano et fratribus sub poena excommunicationis mandarunt, ut in constructione dicti oratorii non procederent nec in ipso divina officia modo aliquo celebrarent: quamquam dicti guardianus et fratres eosdem praepositos iuxta formam commissionis praedictae informare ac instruere plenius se paratos obtulissent tam per privilegia et per iura eis concessa quam etiam per testes omni exceptione maiores, quos et quae super iis obtulerunt producere coram eis. Propter quod ex parte dictorum guardiani et fratrum, sentientium

[1] Reg. Vat. t. 56, f. 45, ep. 235 (n. 3893).

[2] Conventus fratrum Min. Lodoven. *(Lodève)* pertinebat ad custodiam Montis Pessulani *(Montpellier)* provinciae Provinciae.

[3] Reg. Vat. t. 56, f. 127, ep. 619 (n. 4359).

[4] Reg. Vat. t. 56, f. 43, ep. 221 (n. 3880).

[5] Conventus fratrum Min. Autissiodoren. *(Auxerre)* pertinebat ad custodiam Campaniae provinciae Franciae.

[6] Ex autographo olim in conventu fratrum Min. Alexandrin. asservato. Cfr. infra n. 191.

[7] *Alessandria della Paglia* tunc dioec. Aquen. *(Acqui)*, quae civitas postmodum ipsa erat sedes episcopalis. Conventus fratrum Min. ibi fundatus pertinebat illo tempore ad custodiam Montisferrati provinciae Ianuen.

[8] Anno 1306.

ex hoc indebite se gravari, fuit ad sedem apostolicam appellatum. Quocirca discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus (vocatis, qui fuerint evocandi, et auditis hinc inde propositis) quod iustum fuerit, appellatione remota decernatis, facientes, quod decreveritis, per censuram ecclesiasticam firmiter observari; testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, compellatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes iis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Avinione, nonis maii, pontificatus nostri anno quarto.

127. Priori Praed. et guardiano Min. fratrum Halberstaden. committit, ut, si electionem, qua Iuncta monasterio s. Servatii de Quedelinburg ord. s. Aug. dioec. Halberstaden. praefecta est in abbatissam, invenerint de persona idonea celebratam, electionem confirmare curent, alioquin de alia persona idonea per electionem canonicam dicto monasterio faciant provideri. [1]

1309, maii 10, Avinione.

Dilectis filiis .. priori Praedicatorum et .. guardiano Minorum fratrum ordinum Alberstaden. [2]

Etsi ecclesiarum et monasteriorum omnium *etc.* Dat. Avinione, VI idus maii, anno quarto.

128. Annuens supplicationibus Rainaldi Spinulae de Luculo aliorumque ambassiatorum civitatis Ianuen. concedit guardiano fratrum Minorum Ianuen. facultatem absolvendi illos Ianuenses, qui contra constitutiones sedis apostolicae mercimonia vetita in Alexandriam seu alia loca Saracenorum detulerant, ab excommunicationis sententiis, quas hinc inde incurrerunt. [3]

1309, maii 13, Avinione.

Dilecto filio guardiano fratrum ord. Minorum Ianuen.

Saluti et quieti fidelium *etc.* Dat. Avinione, III idus maii, anno quarto.

129. Annuens supplicationibus Rainaldi Spinulae de Luculo civis Ianuen., qui in fundo proprio in Ianuen. vel Terdonen. dioecesibus in honorem b. Dominici vel b. Francisci domum pro fratribus Praedicatoribus vel Minoribus fundare desiderat, superioribus alterius utrius ordinis concedit, ut ipsam recipere possint. [4]

1309, maii 13, Avinione.

Dilectis filiis .. priori et .. ministro ac fratribus Praedicatorum et Minorum ordinum provinciae Ianuen.

Inter ceteros ordines in agro plantatos ecclesiae sacros vestros ordines claris eorum exigentibus meritis gerentes in visceribus charitatis, ad ea vigilanter intendimus ac opem operamque sollicitam impertimur, per quae status eorumdem ordinum ad divini nominis gloriam, exaltationem catholicae fidei et honorem ordinum praedictorum prosperis semper successibus affluat, tranquillis foveatur eventibus et votivis proficiat incrementis. Sane petitio dilecti filii nobilis viri Raynaldi Spinulae de Luculo civis Ianuensis nobis exhibita continebat, quod ipse zelo fidei ac devotionis accensus et ad divina obsequia iugiter exequenda dispositus in fundo proprio in Ianuen. vel Terdonen. dioecesi, in loco congruo et honesto, ad honorem beati Dominici vel beati Francisci confessorum, qui primi fuerunt gloriosi eorumdem ordinum fundatores, quamdam ecclesiam et domos, in quibus alicuius ex praefatis ordinibus professores moram continuam contraherent, devotum et sedulum sacrificium laudis Altissimo impensuri, de bonis propriis construere et aedificare proponit; sed quia domos ipsas recipere (constitutione fel. rec. Bonifatii papae VIII praedecessoris nostri super hoc in contrarium edita obsistente) absque apostolicae sedis licentia non potestis, praefatus nobilis nobis humiliter supplicavit, ut super hoc sibi et vobis per ipsius sedis clementiam provideretur. Nos itaque piis eiusdem nobilis supplicationibus annuentes vobis, ut fratres Praedicatorum vel Minorum vestrorum ordinum praedictorum, quos dictus nobilis duxerit eligendos, in altera dioecesium praedictarum et in loco, in quo conventum alium minime habetis, in fundo proprio eiusdem nobilis locum recipere ac ecclesiam et domos fabricare expensis ipsius ipsasque perpetuis futuris temporibus retinere et morari in illis libere valeatis, eiusdem praedecessoris et alia qualibet constitutione contraria non obstante, plenam auctoritate praesentium licentiam duximus concedendam. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, III idus maii, anno quarto. [5]

130. Concedit ministro generali ceterisque fratribus ord. Min. facultatem recipiendi locum ad ipsorum usum fundandum in villa Laberhani. [6]

1309, maii 25, Avinione.

Dilectis filiis .. ministro generali et fratribus ordinis Minorum.

Religionis vestrae merita nec non dilecti filii

[1] Reg. Vat. t. 56, f. 124, ep. 593 (n. 4332).
[2] *Halberstadt* in Germania. Conventus fratrum Minorum ibi existens pertinebat ad custodiam Halberstaden. prov. Saxoniae.
[3] Reg. Vat. t. 56, f. 62, ep. 320 (n. 3978). Cfr. supra n. 36.
[4] Reg. Vat. t. 56, f. 54, ep. 278 (n. 3936).
[5] Difficile est dictu, ubi et pro quo ex praedictis ordinibus dicta domus fundata sit.
[6] Reg. Vat. t. 56, f. 133, ep. 651 (n. 4391).

nobilis viri Bernardi comitis Astariaci [1] devota supplicatio nos inducunt, ut ad vestri propagationem ordinis promptis intendamus affectibus ac eiusdem comitis piis desideriis favorabiliter annuamus. Cum itaque idem comes, sicut in nostra proposuit praesentia constitutus, pie desideret, ut in comitatu suo Astariacensi, in villa videlicet vocata Laberhanum, locus fratrum eiusdem ordinis ad laudem divini nominis habeatur, nos praedictorum intuitu meritorum ac eiusdem comitis piae supplicationis obtentu, volentes vos et ordinem ipsum favore prosequi gratioso, recipiendi in dicta villa locum dicto ordini congruum, si alias vobis legitime concedatur, [2] ac iuxta morem dicti ordinis construendi in eodem loco ecclesiam et necessarias officinas ac habendi hortum et coemeterium iuxta illum, in quo conventus eorumdem fratrum perpetuo Domino famuletur, sine iuris praeiudicio alieni (constitutione fel. record. Bonifatii papae VIII praedecessoris nostri, qua prohibetur, ne fratres ipsi ad alia loca se transferant seu illa de novo recipiant sine apostolicae sedis licentia speciali, et qualibet alia super hoc in contrarium editae non obstante) auctoritate vobis praesentium indulgemus. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, VIII [3] kalendas iunii, pontificatus nostri anno quarto.

131. Fratribus Min. Oxonen. concedit locum fratrum de Poenitentia I. C. eis contiguum. [4]

1309, maii 27, Avinione.

Dilectis filiis .. guardiano et fratribus ordinis Minorum de Oxone [5] Lincolnien. dioecesis.

Exhibita nobis ex parte vestra petitio continebat, quod propter arctitudinem loci vestri de Oxone vos et fratres alii inibi ad generale studium de diversis mundi partibus in magna multitudine confluentes defectus multiplices et incommoditates varias sustinetis. Cum itaque locus fratrum de Poenitentia Iesu Christi [6] eiusdem loci de Oxone eidem loco vestro contiguus a dictis fratribus sit in brevi ut creditur relinquendus, in dispositione sedis apostolicae iuxta tenorem constitutionis a Gregorio pp. X praedecessore nostro in generali concilio Lugdunen. editae remansurus: ex parte vestra nobis humiliter extitit supplicatum, ut locum ipsum pro ampliatione dicti loci vestri vobis concedere dignaremur. Nos igitur, vestris et dilecti filii nobilis viri Ioannis de Britania comitis Richemundae, nobis super hoc cum instantia supplicantis, precibus inclinati, locum praedictum, cedentibus vel decedentibus fratribus supradictis aut illum quomodolibet dimittentibus, vobis de speciali gratia concedimus et donamus. Nulli ergo *etc.* Datum Avenione, VI kalendas iunii, pontificatus nostri anno quarto.

132. Concedit Ioanni de Cabilone domino de Arlato, ut in oppido suo Arlaten. Burgundiae Clarissarum monasterium aedificare valeat. [7]

1309, iunii 14, Avinione.

Dilecto filio nobili viro Ioanni de Cabilone [8] domino de Arlato.

Sincera devotio, quam erga nos et sedem apostolicam habere dignosceris, promeretur, ut nos et illam in iis, quae iuste postulas, tibi sentias ad gratiam liberales. Oblata siquidem nobis ex parte tua petitio continebat, quod tu, cupiens terrena pro caelestibus et transitoria pro aeternis felici commercio commutare, quemdam locum cum oratorio, domibus et officinis ad opus sororum ordinis sanctae Clarae in villa tua de Arlato [9] Bisuntinae dioecesis, in loco congruo et honesto, pro tuorum et parentum tuorum remedio peccatorum aedificare de novo desideras propriis sumptibus et expensis, et sororibus, quas contigerit in eo Domino famulari, de necessariis providere. Nos igitur tuis supplicationibus inclinati, ut praefatum locum cum oratorio, domibus et officinis eisdem iuxta huiusmodi tuum desiderium ad opus sororum praedictarum libere et licite construere valeas, sine iuris praeiudicio alieni, plenam tibi auctoritate praesentium licentiam elargimur. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, XVIII kalendas iulii, anno quarto.

133. Mandat Burgundiae ministro provinciali, ut Clarissarum Arlaten. regimen suscipiat et curam. [10]

1309, iunii 14, Avinione.

Dilecto filio .. ministro fratrum ordinis Minorum in provincia Burgundiae.

Apostolicae sedis consueta benignitas cunctorum

---

[1] In Guasconia inter comitatus Bigorrae et Convenarum, cuius caput erat Miranda, ubi fratribus Minor. die 19 maii 1317 a Ioanne XXII recipiendi domum (pertinentem ad custodiam Auxitan. provinciae Aquitaniae) conceditur facultas.

[2] Quod nequaquam factum esse videtur; nam in « provinciali » fratrum Minorum circa a. 1340 confecto talis domus non recensetur. Loco eius domus Mirandae (cfr. not. praeced.) fundata esse videtur.

[3] Non « VII », sicut legitur apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Clem. .V n. 22.

[4] Reg. Vat. t. 56, f. 90, ep. 408 (n. 4102).

[5] *Oxford* in custodia Oxonien. provinciae Angliae.

[6] Alias « Saccorum », de quibus (in concilio Lugdunen. secundo suppressis) in huius op. t. II-IV passim.

[7] Reg. Vat. t. 56, f. 139, ep. 672 (n. 4412).

[8] *Châlons (sur Saône).*

[9] Non in hac ipsa villa sed in loco de Ledone Saunerio *(Lons-le-Saunier)* dictum monasterium fundatum esse videtur. Cfr. infra n. 133 et 142.

[10] Reg. Vat. t. 56, f. 139, ep. 673 (n. 4413); cfr. supra n. 132.

iustas petitiones admittere consuevit, sed illorum praecipue, qui nobilitatis titulo insigniti se illius gratos affectibus per sincerae devotionis studia repraesentant. Cum itaque dilectus filius vir Ioannes de Cabilone dominus de Arlato quemdam locum cum oratorio domibus et officinis ad opus sororum ordinis sanctae Clarae in eadem villa sua de Arlato Bisuntinae dioecesis aedificare propriis sumptibus et expensis, et eisdem sororibus, quas videlicet contigerit in eodem domino famulari, pro suorum et parentum suorum remedio peccatorum de necessariis providere proponat: nos, ut illa aedificare et construere valeat sine iuris praeiudicio alieni, sibi per alias nostras litteras plenam duximus licentiam concedendam. Quocirca [tibi per apostolica scripta] mandamus, quatenus sorores antiquas, bonas et utiles, per quas novitiae et iuvenes sorores, quae in loco recipientur eodem, informari valeant regularibus disciplinis (et locus ipse salubrius gubernari), quas nobilis praedictus de provincia Burgundiae duxerit eligendas; nec non et dictis sororibus, quae sub cura fratrum tui ordinis vivere dignoscuntur et quas in eodem monasterio locari contigerit, fratres ipsius ordinis Minorum ad hoc idoneos, qui eas gubernent ipsisque ministrent ecclesiastica sacramenta, quos idem nobilis elegerit de provincia memorata, sine difficultate concedas, cum ab ipso fueris requisitus. Nos enim dictis sororibus sic electis, quod monasteria, in quibus morantur ad praesens, exire et ad dictum monasterium se transferre valeant (constitutione fel. record. Bonifatii papae VIII praedecessoris nostri, qua sancitur, universas et singulas moniales, cuiuscumque ordinis vel religionis existant, in quibuscumque mundi partibus existentes, sub perpetua in suis monasteriis debere permanere clausura: ita quod nulli earum religionem tacite vel expresse professae sit vel esse valeat quacumque ratione vel causa, nisi in certis casibus ibidem expressis, monasteria ipsa egrediendi facultas, nequaquam obstante), plenam et liberam concedimus auctoritate praesentium facultatem. Datum ut supra.

134. Committit Petro ep. Ruthenen. et sedis apost. legato (ex ord. Min.), « utpote viro sibi experientia familiari praecognito, in timore Dei timorato, litterarum scientia praedito, in agendis grandibus circumspecto ac fervido catholicae fidei zelatori », in Alexandrin., Antiochen. Ierosolimitan. patriarchatibus nec non in regnis Cypri et Armeniae minoris et insulae Rhodi plenae legationis officium. [1]

1309, iunii 20, Avinione.

Venerabili fratri Petro [2] *episcopo Ruthenen. apostolicae sedis legato.*

Vulnus et livor *etc.* Dat. Avinione, XII kalendas iulii, anno quarto.

135. Cum Iohanne dicto Gustis, qui olim in undecimo aetatis suae anno existens ordinem fuit fratrum Min. ingressus et postmodum professus, demum vero de licentia ministri eiusdem ordinis ad monasterium de s. Martino ord. s. Bened. Portugalen. dioec. se transtulit assumens ibidem habitum monachalem, dispensat, ut abbatiam ipsius monasterii de s. Martino vel alterius cuiuscumque eiusdem ord. s. Ben., si ad illam vocari vel assumi contingat, recipere et retinere valeat, non obstante quod ordini fratrum Minorum a sede apost. dicatur esse concessum, ut nullus eundem ordinem professus, eo dimisso, ad dignitatem aliquam assumi valeat, dispensatione super hoc non obtenta. [3]

1309, iunii 24, Avinione.

Dilecto filio fratri Iohanni dicto Gustis, monacho monasterii de s. Martino ord. s. Ben. Portugalen. dioc.

Religionis zelus *etc.* Dat. Avinione, VIII kal. iulii, anno quarto.

136. Praelatis infra nominatis mandat, ut fr. Venutum de Neocastro ord. Min., electum Catacen., citent ad sedem apostolicam. [4]

1309, iunii 29, Avenione.

Venerabili fratri .. archiepiscopo [Cusentin.] et dilectis filiis .. Cusentin. et sancti Marci archidiaconis.

Si subditorum temeritas in se sumit audaciam delinquendi superioris, debet adesse correctio, ne de sua malitia glorientur. Dudum siquidem pro parte procuratoris generalis fratrum ordinis Minorum fuit expositum coram nobis, quod olim ecclesia Catacen. [5] per obitum bonae memoriae Iacobi episcopi Catacen. vacante duae fuerunt electiones, una videlicet de dilecto filio Waltero, nunc decano tunc archidiacono eiusdem ecclesiae, alia vero de fratre Venuto de Neocastro praedicti ordinis professore, in eadem ecclesia in discordia celebratae; cumque postmodum idem frater Venutus a dilecto filio .. ministro provinciali ipsius ordinis provinciae Calabriae, de qua idem frater Ve-

---

[1] Reg. Vat. t. 56, f. 134, ep. 652 (n. 4392).

[2] Cognomento « Pleine-Chassagne » ord. Min. a. 1302 promoto. Cuius legationis causa ei diversae facultates conceduntur, quas legere est in edit. mon. Ben. nn. 3822, 3852, 3853, 3975, 4384, 4459, 4494, 4576, 5769, 6658, 6712. Litteris 13 sept. 1309 datis, in quibus expresse nominatur alumnus ord. Min., ei facultas conceditur testandi (n. 4290). Die 26 febr. 1314 promovetur in patriarcham Hierosol., ita tamen, ut retineat ecclesiam Ruthenen. Vide infra n. 224 et 291.

[3] Reg. Vat t. 56, f. 183, ep. 880 (n. 4682). Cfr. constitutionem Nicolai IV die 14 maii 1288 editam et t. IV, p. 20 huius Bull. relatam.

[4] Reg. Vat. t. 56, f. 190, ep. 925 (n. 4729).

[5] *Catanzaro* in Calabria.

nutus existebat, consentiendi electioni praedictae sibi concedi licentiam postulasset, idem minister asserens, quod, cum ex constitutionibus praefati ordinis ad ministrum generalem ipsius ordinis huiusmodi concessio licentiae pertineret, idemque minister expresse mandasset eidem, ut dicto fratri Venuto huiusmodi licentiam denegaret, idem provincialis minister ei huiusmodi licentiam non concessit, prout etiam nec debebat. Postmodum vero supradicto archidiacono dictam electionem suam a venerabili fratre nostro .. archiepiscopo Regin. loci metropolitano petente infra tempus legitimum confirmari, idem archiepiscopus ad suggestionem ac instantiam dilecti filii nobilis viri Petri comitis Catanzarii patris sui, cuius idem frater Venutus capellanus erat, dictum Walterum electioni praedictae renuntiare coegit et subsequenter iidem archiepiscopus et comes dictum fratrem Venutum iterato procurarunt eligi in episcopum Catacen. Demum vero, cum praefatus comes dictum ministrum provincialem, ut eidem fratri Venuto consentiendi electioni huiusmodi licentiam concederet postulatam, rogasset instanter, idem minister per suas litteras suo sigillo munitas comiti respondit eidem, quod ei dare non poterat licentiam memoratam. Verum idem frater Venutus, spiritu seductus nequitiae, de litteris ipsis erecto sigillo illud falso aliis fabricatis litteris licentiam continentibus memoratam affigere dampnabili temeritate praesumpsit; et subsequenter praetendens mendaciter, se consentiendi electioni huiusmodi de ipso secundario ut praemittitur celebratae ab eodem ministro obtinuisse licentiam supradictam, electioni memoratae consensit, quam per eumdem archiepiscopum confirmari et deinde sibi munus consecrationis impendi obtinuit ab eodem. Nos vero super praemissis scire volentes certitudinem veritatis, dilecto filio nostro Arnaldo sanctae Mariae in Porticu diacono cardinali, ut super praemissis omnibus se plenius informaret nobisque referret, quicquid eum invenire contingeret super illis, commisimus oraculo vivae vocis; facta itaque nobis per dictum cardinalem in huiusmodi negotio relatione fideli, quia per huiusmodi relationem invenimus, quod de supradictis omnibus et singulis publica erat vox et fama, dictusque frater Venutus super hiis nec non et super eo, quod obedientiam ministri sui eiusdem ordinis alias temere praesumpserat violare, existebat publice diffamatus et sic reputabatur communiter et habebatur per clericos tam saeculares quam regulares ac laicos in partibus illis, quodque dictus frater Venutus propter contumaciam manifestam per archiepiscopum Cusentin., conservatorem privilegiorum praefati ordinis in partibus illis per sedem apostolicam deputatum, excommunicationis sententia innodatus extiterat et sic ligatus immiscuerat se divinis et continue immiscebat eadem officia profanando in ecclesiasticae disciplinae contemptum et salutis propriae detrimentum: nos praemissa nolentes (sicut etiam nec debemus) sub dissimulatione transire, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios praefatum fratrem Venutum ex parte nostra peremptorie citare curetis, ut infra trium mensium spatium post citationem huiusmodi compareat personaliter coram nobis, facturus et recepturus super praemissis, quod iustitia suadebit; diem autem huiusmodi citationis et formam, et quicquid inde feceritis, nobis per vestras patentes litteras vestris signatas sigillis vel per publicum instrumentum harum seriem continentia fideliter intimare curetis. Datum Avinione, III kalendas iulii, pontificatus nostri anno quarto. [1]

137. Cum Guilelmo de Sabaudia, qui ordinem fratrum Min. quem olim professus est, non petita licentia reliquit, successu vero temporis a ministro provinciali ipsius ordinis petita licentia et obtenta ad ordinem s. Benedicti se transferens in monasterio s. Michaelis de Clusa eiusdem ord. Taurin. dioec. professionem emisit, dispensat, ut abbatiam illius monasterii, ad quam nuper electus est, non obstante statuto Nicolai p. IV [2] recipere ac retinere valeat. [3]

1309, iulii 4, Avinione

Dilecto filio Guilelmo de Sabaudia monacho monasterii s. Michaelis de Clusa ord. s. Ben. Taurinen. dioc.

Sedes apostolica *etc.* Dat. Avinione, IV nonas iulii, anno quarto.

138. Mandat superioribus ordinum Mendicantium generalibus, ut fideles moneant in sermonibus suis et in excipiendis eorum confessionibus, quod subsidium erogent fratribus ord. s. Ioh. Hieros. pro passagio ultramarino. [4]

1309, iulii 11, Avinione.

Dilectis filiis .. [5] magistro Praedicatorum et .. [6] generali ministro Minorum nec non et generalibus prioribus fratrum Heremitarum sancti Augustini [7] et sanctae Mariae de Monte Carmeli [8] ordinum ac provincialibus prioribus et ministris custodibusque

[1] Alteram citationem dicti Venuti vide infra n. 163.
[2] Die 14 maii 1288 edito. Cfr. supra n. 135.
[3] Reg. Vat. t. 56, f. 182, ep. 875 (n. 4677).
[4] Reg. Vat. t. 56, f. 198, ep. 967 (n. 4772, cfr. 4769-4771).
[5] Aimerico de Placentia, Tolosae 16 maii 1304 electo.
[6] Gonsalvo vel Gundisalvo de Vallebona, a. 1304 electo.
[7] Aloysio Soralli, electo 1308.
[8] Gerardo de Bononia, electo 1297.

ac prioribus conventualibus et guardianis caeterisque fratribus ordinum praedictorum.

Exhaurientes indesinenter amaritudinis calicem de dilatatis oppressionibus Terrae sanctae, quam sauciat laceratque immaniter manus impia paganorum, ferventi desiderio ducimur, ut Terra ipsa, in qua steterunt pedes Domini, ad cultum christianae religionis (exterminata ipsorum paganorum perfidia) coadiuvante Domino redigatur, propter quod exquisitis hactenus viis et modis, qualiter ad terram ipsam possemus opem manus auxiliatricis extendere, certum equitum et peditum particulare passagium per dilectos filios .. magistrum et fratres Hospitalis sancti Iohannis Hierosolymitani deliberavimus in dictae Terrae subsidium faciendum, quamplurimum gratiarum et diversarum amplarumque indulgentiarum beneficia copiosa Christi fidelibus subvenientibus eidem passagio per nostras litteras concedendo. Porro licet e praedictarum litterarum forma omnes ecclesiasticas (saeculares et regulares) personas, exemptas et non exemptas, confessiones audiendi et proponendi verbum Dei potestatem habentes, mandaverimus efficaciter exhortari, quod ipsi fideles ipsos confitentes eisdem ac sermones et praedicationes audientes ipsorum monerent solerter et diligentius hortarentur, quod ipsi dum vixerint ac tempore obitus eorumdem pias eleemosinas et grata charitatis subsidia dictis magistro et fratribus pro eodem passagio studerent in ipsius Terrae subsidium exhibere, ac insuper indulgentias ipsas per vos Praedicatorum et Minorum ordinum fratres aliosque religiosos mandaverimus sollicite publicari: multi tamen vestrum, prout omnino non sine mentis turbatione percepimus, ad exequendum exhortationis et publicationis huiusmodi pium opus exhibent se nimis negligentes, tepidos et remissos, et, si quando circa ipsius passagii negotium ac exhortationem et publicationem huiusmodi proponere ipsos contingat, illa sub tali verborum levitate percurrunt, quod nullum in audientium cordibus circa passagium ipsum imprimunt devotionis affectum, nec ipsi magister et fratres ex vestris propositionibus seu publicationibus commodum aliquod assequuntur. Ut autem dictum passagium, in quo causa Dei specialiter agitur, ad ipsius laudem et exaltationem ac dilatationem catholicae fidei eo felicius coadiuvante Domino dirigatur, quo amplius fidelium auxilio fulcietur, universitatem vestram monemus et hortamur attente et obsecramus per viscera misericordiae Dei nostri, vobis nihilominus per apostolica scripta in virtute obedientiae districte praecipiendo mandantes, quatenus pro ipsius Dei et nostra ac apostolicae sedis reverentia fideles eosdem ad erogandum eisdem magistro et fratribus in subsidium dicti passagii eleemosinas pias et grata subsidia charitatis tam in sermonibus vestris, quam cum fidelium eorumdem confessiones vos audire contigerit, intentis et efficacibus studiis quantum poteritis inducatis dictarumque indulgentiarum tenorem tamquam solertes fidei memoratae praecones dominicis et festivis aliisque diebus, de quibus expediens fuerit, in missarum solemniis aliisque convenientibus horis dictis fidelibus eis proposito verbo Dei publicare particulariter, clare et lucide illis modo et forma, per quos magistro et fratribus ac passagio praelibatis maioris utilitatis fructum putaveritis proventurum, devotis mentibus et sollicitis animis studeatis: ita quod et hoc a Domino, cui gratum et acceptum praestabitis in hac parte obsequium, grande consequamini praemium ac nostri favoris et gratiae plenitudinem mereamini uberius obtinere. Datum Avenione, V idus iulii, [1] pontificatus nostri anno quarto.

139. Simonem Minoritam praeficit ecclesiae Pacen. in episcopum. [2]

1309, iulii 15, Avinione.

Venerabili fratri Simoni episcopo Pacen. [3]

Regimini universalis ecclesiae *etc.*

Olim siquidem ecclesia Pacen. per obitum bonae memoriae Bernardi episcopi Pacen. pastoris solatio destituta, dilecti filii capitulum eiusdem ecclesiae primo quondam Petrum decanum eiusdem ecclesiae et demum, eodem decano, antequam sua fuisset electio confirmata, via universae carnis ingresso, Garsiam cantorem eiusdem ecclesiae in Pacen. episcopum elegerunt, quamquam Alphonsus cantor ecclesiae Hispalen. ab uno eiusdem ecclesiae Pacen. canonico fuisset in Pacen. episcopum, ut asseritur, nominatus. Huiusmodi autem electionis et nominationis negotio per appellationes partium ad sedem apostolicam legitime devoluto ac eodem Garsia et Alphonso propterea ad sedem accedentibus supradictam, tamdem idem Alphonsus in nostris dictusque Garsias in dilecti filii nostri Lucae sanctae Mariae in Vialata diaconi cardinalis manibus resignationem huiusmodi de mandato nostro recipientis omnia iura, quae dicto Garsiae ex electione, praefato vero Alphonso ex nominatione praefatis quomodolibet competebant, sponte ac libere resignarunt. Nos

---

[1] Non « iunii », sicut exhibent editores Mon. Ben.

[2] Reg. Vat. t. 56, f. 157, ep. 766 (n. 4529) apud *Vadd.* l. c. reg. pont. Clem. V. n. 16.

[3] *Badajoz* in Hispania olim in Compostellan., nunc in Hispalen. provincia. Cfr. infra ad a. 1324 iulii 20, quo die hic Simon transfertur ad Tuden.

itaque resignationes huiusmodi ratas habentes ac de ipsius ecclesia Pacen. ordinatione sollicite cogitantes, ne prolixioris vacationis exposita incommodis remaneret, post diligentem, quam ad praeficiendum eidem Pacen. ecclesiae idoneam ac approbatam personam adhibuimus vigilantiam, in te ordinem fratrum Minorum professo et in sacerdotio constituto, quem litterarum scientia praeditum, virum quoque vitae laudabilis, conversationis placidae ac morum honestate decorum, discretionis et consilii maturitate conspicuum ac in spiritualibus et temporalibus circumspectum novimus, noster animus requievit. Proinde igitur tam gregi dominico quam dictae Pacen. ecclesiae intendentes salubriter providere, te de fratrum nostrorum consilio et apostolicae plenitudine potestatis ipsi Pacen. ecclesiae in episcopum praeficimus et pastorem, curam et administrationem ipsius Pacen. ecclesiae tibi in spiritualibus et temporalibus committendo. Et subsequenter tibi fecimus per venerabilem fratrem nostrum Leonardum episcopum Albanen. munus consecrationis impendi *etc.* Datum Avinione, idibus iulii, pontificatus nostri anno quarto.

140. Mandat episcopo et capitulo Aeduen., ut fratrem Ioannem de Divione ord. Min., poenitentiarium suum, pro quibusdam S. R. E. negotiis ad eorum partes destinatum, benigne recipiant. [1]

1309, iulii 27, Avinione.

Venerabili fratri .. episcopo et dilectis filiis capitulo Aeduen. [2] *ac universis et singulis abbatibus etc. civ. et dioc. Aeduen.*

Cum nos dilectum filium fratrem Ioannem de Divione ordinis fratrum Minorum, poenitentiarium nostrum, latorem praesentium, de cuius circumspecta prudentia plenam in Domino fiduciam obtinemus, pro quibusdam ecclesiae Romanae negotiis ad partes illas specialiter destinemus, universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente per apostolica vobis scripta districte praecipiendo mandantes, quatenus eumdem poenitentiarium, cum per vos transitum fecerit, benigne recipientes et honeste tractantes ei de securo conductu, si ab eo super hoc fueritis requisiti, nec non et singulis diebus, quibus in eisdem partibus pro dictis negotiis ipsum morari contigerit, in duobus florenis auri pro suis et familiae suae necessariis providere curetis. Sic igitur mandatum nostrum in hac parte adimplere efficaciter studeatis, quod idem poenitentiarius, cum ad nos redierit, de vobis grata referre valeat, nosque devotionem vestram possimus exinde merito commendare *etc.* Non obstantibus *etc.* Datum Avinione, VI kalendas augusti, pontificatus nostri anno quarto.

141. Concedit Margaritae Rom. reginae, ut cum decenti et honesta comitiva mulierum causa devotionis valeat ingredi monasteria et loca quarumcunque sororum inclusarum [3] cuiuscumque ordinis regni sui. [4]

1309, augusti 9, Avinione.

Carissimae in Christo filiae Margaritae reginae Romanorum illustri. [5]

Tuae celsitudinis praeclara devotio *etc.* Datum Avinione, V idus augusti, pontificatus nostri anno quarto.

142. Concedit indulgentias subvenientibus fabricae ecclesiae Clarissarum Leodonen. in Burgundia. [6]

1309, augusti 28, Avinione.

Universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis.

Quoniam, ut ait apostolus *etc.* Cum itaque dilectae in Christo filiae .. abbatissa et sorores monasterii de Ledone Saunerio [7] ordinis sanctae Clarae Bisuntinae dioecesis quamdam ecclesiam aedificare inceperint opere quam plurimum sumptuoso, nec ad ipsius consummationem propriae sibi suppetant facultates, universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur in Domino, in remissionem peccaminum iniungentes, quatenus de bonis vobis a Deo collatis pias ad hoc eleemosynas et grata caritatis subsidia erogetis, ut per subventionem vestram huiusmodi opus valeat consummari et vos per haec et alia bona, quae Domino inspirante feceritis, ad aeternae possitis felicitatis gaudia pervenire. Datum Avinione, V kalendas septembris, pontificatus nostri anno quarto.

143. Testatur, se vidisse et transcribi fecisse privilegium fratribus et sororibus de poenitentia sive tertii ordinis s. Francisci a Nicolao IV die 18 aug. 1289 concessum. [8]

1309, augusti 30, Avinione.

Universis praesentes litteras inspecturis.

Tenorem cuiusdam privilegii felicis recorda-

---

[1] Reg. Vat. t. 56, f. 276, ep. 91 de curia (n. 5089).

[2] *Autun* in Burgundia.

[3] De quibus in huius op. t. I, p. 34, 36, 62, 70, 93, 402, et alibi.

[4] Reg. Vat. t. 56, f. 168, ep. 812 (n. 4580, cfr. 4577-4579, 4581).

[5] Uxori Henrici de Luxemburgo regis (postmodum imper.) Rom., quae a. 1311 Ianuae moritur et apud fratres Min. ibidem tumulatur. Cfr. supra n. 80 et infra n. 169.

[6] Reg. Vat. t. 56, f. 191, ep. 933 (n. 4737).

[7] *Lons-le-Saunier* in custodia Bisuntin. provinciae Burgundiae. De hoc monasterio agi videtur in bullis supra n. 132 et 133 editis.

[8] Reg. Vat. t. 56, f. 85, ep. 391 (n. 4079).

tionis Nicolai pape IV praedecessoris nostri dilectis filiis fratribus et dilectis in Christo filiabus sororibus ordinis fratrum Minorum de poenitentia concessi, per nos visi et diligenter inspecti, de dicto originali sumptum, ut de ipso in posterum certitudo plenior habeatur, praesentibus fecimus annotari, qui talis est. « Nicolaus episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis fratribus et dilectis in Christo filiabus sororibus ordinis fratrum de poenitentia tam praesentibus quam futuris in perpetuum. Supra montem catholicae fidei *etc.* [1] Datum Reate, XV kalendas septembris, pontificatus nostri anno secundo ». Datum Avinione, III kalendas septembris, pontificatus nostri anno quarto.

144. Prohibet, ne religiosi de ordinibus Mendicantium ecclesias seu quaevis loca de novo aedificare seu construere aut per alios constructa de novo recipere aut inhabitare praesumant iuxta loca fratrum ord. s. Mariae de Monte Carmeli infra spatium centum quadraginta cannarum. [2]

1309, novembris 5, (Grauselli).

Dilecto filio .. generali aliisque provincialibus prioribus ac universis fratribus ord. s. Mariae de Monte Carmeli.

Statum religionis *etc.* Dat. in prioratu *etc.*, nonis novembris, anno quarto.

145. Concedit Rambaudae dominae de Tornello, ut aedificare possit monasterium Clarissarum in civitate Mimaten. de consensu episcopi loci. [3]

1309, novembris 6, Grauselli.

Dilectae in Christo filiae nobili mulieri Rambaudae dominae de Tornello Mimaten. dioecesis.

Cum, sicut ex parte tua fuit expositum coram nobis, tu quoddam monasterium ordinis sanctae Clarae in civitate Mimaten. [4] in fundo proprio aedificare intendas, ut in eo dilecta in Christo filia soror Rambauda eiusdem ordinis, filia tua, cum decenti collegio monialium dicti ordinis Domino famuletur, ac eidem monasterio pro sustentatione ipsarum parata sis competentes redditus assignare: nos, huiusmodi tuum pium in hac parte propositum in Domino commendantes, tuis supplicationibus inclinati, construendi dictum monasterium, si de venerabilis fratris nostri .. episcopi Mimaten. processerit voluntate, liberam tibi concedimus tenore praesentium facultatem sine iuris praeiudicio alieni. Datum in prioratu de Grausello prope Malausanam Vasionen. dioecesis, VIII [5] idus novembris, pontificatus nostri anno quarto.

146. Relaxat omnibus vere poenitentibus et confessis, qui Raimbaudae dominae de Tornello dioec. Mimaten. ad construendum monasterium Clarissarum manus adiutrices porrexerint, centum dies de iniunctis eis poenitentiis. [6]

1309, novembris 6, Grauselli.

Universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis.

Quoniam, ut ait apostolus *etc.* Cum itaque dilecta in Christo filia nobilis mulier Raimbauda domina de Tornello Mimaten. dioecesis, sicut ex parte ipsius fuit expositum coram nobis, quoddam monasterium aedificare intendat, ut in eo dilecta in Christo filia soror Raimbauda, filia ipsius, ordinis sanctae Clarae cum decenti collegio monialium dicti ordinis Domino famuletur, nosque sibi dictum monasterium construendi per nostras certi tenoris litteras concesserimus facultatem, ad cuius quidem monasterii constructionem fidelium suffragia sunt sibi plurimum opportuna: universitatem vestram rogamus et hortamur in Domino, in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatenus de bonis vobis a Deo collatis eidem nobili, postquam huiusmodi opus aedificare inceperit, pias ad hoc eleemosynas et grata charitatis subsidia erogetis, ut per subventionem vestram opus ipsum valeat consummari, vosque per haec et alia bona, quae Domino inspirante feceritis, ad aeternae possitis felicitatis gaudia pervenire. Nos enim, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui manus ad hoc porrexerint adiutrices, centum dies de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus. Praesentibus post decennium minime valituris, quas mitti per quaestuarios vobis districtius inhibemus. Datum ut supra *(n. 145)*.

147. Universis Christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui ecclesiam s. Clarae Carcassonen. [7] ordinis eiusdem sanctae in nativitatis et resurrectionis Domini, s. Francisci et eiusdem s. Clarae festivitatibus devote visitaverint, unum annum et quadraginta dies, qui vero per octavas ipsarum festivitatum, centum dies de iniunctis relaxat poenitentiis. [8]

1309, novembris 6, Grauselli.

Universis Christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Vitae perennis *etc.* Dat. in prioratu de Grau-

---

[1] Ut in huius op. t. IV, p. 94.
[2] Reg. Vat. t. 57, f. 212, ep. 854 (n. 6017).
[3] Reg. Vat. t. 56, f. 186, ep. 905 (n. 4708). Cfr. n. 146.
[4] *Mende* in custodia Alesti provinciae Provinciae.
[5] Non « V », sicut exhibet *Wadd.* l. c. reg. pont. Clem. V. n. 21.
[6] Reg. Vat. t. 56, f. 196, ep. 957 (n. 4762). Cfr. n. 145.
[7] *Carcassone* in custodia Narbonen. provinciae Provinciae.
[8] Reg. Vat. t. 56, f. 189, ep. 922 (n. 4726).

sello prope Malausanam Vasionen. dioc., VIII idus novembris, anno quarto.

148. Mandat episcopis regni Aragoniae, ut indulgentias illas largas, quas ad expellendos e regno Granatae Saracenos auxilium impendentibus elargitus est, in ecclesiis et locis suarum civitatum et dioecesium in missarum solemniis et aliis horis congruentibus publicent et per rectores ecclesiarum et Praedicatorum, Minorum, Heremitarum s. Aug. et beatae Mariae de Montecarmelo ordinum fratres et alios religiosos et personas ecclesiasticas earumdem civitatum et dioecesium in eisdem solemniis et horis faciant sollicite et vulgariter publicari. [1]

1309, novembris 12, Granselli.

Venerabilibus fratribus .. archiepiscopo Terraconen. et universis episcopis per regnum Aragoniae etc. constitutis.

Indesinentis curae *etc.* Dat. [in prioratu de Grausello prope Malausanam Vasionen. dioc., II idus novembris, anno quarto].

149. Guilelmo de s. Marcello ord. Min., poenitentiario apostolico, iniungit, ut ad Urbem se conferat et eandem pacificare studeat. [2]

1310, ianuarii 15, Avinione.

Dilecto filio fratri Guillelmo de sancto Marcello ordinis Minorum, poenitentiario nostro. [3]

Pulsat instanter ad ostium cordis nostri mentemque sollicitat paternae dilectionis affectus, quem ad Romanam urbem habemus, ut circa ipsam, cuius in commisso nobis apostolatus officio specialiter curam suscepimus, eiusque statum, quem pro dolor! pacis aemulo superseminante zizania iam ab olim novimus periculis diversis expositum, convulsum dissidiis, dispendiis conquassatum et formidabilis nubilo turbationis obductum, sollicite cogitemus et ad eius reformationem celerem tanto vigilantius intendamus, quanto ad id specialius officii nostri debitum nos inducit et verae dilectionis affluentia, quam ad urbem eamdem eiusque cives, quos velut speciales filios affectione paterna complectimur, gerimus, nos impellit. Sane ex adversis conditionibus urbis praefatae, quas frequenter meditatione lugubri recensemus, tanto vehementius anxiamur, quanto earum occasione non solum eiusdem urbis civibus, verum etiam alienigenis et fere fidelium nationibus universis, quibus ad visitanda apostolorum limina aliaque veneranda et piissima loca urbis praedictae aditus clauditur, graviora conspicimus animarum et corporum pericula provenire. Quamobrem tam periculosis turbinibus et pestiferis novitatibus salubriter, prout nobis fuerit ex alto concessum, obviare volentes, ut eis submotis memoratae urbi et circumpositae regioni pacifici status et stabilis laeta serenitas illucescat, te, quem nobis ad exequendum mentis nostrae conceptum idoneum tuae circumspectionis industria repraesentat, ad urbem ipsam decrevimus destinandum, discretioni tuae tenore praesentium committentes et mandantes expresse, quatenus ad praedictam urbem te personaliter conferens quoscumque nobiles et cives ipsius et illos potissime, a quibus causa huiusmodi turbationum noscitur praecipue dependere, [4] secundum traditam tibi a Deo gratiam salutaribus monitis et exhortationibus, ex quibus odiosi conceptus turgidique animi ipsorum mulceri valeant, benigne alloquens, eos ad bonum pacis et concordiae, quod utique inter eosdem nobiles vigere vehementi desiderio affectamus, studeas inclinare. Spes enim nobis indubia provenit, quod eorumdem nobilium et civium erga sedem apostolicam innata devotio sic benigne ob reverentiam dictae sedis et nostram tuis hortationibus condescendet, sicque tuae immo verius nostrae obtemperabit instantiae ac tua suscipiendo monita efficaciter, ut speramus, annuet votis nostris, quod tamquam benedictionis filii, qui nunquam a matris voluntate degenerant, eiusdem sedis gratiam uberius merebuntur, quodque salutis et pacis semina, quae te spargere continget in eos, gratia cooperante divina, optatos nobis manipulos reportabunt. Et si praedictos nobiles vel eorum aliquos inobedientes fortasse inveneris, volumus, quod illud nobis per tuas litteras significare procures, ut circa id de opportuno possimus remedio providere. Dat. Avinione, XVIII kalendas februarii, pontificatus nostri anno quinto. [5]

150. Mandat episcopo Argentinen. et priori Praed. ac guardiano Min. fratrum Basileen., ut Gerardum ab eccl. Lausanen. ad Basileen. (30 iulii 1309) translatum in suam sedem immittere satagant, amoto Luytot (Lutoldo) prae-

---

[1] Reg. Vat. t. 56, f. 277, ep. 95 de cur. (n. 5093, 5090-5092).

[2] Reg. Vat. t. 57, f. 273, ep. 1 de curia (n. 6275).

[3] Cfr. supra n. 122.

[4] Intellige praesertim Columnenses et Ursinos invicem se bello intestino lacessentes.

[5] Aliis litteris eodem die datis et incipientibus « Ex supernae providentia maiestatis » Clemens V nobiles Urbis de missione praedicti fr. Guilelmi, dissidentes ad pacem et concordiam conversuri, certiores reddit et ipsum senatoribus Urbis (Fortebrachio de filiis Ursi et Iohanni nato Riccardi de Annibaldensibus) commendat; die autem 20 februarii 1310 abbates s. Pauli, s. Anastasii, s. Sebastiani, s. Sabbae, s. Alexii, s. Laurentii de Urbe vel extra Urbem, ac Farfen., s. Andreae de Ponsano et Cryptae ferratae universosque abbates ac priores et conventus aliorum monasteriorum in Urbe et eius territorio constitutorum monet, ut ei singulis diebus binos florenos auri pro se et sua familia impendant. Cfr. l. c. epp. 2, 3, 21 (n. 6276 6277, 6297).

posito Basileen., qui se ipsius eccl. episcopum gerit et omnia episcopatus Basileen. bona detinet occupata. [1]

1310, ianuarii 22, Avinione.

Venerabili fratri .. episcopo Argentinen. ac dil. filiis .. priori Praedicatorum ac .. guardiano Minorum fratrum ordinum Basileen. [2]

Promptuaria malignorum unio iniquitatis *etc.* Dat. Avinione, XI kal. februarii, anno quinto. [3]

151. Mandat archiepiscopo Neapolitan., ut se informet de numero et statu sororum s. Clarae in monasterio s. Iohannis ad Nidum Neapolitan. [4]

1310, februarii 3, Avinione.

Venerabili fratri [Humberto] archiepiscopo Neapolitan.

Exposita nobis carissimae in Christo filiae nostrae Mariae reginae Ungariae illustris, relictae clarae memoriae Caroli regis Siciliae viduae, petitio continebat, quod ipsa ad ordines Minorum et sanctae Clarae gerens specialis devotionis affectum disponit in civitate Neapolitana quoddam monasterium construere dicti ordinis sanctae Clarae. Quare pro parte ipsius fuit nobis humiliter supplicatum, ut, cum in eodem civitate sit monasterium sororum portantium habitum ipsius ordinis sanctae Clarae, quod monasterium sancti Iohannis ad Nidum vulgariter appellatur [5] cuiusque monasterii sorores sub cura fratrum praedicti ordinis Minorum non existunt et, sicut communiter dicitur, minus regulariter usque nunc vixerunt et vivunt, sibi monasterium ipsum cum iuribus et pertinentiis suis pro reformatione, constructione, dilatatione et ampliatione dicti monasterii de speciali gratia concedere dignaremur. Nos itaque, super hiis volentes scire plenius veritatem ac de tuae circumspectionis industria gerentes in Domino fiduciam pleniorem, fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus super praemissis omnibus te informans de numero sororum in monasterio praedicto degentium ac de statu ipsarum et valore reddituum ac possessionum earum diligenter indagare procures et, quod super hiis inveneris, nobis per tuas litteras harum seriem continentes studeas fideliter intimare, sic te in huiusmodi negotio habiturus, quod tuae in hac parte sollicitudinis studium possimus exinde merito commendare. Datum Avinione, III nonas februarii, pontificatus nostri anno quinto. [6]

152. Praeficit fratrem Stephanum ord. Min. ecclesiae Portugallen. in episcopum. [7]

1310, februarii 11, Avinione.

Dilecto filio Stephano electo Portugallen. [8]

Regimini universalis ecclesiae *etc.* Cum itaque Portugallen. ecclesia per obitum bonae memoriae Fredoli episcopi Portugallen., qui apud sedem apostolicam viam extitit universae carnis ingressus, apud sedem ipsam vacavisse noscatur, nullusque praeter nos de ipsius ecclesiae ordinatione seu provisione se intromittere potuerit, pro eo quod nos olim ante vacationem huiusmodi circa primordia assumptionis nostrae ad apicem summi apostolatus provisiones omnium ecclesiarum tam cathedralium quam aliarum tunc apud dictam sedem vacantium, et quas apud sedem ipsam imposterum vacare contingeret, provisioni et dispositioni nostrae ac eiusdem sedis duximus specialiter reservandas, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigeret attentari: nos cupientes eidem ecclesiae Portugallen. per nostrae sollicitudinis studium personam idoneam praesidere ac attendentes ad laudabilia testimonia, quae tibi de religionis zelo, vitae munditia, litterarum scientia, honestate morum et vitae prudentia, spiritualium et temporalium providentia carissimus in Christo filius noster Dionysius rex Portugalliae illustris, cuius confessor existis, nobis perhibuit per suos nuncios et litteras speciales, pro tui promotione ad eamdem Portugallen. ecclesiam nobis humiliter supplicando, ad te ordinem fratrum Minorum professum, in sacerdotio constitutum, direximus oculos nostrae mentis ac praemissorum consideratione ducti de persona tua eidem Portugallen. ecclesiae duximus providendum, praeficiendo te eidem Portugallen. ecclesiae de fratrum nostrorum consilio in episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius Por-

---

[1] Reg. Vat. t. 57, f. 19, ep. 74 (n. 5187, 4526, 5641, 5649).

[2] Conventus. fr. Min. Basileen. *(Basel, Basilea, Bâles)* pertinebat ad custodiam Basileen. provinciae Alamanniae superioris sive Argentinae.

[3] Die 24 iunii 1310 Clemens V, cum audisset, praedictum priorem fratrum Praed. in isto mandato exequendo contumaciter se exhibuisse et malitiose tepidum et remissum, Martinum vero episcopum Trapesien. (suffraganeum praedicti Lutoldi intrusi) contra voluntatem Gerardi episcopi Basileen. in dicta dioecesi pontificalia exercuisse et priorem ac conventum fratrum Erem. s. Aug. Basileen. neglecto interdicto, cui civitas Basileen. subiecta est, scienter divina officia celebrasse, episcopo Argentin. et abbati mon. Erliacensis ac praeposito eccl. Solodorensis dioec Lausanen. mandavit, ut contra ipsos inquirerent, aliaque hac de causa mandavit et declaravit. Cfr. Reg. Vat. t. 57, f. 132, ep. 504 et 505, f. 133, ep. 506, f. 134, ep. 512-514, f. 137-138, ep. 519 (n. 5640-5642, 5648-5650, 5655-5658), et infra n. 188.

[4] Reg. Vat. t. 57, f. 219, ep. 851 (n. 6014).

[5] Cfr. huius op. t. III, p. 556.

[6] Cfr. infra n. 231.

[7] Reg. Vat. t. 57, f. 38, ep. 139 (n. 5252), apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Clem. V, n. 25.

[8] *Porto* in Lusitania sub archiepiscopo Bracharen.

tugallen. ecclesiae tibi in spiritualibus et temporalibus committendo *etc.* Datum Avinione, III idus februarii, pontificatus nostri anno quinto. [1]

153. Committit priori Praed. et guardiano Min. fratrum Virdunen., ut citent ad Rom. curiam Nicolaum episcopum Virdunensem, qui ob maculam in altero oculorum suo munere fungi non posse dicebatur. [2]

1310, martii 8, Avinione.

Dilectis filiis .. priori Praedicatorum et .. guardiano Minorum fratrum ordinum Virdunen. [3]

Ad nostri apostolatus auditum *etc.* Datum Avinione, VIII idus martii, pontificatus nostri anno quinto.

154. Monet priorem Praed. et guardianum Min. fratrum Lubicen., quod observent sententiam ab episcopo Lubicen. contra civitatem Lubicen. latam. [4]

1310, martii 28, Avinione.

Dilectis filiis .. priori Praedicatorum et .. guardiano Minorum fratrum ordinum eorumque conventibus civitatis Lubicen. [5]

Licet vos et ordines vestros, quos maioris liberalitatis privilegiis sedes apostolica honoravit, congruis promovere favoribus vestraque illibata conservare privilegia intendamus, sic tamen vos et alios dictorum ordinum professores iuribus vestris volumus esse contentos, quod eorumdem privilegiorum limites observantes alios in iure suo minime molestetis nec ordinariorum contempnatis iurisdictionem seu aliquatenus elidatis. Exposita siquidem nobis venerabilis fratris nostri .. [6] episcopi et dilectorum filiorum .. decani et capituli Lubicen. petitio continebat, quod, cum .. advocatus, consules, iurati et commune civitatis Lubicen. (non attendentes, quod laicis in clericos et personas ecclesiasticas nulla est attributa potestas) praefatum episcopum ac decanum et canonicos dictae ecclesiae a civitate praedicta per violentiam eiecissent et (domibus episcopalibus ac eorumdem decani et canonicorum dirutis funditus et destructis curiis) bona ipsorum episcopi, decani et canonicorum ibidem inventa nequiter asportassent et alias episcopo, decano et canonicis praedictis per incendia et rapinas iniurias et dampna irrogassent gravia, et haec essent adeo notoria, quod nulla poterant tergiversatione celari: dictus episcopus eosdem advocatum, consules, iuratos et commune auctoritate ordinaria canonice monuit, ut sibi et eidem ecclesiae de dampnis et iniuriis huiusmodi satisfactionem debitam exhiberent, et tamdem, quia ipsi hoc facere contumaciter non curarunt, in eosdem advocatum, consules, et iuratos ac maiores de dicto communi excommunicationis et in civitatem praedictam interdicti sententias de consensu dictorum capituli exigente iustitia promulgavit et dictum interdictum mandavit inviolabiliter observari. Et quamvis interdictum huiusmodi in civitate praefata cathedralis ecclesia atque dictae civitatis clerus generaliter observarent, vos tamen ab ipso initio et postea nonnulli clerici (duo de civitate eadem, alii de foris venientes) in parochialibus ecclesiis ipsius civitatis per eosdem advocatum, consules, iuratos et commune violenter intrusi, iurisdictionem dicti episcopi contempnentes (praetextu quarumdam appellationum interpositarum ut asseritur ad sedem praedictam pro parte advocati, consulum, iuratorum et communis ipsorum ab huiusmodi processibus episcopi supradicti), scienter in civitate praefata divina celebrastis officia et etiam celebratis, excommunicatos et interdictos eosdem ad officia ipsa recepistis et recipitis, ecclesiastica sacramenta ministrastis et ministratis eisdem ac ipsos admisistis et admittitis ad ecclesiasticam sepulturam, propter quod ecclesiastica censura despicitur ac obedientia superioribus debita penitus enervatur. Cum autem nos pridem in publico consistorio auctoritate apostolica mandaverimus, [7] ut religiosi quicumque (exempti et non exempti, cuiuscumque conditionis et ordinis existant), non obstantibus quibuscumque appellationibus ante etiam ad sedem apostolicam vel alium seu alios interiectis et aliis obiectibus necnon privilegiis, conventionibus et statutis et consuetudinibus contrariis, absque dolo et fraude (cum moderamine tamen decretalis « Alma [mater] ») [8] generalia interdicta civitatum, terrarum et aliorum locorum auctoritate dictae sedis vel a locorum ordinariis positorum servent, cum cathedralem vel loci matricem ecclesiam illa viderint observare, quod etiam ad pendentia traximus: discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus,

---

[1] In e. m. scriptum est dil. filiis decano et capitulo ecclesiae Portugalen., dil. filiis clero civ. et dioec. Portugalen., dil. filiis populo civ. et dioec. Portugalen., universis vassallis ecclesiae Portugalen., carissimo in Christo filio Dionysio regi Portugalen. illustri. — Die 18 iulii 1310 Clemens V archiepiscopo Bracharen. committit, ut supradicto electo, qui ex legitimis causis nequit sedem apostolicam adire, munus consecrationis infra tres menses impendat; die vero 15 sept. 1310 ipsi electo facultatem concedit in sua Portugalen. ecclesia duas personas idoneas in canonicos et fratres recipi faciendi, eique indulget, ut ad triennium ecclesias, monasteria et alia loca ecclesiastica eorumque personas suae dioeceseos per alium visitare valeat. Cfr. Reg. Vat. t. 57, f. 145, ep. 544-546 (n. 5684-5686). Cfr. infra n. 221.

[2] Reg. Vat. t. 57, f. 277, ep. 24 de curia (n. 6300).

[3] Conventus fratrum Min. Virdun. (*Verdun*) pertinebat ad custodiam Lotharingiae provinciae Franciae.

[4] Reg. Vat. t. 57, f. 46, ep. 176 (n. 5292).

[5] Conventus fratrum Min. Lubicen. (*Lübeck*) pertinebat ad custodiam Lubicen. provinciae Saxoniae.

[6] Burcardi de Serken (1276-1317).

[7] Cfr. constit. « Ex frequentibus » cap. 1 de sent. excomm. in Clement. V, 10.

[8] Cap. 24 de sent. excomm. in VI° lib. V, 11.

quatenus praefatam interdicti sententiam post receptionem seu notificationem praesentium vobis factam, appellationibus huiusmodi et quibuslibet aliis obiectibus nequaquam obstantibus, sine difficultate qualibet inviolabiliter observetis et faciatis ab aliis quantum in vobis fuerit observari, alioquin, si mandatum huiusmodi nostrum infra octo dierum spatium neglexeritis adimplere, in vos et vestrum singulos excommunicationis sententiam promulgamus. Monemus insuper praefatos clericos *etc. usque* sententia sint excommunicationis astricti. Datum Avinione, X kalendas aprilis, pontificatus nostri anno quinto.

155. Sabino abbati, qui olim ordinem fratrum Min. professus de sui superioris licentia ad ordinem s. Ben. transivit et in eo professionem emisit atque postmodum abbatiam monasterii infradicti adeptus est, indulget, ut eandem retinere valeat non obstante constitutione Nicolai IV « In vestri ordinis regula » 14 maii 1288 edita. [1]

1310, martii 23, Avinione.

Dil. filio Sabino abbati mon. s. Salvatoris de Timmaro ord. s. Ben. dioec. Acheruntin. [2]

Apostolicae sedis consueta benignitas *etc.* Dat. Avinione, X kal. aprilis, anno quinto.

156. Fratri Fernando Garsiae ord. Min., cum quo iam per Ben. XI super defectu natalium dispensatum erat, ita ut ad dignitates sui ordinis assumi posset, indulget, ut etiam ad dignitatem episcopalem promoveri valeat. [3]

1310, aprilis 8, Avinione.

Dilecto filio fratri Fernando Garsiae ordinis fratrum Minorum Tirasonen. dioecesis theologicae facultatis doctori.

Creditae nobis dispensationis officium tunc officiose prosequimur, cum gratiosis gratiam impertimur. Ex parte siquidem tua fuit propositum coram nobis, quod olim tecum super defectu natalium, quem pateris de soluto genitus et soluta, quod eodem non obstante defectu posses ad officia, administrationes seu dignitates tui ordinis licite promoveri, fuit per sedem apostolicam dispensatum. Cum autem laudabile tibi testimonium suffragetur, quod a Domino gratiam consecutus praefatum defectum litterarum scientia, vitae honestate, morum pudicitia aliisque claris virtutum meritis satagis expiare, dignum duximus, ut a te illegitimitatis notam plenitudo apostolicae potestatis aboleat, quam huiusmodi tuis virtutibus recompensas. Volentes itaque personam tuam propter hoc nec non consideratione carissimi in Christo filii nostri Roberti regis Siciliae illustris, pro te nobis super hoc humiliter supplicantis, praerogativa favoris et gratiae prosequi amplioris, ut eo magis de virtute proficias in virtutem, quo maiorem ab eadem sede gratiam te noveris assecutum, tuis supplicationibus favorabiliter annuendo, tecum, quod eodem non obstante defectu etiam ad episcopales dignitates [4] licite promoveri valeas, auctoritate apostolica dispensamus. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, VI idus aprilis, anno quinto.

157. Petro episcopo Rapollan. (ex ord. Min.) consideratione Sanctiae reginae Siciliae, cuius confessor existit, indulget, ut de libris ad ordinem Min. spectantibus, quos adhuc tenere vel habere dinoscitur, possit infra conventus fratrum dicti ordinis, sicut sibi videbitur, ordinare. [5]

1310, aprilis 12, Avinione.

Venerabili fratri Petro episcopo Rapollan. [6]

Devotionis tuae sinceritas *etc.* Dat. Avinione, II idus aprilis, anno quinto.

158. Gravi in ord. Min. de observanda paupertate exorta controversia quosdam ipsius ordinis alumnos eosque praecipuos paupertatis zelatores evocat ad se et auscultat atque interim ab obedientia ministri generalis eximit. [7]

1310, aprilis 14, Avinioni.

Dilectis filiis .. generali ministro ceterisque fratribus tam praelatis quam subditis ordinis Minorum, praesentibus et futuris.

Dudum ad apostolatus nostri notitiam frequenter et secreto, et tandem in consistoriis tam secretis

---

[1] Reg. Vat. t. 57, f. 252, ep. 1006 (6191). Cfr. huius op. t. IV, p. 20.

[2] *Acerenza* in partibus Neapolitanis.

[3] Reg. Vat. t. 57, f. 92, ep. 329 (5459). Cfr. supra n. 23.

[4] Quas quidem non assecutus esse videtur.

[5] Reg. Vat. t. 57, f. 79, ep. 281 (5407).

[6] Cfr. supra n. 102 ac 103 et infra n. 162. Aliis litteris eodem die 12 apr. 1310 datis ei consideratione Sanctiae reginae Siciliae conceditur, quod ad concilium Viennense venire non teneatur, nisi Robertus rex dictaque regina, in quorum familiaritate consistit, ad illud veniat aut nisi ipse ab huiusmodi familiaritate recesserit; archiepiscopo Consano autem mandatur, 1) ut episcopo et capitulo Rapollan., qui in ecclesia sua duodecim canonicorum et totidem aliorum clericorum numerum statuendum duxerunt, morem gerat, et 2) ut, si in evidentem ecclesiae Rapollan. utilitatem redundare perspexerit, Petro episcopo Rapollan. casale Rivinigri cum quibusdam possessionibus reginae Siciliae permutare permittat. L. c. epp. 281 et 282 (5408-5410).

[7] Reg. Vat. t. 57, f. 268, ep. 1084 (6272), apud *Wadd.* l. c. ad a. 1310, n. 3, et *Rayn.* Ann. eccl. ad a. 1310, n. 46. — In familia fratrum Minorum diuturnos ab ipsis paene originibus ordinis dissensus de regula observanda exstitisse neminem fugit. Res de paupertate potissimum agebatur, ita ut duae tandem partes haberentur. Quarum una eaque numero maior « Communitas » vocabatur, altera nomen « Spiritualium » nanciscebatur. Illi namque (apostolicae sedis licentia sive nixi sive non fulti) leniori in dies paupertati indulgebant, hi vero protestationes atque accusationes, quod communitatis asseclae ab ipsius regulae tramite deflexissent, magis magisque augebant. Ipsi autem Spirituales, qui non solum genuinae vitae Minorum studebant, sed apocalypticis quoque Ioachimi Florensis abbatis se dedebant somniis, a Communitate haereseos accusabantur atque graves

quam publicis, nostris et fratrum nostrorum auribus extitit frequentius intimatum, quod nonnulla erant corrigenda in ordine vestro, [1] quae omnino matura et celeri lima et correctione sedis apostolicae indigebant, cum per praelatos ipsius ordinis remanerent penitus incorrecta, licet solemniter et frequenter fuerint super hoc pluries requisiti. Cum autem nobis existentibus in consistorio publico nominarentur per fide dignos quaedam solemnes personae eiusdem ordinis ac magnae et solemnis auctoritatis et zeli, per quas poteramus plene ut dicebatur super his informari: ne talis ac tanti moles negotii super conscientia nostra penderet, deliberavimus descendere ad inquirendum de propositis veritatem, ac ministrum ipsius ordinis generalem dictasque personas et quasdam alias eiusdem ordinis nobis notas, quas in eiusdem ordinis regulari observantia zelo Dei fervere credimus, per litteras secretas ad nostram praesentiam fecimus evocari: [2] videlicet dilectos filios fratres Raymundum Gaufridi sacrae theologiae doctorem ac ordinis vestri olim generalem ministrum, [3] Raymundum de Giniaco dudum provinciae Aragoniae provincialem ministrum, [4] Guillelmum de Cornelione custodem Arelaten., Guidonem de Levis, [5] Ubertinum de Casali, [6] Bartholomaeum Sicardi tunc diffinitorem provinciae ad capitulum generale, Guillelmum de Agantico lectorem Biterris, Petrum Raymundi de Cornelione, Petrum Malodii lectores, cum quibusdam aliis sociis eorumdem. Et postmodum ab ipso ministro secrete exquisivimus veritatem et a praedictis aliis pluries subsequenter. Et cum nòs (occupati diversis et variis) non in persona propria vacare possemus, prout desiderassemus et negotio expediisset, de communi tam tui ministri et sociorum tuorum quam etiam praedictorum per nos vocatorum concordia venerabilem fratrem Petrum [7] Praenestinum episcopum et dilectum filium nostrum fratrem Thomam [8] tituli sanctae Sabinae presbyterum cardinalem super ipso negotio dedimus auditores; debilitato vero postmodum infirmitate corporea episcopo Praenestino praedicto et se excusante, quod dicto negotio intendere non valebat, nos venerabilem fratrem Berengarium [9] episcopum Tusculanum et dilectos filios nostros [10] Guillelmum [11] tituli sanctae Potentianae presbyterum cardinalem in dicto negotio adiunximus auditores. — Verum quia dictum negotium nondum habuit finem suum, time-

---

persecutiones hac de re subibant. Quod quidem saeculo XIV ineunte iis nominatim Spiritualibus contigit, qui in conventibus Narbonensi, Biterrensi, Carcassonensi intra fines Provinciae degebant. Iis de rebus Clemens V, tum litteris Caroli II regis Siciliae († 5 maii 1309) consilio Arnaldi de Villanova medici sui scriptis, tum petitionibus, quas cives Narbonenses pro Spiritualibus die 18 augusti 1309 ad ipsum dederunt, certior est factus. Spirituales in nostra bulla nominatos ad se vocat summus pontifex atque haec quatuor iis proponit: 1. inter Spirituales apparuisse errorem illorum, qui dicitur « spiritus libertatis »; 2. statum ordinis (Min.) esse collapsum ab observantia regulae et declarationis (« Exiit qui seminat ») summi pontificis (Nicolai III) atque ab intentione et imitatione primi institutoris et patrum priorum; 3. aliqua notabilia gravamina multis fratribus (Spiritualibus per Communitatem) iniuste fieri; 4. aliqua non sanae doctrinae imponi b. m. fratri Petro Ioannis (Olivi) et libros eius fuisse combustos. Quae ad has accusationes Spirituales illi vocati per Raymundum Gaufredi responderunt, Clemens V per fr. Vitalem (de Furno) ministrum provinciae Aquitaniae ord. Min., qui postmodum in S. R. E. cardinalem promotus est, cum Ioanne (Minio de Muro Vallium olim ministro generali tum) S. R. E. cardinali et ord. Min. protectore atque cum Gonsalvo eius temporis ministro ordinis communicat. Brevi autem post fr. Ubertinus de Casali, a Spiritualibus Provinciae ex Tuscia ad partes ipsorum vocatus, scripsit alteram responsionem, quae in Communitatem gravius invehebat. Cuius textum cl. *Ehrle* ex codice Basileen. tomo III periodici dicti « Archiv für Litteratur - und Kirchengeschichte des Mittelalters » p. 51-89 accurate descripsit. Id responsum fons uberrimus plurimarum utrimque accusationum evasit. Qua de re consulas cl. *Ehrle* l. c. p. 89-195 et t. II, p. 365-416. Illis libellis nixum concilium Viennense ea decrevit, quae infra n. 195 et n. 196 referuntur. Consiliarios vero ministri generalis, qui a data huius bullae usque ad initium concilii Viennensis (mense oct. a. 1311, v. infra n. 173) in hac controversia et praecipue in defendendo Communitatem a responsis Spiritualium a Clem. V vocatorum consiliis dicti fr. Vitalis de Furno atque Alexandri de Alexandria ministri Terrae Laboris (postmodum ministri generalis), Aegidii ministri Franciae, mag. Martini Alnewik Angli utebatur, durante hoc concilio agebant praeter praedictos fratres Vitalem et Alexandrum: Alanus Turoniae, Riccardus Conington Angliae, Petrus de Anglia superioris Alemanniae, Fernandus Castellae, Romeus Aragoniae, Girardus Provinciae, Alexius Bononiensis, Humbertus Burgundiae, Thomas Saxoniae, Aicardus Mediolanensis, Ioannes Apuliae ministri et mag. Iacobus de Asculo ac Raymundus de Fronciaco procurator generalis ordinis, qui quidem libellos a Communitate contra Spirituales illo tempore confectos una cum fr. Bonagratia de Pergamo (v. infra n. 204) scripsit.

[1] Sicut legimus in epistola Ioannis de Muro ministri generalis a. 1302 quoquoversum missa, apud *Wadd.* ad a. 1302, n. 2.

[2] Circa mensem octobrem a. 1309.

[3] Electum a. 1289, absolutum 1297, qui paulo post supradictum diem 14 apr. 1310 obiit.

[4] Qui eodem tempore ac praedictus Raymundus Gaufridi obiit.

[5] Mirapiscensem (*Mirepoix*), qui (a. 1296 unacum Petro episcopo Carcassonen. et Philippo de Thureyo ad componenda dissidia inter Rogerium Bernardum comitem de Fuxo et Ioannem de Levi stoparcham Mirapiscen. iudex electus) eodem tempore obiit ac praedicti Raym. Gaufridi et Raym. de Giniaco.

[6] Qui post obitum praedicti Raym. Gaufridi antesignanus et propugnator fratrum « Spiritualium » factus est insignis.

[7] Cognom. « de Capella », m. dec. 1305 ex episcopo Tolosan. in tit. s. Vitalis presb. card. promotum et m. dec. 1306 ad episcopatum Praenestin. translatum.

[8] Cognom. « Ioyce » ord. Praed., Anglum, mense dec. 1305. promotum.

[9] Cognom. « Fredoli », m. dec. 1305 ex episcopo Biterren. in tit. ss. Nerei et Achillei presb. card. promotum et a. 1309 ad episc. Tusculan. translatum.

[10] Vel potius: dilectum filium nostrum.

[11] Cognom. « Ruffati » seu « Arruffati », nepotem Clem. V, ab eo m. dec. 1305 in ss. Cosmae et Damiani diac. card. promotum et a. 1306 ad tit. s. Potentianae vel potius Pudentianae translatum.

bant praedicti ad nos evocati, ut dicebant, ex verisimilibus coniecturis sibi magna pericula imminere a praelatis et subditis ordinis antedicti; et quia non debet ad noxam imputari, quod factum est ad medelam, nos de fratrum nostrorum consilio et assensu fratres Raymundum, Guillelmum de Cornelione, Guidonem, Ubertinum, Bartholomaeum, Guillelmum de Agantico, Petrum Raymundi et Petrum Malodii supradictos ab omni obedientia et iurisdictione vestra, filii minister et praelati, ac successorum vestrorum prorsus eximimus durante negotio supradicto. Verum quia vitiis favere non intendimus ex praemissis nec viam claudere observantiae regulari, volumus, quod, si forte dictos fratres Raymundum, Guillelmum de Cornelione, Guidonem, Ubertinum, Bartholomaeum et Guillelmum de Agantico, Petrum Raymundi et Petrum Malodii supradictos vel aliquem ex eis, quod absit, interim committere contingerit aliquid inhonestum, ipsi et eorum quilibet per auditores corrigantur eosdem, prout congruum fuerit et eis videbitur expedire. — Et licet nonnulli dicti ordinis fratres in diversis partibus constituti in praefato negotio seu contingentibus illud idem (in toto vel in parte saltem) cum dictis fratribus Raymundo, Guillelmo de Cornelione, Guidone, Ubertino, Bartholomaeo, Guillelmo de Agantico, Petro Raymundi et Petro Malodii sentire dicantur, nolumus tamen fratres ipsos sic sentientes propter hoc maiori libertate gaudere nec maioris correctionis subesse rigori, auctoritate apostolica statuentes, quod dicti fratres praemissi occasione negotii vel ex causis aliis praetextu ipsius per suos praelatos gravius nullatenus puniantur nec tractentur, quam si saepe dictis fratribus ut praemittitur nominatim expressis in ipso negotio minime adhaererent seu quod idem ut praemittitur sentiunt cum eisdem; nec etiam a suis promotionibus, consolationibus seu gratiis excludantur ordinis supradicti vel etiam retardentur, nisi per sedem apostolicam aliud super hoc extiterit ordinatum. — Praemissa quidem omnia universis et singulis dicti ordinis fratribus in virtute obedientiae nec non et sub poenis aliis, quas, sicut inobedientium protervia et contrarium praesumentium exegerit, auctore Domino infligemus eisdem, praecipimus inviolabiliter observari: decernentes extunc irritum et inane, si secus super his a quoquam extiterit attentatum. Volentes insuper statui eorumdem de subsequenti salubri remedio providere, universis et singulis vestrum tam praelatis quam subditis et officialibus quibuscumque auctoritate praesentium districtius inhibemus, ne dictos fratres superius nominatos auctoritate nostra vocatos ad nos, ut praedicitur, propter materiam huiusmodi negotii vel contingentia ipsum diffamare, gravare vel offendere vel a prosecutione huiusmodi *negotiis* quomodolibet impedire (nunc vel in posterum) praesumatis; nec mutetis eos de provinciis vel custodiis seu locis ipsis consolatoriis, nec privetis eos gratiis et licentiis seu aliis competentibus eis secundum gradum suum et assuetis ipsis et sui similibus dari in ordine a praelatis. Si quae vero post huiusmodi inchoationem negotii eis vel eorum alicui contraria ex causis huiusmodi alicubi sunt illata, ipsa revocamus et mandamus totaliter revocari. Nullum etiam eorumdem a promotione quacumque vel studio aut electione ad quemcumque statum vel officium, si ei alias idoneitas suffragatur, impedire quomodolibet praesumatis. Et ut breviter omnia comprehendantur, in omnibus volumus atque praecipimus, quod vos habeatis ad ipsos quoad exhibenda consolatoria et cavenda molesta, sicut habuissetis, si de supradictis et contingentibus ipsa dictum vel factum aliquid nullatenus extitisset [ab eis]. Verum quia ex his, ut praemittitur, non intendimus favere vitiis nec viam claudere observantiae regulari, si forte, quod absit, contingeret aliquem de fratribus, qui in diversis partibus ordinis idem sentiunt, in aliquo crimine legitime deprehendi, volumus, quod sicut fratres ceteri possint a praelatis sine calumnia corrigi et puniri secundum aequitatem iustitiae et ordinis instituta: ita tamen, quod occasione praedicti negotii et ipsum contingentium in nullo alicuius culpa gravetur amplius nec acrius vel durius puniatur vel aliter iudicetur vel modis seu cautelis aliis inquiratur contra eos, quam alias probabiliter factum fuisset, si nunquam hoc negotium contigisset; quinimo ex hoc propter reverentiam sedis apostolicae et ad omnem suspicionem vitandam debet a vobis agi misericordius cum eis. — Ad haec, quia fratribus superius expressis pro prosecutione negotii antedicti maius posset periculum imminere, ne sub colore iustitiae aliquid contra ipsos in futurum contingeret attentari, praecipimus et districtius inhibemus, ne quis ipsorum propter aliquam culpam praeteritam, praesentem vel futuram, vere vel falso impositam vel imponendam, pro qua esset poena notabili puniendus, possit a quibusque puniri vel pro talibus iudicialiter conveniri, nisi coram nobis vel successoribus nostris aut auditoribus supradictis vel aliis deputandis a nobis, eosdem sub nostra protectione et defensione suscipimus et ab omni alterius superioritate eximimus, ut non possint in prosecutione huiusmodi negotii quomodolibet impediri. — Ut autem praedicta omnia integraliter observentur, vos et omnes et singulos ordinis vestri fratres praelatos et subditos et officiales quoscumque, qui in praesentiarum vel in posterum contra praedicta quibuscumque occasionibus seu coloribus quaesitis scienter venire praesumpserint, ex nunc excommunicationis sententiae, quam in omnes et singulos contrarium facientes ferimus, decernimus

subiacere, absolutione ipsorum nobis et nostris successoribus specialiter reservata. Et nihilominus, quidquid contra praedicta vel eorum aliquid attentatum fuerit, decernimus irritum et inane ac illis fratribus, [in] quos in praemissis aliquid grave propter causas huiusmodi praesumptum fuerit, recurrendi ad sedem praedictam absque alicuius sui superioris licentia petita vel obtenta liberam tribuimus facultatem. — Quia vero negotium istud, quod corde gerimus, secundum honorem Dei intendimus terminare, volumus, quod ex fratribus superius nominatis vel ex eis adhaerentibus in praedictis quatuor vel sex apud praedictam sedem remaneant cum sociis opportunis, quos accipiendi eiusdem intentionis secum eis auctoritatem et licentiam impertimur ad praedictum negotium libere prosequendum, qui etiam de licentia praedictorum auditorum assignatorum vel alicuius eorum, ad quem recursum habuerint, mutari possint et licentiari pro necessitate ipsorum et illis alios subrogari pluresque vocari, prout praedicti auditores aut eorum aliquis, ad quem recurrerint, ad prosecutionem dicti negotii viderint expedire. — Et ne quis praedictorum ignorantiam, contra praedicta faciens, allegaret, praecipimus per te, generalis minister, vel procuratorem ordinis provincialibus ministris et per ipsos ceteris fratribus tenorem praesentium absque tarditate aliqua fideliter publicari, et has litteras vobis et vestrum alteri praesentatas integras et illaesas in virtute sanctae obedientiae et sub praedicta excommunicationis poena mandamus absque mora restitui praedictis fratribus, in quorum securitatem praedicta nostra provisio emanavit, et penes ipsos, prout expedire viderint, conservari. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, XVIII kalendas maii, pontificatus nostri anno quinto.

159. Precibus Isabellae de Brangeyriaco dominae de Canquorio inclinatus, Geraldo Salomonis presbytero, qui ordinem Minorum professus eundem reliquerat et regulari habitu dimisso per mundum erraverat, nunc autem ad alium ordinem se transferre cupit, ad ordinem Cisterc. transeundi licentiam elargitur.

1310, maii 1, Avinione.

Dil. filio Geraldo Salomonis presbytero Petragoricen. dioc.

Animarum lucro *etc.* Dat. Avinione, kal. maii, anno quinto.

160. Mandat episcopis et guardiano infrascriptis, ut peremptorie citari curent Franciscum de Qualiano dioec. Saonen., qui pro canonico eccl. Saonen. se gerit, ad comparendum coram Arnaldo abbate mon. Fontisfrigidi et S. R. E. vicecancellario. [1]

1310, maii 7, Avinione.

Venerabilibus fratribus .. Saonen. et .. Naulen. episcopis ac dilecto filio .. guardiano fratrum ordinis Minorum Saonen. [2]

Praesentiam Francisci de Qualiano *etc.* Datum Avinione, nonis maii, pontificatus nostri anno quinto.

161. Mandat religiosis infra nominatis, ut circa monasterium s. Petri Generen. ord. s. Ben. dioec. Tarvien., quod propter negligentiam et malitiam Guilelmi abbatis in spiritualibus et temporalibus nimis deformatum esse dicitur, inquisitione legitima praecedente corrigant et reforment tam in capite quam in membris, quae corrigenda noverint et reformanda. [3]

1310, maii 25, Avinione.

Dil. filio .. abbati mon. Lucen. et .. priori Praedicatorum de Morlanis, dioc. Oloren. et Lascuren., ac .. guardiano Minorum fratrum ordinum Tarvien. [4]

Ex susceptae servitutis officio *etc.* Dat. Avinione, VIII kal. iunii, anno quinto.

162. Petro episcopo Rapollan. ex ord. Min. concedit facultatem testandi. [5]

1310, maii 27, Avinione.

Venerabili fratri Petro episcopo Rapollan.

Quia praesentis vitae conditio statum habet instabilem et ea, quae visibilem habent essentiam, tendunt visibiliter ad non esse: tu hoc salubri meditatione praemeditans diem tuae peregrinationis extremum dispositione testamentaria desideras praevenire. Nos itaque, carissimae in Christo filiae nostrae Sanciae reginae Siciliae illustris, pro te confessore et familiari suo nobis in hac parte humiliter supplicantis, ac tuis supplicationibus inclinati, ut de bonis mobilibus ecclesiasticis tuae dispositioni seu administrationi commissis, quae non fuerint altaris seu altarium ecclesiarum tibi commissarum ministerio seu alicui speciali earumdem ecclesiarum divino cultui vel usui deputata, et quae ordinis Minorum, quem fuisti professus, non fuerint, necnon de quibuscumque bonis mobilibus a te per ecclesiam seu ecclesias licite acquisitis pro decentibus et honestis expensis tui funeris ac pro remuneratione illorum, qui tibi viventi serviverint, sive sint consanguinei sive alii, iuxta servitii meritum moderate tamen disponere et erogare possis et alias

---

[1] Mense Dec. 1310 in tit. s. Priscae presb. card. promoto. Reg. Vat. t. 57, f. 277, ep. 26 de curia (n. 6302).

[2] *Savona* in Liguria, custodiae et provinciae Ianuen.

[3] Reg. Vat. t. 57, f. 196, ep. 786 (n. 5945).

[4] Domus fratrum Min. Tarvien. *(Tarbes)* pertinebat ad custodiam Auxitanam provinciae Aquitaniae.

[5] Reg. Vat. t. 57, f. 87, ep. 313 (n. 5443). Cfr. supra n. 157.

(prius de ipsis earumdem ecclesiarum aere alieno deducto, ut ipsae ecclesiae non remaneant debitis obligatae) in pios usus convertere, plenam et liberam auctoritate tibi praesentium concedimus facultatem *etc.* Datum Avinione, VI kalendas iunii, pontificatus nostri anno quinto.

163. Episcopis infra nominatis mandat, ut citent de novo ad comparendum in curia Rom. fratrem Venutum de Neocastro ord. Min., qui dolose in episcopum Catacen. se fecerat consecrari. [1]

1310, mail 30, Avinione.

Venerabilibus fratribus .. archiepiscopo Cusentin. ac .. sancti Marci et .. Militen. episcopis.

Dudum pro parte procuratoris generalis fratrum ordinis Minorum *etc. ut supra n. 136 usque* salutis propriae detrimentum. Nos praemissa nolentes, sicut etiam minime debebamus, sub dissimulatione transire, tibi praedicto archiepiscopo ac dilectis filiis .. Cusentino et .. cathedralis ecclesiae sancti Marci archidiaconis nostris dedimus litteris in mandatis, ut vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios praefatum fratrem Venutum ex parte nostra peremptorie citare curaretis, ut infra trium mensium spatium post citationem huiusmodi compareret personaliter coram nobis, facturus et recepturus super praemissis, quod iustitia suaderet. Et licet praefati archidiaconi eumdem fratrem Venutum auctoritate huiusmodi litterarum nostrarum legitime citavissent, ut infra praedictum terminum coram nobis personaliter compareret, ipse tamen tamquam inobedientiae filius in eodem termino comparere non curavit, dicto procuratore praedicti ordinis in eodem termino comparente ac ipsius fratris Venuti non comparentis contumaciam accusante, quamquam pro parte praefati fratris Venuti coram nobis allegatum fuerit, quod idem frater Venutus de podagra et aliis infirmitatibus erat adeo praegravatus et fuerat etiam ante citationem huiusmodi de ipso factam, quod absque mortis periculo ad nostram praesentiam non poterat personaliter se conferre. De vestra itaque circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes fraternitati vestrae mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum, vocatis qui fuerint evocandi, super contentis in eisdem nostris praemissae citationis litteris inquiratis auctoritate nostra diligentius veritatem, et quae inveneritis in scriptis redigi faciatis et ea nobis sub sigillis vestris inclusa fideliter transmittatis: praefixo eidem fratri Venuto peremptorio termino trium mensium, quo nostro se conspectui personaliter, nisi vobis constiterit, quod ipse dictis vel aliis infirmitatibus rationabiliter impeditus personaliter venire non possit, alioquin per procuratorem idoneum ad causam huiusmodi sufficienter instructum repraesentare procuret, recepturus ac facturus super hiis, quod iustitia suadebit, et nostris beneplacitis pariturus. De cuius quidem praefixione termini instrumentum publicum vel patentes litteras vestris sigillis munitas confici faciatis; diem vero praefixionis huiusmodi, et quidquid super praemissis duxeritis faciendum, nobis per vestras litteras harum seriem continentes studeatis fideliter intimare. Datum Avinione, III kalendas iunii, pontificatus nostri anno quinto. [2]

164. Ministro provinciali prov. Siciliae committit curam et regimen monasterii Clarissarum Messanen. [3]

1310, iunii 1, Avinione.

Dilecto filio .. [4] *ministro provinciali ordinis fratrum Minorum in insula Siciliae.*

Exhibita nobis carissimi in Christo filii nostri Friderici regis Trinacriae [5] illustris petitionis series continebat, quod olim clarae memoriae Constantia regina Aragonum, [6] mater eius, in insula Siciliae moram trahens de licentia quondam fratris Petri de Murrone tunc Coelestini papae V antecessoris nostri quoddam monasterium ordinis sanctae Clarae, cuius habitum ipsa regina suscepit, [7] dum viveret, in civitate Messanen. pia devotione fundavit. Quare pro parte dicti regis fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum monasterium ipsum ad laudem et gloriam eius, cuius est obsequiis dedicatum, hucusque laudabiliter profecerit ac Domino cooperante proficiat tam in structura ipsius monasterii quam in numero et meritis personarum Deo servientium in eodem, cupiat dictus rex, ut sorores dicti monasterii pro salute ipsarum fratribus tui ordinis Minorum specialiter committantur. Nos, pium eiusdem regis in hac parte propositum dignis in Domino laudibus commendantes ac de tuae circumspectionis industria plenam in Domino fiduciam obtinentes, devotis ipsius regis supplicationibus inclinati, discretioni tuae praesentium auctoritate committimus et mandamus, qua-

---

[1] Reg. Vat. t. 57, f. 181, ep. 722 (n. 5872).

[2] Tantum abest, ut iste Venutus a sede apostolica depositus sit, ut postmodum per potentiam laicalem expulsus ab eadem sede restituatur. Cfr. infra n. 435.

[3] Reg. Vat. t. 57, f. 156, ep. 611 (n. 5755).

[4] Vincentio Cephaludensi, qui postea fuit episc. Marianen. et Pacten. (ex Cagliolae historia prov. Siciliae ord. Min. p. 31 et 178).

[5] Nempe solius insulae Siciliae.

[6] Manfredi principis Tarentini filia, Friderici II imperatoris neptis, Petri Aragoniae regis Siciliaeque insulae occupatoris uxor, s. Elisabethae Lusitanorum reginae mater.

[7] Post obitum Petri mariti die 8 novembris 1285 mortui; ipsa vero obiit anno 1301 vel 1302.

tenus praedictas sorores, si sunt exemptae et de consensu earum procedat, praedicto ordini Minorum auctoritate nostra unire et incorporare procures, prout aliae sorores dicti ordinis sanctae Clarae unitae et incorporatae ac sub speciali regimine et doctrina fratrum dicti ordinis Minorum persistere dignoscuntur; tuque nihilominus de monasterio ipso et personis eius sollicitam curam geras, prout geritur de aliis monasteriis praefati ordinis sanctae Clarae, sic dictas sorores in semitas mandatorum Domini dirigens, ut una tecum comprehendant illius gloriae bravium, quod divina pietas paravit meritis electorum. Datum Avinione, kalendis iunii, pontificatus nostri anno quinto.

165. Fratribus Minoribus indulget, ut monasterium in Königsfelden ab Elisabeth vidua relicta Alberti regis Rom. fundatum recipiant. [1]

1310, iunii 18, Avinione.

Dilectis filiis .. ministro generali et fratribus ordinis Minorum.

Religionis vestrae merita nec non dilectae in Christo filiae nobilis mulieris Elisabethae, [2] relictae clarae memoriae Alberti regis Romanorum [3] viduae, devotionis sinceritas nos inducunt, ut ad vestri propagationem ordinis promptis intendamus affectibus et eiusdem nobilis piis desideriis favorabiliter annuamus. Cum itaque praedicta nobilis, sicut ex parte sua nuper accepimus, cupiens terrena in coelestia et transitoria in aeterna felici commercio transmutare, quoddam monasterium et alia aedificia optima pro habitatione fratrum ordinis vestri idonea in dioecesi Constantien. in loco videlicet de Chingesveld, [4] ubi dictus rex manibus impiorum occubuit, ad laudem divini nominis ac pro eiusdem animae remedio construi faciat propriis sumptibus et expensis, quae vobis pio ducta proposito concedere desiderat, ut ibidem perpetuis futuris temporibus Domino serviatis: nos volentes vos et ordinem ipsum favore prosequi gratioso dictamque nobilem [5] in huiusmodi laudabili proposito confovere, eius supplicationibus inclinati, vobis accipiendi pro habitatione huiusmodi monasterium et aedificia praelibata sine iuris praeiudicio alieni, constitutione fel. record. Bonifatii papae VIII [6] non obstante, auctoritate praesentium indulgemus. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, XIV kalendas iulii, pontificatus nostri anno quinto.

166. Archiepiscopo Bremen. et mag. Alberto de Mediolano committit inquisitionem contra praeceptores et fratres Hospitalis sanctae Mariae Theutonicorum in Livoniae et Prusciae partibus constitutorum. [7]

1310, iunii 19, Avinione.

Venerabili fratri [Ioanni] archiepiscopo Bremen. et dilecto filio magistro Alberto de Mediolano, canonico Ravennaten., cappellano nostro.

In vinea Domini .... praecaventur. Sane tam praedecessorum nostrorum Romanorum pontificum quam nostris continuatis successive temporibus ex clamore valido et insinuatione famosa [8] ad audientiam sedis apostolicae est deductum, quod praeceptores et fratres Hospitalis sanctae Mariae Theotonicorum (ad haec solum per sedem eamdem in Rigensi, Livoniae et Prusciae provinciis constituti, ut ecclesias, personas ecclesiasticas aliosve catholicae fidei professores vallo fortitudinis munientes ipsos a paganorum et scismaticorum tueantur incursibus et ad dilatandum ibi catholicae fidei nomen et cultum iugiter elaborent) in gravem proh dolor nostri Redemptoris iniuriam, fidelium cunctorum obprobrium et eiusdem fidei detrimentum facti sunt hostes domestici et familiares sunt redditi inimici..., dimissa Christi militia nunc contra Christifideles armis nequitiae bellum miserabile conferentes, nonnullos archiepiscopos, qui fuerunt pro tempore, aliosque praelatos et personas ecclesiasticas in dignitatibus constitutas illarum partium (non absque iniectione manuum in ipsos, Dei timore postposito, temere violenta) detestabili et sacrilego ausu capere, diris mancipare carceribus et alias eis graves corporales afflictiones inferre dampnabiliter praesumpserunt, ac de quatuordecim ecclesiis suffraganeis, quas ecclesia Rigen. metropolis partium earumdem habere consueverat, septem totaliter deleverunt, septem aliis in tali statu dimissis, ut plus sint dedecori et pudori decentiae pastoralis, quam si penitus non adessent .... Fertur etiam de ipsis execrabile facinus et dirum nephas, quod, cum rex Paganorum [9] cum suis subditis fuisset ad fidem Christi conversus ac diversos episcopos successive et presbyteros saeculares ac fratres Praedicatorum

---

[1] Reg. Vat. t. 57, f. 170, ep. 670 (n. 5818), apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Clem. V n. 24.

[2] Filiae Rainaldi comitis Tiroli et matris Friderici ducis Austriae, qui in discordia cum Ludovico Bavaro electus fuit rex Romanorum.

[3] Anno 1308 kal. maii a Ioanne nepote proditorie occisi.

[4] *Königsfelden* (Campo Regis), in custodia Lacus provinciae Argentinae. Hoc monasterium praecipue pro 40 Clarissis, pro 12 fratribus Minoribus vero nonnisi ad earum servitium in divinis, a praedicta regina fundatum tandem per ipsius filiam Agnetem, viduam relictam Andreae III regis Hungariae, quae ibidem post mariti obitum sanctissime vivebat, est perfectum.

[5] Elisabetham ante annum 1319 defunctam.

[6] Cfr. supra p. 37 not. 3.

[7] Reg. Vat. t. 57, f. 113, ep. 412 (n. 5544).

[8] Praesertim (sine dubio) per Fridericum archiepiscopum Rigen. ex ord. Min., de quo supra n. 31. Cfr. infra n. 175.

[9] Intellige: Lethoviensium sive Lithuanorum.

et Minorum ordinum in toto regno suo ordinasset ad extirpationem errorum et illuminationem ac plantationem orthodoxae fidei permansuros, iidem praeceptores et fratres proh pudor, velut eiusdem fidei subversores, quosdam eorumdem episcoporum, presbyterorum et fratrum exinde deiici, quosdam vero interfici latentibus et occultis studiis procurarunt; et taliter pagani etiam ad fidem conversi, lumine veritatis abiecto, errores proh dolor pristinos resumpserunt, et sic quondam Lethovien. ecclesia cathedralis in dicto regno consistens cum sua civitate et dioecesi, non absque multorum fidelium animarum et corporum deplorando periculo, miserabiliter fuit deleta. Populum etiam christianum terrae Semigalliae habentem episcopum et presbyteros orthodoxos, qui eis sacramenta ecclesiastica ministrabant, iidem praeceptores et fratres totaliter deleverunt, nobiliores eiusdem terrae, quos ad convivium invitarunt, proditionis infandae saevitia mutilatione capitum perimentes, reliquam multitudinem populi dictae terrae ultra quam centum milia fidelium utriusque sexus ad terras paganorum crudeliter profugarunt, dictique fideles eorumdem paganorum. in depressionem fidei, perpetuae sunt redditi servituti: propter quod episcopatus Semigalliae, qui per septem dietas amplam dioecesim obtinebat, totaliter de medio fuit sublatus. Et ut omnino impediatur ampliatio fidei in partibus praelibatis et proponendi verbum Dei facultas quaelibet subducatur, ex eo quod fratres ordinis Minorum castri Br[a]unsberg [1] eiusdem Rigen. provinciae praedicationi dictorum paganorum instantes, verbum Dei continue diffundebant, ac quidam frater dicti ordinis iugiter per paganos discurrens virtute verborum et operum corruscando die quolibet multos paganos cognitione verae fidei illustratos sacrae regenerationis lavacro innovabat, eisdem fratribus Minoribus de dicto loco ignominiose deiectis, eumdem locum funditus destruxerunt, nullos omnino eiusdem verbi praedicationi insistere permittentes; ecclesias quoque, oratoria et capellas aedificari pro neophytis non permittunt: ita quod dicti neophyti in rudimentis fidei non instructi ac in ecclesiis cum orthodoxis participium non habentes nec in fide nec in moribus fidelibus sunt conformes .... clauderentur. Nos igitur ... discretionem vestram ... hortandam attente duximus et monendam, vobis per apostolica scripte districte praecipiendo mandantes, quatenus ad partes illas seu ad loca illarum partium, quae vobis pro executione huiusmodi negotii videri poterunt magis apta, vos personaliter conferentes et habentes prae oculis solum Deum contra praedictos praeceptores et fratres eiusdem Hospitalis in dictis provinciis et partibus consistentes super praemissis omnibus et singulis nec non super articulis, quos sub bulla nostra vobis destinamus inclusos, ac super aliis criminibus et excessibus, super quibus eos inveneritis publice diffamatos, inquiratis diligentius veritatem, eaque diligenter et sollicite inquisita, quaecumque inveneritis, in scriptis redacta ac sufficienter instructa nobis sub sigillis vestris procuretis fideliter intimare *etc.* Datum Avinione, XIII kalendas iulii, pontificatus nostri anno quinto. [2]

167. Praelatis infra nominatis mandat, ut de quibusdam articulis ad causam contra Bonifatium pp. VIII motam pertinentibus testium depositionem fideliter excipiant. [3]

1310, iunii 28, Avinione.

Venerabilibus fratribus Isnardo archiepiscopo Thebano, vicario nostro in spiritualibus in Urbe, Iacobo Avinionensi [4] *et Altegrado Vicentino episcopis, et dilectis filiis Bertrando abbati monasterio Montis Albani et fratri Vitali de Furno ordinis Minorum magistro in theologia,* [5] *Caturcensis et Vasatensis dioecesium, ac magistro Primerio de Pergamo laico in Romana curia advocato.*

In negotio super crimine haereseos moto [6] contra quondam Bonifatium papam VIII praedecessorem nostrum, quod vertitur coram nobis *etc.* Datum Avinione, IV kal. iulii, pontificatus nostri anno quinto.

168. Indulget Guidoni comiti Flandriae, ut monasterium Belliloci ord. s. Clarae, situm infra muros castri sui de Petenghen Tornacen. dioec., cum decenti et honesta comitiva virorum ac mulierum ingredi valeat, dummodo nec ipse nec quisquam de eius comitiva in eodem monasterio edant nec pernoctent. [7]

1310, iulii 6, Carpentorati.

Dil. filio nobili viro Guidoni de Flandria, nato Guidonis comitis Flandriae.

Desideriis tuis *etc.* Dat. Carpentorati, II nonas iulii, anno quinto.

---

[1] In custodia Prusciae provinciae Saxoniae.

[2] Aliis litteris eodem die datis Clemens V eidem archiepiscopo Bremen. committit causam inter praedictum archiepiscopum Rigen. et eius suffraganeum Ludechonem episcopum Pomesanien. super ipsius electione ortam. Cfr. Reg. Vat. t. 57, f. 114, ep. 413 (n. 5545).

[3] Apud *Rayn.* Annal. eccl. ad a. 1310 n. 37. Cfr. Reg. Vat. t. 57, f. 286, ep. 42 de curia (n. 6318), quibus litteris Clemens V iis, qui Bonifatium VIII accusare vel excusare volunt, promittit, quod ad Rom. curiam possint tute accedere.

[4] Postmodum in S. R. E. cardinalem promoto, deinde in summum pontificem nomine Ioannis XXII exaltato.

[5] Postmodum in S. R. E. cardinalem promoto (cfr. supra n. 115 not. 1).

[6] Praesertim a Philippo IV rege Franciae.

[7] Reg. Vat. t. 57, f. 117, ep. 425 (n. 5559, cfr. 5557 et 5558).

169. Henrico regi Rom. indulget, ut monasteria et loca monialium ord. s. Clarae cum decenti et honesta comitiva ingredi valeat. [1]

1310, iulii 6, Carpentorati.

Carissimo in Christo filio Henrico regi Romanorum illustri.

Gerentes ad personam tuam paternae dilectionis affectum votis tuis libenter annuimus tuasque petitiones, quas praesertim ex fervore devotionis procedere intuemur, favorabiliter exaudimus. Hinc est, quod nos tuis supplicationibus inclinati, ut monasteria et loca monialium ordinis sanctae Clarae et quarumcumque aliarum religiosarum mulierum, cum volueris, cum decenti et honesta comitiva ingredi valeas, quibuscumque contrariis constitutionibus seu consuetudinibus monasteriorum et ordinum praedictorum nequaquam obstantibus, auctoritate tibi praesentium indulgemus, dum tamen tu et alii de comitiva praedicta in monasteriis ipsis non edatis nec etiam pernoctetis. Nulli ergo *etc.* Datum Carpentorati, II nonas iulii, pontificatus nostri anno quinto. [2]

170. Cum fratre Michaele Maclachloym ord. Min. dispensat super defectu natalium, ita ut eo non obstante possit promoveri ad administrationes sui ordinis et ad dignitatem episcopalem. [3]

1310, augusti 20, Grauselli.

Dilecto filio Michaeli Maclachloym ordinis fratrum Minorum Armachan. dioecesis.

Regularis ordinis professoribus nonnumquam religionis favore specialiter conceduntur, quae solent interdum aliis interdici. Cum itaque, sicut testimonio fidedignorum accepimus, tu ordinem fratrum Minorum professus defectum natalium, quem pateris de moniali genitus et soluto, probitate deleas meritorum, redimens favore virtutum in eodem ordine sub observantia regulari laudabiliter conversando, quod ortus odiosus ademit: nos tuis supplicationibus inclinati, tecum, ut (dicto defectu seu quibuscumque constitutionibus praedecessorum nostrorum Romanorum pontificum aut dicti ordinis statutis et consuetudinibus contrariis nequaquam obstantibus) ad administrationes dicti ordinis necnon ad dignitates ecclesiasticas, archiepiscopalem vel episcopalem, si te ad illas eligi vel postulari aut evocari contingat, licite assumi valeas auctoritate apostolica dispensamus. Nulli ergo *etc.* Datum in prioratu de Grausello prope Malausanam Vasionen. dioecesis, XIII kalendas septembris, pontificatus nostri anno quinto.

171. Officiali Agennen. *(Agens)* mandat, ut causam inter capitulum ecclesiae Lectoren. ex una et fratres Praed. ac Min. eiusdem civitatis super iure funeralium vertentem audiat et debito fine decidat. [4]

1310, septembris 12, Grauselli.

Dilecto filio .. officiali Agennen.

Exhibita nobis ex parte dilectorum filiorum capituli ecclesiae Lectoren. [5] petitio continebat, quod dudum inter eosdem capitulum ex parte una et .. priorem ac .. guardianum et fratres Praedicatorum et Minorum ac aliorum Mendicantium ordinum civitatis Lectoren. ex altera super iure funeralium et eorum, qui apud aliqua loca dictorum fratrum eligebant ecclesiasticam sepulturam, praesentatione corporum ipsorum eligentium matrici ecclesiae facienda et nonnullis aliis diversis articulis orta foret materia quaestionis, ac demum huiusmodi quaestio fuisset amicabili compositione ac per ipsarum partium pacta sopita, quae hactenus fuerant observata: tamen prior, guardianus et fratres ac superiores eorum, ad gravamina dictorum capituli aspirantes, compositionem et pacta ipsa, licet de observandis eisdem praestitum ab aliquibus dictorum fratrum Mendicantium fuerit iuramentum, infringere molientes, praefatos capitulum et singulares personas ipsorum capituli ac eorum clericos et servitores necnon et cives Lectoren. ac alios compositioni et pactis huiusmodi innitentes per conservatores, quos sibi asserunt a sede apostolica super eorum privilegiis deputatos, et alios trahi faciunt ad loca remota, eos diversis processibus et quaestionibus implicando. Quare pro parte dictorum capituli fuit nobis humiliter supplicatum, ut quieti eorum ac servitorum, clericorum et civium praedictorum providere paterna diligentia dignaremur. Nos itaque ipsorum supplicationibus inclinati, negotium huiusmodi ac omnes causas et quaestiones, quae coram quibuscumque personis occasione huiusmodi auctoritate apostolica ventilantur, in quocumque statu sint, dum tamen non sint per diffinitivam sententiam terminatae, quae nulla sint provocatione suspensa, ad examen

---

[1] Reg. Vat. t. 57, f. 118, ep. 431 (n. 5565, cfr. 5562-5570.) Cfr. supra n. 141.

[2] Hic Henricus rex Rom. fratribus Minoribus valde favebat. Litteris enim d. d. Francofurti 27 iulii 1310 consules et cives Norimbergenses, qui quaedam statuta contra fratres Minores in Norimberga promulgaverant (ne quis videlicet pro eleemosyna seu pro salute animae suae ultra unum aureum denarium eis dare deberet, districtius inhibendo), ea revocare et per ipsum cassata publice proclamare iussit (cfr. Analect. Francisc. t. II, p. 118); alteris autem litteris « in castris ante castrum Montis Varchii *(Montevarchi)* » 15 septembris 1312 datis conventum fratrum Minorum Montis Alvernae sub sua protectione suscipit (cfr. *Wadd.* l. c. ad a. 1311 n. 5).

[3] Reg. Vat. t. 57, f. 133 ep. 507 (n. 5643). Cfr. supra n. 270.

[4] Reg. Vat. t. 57, f. 226, ep. 906 (n. 6075).

[5] *Lectoure* in Guasconia. Conventus, quem ibi fratres Min. habebant, pertinebat ad custodiam Auxitan. provinciae Aquitaniae.

nostrum ex certa scientia revocamus, discretioni tuae per apostolica scripta mandantes, quatenus causas ipsas summarie de plano, sine strepitu et figura iudicii, audias et debito fine decidas, faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, fideliter observari, ac sententias excommunicationum et interdicti, si quae latae fuerint occasione praemissa, ad cautelam vel alias eadem auctoritate, prout canonicum fuerit, relaxes. Non obstantibus *etc.* Datum in prioratu de Grausello prope Malausanam Vasionen. dioecesis, II idus septembris, pontificatus nostri anno quinto.

172. Iacobo Odaclith, qui olim ordinem fr. Minorum professus ac in eo ad omnes sacros ordines promotus postmodum ab ipso non obtenta licentia recessit et ad monasterium s. Iacobi extra muros Herbipolen. [1] ord. s. Ben. se transferens in eodem professionem emisit et per sex annos et amplius permansit, super quo a fratribus Minoribus de dicta provincia Hiberniae diffamatus et etiam publice excommunicatus est, licentiam concedit ad quodvis monasterium ordinis Cisterc. transeundi. [2]

1310, novembris 13, Avinione.

Dil. filio Iacobo Odaclith de [H]ibernia, clerico Enachdunen. [3] *dioc., ordinem fratrum Min. professo.*

Oblata nobis tua petitio *etc.* Dat. Avinione, idus novembris, anno quinto.

173. Ministrum generalem Minorum (sicut ceterorum ordinum superiores generales atque praestantiorum monasteriorum abbates, episcopis iam prius invitatis) vocat ad concilium generale (praesertim super negotio Terrae sanctae et in causa Templariorum) Viennam convocatum. [4]

1310, novembris 22, Avinione.

Dilecto filio [Gonsalvo] ministro generali ordinis fratrum Minorum.

Regnans in coelis.... devote speramus. Et quia salubre in hiis adhiberi remedium interest generaliter omnium, nos cum eisdem fratribus nostris [S. R. E. cardinalibus] aliisque viris prudentibus exacto et frequenti tractatu praehabito, prout tantae necessitatis instantia exigebat, de ipsorum fratrum consilio universale concilium, sicut imitatione digna sanctorum patrum consuetudo laudabilis longaevae observationis exemplo nos instruit, inde ad kalendas octobris proxime iam elapsas decrevimus congregandum, ut in eo tam circa dictum ordinem [Templariorum] et personas singulares et bona eiusdem et alia, quae statum tangunt fidei catholicae, quam circa recuperationem et subsidium Terrae sanctae, ac recuperationem, ordinationem et stabilitatem ecclesiarum et ecclesiasticarum personarum ac libertatum earum illa Deo auspice communi consilio inveniatur provisio ac eiusdem approbatione concilii roboretur, per cuius salutiferam executionem virtus Altissimi eliminatis erroribus, roborata fide, ad tramitem veritatis reductis errantibus, reintegrata eiusdem fidei unitate, extirpatis vitiis, virtutibusque plantatis, correptis excessibus, moribus reformatis, repressis oppressionibus, libertate solida stabilitate munita, recuperatis deperditis, et eiusdem Terrae statu prospero reparato occupata restituat, vastata restauret et restaurata conservet nobisque viam aperiat idem ipse, qui novit, et facultatem tribuat ipse, qui potest: ut sic in praemissis iuxta intensum animi nostri desiderium sibi ministrare possimus salubriter, quod idem verus eiusdem universalis sponsus ecclesiae ipsam dilectam suam purgatam maculis, munitam virtutum monilibus ac ornatam unam semper habeat et formosam ad sui nominis laudem et gloriam, ad animarum profectum, robur fidei, pacem et exaltationem populi christiani. — Quia vero prosecutio tanti propositi tempore indigebat, ut deductum maturius facilius auctore Domino effectum debitum sortiretur, praedictum tempus ad id duximus deputandum; et demum illud ex certis iustis et legitimis causis, quas praesentibus inseri non oportet, usque ad alias kalendas octobris proxime futuras de praedictorum fratrum consilio duximus prorogandum. Quocirca discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus omni negligentia relegata, cunctis (prout talis et tanti negotii qualitas exigit) dispositis et paratis, sic medio tempore te accingas ad iter, quod in huiusmodi prorogato termino, quem tibi et aliis peremptorie assignamus, in Viennen. civitate nostro te conspectui repraesentes: non obstantibus quibuslibet privilegiis seu indulgentiis quibuscumque personis, ordini, dignitati seu collegio sub quacumque verborum forma vel expressione a praedicta sede concessis, per quae possit effectus huiusmodi mandati nostri quomodolibet impediri aut eidem in aliquo derogari. Interim quoque per te et alios viros prudentes, Deum timentes et habentes prae oculis omnia, quae correctionis et reformationis limam exposcunt, inquirens subtiliter et conscribens fideliter, ea ad ipsius concilii notitiam deferas; [5] et nos nihilominus variis modis et viis solers studium et efficacem operam dare proponimus, ut omnia talia in examen huiusmodi deducta concilii

[1] *Würzburg* in Germania, ubi monasterium monachorum ord. s. Ben. dictorum « Scotorum » ad s. Iacobum existebat.
[2] Reg. Vat. t. 57, f. 212, ep. 847 (n. 6009).
[3] *Annagdown* in provincia Tuamen.
[4] Reg. Vat. t. 58, f. 269, ep. 15 de curia (n. 7479).

[5] Quae quidem monitio ad omnes singulos supradictos praelatos facta est; at vero pro ministro generali ordinis fratrum Minorum gravior erat. Namque concilium Viennense praeter alia de reformatione ordinis Min. et de doctrina Ioannis Petri Olivi, fratris dicti ord., tractaturum erat. Cfr. infra n. 195 et 196.

correctionem et directionem recipiant opportunam. Et si inobedientiae notam et canonicae ultionis acrimoniam vitare desideras, nequaquam fallacium excusationum velamento te munias vel ex impedimentis itinerum, quae Domino prava in directa et in vias planas aspera sua omnipotentia convertente cessabunt, frivolae allegationis munimenta confingas, ut a tam sancti prosecutione operis te subducas, sed voluntarius occurras ad id, quod et divinae congruit voluntati et salutem animarum ac utilitatem respicit singulorum. Datum Avinione, X kalendas decembris, pontificatus nostri anno sexto.

174. Concedit indulgentias manus adiutrices porrigentibus ad consummationem ecclesiae, quam fratres Minores de Sparro de novo aedificare proponunt. [1]

1311, ianuarii 13, Avinione.

Universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis.

Ecclesiarum fabricis.... elargimur. Cum itaque dilectus filius .. guardianus et fratres ordinis Minorum castri de Sparra [2] Burdegalen. dioecesis, sicut dilectus filius noster Guillelmus [3] tituli sanctae Potentianae presbyter cardinalis nuper e parte ipsorum nobis exposuit, ecclesiam in loco eorum praedicti castri de novo aedificare proponant opere non modicum sumptuoso, idque efficere nequeant, nisi fidelium eleemosynis adiuventur: universitatem vestram rogamus et hortamur in Domino, in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatenus de bonis vobis a Deo collatis pias eis eleemosynas ad hoc et grata charitatis subsidia erogetis, ut per subventionem vestram dicta ecclesia aedificari valeat, vosque per haec et alia bona, quae Domino inspirante feceritis, ad aeternae possitis felicitatis gaudia pervenire. Nos enim, ut fideles ipsos quasi per praemia salubriter invitemus ad merita, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui eisdem guardiano et fratribus manum ad hoc porrexerint adiutricem, centum dies de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus. Praesentibus post decennium minime valituris, quas mitti per quaestuarios districtius inhibemus, eas, si secus actum fuerit, carere viribus decernentes. Datum Avinione, idibus ianuarii, pontificatus nostri anno sexto.

175. Concedit Friderico archiepiscopo Rigen. (ex ord. Min.), quod possit fratribus Minoribus et Praedicatoribus dare licentiam recipiendi locum in singulis civitatibus provinciae Rigen. [4]

1311, februarii 17, Avinione.

Venerabili fratri Friderico archiepiscopo Rigen.

Cum, sicut in nostra proposuisti praesentia constitutus, conversatio fratrum Minorum et Praedicatorum in tua provincia sit admodum saluti fidelium utilis et etiam opportuna, ut eorum salutaribus monitis et exemplis iidem fideles magis proficiant ad salutem et infideles celerius ad unitatem fidei convertantur: nos tuam in hac parte sollicitudinem commendantes in Domino, quod tu et successores tui archiepiscopi Rigen., qui pro tempore fuerint, possitis auctoritate nostra dare licentiam fratribus utriusque ordinum praedictorum unum dumtaxat locum recipiendi in singulis civitatibus eiusdem provinciae (fel. record. Bonifatii papae VIII praedecessoris nostri et quaecumque alia constitutione in contrarium edita non obstante), plenam tibi et successoribus ipsis concedimus tenore praesentium facultatem. Datum Avinione, XIII kalendas martii, pontificatus nostri anno sexto. [5]

176. Litteris plane eiusdem tenoris, qui supra n. 84 et 85 relatus est, fratres Minores infra nominatos in episcopos in partibus Tartarorum et suffraganeos archiepiscopi Cambalien. assumit. [6]

1311, februarii 19, Avinione.

Venerabili fratri Thomae episcopo in dominio Tartarorum per nos assumpto.

Rex regum... deputari. Sane nuper... potestatem. Ut autem ... acceptabilem ei reddant, te dictum ordinem [Minorum] professum, ut praemittitur, ac sufficienter in lege Domini eruditum... praeficimus in pastorem, tibique consequenter fecimus munus consecrationis impendi, constituentes te suffraganeum archiepiscopi supradicti [Cambalien.]... merearis. Dat. Avinione, XI kal. martii anno quinto.

In e. m. *venerabili fratri Ieronimo episcopo in dominio Tartarorum per nos assumpto.*

In e. m. *venerabili Petro de Florentia episcopo in dominio Tartarorum per nos assumpto.* [7]

---

[1] Reg. Vat. t. 58, f. 20, ep. 77 (n. 6465).
[2] *Lesparre* in custodia Burdegalen. provinciae Aquitaniae.
[3] Cfr. supra n. 158, not. 12 (p. 66, not. 11).
[4] Reg. Vat. t. 58, f. 51, ep. 208 (n. 6598). Cfr. supra n. 166.
[5] Vi huius facultatis fratres Minores ne unum quidem locum recepisse videntur, cum in illis partibus loca nonnisi in *Riga*, *Neustadt* (Civitate nova), *Braunsberg*, *Culm* et *Thorn* haberent, quae singula iam prius inhabitabant. — Aliis litteris eadem die datis Clemens V praedicto archiepiscopo facultatem tribuit concedendi tabellionatus officium sex personis diligenter ab eo examinatis; ad eius quoque instantiam hac die archiepiscopo Bremen. et mag. Alberto supra n. 166 nominatis, die autem 10 maii 1311 eidem archiepiscopo et mag. Francisco de Moliano canonico Laudunen. mandat, ut citent quosdam se gerentes pro episcopis in provincia Rigen., qui nec electi nec confirmati nec etiam consecrati per aliquos, qui super hoc potestatem habuerint, extiterunt. Cfr. l. c. ep. 207, 209, 374 (n. 6597, 6599, 6770, 7508).
[6] Reg. Vat. t. 58, f. 271, ep. 16 (n. 7480-7482).
[7] Non solum litterae, quibus Thomas et Hieronymus, sed etiam illae, quibus Petrus de Florentia promotus est, XI kal.

177. Indulget nobili viro Hugoni de Veer eiusque uxori, ut monasterium Bechen. ab ipsis constructum bis in anno ingredi valeant. [1]

1311, aprilis 14, Avinione.

Dilecto filio nobili viro Hugoni de Veer [2] *et dilectae in Christo filiae Dionysiae, uxori eius, Elyen.* [3] *dioecesis.*

Devotionis vestrae sinceritas promeretur, ut votis vestris, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Hinc est, quod nos vestris supplicationibus inclinati, ut monasterium monialium de Beche ordinis sanctae Clarae Elyen. dioecesis, quod per vos fundatum esse dignoscitur, [4] bis in anno insimul et separatim cum decenti comitiva virorum et matronarum causa caritativae consolationis ingredi et cum ipsis monialibus habere colloquia valeatis (quibuscumque dictorum monasterii et ordinis constitutionibus seu consuetudinibus contrariis, iuramento, confirmatione sedis apostolicae seu quacumque firmitate alia roboratis, nequaquam obstantibus), vobis auctoritate praesentium indulgemus: ita tamen, quod vos dictique viri ac matronae in eodem monasterio non edatis nec etiam pernoctetis. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, XVIII kalendas maii, pontificatus nostri anno sexto.

178. Presbyteris infradictis, qui olim ordinem fratrum Minorum ingressi et professi ex certis causis ipsos urgentibus de eodem exiverunt, licentiam impertitur transeundi ad ordinem Cisterciem., quibuscumque privilegiis eisdem ordinibus aut locis seu personis eorum ab apostolica sede concessis nequaquam obstantibus. [5]

1311, iunii 4, apud Caronum.

Dilecto filio Iohanni Clerici presbytero Claromonten. dioc.

Ex parte tua *etc.* Dat. apud Caronum Carpentoraten. dioc., II nonas iunii, anno sexto.

In e. m. *dil. filio Francisco de Posalis presbytero Albien. dioc.* Dat. ut supra.

179. Cum Nicolino Richolini, qui olim infra tempora pubertatis existens ordinem fratrum Min. ingressus est et postmodum (professione expressa in eo indiscrete facta) eundem exivit atque ad infradictum monasterium se contulit ibique votum professionis emisit, dispensat, ut in ipso monasterio s. Dalmatii, in quo perpetuo remanere desiderat, statutis et consuetudinibus quibuscumque contrariis nequaquam obstantibus, remanere valeat. [6]

1311, iunii 13, Grauselli.

Dilecto filio Nicolino Richolini monacho mon. s. Dalmatii de Burgo ord. s. Ben. Asten. dioc.

Religionis zelus *etc.* Dat. in prioratu de Grausello prope Malausanam Vasionen. [7] dioc., idus iunii, anno sexto.

180. Concedit fratribus Min. infra nominatis, ut quibusdam bonis eis pro loco construendo legatis renuntiare possint. [8]

1311, iunii 13, Grauselli.

Dilectis filiis .. ministro provinciali Aragoniae ac ipsius Aragoniae et Cataloniae ac Valentiae provinciarum custodibus et guardianis ac lectori et conventui Xativae ordinis Minorum Valentinae dioc.

Exposuit nobis dilectus filius nobilis vir Vitalis de Villanova, [9] quod quondam Gabriel Dionysii miles Valentinae dioecesis, volens caelestia pro terrenis et transitoria pro aeternis felici commercio commutare, domos, quas in villa de Canalx eiusdem dioecesis habebat, dum viveret, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis pro ecclesia ad honorem sanctae Crucis et loco ad opus fratrum ordinis vestri de propriis bonis construendis ibidem in ultima sua voluntate dimisit, volens, quod tresdecim fratres eiusdem ordinis in sacerdotio constituti, qui missas et aliud divinum officium pro sua et quondam Dionysii et Margaritae parentum suorum et aliorum animabus defunctorum fidelium celebrarent, residentiam in loco facerent memorato, quodque vigeret logicalis et naturalis scientiarum studium in eodem; et nihilominus volens idem Gabriel eisdem fratribus de necessariis providere, eis duo millia et quinquaginta solidorum regalium Valentin. de decima et aliis proventibus suis eiusdem villae annis recipiendis singulis memoratis fratribus donavit specialiter et concessit. Verum eiusdem ordinis vestri fratres ipsarum partium, considerantes

---

martii a. V datae esse videntur, quamvis in registro litteras, quibus hic Petrus assumptus est, XIII kal. ianuarii a. V datas esse legamus. — Horum trium episcoporum suffraganeorum archiepiscopi Cambalien., quos in locum illorum trium supra n. 85 nominatorum, qui usque ad imperium Cathay non pervenerunt, subrogatos esse nemo ignorat, ne unus quidem (Petro de Florentia forsan excepto) usque eo progressus esse videtur (cfr. *Marcellino da Civezza* l. c. p. 601, n. 1). Constat enim, Hieronymum (qui idem est ac ille Hieronymus e Catalonia oriundus, quem Angelus de Clarino detrahit in illa epistola excusatoria (cfr. *Archiv. für Litt. - u. Kirchengeschichte* I, 558 sq. et IV, 2), in terris inter pontum Euxinum et mare Caspium sitis, quae quidem tunc ad ipsum immensum regnum Tartarorum pertinebant, remansisse et ibi fideliter in vinea Domini laborasse et circa a. 1318 ad ecclesiam Caphen. vel Caffen. (coloniam Ianuensium ad pontum Euxinum) translatum esse (cfr. infra n. 303). Quae autem Thomae fuerint fata, nos latet.

[1] Reg. Vat. t. 58, f. 81, ep. 329 (n. 6722), ap. *Wadd.* l. c. reg. pont. Clem. V, n. 32.

[2] Alias *Vece.*

[3] *Ely* in Anglia.

[4] Sed fundationis tempus ignoratur desideraturque concessionis pontif. diploma.

[5] Reg. Vat. t. 58, f. 137, ep. 549 (n. 6958 et 6959).

[6] Reg. Vat. t. 58, f. 132, ep. 531 (n. 6937).

[7] *Vaison* in comitatu Venaissino.

[8] Reg. Vat. t. 58, f. 161, ep. 660 (n. 7077).

[9] Cfr. infra n. 211.

attentius, quod non modicum indecens et inhonestum et periculosum memoratis fratribus existebat, cum infidelibus Saracenis, qui villam inhabitabant eamdem, sicut adhuc inhabitant, [1] conversari, quodque dicta summa pecuniae eisdem tresdecim fratribus pro necessariis nequaquam sufficere poterat; nec etiam eos, qui redditus certos eorum regula prohibente recipere vel habere non poterant, decebat se taliter ad celebrandas missas pro defunctis adstringere; et propter hoc Valentin. et Cesaraugustan. custodes et guardianus Xativae [2] eiusdem ordinis praedictae dioecesis convenientes in unum unanimi voluntate [determinarunt], quod per procuratorem conventus eiusdem loci Xativae (auctoritate privilegii fel. record. Martini papae IV praedecessoris nostri super legatis quibuslibet petendis ordini memorato concessi) de dicta pecunia cessio fieret nobili memorato: [propter quod] nobis dictus nobilis humiliter supplicavit, ut eidem procuratori faciendi sibi pro certa pecuniae summa cessionem huiusmodi concederemus plenariam facultatem. Nos igitur, dicti nobilis supplicationibus inclinati ac de vestrae circumspectionis industria plenam in Domino fiduciam obtinentes, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus praemissis diligenti consideratione discussis super praedictis, super quibus nostram conscientiam exoneramus totaliter vestrasque specialiter oneramus (concessione et cessione quacumque et cuiuscumque generis contractu eidem Vitali facto de pecunia supradicta et praedicto eiusdem praedecessoris et quibuslibet aliis privilegiis apostolicis et statutis eiusdem ordinis contrariis non obstantibus), auctoritate nostra cum dicto Vitali, prout vobis videbitur, ordinetis et etiam disponatis. Volumus autem, quod, si vos conventus ordinationi et dispositioni praedictis interesse personaliter non possetis, duos discretos viros plene super praemissis instructos ad locum, ubi ordinationem et dispositionem huiusmodi fieri contigerit, qui ordinationi et dispositioni intersint eisdem, destinare curetis; quodque ille ex vobis, qui primo litteras praesentes receperit, ad certos diem et locum pro ordinatione et dispositione huiusmodi facienda vos alios omnes valeat convocare. Datum in prioratu de Grausello prope Malausanam, idibus iunii, pontificatus nostri anno sexto.

181. Concedit Osino regi Armeniae, ut sex fratres Minores apud ipsum commorari valeant. [3]

1311, iunii 22, Grauselli.

Carissimo in Christo filio Osino [4] *Armeniae regi illustri.*

Devotionis tuae sinceritas promeretur, ut apostolica sedes, ad quam promptitudinem geris reverentiae filialis, petitiones tuas libenter exaudiat tuaque desideria pia favore benivolo prosequatur. Tuis itaque supplicationibus inclinati, convocandi ad te et tecum etiam domestice et familiariter retinendi sex ex fratribus ordinis fratrum Minorum, quos minister dicti ordinis regni Cypri [5] ad hoc duxerit eligendos, prout alias clarae memoriae Hettoni, [6] fratri tuo, regi Armeniae fuisse asseris ab apostolica sede concessum, [7] plenam tibi praesentium auctoritate concedimus facultatem. Datum in prioratu de Grausello prope Malausanam Vasionen. dioecesis, X kalendas iulii, pontificatus nostri anno sexto.

182. Mandat ministro provinciali in regno Cypri, ut Osino regi Armeniae sex fratres suae provinciae cum illo familiariter moraturos transmittat. [8]

1311, iunii 22, Grauselli.

Dilecto filio .. ministro maiori [9] *ordinis fratrum Minorum regni Cypri.*

Carissimi in Christo filii nostri Osini Armeniae regis illustris sinceritas promeretur, ut nos petitionibus eius, quantum secundum Deum possumus, favorabiliter annuamus. Cum itaque, sicut ex tenore petitionis dicti regis accepimus, ipse sex ex fratribus tui ordinis domestice ac familiariter secum continue cupiat retinere, nos eiusdem regis votis in hac parte annuere intendentes discretioni tuae man-

---

[1] Etsi enim regnum Valentiae a Iacobo rege Aragoniae anno 1238 devictis Saracenis recuperatum fuerit, aliquibus in locis partium illarum Mauri Saraceni tolerabantur.

[2] *Xativa* in custodia Valentin. provinciae Aragoniae. Cfr. *Wadd.* l. c. ad a. 1294, n. 18.

[3] Reg. Vat. t. 58, f. 198, ep. 774 (n. 7201). Cfr. infra n. 182.

[4] Alias (cfr. supra n. 58) Uxino (patruo Leonis regis Arm. a. 1307 in bello occisi), qui in aliis litteris eodem die a Clem. V ad eum datis, quibus cum eo dispensatur, ut in matrimonio cum Margarita de Cypro contracto remanere valeat (non obstantibus tertio et quarto consanguinitatis et affinitatis gradibus), nominatur « natus nob. viri Hethonis domini de Curcho ». Cfr. l. c. epp. 772 et 775 (nn. 7199 et 7202).

[5] Qui prius vocabatur minister provinciae « Terrae sanctae »; sed Terra sancta a Saracenis postmodum occupata restabant tantum conventus in insula Cypro existentes, qui olim custodiam Nicosien. dictae provinciae efficiebant.

[6] Sive Haytoni, alias fr. Ioanni ord. Min. (cfr. supra n. 58).

[7] Cuius quidem concessionis diploma desideratur. Refert autem *Wadd.* l. c. ad a. 1290 n. 10, regem Armeniae paulo ante a Nicolao IV petiisse, ut sibi mitterentur nonnulli illius fratrum Minorum instituti viri, tum propter animae suae suorumque solatium, tum ad instruendum populum in fide christiana; ministrum vero generalem ordinis ipsorum fratrum Min. iubente summo pontifice ad illas partes destinasse sex fratres: Raymundum, Thomam Tolentin., Petrum Macerat., Angelum de Clarino, Marcum de Monte Lupone, Petrum.

[8] Reg. Vat. t. 58, f. 198, ep. 773 (n. 7200). Cfr. supra n. 181 et infra n. 183.

[9] Intellige: *provinciali.*

damus, quatenus sex ex fratribus ipsis probos et bonos viros eligas eosque ad dictum regem, cum super hoc ab eo fueris requisitus, transmittere non postponas, secum familiariter moraturos. Non obstantibus *etc.* Datum in prioratu de Grausello prope Malausanam Vasionen. dioecesis, X kalendas iulii, pontificatus nostri anno sexto.

183. Mandat Petro, episcopo Ruthenen. et sedis apostolicae legato, electionem de fratre Daniele ord. Min. in archiepiscopum Tharsen., factam examinet et, si recta fuerit, electum confirmet et consecret [1].

1311, iunii 22, Grauselli.

Venerabili fratri Petro episcopo Ruthenen. apostolicae sedis legato. [2]

Inter sollicitudines alias *etc.* Dudum siquidem Tharsen. ecclesia [3] per obitum bonae memoriae Ioannis Tharsen. archiepiscopi pastoris solatio destituta, dilecti filii capitulum eiusdem ecclesiae, cum quatuor tantum canonici tunc essent in ecclesia ipsa praesentes, vocatis omnibus, qui voluerunt, debuerunt et potuerunt commode interesse, die ad hoc praefixa, ut moris est, convenientes in unum pro futuri substitutione pastoris, Spiritus sancti gratia invocata, repente omnes quasi per inspirationem divinam dilectum filium fratrem Danielem de Terdona [4] ordinis fratrum Minorum, de religionis zelo, vitae honestate et aliarum multiplicium probitatum meritis commendatum, in Tharsen. archiepiscopum postularunt. Huiusmodi itaque postulatione per dilectum filium Goffredum cantorem eiusdem ecclesiae, primam in dicto capitulo vocem habentem, clero et populo solemniter publicata et per dilectum filium Petrum eiusdem ecclesiae thesaurarium, procuratorem ad hoc ab eodem capitulo specialiter constitutum, dicto Danieli (praedictae suae postulationis praesentato decreto): idem Daniel huiusmodi postulationi de se factae nec consensit nec dissensit, asserens consensum ipsum non in sua, sed in dilecti filii fratris Bonaventurae provincialis ministri eiusdem ordinis in partibus illis [5] potestate et arbitrio residere [6]. Cumque per memoratum procuratorem fuisset eidem ministro repetitis pluries vicibus humiliter supplicatum, ut dicto Danieli consentiendi huiusmodi postulationi suae concedere licentiam dignaretur, idem minister licentiam ipsam in eiusdem ecclesiae grave praeiudicium et non modicum detrimentum concedere non curavit. Nos itaque indemnitati eiusdem ecclesiae, ne prolixioris vacationis deploret incommoda, praecavere volentes, ac obtentu carissimi in Christo filii nostri Osini regis Armeniae illustris nobis super hoc cum instantia supplicantis, gerentes quoque de circumspectione tua fiduciam in Domino specialem, fraternitati tuae mandamus, quatenus de statu, conditione et qualitate ac meritis eiusdem Danielis diligenter et exacte inquiras et, si eum ad archiepiscopalem dignitatem habilem et idoneum eiusque postulationem canonicam esse repereris, super quo tuam intendimus conscientiam onerare, sibi (non obstantibus quibuslibet dicti ordinis consuetudinibus vel statutis contrariis seu quibuscumque privilegiis seu litteris eidem ordini super hoc ab apostolica sede concessis, de quibus quorumque totis tenoribus oporteat in praesentibus de verbo ad verbum fieri mentionem) licentiam consentiendi huiusmodi postulationi suae auctoritate nostra concedas ipsamque postulationem eadem auctoritate admittas, praeficiendo eum eidem ecclesiae in archiepiscopum et pastorem, sibique postmodum convocato ad hoc congruo aliorum episcoporum numero munus consecrationis impendas, faciens sibi ab eius subditis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi, contradictores per censuram ecclesiasticam compescendo; recepturus postmodum ab eodem nostro et ecclesiae Romanae nomine fidelitatis solitae iuramentum, iuxta formam, quam tibi sub bulla nostra mittimus introclusam. Alioquin eadem postulatione rite cassata facias praedictae ecclesiae per electionem canonicam de persona idonea provideri. [7] Formam autem iuramenti, quod ipse frater Daniel praestabit, nobis de verbo ad verbum per ipsius patentes litteras, eius sigillo signatas, per proprium nuncium quantocius destinare procures. Datum in prioratu de Grausello prope Malausanam Vasionen. dioecesis, X kalendas iulii, pontificatus nostri anno sexto.

184. Raymundo Palpavini, qui olim ordinem fratrum Min. professus est, sed postmodum superioris sui super hoc requisita et obtenta licentia ad s. Benedicti ordinem convolavit et in monasterio Aureliacen. professione facta regulae monachalis fuit diutius ibidem laudabiliter conversatus, dispensat, quod statuto Nicolai IV [8] nequa-

[1] Reg. Vat. t. 58, f. 198, ep. 771 (n. 7198).
[2] Cfr. supra n. 134 et infra n. 189.
[3] *Tarsus* in Cilicia, patria s. Pauli apostoli, tunc caput regni Armeniae.
[4] *Tortona* in Italia superiore. Apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Clem. V n. 27 minus recte exhibetur: « Zerdona ».
[5] Cfr. supra n. 138, 139, 182, not. 2.
[6] Sicut debebat secundum constit. Innoc. IV, d. d. 22 apr. 1252 et Alex. IV d. d. 28 maii 1257. Cfr. huius op. t. I, p. 605, et t. II, p. 219.
[7] Danielem praedictum confirmatum et consecratum esse, constat ex litteris Clem. V die 1 oct. 1313 datis, quibus praedicto legato committitur, ut eidem pallium assignet, ipsique Danieli conceditur, quod eo utatur certis diebus intra ecclesiam suam. Cfr. Reg. Vat. t. 60, f. 200, ep. 619 (9671 et 9672).
[8] Edito 14 maii 1288; cf. huius op. t. IV, p. 20.

quam obstante prioratum infradictum ab eiusdem monasterii abbate sibi collatum valeat retinere [1].

1311, iunii 26, Grauselli.

Dil. filio Raimundo Palpavini priori prioratus de Asperis ord. s. Ben. Vapincen. dioc.

Laudabile testimonium *etc.* Dat. in prioratu de Grausello apud Malasaunam Vasionen. dioc., VI kal. iulii, anno sexto.

185. Mandat mag. Iacobo de Tosectis canonico Ebredunen., quod, cum patriarcham Constantinopolitan. et episcopum Nigroponten. aliosque in Romaniae et Achaiae partibus inquisitores contra Templarios propter adventum eorum ad concilium generale vel forsan ex alia causa in exequendo huiusmodi officio impediri contingat, ipse cum priore Praedicatorum et guardiano Minorum fratrum ordinum locorum illorum vel altero eorum contra Templarios procedat. [2]

1311, iunii 27, Grauselli.

Dil. filio mag. Iacobo de Tosectis de Urbe canonico Ebredunen.

Dudum ad eliciendum *etc.*, Dat. in prioratu de Grausello *etc.*, V kal. iulii, anno sexto.

186. Fratrem Petrum ord. Praed. praeficit ecclesiae Civitatis novae in episcopum, irritatis electionibus de personis Francisci de domo Paradisi de Venetiis presbyteri et fratris Iannini de Tervisio ord. Min. in discordia factis. [3]

1311, iunii 27, Grauselli.

Venerabili fratri Petro episcopo Civitatisnovae.

Inter caetera sollicitudinum studia *etc.* Dat. in prioratu de Grausello apud Malasaunam Vasionen. dioc., V kal. iulii, anno sexto.

187. Mandat guardiano fratrum Min. Burdegalen., ut a Petro de Solerio sacrista s. Severini Burdegalen. liberam resignationem omnium beneficiorum ecclesiasticorum, quae obtinet, recipiat eaque alicui personae idoneae conferat, quam idem Petrus ei duxerit nominandam, non obstante, quod ordini fratrum Minorum a sede apostolica dicitur esse indultum, ut ipsi fratres non teneantur se intromittere de quibuscunque negotiis, quae eis de eadem sede committuntur, nisi de concessione hac plena et expressa mentio habeatur. [4]

1311, iulii 15, Grauselli.

Dilecto filio guardiano fratrum Minorum Burdegalen. [5]

De tua circumspectionis industria *etc.* Dat. in prioratu de Grausello prope Malausanam Vasionen. dioc., idus iulii, anno sexto.

188. Mandat praelatis infra nominatis, ut cessent a divinis in locis, ubi Lutoldus (episcopum Basileen. se gerens) et ceteri de ecclesia Basileen. excommunicati steterint. [6]

1311, iulii 21, Grauselli.

Venerabilibus fratribus episcopis et dilectis filiis abbatibus, archidiaconis, praepositis, decanis, rectoribus et presbyteris ecclesiarum, ac magistris, ministris, prioribus et guardianis Praedicatorum, Minorum et sancti Augustini et aliorum quorumcumque ordinum civitatum et dioecesium Basileen., Constantien. et Argentinen. et aliarum civitatum et dioecesium circumstantium dictis civitati et dioecesi Basileen.

Nuper ad audientiam nostram *etc.* Dat. in prioratu de Grausello prope Malasaunam Vasionen. dioc., XII kal. augusti, anno sexto.

189. Petro episcopo Ruthenen. et apost. sedis legato, in insula Rhodi commoranti, mandat, quod, si in regno Cypri eum personaliter adesse contigerit, ubi (loco episcoporum Famagustan. ac Nimocien. propter adventum illorum ad concilium generale) mag. Dominico de Praeneste canonico Praenestin. una cum priore Praed. et guardiano Min. fratrum ordinum illarum partium officium inquisitionis contra Templarios commissum est, ipse cum eisdem inquisitoribus vel aliquo eorum vel etiam solus contra praedictos Templarios procedat. [7]

1311, augusti 25, Grauselli.

Venerabili fratri Petro episcopo Ruthenen., apostolicae sedis legato.

Dudum ad eliciendum *etc.* Dat. in prioratu de Grausello *etc.*, VIII kal. septembris, anno sexto.

190. Ad instantiam guardiani fratrum Minorum de Castro Gelazii [8] Agennen. dioec. et aliorum executorum testamenti qu. Guilelmi de Bernulio laici burgensis villae de Portu s. Mariae (alias dicti Petitbon) eiusdem dioec., qui de bonis relictis piis locis, miserabilibus personis, passagio Terrae sanctae summam sex millium libr. Turon. parv. exhibendam per manus ipsorum legaverat, infra nominatos contra Petrum de Bernulio fratrem et haeredem dicti Guilelmi, qui impedit, ne dicta summa dictis locis et personis solvatur, procedere iubet. [9]

1312, ianuarii 14, Viennae.

Dilectis filiis .. Vasaten. et .. Montalden. in Agennen. archidiaconis ecclesiarum.

Aequum extimamus *etc.* Dat. Viennae, XIX kal. februarii, anno septimo.

191. In causa Praedicatorum et Minorum fratrum Alexandrin. deputat cognitores, qui se informent et referant. [10]

1312, februarii 12, Viennae.

Dilectis filiis sancti Petri de Alexandria et de

---

[1] Reg. Vat. t. 58, f. 153, ep. 624 (n. 7041).

[2] Reg. Vat. t. 58, f. 296 ep. 116 de curia (n. 7606).

[3] Reg. Vat. t. 58, f. 204, ep. 805 (n. 7237).

[4] Reg. Vat. t. 58, f. 227, ep. 906 (n. 7342). Cfr. bullas *Quieti vestrae* et *Qui postposita* in huius op. t. I, p. 184 et 277.

[5] *Bordeaux* in custodia Burdegalen. provinciae Aquitaniae.

[6] Reg. Vat. t. 58, f. 181, ep. 741 (n. 7165). Cfr. supra n. 150.

[7] Reg. Vat. t. 58, f. 297, ep. 121 de curia (n. 7612). Cfr. supra n. 183 et 185.

[8] Recte: Gelosii sive Gelosio *(Casteljaloux)* in custodia Agennen. provinciae Aquitaniae.

[9] Reg. Vat. t. 59, f. 10, ep. 41 (7664).

[10] Ex autographo olim in archivo fratrum Minorum Alexandrin. *(Alessandria della Paglia)* deposito. Cfr. supra n. 83.

Quargnento et de Montebarutii archipresbyteris Aquen. dioecesis.

In causa seu causis appellationis seu appellationum et negotiorum principalium, quae vertuntur seu verti sperantur inter guardianum et fratres ordinis Minorum in Alexandria Aquen. dioecesis ex parte una, et priorem et fratres ordinis Praedicatorum eiusdem loci de Alexandria ex altera – super eo, quod iidem prior et fratres ordinis Praedicatorum asserebant, guardianum et fratres eosdem aedificare quoddam oratorium infra spatium centum et quadraginta cannarum mensuratarum ab ecclesia dictorum prioris et fratrum contra privilegium sedis apostolicae dicto ordini Praedicatorum concessum, et occasione aedificationis huiusmodi quasdam vias clauserant et claudebant [1] in ipsorum prioris et fratrum Praedicatorum praeiudicium et gravamen; ac etiam super eo, quod dicti prior et fratres Praedicatores ampliaverunt seu auxerunt ecclesiam eorum aedificando seu aedificari faciendo intra spatium centum et quadraginta cannarum ab ecclesia dictorum fratrum Minorum post et contra constitutionem fel. record. Clementis papae IV praedecessoris nostri haec specialiter prohibentem [2] – ad sedem apostolicam legitime devolutis dilectum filium magistrum Bernardum Rovardi archidiaconum Xantonen., cappellanum nostrum et palatii nostri auditorem causarum, dedimus dictis partibus specialiter auditorem. Postmodum vero magistris Petro de Laude procuratore (substituto a fratre Lapo procuratore generali) .. magistri et fratrum praedicti ordinis Predicatorum et quondam Proculo de Bononia et Petro de Terracina procuratoribus .. generalis ministri et fratrum et singulorum locorum dicti ordinis Minorum procuratorio nomine pro eisdem in iudicio coram auditore praedicto constitutis, libellis pro parte dictorum guardiani et fratrum in causa ipsa coram auditore praedicto exhibitis, inter procuratores earumdem partium in ipsius auditoris praesentia legitime contestata de calumnia et veritate dicenda praestitis iuramentis, factis positionibus et ad eas responsionibus subsecutis, formatis insuper et datis articulis hinc inde: quia per ea, quae coram ipso auditore in causa ipsa sunt habita, non potest de ipsius causae meritis apud dictam sedem liquere, discretioni vestrae de utriusque partis procuratorum assensu per apostolica scripta mandamus, quatenus apud Alexandriam testes, litteras et instrumenta, quae utraque pars super eisdem articulis, quos dictus auditor una cum interrogatoriis partium earumdem vobis sub sigillo suo transmittere [curabit] inclusos, coram vobis duxerint producenda, infra spatium unius mensis et dimidii post receptionem praesentium prudenter recipere et testes ipsos secundum praedicta interrogatoria diligenter examinare curetis, litteras et instrumenta praedicta transcribi fideliter facientes. Quod si forte alterutra partium testes, litteras ac instrumenta alterius voluerit reprobare, vos testes, qui super reprobatione huiusmodi producti fuerint, infra dimidium mensem praedictos mensem et dimidium immediate sequentem sapienter recipiatis ac testes ipsos secundum interrogatoria a partibus exhibenda, si ea exhibere voluerint, alioquin iuxta datam vobis a Deo prudentiam, examinare sollicite studeatis, depositiones omnium testium praedictorum fideliter in scriptis redactas [et] una cum articulis et interrogatoriis supradictis et transcriptis instrumentorum et litterarum praedictorum sub vestris sigillis inclusas ad nostram praesentiam transmissuri ac significaturi nobis, quae et quanta fides sit dictis testibus, instrumentis et litteris adhibenda; praefixo partibus ipsis termino peremptorio competenti, quo per se vel per procuratores idoneos cum omnibus actis, iuribus et munimentis suis causam ipsam contingentibus apostolico se conspectui repraesentent, iustam dante domino sententiam recepturae. Diem vero praefixionis huiusmodi, et quidquid super iis duxeritis faciendum, nobis per vestras litteras harum seriem continentes fideliter intimare curetis. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam (appellatione cessante, praeterquam super criminibus) cogatis veritati testimonium perhibere. Quodsi non omnes iis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Viennae, II idus februarii, pontificatus nostri anno septimo.

192. Clarissas mon. s. Mariae de Monte lucido in suo monasterio Claruciam Iacopelli recipere iubet in monacham et sororem. [3]

1312, martii 15, Viennae.

Dilectis in Christo filiabus abbatissae et conventui s. Mariae de Monte lucido extra portam Perusin. ordinis sanctae Clarae.

Cum dilecta in Christo filia Clarucia nata Iacopelli, puella litterata, latrix praesentium, cupiat, sicut asserit, una vobiscum in monasterio vestro sub regulari habitu Domino famulari, universitatem vestram rogamus et hortamur attente, per apostolica scripta mandantes, quatenus ipsam ob reverentiam apostolicae sedis et nostram recipiatis in monacham et sororem et sincera in Domino cha-

[1] *Rectius*: clausisse et claudere.
[2] Cfr. supra pag. 6 not. 2.
[3] Ex autographo olim in archivo conventus s. Francisci Perusin. *(Perugia)* reposito.

ritate tractetis. Datum Viennae, idibus martii, pontificatus nostri anno septimo. [1]

193. Monasterium Clarissarum Moncelli a Philippo IV rege Franciae constructum particeps facit privilegiorum ordini s. Clarae concessorum. [2]

1312, aprilis 8, Viennae.

Carissimo in Christo filio regi Franciae illustri.

Grandis devotionis affectus, quo erga nos et sedem apostolicam pollere dignosceris, promeretur, ut piis votis tuis, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuamus. Cum itaque, sicut te nuper nobis exponente didicimus, tu, de salute propria cogitans et cupiens terrena in caelestia et transitoria in aeterna felici commercio commutare, quoddam monasterium apud Montellum [3] prope pontem sanctae Maxentiae [4] Belvacen. dioecesis ad opus sororum ordinis sanctae Clarae, quae ibidem perpetuo Deo famulentur, de bonis propriis de novo construxeris et dotaveris, quamvis adhuc vel aliquae sorores dicti ordinis ibi positae non existant: nos tuis supplicationibus inclinati praesentium tibi auctoritate concedimus, ut abbatissa et sorores eiusdem monasterii, quae pro tempore fuerint, omnibus privilegiis et indulgentiis ordini memorato ab eadem sede concessis et in posterum concedendis uti libere valeant et gaudere. Nulli ergo *etc.* Datum Viennae, VI idus aprilis, pontificatus nostri anno septimo.

194. Confirmat indulgentias a pluribus episcopis regiae capellae Parisiensi die translationis capitis s. Ludovici concessas. [5]

1312, aprilis 29, Viennae.

Dilectis filiis .. thesaurario et capitulo capellae regiae Parisien.

Romana ecclesia *etc.* Dat. Viennae, III kal. maii, anno septimo.

195. Declarat quaedam dubia in regula fratrum Minorum. [6]

1312, maii 6, Viennae.

Ad perpetuam rei memoriam.

« Exivi de Paradiso; dixi: rigabo hortum plantationum », ait ille caelestis agricola, qui, vere fons sapientiae, verbum Dei a Patre in Patre manens, genitum ab aeterno, novissime diebus istis (fabricante sancto Spiritu) in utero Virginis factum caro, exivit homo ad opus arduum redemptionis humani generis peragendum, exemplar sequendum se dando, caelestis vitae praebens hominibus semetipsum. Verum quia plerumque mortalis vitae sollicitudinibus pressus homo mentis aspectum ab exemplaris huiusmodi intuitu divertebat, verus noster Salomon in solio militantis ecclesiae hortum voluptatis inter caeteros quemdam fecit a procellosis mundi fluctibus elongatum, in quo quietius ac securius vacaretur contemplandis servandisque huiusmodi operibus exemplaris. In hunc introivit ipse, ut rigaret ipsum fecundis aquis spiritalis gratiae et doctrinae.

Hic hortus siquidem est fratrum Minorum sancta religio, quae muris regularis observantiae firmiter undique circumclusa intra se, solo contenta Deo, adornatur abunde novellis plantationibus filiorum. Ad hunc veniens dilectus Dei filius mortificantis poenitentiae myrrham metit cum aromatibus, quae suavitate mira universis odorem attrahentis sanctimoniae circumfundunt. Haec est illa caelestis vitae forma et regula, quam descripsit ille confessor Christi eximius sanctus Franciscus ac servandam a suis filiis verbo docuit pariter et exemplo.

Quia vero dictae sanctae regulae professores ac aemulatores devoti, ut et alumni et veri filii tanti patris affectabant, sicut et ferventer affectant, ad purum et ad plenum praemissam regulam firmiter observare: attendentes quaedam, quae dubium poterant afferre sensum in ipsius regulae serie contineri, pro ipsorum declaratione habenda recurrerunt prudenter olim ad apicem apostolicae dignitatis, ut certificati per ipsam, cuius pedibus etiam per ipsam regulam sunt subiecti, possent Domino (pulsis cunctis dubiis) cum plena claritate conscientiae deservire. Horum autem piis et iustis supplicationibus plures praedecessores nostri Ro-

[1] Die 17 aprilis 1312, cum praedictae abbatissa et conventus mandatis huiusmodi nondum obtemperassent, Clemens V abbati mon. s. Petri Perusin. mandavit, quatenus ipsas moneret et induceret, ut dictam puellam in suo monasterio reciperent in monacham et sororem. Ex altero autographo eodem loco reposito.

[2] Reg. Vat. t. 59, f. 43, ep. 201 (n. 7836).

[3] Alias Moncellum vel Montem Coeli *(Montataire?)*, de quo *Wadd.* l. c. ad a. 1312, n. 14.

[4] *Pont-Sainte-Maxence* dioec. Belvacen. *(Beauvais)*.

[5] Reg. Vat. t. 59, f. 49, ep. 238 (n. 7878). Cfr. supra n. 72.

[6] Reg. Vat. t. 59, f. 248, ep. 117 de curia (n. 8873). Cfr. cap. « Exivi » in Clement. lib. V, tit. XI (de verb. signif.), et supra n. 158, not. 1. - Nicolai III constitutio « Exiit qui seminat » d. d. 14 Aug. 1279, quam pluries haec Clementis V constitutio « Exivi » respicit, relata est in huius op. t. III, p. 404. — Ioannes canonicus s. Victoris, loquens de concilio Viennensi, haec narrat: « Ibi facta fuit constitutio de regula Minorum ad sedandum schisma inter eos ortum. Quidam enim separabant se a modo communi vivendi, dicentes, quod regulae s. Francisci repugnabat, cum secundum ipsam paupertas perfecta et victus parcitas voveretur, quibus non concordabat aedificiorum et vestimentorum pretiositas et ciborum copia; unde tales curtos habitus et viles assumpserunt. Alii autem vocabant eos Sarabaitas (cfr. infra n. 421, not. 3) et excommunicatos. Qui tamen a populo dicebantur Spirituales, et tantum in provincia Narbonensi praevaluerunt, quod de conventu Narbonensi et Biterrensi alios expulerunt, populo favente eis. Nec tamen ratione illius constitutionis potuit illud schisma extirpari usque ad tempus Ioannis papae XXII ». Cfr. *Baluze*, Vitae papp. Avin. t. I, p. 18.

mani pontifices successive, sicut dignum erat, applicantes aures et animum, declaraverunt ea, quae dubie videbantur; addiderunt nonnulla et aliqua concesserunt, sicut expedire videbant fratrum conscientiis ac purae observantiae huius status.

Verum, quia plerumque, ubi culpa non est, eam timere solent conscientiae timoratae, quae in via Dei quodcumque devium expavescunt, non sunt ad plenum ex dictis declarationibus dictorum omnium fratrum conscientiae quietatae, quin circa aliqua ad regulam ipsorumque statum pertinentia dubitationum in ipsis fluctus aliqui generentur et oriantur, sicut ad aures nostras pluries et de quampluribus in publicis et privatis consistoriis est perlatum. Quapropter per ipsos fratres nobis est humiliter supplicatum, quatenus praedictis dubiis, quae occurrerunt et quae possunt occurrere in futurum, adhibere opportuna declarationis remedia de benignitate sedis apostolicae curaremus. Nos igitur, cuius animus ab aetate tenera pia devotione efferbuit ad huiusmodi professores regulae et ad ordinem ipsum totum, nunc autem ex communi cura pastorali regiminis, quam immeriti sustinemus, ad ipsos fovendos dulcius et attentius gratiosis favoribus prosequendos tanto provocamur ardentius, quanto frequentius intenta mente revolvimus fructus uberes, quos ex eorum exemplari vita et salutari doctrina toti universali ecclesiae continue cernimus provenire: tam pia supplicantium intentione commoti ad peragendum diligenter, quod petitur, studia nostra duximus convertenda, ipsaque dubia per plures archiepiscopos et episcopos et in theologia magistros et alios litteratos providos et discretos examinari fecimus diligenter.

Cum igitur in primis ex eo, quod in dictae regulae *[cap. I]* principio habetur: « Regula et vita fratrum Minorum haec est, scilicet Domini nostri Iesu Christi sanctum evangelium observare vivendo in obedientia, sine proprio et in castitate »; item infra: « Finito vero anno probationis recipiantur ad obedientiam, promittentes vitam istam semper et regulam observare »; item circa finem regulae: « Paupertatem et humilitatem et sanctum evangelium domini nostri Iesu Christi, quod firmiter promisimus, observemus »; fuit haesitatum, *an fratres eiusdem ordinis ad omnia tam praecepta quam consilia evangelii ex professione suae regulae teneantur* (quibusdam dicentibus, quod ad omnia, aliis autem asserentibus, quod ad sola tria illa consilia, videlicet vivere in obedientia, in castitate et sine proprio, et ad ea, quae sub verbis obligatoriis ponuntur in regula, obligantur): nos circa hunc articulum praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, ipsumque articulum quoad aliquid clarius prosequentes, dictae haesitationi duximus respondendum, quod, cum votum determinatum cuiuslibet habeat cadere sub certo, vovens regulam non potest dici teneri ex vi voti huiusmodi ad ea consilia evangelica, quae in regula non ponuntur. Et quidem beati Francisci conditoris regulae haec probatur fuisse intentio ex hoc, quod quaedam evangelica consilia in regula posuit, aliis praetermissis. Si enim per illud verbum: « Regula et vita fratrum Minorum haec est etc. » intendisset eos ad omnia consilia evangelica obligare, superflue et nugatorie quaedam eorum suppressis caeteris in regula expressisset. Cum autem natura termini restrictivi hoc habeat, quod sic excludit ab ipso extranea, quod cuncta ad ipsum pertinentia concludit: declaramus et dicimus, quod dicti fratres non solum ad illa tria nude et absolute accepta ex professione suae regulae obligantur, sed etiam tenentur ad ea omnia implenda, quae sunt pertinentia ad tria praedicta, quae regula ipsa ponit. Nam si ad haec tria praedicta tantum praecise et nude promittens se servare regulam vivendo in obedientia, castitate et sine proprio, et non etiam ad omnia contenta in regula, quae haec tria modificant, arctaretur, pro nihilo et vane proferrentur haec verba: « promitto semper hanc regulam observare », ex quo ex his verbis nulla obligatio nasceretur. Nec tamen putandum est, quod beatus Franciscus professores huius regulae, quantum ad omnia contenta in regula modificantia tria vota seu ad alia in ipsa expressa, intenderit aequaliter esse obligatos; quin potius aperte discrevit, quod quoad quaedam ipsorum ex vi verbi transgressio est mortalis et quoad quaedam alia non, cum ad quaedam ipsorum verbum apponat praecepti vel aequipollentis eidem et quoad aliqua verbis aliis sit contentus.

Item quia praeter ea, quae expresse verbo praecepti ac exhortationis seu moniti ponuntur in regula, nonnulla verbo imperativi modi negative vel affirmative apposito inseruntur, hactenus extitit dubitatum, an tenerentur ad ista ut ad habentia vim praecepti; et quia, ut intelleximus, non minuitur nunc hoc dubium, sed augetur ex eo, quod fel. record. Nicolaus papa III praedecessor noster noscitur declarasse, quod fratres ipsi ex professione suae regulae sunt adstricti ad ea consilia evangelica, quae in ipsa regula praeceptorie vel inhibitorie seu sub verbis aequipollentibus exprimuntur, et nihilominus ad eorum omnium observantiam, quae ipsis in eadem regula sub verbis obligatoriis indicuntur: supplicaverunt praedicti fratres, ut ad ipsorum conscientias serenandas declarare, *quae horum censeri debeant praeceptis aequipollentia ac obligatoria,* dignaremur. Nos itaque, qui in sinceris horum conscientiis delectamur (attendentes, quod in his, quae animae salutem respiciunt, ad vitandos graves remorsus conscientiae pars securior est tenenda), dicimus, quod, licet

fratres non ad omnium, quae sub verbis imperativi modi ponuntur in regula, sicut ad praeceptorum seu praeceptis aequipollentium observantiam teneantur, expedit tamen ipsis fratribus ad observandam puritatem regulae et rigorem, quod ad ea sicut ad aequipollentia praeceptis se noverint obligatos, quae hic inferius adnotantur. Ut autem haec, quae videri possint aequipollentia praeceptis ex vi verbi vel saltem ratione materiae, de qua agitur, seu ex utroque sub compendio habeantur, declaramus, quod illud, quod ponitur in regula de non habendo plures tunicas quam unam cum caputio et aliam sine caputio, item de non portandis calceamentis et de non equitando extra casum necessitatis, item quod fratres vilibus induantur, item quod ieiunare a festo omnium sanctorum usque ad natale Domini et in sextis feriis teneantur, item quod clerici faciant divinum officium secundum ordinem sanctae Romanae ecclesiae, item quod ministri et custodes pro necessitatibus infirmorum et fratribus induendis sollicitam curam gerant, item quod, si quis fratrum in infirmitatem ceciderit, alii fratres debent ei servire, item quod fratres non praedicent in episcopatu alicuius episcopi, cum ab eo illis fuerit contradictum, item quod nullus audeat penitus populo praedicare, nisi a generali ministro vel aliis, quibus secundum declarationem praedictam id competit, fuerit examinatus, approbatus et ad hoc institutus, item quod fratres, qui cognoscerent se non posse praemissam regulam spiritualiter observare, debeant et possint ad suos ministros recurrere, item quod omnia, quae ponuntur in regula ad formam habitus tam novitiorum quam etiam professorum necnon ad receptionis modum ac professionem spectantia, nisi recipientibus quoad habitum novitiorum (sicut dicit regula) secundum Deum aliter videatur: haec (inquam) omnia sunt a fratribus tamquam obligatoria servanda. Item ordo communiter sentit, tenet et tenuit ab antiquo, quod, ubicumque ponitur in regula hoc vocabulum « teneantur », obtinet vim praecepti et observari debet a fratribus sicut tale.

Ceterum, quia Christi confessor praedictus agendorum ac servandorum circa recipiendos ad ordinem, ministris et fratribus modum praebens, dixit in regula *[cap. II, § 1]*, quod « caveant fratres et eorum ministri, *ne sint solliciti de rebus suis temporalibus*, ut libere faciant de eis, quidquid ipsis a Domino fuerit inspiratum; licentiam tamen habeant ipsi ministri mittendi eos ad aliquos Deum timentes, si consilium requiratur, quorum consilio sua bona pauperibus erogentur », dubitaverunt et dubitant multi fratrum, an liceat ipsis de bonis ingredientium quidquam recipere, si donetur, et si ad dandum personis et conventibus possint eos inducere sine culpa; si etiam ad disponendum de distributione rerum talium debeant ipsi ministri seu fratres dare consilium, ubi ad consulendum alii quam ex ipsis, ad quos ingressuri mittantur, possint idonei inveniri. Nos autem, considerantes attente intendisse sanctum Franciscum suae regulae professores, quos fundaverat in maxima paupertate, ab affectu temporalium rerum ipsorum ingredientium per dicta verba specialiter et totaliter elongare, ut, quantum est ex parte fratrum ipsorum, receptio ad ordinem sancta et purissima appareret, et ne aliquo modo oculum viderentur habere ad bona eorum temporalia, sed ad ipsos tantum divino servitio mancipandos: dicimus, de caetero debere tam ministros quam fratres caeteros a dictis inductionibus ad sibi dandum et suasionibus nec non et dandis circa distributionem consiliis abstinere, cum pro hoc ad timentes Deum status alterius mitti debeant, non ad fratres, ut vere cunctis pateant esse tam salubris instituti paterni studiosi zelatores, seduli et perfecti. Cum vero facere de rebus suis, quod Dominus inspirabit, ipsamet regula ingredientibus liberum esse velit, non videtur, quin liceat eis recipere, consideratis scilicet eorum necessitatibus et moderaminibus declarationis iam dictae, si quid de bonis suis intrans sicut et caeteris pauperibus per modum eleemosynae libere velit dare; cavere tamen in acceptione oblatorum talium decet fratres, ne ex receptorum quantitate notabili praesumi possit sinister oculus contra ipsos.

Praeterea, cum dicatur in regula *[cap. II, § 2]*, quod « illi, qui iam promiserunt obedientiam, *habeant unam tunicam cum caputio et aliam sine caputio, qui habere voluerint* », item quod « *fratres omnes vestimentis vilibus induantur* », nosque praedicta verba declaraverimus aequipollere praeceptis: volentes haec determinare plenius, dicimus quantum ad numerum tunicarum, quod pluribus uti non licet, nisi in necessitatibus, quae haberi possunt ex regula, secundum quod hunc passum memoratus praedecessor noster plenius declaravit. Vilitatem autem vestium tam habitus quam interiorum tunicarum illam intelligi debere dicimus, quae secundum consuetudinem vel conditionem patriae debeat quantum ad colorem panni et pretium vilitas merito reputari; non enim quoad regiones omnes potest determinatus unus modus in talibus assignari. Huiusmodi etiam vilitatis iudicium ministris et custodibus seu guardianis duximus committendum, eorum super hoc conscientias onerantes, ita tamen quod servent in vestibus vilitatem; quorum etiam ministrorum, custodum et guardianorum iudicio eodem modo relinquimus, pro qua necessitate possint ipsi fratres calceamenta portare.

Deinde cum duobus temporibus annotatis in regula, scilicet « a festo omnium sanctorum usque ad Nativitatem Domini » et maxime quadragesimae,

in quibus *ieiunare* tenentur, inseratur in eadem regula: « Aliis autem temporibus non teneantur nisi sexta feria ieiunare », et ex hoc voluerint aliqui dicere, quod dicti ordinis fratres non tenentur nisi ex condecentia ad alia ieiunia, quam ad ista: declaramus debere intelligi, eos non teneri ad ieiunium aliis temporibus praeterquam in ieiuniis ab ecclesia institutis; non est enim verisimile, quod vel institutor regulae vel etiam confirmator absolvere ipsos intenderint a servandis illis ieiuniis, ad quae de communi statuto ecclesiae obligantur caeteri christiani.

Porro cum dictus sanctus, volens fratres suos super omnia a denariis seu pecunia esse totaliter alienos, praeceperit « firmiter fratribus universis, *ut nullo modo denarios vel pecuniam recipiant per se vel per interpositam personam* », istumque articulum declarans praedecessor noster casus et modos posuerit, quibus servatis a fratribus non possunt dici nec debent per se vel per alium pecuniae receptores contra regulam vel sui ordinis puritatem: dicimus, fratres teneri cavere summopere, quod pro aliis causis et sub modis aliis, quam ponat dicti praedecessoris nostri declaratio, ad dantes pecunias sive deputatos nuncios non recurrant, ne (si secus ab ipsis attentatum fuerit) transgressores praecepti et regulae merito possint dici; nam ubi alicui generaliter aliquid prohibetur, quod expresse non conceditur, intelligitur denegatum. Quocirca quaestus omnis pecuniae ac oblationum pecuniarum receptio in ecclesia vel alibi, cippi vel trunci ordinati ad offerentium vel donantium pecunias reponendas, nec non et quicumque recursus ad pecunias seu habentes ipsas, qui per declarationem ipsam non conceditur: haec (inquam) omnia sunt eis simpliciter interdicta. Cum etiam recursus ad amicos spirituales expresse tantum in duobus casibus secundum regulam concedatur, videlicet pro « necessitatitus infirmorum » et « fratribus induendis », idque pie et rationabiliter considerata necessitate vitae ad alias necessitates fratrum pro tempore occurrentes (cessantibus eleemosynis) seu etiam ingruentes saepe dictus praedecessor noster duxerit extendendum: attendant fratres praefati, quod pro nullis causis aliis quam praedictis vel similibus in via vel alibi recurrere licet eis ad amicos huiusmodi, sive sint dantes pecunias seu deputati per ipsos sive nuntii vel depositarii seu alio quovis nomine appellentur, etiamsi concessi per eamdem declarationem modi circa pecuniam integre servarentur. Denique cum idem confessor summe affectaverit, suae regulae professores totaliter esse abstractos ab affectu et desiderio terrenorum et specialiter a pecunia et eius usu totaliter inexpertes, sicut probat prohibitio de recipienda pecunia in regula saepius repetita: curare fratres vigilanter necesse est, quod, cum ex causis praedictis et modis ad habentes pecunias deputatas pro ipsorum necessitatibus recurrere opportebit, ad tenentes ipsas, quicumque hi fuerint principales vel nuntii, in omnibus sic se gerant, quod se cunctis ostendant in dictis pecuniis (sicut nec habent) penitus nihil habere. Quapropter praecipere, quod et qualiter pecunia expendatur, computumque exigere de expensa, eam quomodocumque repetere sive deponere aut deponi facere, capsulam pecuniae vel eius clavem deferre: hos actus et consimiles sibi fratres illicitos esse sciant; praedicta enim facere ad solos dominos pertinet, qui dederunt, et eos, quos ipsi deputaverint ad hoc ipsum.

Proinde cum vir sanctus paupertatis praemissae in regula modum exprimens dixerit in eadem *[cap. VI]:* « *fratres nihil sibi approprient,* nec domum nec locum nec aliquam rem, sed tamquam peregrini et advenae in hoc saeculo in paupertate et humilitate Domino famulantes vadant pro eleemosyna confidenter », sitque declaratum per nonnullos praedecessores nostros Romanos pontifices, hanc expropriationem intelligi debere tam in speciali quam etiam in communi (propter quod et rerum omnium concessarum, oblatarum et donatarum fratribus, quas et quarum usum facti scilicet ordini vel ipsius fratribus licet habere, proprietatem et dominium in se et Romanam ecclesiam receperunt, dimisso ipsis fratribus in eis tantummodo usu facti simplici): ad nostrum fuerunt deducta examen, quae in ordine fieri dicebantur et videbantur praedicto voto et puritati ordinis repugnare, videlicet, ut ea prosequamur ex ipsis, quae remedio credimus indigere: quod se institui haeredes non solum sustinent sed procurant, item quod redditus annuos recipiunt (interdum in tam notabili quantitate, quod conventus habentes totaliter inde vivunt), item quod, cum ipsorum negotia etiam pro rebus temporalibus in curiis agitantur, assistunt advocatis et procuratoribus et ad instigandum eosdem se ibidem personaliter repraesentant, item quod executiones ultimarum suscipiunt voluntatum et gerunt seque intromittunt quandoque de usurarum vel male ablatarum dispositionibus seu restitutionibus faciendis, item quod alicubi non solum excessivos hortos sed etiam vineas magnas habent, de quibus tam de oleribus quam de vino multum colligitur ad vendendum, item quod temporibus messium vel vindemiarum sic copiose granum et vinum mendicando vel alias emendo colliguntur a fratribus et in cellariis et granariis reconduntur, quod per anni residuum et absque eorum mendicatione possunt transigere vitam suam, item quod ecclesias vel alia aedificia faciunt vel procurant fieri in quantitate et curiositate figurae et formae ac sumptuositate notabiliter excessiva, sic

quod non videntur habitacula pauperum sed magnatum, paramenta etiam ecclesiastica in plerisque locis tam multa habent et tam notabiliter pretiosa, quod excedunt in his magnas ecclesias cathedrales, equos insuper et arma eis oblata in funeralibus recipiunt indistincte: ac tamen communitas fratrum et specialiter rectores ipsius ordinis asserebant, quod praedicta seu plura ex ipsis in ordine non fiebant, quod et, si qui reperiuntur rei in talibus, rigide puniuntur, necnon contra talia, ne fiant, sunt facta pluries ab antiquo statuta in ordine multum stricta. Cupientes igitur nos ipsorum fratrum providere conscientiis et cuncta dubia (quantum possibile nobis est) de ipsorum pectoribus removere, ad praedicta modo, qui sequitur, respondemus: cum enim ad veritatem vitae pertineat, ut id, quod exterius agitur, interiorem mentis dispositionem et habitum repraesentet, necesse habent fratres, qui se expropriatione tanta a temporalibus abstraxerunt, ab omni eo, quod dictae expropriationi esset vel posset videri contrarium, abstinere. Quia igitur in successionibus transit non solum usus rei sed etiam dominium suo tempore in haeredes, fratres autem praefati nihil sibi in speciali acquirere vel eorum ordini possunt etiam in communi: declarando dicimus, quod *successionum* huiusmodi, quae etiam ex sui natura indifferenter ad pecuniam et etiam ad alia mobilia et immobilia se extendunt, (considerata sui puritate voti) nullatenus sunt capaces, nec liceat eis valorem haereditatum talium vel tantam earum partem, quod praesumi possit hoc in fraudem fieri, quasi sub modo et forma legati sibi dimitti facere vel sic dimissa recipere; quin potius ista sic fieri ab ipsis simpliciter prohibemus. Cumque *annui redditus* inter immobilia censeantur a iure, ac huiusmodi redditus obtinere paupertati et mendicitati repugnet, nulla dubitatio est, quod praedictis fratribus redditus quoscumque, sicut et possessiones vel eorum etiam usum, cum eis non reperiatur concessus, recipere vel habere (conditione considerata ipsorum) non licet. Amplius, cum non solum, quod malum esse dignoscitur, sed etiam omne, quod speciem habet mali, sit a viris perfectis specialiter evitandum, ex talibus autem assistentiis in curiis et instigationibus, cum de rebus agitur in ipsorum commoda convertendis, creduntur verisimiliter ex his, quae foris patent (de quibus habent homines iudicare), in ipsis rebus fratres assistentes aliquid quaerere tamquam suum: nullo modo debent huiusmodi voti et regulae professores se *talibus curiis et litigiosis actibus* immiscere, ut et « testimonium habeant ab his, qui foris sunt » *[I. Tim. 3, 7]* et puritati satisfaciant voti sui ac evitetur per hoc scandalum proximorum. Verum etiam, cum dicti ordinis fratres non solum a receptione, proprietate, dominio sive usu ipsius pecuniae, verum etiam a contractatione qualibet ipsius et ab ea sint penitus alieni, quemadmodum saepe dictus praedecessor noster in declaratione huiusmodi regulae plane dixit, cumque dicti ordinis professores pro nulla re temporali possint in iudicio experiri: praedictis fratribus non licet nec competit, quin potius considerata sui puritate status debent scire sibi interdictum, quod huiusmodi *executionibus et dispositionibus* se exponant, cum haec saepius absque litigio et contractatione vel administratione pecuniae nequeant expediri. Veruntamen in his exequendis dare consilium ipsorum statui non obsistit, cum ex hoc ipsis circa bona temporalia nulla iurisdictio sive actio in iudicio sive dispensatio tribuatur.

Licet vero non solum sit licitum, sed et multum conveniens rationi, quod fratres, qui in laboribus spiritualibus orationis et studii sedulo occupantur, *hortos* et *areas* habeant competentes ad recollectionem vel recreationem sui et interdum ad se ipsos post labores huiusmodi corporaliter deducendos nec non ad habenda necessaria hortalitia pro se ipsis: habere tamen hortos aliquos, ut colantur ac olera et alia hortalitia pretio distrahantur, nec non et vineas, repugnat suae regulae et ordinis puritati, secundum quod dictus praedecessor declaravit ac etiam ordinavit, quod, si talia ad usus proxime dictos, ut puta agrum vel vineam ad colendum et consimilia, fratribus legarentur, per omnem modum fratres a receptione talium abstinerent, cum haec etiam promissa habere, ut pretium fructuum suis temporibus habeatur, ad naturam et formam proventuum appropinquet. Rursus cum praedictus sanctus tam exemplis vitae quam verbis regulae ostenderit se velle, quod fratres sui et filii, divinae providentiae innitentes, suos in Deum iacerent cogitatus, qui « volucres coeli pascit, quae non congregant in horrea nec seminant nec metunt » *[Matth. 6, 28; Luc. 12, 27]*, non est verisimile, voluisse ipsum eos habere *granaria* vel *cellaria*, ubi quotidianis mendicationibus deberent sperare posse transigere vitam suam; et idcirco non ex timore levi relaxare se debent ad congregationes et conservationes huiusmodi faciendas sed tunc tantum, cum esset multum credibile ex iam expertis, quod non possent vitae necessaria aliter invenire. Hoc autem ministrorum et custodum simul et separatim in suis administrationibus et custodiis (cum guardiani et duorum de conventu loci discretorum sacerdotum et antiquorum in ordine fratrum consilio et assensu) duximus iudicio relinquendum, eorum super hoc specialiter conscientias onerantes.

Hinc est etiam, quod, cum vir sanctus fratres suos in paupertate summa ac humilitate fundare voluerit quoad affectum pariter et effectum, sicut

fere regula tota clamat, convenit ipsis, quod nullo modo deinceps fieri faciant vel fieri sustineant *ecclesias* vel alia quaecumquae *aedificia*, quae (considerato fratrum inhabitantium numero) *excessiva* in multitudine et magnitudine debeant reputari; ideoque volumus, quod ubique in suo ordine deinceps temperatis et humilibus aedificiis sint contenti, ne huic tantae paupertati promissae, quod patet oculis, contrarium foris clamet. Quamvis etiam *paramenta* et *vasa ecclesiastica* ad honorem divini nominis ordinentur, propter quem omnia fecit ipse Deus, tamen, qui absconditorum est cognitor et ad animum sibi ministrantium respicit principaliter, non ad manum, nec per illa sibi vult serviri, quae suorum servitorum conditioni et statui dissonarent: propter quod sufficere debent eis vasa et paramenta ecclesiastica decentia et in numero et in magnitudine sufficientia competenter; superfluitas autem aut nimia pretiositas vel quaecumque curiositas in his seu aliis quibuscumque non potest ipsorum professioni vel statui convenire; cum enim haec sapiant thesaurizationem seu copiam, paupertati tantae quoad humanum iudicium derogant manifeste, quapropter praemissa servari a fratribus volumus et mandamus. Circa *equorum* vero et *armorum* oblationes illud decernimus in omnibus et per omnia observandum, quod per declarationem praedictam in pecuniariis noscitur eleemosynis definitum.

Ex praemissis autem succrevit non parum scrupulosa quaestio inter fratres, videlicet utrum ex suae professione regulae obligentur ad arctum et tenuem sive *pauperem usum* rerum (quibusdam ex ipsis credentibus, quod, sicut quoad dominium rerum habent ex voto abdicationem arctissimam, ita ipsis quoad usum arctitudo maxima et exilitas est indicta; aliis in contrarium asserentibus, quod ex professione sua ad nullum usum pauperem, qui non exprimatur in regula, obligantur, licet teneantur ad usum moderatum temperantiae, sicut et magis, ex condecenti, quam caeteri christiani). Volentes itaque conscientiarum praedictorum fratrum providere quieti et his altercationibus finem dare, declarando dicimus, quod fratres Minores ex professione suae regulae specialiter obligantur ad arctos usus seu pauperes, qui in ipsorum regula continentur, et eo obligationis modo, sub quo continet seu ponit regula dictos usus. Dicere autem, sicut aliqui asserere perhibentur, quod haereticum sit, tenere usum pauperem includi vel non includi sub voto evangelicae paupertatis, praesumptuosum et temerarium iudicamus.

Demum, quia ex eo, quod dicta regula, per quos et ubi fieri debeat ministri generalis electio, tradens nullam facit *de ministrorum provincialium electione* vel institutione penitus mentionem, oriri super hoc poterat dubitatio inter fratres: nos, volentes posse ipsos clare et secure procedere in omnibus factis suis, declaramus, statuimus etiam et ordinamus hac constitutione in perpetuum valitura, ut, cum alicui provinciae de ministro fuerit providendum, ipsius ministri electio penes capitulum provinciale resideat, quam idem capitulum die sequenti, qua fuerit congregatum, facere teneatur. Ipsius autem electionis confirmatio ad ministrum pertineat generalem; et si quidem ad electionem huiusmodi per formam scrutinii procedatur et votis in diversa divisis electiones plures in discordia celebrari contingat, illa, quae a maiori parte capituli numero (nulla zeli vel meriti collatione aut consideratione habita) fuerit celebrata, exceptione seu contradictione quacumque alterius partis non obstante, per dictum generalem ministrum de consilio discretorum de ordine (prius tamen ex officio, prout spectat ad ipsum, diligenti examinatione praemissa) confirmetur vel etiam infirmetur, prout ei secundum Deum visum fuerit expedire; et si fuerit infirmata, ad capitulum provinciale electio huiusmodi revertatur. Caeterum si capitulum provinciale die praedicta ministrum eligere praetermittet, ex tunc ministri provincialis provisio ad generalem ministrum libere devolvatur. Verum si ministro praedicto et capitulo generalibus ex certa ac rationabili causa videretur aliquando in provinciis Ultramarina [seu Terrae sanctae], Hiberniae, Graeciae seu Romaniae, in quibus hactenus alius providendi modus dicitur ex causa certa et rationabili fuisse servatus, expedire, ministrum provincialem per ministrum generalem cum proborum ordinis consilio potius quam per capituli praedicti electionem praefici: in provinciis Hiberniae et etiam Ultramarina irrefragabiliter, in Romaniae vero vel Graeciae, quando minister dictae provinciae moreretur vel absolveretur citra mare, illa vice servetur absque dolo, partialitate et fraude (super quo eorum conscientias oneramus), quod super hoc dictus minister cum dictorum proborum consilio duxerit ordinandum. In destitutione vero dictorum ministrorum provincialium servari volumus, quod super hoc hactenus in ipso ordine extiterit observatum. Caeterum si contigerit eosdem ministro generali carere, per vicarium ordinis fiat super hoc, quod faciendum fuerit per eumdem ministrum, usquequo provisum fuerit de generali ministro. Porro si quid de huiusmodi ministro provinciali secus attentari forte contigerit, illud ipso facto sit irritum et inane.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum declarationum, dictorum, commissionis, responsionis, prohibitionis, ordinationis, mandati, constitutionum, iudicationum et voluntatum infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis

autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Viennae, II nonas maii, pontificatus nostri anno septimo.

196. Sacro concilio Viennensi approbante definit quaedam circa fidem catholicam illa constitutione dogmatica, qua implicite damnantur nonnulli errores, qui vulgo dicuntur fuisse fratris Petri Ioannis Olivi ord. Min. [1]

[1312, maii 6, Viennae.] [2]

Fidei catholicae fundamento, praeter quod teste Apostolo nemo potest aliud ponere, firmiter inhaerentes, aperte cum sancta matre ecclesia confitemur, unigenitum Dei Filium in his omnibus, in quibus Deus Pater exsistit, una cum Patre aeternaliter subsistentem partes nostrae naturae simul unitas, ex quibus ipse in se verus Deus existens fieret verus homo, humanum videlicet corpus passibile et animam intellectivam seu rationalem ipsum corpus vere per se et essentialiter informantem, assumpsisse ex tempore in virgineo thalamo, ad unitatem suae hypostasis et personae; et quod in hac assumpta natura ipsum Dei verbum pro omnium operanda salute non solum affigi cruci et in ea mori voluit, sed etiam, emisso iam spiritu perforari lancea sustinuit latus suum, ut « exinde profluentibus undis aquae et sanguinis » formaretur unica et immaculata ac virgo sancta mater ecclesia, coniux Christi, sicut de latere primi hominis soporati Eva sibi in coniugium est formata, ut sic certae figurae primi et veteris Adae, qui secundum Apostolum est forma futuri, in nostro novissimo Adam, id est Christo, veritas responderet. Haec est, inquam, veritas illius praegrandis aquilae vallata testimonio, quam propheta vidit Ezechiel animalibus ceteris evangelicis transvolantem, beati Ioannis videlicet apostoli et evangelistae, qui sacramenti huius rem gestam narrans et ordinem in evangelio suo dixit: « Ad Iesum autem cum venissent, ut viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura, sed unus militum lancea latus eius aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua; et qui vidit, testimonium perhibuit, et verum est testimonium eius, et ille scit, quia vera dicit, ut et vos credatis ». Nos igitur, ad tam praeclarum testimonium ac sanctorum patrum et doctorum communem sententiam apostolicae considerationis, ad quam dumtaxat haec declarare pertinet, aciem convertentes, sacro approbante concilio declaramus, praedictum apostolum et evangelistam Ioannem rectum ex praemissis factae rei ordinem tenuisse, narrando, quod Christo iam mortuo unus militum lancea latus eius aperuit. – Porro doctrinam omnem seu positionem, temere asserentem aut vertentem in dubium, quod substantia animae rationalis seu intellectivae vere ac per se humani corporis non sit forma, velut erroneam ac veritati catholicae fidei inimicam, praedicto sacro approbante concilio reprobamus, definientes, ut cunctis nota sit fidei sincerae veritas, ac praecludatur universis erroribus aditus, ne subintrent, quod, quisquis deinde asserere, defendere seu tenere pertinaciter praesumserit, quod anima rationalis seu intellectiva non sit forma corporis humani per se et essentialiter, tanquam haereticus sit censendus. – Ad hoc baptisma unicum baptizatos omnes in Christo regenerans est, sicut unus Deus ac fides unica, ab omnibus fideliter confitendum, quod celebratum in aqua in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti credimus esse tam adultis quam parvulis communiter perfectum remedium ad salutem. Verum, quia quantum ad effectum baptismi in parvulis reperiuntur doctores quidam theologi opiniones contrarias habuisse (quibusdam ex ipsis dicentibus, per virtutem baptismi parvulis quidem culpam remitti, sed gratiam non conferri, aliis e contra asserentibus, quod et culpa eisdem in baptismo remittitur et virtutes ac informans gratia infunduntur quoad habitum, etsi non pro illo tempore quoad usum): nos autem, attendentes generalem efficaciam mortis Christi, quae per baptisma pariter applicatur omnibus baptizatis, opinionem secundam, quae dicit, tam parvulis quam adultis conferri in baptismo informantem gratiam et virtutes, tamquam probabiliorem et dictis sanctorum ac doctorum modernorum theologiae magis consonam et concordem, sacro approbante concilio duximus eligendam. [3]

---

[1] Corp. iur. can. Clem. I, 1; cfr. supra n. 158, not. 1 (p. 65 not. 7), et *Archiv für Litt. - u. Kirchengeschichte* III, 24.

[2] Teste Iacobo Stefaneschi s. Georgii ad velum aureum diac. card. (1295-1341), qui in « rubrica facta de sessionibus tribus concilii Viennensis (1311 oct. 16 et 1312 aprilis 3 ac maii 6) » haec scribit: « In tertia sessione concilii Viennensis ... consequenter lecta fuerunt multa, primo quaedam, quae ad fidem pertinent, scilicet quod Christus fuit mortuus lanceatus; secundo, quod anima intellectiva secundum suam substantiam non sit forma corporis per se, est erroneum; et voluit (summus pontifex), quod esset eligenda sententia, qua dicitur, quod gratia et virtutes infunduntur in baptismo tam parvulis quam adultis ». Cfr. *Ehrle* in illo periodico: *Archiv für Litt. - u. Kirchengeschichte* V, 579.

[3] Aliquot annis post, videlicet circa a. 1319, nonnulli magistri theologiae (Guido prior gen. ord. Carm., Bertrandus de Turre minister prov. Aquitaniae ord. Min., Guilelmus de Lauduno lector s. palatii ord. Praed., Nicolaus de s. Iusto decanus s. Quintini, Laurentius Anglicus ord. s. Ben., Simon Anglicus ord. Carm., Arnaldus Roiardi ord. Min., Petrus de Palude ord. Praed.) mandante Ioanne papa XXII postillam supra Apocalypsim a fr. Petro Ioannis Olivi conscriptam examinaverunt et sexaginta theses ex ea reprobaverunt. Cfr. litteras eorundem magistrorum ad Ioannem XXII scriptas, in *Chart. Univ. Paris.* t. II, p. 238, n. 790 relatas.

196ᵃ. Instante et approbante concilio Viennensi cassat constitutionem Benedicti XI *Inter cunctas* et illam Bonifatii VIII *Super cathedram* innovat. [1]

[1312, maii 6, Viennae.]

Dudum a Bonifatio papa VIII praedecessore nostro infra scripta edita decretali, Benedictus papa XI praedecessor noster aliam illius revocatoriam promulgavit, quae, quia (ut probavit effectus) nedum pacis ab auctore ipsius speratae fructum non attulit, quin immo discordia, pro qua sedanda processerat, fomentum non modicum ministravit. Nos eam omnino cassantes, aliam a praefato Bonifatio editam sacro instante et approbante concilio innovamus; subiicientes tenorem illius, qui dignoscitur esse talis: « Bonifatius *etc.* Super cathedram *etc. usque* minime praeteriret ».

197. Gerardinum, tunc plebanum plebis de Campo Lucan. dioec., qui cum fratre Guilelmo ord. Min. in discordia electus erat in episcopum Lunen., irritata utraque electione, de apostolicae plenitudine potestatis ecclesiae Lunen. praeficit in episcopum. [2]

1312, maii 9, Viennae.

Dilecto filio Gerardino [3] *electo Lunen.* [4]

Cura pastoralis officii *etc.* Dat. Viennae, VII idus maii, anno septimo.

198. Blanchae, filiae s. Ludovici regis Fr., cui iam indulserat, quod infra septa s. Clarae iuxta Parisios prope s. Marcellum et Humilitatis s. Mariae (de Longo campo) Parisien. dioec. monasteriorum ord. s. Clarae, extra tamen claustra, posset cum decenti comitiva mulierum, quoties vellet, habitare, nunc infirmitatibus plus solito praegravatae, ita ut non valeat extra septa commode exire, dat licentiam recipiendi praeter mulieres etiam viros honestos ex congruis causis eam visitantes intra septa praedicta, sed extra claustra. [5]

1312, maii 11, Rossilione.

Dilectae in Christo filiae nobili mulieri Blanchae natae s. mem. beati Ludovici regis Franciae.

Inter caetera *etc.* Dat. Rossilione dioec. Viennen., V idus maii, anno septimo.

199. Sanciae reginae Siciliae indulget, ut duas Clarissas a ministro generali ord. Min. eligendas in suo consortio continuo habere possit. [6]

1312, iunii 20, Grauselli.

Carissimae in Christo filiae Sanciae [7] *reginae Siciliae illustri.*

Personam tuam eximia devotione praeclaram gerentes sincerius in visceribus caritatis, petitiones libenter tuas, quantum cum Deo possumus, exaudimus. Cum itaque, sicut oblata nobis tua petitio continebat, tu ad ordinem sanctae Clarae et sorores ipsius speciali ferveas caritate et propter hoc aliquas de sororibus ipsis continue tecum habere desideres, nos tuis supplicationibus inclinati tibi, quod duas de sororibus ipsis, quas minister generalis ordinis fratrum Minorum, sub quorum cura sorores ipsius ordinis consistere dignoscuntur, ad hoc duxerit eligendas, continue tecum in hospitio tuo libere valeas retinere (quibuscumque ipsius ordinis sanctae Clarae statutis et consuetudinibus contrariis, [8] iuramento, confirmatione sedis apostolicae seu quacumque firmitate alia roboratis, nequaquam obstantibus), auctoritate praesentium indulgemus. Nulli ergo *etc.* Datum in prioratu de Grausello prope Malausanam Vasionen. dioecesis, XII kalendas iulii, pontificatus nostri anno septimo.

200. Eidem reginae concedit, ut Clarissarum monasterium construere et dotare valeat. [9]

1312, iunii 20, Grauselli.

Carissimae in Christo filiae Sanciae reginae Siciliae illustri.

Eximiae devotionis clara sinceritas, quae te nostris aspectibus benedictionis filiam repraesentat, digne nostros cogitatus [permovet], ut personam tuam, quam in visceribus caritatis habemus, apostolicis prosequamur favoribus, et petitiones tuas, per quos fructus salutis uberes colligas et gloriosum nomen Domini laudibus attollatur, ad exauditionis gratiam admittamus. Oblata siquidem nobis

---

[1] Cap. 2 « Dudum » de sepult. in Clem. III, 7; cfr. supra n. 20. — In « rubrica facta (a cardinali Iacobo Stefaneschi, cfr. n. 196 not. 2) de sessionibus tribus concilii Viennensis (a. 1311 oct. 16, 1312 apr. 3 et maii 6) » legimus: « In tertia sessione ... Et de quibusdam excessibus religiosorum et de quibusdam excessibus praelatorum [agebatur]... et plures aliae constitutiones lectae fuerunt. Et illam *Super cathedram* innovavit seu renovavit [Clemens V]; rogavit tamen praelatos ter diversis vicibus in eadem tertia sessione, quod aliquid benignitatis ostenderent religiosis, ultra quam dicatur in illa *Super cathedram,* maxime circa « quartam »; nam non possent alias vivere. Nihilominus tamen, si non consentirent praelati in aliqua mutatione illius *Super cathedram,* ipse papa sequebatur voluntatem ipsorum et ipsam, ut praedictum est, innovavit. » Cfr. *Ehrle* l. c. V, 580.

[2] Reg. Vat. t. 59, f. 152, ep. 736 (n. 8432).

[3] Ex nobili stirpe Malaspina.

[4] *Luni* inter Pisas et Ianuam, quae ecclesia apostolicae sedi immediate subiecta postmodum cum Sarzanen. unita est.

[5] Reg. Vat. t. 59, f. 58, ep. 285 (n. 7929). Cfr. supra n. 93 et infra n. 206. Litteris aliis eadem die datis, incip. « Desideriis tuis », eidem Blanchae propter varias infirmitates sibi supervenientes, ita ut non possit commode visitare, prout desiderat, loca quaedam pia et ecclesias Parisien. dioec., quibus a sede apost. indulgentiae sunt concessae, indulgetur, quod tales indulgentias etiam lucrari valeat, quando praedicta loca non poterit visitare. Ibid. n. 7226.

[6] Reg. Vat. t. 59, f. 82, ep. 392, n. 8064). Cfr. infra n. 200.

[7] Roberti regis Siciliae uxori. Cfr. supra n. 111, p. 60, not. 4.

[8] Praesertim de perpetua clausura.

[9] Reg. Vat. t. 59, f. 82, ep. 395 (n. 8067). Cfr. supra n. 199 et *Wadd.* l. c. ad a. 1310 n. 19.

tua petitio continebat, quod tu, ad sorores ordinis sanctae Clarae specialis gerens devotionis affectum, ad opus sororum ipsarum monasterium [1] seu locum, ubi continue centum sorores ipsius ordinis residentes debitum Altissimo reddere valeant famulatum, cum ecclesia et officinis etiam opportunis construere proponebas propriis sumptibus et expensis ac possessiones accommodas seu alios redditus, ex quibus possent commode sustentari, de propriis bonis tuis acquisitis iam vel in posterum acquirendis eisdem monasterio seu loco et sororibus concedere et etiam assignare. Nos igitur huiusmodi tuum pium et laudabile propositum multipliciter in Domino commendantes ac volentes illud apostolici favoris suffragio confovere, construendi monasterium seu locum praedictum cum ecclesia et officinis eisdem in loco, quem infra regnum Siciliae ad hoc duxeris eligendum, et pro monasterio seu loco et sororibus ipsis provisiones et redditus eis ad usum ipsarum sororum continuum concedendi et etiam assignandi plenam tibi licentiam elargimur, sine iuris praeiudicio alieni. Nulli ergo *etc.* Datum in prioratu de Grausello prope Malausanam Vasionen. dioecesis, XII kalendas iulii, pontificatus nostri anno septimo.

201. Percevallum Minoritam praeficit ecclesiae Nebien. in episcopum. [2]

1312, iunii 24, Grauselli.

Dilecto filio Percevallo electo Nubien. [3]

Regimini universalis ecclesiae *etc.* Nuper siquidem ecclesia Nubien. pro eo, quod venerabilis frater noster Ioannes episcopus olim Nubien. regimini eiusdem ecclesiae, cui praeerat, retento sibi honore pontificalis officii, per venerabilem fratrem nostrum Porchettum [4] archiepiscopum Ianuen., procuratorem suum ad hoc ab eo sufficiens et speciale mandatum habentem, ex causis legitimis sponte cessit in manibus dilecti filii nostri Petri de Columna sanctae Romanae ecclesiae diaconi cardinalis, de mandato nostro vivae vocis oraculo sibi facto cessionem huiusmodi apud sedem apostolicam admittentis, pastoris regimine destituta, nos attendentes, quod nullus praeter nos de provisione ipsius ecclesiae Nubien. se intromittere poterat (pro eo, quod nos olim ante vacationem huiusmodi provisiones omnium ecclesiarum tam cathedralium quam aliarum, quas apud sedem eamdem vacare contingeret, dispositioni nostrae ac dictae sedis duximus reservandas, decernendo ex tunc irritum et inane, si secus super hoc a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari), ad provisionem ipsius ecclesiae, ne prolixae vacationis exponatur incommodis, coepimus intendere diligenter; et post deliberationem, quam ad deputandum eidem ecclesiae approbatam idoneamque personam cum fratribus nostris habuimus, demum ad te ordinem fratrum Minorum professum, cui litterarum scientia, laudabilis discretionis industria, vitae munditia, honestas morum et religionis zelus suffragari noscuntur, direximus aciem mentis nostrae. Quibus omnibus diligenti meditatione pensatis de persona tua nobis et eisdem fratribus tuorum exigentia meritorum accepta dictae Nubien. ecclesiae providemus, praeficientes te ipsi ecclesiae de ipsorum fratrum consilio et apostolicae plenitudine potestatis in episcopum et pastorem, curam et administrationem eiusdem ecclesiae in spiritualibus et temporalibus tibi plenarie committendo *etc.* Datum in prioratu de Grausello prope Malausanam, VIII kalendas iulii, pontificatus nostri anno septimo.

In e. m. dilectis filiis capitulo et universis vasallis ecclesiae Nubien. necnon clero atque populo civ. et dioc. Nubien., denique vener. fratri archiepiscopo Ianuen. tamquam metropolitae.

202. Fundationem monasterii Clarissarum Gualdafaioren. confirmat. [5]

1312, iulii 3, Grauselli

Dilectae in Christo filiae nobili mulieri Mariae Fernandi dictae Coronel Compostellanae dioecesis.

Iis, quae bene aguntur divinae retributionis obtentu et salutem respiciunt animarum, libenter adiicimus apostolici muniminis firmitatem, ut, quatenus acta sunt provide, illibata consistant, cum nostro fuerint praesidio communita. Cum igitur, sicut ex parte tua fuit propositum coram nobis, tu inflammata piae devotionis affectu monasterium quoddam, in quo sorores ordinis sanctae Clarae locasti, apud Gualdafaioram [6] dioecesis Toletan. de sedis apostolicae licentia fundaveris [7] illudque dotaveris competenter de propriis bonis tuis: nos tuae laudabilis devotionis intuitu et consideratione praecipue carissimae in Christo filiae Mariae reginae Castellae illustris [8] pro te nutrice sua nostram super hoc humiliter gratiam implorantis, eius et tuis in hac parte supplicationibus inclinati, annuentes, quae circa praemissa pie sunt acta, prout alias rite et

[1] Quod iam a. 1310 Neapoli inchoatum et postmodum titulo « Corporis Christi » insignitum est. Cfr. *Wadd.* Ann. Min. ad a. 1310 n. 19-23.
[2] Reg. Vat. t. 59, f. 170, ep. 832 (n. 8532).
[3] Recte: Nebien. *(Nebbio)* in insula Corsica.
[4] Spinulam ord. Min., de quo in huius op. t. IV passim.
[5] Reg. Vat. t. 59, f. 160, ep. 768 (n. 8467); apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Clem. V, n. 37.
[6] *Guadalajara* in custodia Toletan. provinciae Castellae.
[7] Anno 1307; cfr. *Wadd.* Ann. Min. ad a. 1312, n. 13.
[8] Coniugis Sancii Ferocis *(el Bravo)*, regis Castellae († 1295), cui an. 1284 nupserat, et matris Ferdinandi IV regis Castellae.

provide et absque iuris alieni praeiudicio processerunt, rata gerentes et grata, ea apostolica auctoritate confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo *etc.* Datum in prioratu de Grausello Vasionen. dioecesis, V nonas [1] iulii, pontificatus nostri anno septimo.

203. Mandat ministro provinciali Provinciae, ut cum aliis fratribus Minoribus inferius nominatis personaliter coram ipso compareat. [2]

1312, iulii 23, Grauselli.

Dilecto filio .. [3] provinciali ministro Provinciae [4] ordinis fratrum Minorum.

Cum nos te ac dilectos filios fratres Iacobum Bernardi Narbonen., Dalphinum Massilien., Raynes Systaricen., Iohannem Bonifatii Avinionen., Dalmasium Arelaten., Raymundum Boverii de Montepesulano et Petrum Guiraudi de Alesto custodes, ac Petrum de Pullis dicti loci de Montepesulano, Magalonen. et Nemausen. dioecesium, Guillelmum Marthialis eorumdem Narbonen., Guillelmum de Petra Aurasicen. [5] et Petrum Augerii ipsorum Avinionen. guardianos, Iohannem de Fonte lectorem ipsorum dicti loci de Montepesulano fratrum ordinis Minorum, ac Iohannem de Verunis inquisitorem haereticae pravitatis in provincia Provinciae, [6] et Michaëlem Monachi [7] ac Guillelmum Agadesani eiusdem ordinis, super certis negotiis ordinem ipsum contingentibus alloqui specialiter intendamus, volumus et discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus (per te vel per alium seu alios) dictos fratres et eorum quemlibet praesentialiter, si eorum commode poteris habere praesentiam, alioquin in eorum conventibus, ex parte nostra peremptorie citare procures, ut ipsi et eorum quilibet in virtute obedientiae et sub poena excommunicationis compareant et tu similiter compareas infra mensem (a die, qua praesentes receperis, numerandum) personaliter coram nobis, audituri super eisdem negotiis nostrae beneplacitum voluntatis et illud efficaciter impleturi. Volumus autem, quod sic huiusmodi citationem accelerare procures, quod praedicti fratres excusationem praetendere nequeant, quod propter retardatam per te citationem eamdem non possint in dicto termino apostolico se conspectui praesentare. Diem vero receptionis et citationis huiusmodi, et quidquid super praemissis tu aut ille vel illi, cui vel quibus id ut praemittitur commiseris, duxeris faciendum, nobis per tuas litteras harum seriem continentes intimare fideliter non obmittas. Datum in prioratu de Grausello prope Malausanam Vasionen. dioecesis, X kalendas augusti, pontificatus nostri anno septimo. [8]

204. Mandat infradictis, ut fratrem Boncortese al. Bonagratiam de Pergamo ad domum Vallis caprariae ord. Min. se conferre ibique tamquam inclusum remanere iubeant. [9]

1312, iulii 31, Grauselli.

Dilectis filiis .. custodi et .. guardiano fratrum ordinis Minorum ac .. vicario in spiritualibus ven. fratris nostri [Castoni] archiepiscopi Mediolanen.

Cum nostrae intentionis existat, quod dilectus filius frater Boncortese dictus Bonagratia de Pergamo [10] ordinis vestri, qui conventui tuo Mediolanen., fili guardiane, dicitur assignatus, ad locum de Monte caprario [11] Convenarum [12] dioecesis ex certis causis [13] ibi moraturus accedat, volumus et discretioni vestrae mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum dicto fratri Boncortese ex parte nostra in virtute obedientiae districte mandare curetis, ut hinc ad kalendas novembris proxime venturas ad dictum locum se conferat, de ipso nullatenus recessurus absque nostra vel apostolicae sedis licentia speciali. Volumus autem, quod mandatum huiusmodi sic accelerare curetis, quod idem frater Boncortese commode usque ad kalendas easdem ad locum accedere valeat supradictum. Quidquid autem super praemissis duxeritis faciendum, nobis per vestras patentes litteras harum seriem continentes studeatis fideliter intimare. Datum in prioratu de Grausello prope Malausanam Vasionen. dioecesis, II kalendas augusti, pontificatus nostri anno septimo. [14]

---

[1] Non « Nonis », sicut exhibet *Wadd.* l. c.

[2] Reg. Vat. t. 59, f. 243, ep. 96 de curia (n. 8851). Cfr. supra n. 158 not. 1.

[3] Gerardo Villete.

[4] Haec provincia erat divisa in custodias Narbonen. *(Narbonne)*, Montis Pesulani *(Montpellier)*, Alesti *(Alais)*, Nemausi *(Nîmes)*, Avinionen. *(Avignon)*, Arelaten. *(Arles)*, Massiliae *(Marseille)* et Sistaricen. *(Sisteron)*.

[5] *Orange* in custodia Avinionen.

[6] Cfr. *Wadd.* Ann. Min. ad a. 1312, n. 11, et a. 1317, n. 13.

[7] Socium, ut videtur, praedicti inquisitoris. Cfr. l. c. ad a. 1317, n. 13 et 14.

[8] Praedicti superiores provinciae Provinciae a fratribus « Spiritualibus » in ea degentibus denuntiati erant, quod in ipsos severius agerent. Quos Clemens ad se vocatos in consistorio coram arguit, ab officio amovet, fratribus Guidoni et Vitali de Furno ord. Min. imperat, ut illorum loco Spiritualibus superiores alios eosque magis benevolos provideant.

[9] Reg. Vat. t. 59, f. 242, ep. 94 de curia (n. 8849).

[10] Cfr. supra n. 158 not. 1 (pag. 65 not. 7 vers. fin.).

[11] Recte: Valle capraria *(Valcabrère)* in custodia Auxitan. provinciae Aquitaniae.

[12] *Cominges* in Guasconia.

[13] Qui in causa et iurgio paupertatis in ordine Min. servandae contra Ubertinum de Casali nimis ardenter et erga ipsam sedem apostolicam minus reverenter se gerebat.

[14] Quibus litteris receptis praedictus vicarius generalis archiepiscopi Mediolan. praedicto fratri Bonagratiae, qui ad in-

205. Episcopo Bononien. mandat, ne permittat indebite vexari fratrem Menelaum de Iustinopoli eiusque socium fratrem Vitalem de sede apostolica benemeritos. [1]

1312, augusti 1, Granselli.

Venerabili fratri [Uberto] episcopo Bononien.

Petitio dilecti filii fratris Menelai de Iustinopoli [2] presbyteri ordinis Minorum praesentata nobis per venerabilem fratrem nostrum Berengarium Tusculan. episcopum continebat, quod olim tempore, quo Veneti in rebellione Romanae ecclesiae persistentes civitatem Iustinopolitanam et quasi totam provinciam Istriae ad dominium Aquilegen. ecclesiae pertinentes occupatas illicite detinebant, idem frater Menelaus (cum voluntate et consensu immo ad requisitionem venerabilis fratris nostri Ottoboni patriarchae Aquilegen., commissarii super hoc a sede apostolica deputati) cum suorum propinquorum et amicorum auxilio tractare et ordinare efficaciter nitebatur, quod eaedem civitas et provincia eriperentur de ipsorum manibus Venetorum et sub dominio Roman. et Aquilegen. ecclesiae tenerentur; quod cum culpa fratris Antonii de Pola [3] ministri provinciae Sclavoniae [4] ad ipsorum Venetorum pervenisset notitiam, terram ipsam muniverunt armis, gentibus et galeis et quamplures homines de terra illa ac nonnullos propinquos dicti fratris Menelai sibi in hac parte adhaerentes suspendio tradiderunt eumdemque fratrem Menelaum et fratrem Vitalem [5] eius socium, ut eos simili modo suspenderent, sollicite quaesierunt. Porro cum dictus minister ad ipsorum Venetorum applausum et instantiam praefatos fratres Menelaum et Vitalem incarcerari mandasset, idem frater Menelaus (videns sibi, unde meruisse crediderat, periculum non modicum imminere) ad dilecti filii nostri Arnaldi sanctae Mariae in Porticu diaconi cardinalis, tunc in partibus illis apostolicae sedis legati, recurrit refugium, a quo benigne et caritative receptus litteras precum et etiam compulsivas venerabili fratri nostro [Rodulfo] episcopo Tergestin. et dicto ministro sub certa forma ab eodem legato meruit obtinere; sed, antequam ad dictos episcopum seu ministrum pervenisset cum litteris memoratis, praefatus minister (hoc praesentiens et dubitans, quod ipsum apud eundem legatum accusasset pro eo, quod processus nostros contra dictos Venetos editos per aliquod temporis spatium non servaverat) praedictos fratres Menelaum et Vitalem ad suggestionem dictorum Venetorum capi fecit et vinculis alligari, in quibus adhuc dictum fratrem Vitalem facit detinere captivum, dictumque fratrem Menelaum simili modo detineri fecisset, nisi fuisset per gentes ipsius patriarchae de manibus capientium liberatus. Unde dictus frater Menelaus, qui ex praemissis merito dubitabat acrius per eumdem ministrum hostili prosecutione fugari, ad apostolicae sedis recurrens refugium (sperans apud eam, pro cuius obsequio praemissa passus fore dinoscitur, salutis consilium et tranquillitatis remedium invenire) humiliter supplicavit, ut, cum tam ipse quam dictus frater Vitalis propter ipsius provincialis odiosam saevitiam et ipsorum Venetorum perfidiam ad partes illas non auderent redire secure, sedes ipsa eis aliquem locum in ipsa religione, in quo Domino famulatum debitum tute reddere possent, assignare misericorditer dignaretur nec eos permitteret ulterius causa vel occasione praemissorum aliqua afflictione vexari. Dictusque Tusculanus episcopus considerans diligenter, quantum fratres praedicti propinquorum et amicorum dispendia, quos eis tam mors vilis ademit, quantasque tribulationes et lamentationis angustias et personarum pericula diversimode passi fuerant pro servitio et fidelitate ecclesiae sanctae Dei, unde non conteri seu abiici sed attolli favoribus et commendari de probitate et fideli sollicitudine debito meruerant, eumdem fratrem Menelaum ad dictum episcopum Tergestin. auctoritate nostra, cuius poenitentiariae curam gerit, et ex nostro speciali mandato vivae vocis oraculo sibi facto remisit absolutum ab excommunicatione, quam incurrerat accedendo propterea ad sedem eamdem absque suo habitu et sui superioris licentia non petita, eidem episcopo Tergestin. auctoritate et mandato praedictis committens et mandans, ut, si, quod proponebatur, inveniret veritate fulciri, eumdem fratrem Vitalem faceret de carcere, quo propterea mancipatus teneri dicebatur et dicitur, liberari et eisdem fratribus in studio Paduano vel Bononiensi cum aliis studentibus eiusdem ordinis locum assignari et dari eis provisionem de eorum provincia, quae dari aliis studentibus consuevit, nec

stantiam Guilelmi (de Longis) de Pergamo, s. Nicolai in carcere Tull. diac. card., a ministro generali ord. Min. ad civitatem Pergami, ut pacem in ipsa civitate tractaret et fieri procuraret, missus erat, praecepit, quod ad dictum locum de Monte caprario dioec. Convenarum se conferret ibidem moraturus secundum formam ipsarum litterarum. Is vero, cum huiusmodi locus de Monte caprario non esset in dioec. Convenarum (sed de Valle capraria), habuit consilium a fr. Vitali (de Furno) tunc locum tenente et vicem gerente ministri generalis, quid esset agendum. Eius voluntas fuit, ut non contenderet, sed iret ad conventum fratrum Minorum, qui est in Valle capraria iuxta civitatem Convenarum. Et sic idem fr. Bonagratia accessit ad dictum locum et ibidem moram traxit, quamdiu Clemens V vixit. Quo mortuo de sui superioris voluntate recessit et venit Tolosam, ubi scriptum quoddam hac de re exaravit, quod adhuc in archivo Vatic. inter instrumenta miscellanea asservatur. Cfr. *Ehrle* l. c. t. III, p. 33-41, et supra n. 158 not. 1 (p. 65 not. 7 versus finem).

[1] Reg. Vat. t. 59, f. 191, ep. 916 (n. 8616).

[2] *Capodistria* in Istria.

[3] *Pola* in Istria.

[4] Sive Dalmatiae.

[5] Al. Michaelem Vitalem.

permitteret eos per superiores suos eiusdem ordinis causa vel occasione praemissis affligi aliquatenus vel mulctari: contradictores et rebelles auctoritate et mandato praedictis per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Cumque dictus Tergestin. episcopus in huiusmodi executione mandati auctoritate dictarum litterarum ad instantiam dicti fratris Menelai procedere incepisset, ex parte praelibati fratris Antonii fuit excipiendo propositum coram eo, quod cum generali et provincialibus ministris et universis fratribus dicti ordinis esset a fel. rec. Innocentio IV et piae mem. Bonifatio VIII Romanis pontificibus praedecessoribus nostris per specialia privilegia dictae sedis indultum, ut iidem ministri et fratres per litteras dictae sedis aut legatorum seu delegatorum ipsius conveniri non possint, nisi dictae litterae de huiusmodi indultis et dicto ordine expressam facerent mentionem, dictus Tergestin. episcopus per litteras ipsius Tusculani episcopi sibi directas, in quibus de indultis vel ordine supradictis nulla mentio habebatur, procedere de iure non poterat nec debebat, dictusque Tergestin. episcopus occasione exceptionis huiusmodi executioni dictarum litterarum, usus peritorum consilio, ut asseritur, supersedit. Quare dictus frater Menelaus iterato recurrens ad providentiam dictae sedis nobis humiliter supplicavit, ut providere sibi super hoc de opportuno remedio dignaremur. Nos igitur ipsorum fratrum Menelai et Vitalis devotionem fervidam, quam ad nos et Romanam gesserunt et gerunt ecclesiam, attendentes et quod, unde salutis et quietis commodum meruerunt, inde persecutionis et afflictionis onera sint perpessi, ac propterea ipsis paterno compatientes affectu, fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, si tibi summarie de plano sine strepitu et figura iudicii constiterit ita esse praemissa omnia, quae in prioribus litteris dicto episcopo Tergestino directis seriosius continentur, similiter procedendo summarie de plano sine strepitu et figura iudicii procures alias executioni debitae demandare iuxta earumdem priorum continentiam litterarum: non obstantibus *etc.* Datum in prioratu de Grausello prope Malausanam Vasionen. dioc., kalendis augusti, pont. nostri anno septimo.

206. Indulget Blanchae filiae s. Ludovici regis, ut ad eam infra monasteriorum Clarissarum septa degentem personae saeculares et fratres ord. Min. accedere possint. [1]

1312, decembris 29, Avinione.

Dilectae in Christo filiae nobili mulieri Blancae, filiae sanctae memoriae beati Ludovici confessoris regis Franciae.

Eximiae devotionis affectus, quo velut filia benedictionis et gratiae erga nos et Romanam viges ecclesiam, promeretur, ut votis tuis, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Oblata siquidem nobis ex parte sua petitio continebat, quod nos olim tibi, ut infra septa sanctae Clarae iuxta Parisius et Humilitatis beatae Mariae Parisien. dioecesis monasteriorum ordinis eiusdem sanctae Clarae (extra tamen eorum claustra) liceret tibi cum decenti comitiva honestarum mulierum, quotiens et quando velles, habitare ibique habere ostium et clausuram, unde tu dictaeque mulieres ingredi et egredi ac extraneis loqui personis libere valeretis possentque inde necessaria intromitti ac intrare ad te confessor tuus de ordine fratrum Minorum, cum uno fratre dicti ordinis, cum vellet, et similiter physici et chirurgi tam saeculares quam religiosi, etiam dicti ordinis Minorum, nec non minutores, quando sibi visum existeret opportunum, per nostras certi tenoris litteras duximus indulgendum. Verum quia tu, sicut asseris, variis infirmitatibus amplius solito praegravata loca extra claustra et intra septa praedicta, quae te, ut praemittitur, inhabitare contigerit, absque personae tuae gravamine magno exire non posses personis tunc ad te venientibus locutura: nos, volentes te favore prosequi gratiae amplioris, tuis supplicationibus inclinati, ut viri et mulieres honesti ad te intra dicta loca, quae taliter inhabitaveris, quando et quoties tibi videbitur expedire, pro tuis negotiis aliisque causis congruis et honestis intrare libere valeant, praefata prima indulgentia nostra tibi nihilominus in omnibus semper salva, devotioni tuae auctoritate praesentium indulgemus. Nulli ergo *etc.* Datum Avenione, IV kalendas ianuarii, pontificatus nostri anno octavo.

207. Mandat praelatis infra nominatis, ut super gravamine per episcopum Tudertin. monasterio Montis sancti ord. s. Clarae imposito cognoscant et, quod iustum fuerit, decernant. [2]

1313, ianuarii 16, Avinione.

Dilectis filiis .. s. Mariae in Monte, .. s. Faustini ac .. s. Salvati prioribus Tudertinae dioecesis.

Sua nobis .. abbatissa et conventus monasterii Montis sancti [3] prope Tudertum [4] ordinis s. Clarae petitione monstrarunt, quod venerabilis frater noster [Nicolaus] episcopus et dilecti filii capitulum Tudertin. nec non .. prior prioratus s. Nicolai de Griptis Tudertin. dioc. ord. s. Benedicti dumtaxat,

---

[1] Reg. Vat. t. 60, f. 72 (n. 9129), apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Clem. V n. 44. Cfr. supra n. 198.

[2] Ex autographo in dicto monasterio olim reposito.

[3] Alias Montis Mascarani, de cuius erectione, fundatore, privilegiis passim et copiose in superioribus huius operis tomis I et II.

[4] *Todi* in Umbria.

quoties per legatos seu nuntios apostolicae sedis pro eorum procurationibus et aliis expensis et oneribus a clero civitatis et dioecesis Tudertin. pecunia exigitur vel eisdem imponitur, de antiqua et approbata et hactenus pacifice observata consuetudine huiusmodi quantitatem pecuniae solvere et onera huiusmodi expensarum subire tenentur; et tam iidem episcopus et capitulum et prior quam praedecessores eorum, qui fuerunt pro tempore, huiusmodi pecuniam solverunt et onera expensarum huiusmodi, ut praedicitur, subierunt a tempore, cuius memoria non existit. Nuper autem dictus episcopus contra consuetudinem huiusmodi temere veniens ac asserens, quod fel. record. Benedictus papa XI praedecessor, tunc Ostien. et Velletren., et venerabilis frater noster [Rainerius] Cremonen. episcopi ac bonae memoriae Gentilis [1] s. Martini in montibus presbyter cardinalis, tunc in partibus illis apostolicae sedis legati, dum per partes illas transitum facerent, eisdem abbatissae et conventui pro dicto monasterio et ecclesiis eidem monasterio subiectis in civitate et dioecesi Tudertin. consistentibus (auctoritate dictorum legatorum ei specialiter in hac parte, ut dicebat, commissa) quandam pro procurationibus dictorum legatorum imposuit pecuniae quantitatem eisque mandavit, ut sibi huiusmodi pecuniae summam sine dilatione qualibet solvere procurarent, alioquin in abbatissam excommunicationis et conventum et ecclesias supradictas interdicti sententias proferret. Propter quod eaedem abbatissa et conventus, sentientes ex tali mandato indebite se gravari, ad sedem apostolicam appellarunt. Quocirca discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, et auditis hinc inde propositis, quod iustum fuerit, appellatione remota decernatis, facientes, quod decreveritis, auctoritate nostra firmiter observari; testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes iis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Avinione, XVII kal. februarii, pontificatus nostri anno octavo. [2]

208. Mandat episcopo et archidiacono Constantien., ut quosdam (inter quos guardianos Nanneten. et Veneten. ord. Min.) illis indebitis exactionibus, quibus dux Britanniae ab ipsis molestari dicitur, desistere compellant. [3]

1313, februarii 9, Avinione.

Venerabili fratri Roberto episcopo Constantien. [4] *et dilecto filio Gaufrido de Plexeyo archidiacono Vallisviridae in ecclesia Constantien., notario nostro.*

Ex parte dilecti filii nobilis viri Iohannis ducis Britanniae nobis extitit conquerendo monstratum, quod venerabiles fratres nostri Alanus Redonen. et Iohannes Veneten. episcopi, Thomas decanus ecclesiae Andegaven., Albericus de Baldimento canonicus Cenomanen., ac .. Nannecten. et Ve-

[1] Ord. Min. de Monteflorum *(Monte Fiore dell'Aso)* in Piceno, de quo supra n. 48, 91.

[2] Eisdem abbatissae et conventui Vitalis de Furno tit. s. Martini in montibus presbyter cardinalis (ord. Min., promotus 23 dec. 1312, olim minister provinciae Aquitaniae, postmodum episcopus Albanen.) die 23 febr. 1314 has destinavit litteras, olim in archivo dicti monasterii asservatas: « Frater Vitalis miseratione divina tit. s. Martini in montibus presbyter cardinalis dilectis in Christo filiabus abbatissae et conventui monasterii s. Mariae de Monte sancto prope Tudertum ord. s. Clarae sal. in Domino. Sanctissimi patris et domini nostri domini Clementis divina providentia papae quinti pium animum excitavit honestae vestrae conversationis et vitae fama laudabilis et induxit, ut vos vestrumque monasterium prosequi dignaretur speciali praerogativa gratiae et favoris. Hinc est, quod, cum pro parte vestra pridem nobis praesentibus eidem sanctissimo patri nostro et domino proposuerit venerabilis et religiosus vir frater Alexander ordinis fratrum Minorum generalis minister, quod olim per fel. record. Alexandrum papam IV praedecessorem eiusdem domini nostri fuit datum praefato vestro monasterio in mandatis sub poena excommunicationis, quam contrafacientes incurrerent ipso facto, ut non reciperent in supradicto monasterio aliquam in monacham vel sororem sine sedis apostolicae licentia speciali faciente plenam et expressam de inhibitione huiusmodi mentionem, et quod occasione huiusmodi inhibitionis dictum monasterium patitur defectum monialium seu sororum, et quod per hoc divinus cultus est notabililer in eodem monasterio diminutus (nam et sororum parvus est numerus in eodem, et quae supervivunt, ut plurimum gravedine senii sunt confectae), et pro parte vestra, ut praedicitur, eidem sanctissimo patri et domino nostro papae humiliter supplicaverit, ut concedere dignaretur, quod praedicto non obstante mandato possetis recipere idoneas personas fugientes ex saeculo in monachas seu sorores, prout utilitati eiusdem monasterii fore expediens videritis: eidem petitioni idem sanctissimus pater et dominus noster papa benigne annuit ac supradicti sui praedecessoris praescriptam inhibitionem ex praetactis causis utpote rationabilibus, nobis audientibus et diligenter attendentibus, revocavit, decernens ad observantiam praedicti mandati sui praedecessoris ex nunc vos minime obligari, concedens insuper, ut quascumque idoneas personas in moniales possitis recipere et sorores secundum vestri ordinis instituta, proviso tamen, quod ex receptione superflua huiusmodi personarum monasterium non gravetur. Nos igitur vestris precibus inclinati horum certitudinem vobis notificare curavimus per praesentes, quas fieri fecimus et sigilli nostri munimine roborari ad vestras conscientias serenandas. Datum Carpentorati anno Domini 1314 die 23 mensis februarii, pontificatus eiusdem domini Clementis papae V anno nono. » Praedicto cardinali Clemens V die 13 octobris 1313 administrationem sive commendam ecclesiae s. Mariae rotundae Neapolitan. et grangiarum de Fabrica Troian. dioec. ad monasterium Caven. ord. s. Ben. Salernitan. ac de Asculo ad monasterium s. Sophiae Beneventan. ord. s. Ben. pertinentium et vacantium per obitum Landulfi s. Angeli diac. card., die vero 20 febr. 1314 administrationem et curam ecclesiae seu monasterii de Albericio Suanen. dioec. vac. per ob. Riccardi s. Eustachii diac. card. (unacum administratione et cura ecclesiae s. Crucis in Ierus. de Urbe per cardinalem solita gubernari iam 9 ian. 1313 ei commissa) concesserat (Reg. Vat. t. 60, f. 189, ep. 584, ed. Mon. Ben. n. 9625-9627 et 9924-9927 ac 10353, cfr. n. 10339 et 10352).

[3] Reg. Vat. t. 60, f. 30, ep. 139 (n. 9033).

[4] *Coutances* in Britannia minori *(Bretaigne)*.

neten. [1] ordinis fratrum Minorum guardiani et Gaufridus de Anesto clericus Maclovien. dioecesis praefatum Iohannem ducem Britanniae indebitis exactionibus aggravantes et etiam molestantes super quibusdam pecuniarum summis, castris, villis, iuribus, iurisdictionibus, terris, possessionibus et rebus aliis iniuriantur eidem. Quare dictus Iohannes nobis humiliter supplicavit, ut eos compesci ab huiusmodi iniuriis per discretum aliquem mandaremus. Quia vero nobis non constat de praemissis, discretioni vestrae mandamus, quatenus vos vel alter vestrum (partibus convocatis, simpliciter et de plano) causam huiusmodi audiatis eamque appellatione remota fini debito demandetis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem *etc.* Datum Avinione, V idus februarii, pontificatus nostri anno octavo.

209. Elargitur indulgentias visitantibus orationis causa certis diebus ecclesiam Clarissarum de Trebis. [2]

1313, aprilis 18, Avinione.

Universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis.

Vitae perennis gloria *etc. usque* collaudetur. Cupientes igitur, ut ecclesia monasterii sororum sancti Francisci de Trebis [3] ordinis sanctae Clarae Terracinen. dioecesis congruis honoribus frequentetur et Christi fideles eo concurrant devotius ad eamdem, quo magis in ea spiritualibus gratiis se perspexerint confoveri, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui ad ecclesiam ipsam in singulis Nativitatis, Resurrectionis et Ascensionis Domini nostri Iesu Christi ac in quatuor principalibus beatae Mariae Virginis ac sancti Bartholomaei, sancti Francisci et sanctae Luciae festivitatibus, unum annum et quadraginta dies, per octo vero dies festivitates ipsas immediate sequentes causa devotionis accesserint, annuatim centum dies de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus. Datum Avinione, XIV kalendas maii, pontificatus nostri anno octavo.

210. Vicario suo in Urbe committit, ut fratres Laurentium de Romagna et Laurentium de Milzonibus dudum Praedicatorum atque Andream de Annibaldis Minorum fratrum ordinum professores, nunc monachos monasterii s. Laurentii foris portam Urbis ord. s. Ben., inobedientes et discordias parientes, in aliis monasteriis ord. s. Ben. extra tamen loca dictae Urbi vicina constituat. [4]

1313, aprilis 22, Avinione.

Venerabili fratri Rogerio [5] *episcopo Senen., vicario nostro in Urbe.*

Ad audientiam nostram *etc.* Dat. Avinione, X kal. maii, anno octavo.

211. Vitalem de Villanova militem Barchinon. dioec., qui sepulturam propriam in ecclesia fratrum Minorum Barchinonen. (fide, voto, iuramento de ea nunquam mutanda interpositis) elegit, cum domicilium suum ad Valentin. dioecesim transtulerit, ab hisce voto et iuramento absolvit, ita tamen, ut si quid ab ipsis fratribus receperit, illud restituere teneatur, si vero nihil receperit, ipsis de bonis suis aliquid eroget. [6]

1313, maii 15, apud Castrum novum.

Dilecto filio nobili viro Vitali de Villanova militi Barchinonen. dioc.

Devotionis tuae sinceritas *etc.* Dat. apud Castrum novum Avinion. dioecesis, idus maii, anno octavo.

212. Scribit fratribus Minoribus in capitulo generali Barchinonen. congregandis, se regulae fratrum Minor. declarationem confecisse, eamque, ut observetur, commendat atque iniungit; providi ministri gen. electionem inculcat et pro ecclesia suoque regimine orationes eorum implorat. [7]

1313, maii 21, apud Castrum novum.

Dilectis filiis capitulo generali fratrum ordinis Minorum Barchinonae proxime congregandis.

Magister gentium, doctor egregius et praedicator eximius veritatis, diversas orbis terrarum, ut in peccati morte iacentibus aeternae vitae nunciaret gratiam, sicut nubes transvolans regiones ipsorum ubique perquirebat, ut, dum lucratis peccatoribus divina perficeret voluntatem, in eis spiritualem escam, de qua legitur: « esca iustorum est conversio peccatorum », quodammodo reperiret. Sic vos eiusdem apostoli sollicitudinis ala percussi calceatique pedes in praeparatione evangelii pacis, per quod munimen praedicationis accipitur, ubi prostratos in morte conspicitis peccatores, anxie pervolatis, ut eis vivificationem lucis perpetuae demonstretis, et ibi celeriter tenditis, ubi praedicationis fructum proventurum conspicitis salutare, errantium animas ad vitae gloriam revocando. Exultat quidem in Domino mater ecclesia et eis profusis gaudiis reverenter exsolvit plenitudinem gratiarum nostraque ipsum anima devote magni-

[1] Conventus Nanneten. *(Nantes)* et Veneten. *(Vannes)* pertinebant ad custodiam Britanniae provinciae Turoniae.
[2] Reg. Vat. t. 60, f. 46 (n. 9015).
[3] *Trevi*, de quo monasterio cfr. *Wadd.* l. c. ad a. 1313, n. 21, et reg. pont. Clem. V n. 45.
[4] Reg. Vat. t. 60, f. 78, ep. 239 (n. 9159).
[5] De Casole ord. Praed.
[6] Reg. Vat. t. 60, f. 143, ep. 445 (n. 9439). Cfr. supra n. 180 not. 2 (pag. 75 not. 9).
[7] Ex autographo olim in archivo conv. s. Francisci Perusin. asservato. Quam perspicue hae litterae, quae in registris Clem. V desunt, eius in fratris Min. animum ostendant, neminem fugit.

ficat, quod vos, sicut vineae suae cultores industrii spiritualem exercendo culturam laboratis sollicite, quod ipsius vineae palmites latius extendantur et amplientur germinibus fructuosis. Dum enim honestatis fructus et honoris uberrimos, quos eiusdem producit ordinis sacra plantatio in caelestibus horreis inferendos, in examen nostrae considerationis adducimus, illum brachiis sincerae charitatis amplectimur et circa eum, quem in domo Domini praelucere syderea claritate conspicimus, paterna sollicitudine invigilamus, ut Deo propitio protegatur a noxiis, salubria semper incrementa suscipiat et floridae pacis affluat ubertate, nullaque in eo radix amaritudinis pullulet, vel stirpis noxiae succrescere valeat nocumentum. — Propterea dissensionis [1] odibilis ingrata materia dudum (illo procurante malorum omnium incentore, qui latius ibi suae consuevit nequitiae venena diffundere, ubi se magis obfuturum aestimat) suscitata, cum auditui nostri apostolatus innotuit, apostolici pectoris intimis non mediocris materiam turbationis ingessit et, ut dissensionem huiusmodi ministerii nostri radicibus extirparet solertia, una cum fratribus nostris (diversis modis exquisitis et viis) certis ex eis huiusmodi dissensionis negotium duximus committendum. Et demum quam pluribus ordinis personis eiusdem, quae magnum locum in eodem ordine obtinere noscuntur et quas ad prosperum statum eius affici credebamus, et nonnullis aliis religiosis sacrae theologiae magistris ac aliis magnae auctoritatis viris ad nostram praesentiam evocatis, [2] una cum eis super ipsius dissensionis sedanda materia sollicitudines multas subivimus et perpessi anxietates multiplices fuimus et labores. Et tandem, quia datum non extitit desuper, quod ante tempus generalis concilii Viennen. [3] finem praefatum negotium sortiretur, illud per diversos praelatos et alios profundae scientiae viros, qui ad concilium praefatum per nos postmodum congregatum accesserant, discuti mandavimus diligenter; et deinde post consultae discussionis examen et deliberationis exactae consilium negotium ipsum per nostrae declarationis [4] editum, quam ad vos iam pervenisse confidimus, direximus terminandum, prout in litteris nostris super hoc confectis plenius continetur. Cupientes igitur, ut declaratio ipsa pro eiusdem ordinis statu prospero et tranquillo plenius observetur, universitati vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus praemissis debita et sollicita meditatione pensatis sic declarationem huiusmodi observare curetis, quod eius fines nullatenus excedatis. Et insuper unusquisque vestrum secundum mensuram possibilitatis, quam accepit a Domino, in bonis operibus enitescens sciat in sanctificatione et honore vas proprium possidere. — Et quia tunc praesidentis regimen bene disponitur, cum vitiis potius quam subditis dominatur, de tali (cuiuslibet partialitatis affectione semota) curetis eidem ordini providere ministro, qui caeteris prodesse cupiat, non praeesse, et de cuius operibus virtuosis videant subditi, quod formident, et de humilitate, quae virtutum comprobatur origo, quid imitentur, agnoscant; quique cupiditates terrenas nostri Salvatoris lege diiudicet, primam dilectionem Altissimo, secundam debere proximo memoretur, omnesque affectus suos hac regula dirigat, ut numquam a Domini cultu vel a conservi utilitate recedat, seque velut pater benevolus, personarum acceptione postposita, cunctis se praebeat propitium et benignum illosque dicti ordinis fratres, quos super praemissis ut praedicitur duximus evocandos et qui eis in dicto negotio adhaererunt, in eiusdem nutriat ordinis unitate ac mansuetudinis paternae dulcedine prosequatur et fraternae charitatis dilectione foveat et pertractet, ac ipsos consolationibus et officiis ordinis, prout requirit sufficientia et idoneitas eorumdem, plene participes faciat et consortes. [5] — Caeterum cum eadem ecclesia praesentis vexatione vitae fatigata frequenter quandoque verbis et interdum persecutionem iniuriis patiatur (quamvis sapientiam suam, cum verbis temptatur, exerceat et, cum vexatur iniuriis, in virtute patientiae roboretur) et propter hoc eam iustorum intercessionibus deceat adiuvari: suppliciter sponsi sui misericordiam in humilitate spiritus imploretis, ut tempestuoso procellarum turbine quiescente sub felicis aurae serenitate laetetur sibique fugatis de terra tenebris claritas pacis copiose resplendeat; fiat cor unum et anima una credentium multitudo humiliatis cervicibus superborum; nostrosque gressus, dum in praesentis valle miseriae peregrinamur, Dominus per suorum dirigat semita mandatorum ac nostrae debilitatis humeris fortitudinis robur adiiciens misericordi nobis pietate concedat, praefatam ecclesiam in sui nominis laudem et gloriam utiliter gubernare; et cum domus nostra huius terrenae habitationis eius imperio, per quem in praesenti saeculo nequam ingressum habuimus, dissol-

[1] De paupertatis altissimae observantia.
[2] Litteris 14 apr. 1310 datis; cfr. supra n. 158.
[3] Cfr. supra n. 153.
[4] Incip. « Exivi de paradiso »; cfr. supra n. 195.
[5] In praedicto capitulo generali tempore Pentecostes a. 1313 Barchinonae (*Barcelona*) in Aragonia congregato, mortuo paulo ante Parisiis fratre Gonsalvo ministro generali, ipsius successorem electum esse fratrem Alexandrum Bonini de Alexandria, olim ministrum provinciae Terrae Laboris et postmodum Ianuen., nemo ignorat. Cfr. supra n. 7 (p. 4) et n. 158 not. 1 (p. 65 not. 7).

vetur, in illa caelesti Hierusalem, ad cuius aedificationem quasi quidam expoliti lapides electorum animae deferuntur, gloriosam (non manufactam, sed aeternam) dignetur concedere mansionem. Datum apud Castrumnovum Avinionen. dioecesis, XII kalendas iunii, pontificatus nostri anno octavo.

213. Annuens precibus Guidonis comitis s. Pauli elargitur Iohanni, filio magistri Iohannis Picardi medici Philippi regis Francorum, licentiam ab ordine fratrum Minorum, quem fuit professus, transeundi ab ordinem s. Benedicti. [1]

1313, iunii 30, Biturritae.

Dilecto filio Ioanni Picardi ordinis fratrum Minorum.

Cum sicut ex parte tua *etc.* Dat. Biturritae Avinion. dioec., III kal. iunii, anno octavo.

214. Episcopo Sistaricensi mandat, ut Manuascae monasterium pro Clarissis, si expedierit, permittat aedificari. [2]

1313, iulii 1, Grauselli.

Venerabili fratri [Raymundo] episcopo Sistaricen. [3]

Dilecti filii universitas hominum loci de Manuasca [4] tuae dioecesis nobis humiliter supplicarunt, ut, cum ipsi ad laudem Dei et honorem sancti Francisci et beatae Clarae quoddam monasterium monialium ordinis eiusdem sanctae Clarae in dicto loco de Manuasca vel extra ipsum in dicta dioecesi in fundo proprio aedificare proponant et eidem monasterio pro sustentatione monialium inibi Domino famulantium pia erogare subsidia caritatis, eis aedificandi huiusmodi monasterium et oratorium in eodem, in quo habeatur campana et divina celebrentur officia, ac in ipso monasterio accipiantur et instituantur moniales per abbatissam, quae pro tempore fuerit in dicti monasterii gubernatione, prout in aliis eiusdem ordinis monasteriis observatur, licentiam concedere dignaremur. Volentes itaque tibi, qui loci dioecesanus existis, in hac parte deferre, fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus, si praedictae universitati expedire videris, postulata concedas sine iuris praeiudicio alieni. Datum in prioratu de Grausello Vasionen. dioecesis, kalendis iulii, pontificatus nostri anno octavo. [5]

215. Fratribus Min. provinciae s. Angeli permittit, ut Larinen. (*Larino*) et Limosan. (*Limosano*) coenobia in Apulia ministro generali annuente recipiant. [6]

1313, iulii 7, Grauselli.

Dilectis filiis .. ministro provinciali et fratribus ordinis Minorum provinciae Montis sancti Angeli. [7]

Sacrae religionis vestrae merita nos inducunt, ut ad vestri propagationem ordinis promptis affectibus intendamus. Cum itaque, sicut exhibita nobis super hoc ex parte carissimi in Christo filii nostri Roberti regis Siciliae illustris petitio continebat, tam vos quam idem rex nec non et incolae civitatis Alarin. et castri Limosan. Benevent. dioec. in regno Siciliae et provincia vestra Montis sancti Angeli consistentium (iidem videlicet incolae pro animarum suarum salute, cum in eisdem civitate et castro aliqui religiosi, per quos huiusmodi eorum saluti, ut cupiunt, provideri valeat, non existant) plurimum affectetis, ut in civitate et castro praedictis loca fratrum eiusdem ordinis ad laudem divini nominis habeantur: nos praedictorum intuitu meritorum ac ipsius regis piae supplicationis obtentu, volentes vos et dictum ordinem favore prosequi gratioso, recipiendi in civitate unum et in castro praedictis alium loca apta et eidem religioni vestrae convenientia, si alias vobis legitime concedantur, idque dilecto filio .. generali ordinis praedicti ministro videatur expediens (constitutione fel. record. Bonifatii papae VIII [8] non obstante), liberam vobis licentiam auctoritate praesentium elargimur. Datum in prioratu de Grausello Vasionen. dioecesis, nonis iulii, pontificatus nostri anno octavo.

216. Francisco episcopo Gaietan. ex ord. Min. testamenti condendi potestatem impertitur. [9]

1313, iulii 9, Grauselli.

Venerabili Francisco episcopo Gaietan. [10]

Quia praesentis vitae *etc.* Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, ut de bonis mobilibus ecclesiasticis tuae dispositioni seu administrationi commissis, et quae non fuerint altaris seu altarium ecclesiarum tibi commissarum ministerio seu alicui speciali earumdem ecclesiarum divino cultui vel usui deputata, et quae ordinis fratrum Minorum, quem fuisti professus, non fuerint, nec non et quibuscumque bonis mobilibus a te per ecclesiam seu ecclesias licite acquisitis pro decentibus et honestis

---

[1] Reg. Vat. t. 60, f. 163, ep. 509 (n. 9530).

[2] Reg. Vat. t. 60, f. 173, ep. 538 (n. 9569); apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Clem. V n. 39.

[3] *Sisteron* sub archiepiscopo Aquen. *(Aix)*, quae ecclesia nunc unita est cum Dignen. seu Dinien. *(Digne)*.

[4] *Manosque* in custodia Arelaten. provinciae Provinciae.

[5] Huic monasterio Clemens VI a. 1343 amplum privilegium contulit, quod suo loco exhibebitur.

[6] Reg. Vat. t 60, f. 127, ep. 389 (n. 9363). Cfr. *Wadd.* l. c. ad a. 1313 n. 20.

[7] Divisae in custodias Civitatis, Comitatus, Capitanatae et Montanam.

[8] Incip. *Cum ex eo quod,* in huius op. t. IV, p. 424, relata.

[9] Reg. Vat. t. 60, f. 127, ep. 390 (n. 9364); apud *Wadd.* l. c. n. 41.

[10] Cfr. supra n. 53.

expensis tui funeris et pro remuneratione illorum, qui tibi viventi serviverint, sive sint consanguinei sive alii, iuxta servitii meritum moderate tamen disponere ac erogare et alias (prius de ipsis earumdem ecclesiarum aere alieno deducto, ut ipsae ecclesiae non remaneant debitis obligatae) de ipsis in pios usus convertere licite valeas, fraternitati tuae plenam et liberam auctoritate praesentium concedimus facultatem *etc.* Datum in prioratu de Grausello Vasionen. dioecesis, VII [1] idus iulii, pontificatus nostri anno octavo.

217. Mandat episcopis infra nominatis, ut quosdam fratres Minores provinciae Tusciae a suis conventibus recedentes et alia loca recipientes ad priora redire compellant. [2]

1313, iulii 13, Grauselli.

Venerabilibus fratribus .. [3] *archiepiscopo Ianuen. ac* .. [4] *Lucan. et* .. [5] *Bononien. episcopis.*

Ad nostri apostolatus auditum relatio fide digna perduxit, quod nonnulli fratres locorum ordinis Minorum tam civitatis Florentinae quam nonnullarum aliarum partium Tusciae ab eisdem locis eorumque conventibus temeritate propria recedentes alia loca in eisdem civitate et partibus contra statuta eiusdem ordinis receperunt nec absque gravi scandalo morantur in eis pro ipsorum libito voluntatis. [6] Cum igitur nos in desideriis habeamus, ut idem ordo eiusque personae in stabilis caritatis dilectione persistant, fraternitati vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos aut per alium seu alios praedictos fratres et eorum singulos, ut, eisdem locis ut praemittitur receptis per eos omnino dimissis, ad praefata priora loca una cum aliis dictorum conventuum fratribus sub dicti ordinis ac superiorum suorum obedientia moraturi, qualibet occasione et exceptione posposita, revertantur, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, super quae plenam vobis potestatem concedimus, compellatis: non obstantibus generalis concilii de duabus et fel. record. Bonifatii papae VIII de una dietis et aliis tam praedicti Bonifatii papae VIII quam aliorum praedecessorum nostrorum constitutionibus contrariis circa iudices promulgatis. Datum in prioratu de Grausello prope Malausanam Vasionen. diocesis, idibus iulii, pontificatus nostri anno octavo.

218. Mandat episcopis infranominatis, ut suam in regulam fratrum Minorum declarationem observari curent et fratres contrafacientes ad superiorum obedientiam redire iubeant. [7]

1313, iulii 15, Grauselli.

Venerabilibus fratribus [Martino] Aretin., [Henrico] Lucan. et [Hermanno] Pistorien. episcopis.

Dum honestatis fructus et honoris uberiores, quos ordinis fratrum Minorum producit sancta plantatio *etc. ut supra n. 212, § 3 usque* ingessit. Verum licet huiusmodi dissensionis negotium post consultae discussionis examen et deliberationis exactae consilium per nostrae declarationis [8] editum duxerimus terminandum, prout in nostris inde confectis litteris, quarum tenorem iam ad fratres dicti ordinis per provinciam Tusciae constitutos pervenisse confidimus, plenius continetur. Quia tamen relatione intelleximus fide digna, quod nonnulli fratres eiusdem ordinis praefatae provinciae occasione dissensionis praedictae, ad illicita laxatis habenis, quaedam loca dicti ordinis in eadem provincia constituta contra ipsius statuta ordinis temeritate propria occuparunt et detinent occupata, suis alias obedire superioribus aspernantes in propriae salutis interitum, ipsius iacturam ordinis et aliorum etiam scandalum plurimorum: nos cupientes, ut declaratio ipsa pro eiusdem ordinis statu prospero et tranquillo plenius observetur, fraternitati vestrae per apostolica scripta man-

---

[1] Non « II », sicut exhibet *Wadd.* l. c. reg. pont. Clem. V n. 41.

[2] Reg. Vat. t. 60, f. 128, ep. 392 (n. 9366), apud *Wadd.* Ann. Min. ad a. 1313, n. 5.

[3] Porchetto Spinulae ex ord. Min.

[4] Henrico de Caretto ex ord. Min.

[5] Uberto.

[6] Spiritualium factionis origines non minus in Tuscia quam in aliis ordinis Min. partibus cum ipsius ordinis originibus fere simul exstiterunt. Maiora incrementa eo maxime tempore haec secta ibi capiebat, quo fr. Petrus Ioannis Olivi lectorem Florentiae agebat (anno 1287 vel 1288). Tempore autem Clementis papae V Ubertinus de Casali Spiritualium ibi princeps fuisse videtur. Quo a Spiritualibus Provinciae, ut supra n. 158, not. 1, diximus, ad se vocato illi Tusci duce carebant et sic id, quod eo praesente vix fecissent, attentabant. A « Communitate » se nimis premi querentes exeunte anno 1312 vel ineunte anno 1313 e suis conventibus ad illud tempus ipsis cum communitatis fratribus communibus aufugerunt et partim quosdam conventus (praesertim Carmignanensem, Aretinum, Ascianensem) ingressi fratres Communitatis inde expulerunt, partim alias in domos ab amicis concessas easque antea non religiosas se receperunt. Quibus scandalis ut occurreret summus pontifex, litteras praelatis supradictis dedit. Qui Bernardum ecclesiae s. Fidelis Senensis priorem, ut causam instrueret, delegarunt. Is Spirituales numero 34 singulos suis nominibus dictos, ut mandatis apostolicae sedis obedirent, litteris iussit 15 febr. 1314 datis. At Spirituales dicto priori eadem pertinacia resistebant, quam antea exercuerant in Antonium episcopum Florentin. ac fr. Grimaldum de Prato ord. Min., inquisitorem haer. prav. in partibus Tusciae, a quibus, antequam Clemens V literas dedit, in ius iam vocati erant. Cum autem causa instructa per diuturnum tempus se defendere non posse cognovissent, aufugiebant fere omnes in Siciliam. Adversus illos aufugos quid acturus sit Ioannes papa XXII, intelligemus infra n. 256 et 302.

[7] Reg. Vat. t. 60, f. 155, ep. 481*a* (n. 9494), apud *Wadd.* Ann. Min. ad a. 1313, n. 6; cfr. supra n. 217.

[8] Incip. « Exivi de paradiso », ut supra n. 195.

damus, quatenus vos vel unus aut duo vestrum per vos seu alium vel alios eisdem fratribus ex parte nostra in virtute sanctae obedientiae districte praecipere studeatis, ut ipsi, dictam ordinationem plene et inviolabiliter perpetuis futuris temporibus observantes, ad omnimodam praedictorum superiorum suorum obedientiam (omni exceptione et excusatione postposita) revertantur ubicumque, et sicut iidem superiores voluerint, moraturi ac devotum impensuri Domino famulatum secundum ipsius ordinis instituta. Dat. in prioratu de Grausello *etc.*, idus iulii, anno octavo.

219. Fratribus Min. Vigintimilien. copiam dat transferendi coenobium suum infra ipsam civitatem. [1]

1313, iulii 23, Grauselli.

Dilectis filiis .. guardiano et aliis fratribus ord. Minorum Vigintimilien. [2]

Laudabilis vestra religio promeretur, ut illa vos favoris gratia prosequamur, per quam sub tranquillitatis commodis liberius divinis obsequiis insistatis. Cum itaque, sicut dilectus filius Alexander [3] ordinis vestri generalis minister in nostra proposuit praesentia constitutus, locus vester Vigintimilien. adeo ruinosum fundum habere noscatur, quod vos tute non potestis in eo aliquatenus habitare: nos eiusdem ministri supplicationibus inclinati, vobis transferendi vos de dicto loco ad alium congruum situm infra civitatem Vigintimiliensem et ibidem locum vobis construendi sine iuris praeiudicio alieni (constitutione fel. record. Bonifatii papae VIII praedecessoris nostri et qualibet alia super hoc in contrarium edita non obstante), plenam auctoritate praesentium licentiam elargimur. Datum in prioratu de Grausello Vasionen. dioecesis, X kalendas augusti, anno octavo.

220. Committit archiepiscopo Hispalen., ut Fernandum Gundisalvi ord. Min. apostatam, qui nunc fratrem Gometium de ord. s. Ben. vocari se facit, et fr. Iohannem de Palmela, qui se pro episcopo Marrochitan. gerit et episcopatum Marrochitan. occupat ac Franciscum (de Rilato ord. Praed.), de quo (1312 ian. 10) auctoritate apostolica ecclesiae Marrochitan. fuit provisum, quominus illum tenere ac regere libere valeat, impedire ac perturbare conatur, capi faciat et contra eos procedat iuxta sanctiones canonicas. [4]

1313, septembris 4, Grauselli.

Venerabili fratri [Fernando] archiepiscopo Hispalen.

Ex conquestione *etc.* Dat. in prioratu de Grausello *etc.*, II nonas septembris, anno octavo.

221. Stephanum (ex ord. Min.) episcopum Portugallen. ad Ulyssiponen. ecclesiam transfert. [5]

1313, octobris 8, Grauselli.

Venerabili fratri Stephano episcopo Ulixbonen. [6]

Ecclesiarum utilitati *etc.* Nuper siquidem Ulixbonen. ecclesia (per translationem venerabilis fratris nostri Ioannis, olim Ulixbonen. episcopi, in archiepiscopum Bracharen. electi, per nos factam de ipso Ioanne ad Bracharen. ecclesiam tunc pastore carentem) solatio destituta pastoris, nos attendentes, quod de ipsius Ulixbonen. ecclesiae ordinatione nullus praeter nos se intromittere poterat (pro eo, quod nos dudum ante vacationem huiusmodi provisiones omnium ecclesiarum cathedralium tunc apud apostolicam sedem vacantium et vacaturarum in posterum dispositioni nostrae et eiusdem sedis reservavimus, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super iis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attentari), ac de provisione ipsius Ulixbonen. ecclesiae, ne prolixae vacationis exponeretur incommodis, sollicite cogitantes, tamdem post deliberationem, quam ad deputandum eidem Ulixbonen. ecclesiae personam utilem ac etiam fructuosam cum nostris fratribus habuimus diligentem, ad te tunc Portugallen. episcopum, virum utique litterarum scientia praeditum, morum honestate conspicuum, consilio providum, ac in spiritualibus et temporalibus circumspectum, nostrae considerationis intuitum duximus dirigendum. Quapropter de praedictorum fratrum consilio et apostolicae plenitudine potestatis te a vinculo, quo tenebaris Portugallen. ecclesiae, absolventes te ad Ulixbonen. ecclesiam supradictam transferimus teque ipsi Ulixbonen. ecclesiae in episcopum praeficimus et pastorem, liberam tibi concedendo licentiam ad eamdem Ulixbonen. ecclesiam te transferendi tibique curam et administrationem ipsius in spiritualibus et temporalibus committendo *etc.* Datum in prioratu de Grausello Vasionen. dioecesis, VIII idus octobris, pontificatus nostri anno octavo. [7]

222. Prioribus et guardiano infra nominatis mandat, ut locum quendam in civ. Senensi a fratribus ord. Saccorum derelictum et iuxta tenorem constitutionis Gregorii X in concilio generali Lugdunen. editae in libera dispositione sedis apostolicae remanentem Ricciardo s. Eustachii

[1] Reg. Vat. t. 60, f. 155, ep. 481*b* (n. 9495); apud *Wadd.* l. c. n. 42.

[2] Alias Albintimilien. (*Ventimiglia*) in custodia Albingana provinciae Ianuae.

[3] Bonini de Alexandria, qui in capitulo generali Barchinonae tempore Pentecostis a. 1313 electus (cfr. supra n. 212) illico ad summum pontificem se contulit.

[4] Reg. Vat. t. 60, f. 185, ep. 571 (n. 9612, cfr. 9611).

[5] Reg. Vat. t. 60, f. 213, ep. 665 (n. 9718). Cfr. supra n. 152.

[6] *Lisboa,* quae civitas est caput regni Lusitaniae sive Portugalliae.

[7] Clemens V eidem Stephano, qui a. 1322 transfertur ad Conchen. eccl., die 27 oct. 1313 tribuit facultatem mutuum con-

diacono cardinali, qui in ipso certos religiosos (viros seu mulieres) collocare desiderat, iusto pretio ab eodem recepto et ad Guilelmum episcopum Praenestin. mittendo, concedant. [1]

1313, novembris 14, apud Castrum novum.

Dilectis filiis .. Praedicatorum et .. Heremitarum s. Augustini prioribus ac .. guardiano Minorum fratrum ordinum Senen.

Oblata nobis *etc.* Dat. apud Castrum novum Avinion. dioec., XVIII kal. decembris, anno nono.

223. Thomae comiti Marsici eiusque uxori concedit facultatem aedificandi in civitate Tricaricen. unam domum ad usum fratrum Minorum. [2]

1314, ianuarii 10, Montiliis.

Dilecto filio nobili viro Thomae de sancto Severino, comiti Marsici, et dilectae in Christo filiae nobili mulieri Suaviae eius uxori. [3]

Sincerae devotionis affectus, quem erga nos et apostolicam sedem geritis, promeretur, ut votis vestris in iis potissime liberaliter annuamus, per quae reddamini conspectui divinae maiestatis accepti vobisque praeter humanae laudis praeconium salutis proveniat incrementum. Habet siquidem expositae nobis vestrae petitionis assertio, quod in civitate vestra Tricaricensi [4] non sunt aliqui de ordinibus Mendicantium, a quibus iuxta desideria vestra orationum suffragia et salubria documenta suscipere valeatis, quodque in desideriis vestris geritur, ut ibidem locum seu domos aliquas construatis, in quibus aliqui ex fratribus ordinis Minorum moram continuam contrahant, devotum et sedulum sacrificium laudis Altissimo impensuri. Sed quia dicti fratres locum seu domos ipsas recipere nequeunt (constitutione fel. rec. Bonifatii papae VIII praedecessoris nostri super hoc obicem ingerente) absque apostolicae sedis licentia speciali, vestra humilis flagitavit instantia, vobis super huiusmodi pio proposito et eidem ordini Minorum per ipsius sedis clementiam provideri. Nos itaque huiusmodi vestrum laudabile desiderium salubreque propositum dignis in Domino laudibus attollentes et volentes patris more benevoli, ut illud de apostolicae sedis beneplacito efficaciter impleatur, gerentes quoque circa praefatum ordinem Minorum specialis dilectionis affectum, devotioni vestrae construendi huiusmodi locum seu domos in civitate praefata dictoque ordini Minorum recipiendi libere locum et domos ipsas easque licite perpetuis futuris temporibus retinendi et morandi in illis ac inibi oratorium seu ecclesiam aedificandi sine iuris praeiudicio alieni, praedicta et qualibet alia constitutione contraria non obstante, plenam et specialem auctoritate apostolica licentiam impartimur. [5] Nulli ergo *etc.* Datum Montiliis Carpentoraten. dioecesis, IV idus ianuarii, pontificatus nostri anno nono.

224. Petrum episcopum Ruthenen. (ex ord. Min.) promovet in patriarcham Hierosolymitan., ita ut ei remaneat onus et honor ecclesiae Ruthenen. [6]

1314, februarii 26, Montiliis.

Venerabili fratri Petro episcopo Ruthenen., in patriarcham Ierosolimitan. electo. [7]

Licet ad universas orbis ecclesias *etc.* Dat. Montiliis Carpentoraten. dioec., IV kal. martii, anno nono.

225. Cancellario Parisien. mandat, ut fratri Arnaldo Roiardi ord. Min. conferat magisterium in s. theologia. [8]

1314, martii 30, apud Castrum novum.

Dilecto filio [Francisco de Neapoli] cancellario ecclesiae Parisien.

Litterarum scientia et praecipue theologicae facultatis, qua dilectus filius frater Arnaldus Roiardi ordinis Minorum [9] praeditus fore dinoscitur, nec non et alia sua laudabilia merita probitatis, quibus personam suam Dominus multipliciter insignivit, exposcunt, ut, cum idem frater Arnaldus in eadem

---

trahendi usque ad summam 6000 fl. auri pro suis necessariis et ecclesiae suae negotiis expediendis; die vero 27 nov. 1313 ei, cum regem Portugalliae, cuius est consiliarius, sequi debeat et ab eo frequentius evocetur, indulget, quod ecclesias, monasteria et loca ecclesiastica suae dioec. per alium visitare atque duabus personis idoneis canonicatum et praebendam in sua ecclesia conferre valeat; die autem 18 dec. 1313 eum compelli iubet ad solvendum in terminis praefixis illa 6000 fl. auri, quae auctoritate apostolica pro suis et ecclesiae suae negotiis expediendis a Bencio Carucii cive et mercatore Florentin. mutuo acceperat (n. 9707, 10083, 10087, 10104).

[1] Reg. Vat. t. 61, f. 1, ep. 1 (n. 10059). Iste cardinalis Ricciardus 14 febr. 1314 e vivis discedit. Cr. supra p. 92 not. 2 v. fin.

[2] Reg. Vat. t. 61, f. 21, ep. 73 (n. 10137), apud. *Wadd.* l. c. reg. pont. Clem. V, n. 46.

[3] Quae in eadem civitate Tricaricen. a. 1333 Clarissis monasterium fundasse dicitur.

[4] *Tricarico* in Basilicata.

[5] Quae quidem minime executioni mandata fuisse videtur. Crediderim tamen eius loco fundatum esse aut locum fr. Min. Marsici (in custodia Principatus provinciae Terrae laboris) aut monasterium Clarissarum Tricarici, de quo in annot. praeced.

[6] Reg. Vat. t. 61, f. 59, ep. 191 (n. 10282).

[7] Cfr. supra n. 134. Eidem Clemens V concedit pallium litteris die 25 mart. 1314 datis (n. 10280).

[8] Reg. Vat. t. 51, f. 60, ep. 194 (n. 10285); cfr. *Chart. univ. Paris.* II, 170, et *Sbar.* supplem. ad script. ord. Min. p. 99. — Meminisse iuvat, die 18 nov. 1304 Gundisalvum ministrum generalem ord. Min. Guilelmo guardiano Parisien. iniunxisse, ut celeberrimum illum fratrem Ioannem Duns Scotum, baccalareum in s. theol., cancellario Parisien. pro licentia concedenda quam primum praesentaret. Cfr. *Wadd.* Ann. Min. ad a. 1304, n. 32, et *Chart. univ. Paris.* t. II, p. 117, n. 652.

[9] A. 1311-1312 lector in conventu Tolosan., a. 1321 in archiepiscopum Salernitan. promotus, a. 1330 ad eccl. Sarlaten. translatus. Cfr. infra n. 429.

facultate adeo Dei gratia adiuvante profecerit, quod ad cathedram magistralem ascendere mereatur, sub modio eius lucerna non lateat, sed in conspectu Dei et hominum radios in fide Domini claritatis effundat, ac sub eius magistrali doctrina viri prodeant meritorum laudabilium et morum nobilitate conspicui, qui sibi per incrementa virtutum et aliis proficiant per exempla. Ad cuius eruditionem doctrinae est iuxta morem plurimum opportuna licentia magistralis, cuius concessio ad te dinoscitur pertinere. Nos itaque, qui studium divini iuris per dignorum doctorum augmentum cupimus ampliari et in eo erudiri orthodoxae fidei zelatores, discretioni tuae, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta districte praecipiendo mandamus, quatenus eidem fratri Arnaldo infra instans festum beati Iohannis Baptistae, insignia magisterii concedendo, regendi et docendi in scientia dictae theologicae facultatis licentiam largiaris: non obstantibus quibuslibet privilegiis, consuetudinibus et statutis, per quae posset praemissa licentia impediri quomodolibet vel differri. Datum apud Castrum novum Avinionen. dioecesis, IV kalendas aprilis, pontificatus nostri anno nono.

IOANNES PAPA XXII

(olim Iacobus Duesa Caturcensis, episcopus Portuen.)

Lugduni anno 1316 die 7 augusti electus et die 5 septembris coronatus, obiit Avinione die 4 decembris 1334

226. Ioannae comitissae Pictavensi concedit facultatem ingrediendi monasteria religiosarum, etiam Minorissarum. [1]

1316, septembris 30, Avinione.

Ioannes episcopus, servus servorum Dei, [2] *dilectae in Christo filiae Ioannae comitissae Pictavensi* [3] *salutem et apostolicam benedictionem.*

Devotionis tuae sinceritas promeretur, ut, quae a nobis suppliciter postulas, tibi affectu benivolo concedamus. Hinc est, quod nos tuis supplicationibus inclinati tibi, ut cum decenti et honesta comitiva monasteria quarumcunque religiosarum inclusarum quorumcunque ordinum, et specialiter Cartusiensium et Minorissarum, non obstantibus ipsorum monasteriorum et ordinum contrariis consuetudinibus et statutis, ingredi libere et licite horis congruis valeas, dummodo earum, quae ipsis praesunt monasteriis, ad id accedat assensus, tuque et eadem comitiva non pernoctetis in ipsis, auctoritate praesentium indulgemus. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, II kal. octobris, anno primo.

227. Matildi comitissae Atrebaten. concedit facultatem ingrediendi monasteria monialium quorumcumque ordinum, etiam s. Clarae. [4]

1316, octobris 8, Avinione.

Dilectae in Christo filiae nobili mulieri Matildi [5] *comitissae Attrebatensi.* [6]

Devotionis tuae sinceritas promeretur, ut, quae a nobis suppliciter postulas, tibi affectu benivolo concedamus. Hinc est, quod nos tuis supplicationibus inclinati tibi, ut cum decem honestis mulieribus clausuras monasteriorum monialium Cartusiensium, Cisterciensium, Iacobitarum [7] et sanctae Clarae, ac quorumcunque aliorum ordinum monialium inclusarum (non obstantibus ipsorum monasteriorum et ordinibus consuetudinibus et statutis, constitutione seu ordinatione qualibet contrariis) ingredi libere de die ac horis congruis valeas, dummodo abbatum et abbatissarum monasteriorum ipsorum vel eorum, qui monasteriis ipsis praefuerint, ad id accedat assensus, et nec tu nec ipsae mulieres pernoctetis ibidem, auctoritate praesentium indulgemus. Nulli ergo *etc.* Dat. Avinione, VIII idus octobris, anno primo.

228. Blanchae viduae Philippi de Atrebato concedit facultatem ingrediendi monasteria monialium certorum quorundam ordinum, etiam s. Clarae. [8]

1316, octobris 26, Avinione.

Dilectae in Christo filiae nobili mulieri Blanchae relictae quondam Philippi de Attrebato.

Devotionis tuae sinceritas *etc.* Hinc est, quod nos tuis supplicationibus inclinati tibi, ut cum ho-

[1] Reg. Vat. t. 63, f. 77 ep. 226.

[2] Verba « Ioannes episcopus, servus servorum Dei » atque « salutem et apostolicam benedictionem » omittentur in litteris sequentibus.

[3] De Burgundia (filiae Othonis IV com. Burg. et Matildis com. Atrebaten., cfr. n. 227), uxori Philippi com. Pictaven., filii Philippi IV regis Franc. secundogeniti, paulo post (defuncto Ludovico fratre natu maiore) in regem Franc. assumpti. Cfr. infra n. 229.

[4] Reg. Vat. t. 63, f. 155, ep. 486.

[5] Alias *Mahaut.*

[6] Filiae Roberti comitis Atrebaten. *(Artois)* et Margaritae de Hanonia, heredi comitatus Atreb. (defuncto Philippo fratre unico, cf. n. 228), uxori Othonis IV comitis Burgundiae, ex quo peperit Ioannam, postmodum reginam Franciae, † 1329 oct. 27.

[7] I. e. Ord. Praed.

[8] Reg. Vat. t. 64, f. 258, ep. 1748. Cfr. supra not. 6.

nesta et matura societate virorum sex et mulierum, quae totidem numerum non excedant, monasteria religiosarum sororum, scilicet Praedicatorum et sanctae Clarae, Cisterciensis, Cartusiensis et sancti Petri de Morrone [1] ordinum, non obstantibus ipsorum monasteriorum vel ordinum contrariis consuetudinibus et statutis, ingredi libere de die ac horis congruis valeas, dummodo abbatum et abbatissarum monasteriorum ipsorum vel eorum qui monasteriis ipsis praefuerint, ad id accedat assensus, et nec tu nec viri et mulieres praedicti pernoctetis ibidem, auctoritate praesentium indulgemus. Nulli ergo *etc.* Dat. Avinione, VII kalendas novembris, anno primo.

229. Philippo regna Franciae et Nav. regenti concedit facultatem cum octo fratribus Praed. et Min. atque honesta comitiva monasteria monialium ingrediendi. [2]

1316, novembris 12, Avinione.

Dilecto filio nobili viro Philippo clarae memoriae [Philippi] regis Franciae filio, regna Franciae et Navarrae regenti. [3]

Ex tuae devotionis meritis provenire conspicitur, ut apostolicae sedis benignitas consueta personam tuam in hiis, quae commode postulas, favorabiliter prosequens tibi se reddat ad gratiam liberalem. Hinc est, quod nos tuis supplicationibus inclinati auctoritate praesentium indulgemus, ut monasteria monialium, cuiuscunque ordinis fuerint, cum octo fratribus Praedicatorum et Minorum ordinum ac honesta et decenti hominum et mulierum comitiva ingredi valeas, dummodo tu et iidem fratres ac homines et mulieres in monasteriis ipsis nequaquam edatis vel aliquatenus pernoctetis. Non obstantibus *etc.* Dat. Avinione, II idus novembris, anno primo.

230. Praelatis infra nominatis mandat, ut religiosis (etiam de ordinibus Mendicantium) dioec. Albien. inhibeant, ne solemnizent matrimonia absque parochorum licentia. [4]

1316, novembris 17, Avinione.

Venerabili fratri .. episcopo Caturcensi [5] et dilectis filiis .. abbati monasterii de Monte Albano [6] ac .. praeposito ecclesiae Tholosanae.

Petitio venerabilis fratris nostri Beraldi episcopi Albiensis [7] nobis exhibita continebat, quod nonnulli religiosi exempti et non exempti, etiam de ordinibus Mendicantium, civitatis et dioecesis Albiensis ac partium vicinarum in ipsius episcopi et Albiensis ecclesiae praeiudicium et gravamen matrimonia inter personas civitatis et dioecesis praedictarum ac personas partium vicinarum cum personis eisdem in suis ecclesiis vel domibus aut capellis seu oratoriis celebrant et solemnizant seu celebrari aut solemnizari per se vel alios bannis non proclamatis permittunt, a rectoribus seu capellanis parochialium ecclesiarum, in quibus huiusmodi personae consistunt, licentia non habita nec obtenta. Praefati vero religiosi personas excommunicatas auctoritate ipsius episcopi aut officialium suorum vel alterius iudicis competentis in eorum locis et cimiteriis sive claustris, quamquam de earum absolutione non constet nec appareat aliqua super hoc obtenta ab episcopo, officialibus vel iudicibus supradictis, cum decedunt, ad ecclesiasticam sepulturam admittunt et sepeliunt et sepeliri faciunt contra praedictorum episcopi et suorum officialium voluntatem, eorum requisitione et contradictione qualicumque non obstante. Quare dictus episcopus nobis humiliter supplicavit, ut providere super hiis sibi et eidem Albiensi ecclesiae paterna sollicitudine curaremus. Nos igitur, praedictorum religiosorum conatibus obviare volentes, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus per vos vel alium seu alios, cum super hoc fueritis requisiti, eisdem religiosis, cuiuscumque ordinis fuerint, auctoritate nostra inhibere curetis, ne huiusmodi matrimonia, nisi eis constaret de rectorum licentia eorundem vel quod de parochiis eorum existerent, de caetero talia solemnizare praesumant, eos ad hoc monitione praemissa ac contradictores quoslibet per censuram ecclesiasticam compellendo; personas vero quascunque ut praemittitur sic ligatas sententiis, nisi prius legitime de eorum absolutione constaret, ut superius est expressum, in eorum cimiteriis sive locis ne admittant ad ecclesiasticam sepulturam, eos, si secus agerent, censura simili appellatione cessante cogatis. Datum Avinione, XV kalendas decembris, anno primo.

231. Indulget Mariae, Siciliae reginae viduae, quod possit ingredi monasterium s. Mariae Neapol. ord. s. Clarae. [8]

1316, novembris 29, Avinione.

Carissimae in Christo filiae Mariae reginae Ierusalem et Siciliae illustri. [9]

Personam tuam devotione praeclaram et generositatis titulo insignitam paternae caritatis affectibus prosequentes votis tuis libenter annuimus,

[1] Olim Coelestini papae V, quare « Coelestini » quoque appellantur monachi secundum eius institutionem viventes.
[2] Reg. Vat. t. 63, ep. 849. Cfr. infra n. 280.
[3] Olim comiti Pictaven. Cfr. supra n. 226.
[4] Reg. Vat. t. 64, f. 174, ep. 1490.
[5] *Cahors* in partibus Tolosanis *(Toulouse)*.
[6] *Montauban*, paulo post in ecclesiam cathedralem erecti.
[7] *Albi* in partibus Tolosanis.
[8] Reg. Vat. t. 64, f. 160, ep. 1448*a*.
[9] Viduae relictae Caroli II regis Siciliae.

ut, quae pie deposcis a nobis, tibi favorabiliter impertimur. Hinc est, quod nos tuis supplicationibus inclinati tibi, ut monasterium sanctae Mariae domnae reginae Neapolitan. ordinis sanctae Clarae [1] cum decenti matronarum comitiva, quae octo numerum non excedat, ingredi libere valeas, dummodo eius, quae eidem monasterio praeest, ad id accedat assensus, et nec tu nec eaedem matronae aliquatenus pernoctetis ibidem, non obstantibus eorundem ordinis et monasterii statutis et consuetudinibus contrariis, auctoritate praesentium indulgemus. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, III kalendas decembris, anno primo.

232. Concedit indulgentias visitantibus ecclesiam praedicti monasterii. [2]

1316, novembris 29, Avinione.

Universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis.

In sanctorum festivitatibus *etc.* Ut ergo ecclesia sanctae Mariae domnae reginae de Neapoli congruis fidelium frequentetur honoribus, et eo frequentiori fideles ipsi eandem venerentur accessu, quo maiora inde se speraverint praemia gratiae reportare: nos, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui ecclesiam ipsam in Nativitatis, Resurrectionis Domini et Pentecostes, beatae Mariae virginis et sanctae Clarae, unum annum, et in sanctorum Andreae, Bartholomaei, Petri apostolorum, Laurentii martyris, Francisci, Antonii, Ludovici confessorum, et sanctarum Agnetis et Elisabeth festivitatibus venerabiliter visitarint, centum dies de iniunctis sibi poenitentiis misericorditer relaxamus. Datum Avinione, III kalendas decembris, anno primo.

233. Blanchae filiae s. Ludovici regis Francorum concedit, quod aliqui fratres Minores executores testamenti ipsius esse possint. [3]

1317, ianuarii 1, Avinione.

Dilectae in Christo filiae nobili mulieri Blancae filiae sanctae memoriae beati Ludovici regis Francorum. [4]

Tuae magnitudinis praecelsa devotio, per quam nos et apostolicam sedem tamquam benedictionis filia revereris, digne nostros excitat cogitatus, ut illa tibi favore benevolo concedamus, per quae tibi salutis extimas commoda proventura. Exposita siquidem nobis tua petitio continebat, quod, cum tu iam dudum ab ineunte pueritia tua fratres ordinis Minorum et confessores tuos et alias in hiis, quae ad fidem catholicam et morum instructionem pertinent, fideles alumpnos habueris et etiam instructores, et ob probatam fidelitatem, quam erga clarae memoriae [Margaritam] reginam Franciae matrem tuam, dum adhuc viveret, et post eius obitum circa executionem sui testamenti, ad quam deputati quidam fratres Minores fuerant, servaverunt, nobis humiliter supplicasti, ut tibi, quod aliquos de fratribus ipsis executores constituere tui valeas testamenti, concedere dignaremur. Nos igitur tuis supplicationibus inclinati, quod aliquos dicti ordinis fratres, de quibus tibi videbitur, una cum personis saecularibus, quas ad hoc duxeris eligendas, eiusdem testamenti tui executores instituere valeas, dictique fratres in se onus executionis huiusmodi libere suscipere possint et etiam adimplere, quibuscunque apostolicae sedis constitutionibus contrariis nequaquam obstantibus, tibi et eisdem fratribus auctoritate apostolica concedimus de gratia speciali. Nulli ergo *etc.* Dat. Avinione, kalendis ianuarii, pont. nostri anno primo.

234. Guilelmum Minoritam praeficit ecclesiae Patracen. in archiepiscopum. [5]

1317, ianuarii 3, Avinione.

Venerabili fratri Guillelmo archiepiscopo Patracen.

Coelestis dispositione consilii *etc.* Dudum siquidem Patracen. [6] ecclesia per obitum bonae memoriae Raynerii archiepiscopi Patracen. solatio destituta pastoris, dilecti filii capitulum ipsius ecclesiae, ut moris est, convenientes in unum pro futuri electione archiepiscopi celebranda, dilectum filium Franciscum dictum Scovaloca decanum eiusdem ecclesiae in archiepiscopum Patracen. per formam compromissi conformiter elegerunt. Cumque idem Franciscus dictae electioni de se factae consentiens personaliter dictique capitulum per procuratores idoneos ad sedem apostolicam accessissent et praesentato nobis dictae electionis decreto nobis humiliter supplicassent, ut electionem ipsam confirmare de benignitate apostolica dignaremur, nos tam electionem ipsam quam eiusdem electi personam per venerabilem fratrem Arnaldum episcopum Sabinen. et dilectos filios nostros Nicolaum tituli sancti Eusebii presbyterum et Neapoleonem sancti Adriani diaconum cardinales examinari fecimus

[1] Alias, ut videtur, s. Iohannis ad Nidum ab ipsa regina reformatum et ampliatum. Cfr. supra n. 151.
[2] Reg. Vat. t. 64, f. 160, ep. 1448*b*.
[3] Reg. Vat. t. 64, ep. 1317 et 1327.
[4] Cfr. supra n. 93, 198, 206.
[5] Reg. Vat. t. 64, ep. 1612, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII n. 2.
[6] *Patras* in Graecia.

diligenter. Et quia facta nobis super hoc ab eisdem episcopo et cardinalibus relatione fideli invenimus eundem Franciscum evidentem et intolerabilem in archiepiscopo scientiae pati defectum, electionem de ipso factam (non alio personae suae vitio, sed propter huiusmodi tantum scientiae defectum) iustitia cassavimus exigente. Et post haec saepe dictam ecclesiam, utpote fidelem et devotam sedis praedictae filiam, paternis affectibus prosequentes ac ipsam praeservare volentes a dispendiis, quae sibi e vacatione diutina possent verisimiliter imminere, de praeficiendo ei approbatam idoneamque personam coepimus cogitare sollicite, et tandem (post deliberationem super hoc habitam cum praefatis episcopo et cardinalibus ac aliis nostris fratribus diligenter) ad te ordinem fratrum Minorum professum, virum utique religionis zelo fervidum, dono scientiae praeditum, morum ac generis nobilitate praeclarum et virtuosis actibus commendatum, in spiritualibus providum et temporalibus circumspectum, convertimus aciem nostrae mentis: et praemissis omnibus in considerationem adductis de persona tua, nobis dictisque fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, praedictae Patracen. ecclesiae providemus, teque illi de ipsorum fratrum consilio et apostolicae plenitudine potestatis in archiepiscopum praeficimus et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus committendo, et subsequenter tibi per praefatum Sabinen. episcopum munus consecrationis impendi, ac demum pallium, insigne videlicet pontificalis officii, de corpore beati Petri sumptum, a te cum ea qua decuit instantia postulatum, tibi ad usum praedictae ecclesiae per dilectos filios nostros praedictum Neapoleonem sancti Adriani, Iacobum sancti Georgii ad velum aureum, Lucam sanctae Mariae in via lata, Franciscum sanctae Mariae in Cosmedin, Arnaldum sanctae Mariae in Porticu et Bernardum sanctae Agathae diaconos cardinales fecimus assignari iuxta formam, quam Romana ecclesia consuevit in talibus observare *etc.* Datum Avinione, III nonas ianuarii, anno primo. [1]

235. Theodoro marchioni Montisferrati concedit, quod aedificare possit fratribus Minoribus domum in Clavassio. [2]

1317, ianuarii 10, Avinione.

Dilecto filio nobili viro Theodoro, marchioni Montisferrati.

Devotionis tuae sinceritas promeretur, ut votis tuis in iis potissime liberaliter annuamus, per quae tibi praeter laudis humanae praeconium salutis proveniat incrementum. Oblata nobis siquidem petitio tua continebat, quod tu, cupiens terrena in coelestia et transitoria in aeterna felici commercio commutare, ordini fratrum Minorum in Clavassio [3] Yporegien. dioecesis, castro tuo utique sicut asseris populoso, domum seu locum aedificare desideras pro tuorum remedio peccatorum. Quare nobis humiliter supplicasti, ut et tibi id faciendi et ipsius ordinis fratribus domum seu locum huiusmodi recipiendi et inhabitandi perpetuo (constitutionibus felicis recordationis Bonifatii papae VIII praedecessoris nostri et quacumque alia in contrarium editis nequaquam obstantibus) licentiam concedere dignaremur. Nos itaque, tuum hoc pium et laudabile propositum in Domino commendantes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi et eisdem fratribus licentiam benigne concedimus postulatam, iure ordinariorum et cuiuslibet alterius in omnibus semper salvo. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, IV idus ianuarii, anno primo.

236. Sanciae reginae Siciliae concedit licentiam augendi numerum monialium monasterii s. Clarae de Neapoli (dicti « Corpus Domini »). [4]

1317, ianuarii 10, Avinione.

Carissimae in Christo filiae Sanciae reginae Siciliae illustri.

Ob tuorum excellentiam meritorum, quibus regalis sublimitas dignoscitur insignita, non indigne petitiones tuas, quantum cum Deo possumus, libenti animo exaudimus, illas praecipue, quae augmentum cultus divini respiciunt et tuae salutis incrementa concernunt. Oblata siquidem nobis tua insinuatio continebat, quod ob magnae devotionis affectum, quem intime geris ad ampliationem ordinis sanctae Clarae, de licentia sedis apostolicae fecisti iam in civitate Neapolitana monasterium construi, in quo centum sorores eiusdem ordinis residere continue debeant et virtutum Domino famulari, de acquisitis a te possessionibus et redditibus sustendandae. [5] Verum, quoniam plures sorores in monasterio illo collocare desideras et pro sustentatione illarum disponis acquirere possessiones et redditus ampliores, supplicasti nobis humiliter, ut et tibi augendi numerum sororum huiusmodi ac eisdem sororibus in eodem monasterio habitandi

[1] Litteris die 18 sept. 1322 datis summus pontifex eidem archiepiscopo († a. 1337) dat facultatem concedendi officium tabellionatus aliquibus idoneis viris. Cfr. Reg. Vat. t. 75, ep. 1720.

[2] Reg. Vat. t. 64, f. 234, ep. 1669, apud *Wadd.* reg. pont. Io. XXII, n. 8.

[3] *Chivasso* dioec. Iporegien. (*Ivrea*), tum in custodia Pedemontis provinciae Ianuen.

[4] Reg. Vat. t. 64, f. 1887c, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 3.

[5] Cfr. supra n. 200.

perpetuo et recipiendi possessiones et redditus, quos pro ipsis duxeris acceptandos, licentiam concedere dignaremur. Nos igitur, tuo in hac parte laudando proposito sic favere volentes, ut tamen augmentum huiusmodi numeri sub decenti moderatione restringamus, tuis supplicationibus inclinati, tibi ultra praefatum centenarium numerum sororum alias dumtaxat viginti sorores in ipso monasterio collocandi, postquam sufficientes possessiones et redditus pro ipsarum victu monasterio assignaveris antedicto, ac eisdem sororibus inibi morandi perpetuo et recipiendi possessiones et redditus antefatos (felicis recordationis Bonifatii papae VIII praedecessoris nostri et quibusvis aliis constitutionibus contrariis nequaquam obstantibus) auctoritate praesentium plenam concedimus facultatem. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, IV idus ianuarii, [1] anno primo.

237. Eidem reginae concedit licentiam construendi in civitate Neapolitana domum ad usum fratrum Minorum. [2]

1317, ianuarii 10, Avinione.

Eidem reginae.

Grandis et sincera devotio, qua erga Deum et Romanam ecclesiam matrem tuam pollere dignosceris, promeretur, ut (personam tuam, claris exigentibus meritis, favoribus prosequentes uberibus) votis tuis in iis potissime liberaliter annuamus, per quae divinae maiestati reddaris acceptior et gratiosior habearis tibique praeter humanae laudis praeconium salutis proveniat incrementum. Habebat siquidem tua insinuatio facta nobis, quod pro tuorum remedio peccatorum et divini cultus augmento ordini fratrum Minorum domum et ecclesiam cum officinis in civitate Neapolitana iuxta monasterium, quod de licentia sedis apostolicae ad ampliationem ordinis sanctae Clarae iam inibi construi pia devotione fecisti, aedificare desideras, quare supplicasti, ut et id tibi faciendi et ipsius ordinis fratribus domum et ecclesiam cum officinis huiusmodi recipiendi et inhabitandi perpetuo licentiam concedere dignaremur. Nos itaque tuum pium laudandumque propositum in Domino commendantes, tuis supplicationibus inclinati, tibi domum et ecclesiam cum officinis in loco ipso construi faciendi, in quo viginti dumtaxat fratres ordinis praedicti resideant divinis obsequiis vacaturi, ac eisdem fratribus domum et ecclesiam cum officinis eisdem recipiendi et inhabitandi perpetuo, iure ordinariorum et cuiuslibet alterius in omnibus semper salvo (constitutionibus quibuscumque in contrarium editis et ea praecipue, qua cavetur de religiosis locis aedificandis in certa distantia, nequaquam obstantibus) plenam et liberam licentiam tenore praesentium impartimur. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, IV idus ianuarii, anno primo.

238. Eidem reginae indulget, quod monasterium s. Clarae Neapolitan. ab ipsa fundatum gaudeat indulgentiis et privilegiis ordinibus fratrum Minorum et sororum s. Clarae concessis. [3]

1317, ianuarii 10, Avinione.

Eidem reginae.

Claris tuae celsitudinis meritis sic tibi favorem et gratiam sedis apostolicae vendicasti, ut sibi redundet ad gaudium, dum tibi concedit, quae congruere perpenderit desideriis mentis tuae. Cum itaque, sicut ex parte tua fuit expositum coram nobis, de licentia sedis apostolicae monasterium quoddam in civitate Neapolitana pia intentione construi feceris ad ampliationem ordinis sanctae Clarae, ut ibi sororum eiusdem ordinis copiosus numerus ad obsequendum Altissimo collocetur, quae de acquisitis et assignatis sibi per te possessionibus et redditibus sustententur: nos devotis tuis supplicationibus benignius annuentes, ut idem monasterium ac praedictae sorores, postquam inibi fuerint collocatae, nec non omnes et singuli ad dictum monasterium cum veneratione debita confluentes, omnibus indulgentiis ordinibus fratrum Minorum et sororum sanctae Clarae suis vicibus et diebus quavis auctoritate concessis potiantur et gaudeant, auctoritate tibi praesentium indulgemus. Nulli ergo *etc.* Datum ut supra.

239. Ministris generali et provinciali Terraelaboris adimit et interdicit facultatem concedendi quibusvis personis licentiam monasterium s. Clarae Neapolitan. ingrediendi. [4]

1317, ianuarii 10, Avinione.

Dilecto filio generali ordinis fratrum Minorum ac provinciali eiusdem ordinis in Terra laboris ministris.

Cum carissima in Christo filia nostra Sancia regina Siciliae illustris de licentia sedis apostolicae pro suorum remissione peccaminum ad dilatandum ordinem sanctae Clarae monasterium in civitate Neapolitana, sicut ex ipsius percepimus assertione, fundaverit, ut in illo centum sorores eiusdem ordinis virtutum Domino famulentur, de redditibus per reginam acquisitis eandem inibi sustentandae, sitque ipsa regina pia intentione sollicita, ut ad

[1] Non « iulii », sicut exhibet *Wadd.* l. c. Idem dicendum est de bullis infra nn. 237 et 238 relatis.

[2] Reg. Vat. t. 64, ep. 1887*d*, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 5.

[3] Reg. Vat. t. 64, ep. 1887*f*, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 4.

[4] Reg. Vat. t. 64, ep. 1887*m*, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 7.

sorores easdem, postquam inclusae in huiusmodi monasterio fuerint, rarus habeatur accessus, ut sic ab humanis conspectibus separatae servire Christo liberius valeant et lacessendi opportunitate sublata eidem corda et corpora sua in omni sanctimonia diligentius custodire: nos suis in hac parte votis laudabilibus occurrentes ac eius supplicationibus inclinati, vobis concedendi quibusvis personis ad sorores easdem ingrediendi licentiam, nisi aliud necessitas aut utilitas suaderet, super quo vestras conscientias intendimus onerare, privilegiis, consuetudinibus vel statutis quibuscumque contrariis nequaquam obstantibus, adimimus et interdicimus facultatem. Datum ut supra.

240. Archiepiscopum Neapolitanum constituit conservatorem iurium et privilegiorum monasterii s. Clarae Neapolitan. [1]

1317, ianuarii 10, Avinione.

Venerabili fratri archiepiscopo Neapolitano.

Etsi quibuslibet Christifidelibus, ne afficiantur iniuriis aut molestiis agitentur, de iniunctae nobis debito servitutis opportunae defensionis praesidio teneamur assistere, illis tamen, quae mundi relictis illecebris se Redemptoris obsequio dedicarunt, efficacius tenemur adesse, ut, repressis in malitia gloriantium iustitiae refragantis fraeno conatibus, vacantes divino cultui liberius valeant in observantia mandatorum Domini delectari. Cum itaque carissima in Christo filia nostra Sancia regina Siciliae illustris, sicut ex ipsius insinuatione nobis facta percepimus, de salute propria cogitans monasterium quoddam in civitate Neapolitana de licentia sedis apostolicae iam construi fecerit, ut copiosus sororum ordinis sanctae Clarae numerus ibi Domino famuletur, possessionibus et redditibus, ex quibus eaedem sorores congrue sustententur, per reginam acquisitis eandem: nos, volentes sorores ipsas a forinsecis perturbationibus et ab irrogatione molestiarum et iniuriarum immunes, ne quomodolibet a divinis servitiis avocentur, et proinde adversus molestatores, occupatores, iniuriatores quoslibet de illo sibi remedio providere cupientes, per quod talium compescatur audacia et malignantibus aditus praecludatur, fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus per te vel per alium seu alios eisdem sororibus aut procuratoribus vel syndicis dicti monasterii opportuni favoris praesidio efficaciter et solerter assistens, ipsas super possessionibus, rebus et iuribus suis et dicti monasterii praesentibus et futuris, aut earum fructibus, redditibus et proventibus vel eorum praetextu non permittas ab aliquibus religiosis vel saecularibus (exemptis et non exemptis), clericis vel laicis, indebite molestari, exhibiturus eisdem sororibus, procuratoribus seu syndicis monasterii antedicti, cum ab ipsis vel eorum aliquo fueris requisitus, de personis quibuslibet super praedictis aut aliquo praedictorum eisdem sororibus iniurias, molestias vel gravamina nunc vel in posterum irrogantibus, exemptis et non exemptis, cuiuscumque dignitatis, ordinis, conditionis aut status existant (super iis videlicet, quae iudicialem requirunt indaginem, summarie et de plano sine strepitu et figura iudicii, super aliis vero, prout qualitas negotiorum exegerit), iustitiae complementum: molestatores, turbatores, occupatores et iniuriatores huiusmodi ac contradictores quoslibet et rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis; non obstantibus *etc.* Datum ut supra.

241. Elargitur indulgentias omnibus Christifidelibus, qui de bonis suis contribuent monasterio s. Clarae Neapolitan. [2]

1317, ianuarii 10, Avinione.

Universis Christi fidelibus. Licet is *etc.* Cum itaque carissima in Christo filia nostra Sancia regina Siciliae illustris ... de licentia sedis apostolicae ... ad dilatandum ordinis s. Clarae monasterium in civitate Neapolitana pia intentione fundaverit, ut in illo centum sorores eiusdem ordinis Domino famulentur de redditibus per reginam acquisitis eandem inibi sustentandae: nos, ipsius reginae laudabilibus in hac parte votis benignius attendentes ac cupientes, sorores easdem eleemosynis adiuvari fidelium, ut competentius valeant sustentari, universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur in Domino, in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatenus de bonis vobis a Deo collatis grata caritatis subsidia dictis sororibus erogetis, ut ab omnium retributore bonorum praemium possitis perenne suscipere et peccatorum vestrorum veniam promereri. Nos enim, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui eisdem sororibus de bonis suis immobilibus dicto monasterio applicandis congruam tribuant portionem, unum annum, qui vero de mobilibus quibuscumque manum eis porrexerint adiutricem, centum dies de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus. Datum Avinione, IV idus ianuarii, anno primo.

---

[1] Reg. Vat. t. 64, ep. 1887*n*, apud *Wadd.* l. c. n. 6.

[2] Reg. Vat. t. 6, ep. 1887*k*. Cf. litteras ab eadem Sancia regina ad Michaelem min. gen. ord. Min. neoelectum missas apud *Wadd.* l. c. ad a. 1316, n. 4.

242. Matthaeum episcopum (ex ord. Min.) transfert ab Imolen. ad Clusin. ecclesiam. [1]

1317, ianuarii 12, Avinione.

Venerabili fratri Mathaeo episcopo Clusin.

Inter sollicitudines alias *etc.* Dudum siquidem ecclesia Clusina ad Romanam dumtaxat ecclesiam pertinente per obitum bonae memoriae Massei episcopi Clusini vacante duae fuerunt inibi electiones (una videlicet de fratre Boveno, priore monasterii sancti Petri de Petrono per priorem soliti gubernari ordinis Vallisumbrosae Clusinae dioecesis, et alia de dilecto filio Rimbaldo, electo Imolensi, canonico Clusino) in discordia celebratae. Sane priore et canonico praefatis pro negotio electionum huiusmodi ad sedem apostolicam accedentibus ipsoque negotio coram felicis recordationis Clemente papa V praedecessore nostro proposito, idem praedecessor dilectum filium nostrum Guillelmum sancti Nicholai in carcere Tulliano diaconum cardinalem dedit partibus in causa huiusmodi auditorem; cumque postmodum idem cardinalis dicto praedecessori merita ipsius causae, quam servato iuris ordine discusserat, retulisset, idem praedecessor electionem praefatam dicti prioris certis ex causis (non tamen vitio personae dicti prioris) iustitia exigente cassavit. Verum dicto praedecessore de hac luce subtracto nobisque postmodum ad apicem summi apostolatus assumpto, idem canonicus iuri, si quod sibi ex sua electione huiusmodi competebat, in manibus dilectorum filiorum nostrorum Neapoleonis sancti Adriani et Arnaldi sanctae Mariae in Porticu diaconorum cardinalium, huiusmodi resignationem de mandato nostro facto eis oraculo vivae vocis admittentium, sponte cessit. Nos itaque praecavere volentes, ne dicta ecclesia Clusina ulterioris vacationis dispendia sustineret, et cupientes approbatam idoneamque personam ipsius ecclesiae Clusinae regimini deputare, post deliberationem, quam super hoc cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te tunc Imolensem episcopum, nobis et dictis fratribus ob tuorum exigentiam meritorum acceptum, utpote qui ecclesiae Imolensi pastor studiosus laudabiliter praefuisti et per quem credimus eandem ecclesiam Clusinam prospere dirigi et utiliter gubernari, direximus aciem mentis nostrae, teque a vinculo, quo tenebaris eidem Imolensi ecclesiae, absolventes ad ipsam ecclesiam Clusinam de praedictorum fratrum consilio et apostolicae plenitudine potestatis transferimus teque ipsi ecclesiae praeficimus in episcopum et pastorem, liberam tibi tribuentes licentiam ad eandem Clusinam ecclesiam transeundi, curam et administrationem ipsius tibi tam in spiritualibus quam temporalibus plenarie committendo *etc.* Datum Avinione, II idus ianuarii, anno primo.

In eundem modum dilectis filiis .. archipresbytero et capitulo ecclesiae Clusinae.

In e. m. dilectis filiis clero civitatis et dioecesis Clusinae.

In e. m. dilectis filiis populo civitatis et dioecesis Clusinae.

243. Bertrandum de Turre Min. et Bernardum Guidonis Praed. fratrum ordinum instituit sedis apostolicae nuntios eisque committit, ut intendant ad pacem in Lombardia. [2]

1317, ianuarii 29, Avinione.

Dilectis filiis fratribus Bertrando ministro fratrum ord. Min. in Aquitaniae, magistro theologicae facultatis, ac Bernardo Guidonis ord. Praed., inquisitori haer. prav. in Tolosana provinciis.

Etsi divinae legis *etc.* [3] Datum Avinione, IV kal. februarii, anno primo.

244. Indulget Sanctiae reginae Siciliae, quod moniales monasterii s. Clarae Neapolitan. ab ipsa fundati teneantur exprimere, quod sub eadem clausura convivant. [4]

1317, februarii 1, Avinione.

Carissimae in Christo filiae Sanctiae reginae Siciliae illustri.

Tuae devotionis exigentibus meritis petitiones tuas gratanter admittimus circa ea praesertim, quae divini cultus augmento aut regularis observantiae honestati convenire videmus. Cum itaque, sicut pro parte tua fuit nobis expositum, monasterium quoddam in civitate Neapolitana de licentia sedis apostolicae ad dilatationem ordinis sanctae Clarae pia intentione construi feceris, ut inibi sorores eiusdem ordinis virtutum Domino famulentur: nos tuis supplicationibus inclinati, quod eaedem sorores in monasterio collocandae praedicto ex nunc in voto et professione suis, quibus se promittunt sine proprio, in obedientia et castitate victuras, quartum teneantur exprimere, scilicet quod sub eadem clausura convivant, auctoritate praesentium indulgemus. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, kalendis februarii, anno primo.

245. Clarissis de Monte Marciano confirmat quasdam donationes a vicecomite Bearnii ipsis factas. [5]

1317, februarii 4, Avinione.

Dilectis in Christo filiabus abbatissae et con-

---

[1] Reg. Vat. t. 65, f. 20, ep. 2067.
[2] Reg. Vat. t. 63, ep. 58 de curia. Cfr. infra nn. 253 et 254.
[3] M. m. ut in alteris litteris eodem die ad nobiles Lombardiae datis, quas *Rayn.* Ann. eccl. ad a. 1317 nn. 32 et 33 publicavit.
[4] Reg. Vat. t. 65, f. 337, ep. 3061, apud *Wadd.* l. c. n. 9. Cf. supra nn. 236-241.
[5] Reg. Vat. t. 69, ep. 1559, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII n. 10.

ventui monasterii de Monte Marciano [1] *ordinis s. Clarae Aduren. dioecesis.*

Movet animum nostrum divinae pietatis intuitus, ut circa vos, quae mundi contemptis illecebris et vanitatibus saeculi libello dato repudii superni regis obsequiis adhaesistis, apostolicae misericordiae ianuam reserantes, petitionibus vestris, in quantum cum Deo possumus, benignius annuamus. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat, quod quondam Gasto vicecomes Bearnii et quondam Matha uxor eius, cupientes terrena pro coelestibus et caduca pro aeternis felici commercio commutare, locum de Berries cum aedificiis et omnibus iuribus et pertinentiis suis, molendinum etiam de Lusseo et cirmanagia, quae praefati vicecomes et eius uxor habebant in locis de Monte-Marciani, de Villa-Nova, de Roccafort et de Benecaded, et quaedam deveria in locis eisdem ac affaria Deufroxo, Destigarde, Deyres et Caroles, de Fascias, de Causac, de Labordit, de Camini, et deveria sancti Martini de Noet, decimas etiam de Monte Esquino, sanctae Mariae de Maripoy, sancti Felicis, sancti Martini Daurenac et sancti Leodigarii in Brulhesio Condomien. (tunc Agennen. et Aduren.) dioec., nec non quaedam casalia, terras, census et deveria et quasdam alias libertates et franquisias in tota terra eorum, prout spectabant ad eos, pro suarum et parentum suorum animarum remedio vobis et monasterio vestro pia et provida deliberatione donarunt, prout in instrumentis publicis et patentibus litteris inde confectis, eorumdem vicecomitis et uxoris sigillis munitis, plenius dicitur contineri. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, quod super hoc ab eisdem vicecomite et uxore pie et provide factum est, ratum et gratum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, II nonis februarii, anno primo.

246. Eisdem confirmat alias donationes per episcopos Aduren. ipsis factas. [2]

1317, februarii 4, Avinione.

Dilectis in Christo filiabus .. abbatissae et conventui monasterii Montis Marciani ordinis s. Clarae Aduren. dioec.

Movet animum nostrum *etc.* Sane petitio vestra nobis exhibita continebat, quod olim bonae memoriae Petrus episcopus Aduren. [3] diligenter attendens, quod locus vester de Berries, in quo antea morabamini, propter loci distantiam ab habitationibus hominum ac alias plures causas, quae eum ad id rationabiliter induxerunt, locum s. Iacobi villae Montis Marciani suae dioecesis, in quo nunc estis divino mancipatae obsequio, tunc ad ecclesiam Aduren. spectantem, de consensu capituli ecclesiae Adurensis pia et provida deliberatione donavit vobisque liberam concessit licentiam vos de dicto loco de Berries ad eundem locum sancti Iacobi Montismarciani libere transferendi, et habens ad eundem locum sancti Iacobi specialis devotionis affectum ac volens vobis, ut quietius possetis Domino deservire, de alicuius subventionis remedio vitae necessariis providere, sancti Iohannis de Gauzac et sancti Laurentii de Berries ecclesias cum pertinentiis et iuribus suis de consensu sui capituli concessit in perpetuum et donavit; laudavit etiam et approbavit idemque episcopus quasdam venditiones vobis et monasterio vestro factas per quondam Guillelmum de Scalaris domicellum et quondam Condoriam uxorem eius; ac postmodum etiam bonae memoriae Raymundus Adurensis episcopus, ipsius Petri successor, decimas de terris in parochiis de Berries consistentibus dictae dioecesis, quas propriis sumptibus excoli faceretis, tunc ad eandem ecclesiam Adurensem spectantes, de consensu etiam capituli supradicti in perpetuo concessit etiam et donavit, prout in diversis patentibus literis inde confectis ipsorum episcoporum et capituli sigillis munitis plenius dicitur contineri. Nos itaque vestris piis supplicationibus benignius annuentes, quod super hoc ab eisdem episcopis et capitulo pie ac provide factum est, ratum et gratum habentes, illud auctoritate apostolica confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus. Nulli *etc.* Dat. Avinione, II nonas februarii, anno primo.

247. Episcopos infra nominatos constituit conservatores iurium et privilegiorum monasterii de Monte-Marciano ord. s. Clarae. [4]

1317, februarii 4, Avinione.

Venerabilibus fratribus Vasaten., Aquen., Condomien. [5] *episcopis.*

Movet animum nostrum divinae pietatis intuitus, ut circa dilectas in Christo filias abbatissam et conventum monasterii de Monte-Marciano ordinis sanctae Clarae Aduren. dioecesis *etc. ut supra n. 246 usque ad* duximus confirmandum. Quocirca fraternitati vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios eisdem abbatissae et conventui efficacis defensionis praesidio assistentes non permittatis, eas contra huiusmodi confirma-

[1] *Mont-de-Marsan* in custodia Baionensi prov. Aquitaniae.
[2] Reg. Vat. t. 69, ep. 1527*a*.
[3] Anno 1285 electus obiit exeunte saeculo decimo tertio.
[4] Reg. Vat. t. 69, ep. 1527*b*, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 11.
[5] *Bazas, Dax, Condom.*

tionis nostrae tenorem ab aliquibus indebite molestari; molestatores huiusmodi per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Non obstante *etc.* Datum ut supra.

248. Margaritae comitissae de Rociaco concedit licentiam ingrediendi monasteria monialium ordinum Mendicantium. [1]

1317, februarii 12, Avinione.

Dilectae in Christo filiae nobili mulieri Margaritae [2] *comitissae de Rociaco.*

Devotionis tuae sinceritas *etc.* Hinc est, quod nos tuis supplicationibus inclinati tibi, ut cum matura et honesta societate mulierum, quae duarum vel trium numerum non excedant, monasteria et loca sanctae Clarae et sancti Dominici et aliorum ordinum sororum Mendicantium (non obstantibus ipsorum monasteriorum vel ordinum contrariis consuetudinibus vel statutis) ingredi libere de die ac horis congruis valeas, dummodo abbatissarum vel earum, quae monasteriis ipsis praefuerint, ad id accedat assensus, et nec tu nec mulieres ipsae pernoctetis ibidem, auctoritate praesentium indulgemus. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, II idus februarii, anno primo.

249. Petrum Minoritam praeficit ecclesiae Pensaurien. in episcopum. [3]

1317, februarii 13, Avinione.

Venerabili fratri Petro episcopo Pensaurien.

Inter caetera sollicitudinis nostrae studia *etc.* Dudum siquidem ecclesia Pensaurien., [4] ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinente, per obitum bonae memoriae Petri episcopi Pensaurien. solatio destituta pastoris, dilecti filii capitulum eiusdem ecclesiae quasi per inspirationem divinam quondam Iunctam canonicum Pensaurien. in Pensaurien. episcopum unanimiter elegerunt, qui, antequam huiusmodi electioni consentiret, viam extitit universae carnis ingressus; dicti itaque capitulum vocatis postea omnibus, qui voluerunt, debuerunt et potuerunt commode interesse, die ad eligendum praefixa convenientes in unum, et Spiritus Sancti gratia invocata, deliberantes per viam procedendo compromissi providere dictae ecclesiae de praelato, duobus ex eis, videlicet Brancae praeposito et Bonicontro canonico eiusdem ecclesiae eligendi concorditer Pensaurien. episcopum concesserunt unanimiter potestatem, promittentes illum in eorum episcopum et pastorem recipere, quem iidem compromissarii concorditer ducerent eligendum. Iidem itaque compromissarii huiusmodi potestate recepta secedentes in partem, post diversos tractatus super hoc invicem habitos, deliberatione inter se praehabita diligenti, in te ordinem fratrum Minorum expresse professum, in sacerdotio constitutum, direxerunt unanimiter vota sua, et deinde dictus praepositus ex potestate sibi et dicto collegae suo tradita de mandato ipsius collegae vice sua et eiusdem collegae ac capituli praedictorum te in Pensaurien. episcopum elegit ac electionem huiusmodi a dictis capitulo concorditer acceptatam clero et populo Pensaurien. solemniter publicavit. Tuque postmodum ad instantiam ipsorum capituli electioni praedictae, prius a generali ministro ordinis supradicti super hoc petita et obtenta licentia, infra tempus a iure statutum consentiens, propter hoc ad sedem apostolicam personaliter accessisti. Demum tam tu per te ipsum quam iidem capitulum per eorum certos procuratores et nuncios propter hoc ad nos specialiter destinatos, praesentato nobis dictae electionis decreto, a nobis infra tempus debitum suppliciter postulastis, ut confirmare electionem huiusmodi dignaremur. Nos igitur electionem eamdem tuamque personam per venerabilem fratrem Nicolaum episcopum Ostien. et dilectos filios nostros Arnaldum tituli sanctae Priscae presbyterum et Arnaldum sanctae Mariae in Porticu diaconum cardinales examinari fecimus diligenter, et facta nobis per eosdem episcopum et cardinales super hoc relatione fideli, quia eamdem electionem invenimus de te, cui de litterarum scientia, religionis zelo, vitae munditia, honestate morum et vitae ac aliis virtutum meritis laudabilia testimonia perhibentur, canonice celebratam, illam de praefatorum episcopi, cardinalium et aliorum fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica confirmamus teque dictae ecclesiae Pensaurien. in episcopum praeficimus et pastorem, curam et administrationem eiusdem ecclesiae tibi in spiritualibus et temporalibus committendo, et subsequenter tibi munus consecrationis propriis manibus duximus impendendum *etc.* Datum Avenione, idibus februarii, anno primo.

250. Ioannem Minoritam praeficit ecclesiae Trecoren. in in episcopum. [5]

1317, februarii 21, Avinione.

Dilecto filio Ioanni electo Trecoren.

Romanus pontifex *etc.* Dudum siquidem Tre-

---

[1] Reg. Vat. t. 65, f. 75, ep. 2247.

[2] *De Beaumez*, uxori Ioannis V comitis de Rociaco *(Roucy)*.

[3] Reg. Vat. t. 65, ep. 2071, apud *Wadd.* l. c. n. 12.

[4] Alias Pisaurien. *(Pesaro)* in marchia Anconitana.

[5] Reg. Vat. t. 65, ep. 2170, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 13.

coren.[1] ecclesia per obitum bonae memoriae Gaufridi episcopi Trecoren. pastoris solatio destituta, nos, vacatione huiusmodi fide dignis relatibus intellecta, cupientes regimini eiusdem ecclesiae personam utilem per nostrae sollicitudinis studium praesidere, provisionem ipsius ecclesiae ea vice dispositioni nostrae et sedis apostolicae duximus specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attentari. Postmodum autem ad provisionem ipsius ecclesiae, ne prolixae vacationis exponeretur incommodis, coepimus intendere diligenter et post vigilantiam, quam una cum fratribus nostris ad praeficiendam eidem ecclesiae personam aptam et idoneam ac etiam fructuosam, cuius industria probitatis in suis valeat iuribus adaugeri ac etiam defensari, habuimus diligenter, ad personam tuam, quam nobis et eisdem fratribus familiaris experientia gratam reddit plurimum et acceptam, cum sis vitae laudabilis ac conversationis honestae, litterarum scientia praeditus, morum honestate decorus, discretionis fecunditate conspicuus, clarus meritis et alias in spiritualibus et temporalibus circumspectus, direximus aciem mentis nostrae. Quibus omnibus diligenti meditatione discussis, de te ordinis fratrum Minorum, poenitentiario nostro, in sacerdotio constituto, ordinem ipsum expresse professo, de dictorum fratrum nostrorum consilio et apostolicae plenitudine potestatis ipsi ecclesiae providemus, teque illi in episcopum praeficimus et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesiae tibi in spiritualibus et temporalibus committendo *etc.* Datum Avinione, IX kal. martii, anno primo. [2]

251. Ioannem Minoritam praeficit ecclesiae Nepesin. in episcopum. [3]

1317, februarii 28, Avinione.

Venerabili fratri Ioanni episcopo Nepesino.

Militanti ecclesiae *etc.* Sane cum olim Nepesina [4] ecclesia ad Romanam dumtaxat ecclesiam pertinens per obitum bonae memoriae Pauli episcopi Nepesini pastoris foret solatio destituta tantoque tempore vacavisset, quod ad sedem apostolicam erat ipsius provisio secundum generalis statuta concilii legitime devoluta: nos de ipsius ecclesiae Nepesinae provisione paternis studiis cogitantes, ne prolixioris vacationis incommodis exposita remaneret, ac volentes ei de pastore idoneo salubriter providere, ad te, tunc poenitentiarium nostrum, ordinem fratrum Minorum professum, virum utique vitae laudabilis et conversationis placidae morumque honestate decorum, discretionis dono et consilii maturitate conspicuum, in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum ac nobis et fratribus nostris familiari experientia cognitum, qui in commisso tibi poenitentiariae officio, quod gessisti diutius, te prudenter et fideliter habuisti, convertimus aciem nostrae mentis et, praemissis omnibus in considerationem adductis, te praedictae Nepesinae ecclesiae de ipsorum fratrum nostrorum consilio et apostolicae plenitudine potestatis in episcopum praefecimus et pastorem, curam et administrationem ipsius in spiritualibus et temporalibus committendo, et subsequenter tibi per venerabilem fratrem nostrum Arnaldum episcopum Albanen. munus fecimus consecrationis impendi *etc.* Datum Avinione, II kal. martii, anno primo. [5]

252. Guilelmo episcopo Puteolan. ex ord. Min. concedit facultatem testandi. [6]

1317, martii 1, Avinione.

Venerabili fratri Guilelmo episcopo Puteolan. [7]

Quia praesentis vitae *etc.* Dat. Avinione, kal. martii, anno primo.

253. Bernardo Guidonis Praed. et Bertrando de Turre Min. ord., nuntiis apost. sedis, mandat, ut reforment pacem inter nobiles Italicos. [8]

1317, martii 1, Avinione.

Dilectis filiis fratribus Bernardo Guidonis de ordine Praedicatorum, inquisitori haereticae pravitatis in regno Franciae per sedem apostolicam deputato, et Bertrando de Turre ordinis fratrum Minorum ministro provinciali Aquitaniae.

Etsi pacis hostis invidus caritatis iactum a longis retro temporibus discordiae semen inter dilectos filios duces, marchiones, comites, barones, potestates, nobiles et magnates, capitaneos, rectores, consiliarios, communitates et universos cives et in-

---

[1] *Treguier* tum suffraganea ecclesiae Turonen., modo unita cum Briocen. suffr. eccl. Redonen.

[2] Die 15 maii 1322 conceditur isti episcopo, qui paulo ante 16 sept. 1323 moritur, facultas testandi. Cfr. *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 112.

[3] Reg. Vat. t. 55, ep. 2178, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 15; cfr. infra n. 278.

[4] *Nepi* prope Urbem.

[5] In e. m. capitulo, clero, populo civ. et dioec. Nepesin.

[6] Cfr. *Wadd.* Ann. Min. ad a. 1317, n. 56, et reg. pont. Io. XXII, n. 14.

[7] Ex ord. Min., qui confessarium Sanctiae reginae Siciliae agebat, qua de causa ei die 10 ian. 1317 indultum erat, quod episcopatum suum per vicarium gubernare posset (Reg. Vat. t. 64, ep. 1887*e*, cfr. 1887*l*); die 1 iunii a. 1324 ab ecclesia Puteolan. (*Pozzuoli* prope Neapolim) transfertur ad Aversan.

[8] Reg. Vat. t. 109, ep. 87, apud *Wadd.* Ann. Min. ad a. 1317, n. 2. Cfr. supra n. 243.

colas ac personas alias ecclesiasticas et saeculares Italiae mortiferis satagat nutrire fomentis: nos tamen spe multa concepta, quod regis pacifici, qui « auctor est pacis et operum eius amator » cuiusque in ortu per angelos pax fuit « bonae voluntatis hominibus » nunciata, in hoc vincet clementia eius ipsiusque fraudibus metam ponet, regis eiusdem beneplacitis, cuius licet immeriti vicem exercemus in terris, humilitatis nostrae studia, in quantum nostra possibilitas patiatur, coaptare volentes, plenius nimirum desideramus affectibus, ut eius discordiae seminariis amputatis et fomite dissentionis extincto sic inter personas easdem pacis solidae foedera reformentur, quod eadem invicem animarum identitas et eadem vigeat concordia voluntatum.

Nostrum itaque circa praemissa desiderium cupientes impleri ac de probatae fidei vestrae constantia et industria circumspectionis expertae plenam in Domino fiduciam obtinentes, tractatum et reformationem pacis huiusmodi eamque tangentia vobis praesentium auctoritate de fratrum nostrorum consilio duximus commendanda, discretioni vestrae districtius iniungentes, quatenus vos vel alter vestrum ad partes illas vos personaliter conferentes inter duces, marchiones, comites, barones, potentes, nobiles et magnates, potestates, capitaneos, rectores, consiliarios, communitates et universos cives et incolas ac personas alias antedictas ad pacem et concordiam iuxta datam vobis ex alto prudentiam sollicitis monitis et efficacibus persuasionibus inducatis, ut eo auxiliante, qui est « pax nostra », vestraque cooperante solertia tam utilis tamque optata concordia possit celeriter provenire.

Ut autem in hoc impedimenti vel obstaculi seu turbationis cuiuslibet tollatur occasio, dissolvendi, vacuandi, incitandi et revocandi omnes pactiones, obligationes, confoederationes et colligationes inter duces, marchiones, comites, barones, potentes, nobiles et magnates, potestates, capitaneos, rectores, consiliarios, communitates et universos cives et incolas ac personas alias antedictas quomodolibet initas, iuramento vel quacunque alia firmitate vallatas, necnon et relaxandi huiusmodi et alia quaelibet iuramenta a quibuscunque praestita, per quae nutriri discordia et pacis bonum posset quomodolibet impediri, prout ea secundum Deum videritis dissolvenda, vacuanda, irritanda, revocanda seu etiam relaxanda, et insuper contra quoscunque pacis huiusmodi turbatores seu impeditores, sive cives et incolae sive quicunque alii undecunque fuerint et cuiuscunque dignitatis et conditionis vel status existant, procedendi eosque per censuram ecclesiasticam et aliis remediis, de quibus vobis expedire videbitur, compescendi, non obstante *etc.*, vobis et vestrum cuilibet plenam et liberam concedimus tenore praesentium facultatem. Ab huiusmodi autem facultatis concessione specialiter et expresse excludimus regnum Siciliae et totam terram, quae est circa Pharum usque ad confinia terrarum Romanae ecclesiae, cum ad reformationem illarum ordinaverimus speciales alios nuncios destinare. Datum Avinione, kal. martii, pontificatus nostri anno primo. [1]

254. Eisdem apost. sedis nuntiis mandat, ut reforment pacem inter Guelphos et Ghibellinos per Tusciam et Lombardiam constitutos. [2]

1317, martii 1, Avinione.

Dilectis filiis fratribus Bernardo Guidonis de ordine Praedicatorum, inquisitori haereticae pravitatis in regno Franciae per sedem apostolicam deputato, et Bertrando de Turre ordinis fratrum Minorum ministro provinciali Aquitaniae.

Vocatis nobis, licet insufficientibus meritis, ad apostolatus officium, occurrit quasi confestim considerationis nostrae conspectui inveterata illa dissentio, quam ab olim in Tusciae et Lombardiae partibus incentor malorum omnium suscitavit, cuius amaras circumstantias dum revolveremus in mente, nostris se obtutibus ingesserunt et ingerunt animarum pericula, christiani sanguinis non levis effusio et lapsus intolerabiles facultatum. In singulis etenim fere civitatibus, castris et villis partium earumdem, incolarum animis per domestica et particularia odia concitatis et non solum inter se discordiis publicis obfirmatis alterutrum (?) sed et illismet in seipsis divisis in partes, adeo concitationis et discordiarum huiusmodi processit iniquitas, quod ad interemptionem propriam suis iidem incolae viribus non contenti nationes ad id etiam barbaras advocarunt. Haec quidem nostri cordis intima stimulant acutis stimulis, nostrum interpellunt officium, movent et excitant paternae compassionis affectum, ut ad occurrendum per opportuna remedia tantis discriminibus exurgamus.

Quia igitur ad nos, qui licet immeriti vices regis pacifici gerimus et plenitudine fungimur potestatis apostolorum principi suisque successoribus ex alto concessae, singulariter pertinet in universali ecclesia cunctave congregatione fidelium pa-

[1] Aliis litteris eodem die datis et incipientibus « Dum consideramus » summus pontifex praedictos nobiles et cives atque ecclesiarum praelatos monet, ut praedictis nuntiis ea qua decet devotione recipiant animosque suos ad pacem per ipsos reformandam habilitent (Reg. Vat. t. 109, ep. 88).

[2] Reg. Vat. t. 109, ep, 89; cfr. supra n. 253 et 243.

cem quaerere ac ipsam facere diligentius observari, ut vobis, quos ad partes ipsas pro tractanda et reformanda concordia inibi destinamus, ad id iuxta nostrum desiderium via eo paratior eoque facilior pateat, quo ipsarum partium incolae dissidiorum turbine quatiuntur, inter partes, quas Guelpham et Gibellinam vulgus appellat, nec non inter dilectos filios nobiles viros universos duces, marchiones, comites, barones ceterosque nobiles, potestates quoque, capitaneos aliosque rectores, communitates ac universitates ac personas intrinsecas et extrinsecas civitatum, castrorum et aliorum locorum, per Tusciam et Lombardiam constitutos, praedictis adhaerentes partibus aut alias ad invicem guerrarum dissidiis prosequentes, treugas, quarum foedus pacis indicit imaginem, auctoritate nostra inter eo[s] videlicet et usque ad id tempus, de quibus videritis expedire, [componendi] et in omnes et singulos treugas infringentes easdem aut quomodolibet non servantes excommunicationis sententiam promulgandi, non obstante *etc.*, et excommunicationis sententiam promulgatam, ubicunque et quibuscunque vobis expediens fore videbitur, per vos vel alium seu alios notificandi ac solemniter publicandi *etc.* plenam et liberam vobis et vestrum cuilibet concedimus tenore praesentium facultatem. Datum Avinione, kal. martii, pontificatus nostri anno primo. [1]

255. Aliciae comitissae Norfolchiae concedit licentiam ingrediendi monasteria monialium, etiam Clarissarum. [2]

1317, martii 20, Avinione.

Dilectae in Christo filiae Aliciae de Annonia comitissae Norzfolchiae. [3]

Devotionis tuae sinceritas promeretur *etc.* Tuis itaque supplicationibus inclinati, ut monasteria et loca monialium inclusarum sanctae Clarae et quorumcunque aliorum ordinum cum decenti et honesta mulierum comitiva, quae sex numerum non excedat, causa devotionis ingredi libere valeas (contrariis ipsorum ordinum et monasteriorum ac locorum statutis et consuetudinibus, iuramento, confirmatione apostolica vel quacunque firmitate alia vallatis, nequaquam obstantibus), auctoritate tibi praesentium indulgemus: ita tamen, quod tu vel eaedem mulieres in locis et monasteriis antedictis non comedatis nec etiam pernoctetis. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, XIII kalendas aprilis, anno primo.

256. Regem Trinacriae i. e. insulae Siciliae hortatur, ut quosdam fratres Minores parva caputia gestantes capiat et de sua terra expellat. [4]

1317, martii 15, Avinione.

Carissimo in Christo filio [Friderico] regi Trinacriae.

Habet fide digna et certa relatio, quod nonnulli fratres de provincia Tusciae Minorum ordinis professores, sacram religionem beati Francisci confessoris egregii sub despecto habitu parvisque caputiis ostentantes, viri utique fugitivi nec minus apostatae, quaerentes a iugo religionis colla subducere et debitum regularis effugere disciplinae, columbinae simplicitatis speciem prae se ferentes exterius et callidi hostis astutias interius proferentes, de conventibus et locis propriis absque superiorum suorum licentia temeritate damnabili exiverunt, in insulam Siciliae transmigrantes, ut praevaricationi voti culpam gravioris transgressionis adiicerent, contra constitutionem felicis recordationis Bonifatii VIII praedecessoris nostri specialiter prohibentem, ne religiosi eiusdem vel aliorum ordinum Mendicantium de novo loca praesumant suscipere absque licentia sedis apostolicae speciali, loca in diversis partibus dictae insulae in dictae sedis contemptum praesumptione temeraria noviter susceperunt sibique in dictis locis superiorem alium eligentes in simplicium cordibus dicuntur errores varios seminare, ut eosdem secum in devium erroris adducant. Cum itaque talium damnanda temeritas non solum in dicti ordinis Minorum opprobrium, sed etiam in ipsius ordinis et aliorum fidelium scandalum, eiusdem sedis contemptum et tam suarum quam aliarum multarum perniciem animarum redundare noscatur, magnificentiam tuam rogamus, monemus, requirimus et hortamur attente, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus (prudenter attendens, quod non modicum excellentiae tuae derogatur honori, si huiusmodi viros devios, professionis propriae ac sacrorum canonum trans-

[1] Aliis litteris eodem die datis Ioannes XXII eisdem nuntiis mandat, ut treugas a se ipso inter Robertum regem Siciliae et Philippum comitem Sabaudiae (praesertim super marchionatu Montisferrati contendentes) inductas indicent locis et personis, quibus eis videbitur; die vero 9 martii 1317 ipsis litteras de securo conductu concedit praelatosque illarum partium monet, ut eos caritative recipiant; tribus diebus post eisdem indulget, ut indulgentias elargiri possint audientibus verbum Dei ab ipsis praedicandum. Paulo post (25 martii 1317) Ioannes XXII praedictis nuntiis insuper mandat, ut pacem reforment inter Ianuenses intrinsecos et extrinsecos, die autem 9 maii 1317 eos monet, ut sint diligentes et attenti in officio sibi commisso. Cfr. Reg. Vat. t. 109, epp. 90-95, 105, 423, 436, 508, 681*d*, 696-698; t. 63 de curia epp. 87-90; t. 111, f. 10 (litt. Io. XXII ad regem Franciae d. d. 24 apr. 1322). Litteras diebus 18 apr., 23 maii, iulii 15 et 18, aug. 20 datas, quibus iidem nuntii summum pont. de statu Lombardiae informant, vide in opere *Vatikanische Akten zur deutschen Geschichte*, n. 50, pp. 22-39.

[2] Reg. Vat. t. 65, f. 205, ep. 2660.

[3] Filiae Ioannis dicti « *d'Avênes* » comitis Hanoniae et Philippinae filiae Henrici II com. de Luxemburg, quae post obitum mariti primi (Guilelmi com. de *Pembrock*) Guilelmo com. de *Norfolk* nupserat.

[4] Reg. Vat. t. 109, ep. 106, apud *Wadd.* l. c. ad a. 1317, n. 9.

gressores ac etiam seminatores errorum, in dicta insula permittas ulterius commorari, quoque in magnum tuum redundabit honorem, si eosdem de praedicta insula expellere et extirpare procures, eis omnem subtrahendo favorem) dilectis filiis ministris, custodibus vel guardianis dicti ordinis vel eorum nuntiis, super revocatione et reductione dictorum fratrum deviantium ad ordinem memoratum, cum ab eis super hoc fueris requisitus (etiam si expedierit dictos fratres faciendo capi et eorum superioribus tradi captivos, iuxta disciplinam ordinis corrigendos) impendere studeas favorem, consilium et auxilium opportunum: sic te super hoc de abundantia regiae providentiae laudabiliter habiturus, quod ex prompta praemissorum executione apud retributorem bonorum omnium praemium et apud nos condigni favoris gratiam merearis. [Datum Avinione, idibus martii, anno primo.] [1]

257. Canonizat Ludovicum filium Caroli II regis Siciliae, episcopum Tolosanum, ordinis Minorum. [2]

1317, aprilis 7, Avinione.

Universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis.

Sol oriens mundo in altissimis Dei Deus, Dei filius ex paterno utero ante luciferum genitus, Deus Verbum in principio fundans terram in sapientia, coelos providentia stabilivit, adornando coelos sideribus, germinantibus cunctis terram, quique in fine temporum pro humani salute generis nostram assumendo naturam texit nube nostrae carnis fragilis semetipsum, nunc hora instante novissima, illuminando per cuncta respiciens, opus producit mirabile, claritate gloriae suae plenum, bonitatem suam monstrans magnifice, sponsamque suam sanctam matrem ecclesiam reddens novitate tam clarae sobolis laetabundam. Nam, qui facit mirabilia magna solus, dilectum suum confessorem eximium beatum videlicet Ludovicum puritate candidum, caritate fervida rubicundum, electum ex millibus, produxit noviter, et exemplar praefulgidum a cunctis fidelibus imitandum, eius vitae singularis excellentiam signis probans et prodigiis corruscantibus celebri[bu]s miraculis manifestans. Igitur laetentur coeli et exultet terra, iucundetur pariter totus orbis. Nam qui effulsit in Dei templo, dum viveret in medio nebulae suae carnis, ut matutina stella aut luna plena solari lumine, veluti etiam sol refulgens in sua formosus stola, in virtute multa repentine ad summa graditur regalibus dignus conspectibus

[1] Secundum *Wadd.* l. c. In registro Vat. sine data, sed aliae litterae ad eundem regem destinatae, quae in registro praedictas litteras proxime aut praecedunt aut sequuntur, idibus martii anno primo sunt datae. Die vero 5 aprilis 1317 summus pontifex hac de re iterum scribit regi Trinacriae. Quae litterae in bibl. nation. Paris. cod. mscr. lat. 4350 f. 54 rescriptae huius sunt tenoris: « Iohannes... carissimo in Christo Frederico regi Trinacliae illustri... Pridem et post salutationis et apostolicae benedictionis praeambulum scripsimus in haec verba: " Habet fide digna... condigni favoris gratiam merearis. " Verum quoniam de praedictarum litterarum sumus executione solliciti, et an adhuc ad te pervenisse ignoramus, ipsarum ad te continentiam in forma praescripta providimus iterandam, ut eo libentius eos ad effectum cures adducere, quo id impressius noveris nostris affectibus insidere. Datum Avinione, nonis aprilis, pontif. nostri anno primo. » — Eadem supradicta die 15 martii 1317 nonnulli cardinales eadem de causa ad episcopos per insulam Siciliae constitutos quasdam litteras (in ipso dicto cod. mscr. regestas) dederunt, quarum tenor hic est: « Venerabilibus in Christo patribus universis archiepiscopis et episcopis per insulam Ciciliae constitutis: miseratione divina Nicholaus Ostiensis, A[rnaldus] Sabinensis et A[rnaldus] Albanensis episcopi, N[icolaus] s. Eusebii, A[rnaldus] s. Priscae et Berengerius ss. Nerei et Achillei presbyteri, Neapoleo s. Adriani, Iacobus s. Georgii ad velum aureum et Iacobus de Columpna s. Romanae ecclesiae diaconi cardinales salutem in Domino sempiternam. Serpunt interdum *etc.* Cum itaque ad sanctissimi patris et domini domini Iohannis divina providentia papae XXII et fratrum suorum sacrosanctae Romanae ecclesiae cardinalium aures fide digna relatione pervenerit, quosdam fratres de provincia Tuschiae ordinis Minorum excommunicatos et fugitivos apostatas religionem sacram beati Francisci sub despectu parvis capuciis obstentantes non absque temeritatis audacia, inobedientiae nota mentisque vesania contra apostolicae sedis et delegatorum eius ac praelatorum ordinis antedicti mandata se ad partes insulae Ciciliae transtulisse nec inibi sub generalis et provincialis saepedicti ordinis ministrorum obedientia degere vel locis fratrum eiusdem ordinis una cum ceteris fratribus habitare, sed illic velut obstinata quadam (potius tumida vel indocta) fallacia magistros prurientes auribus suis acervantes pseudo-generalem sibi ac provincialem ministros, custodes quoque et gardianos eligere, plurimos ad eorum sectam recipere, praedicatores et confessores assumere eosdemque ad huiusmodi confessionis et praedicationis officium transmittere, loca etiam ad inhabitandum nova ac a locis fratrum ipsius ordinis semota construxisse vel de novo construere seu constructa recipere contra Romanorum instituta pontificum, quasi memorati ordinis beati Francisci stabilem firmamque compaginem rescindere stolida praesumptuositate valerent, in animarum utique suarum periculum, famae maculam aliorumque perniciem, non provide sed incaute, non docte sed insipienter, non utiliter sed dampnose quam plurimum praesumpsisse: universitatem vestram, quam sincera in Domino caritate prosequimur, de eiusdem domini nostri summi pontificis beneplacito et mandato requirimus et hortamur attentius, quatinus (ob Dei laudem, cui praefatus Minorum ordo sedulo dedicatus invigilat cuiusque honori in populis velut apis argumentosa deservit, ac ob almifici confessoris beati Francisci eiusdem ordinis fundatoris et institutoris praecipuam reverentiam, quam Dei dono obtinuisse confidimus.... et ob conscientiae nostrae tranquillitatem, quietem et pacem nostrorumque etiam, quae ex corde porrigimus, interventum precaminum) praedictis apostatis excommunicatis, fugitivis et profugis, qui secundum praetacta nec penes paternitatem vestram nec alios favorem promeruere vel gratiam, quin potius rigidam ordinis disciplinam, nolitis impendere vel impendi facere consilium, auxilium vel favorem nec aliquatenus conniventibus oculis, quantum in vobis fuerit, sustinere, quod in praedicta Ciciliae insula sub vestri vel cuiuscumque nominis umbra pseudo-fratres huiusmodi commorentur *etc.* *usque:* pacis tranquillitate laetetur. Datum Avinione, ydibus martii anno Domini MCCCXVII, pontificatus eiusdem papae [Iohannis] XXII anno primo. »

[2] Reg. Vat. t. 63, ep. 156 de curia, apud *Wadd.* l. c. ad a. 1317, n. 47.

ut candens lilium ac odoris suavissimi rosa rubens. Huic spatiosum praestant hospitium coeli cives et sibi conformem et comparem ad suum consortium hunc admittunt; in supernis Christus hunc reficit ipse idem prandium et conviva.

Hic felix sanctus ex regali prosapia (patre videlicet clarae memoriae Carolo rege Siciliae, matre vero charissima in Christo filia nostra Maria Siciliae regina et Hungariae) originem suam trahens, altum sui generis recusavit sapere, humilia semper diligens et amplectens. Sciebat namque, quod excelsus Dominus, alta de longinquo perspiciens, humilia respicit e vicino. Quamquam autem singula praeclara opera lucidae vitae suae verbis paucis enarrari non possint, aliqua tamen de quamplurimis ad utilitatem legentium referemus, ut ex iis Deum patrem glorificent et in iis reperiant vivendi regulam, quam sequantur. Sanctus iste, sicut probatum est testimoniis fide dignis, in aetate existens tenera sub magistri religiosi diligentia cum suis fratribus tenebatur. Ipse tamen maturis intendendo moribus sub tenello pectore gestare senilem animum ostendebat. Ductus autem in Cathaloniam cum duobus e suis fratribus, datus obses pro liberatione antedicti regis, tam ferventer dedicavit se studio, quod infra septennium, [1] quo inibi obses fuit, sub institutione fratrum Minorum, quos secum habebat in socios, in primitivis scientiis et sacra pagina sic profecit, quod vir Dei pollens ingenio de praedictis scientiis non solum publice et privatе subtiliter disputare valeret, sed et solemniter clero et populo proponere verbum Dei, ut putaretur scientia haec infusa sibi magis divinitus quam humanitus acquisita. In orationibus autem sedulis et devotis mentem ad Deum elevatam tenuit, profecto sciens, quod « oratio humiliantis nubes penetrat, pro exauditionis suffragio Deum adit » *(Eccl. 35, 20)*. In tempore namque ipso, sacramentali confessione praemissa, missas audiebat devote, in magnis vero festivitatibus cum praeparatione multa sumebat corpus Dominicum. Factus autem sacerdos diebus quasi singulis celebrabat, audientiae verbi Dei insistebat attente. Pro pastu vero animae in scripturis divinis studens, habebat ad hoc solatio sacros libros. Castitatis autem amor a puero affecerat eius mentem adeo, quod ob ipsius fidam custodiam mulierum consortia vitabat omnino, in tantum, quod (nisi forsan cum matre et sororibus) solus cum sola nullo unquam tempore loquebatur; mulierem namque amariorem noverat esse morte *(Eccl. 7, 27)*. Verba etiam inhonesta horrebat audire ac loquentes talia graviter arguebat, attendens prudenter, quod corrumpunt mala colloquia bonos mores *(I. Cor. 15, 53)*. Fratres nihilominus duo, interdum quatuor, in sua iacebant camera in suae testimonium nitidae puritatis. Cum apostolo Paulo sobrietate cibi et potus corpus suum castigabat assidue *(I. Cor. 9, 27)* seque frequenter manu sua, quandoque autem alicuius fratris consocii, catenis ferreis disciplinans, vestiendo pro camisia rudem stamineam, deferendo ad nudam carnem pro cingulo chordam grossam, ipsam carnem in servitutem spiritus redigebat.

Summo autem studio terrena cuncta calcare studuit ex desiderio aeternorum. Considerans enim sanctus iste, quod mundus totus positus sit in maligno *(I. Io. 5, 19)* quodque cum concupiscentia sua transit, ipsum fugiendo deseruit totaliter et contempsit. Nam rediens de Cathalonia cum rege praedicto, votum, quod de intrando ordinem fratrum Minorum in obsidione fecerat, in conventu eorumdem fratrum de Monte Pessulano [2] voluit adimplere. Sed videns, quod timore dicti regis ipsum fratres accipere non audebant, votum ipsum solemniter iteravit. Et quia voventibus praeceptum datum a Deo noverat de reddendo, suadenti felicis recordationis papae Bonifatio praedecessore nostro, quod assensum praeberet provisioni de se factae ecclesiae Tholosanae, respondit se hoc facturum nullatenus, quoadusque votum dictum, quod fecerat, complevisset: cuius devotioni annuente praedecessore praedicto habitum ordinis praedicti suscipiens in praesentia bonae memoriae Ioannis [3] episcopi Portuen., tunc eiusdem ordinis ministri generalis, expressam professionem flexis genibus in manibus suis fecit, sicque provisioni praedictae suum praebendo assensum mandatis apostolicis obedivit. [4] Et quamquam de iussu praedecessoris eiusdem dictum habitum velatum portaverit usque ad festum beatae Agathae tunc vicinum, in dicto tamen festo in praesentia duorum cardinalium recepit publice, ac sic ex tunc portavit continue, atque ipsa die usque ad sanctum Petrum patenter detulit peditando.

Miranda res et aliis insueta! Vir namque hic virtutum positus in sublimi iuri primogeniturae renuntiavit et regno, regalis solii spreta pompa, pro regno corruptibili aeternum ac plenum deliciis regnum mercans. Mira vero compassione ad pauperes ferebatur, quibus largas tam privatas quam publicas eleemosynas faciebat. Unde factus iam episcopus Tholosanus per unum suum familiarem secretarium mandavit inquiri de suorum quantitate reddituum, quantumque sibi sufficeret pro moderatis expensis et rationabilibus faciendis, volens quod totum residuum in sustentandis pauperibus

[1] Annis 1288-1294.
[2] *Montpellier* in Provincia.
[3] Minii de Murovallium.
[4] Litterae de ista provisione confectae dabantur 30 dec. 1296.

poneretur, quamquam praelatus tam magnus esset ac filius tanti regis. Cum autem iret Parisios, pauperi, quem quasi nudum reperit, multum compatiens in abscondito cappam contulit, quam portabat, sibique secreto fecit aliam apportari. Certus erat etenim, quod misericordes viri beatitudinis misericordiam consequentur. In hoc etiam Christi imitatore vero humilitas vera fulsit: attendit namque, quod Deus, qui moerentes sospitate erigit, ponit humiles in sublimi. Ipse enim viginti quinque pauperibus, quos in domo sua reficiebat, quotidie aquam infundebat manibus manuque sua ipsis fercula apponebat ac panes scindebat, eisdem etiam genu flexo in ipsis Christo servire ac ipsum recipere se delectans. Hospitalia pauperum aliquotiens visitabat. Sciens denique, quod, qui vestiuntur mollibus *(Matth. 11, 8)*, in hoc a Domino non laudantur, post diaconatus susceptum ordinem semper veste humili fuit usus. Post ingressum vero dicti ordinis vili habitu ac bruno colore in tapetiis et cortinis ac lecti coopertorio utebatur. Pontificatus etiam officium exercebat cum diligentia servus hic Christi fidelis et prudens, missas dicendo assidue, devotissime ordines celebrando, clericos, quibus de beneficiis providere volebat, examinando de articulis fidei, vita et moribus diligenter. Iudaeos et Gentiles zelo fervens fidei inducebat sedule ad baptismum ac quosdam eorum sacro de fonte levavit.

Demum gloriosus iste sanctus, vitae suae cursu consummato, feliciter ad Deum fontem vivum, quem avide sitierat, migraturus, infirmitate decumbens ultima, devotissime sumpsit corpus Dominicum, quamvis summe debilis, de lecto exiens in occursum domini Salvatoris, cruce etiam sibi data per quemdam ex sociis, genuflexit in lecto, ut potuit, ac in oratione devota et silentio postmodum diu mansit. In cruce namque domini nostri Iesu Christi et non in alio didicerat gloriari *(Gal. 6, 14)*. Tandem gloriosam resolutus in mortem, qui hic vivens ambulavit in innocentia in medio domus suae, ad Deum suum contemplandum in gaudio facie revelata in sua innocentia est ingressus.

Verum, quia decebat multum divinae magnitudinem bonitatis, quod ille, quem in terris ipsum praeclaris adornando virtutibus suae imagini fecerat tam conformem, secum regnare in coelis certis virtutis suae testimoniis probaretur, multis eum magnisque miraculis post eius obitum clarum fecit, quorum quaedam certis probata testimoniis ad sancti huius declarandam gloriam praesentibus duximus adnotanda. Quaedam namque duorum annorum puella, quae vi febris, quam passa fuit duobus mensibus, expiravit, facto voto per patrem sancto isti, quod ipse imaginem de cera offerret, si vitam a Deo suae filiae impetraret, resuscitata ubera matris suxit. — Quidam etiam quinque annorum puer vehementia febris continuae vita functus, facto voto per patrem, est vitae pristinae restitutus, nec dictae febris in eo apparuit ullum signum. — Quaedam puella annorum septem, quae per septimanas tres febrem passa continuam expiravit, facto ad dictum sanctum voto per suos, recuperavit spiritum et revixit. — Quaedam denique mulier, quae duas conceperat filias, una illarum in ventre mortua ex casu dictae matris de quodam asino et in eius ventre ex mora diutina putrefacta, coepit de puerperio laborare. Cumque dictus partus iam putridus per frusta fuisset extractus et alia filia mortua iam educta esset obstetricum ministerio violenter et proiecta in stabulo super fimum, emisso ad illum sanctum voto, quod si partus ille integer resurgeret, unam sibi imaginem praesentarent, puella palpitare coepit et baptizata septem mensibus supervixit. — Quidam etiam puer aetatis annorum septem, dum sub lecto, in quo cum suis iacebat parentibus, repertus fuisset mortuus rigidus et frigidus ab eisdem et sic aliquo tempore permansisset, facto per parentes ad hunc sanctum voto, fuit divinitus suscitatus. — Mulieri cuidam, quae propter vehementem infirmitatem diem extremum clauserat, emisso per suos ad istum sanctum voto, eius meritis reddita fuit vita. — Quaedam puella nobilis, quae ex casu ad terram de nutricis brachiis per octo annos passa fuerat surditatem, facto voto ad praedictum sanctum per patrem, a dicta surditate ad plenum extitit liberata. — Quidam denique, cum post fortem febrem continuam perdidisset loquelam et sic mutus per mensem integrum permansisset, adductus ad sepulchrum sancti huius, fuit ibidem loquelae finita missa plenarie restitutus. — Mulier quaedam, quae subito muta et impotens de uno brachio facta fuit, durante sibi hac infirmitate per mensem, emisso voto per matrem statim ad sanitatem pristinam est reducta. — Quaedam etiam mulier, cum ex partu quodam violento de puero mortuo et in eius utero transversato contracta in pedibus et manibus ac femoribus biennio remansisset, facto voto ad sanctum praefatum, quod si curaretur, scoparet in tota vita sua ecclesiam, in qua iacet, dormire coepit et expergefacta a dicto morbo est curata. — Vir quidam passus annis sex guttam in manu et brachio, ventre et humero, facto voto, quod eiusdem limina visitaret, fuit statim sanitatis beneficium assecutus. — Quidam denique presbyter passus guttam in latere, quae ipsum diebus septem afflixit graviter, facto voto ad memoratum sanctum de illius tumulo visitando, recepit continuo sanitatem. — Mulier quaedam, quae per octo annos morbo epileptico quasi quotidie gravabatur, emisso voto, quod sepulchrum eius, si curam reciperet, annis singulis visitaret, curam recepit, sic quod ex tunc de morbo ipso penitus nihil sen-

sit. — Monialis quaedam, quae post febrem longam, quam passa fuerat, dolorem incurrerat in omnibus membris suis in tantum, quod duodecim diebus nisi alieno adiutorio de lecto non potuerat se movere, portato sibi pedili seu succone quodam, qui sancti huius dicebatur fuisse, ac sibi applicato ad carnem, sana et incolumis est effecta. — Cum homo quidam, qui miraculis huius sancti detrahere nitebatur, reversionem faciei et oculorum turpiter incurrisset sicque manens per dies sex huic sancto se cum devotione qua poterat devovisset, ad sepulchrum eius veniens et offerens caput cerae, antequam exiret ecclesiam, perfecte reperit se curatum.

Haec sunt mirabilia opera solius Altissimi, quibus et aliis quam pluribus mirificare voluit sanctum suum et toti mundo reddere venerandum. Laudetur igitur magnifice Deus noster, cuius dextera huic episcopo confessori confert stelliferum regium diadema. Applaudant et isti pariter coeli cives, quorum coetibus hic sole splendidior est insertus. Canant quoque altisone Franciae, Siciliae atque Hungariae regna felicia, de quorum horto candoris nivei flos erupit, quorum vitis germinat dulcem uvam, cuius liquor coelos laetificans abunde funditur in calicem summi regis. Laetetur insuper civitas Tolosana sancto dotata praesule, quem apud Deum advocatum habet sedulum et patronum. Vere felix es tu, o Massilia, facta duorum aromatum tam sacrati corporis apotheca. Sed et fratrum Minorum ordo conspicuus novae laudis canticum promere non desistat, in aula coelesti tam praeclarum alumnum festine divinis conspectibus repraesentans.

Ceterum quia convenit, ut, quem Dominus in coelo magnificat, mundus colat, nos de sanctitate vitae et veritate miraculorum ipsius confessoris inquiri fecimus diligenter. [1] Et quia [2] post inquisitionem solemnem et studiosam examinationem ac discussionem solemnem, supplicatione devota et humili praelatorum omnium tunc apud sedem apostolicam existentium cum instantia requisiti, de fratrum nostrorum consilio et assensu, confisi de omnipotentis Dei virtute, auctoritate quoque beatorum Petri et Pauli apostolorum eius ac nostra, ipsum VII idus aprilis sanctorum confessorum catalogo duximus adscribendum. Ideoque universitatem vestram monemus et hortamur attente, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus XIV kalendis septembris, [3] cum felix eius anima tunc de carnis vinculis astra petens coelestem aulam adiverit [4] aeternis gaudiis potitura, festum eiusdem episcopi et confessoris devote et solemniter celebretis, ut pia eius intercessione hic a noxiis protegi et in futurum sempiterna gaudia consequi valeatis. Et ut ad venerabile eius sepulcrum ardentius et affluentius christiani populi confluat multitudo ac celebrius eiusdem confessoris colatur festivitas, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui cum reverentia illuc in eodem festo annuatim accesserint ipsius suffragia petituri, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi: duos annos ac duas quadragenas, accedentibus vero annis singulis ad praedictum sepulcrum infra eiusdem festi octavam: unum annum et quadraginta dies de iniunctis sibi poenitentiis misericorditer relaxamus. Datum Avinione, VII idus aprilis, anno primo.

In e. m. venerabilibus fratribus universis archiepiscopis et episcopis per universum orbem constitutis. Sol oriens *etc.* Datum Avinione, IV idus aprilis, anno primo.

258. Concedit indulgentias visitantibus sepulchrum s. Ludovici episcopi Tolosani. [5]

1317, aprilis 8, Avinione.

Universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis.

In coelesti patria laudis nova solemnia sanctorum agmina celebrant, exultat profecto creator aeternus, cum suam humani generis creaturam post triumphum de carnis nexibus habitum conspicit palmam gloriae meruisse. Gaudent nimirum cives angelici, cum terrenorum incolam, terrae tenebris cultu fidei et devotionis splendore fugatis, factum coeli civem et compatriotam supernorum civium intuentur. Decet igitur, ut exultent immensis Christicolae gaudiis, dum quis pro Christi nomine se pennis virtutum erigens sic militavit in terris, quod accipit post praesentis vitae decursum bravium et habitaculum in excelsis. Nos itaque non sine laudis iubilo laeti referimus, qualiter recolendae memoriae Ludovicus episcopus Tholosanus, clarae memoriae Caroli II regis Siciliae genitus, a teneris annis ordinem fratrum Minorum suscipiens, sic servi formam accepit, sic proprium subiecit obedientiae regularis professionis arbitrium, sicque mundi relictis illecebris et mundanis omnino relegatis affectibus Deo gratam et acceptam hostiam immolavit, quod per ipsius grandia et excelsa merita multa et evidentia miracula Dominus operatur. De quibus quidem miraculis et felicibus actibus habita fide dignis probationibus, quantum nosse sinit humana fragilitas, certitudine verita-

[1] Cfr. supra n. 90.
[2] Hoc adverbium videtur debere omitti.
[3] I. e. die 19 augusti.
[4] Anno Dñi 1297 (non 1298), aetatis suae 26.
[5] Reg. Vat. t. 63, ep. 157 de curia, apud *Wadd.* l. c. ad a. 1317, n. 49.

tis, ipsum de fratrum nostrorum concordi consilio VII idus aprilis sanctorum confessorum catalogo duximus adscribendum ac ipsius festum XIV videlicet kalendas septembris, cum tunc felix ipsius anima de carnis eruta vinculis astra petens coelestem aulam adiverit veri luminis gaudiis potitura, ab universis Christifidelibus perpetuis futuris temporibus decrevimus celebrandum. Ut igitur devotis laudibus extollatur in terris, quem ipse dominantium Dominus honorari voluit in excelsis, et fideles Christicolae possint tantae iucunditatis esse participes ac celebrius eiusdem solemnitas peragatur, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui ad venerabile sepulcrum ipsius in instanti festo praesentis anni reverenter accesserint eius suffragia petituri, de omnipotentis Dei misericordia [ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate] confisi septem annos et septem quadragenas [de iniunctis sibi poenitentiis] misericorditer in Domino relaxamus. Datum Avinione, VI idus aprilis, anno primo.

259. Significat canonizationem s. Ludovici episcopi Tolosani Mariae reginae Siciliae, ipsius matri. [1]

1319, aprilis 9, Avinione.

Carissimae in Christo filiae Mariae reginae Siciliae illustri.

Epulari, filia, in sinceritatis et veritatis azymis et in Domino gaudere te convenit, quia filius tuus, ab olim mundo moriens, Deo feliciter vivere factusque compatriota coelestium ac syderearum incola mansionum in Domini tabernaculo meruit habitare. Exultare ac pium prorumpere debes in iubilum, de utero tuo processisse virum angelicum, meditans consortem esse gloriae angelorum. Profusis decet te plaudere gaudiis, quod talem in terris genueris filium, cuius in coelis patrocinio cuiusve favore apud homines communiris et intercessionibus apud Deum. Hic est ille natus tuus venerandae memoriae Ludovicus episcopus Tolosanus, quem Deus, ipse gloriosus in sanctis suis et in maiestate mirabilis, sua immensa bonitate virtutum operatione mirificans et gratia sanitatum sic immensis illustravit miraculis, quod in diversitate graduum sui status in gratia et gloria gradatim ascendit. Hic est, quem, ut pie creditur, rex ipse coelestis sic honorari decrevit in patria, ut sedi supernae quietis insideat, aeternae claritatis lumine quasi regiis vestimentis amictus et sempiternae gloriae diademate coronatus. Hic est denique, quem et nos propter sua merita gloriosa nostro ministerio per omnem christiani cultus ambitum vehiculo debitae venerationis incedere ac profusis per orbem gaudiis et effusis undique laudibus coli cupientes in terris nuper die Iovis post festum Resurrectionis Dominicae, septimo videlicet idus aprilis, de fratrum nostrorum ac praelatorum omnium tum apud sedem apostolicam existentium unanimi consilio et concordi consensu sanctorum catalogo duximus adscribendum; nec sine causa paschale tempus ad id faciendum elegimus, ut dies ipsa nova festivitate iucunda ex temporis gaudiosa celebritate paschali fieret ampliori iucunditate festiva. Digne itaque, filia, cor tuum delectari debet in Domino et in salutari suo tuus animus dilatari et digne gratias agere teneris Altissimo, qui tibi fecunditatem sobolis tam sanctissimae tribuit et qui in tanta sublimitate illius in benedictionibus immensae dulcedinis te praevenit. Propterea igitur, quaesumus, et in odore unguentorum beatissimi filii currere tuas corrigendo vias et bonis operibus vacando festina, ut illum sequi merearis ad regnum, quem, si mundo viveret, affectu cogente materno in exilium sequereris. Datum Avinione, V idus aprilis, anno primo. [2]

260. De eadem canonizatione certiorem reddit Philippum regem Franciae. [3]

1317, aprilis 9, Avinione.

Carissimo in Christo filio Philippo regi Franciae et Navarrae illustri.

Iucunditatis et exultationis in Domino multa materia excellentiae tuae, fili carissime, debet non indigne succrescere, et in canticum Domini, de cuius largitatis irriguo gratiarum quarumlibet charismata derivantur, tuis non immerito labiis dissolutis regia mens imbre fecundo conspersa tripudii merito debet in iubilum prosilire. Ille namque summus opifex, cuius mira et procul dubio admiranda sunt opera, domum tuam filiorum benedictionis et gratiae largitate solida firmitate stabiliens, nedum ipsam prae participibus saeculari potentia et immensis fecit abundare divitiis, sed et ad exigentiam inexpugnabilis firmitatis illius fulcivit tandem spiritualibus munimentis, ut nedum imperterrita persistere posset contra malignantium impetus, sed et adversus spirituum malignorum insidias secura manere. Et quidem ex ipsa domo, quam utique decet in dierum longitudine sanctitudo, duos ipse misericors Dominus diebus nostris produxit spiritualis belli belligeros, duos candidos

[1] Reg. Vat. t. 109, ep. 139, apud *Wadd.* l. c. ad a. 1317 n. 50.

[2] In e. m. scribit Roberto regi Siciliae et Philippo principi Tarenti, s. Ludovici episcopi fratribus germanis, et Mariae reginae Maioricarum, sorori germanae, ac Clementiae olim reginae Franciae, nepti ipsius. L. c. ep. 141-144.

[3] Reg. Vat. t. 109, ep. 149, apud *Wadd.* l. c. ad a. 1317, n. 51.

Nazaraeos, qui scuto protecti fidei et armis poenitentiae ac sanctae conversationis accincti, licet diversis temporibus, voto tamen consimili finem sibi praestituentes eumdem, praesentis vitae stadium, ut incorruptibilem coronam acciperent, cucurrerunt, ambo eiusdem nominis, ambo eiusdem generis, et ambo admirabilis sanctitatis. Horum primus est, sicut nosti, sanctus Ludovicus confessor egregius, qui iam ab olim de terreno ac temporali regno ad coelestis et aeterni gloriam est translatus. Secundus vero est venerandae memoriae beatissimus Ludovicus Tholosanus episcopus, qui tanquam verae vitis palmes effectus vivit aeterna plantatus in vita, cui ad coeleste palatium misericordiarum pater paravit accessum, cuius miranda miracula, quibus miraculose per ipsius merita gloriosa dominantium Dominus suam mirificavit ecclesiam, ad suae laudis praeconium, ad praesentium et secuturorum institutionem et gaudium late patent, et quem nos (ulterius nolentes latere sub modio, sed candelabro superponi debere censentes, cum eum, sicut nostra, fratrum nostrorum, praelatorum etiam plurium et fidelium aliorum pia credulitas de vita et miraculis illius plenius informata supponit indubie, rex ipse coelestis in patria sic honorari decreverit, ut sedi supernae quietis insideat sempiternae gloriae diademate coronatus, et proinde dignum sit, ut profusis per orbem gaudiis et effusis undique laudibus cultu debito veneretur in terris) nuper die Iovis post festum Resurrectionis Dominicae, VII videlicet idus aprilis, de fratrum nostrorum et praelatorum tunc apud sedem apostolicam existentium unanimi consilio et concordi consensu sanctorum catalogo duximus adscribendum; nec sine causa paschale tempus ad id faciendum elegimus, ut dies ipsa nova festivitate iucunda ex temporis gaudiosa celebritate paschali fieret ampliori iucunditate festiva. Digne itaque, dilectissime fili, cor tuum laetari debet in Domino et in salutari suo tuus animus dilatari. Digne proculdubio teneris eidem cordis genua flectere, humiliare spiritum et ex intimis gratias agere, quod te et inclytam domum tuam talibus et tantis dignatus est communire patronis, quorum in coelis patrocinio quorumve favore apud homines communiamini et intercessionibus apud Deum. Sed et illud prudenter debes advertere, quod, cum natura nobilibus maxime necessitatem imponere videatur, ne a maiorum suorum degenerent probitate, causa tibi non levis indicitur vacandi bonis operibus ac te vas aptum virtutibus praeparandi, ut confessorum ipsorum facta virtuosa commemorans et pro viribus imiteris et commemoranda eorum exempla in odore unguentorum suorum percurrere ac eorum vestigia pacifico gressu studeas prosequi, occasiones peccatorum solerter effugias, nec eorum, qui te forsan oblectare cuperent, suasionibus acquiescas, sic te in omnibus ad exemplar illorum laudabiliter habiturus, quod divinae maiestati gratus advenias, subditis tibi populis gratiosus existas et tandem, corrupta huius mundi corona in incorruptibilem lauream commutata, concivis confessorum ipsorum Deique domesticus et una cum eis haereditatis aeternae particeps effici merearis. Datum Avinione, V idus aprilis, anno primo.

261. Intimat eandem canonizationem Iacobo regi Aragonum. [1]

1317, aprilis 14, Avinione.

Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri.

Habes, fili carissime, unde Domino Deo tuo in vocem exultationis et confessionis erumpas, exultes in eo et fatearis humiliter tibi et domui tuae de immenso ipsius dono concessum, quod inclyta domus Siciliae, cui et consanguinea propinquitate et affinitate propinqua coniungeris, virum produxit angelicum, consortem gloriae angelorum, cuius sperare potes in coelis patrocinio, favore apud homines et apud Deum intercessionibus communiri. Etenim magnitudini tuae ad gaudium intimamus, quod adveniente nuper paschalis corporis puritate, die Iovis videlicet post festum Resurrectionis Dominicae, venerandae memoriae Ludovicum episcopum Tolosanum, germanum clar. mem. Blanchae reginae Aragonum, coniugis tuae, quem omnipotens Dominus propter illius merita gloriosa concivem sanctorum, domesticum suum et aeternae beatitudinis possessorem effecit, de fratrum nostrorum et nonnullorum praelatorum tunc apud sedem apostolicam existentium consilio et consensu, canonizatione solemni sanctorum catalogo duximus adscribendum. Tu ergo, fili, gratias agens Altissimo, qui in sublimatione confessoris eiusdem tam immensis benedictionibus te praevenit, in odorem unguentorum suorum currere propera sicque ad exemplar confessoris ipsius bonis operibus vacare procura, quod tandem una cum eo sidereas mansiones incolere merearis. Datum Avinione, XVIII kalendas maii, pontificatus nostri anno primo. [2]

---

[1] Apud *Wadd.* l. c. ad a. 1317 n. 52.

[2] In e. m. Sancio regi Maioricarum illustri et Sanciae reginae Siciliae, eius sorori. Simili modo scribit Ioannes XXII hac de canonizatione Blanchae ducissae Burgundiae, cui insuper ad litteras ipsius sibi per quosdam fratres Ord. Min. praesentatas consolatorie respondet, atque Iohannae uxori Ossini regis Armeniae, nepti s. Ludovici ep. Tholosani (Reg. Vat. t. 109, ep. 140, 145, 157, 372).

262. Episcopos infra nominatos constituit conservatores iurium et privilegiorum ordini s. Clarae concessorum. [1]

1317, aprilis 13, Avinione. [2]

Venerabilibus fratribus .. archiepiscopo Remensi et .. Parisiensi ac .. Metensi episcopis.

Inter opera pietatis, ad quae nos *etc.....* Cum itaque dilectae in Christo filia .. abbatissae et conventus monasteriorum monialium inclusarum, sive sorores ordinis sanctae Clarae vel sancti Damiani seu Minorissae dicantur, sicut ipsae nobis insinuare curarunt, a praelatis, rectoribus et clero aliisque personis super bonis, iuribus et libertatibus earundem contra indulta privilegiorum apostolicae sedis eis et earum ordini a dicta sede hactenus concessorum multipliciter molestentur et multiplicia eis gravamina inferantur: nos volentes eis super hoc, ut liberius valeant Domino famulari, de opportuno remedio providere, fraternitati vestrae per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel per alium seu alios eisdem abbatissis et monialibus, sororibus ac Minorissis, praesentibus et futuris efficacis defensionis praesidio assistentes non permittatis, ipsas contra dictorum privilegiorum tenorem a praedictis vel quibuscunque aliis molestari nec eis aliqua gravamina vel iniurias irrogari, facientes ipsis de illatis sibi iniuriis, molestationibus et gravaminibus contra tenorem eundem (in illis videlicet, quae iudicialem requirunt indaginem, per viam iudicii, in aliis vero, prout qualitas ipsorum exegerit) iustitiae complementum: ita quod officium, potestas et iurisdictio vestra perpetuata exnunc in antea censeantur, molestatores et iniuriatores huiusmodi nec non contradictores et rebelles, quandocunque et quotienscumque expedierit, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Non obstantibus *etc.....* Datum Avinione, idibus aprilis, anno primo.

In eundem modum venerabilibus fratribus a) .. *Niciensi et .. Senecensi et .. Diensi episcopis.* b) .. *archiepiscopo Gneznensi et .. Poznaniensi ac .. Polocensi episcopis.* c) .. *Viennensi et .. Bisuntino archiepiscopis ac .. Cabillonensi episcopo.* d) .. *archiepiscopo Ravennatensi et .. Bononiensi ac .. Parmensi episcopis.* e) .. *Treverensi et .. Coloniensi archiepiscopis ac .. Traiectensi episcopo.* f) .. *archiepiscopo Narbonensi* [3] *et .. Biterrensi ac .. Nemausensi episcopis.* g) .. *archiepiscopo Terraconensi et .. Caesaraugustano ac .. Pampilonensi episcopis.* h) .. *archiepisco Bracharensi et .. Elborensi ac .. Visensi episcopis.* i) .. *archiepiscopo Arelatensi et .. Avinionensi ac .. Cavallicensi episcopis.* j) .. *Claromontensi .. Aniciensi et .. Lemovicensi episcopis.* l) .. *archiepiscopo Mediolanensi et .. Cumano ac .. Vercellensi episcopis.* m) .. *archiepiscopo Auxitano et .. Tholosano ac .. Lemovicensi* (?) *episcopis.*

263. Mandat priori Praed. et guardiano Min. fratrum ord. Rothomagen., quod inquirant, si vera sint, quae exposuerunt abbatissa et conventus monasterii de Monasterio Villari ord. s. Ben., petentes suo monasterio incorporari ecclesiam s. Iuliani de Bonella. [4]

1317, aprilis 15, Avinione.

Dilectis filiis .. priori Praedicatorum et .. guardiano Minorum fratrum ordinum Rothomagen. [5]

Ex parte dilectarum *etc.* Datum Avinione, XVII kal. maii, anno primo.

264. Praeficit Guillelmum Minoritam ecclesiae Nicien. in episcopum. [6]

1317, aprilis 24, Avinione.

Venerabili fratri Guillelmo episcopo Nicien. [7]

Cura pastoralis officii *etc.* Pridem siquidem ecclesia Nicien. ordinis sancti Augustini per obitum bonae memoriae Raymundi episcopi Nicien., qui viam in illis partibus extitit universae carnis ingressus, pastoris solatio destituta, nos vacatione huiusmodi fide dignis relatibus intellecta, cupientes ipsius ecclesiae regimini personam secundum cor nostrum idoneam praesidere, provisionem eiusdem ecclesiae dispositioni nostrae auctoritate apostolica ea vice duximus reservandam, decernendo ex tunc irritum et inane, si secus super hoc a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attentari. Deinde vero de provisione ecclesiae praefatae, ne ipsa ulterioris vacationis subiaceret incommodis, cepimus sollicite cogitare et post deliberationem, quam ad deputandum ipsi ecclesiae personam utilem ac etiam fructuosam, cuius industria et experientia nobis notis dicta ecclesia posset ad salutaria dirigi et prospere gubernari, cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te ordinis fratrum Minorum professorem, tunc poenitentiarium nostrum, cuius litterarum scientia, vitae virtus, altitudo consilii, discretionis maturitas, morum honestas, aliaque multiplicium dona virtu-

---

[1] Reg. Vat. t. 65, ep. 2500, 2600, 2803.

[2] Eodem die editam esse constitutionem illam, quae incipit: « Quorundam exigit », scribit *Waddingus* l. c. n. 18; sed ipsa emanuit die 7 oct. 1317. Cfr. infra n. 269.

[3] *In registro minus recte:* Arelatensi.

[4] Reg. Vat. t. 65, f. 280, ep. 2888.

[5] *Rouen.* Conventus fr. Min. ibidem existens pertinebat ad custodiam Normandiae prov. Franciae.

[6] Reg. Vat. t. 65, ep. 2872, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 18.

[7] *Nizza* sive *Nice*, tum sub Ebredunen., nunc sub Aquen. archiepiscopo. Iste Guilelmus ineunte anno 1323 obiit.

tum tibi desuper concessarum nobis et eisdem fratribus sunt per familiarem experientiam non ignota, dereximus aciem nostrae mentis, ac de te ipsi ecclesiae (praemissis omnibus debita meditatione pensatis) de fratrum eorumdem consilio et apostolicae potestatis plenitudine providemus, teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi tam in spiritualibus, quam in temporalibus plenarie committendo, ac subsequenter per venerabilem fratrem nostrum Nicolaum episcopum Ostien. tibi munus fecimus consecrationis impendi *etc.* Datum Avinione, VIII kal. maii, anno primo.

265. Praeficit Richardum Minoritam ecclesiae Ossorien. in episcopum. [1]

1317, aprilis 24, Avinione.

Venerabili fratri Richardo episcopo Ossoriensi.

Romani Pontificis *etc.* Sane nuper Ossorien. [2] ecclesia pastoris regimine destituta pro eo, quod nos venerabilem fratrem nostrum Guillelmum olim episcopum Ossorien. a vinculo, quo tenebatur Ossorien. ecclesiae, absolutum ad Cassellen. ecclesiam tunc vacantem duximus transferendum, nos de ipsius ecclesiae Ossorien. provisione celeri, ne diu viduitatis subiaceret incommodis, sollicite cogitantes et cupientes illum per nostrae providentiae studium eidem pontificem praesidere, de quo certam haberemus notitiam, quod ipsum clara meritorum suorum insignia redimerent, ne dubia esset ipsius caritas erga plebem suo regimini commendatam, in cuius fide fida recumberet securitas subditorum: ad personam tuam, litterarum scientia, munditia vitae ac honestate morum et aliis virtutibus decoratam, direximus aciem nostrae mentis teque ordinis fratrum Minorum professorem de fratrum nostrorum consilio et apostolicae plenitudine potestatis memoratae Ossorien. ecclesiae praefecimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus committendo tibique subsequenter per venerabilem fratrem nostrum Nicolaum Ostiensem episcopum facientes munus consecrationis impendi *etc.* Datum Avinione, VII kal. maii, anno primo. [3]

266. Officiali Narbonensi mandat, ut citet quosdam fratres Minores « Spirituales » nuncupatos. [4]

1317, aprilis 27, Avinione.

Dilecto filio officiali Narbonensi.

Dudum ad nostri apostolatus perducto notitiam,

---

[1] Reg. Vat. t. 65, ep. 2756, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 19.

[2] *Ossory* in Hibernia.

[3] Die 1 iunii 1317 Ioannes XXII eidem episcopo concedit facultatem contrahendi mutuum usque ad summam 500 fl. auri ad faciendas necessarias expensas pro suis et ecclesiae Ossorien. negotiis apud sedem apostolicam expediendis. Reg. Vat. t. 65, f. 305, ep. 2960.

[4] Reg. Vat. t. 63, ep. 117 de curia, apud *Wadd.* Ann. Min. ad a. 1317, n. 11. — Iuvat eorum meminisse, quae a tempore, quo Clemens V obiit, in re Spiritualium inter fratres ordinis Minorum contigerant. Qua in re sequimur « Chronica XXIV ministrorum generalium ordinis Minorum », quae a collegio s. Bonaventurae apud Claras aquas (Quaracchi) publici iuris brevi fient. Res gestae ibi hoc modo describuntur: « A. D. 1314 XII kal. maii in Rupe Maura *(Rochemaure)* super Rodanum obiit Clemens papa quintus pontificatus sui anno IX; et vacavit sedes, cardinalibus hinc inde extra conclave discurrentibus, amplius quam duobus annis. Eodem anno (1314 oct. 5) dictus generalis (Alexander de Alexandria), cum tantum per annum cum dimidio ordinem gubernasset, appositus ad sanctos patres Romae sepultus est in Ara Coeli; et post ipsum fere per XVII menses fuit ordo sine generali ministro. Eodem tempore, sede Romana pastore et ordine generali vacante, aliqui ordini rebelles de custodia Narbonensi iterum ab ordinis unitate et obedientia recesserunt (cfr. supra nn. 168, 195, 196, 203, 212), loca etiam Narbonae et Biterris per vim armorum et armatorum hominum, eiectis inde suis superioribus et aliis fratribus obedientibus, occuparunt et inde sibi superiores, custodes et guardianos pro voto praefecerunt, reiectisque habitibus communitatis ordinis tamquam profanis et illicitis habitus curtos et difformes contra superiorum suorum (legitimorum) praecepta et arbitrium assumpserunt. Plures etiam alii fratres a. D. 1315 et 16 de eadem et aliis provinciis ad eos contra superiorum suorum obedientiam accesserunt et in rebellione huiusmodi perstiterunt. Qui etiam contra suum ministrum (provincialem) et alios veros praelatos suos et fratres alios obedientes appellando et incarcerando tyrannice insurgentes de dictis conventibus eiecerunt. Ex quibus multa scandala sunt secuta. Excommunicationes vero et alias sententias contra ipsos a iure vel suis superioribus promulgatas contempnentes eis in nullo deferebant ».

Enimvero anno 1314 fratres Provinciae in civitate Carcassonensi capitulum celebrarunt, superiores eos, quos Clemens V institui iusserat, a magistratibus amoverunt, illos vero superiores, quos idem Clemens V antea officiis privaverat (cf. supra n. 203) restituerunt atque duos ex restitutis istis, qui capitulo generali proxime sequenti interessent, elegerunt.

Quas mutationes in personis officialibus factas aegerrime ferebant atque contra ius et fas contigisse protestabantur Spirituales. Inprimis a Communitate constitutionem Clementis V « Exivi de paradiso » (cf. supra n. 197) violatam esse querebantur. Ab ipso autem ministro provinciali Spirituales poscebant, ut aut superiores illi officiis privati sibi restituerentur aut alii quidam maiori benevolentia erga ipsos affecti instituerentur. At res praeter eorum voluntatem evenerunt. Nam minister provincialis custodiae Narbonensi fr. Guilelmum Astre praefecit custodem, quem Spirituales maxime fastidiebant. Quo factum est, ut ipsi eos, qui ad Communitatem erant addicti, e conventibus Narbonensi et Biterrensi vi expellerent, superiores illos, quos capitulum Carcassonense amoverat, in pristinam dignitatem restituerent eaque alia peragerent, quae ex chronicis XXIV min. general. retulimus.

Quibus perturbationibus superiores ad Communitatem pertinentes eo occurrebant, ut Spirituales in ius vocarent: et fr. Guilelmus Astre quidem in eos agebat, qui ad Provinciam pertinebant, fr. Bertrandus de Turre autem, qui provinciam Aquitaniae regebat, in illos Spirituales, qui ex Aquitania in conventus Narbonensem et Biterrensem discesserant. Causam ita concluserunt, ut excommunicationes aliasque sententias (cfr. supra) in homines turbulentos infligerent. At Spirituales protestando resistebant.

quod humani hostis procurante nequitia inter dilectos filios nonnullos ex fratribus ordinis Minorum super quamplurimis articulis gravium erat dissensionum et discordiarum materia suscitata, nos, qui ad hoc libenter intenta sollicitudine vigilamus, ut cunctos ecclesiae filios in pacis pulchritudine praeservemus, quasdam circa praemissa ultra ea, quae per felicis recordationis Clementem papam V praedecessorem nostrum ordinata fuerant, ordinationes duximus faciendas, per quas huiusmodi dissensiones et discordias amputasse credidimus et super illis fratribus ipsis bonum pacis et concordiae provenisse. Verum quia, sicut noviter fuit expositum coram nobis, quidam ex dictis fratribus (videlicet Guillelmus de sancto Amantio, Raymundus Crivelerii, Germanus de....., Bernardus Parasolis, Berengarius Tortelli, Guillelmus Laurentii, Iacobus de Portali, Iacobus de Rivo, Laurentius de Salsis, Raymundus Carlati, Bernardus Durandi, Petrus Fabri, Bernardus Francisci, Guillelmus Santonis, Ioannes Barravi, Guillelmus Rogerii, Raymundus Borditi, Arnaldus Raymundi, Bernardus de Alzono, Franciscus Sysini, Pontius Roca, Ioannes Raserii, Bernardus Antinihaci, Guillelmus Arnaudi, Raymundus Bels, Berengarius de Ferrantibus, Guillelmus Tholosani, Bernardus de Boneti, Bernardus Tornerii, Bertrandus Grancarota, Ioannes Corvi, Petrus Austensii, Guillelmus Porcelli, Ioannes Ecclesiae, Raymundus Ferrerii, Ioannes Pruni, Raymundus Borditi, Gentilis de Marchia, Bernardus de Savarduno, Raymundus Ioannis, Raymundus Magistri, Guillelmus Rosseti, Guiraudus Martini, Petrus Vitalis, Guillelmus Vesiani, et Iacobus de Monteesquino) quasdam appellationes interposuerunt et protestationes fecerunt, ex quibus non solum statui dicti ordinis detrahitur, imo inter fratres praedictos ulterioris dissensionis et scandali, sicut veresimiliter creditur, inducitur incentivum, et etiam honori sedis apostolicae derogatur: nos intendentes super his remedium opponere salutare, discretioni tuae per apostolica scripta in virtute obedientiae districte praecipiendo mandamus, quatenus (per te vel per alium seu alios) fratres eosdem superius nominatos ex parte nostra peremptorie ac sub excommunicationis poena, quam eos, si contra fecerint, incurrere volumus ipso facto, citare procures, ut decimo die post citationem huiusmodi apostolico conspectui se personaliter repraesentent, facturi et recepturi super praemissis, quod ordo dictaverit rationis. Diem vero huiusmodi citationis

---

Fautores nacti plures cardinales, inprimis cardinalem Iacobum de Columna, a Roberto archiepiscopo Aquensi, quippe qui conservatorem iurium et privilegiorum a sede apostolica ordini Minorum concessorum in illis partibus agebat, ut poenae illae irritarentur, impetrarunt. Atque, ut ab ipso quoque ministro ordinis generali, qui brevi post tempore Pentecostis 1316 in capitulo generali Neapolitano eligi debebat, indemnitatem haberent, literas illuc miserunt, quibus tum ea, quae gesserant, defendebant tum ad futurum pontificem appellationis, quam auserant, rationem reddebant (cfr. *Ehrle*, l. c. 14, 159-164).

Ordinis minister generalis tempore et loco, ut praemittitur, electus est Michael de Caesena. Qui Spiritualibus per Stephanum Alberti ipsorum provincialem, dummodo certae quaedam conditiones servarentur, ea, quae deliquerant, esse condonaturum promisit. Cum vero Spirituales conditiones legesque statutas recusarent, apud Ioannem XXII papam, die 7 augusti 1316 electum, ab ipso ministro generali sunt accusati. Quam quidem causam ut agerent, fr. Raymundus de Fronciaco, qui ordinis erat procurator, ac fr. Bonagratia de Pergamo, qui exul redierat (cf. supra n. 204), mandatum habuerunt. Qui accusatores in consistorio publico quinque res petebant, *a*) ut status Fraticellorum, quorum caput fr. Angelus de Clarino erat, cassaretur, *b*) ut fr. Ubertinus de Casali (cfr. supra n. 158, not. 1) corrigeretur et puniretur, *c*) ut illi, qui in Siciliam fugerant (cfr. supra n. 217), ad ordinis obedientiam reducerentur, *d*) ut appellationes in ordine reprimerentur, *e*) ut Beguini non reputarentur de Tertio ordine s. Francisci, ne sub illo possent erronea disseminare.

Ioannes papa XXII anno 1316 ad finem vergente aut anno 1317 ineunte eorum qui accusabantur patronos coram vocavit. Inter quos principes erant fr. Angelus de Clarino atque Ubertinus de Casali, quos diximus, et Gaufridus de Cornone, qui Raymundo Gaufridi mortuo Spiritualium intra Provinciae fines veluti dux extiterat. Res utrimque inter accusatores et accusatos agitabatur. Qua de disceptatione consulenda imprimis fuerint acta, quae Raymundus de Fronciaco circa causas eas universas collegit, atque illi tres defensionum libelli, quos ea aetate Spirituales confecerunt (cfr. *Ehrle*, l. c. t. III, p. 26-29, et t. IV, p. 51-63). Causa dum utrimque disceptaretur, Ioannes papa XXII Berengario episcopo Tusculano atque Arnaldo tit. s. Priscae presbytero cardinali teste Raymundo de Fronciaco mandavit, « ut facerent literam, per quam rebelles de Narbona redirent ad obedientiam ». Qui quum « ex certis causis impediti » officio iniuncto non satisfacerent, tres alii cardinales: Vitalis de Furno tit. s. Martini in montibus (ex ord. Min.) et Iacobus de Via tit. ss. Iohannis et Pauli, presbyteri, ac Neapoleo de Ursinis s. Adriani diaconus, idem facere sunt iussi. Ii die 22 aprilis 1317 ad ministrum ordinis generalem atque ad Provinciae ministrum provincialem haec scripserunt:

« Venerabilibus et religiosis fratribus Michaeli generali et provinciali in provincia Provinciae ordinis fratrum Minorum ministris: miseratione divina frater Vitalis s. Martini in montibus, Iacobus ss. Iohannis et Pauli, presbiteri cardinales, Neapoleo s. Adriani diaconus cardinalis, salutem et sincerae dilectionis affectum. A sacris est canonibus salubriter institutum, ne inter eos, qui unum evangelium praedicant eiusdemque sunt professionis, dissimilis sit habitus disparque observantia, sed omnes in unum regulare propositum et honestum habitum se conforment, quia ex diversitate habitus plerumque scandalum generatur nec cohaerere nec coniungi possunt, quibus sunt studia et vota diversae scientiae. Orta materia quaestionis inter vos ex parte una et quosdam fratres ordinis vestri Narbonae et Biterris commorantes ex altera super eo, quod sub dissimili habitu disparique observantia ab aliis fratribus communitatis ordinis in locis praedictis vitam ducere satagebant, et ea ad audientiam sanctissimi patris et domini nostri domini Iohannis divina providentia papae XXII deducta, idem dominus papa assistente collegio cardinalium nobisque praesentibus, partibus coram se vocatis et allegationibus hinc inde auditis, statuit, decrevit et mandavit, quod omnes fratres, qui praedictos habitus dissimiles

et formam, et quidquid inde duxeris faciendum, nobis per tuas litteras harum seriem continentes fideliter intimare procures. Datum Avinione, V kal. maii, anno primo.

267. Officialem Biterrensem citare iubet alios fratres Minores eidem sectae Spiritualium addictos. [1]

1317, aprilis 27, Avinione.

Dilecto filio officiali Biterrensi.

Pridem ad nostri apostolatus perducto notitiam, quod ..... provenisse. Verum quia, sicut noviter fuit expositum coram nobis, quidam ex dictis fratribus, videlicet Bernardus Martini, Petrus Dominici, Vincentius Guiraudi, Berengarius Iulioli, Petrus Bayssi, Petrus Raymundi Gontardi, Petrus Raymundi de Mayraco, Bernardus Andreae, Bernardus Polherii, Bernardus Guille, Berengarius Cofi, Deodatus Michaelis, Iacobus Seguini, Pontius Portanovae, Ioannes Fabri et Guillelmus Radulphi, quasdam apellátiones interposuerunt et protestationes fecerunt, ex quibus non solum statui dicti ordinis detrahitur *etc. ut in praecedenti diplomate.* Datum ut supra.

268. Praelatis infra nominatis mandat, ut quandam puellam recipi faciant in monasterio de Monticellis de Florentia ord. s. Clarae. [2]

1317, maii 9, Avinione.

Venerabili fratri .. episcopo Imolensi et dilectis filiis .. plebano plebis sancti Andreae de Dotia Florentinae dioecesis ac Raynaldo de Malavoltis canonico Senensi.

Cum, sicut accepimus, dilecta in Christo filia Naia puella litterata, nata dilecti filii Donati de Donatis de Florentia, cupiat, sicut pro parte sua fuit nobis expositum, in monasterio sanctae Clarae de Monticellis de Florentia ordinis eiusdem sanctae [3] sub regulari habitu Domino famulari, nos volentes eam in huiusmodi suo laudabili proposito confovere, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios auctoritate nostra eandem Naiam in dicto monasterio recipi faciatis in monacham et sororem et sincera in Domino caritate tractari: non obstante de certo monialium numero, si ibidem forsitan existat, seu quibusvis aliis monasterii et ordinis praedictorum contrariis consuetudinibus vel statutis *etc.* Datum Avinione, VII idus maii, anno primo.

269. Mariae, Siciliae reginae viduae, concedit licentiam ingrediendi monasterium s. Clarae Neapolitanum. [4]

1317, maii 15, Avinione.

Carissimae in Christo filiae Mariae reginae Siciliae illustris.

Gerentes ad personam tuam benevolentiae specialis affectum votis tuis libenter annuimus tuasque petitiones, quantum cum Deo possumus, favorabiliter exaudimus. Hinc est, quod nos tuis supplicationibus inclinati, ut monasterium sanctae Clarae Neapolitan. [5] ordinis eiusdem sanctae una cum filiabus, nuribus et neptibus tuis ac decenti mulierum tibi servientium comitiva libere ingredi et,

---

assumpserânt, eos deponerent et secundum iudicium vestrum aliorumque suorum superiorum se in habitu cum aliis fratribus communitatis ordinis (eorum allegationibus non obstantibus) conformarent, quodque praedicti fratres, qui tunc praesentes erant, ceterique eorum consortes ad conventus per vos eis assignatos vel assignandos se transferrent, sic quod loca distincta ab aliis fratribus non haberent, et quod in ceteris omnibus, quae ad regularem spectant observantiam, vobis et cuilibet vestrum aliisque praelatis eis per ordinem assignatis vel assignandis (sicut ceteri fratres vestri ordinis) obedirent humiliter et devote mandatis eorum, [ita tamen,] ne ipsis fratribus gravamina per vos vel per alios contra iustitiam inferantur. Verum ad ipsius domini papae notitiam postmodum fuit deductum, quod nonnulli ex praedictis fratribus, quibus per vos, ministrum provincialem, fuerant obedientiae, quod ad alios conventus eis per vos assignatos se transferrent habitusque deformes, quos assumpserant, deponerent, in vocem appellationis ab huiusmodi mandatis vestris ad sedem apostolicam proruperunt, allegantes inter cetera, quod non credebant praedicta mandata eis facta de ipsius domini voluntate et beneplacito; quamobrem idem dominus papa XXII die mensis aprilis in camera ipsius nobis commisit oraculo vivae vocis, ut vobis per nostras litteras intimemus, voluntatem et ordinationem ipsius domini papae fuisse et esse talem, ut superius est expressum. Quam eisdem fratribus quam citius notificare curetis, significantes nobis, si ipsi vel aliquis eorum voluntati vel ordinationi praefati domini nostri ausu temerario, quod absit, praesumpserit contraire. In quorum omnium testimonium praesentes litteras fieri fecimus et nostrorum sigillorum appensione muniri. Datum Avinione supradicta XXII die mensis aprilis anno Domini MCCCXVII, pontificatus eiusdem sanctissimi patris et domini domini Iohannis papae XXII anno primo ».

Diebus quinque post literas illas datas summus pontifex ipse novatores Narbonenses ac Biterrenses, quorum nomina in literis supra relatis occurrunt, coram vocavit. Fratres convocati, itineris socios nacti Bernardum Deliciosi (cf. supra n. 34, 44, p. 24, not. 2, n. 90, p. 44, not. 7, et infra n. 372) atque Guilelmum quendam Giraudi, circa festum Pentecostis (die 22 maii) anni 1317 Avinionem pervenerunt ac die 25 maii coram papa apparuerunt. Quae et qualia et quo modo ex eis die illo quaesita fuerint, oculis quasi percipimus sexta illarum septem tribulationum, quas, ut credere fas est, *Angelus de Clarino* nobis conscripsit. Neque vero omittenda sunt, quae hac de re Raymundus Franciaco scribit in actis ab ipso collectis, de quibus iam supra diximus. Interrogationes eo sunt finitae, quod Gaufridus de Cornone, Franciscus Sancii, Guilelmus de s. Amantio, Bernardus Deliciosi, Philippus de Cauco, Guilelmus Giraudi, qui nomine 64 Spiritualium convocatorum coram papa responderant, carceribus variis includerentur, quod ceteri autem redirent ad domum fratrum Minorum Avinionensium ab ipsis fratribus custodiendi, donec papa maturius deliberaret, quod de illis esset agendum. Haec erat rerum conditio, cum constitutio pontificis « Quorundam exigit » die 7 octobris 1317 ediceretur (vide infra n. 289).

[1] Reg. Vat. t. 63, ep. 118, apud *Wadd.* l. c. ad a. 1317, n. 12.

[2] Reg. Vat. t. 66, f. 216, ep. 3815.

[3] Cuius abbatissa prima erat s. Agnes, germana s. Clarae.

[4] Reg. Vat. t. 66, f. 27, ep. 3296.

[5] A Sanctia regina Siciliae, nuru ipsius, fundatum (cfr. supra n. 199).

cum ad monasterium ipsum causa audiendi divinum officium in sollemnibus diebus accesseris cum filiabus, nuribus et neptibus ac mulieribus praedictis, ultra ambitus dicti monasterii, extra tamen dormitorium, licite dormire, necnon cum monialibus eiusdem monasterii ter in anno dumtaxat comedere (ipsorum monasterii et ordinis consuetudinibus et statutis ac constitutionibus quibuscumque contrariis nequaquam obstantibus) valeas, dummodo abbatissae vel eius, quae eidem monasterio praefuerit, ad id accedat assensus, auctoritate tibi praesentium indulgemus. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, idus maii, anno primo.

270. Michaeli ministro generali ord. Minorum concedit facultatem recipiendi decem loca pro ordine suo. [1]

1317, maii 19, Avinione.

Dilecto filio Michaeli ministro generali ordinis fratrum Minorum.

In ecclesiae firmamento tuus ordo sidereo nitore coruscans universam gregis dominici aulam illuminat et currentibus in stadio rectum iter insinuat, quo ad salutis bravium facilius pervenitur, hic in valle paupertatis terrenae militans in coelestium triumphat eminentia facultatum. Cupientes igitur, ut hic ordo conspicuus per orbem eo amplius propagetur et novae prolis foetu iugiter amplietur, quo ipsius sacra religio virtutum fecunditate referta et tota per bonorum operum studia Domino ex suae institutionis exordio dedicata ad robur et munimentum fidei orthodoxae per insignium gratiam meritorum et exemplaris vitae doctrinam uberes hactenus in universali ecclesia honestatis fructus protulit et salutis: tuis supplicationibus inclinati, decem recipiendi loca in partibus et provinciis infrascriptis, videlicet in Emsgovia in loco, qui dicitur Walburgeharcha (inter Emetha et Fallerne), [2] ac in loco vocato Leucha, in comitatu etiam Astariacen. in villa, quae Miranda vocatur, et in Burgo Sinicini et Liquate ac Tocti castris (Monasterien., Strigonien., Auxitan., Cremonen., Agrigentin. et Theatin. dioec.) nec non in Romaniae partibus duo, in Hungariae quoque confinio versus Tartaros unum, in Tusciae unum provinciis fratrum dicti ordinis loca, iuxta tuae discretionis arbitrium, ponendique ibidem fratres dicti ordinis, prout tibi videbitur expedire, tibi ac ipsis fratribus in eisdem locis taliter positis ibidem aedificandi oratoria, domos et necessarias officinas (felicis recordationis Bonifatii papae VIII praedecessoris nostri, qua inhibetur *etc.*, et qualibet alia constitutione contraria nequaquam obstantibus) plenam et liberam concedimus auctoritate praesentium facultatem. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, XIV kal. iunii, anno primo.

271. Episcopos infra nominatos constituit conservatores iurium et privilegiorum monasterii Delpeyrat de Maron ord. s. Clarae. [3]

1317, maii 28, Avinione.

Venerabilibus fratribus Agennen. et Petragoricen. ac Lemovicen. episcopis.

Sub religionis habitu vacantibus piae vitae studio ita debemus esse propitii, ut in divinis beneplacitis exequendis malignorum non possint obstaculis impediri. Cum igitur dilectae in Christo filiae abbatissa et conventus monasterii del Peyrat de Maron extra muros castri de Gordonio ordinis sanctae Clarae Caturcen. dioec., sicut ex parte ipsarum fuit propositum coram nobis, a nonnullis, qui nomen Domini in vanum recipere non formidant, super possessionibus et aliis bonis suis graves patiantur iniurias et iacturas: nos, earumdem abbatissae et conventus providere quieti et malignantium malitiis obviare volentes, fraternitati vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus eisdem abbatissae et conventui pro nostra et apostolicae sedis reverentia opportuni favoris praesidio assistentes ipsas contra indulta privilegiorum eis a sede concessorum eadem non permittatis ab aliquibus indebite molestari, molestatores huiusmodi, quicumque et cuiuscumque religionis, conditionis aut status existant, auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo; non obstantibus *etc.* Datum Avinione, V kalendas iunii, anno primo.

272. Committit episcopo Petragoricen., quod benedicat coemeterium praedicti monasterii. [4]

1317, maii 28, Avinione.

Venerabili fratri .. episcopo Petragoricen.

Pia desideria *etc.* Pro parte siquidem dilectarum in Christo filiarum .. abbatissae et conventus monasterii del Peyrat de Maron extra muros castri de Górdonio ord. s. Clarae Caturcen. dioec. fuit nobis humiliter supplicatum, quod, cum ipsae in eodem monasterio cimiterium non habeant benedictum, eis provideri super hoc de benignitate apostolica dignaremur. Cum igitur ecclesia Caturcen. pastoris regimine carere noscatur ad praesens, nos earumdem abbatissae et conventus supplicationibus inclinati fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus in eodem monasterio ad opus ea-

[1] Reg. Vat. t. 66, f. 257, ep. 3969; apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 20.
[2] In « provinciali » ord. Min. hic locus nominatur « Fallerne ».
[3] Reg. Vat. t. 65, ep. 2911 *b*, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 21; cfr. infra n. 272 et 273.
[4] Reg. Vat. t. 65, ep. 2911 *a*.

rum cimiterium benedicas, sine iuris praeiudicio alieni. Datum Avinione, V kal. iunii, anno primo.

273. Clarissis infra nominatis communicat omnia privilegia, quae sunt concessa monasterio Clarissarum Avinion. [1]

1317, maii 29, Avinione.

Dilectis in Christo filiabus abbatissae et conventui monasterii del Peyrat de Maron extra muros castri de Gordonio ord. s. Clarae dioec. Caturcen.

Iustis petentium desideriis dignum est nos facile praebere consensum et vota, quae a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Eapropter, dilectae in Christo filiae, vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras et locum, in quo estis divinis obsequiis dedicatae, quem dilecta in Christo filia soror Fays de Gordonio monialis monasterii del Peyrat de Maron extra muros castri eiusdem de Gordonio ordinis s. Clarae Caturcen. dioecesis ad honorem eiusdem sanctae pro suae salutis augmento de bonis propriis de novo fundasse dignoscitur et dotasse, cum omnibus bonis suis ac iuribus et pertinentiis universis, quae in praesentiarum rationabiliter possidetis et in futuro iustis modis praestante Domino poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et praesentis scripti patrocinio communimus, vobis nihilominus concedentes, quod immunitatibus, libertatibus, privilegiis, indulgentiis et gratiis gaudeatis, quae sunt eidem ord. s. Clarae ac monasterio Avinionen. eiusdem ordinis ab apostolica sede concessa. Tenores autem privilegiorum et indultorum praedicto monasterio Avinionen. concessorum praesentibus inseri fecimus, qui tales sunt: .... [2] Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, IV kal. iunii, anno primo.

274. Luciae de Mari Clarissae concedit licentiam a monasterio Cremonen. ad mon. s. Catharinae Ianuen. se transferendi. [3]

1317, iunii 1, Avinione.

Dilectae in Christo filiae Luciae de Mari moniali monasterii sanctae Clarae Cremonensis ordinis eiusdem sanctae.

Devotionis tuae merita nos inducunt, ut in hiis, quae contingunt commoda quietis et pacis, tibi favorem apostolicum impendamus. Porrecta siquidem nobis tua petitio continebat, quod monasterium sanctae Clarae Cremonensis ordinis eiusdem sanctae propter guerrarum dispendia, quae in illis partibus viguerunt hactenus et adhuc vigent, ad inopiam est deductum et oneratum multitudine monialium degentium in eodem; propter quod tu, quae in monasterio ipso praedictum ordinem es professa, ad monasterium sanctae Catharinae Ianuense eiusdem ordinis desideras te transferre, ut ibidem quietius valeas Altissimo famulari. Nos igitur dilectorum filiorum ambaxiatorum Ianuensium pro te nobis super hoc humiliter supplicantium et tuis precibus inclinati, ut ad praedictum monasterium te transferre libere valeas, licentiam tibi auctoritate praesentium impertimur. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, kalendis iunii, anno primo.

275. Episcopis Noviomensi et Meldensi mandat, ut audiant causam inter monasterium de Bonoloco ord. s. Clarae et clerum s. Audomari dioec. Morinen. super sepulturis vertentem. [4]

1317, iunii 8, Avinione.

Venerabilibus fratribus .. Noviomensi et .. Meldensi episcopis.

Humiles devotarum personarum preces in hiis praecipue nos decet favorabiliter exaudire, quae religionis augmentum respicere dinoscuntur. Exhibita siquidem nobis dilectarum in Christo filiarum .. abbatissae et sororum monasterii de Bonoloco iuxta villam sancti Audomari ordinis sanctae Clarae Morinensis dioecesis petitio continebat, quod quondam Robertus comes Attrebatensis, de propria salute recogitans ac cupiens terrena in coelestia et transitoria in aeterna salubri commercio commutare, dictum monasterium in proprio fundo in beati Ludovici confessoris honore fundavit, volens, quod per abbatissam et sorores dicti ordinis inibi Domino exhiberetur perpetuus famulatus, ad praemissa omnia dioecesani loci accedente consensu; et licet praefata abbatissa et sorores de ipsius dioecesani licentia in praefato monasterio fecissent cimiterium benedici et in praefato monasterio vivente dicto comite pacifice permansissent, tamen dicto comite

---

[1] Reg. Vat. t. 65, ep. 2896, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 22.

[2] Sequuntur litterae Urbani IV d. d. 22 sept. 1263, quibus decernitur, sepulturam ecclesiae ipsius monasterii sine alieni iuris praeiudicio esse liberam, et Alexandri IV d. d. 4, 7, 11, 12 sept. et 28 oct. 1256 ac 7 febr. et 16 iunii 1257, quibus ipsum ad procurationes legatis apostolicis aut aliis quibuscunque praestandas minime teneri declaratur, ecclesiam eiusdem mon. visitantibus quaedam indulgentiae conceduntur, ipsis monialibus indulgetur, ut a male acquisitis ac redemptionibus votorum usque ad 100 libras Turon. recipere, necnon bona quaecunque temporalia apud eas ordinem s. Clarae assumentium profitentiumque exigere et retinere valeant, immunitates quoque et privilegia iam concessa confirmantur inhibeturque, ne quis de legatis vel oblationibus eisdem monialibus a fidelibus factis quidquam exigere valeat, atque ipsis indulgetur, ut privilegiis et indulgentiis ordini fratrum Minorum concessis uti possint; litterae denique Nicolai IV d. d. 18 maii 1290, quibus visitantibus ecclesiam dicti monasterii quaedam indulgentiae conceduntur, et Bonifatii VIII d. d. 4 iulii 1296, quibus ordo s. Clarae eximitur a solvendis decimis, praestandis procurationibus, exhibendis pedagiis. Cfr. huius op. t. II, p. 508, 157, 158, 167, 193, 254; t. IV, p. 151 et 401.

[3] Reg. Vat. t. 66, f. 4, ep. 3012.

[4] Reg. Vat. t. 66, f. 246, ep. 3925.

naturae debitum persolvente rectores ecclesiarum et clerus totius villae praedictae sancti Audomari contra abbatissam et sorores insurgentes easdem publice inhibent, ne quisquis apud eas eligat sepulturam, et alias multipliciter ipsas impetunt et molestant. Quare pro parte ipsarum fuit nobis humiliter supplicatum, ut eis adversus molestatores huiusmodi de opportuno providere remedio dignaremur. Nos igitur pietatis intuitu et obtentu carissimae in Christo filiae nostrae Ioannae reginae Franciae et Navarrae illustris [1] pro dictis abbatissa et sororibus cum instantia nobis supplicantis, volentes ipsarum providere quieti et praedictorum molestantium malitiis obviare, fraternitati vestrae per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel alter vestrum, si vobis de plano summarie sine strepitu et figura iudicii constiterit de praemissis, non permittatis easdem super monasterio et cimiterio praedictis et ipsius libera sepultura et divinorum celebratione indebite molestari, molestatores huiusmodi ac contradictores quoslibet et rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo *etc.* Datum Avinione, VI idus iunii, anno primo.

276. Ioannem Viel Minoritam in poenitentiarium apostolicum recipit, ita ut remaneat in servitio regis et reginae Franciae. [2]

1317, iunii 30, Avinione.

Dilecto filio fratri Ioanni Viel ordinis Minorum poenitentiario nostro.

Ob dilectionis plenitudinem et benevolentiae specialis affectum, quas ad carissimum in Christo filium nostrum Philippum Franciae et Navarrae regem illustrem gerimus et habemus, volentes personam tuam, qui suis et carissimae in Christo filiae nostrae Ioannae Franciae et Navarrae reginae illustris consortis suae insistis obsequiis, prosequi gratia speciali, te in poenitentiarium nostrum recipimus [et insuper] gratiose tibi, quod iuxta beneplacitum eorum regis vel reginae, cuius nosceris specialis esse confessor, possis in ipsorum servitio commorari, auctoritate praesentium duximus concedendum. Datum Avinione, II kalendas iulii, anno primo.

277. Mandat priori Praed. et guardiano Minorum fratrum Agennen., ut inducant treugas inter Amanevum de Lebreto et Sanseverinum de Pinibus. [3]

1317, iulii 8, Avinione.

Dilectis filiis... priori Praedicatorum et .. [4] *guardiano Minorum fratrum ordinum Agennen.*

Dudum circa nostrae *etc.* Dat. Avinione, VIII idus iulii, anno primo.

278. Ioannem episcopum Nepesinum (ex ord. Min.) constituit vicarium suum in Urbe. [5]

1317, iulii 18, Avinione.

Venerabili fratri Ioanni episcopo Nepesino vicario nostro in Urbe.

Licet ecclesiarum omnium universalis cura et populi christiani regimen ad vigilantiam nos inducant, Romana tamen Urbs inclita, quam caput orbis divina clementia stabilivit et ubi Petri sedem coelestis dispositio statuit et firmavit, ac eiusdem Urbis noster peculiaris clerus et populus suis dignis praerogativis sollicitant mentem nostram, de ipsorum statu prospero et salubri attentius et diligentius cogitare, ut spiritualiter et temporaliter de bono in melius recipiant incrementum. Igitur de tua vita laudabili, religione probata, scientia et circumspectione confisi, te in Urbe praefata vicarium nostrum in spiritualibus apostolica auctoritate statuimus, [concedentes tibi eadem auctoritate facultatem] visitandi omnia et singula ecclesias, monasteria et loca ecclesiastica ipsius Urbis et etiam sancti Laurentii, sancti Anastasii, sancti Sebastiani, sanctae Agnetis et alia monasteria et ecclesias prope ipsam Urbem, exempta et non exempta, et personas eorum, nec non inquirendi, corrigendi, reformandi et providendi, prout secundum Deum et iustitiam videris expedire, [6] conficiendi quoque et conferendi ecclesiastica sacramenta, ecclesias dedicandi et eas ac illarum cimiteria reconciliandi, capellas nostras dumtaxat ipsius Urbis et ipsarum beneficia ad collationem nostram spectantia, cum vacaverint, conferendi et caetera, quae ad ipsius vicariae spectant officium, usque ad apostolicae sedis beneplacitum faciendi et exercendi, nec non contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendi, non obstante *etc....* Ideoque fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatinus impositum tibi onus a Domino devote suscipiens et ad praefatam Urbem te personaliter conferens praefatum officium ad laudem Dei et salutem fidelium sic diligenter et laudabiliter gerere studeas, quod de communicatis tibi laboribus fructus uberes auxiliante Domino repraesentes ac nostram et dictae sedis benedictionem et gra-

---

[1] Filiae Matildis comitissae Atrebaten., cuius pater erat praedictus Robertus com. Atrebaten. Cf. infra n. 439 et supra n. 227.

[2] Reg. Vat. t. 66, f. 61, ep. 3233.

[3] Reg. Vat. t. 63, ep. 307 et 314 de curia, t. 109 epp. 294-299, cfr. *Wadd.* Ann. Min. ad a. 1317, n. 3, et infra nn. 288 et 320.

[4] Isarno de Monte alto.

[5] Reg. Vat. t. 63, f. 135, ep. 364; cfr. supra n. 251.

[6] Circa visitationem ecclesiae et monasterii s. Pauli prope Urbem Ioannes XXII eidem vicario suo in Urbe specialem concedit facultatem litteris 23 iulii 1317 datis et incipientibus « De tua circumspectionis industria » (l. c. f. 136).

tiam plenius consequi merearis. Datum Avinione, XV kalendas augusti, anno primo.

279. Concedit indulgentias visitantibus capellam regiam Parisien. in die translationis capitis s. Ludovici regis Franciae. [1]

1317, augusti 13, Avinione.

Universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis.

Claro supernorum consortio civium, quos largitor ille munificus, qui de suae pietatis irriguo dat affluenter et non improperat, gloriosis reficit gaudiis, deliciis refovet sempiternis, cunctos fidei orthodoxae cultores plenis desiderantes affectibus aggregari, eorum mentes et animos ad misericordiae opera et pietatis studia exercenda, quibus coelorum regnum acquiritur, nunc piis indulgentiarum donis allicimus nunc muneribus remissionum salubribus invitamus, ut post vitae praesentis excursum statum stabilem non habentis meritorum fulti praesidio caelestis beatitudinis praemia perpetuis mansura temporibus facilius consequi mereantur. Dudum siquidem felicis record. Bonifatius papa VIII praedecessor noster beatum Ludovicum, quondam regem Franciae inclitum, gloriosissimum confessorem, claris suis exigentibus meritis operibusque mirificis, quibus ipse in huius orbis orbita constitutus sicut lucerna luminosa resplenduit, de communi fratrum suorum et praelatorum omnium tunc apud sedem apostolicam consistentium consilio et assensu sanctorum duxit catalogo adscribendum. Cum itaque, sicut accepimus, venerabile caput ipsius confessoris, cuius corpus in monasterio sancti Dionysii Parisiensis dioecesis quiescebat, ad capellam regiam [2] constitutam Parisius sit translatum, nos cupientes, ut ad divini nominis gloriam et laudem confessoris eiusdem huiusmodi eius translationis celebritas sollemniter peragatur, omnibus vere poenitentibus et confessis de regno Franciae existentibus, qui capellam ipsam in die translationis eiusdem et per octo dies immediate sequentes: unum annum et quadraginta dies, illis vero, qui de regno non existunt eodem quique praenominatam capellam praefato die translationis ac per alios octo dies praedictos annis singulis venerabiliter visitarint, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi: duos annos et duas quadragenas de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus. Datum Avinione, idus augusti, anno primo.

280. Philippo regi Franciae concedit licentiam ingrediendi monasteria monialium cuiuscumque ordinis. [3]

1317, augusti 13, Avinione.

Carissimo in Christo filio Philippo regi Franciae et Navarrae illustri.

Ex tuae devotionis meritis *etc.* ... Hinc est, quod nos tuis supplicationibus inclinati auctoritate tibi praesentium indulgemus, ut monasteria monialium, cuiuscumque ordinis fuerint, cum octo fratribus Praedicatorum et Minorum ordinum ac honesta et decenti hominum et mulierum comitiva ingredi valeas, dummodo tu et iidem fratres ac homines et mulieres in monasteriis ipsis nequaquam edatis vel aliquatenus pernoctetis, non obstantibus contrariis ordinum eorundem aut monasteriorum consuetudinibus vel statutis. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, idus augusti, anno primo.

281. Ladislaum Minoritam praeficit ecclesiis Colocen. et Bachien. in archiepiscopum. [4]

1317, augusti 15, Avinione.

Venerabili fratri Ladislao archiepiscopo Colocen. et Bachien.

Inter cetera sollicitudinis nostrae studia *etc.* ... Dudum siquidem Colocen. et Bachien. ecclesiis, quae canonice sunt unitae, per obitum bonae memoriae Vincentii archiepiscopi Colocen. et Bachien. [5] pastoris solatio destitutis, dilecti filii capitula ecclesiarum dictarum ipsarum vocatis omnibus, qui voluerunt, debuerunt et potuerunt commode interesse, dilectum filium Demetrium praepositum Colocen. ecclesiae antedictae in Colocen. et Bachien. archiepiscopum per formam scrutinii elegerunt, idemque praepositus ad instantiam ipsorum capitulorum huiusmodi electioni de se factae consensit. Postmodum autem dictus praepositus per certos suos procuratores ac nuntios propter hoc ad sedem apostolicam personaliter destinatos a felicis recordationis Clemente papa V praedecessore nostro huiusmodi electionem, ipsius sibi praesentato decreto, petiit auctoritate apostolica confirmari. Huiusmodi autem electionis negotio non discusso, dictus praedecessor viam extitit universae carnis ingressus. Nosque postea ad apicem summi apostolatus assumpti, negotio ipso per procuratores eosdem exposito coram nobis, idem negotium bonae memoriae Raymundo tituli sanctae Potentianae presbytero et dilectis filiis nostris Neapoleoni sancti Adriani et Iacobo de Columna sanctae Romanae ecclesiae diaconis cardinalibus, examinandum commisimus et

[1] Reg. Vat. t. 66, f. 317, ep. 4142*e*.
[2] Vulgo: *la sainte chapelle*.
[3] Reg. Vat. t. 63, f. 285, ep. 899. Cfr. supra n. 229.
[4] Reg. Vat. t. 66, ep. 3481, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Ioann. XXII, n. 1.
[5] *Kalocsa-Bács* in Hungaria.

nobis postmodum referendum; dictique cardinales ipsius electionis discusso negotio nobis negotium ipsum fideliter retulerunt; nosque pôstmodum electionem ipsam, non vitio personae ipsius praepositi, sed certis aliis de causis, iustitia exigente cassavimus et etiam decrevimus irritam et inanem.

Et deinde provisionem ipsarum ecclesiarum (cum nullus praeter nos hac vice de ordinatione ipsarum se intromittere potuerit, pro eo quod nos diu ante cassationem huiusmodi provisiones omnium ecclesiarum tam cathedralium quam aliarum tunc apud dictam sedem quocunque modo vacantium et in antea vacaturarum dispositioni nostrae et eiusdem sedis specialiter reservavimus, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super his a quoquam scienter vel ignoranter contingeret attentari), ne dictae Colocen. et Bachien. ecclesiae prolixae vacationis exponerentur incommodis, coepimus intendere diligenter et post deliberationem, quam ad deputandum eisdem ecclesiis personam utilem et etiam fructuosam, cuius industria probitatis in suis valerent viribus adaugeri ac etiam defensari, ad te ordinem fratrum Minorum professum, in sacerdotio constitutum, litterarum scientia praeditum, morum honestate decorum, discretionis et consilii maturitate conspicuum et aliis virtutum donis multipliciter insignitum, quem etiam charissimus in Christo filius noster Carolus rex Hungariae illustris per suas litteras de praemissis et aliis multiplicibus probatis meritis commendavit, direximus aciem mentis nostrae.

Quibus omnibus diligenti meditatione pensatis, de persona tua, utpote nobis et fratribus nostris ob huiusmodi tuorum exigentiam meritorum accepta, praefatis ecclesiis auctoritate apostolica de ipsorum fratrum consilio et apostolicae potestatis plenitudine providemus teque illis in archiepiscopum praeficimus et pastorem, curam et administrationem earum tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, et postmodum per venerabilem fratrem nostrum Nicolaum episcopum Ostien. munus tibi fecimus consecrationis impendi, et subsequenter pallium, plenitudinem videlicet pastoralis officii, a te cum ea qua decuit reverentia postulatum, a nobis de corpore beati Petri sumptum, per dilectos filios nostros Guilelmum [1] sancti Nicolai in carcere Tulliano, Iacobum [2] sancti Georgii ad velum aureum, Arnaldum [3] sanctae Mariae in Porticu ac Ioannem [4] sancti Theodori diaconos cardinales tibi fecimus assignari *etc.* Datum Avinione, XVIII kal. septembris, anno primo. [5]

282. Absolvit fratres Minores Tolosan. super quibusdam bonis olim ab episcopo Pampilonen. apud ipsos depositis et ab eis camerae apost. traditis. [6]

1317, septembris 5, Avinione.

Dilectis filiis .. guardiano vel eius vicario ac conventui fratrum Minorum civitatis Tholosanae.

Scire vos facimus, quod quaedam bona mobilia bonae memoriae Arnaldi Pampilonensis episcopi, [7] quae penes vos fuerint ab olim per executores testamenti dicti quondam episcopi in domo vestra deposita, quaeve nuper mandavimus per vos ad cameram nostram mitti, eidem sunt camerae per vestros nuntios assignata una cum litteris executorum ipsorum sigillo munitis, ut prima facie apparebat, super deposito praedicto confectis; super quo quidem deposito vos et ordinem vestrum in antea per quemvis impeti nolumus, veluti quos inde prorsus absolvimus et praesentium auctoritate quitamus. Datum Avinione, nonis septembris, anno secundo.

283. Ordinem s. Clarae eximit a praestatione decimarum de quibuscumque possessionibus et a contributione in procurationibus atque ab exhibitione paedagiorum. [8]

1317, septembris 17, Avinione.

Dilectis in Christo filiabus universis abbatissis et conventibus monialium inclusarum, sive ordinis sanctae Clarae sive sancti Damiani seu Minorissae dicantur.

Sacra vestra religio, quae in monasteriis vestris a vobis et aliis personis in eis degentibus sub onere voluntariae paupertatis iugiter colitur, sic a vobis mundanae dissolutionis relegavit illecebras, ut inter alia claustralis abstinentiae nexibus relegatae puritate fulgeatis observantiae regularis et voluntatis libitum coartantes omnino sub obedientiae debito dignam et sedulam exhibeatis Domino servitutem. Hinc est, quod nos pium et congruum reputantes, ut vos illa prosequamur gratia, quam vestris necessitatibus conspicimus opportunam, vobis universis et singulis ad instar felicis recordationis Bonifatii papae VIII praedecessoris nostri auctoritate praesentium, ut ad praestationem decimarum de quibuscumque possessionibus et aliis omnibus bonis vestris, quae in praesentiarum habetis et iustis modis praestante Domino acquisi-

---

[1] Cognom. « de Longis », vulgo « de Pergamo ».
[2] Caietani de Stephanescis.
[3] Cognom. « de Pellagrua ».
[4] Caietani de Ursinis.
[5] In e. m. praepositis et capitulis Colocen. et Bachien. ecclesiarum, clero civ. et dioec. Colocen. et Bachien., universis vasallis Colocen. et Bachien. eccl., universis suffraganeis Colocen. et Bachien. eccl., populo civit. et dioec. Colocen. et Bachien., Carolo regi Hungariae illustri.
[6] Reg. Vat. t. 67, f. 303, ep. 1 de curia.
[7] Die 15 dec. 1316 Tolosae defuncti.
[8] Reg. Vat. t. 67, f. 20, ep. 73.

veritis in futurum, vel ad contribuendum in procurationibus quorumlibet ordinariorum et etiam legatorum et nuntiorum sedis apostolicae et quibuslibet talliis et collectis, ac ad exhibendum pedagia, telonea et alias exactiones quibusvis regibus, principibus seu aliis personis saecularibus minime teneamini nec ad id compelli aliquatenus valeatis. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, XV kalendas octobris, anno secundo.

284. Eduardi regi Angliae contendenti, ad ecclesiam s. Andreae in Scotia restituendum esse fratrem Thomam de Riveriis ord. Min., qui a Clemente V in ipsius episcopum promotus esse dicitur, amoto Guilelmo, Roberti de Bruce ipsius regis inimici sequace, respondet, sibi haud constare de Thomae praedicti provisione et ideo ad dictum episcopatum restitui non debere neque Guilelmum deponi absque crimine legitime probato. [1]

1317, septembris 18, Avinione.

Carissimo in Christo filio Eduardo regi Angliae illustri.

Per tuas nobis *etc.* Datum [Avinione], XIV kal. octobris, [anno secundo]. [2]

285. Aycardum Minoritam praeficit ecclesiae Mediolanae in archiepiscopum. [3]

1317 (aut 1318), septembris 28, Avinione.

Venerabili fratri Aycardo [4] *archiepiscopo Mediolanen.*

Superni dispositione consilii *etc.* Sane vacante pridem ecclesia Mediolanensi (per translationem per nos factam de venerabili fratre nostro Castono patriarcha Aquilegen. ad ecclesiam Aquilegen. tunc pastoris solatio destitutam) nos cupientes regimini eiusdem ecclesiae Mediolanen. personam iuxta cor nostrum idoneam praesidere, per quam ipsa ecclesia Mediolanen. posset salubriter et prospere gubernari, provisionem dictae Mediolanen. ecclesiae nostrae dispositioni ea vice duximus specialiter reservandam...... ac deinde super provisione huiusmodi coepimus sollicite cogitare, et post deliberationem, quam de praeficiendo eidem Mediolanen. ecclesiae personam utilem ac etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum in te fratrum ordinis Minorum professorem, in sacerdotio constitutum, cui de litterarum scientia, vitae munditia, morum elegantia, discretionis maturitate, circumspectionis industria ac aliarum virtutum insignium donis tibi divinitus elargitis fide digno testimonio suffragantur, intuitum direximus nostrae mentis, ac de persona tua nobis et eisdem fratribus ob praemissorum tuorum excellentiam meritorum accepta de fratrum ipsorum consilio et apostolicae plenitudine potestatis providimus Mediolanen. ecclesiae memoratae, teque praefecimus ipsi ecclesiae in archiepiscopum et pastorem, curam et administrationem ipsius tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo, et subsequenter munus consecrationis tibi per venerabilem fratrem Berengarium episcopum Portuensem impendi, tibique deinde pallium de corpore beati Petri sumptum, plenitudinem videlicet pontificalis officii, a te cum ea qua decuit instantia postulatum, per dilectos filios nostros Neapoleonem sancti Adriani, Guillelmum sancti Nicolai in carcere Tulliano, Iacobum sancti Georgii ad velum aureum et Arnaldum sanctae Mariae in Porticu diaconos cardinales fecimus exhiberi *etc.* Datum Avenione, IV kalendas octobris, anno secundo [5].

286. Confirmat de novo ministris ord. Min. tenorem quarundam litterarum Innocentii IV super directione Clarissarum. [6]

1317, octobris 1, Avinione.

Dilectis filiis generali et provincialibus ministris ordinis fratrum Minorum.

Tenorem quarumdam litterarum felicis recordationis Bonifatii papae VIII praedecessoris nostri in eius registro repertum inspeximus diligenter et, ut de ipsis litteris certitudo imposterum habeatur, tenorem ipsum de verbo ad verbum praesentibus inseri fecimus, qui talis est: « Bonifatius episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis generali et provincialibus ministris ordinis fratrum Minorum. Quasdam litteras felicis recordationis Innocentii papae IV praedecessoris nostri, quae nobis praesentatae fuerant, inspeximus diligenter et earum tenorem, ut de ipsis certitudo imposterum habeatur, de verbo ad verbum fecimus annotari, qui talis est: « Innocentius episcopus *etc.* Dilectis filiis generali et provincialibus ministris ordinis fratrum Minorum. Licet olim quibusdam vestrum *etc.*

---

[1] Reg. Vat. t. 109, f. 159, ep. 656. Cfr. *Wadd.* Ann. Min. ed. II, t. VI, p. 300 (ad a. 1317, n. 56).

[2] Vel potius, ut videtur: tertio, ita ut *Wadd.* hoc factum ad a. 1318 referre debuisset.

[3] Reg. Vat. t. 67, ep. 88. Cfr. t. 109, ep. 324, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 26.

[4] Cognomento « Antimiani ». Iam die 13 iulii 1317 (III idus iulii [anno primo]) Ioannes XXII « fratri Aycardo de Cavioyza ord. fr. Min. ministro in provincia Mediolan. » scripserat, se eum in archiep. Mediolan. promovisse, rogans et hortans ipsum attente, quatenus provisioni huiusmodi humiliter acquiesceret (Reg. Vat. t. 109, ep. 324).

[5] Scribit *Verri*, Storia di Milano, I, 337: « Visse sempre ramingo ed esule dalla sua chiesa, dove appena potè ricoverarsi un mese prima della sua morte, accaduta nel 1339 ». Videlicet Aycardus archiepiscopus a summo pontifice iussus Galeatium vicecomitem Mediolanensem ipsi nimis hostilem excommunicaverat sicque eius odium sibi contraxit.

[6] Reg. Vat. t. 67, ep. 112, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 27.

Datum Lugduni, idibus iulii, pontificatus nostri anno quarto. » Nos igitur eiusdem praedecessoris vestigiis inhaerendo praedictas litteras et processus per eas habitos approbantes ac omnia in litteris ipsis contenta, quae idem praedecessor statuit, inviolabiliter observari debere auctoritate praesentium decernentes, discretioni vestrae ad instar dicti praedecessoris per apostolica scripta mandamus, quatenus omnia praemissa, etiamsi eaedem litterae de cetero nullatenus apparerent, circa praefata monasteria et earum personas, sive ordinis sanctae Clarae sive sancti Damiani sive Minorissae dicantur, exequi diligenter et sollicite studeatis. Nulli ergo *etc.* Datum Anagniae, V[II] nonas iunii, pontificatus nostri anno secundo. » [1] Nos itaque eorum praedecessorum vestigiis inhaerendo praedictas litteras et processus *etc. ut supra usque* sollicite studeatis. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, kal. octobris, anno secundo.

287. Transfert fr. Ubertinum de Ilia de Casali dioec. Vercellen. de ordine fratrum Min. ad ord. s. Ben. eumque instituit in monachum mon. de Gemblaco ord. s. Ben. dioec. Leodien. [2]

1317, octobris 1, Avinione.

Dilecto filio fratri Ubertino de Ilia de Casali Vercellen. dioecesis, monacho monasterii sancti Petri de Gemblaco ordinis sancti Benedicti dioecesis Leodiensis.

Verbum attendentes apostoli, qui cum infirmantibus se asserit infirmari, patientibus adversa humane compatimur et ad concedendum ea sibi, per quae suam ad Dominum custodire fortitudinem valeant, piis affectibus inclinamur. Sane nobis exponere curavisti, quod propter debilitates varias et infirmitates proprii corporis, quibus frequentius molestaris, et propter alias etiam rationabiles causas nobis explicitas de ordine fratrum Minorum, quem ab olim fuisti professus, pro maiori personae quiete, et ut commodius obsequium praestare possis Altissimo, ad ordinem sancti Benedicti desideras te transferre. Nos itaque intendentes pii patris more laudabili ad salutem fidelium animarum, et proinde, ut mentis tuae tranquillitas animaeque profectus auctore Domino producantur, tuis in hac parte desideriis annuentes, te ex nunc ab omni subiectione, iurisdictione, obligatione, iugo et obedientia regulae dicti ordinis fratrum Minorum et omnium praelatorum ipsius auctoritate apostolica prorsus absolvimus et fore decernimus perpetuo absolutum, praecipientes omnibus et singulis fratribus praelatis, officialibus et aliis quibuscumque dicti ordinis fratrum Minorum, ne de te contra absolutionem nostram huiusmodi se aliquatenus de cetero intromittant; te vero sic absolutum ad dictum ordinem sancti Benedicti transferentes, auctoritate praedicta instituimus in monachum monasterii sancti Petri de Gemblaco [3] eiusdem ordinis sancti Benedicti Leodien. dioecesis, tibique auctoritate praedicta de monachatu dicti monasterii providemus, dantes venerabili fratri nostro Berengario episcopo Tusculano tenore praesentium in mandatis, ut ipse tibi habitum ordinis sancti Benedicti apud dictam sedem assignet et a te in manibus suis professionem eiusdem ordinis recipiat secundum observantiam ipsius monasterii consuetam, quam etiam in manibus abbatis dicti monasterii, cum ab eo super hoc requisitus extiteris, facere nihilominus tenearis; eadem auctoritate praedicta nihilominus decernentes, quod ex praedicta translatione ad dictum ordinem sancti Benedicti, susceptione habitus et professione ipsius nulla te comitetur infamia vel aliquid tibi quoad quamcumque promotionem tuam vel statum honorabilem aut ad optionem dignitatis intra dictum monasterium vel extra obstaculum quomodolibet generetur, ac si numquam fueris in eodem ordine praelibato vel in eo professionem aliquam fecisses. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, kalendis octobris, anno secundo.

In e. m. venerabili fratri episcopo Tusculan. et dilectis filiis Neapoleoni s. Adriani diacono cardinali ac .. praeposito ecclesiae Nivellen. dioec. Leodien. [4]

288. Respondet Amanevo de Lebreto militi ad litteras per fratrem Arnaldum Aymerici lectorem Tolosanum ord. Min. sibi missas. [5]

1317, octobris 6, Avinione.

Praesentatas nobis *etc.* Dat. Avinione, II nonas octobris [anno secundo].

---

[1] Cfr. huius op. t. IV, p. 396.

[2] Reg. Vat. t. 67, ep. 182 et 362, apud *Wadd.* l. c. ad a. 1317, n. 16. Cfr. supra n. 158 et notas ad n. 217 et 266, atque hist. septem tribul. ed. *Ehrle* l. c. p. 150-152.

[3] *Gembloux* in Belgio.

[4] Ut faciant recipi in monasterio Gemblacensi praedictum fr. Ubertinum. Qui quidem non cito a curia pontificia discessisse videtur, cum Iohannes XXII die 28 martii 1322 ab eo sententiam de Christi paupertate exquisiverit. Anno vero 1325 (die 16 sept.) idem summus pontifex custodibus ac guardianis custodiarum et domorum fratrum Minorum in Italia superiore existentium praecipit, « ut fratrem Ubertinum de Casali olim de ordine ipsorum capiant, quia occulte et illicentiatus a curia recessit, ubi prosequebatur causam suam super crimine haeresis, et nunc per mundum discurrit vagabundus ».

[5] Reg. Vat. t. 109, ep. 823, cfr. supra n. 277.

289. Declarat quaedam dubia circa regulam fratrum Minorum, praesertim quoad formam et qualitatem habitus et usum granariorum. [1]

1317, octobris 7, Avinione.

Ad perpetuam rei memoriam.

Quorumdam exigit caecae scrupolositatis ambiguum ac ipsorum quodammodo indocta scientia (ne dixerimus, quod irreligiosa horum sit vana vel in hoc superstitiosa religio), ut, dum suis mavult temere sub conscientiae velamento conceptibus quam praelatorum ordinis sui cum obedientiae merito provide inhaerere sententiis, nos post praedecessorum nostrorum et praesertim fel. rec. Nicolai III ac piae memoriae Clementis V Romanorum pontificum super intellectu et observantia regulae ordinis fratrum Minorum declarationes salubriter editas, [2] solidas quidem, claras et lucidas multaque maturitate digestas, nostras, Deo favente, indubias ipsorum praedecessorum declarationibus declarationes adiungamus; sicque « dies diei eructet verbum, et nox nocti scientiam manifestet », ne perperam paucorum dicti ordinis fratrum (quod absit) inscitia, recta ipsarum declarationum verba convertens in devium illaque suis (eis profecto contraria) accommodans sensibus, ingrata Deo, superioribus contumax, praefato ordini detrahens, odiosa confratribus, unionem scindens, si valeat, ac grave credatur in populos scandalum allatura; quin potius, ut nostra vehementer flagrat intentio, antedictis profligatis incommodis haec sancta Minorum fratrum religio (ad quam iamdudum, cum minor nos gradus haberet, dilectionis et devotionis fervor incanduit, nunc vero post susceptum a nobis apostolicae servitutis iugum ad illius religionis gubernationem, protectionem, defensionemque interius exteriusque pastoralis curae sollicitudo nos angit, paternae cogit providentiae debitum, ac internae caritatis zelus accendit) quieta pace congaudeat, sancto proficiat otio, in numero ac merito quamplurimum augeatur, blandeque insuper redeuntium filiorum suae sanctae professionis ruat in oscula, mactet vitulum, eorumque libens et sedulo corruat in amplexus. Profecto cum et ipsius religionis odor trahat, caritas attrahat, scientia lucidet, oratio mereatur, quae in convalle lacrymarum, huius scilicet mundi miseria, vel cordis contritione et humiliatione purissima « ascensiones in corde suo disposuit », ut non solum de virtute in virtutem proficiat, sed et in eisdem virtutibus permanens, quasi quibusdam alarum ad perfectionem tendentibus gradibus de die in diem facta se melior ascendat in altius, terrena despiciat, et coelestia complectatur, sicque tandem divino munere collocata in patria tanto tunc Deum secundum huiuscemodi eius sanctae ascensionis gradus cognoscat apertius, quanto nunc in huius peregrinationis angustiis illos conscenderit altiores; nam secundum David prophetam eximium, dum sanctam ecclesiam Deus sic « suscipiet, in eius gradibus cognoscetur ». Quapropter tantis incommodis tantisque eiusdem ordinis excitati periculis et ad illa salubribus et opportunis per eiusdem sedis providentiam circumspectam adhibendis submovenda remediis, nostrae sollicitudinis studium convertentes, ad Dei laudem, beati Francisci praeconium, eiusque praefati ordinis pacem consolationemque fidelium, nec non minus cautis minusque habentibus inobediendi vel evagandi occasiones subducendam materiam et ad « trepidantium ubi timor non aderat » scrupulosam caliginem detergendam, eosque suaviter reducendos ut filios ad ipsius religionis gremium velut matris, diligenti super his perscrutatione et matura deliberatione praehabitis, de fratrum nostrorum consilio inscriptas declarationes, commissiones, ordinationes et praecepta, quae inferius inseruntur, duximus adiungenda.

In primis, cum dicatur in regula, quod « illi, qui promiserunt obedientiam, habeant unam tunicam cum caputio et aliam sine caputio, qui habere voluerint »; item, quod « fratres omnes *vestimentis vilibus* induantur »; et super praedictorum verborum sensu a praefatis praedecessoribus nostris Nicolao et Clemente declarationes, ut praedicitur, limpidae emanarint, dictusque Clemens huius vilitatis iudicium ministris, custodibus seu guardianis ordinis praedicti duxerit committendum, eorum super hoc conscientias onerando: nec ob hoc in quibusdam ex fratribus antedicti ordinis volentibus « plus sapere quam oporteat sapere » novarum adinventiones ambiguitatum cessavere quam plurimae, vel non omnino non vetustarum replicatio quaestionum tam videlicet super longitudine et latitudine quam grossitie et subtilitate, forma et figura vestimentorum ipsorum; quinimo adeo huiusmodi adinventiones et quaestiones propria excrevere licentia, ut ex eisdem fratribus aliqui habitus propterea curtos, strictos, inusitatos et squalidos, novitate plenos ac dissidii non ignaros, cum a communitate ordinis discreparent, assumerent, nec eos ad ministrorum, custodum et guardianorum eorundem mandatum requisiti deponerent nec alios, prout eiusdem ordinis communitas deferebat, habitus iuxta eorundem ministrorum, custodum et guardianorum arbitrium ducerent resumendos (dicentes, in hoc

[1] Reg. Vat. t. 67, ep. 57, apud *Wadd.* l. c. ad a. 1317, n. 18.

[2] Incip. *Exiit qui seminat* et *Exivi de paradiso.*

eorumdem praelatorum suorum non parendum fore arbitrio, cum et suum sic despectum et regularem et cruciformem assererent, caeterorum vero habitum superfluum irregularemque censerent, nec huic eorum opinioni praefati Clementis declarationem saepius repetitam obesse — nam, licet ministris, custodibus et guardianis praefatis vestium vilitatis detur in illa iudicium, tamen inibi consequenter adiungitur: « ita tamen quod vilitatem in vestibus servent », praesertim cum et in declaratione praedicti Nicolai dicatur, quod « semper in eisdem fratribus et eorum actibus paupertas sancta reluceat », prout ipsis ex eorum regula invenitur indicta, ac in constitutionibus eiusdem ordinis generalibus cavetur, ut asserunt, quod in omnibus, quae ad habitum fratrum spectant, reluceat semper asperitas, vilitas et paupertas: unde, cum nec paupertatis, asperitatis vel vilitatis oblatae per ministros et custodes et guardianos vestes existerent, nec ipsorum superiorum ordinis sui in deponendo vestes, quas gererent, nec in assumendo, quas darent, sequi iudicium ullatenus tenebantur — generali ministro et ceteris fratribus, qui pro communitate eiusdem ordinis aderant, suis rationibus, quas brevitatis causa omittimus, contrarium asserentibus ex adverso, prout haec et alia hinc inde coram nobis et eisdem fratribus nostris scripto lecta verboque fuere proposita ac etiam coram aliquibus ex fratribus nostris praedictis super hoc deputatis a nobis praesertim per aliquos ex fratribus dicti ordinis, qui in praedictis communitati adversabantur, fuerunt eadem pluries repetita). Quocirca nos, seriosius rationibus praedictis auditis et aliis illisque plenius intellectis, volentes perpetuum praefato finem dare negotio, de praedictorum fratrum nostrorum consilio declaramus et dicimus, quod, cum (sicut supra praetangitur) dicatur in regula, quod « fratres omnes vestimentis vilibus induantur », et cum vilitatem huiusmodi vestium tam habitus quam interiorum tunicarum illam praefatus Clemens intelligi debere decreverit, quae secundum consuetudinem vel conditionem patriae debeat quantum ad colorem panni et pretium vilitas merito reputari, atque consequenter huiusmodi vilitatis iudicium ministris, custodibus seu guardianis praedictis, ipsorum super hoc conscientias onerando, duxerit committendum, prout in eiusdem Clementis litteris super hoc confectis plenius continetur, eorundem ministrorum, custodum seu guardianorum eodem modo iudicio est relictum; nosque nihilominus praefatorum ministrorum, custodum et guardianorum iudicio praesentium auctoritate committimus determinare, videlicet arbitrari ac praescribere, cuius longitudinis, latitudinis, grossitiei et subtilitatis, formae sive figurae atque similium accidentium esse debeant tam habitus ipsorum quam caputia quam interiores tunicae, quibus fratres omnes dicti Minorum ordinis induantur, ac insuper, cuius quantaeque vilitatis indui eos ipsis vestimentis oporteat, et an in vestimentis huiusmodi secundum regulam et declarationes eorundem praedecessorum nostrorum et praefatas ordinis constitutiones reluceat asperitas, vilitas et paupertas: utrum vel quantum ad colorem, pretium, vilitatem, paupertatem quoque ac cetera accidentalia supradicta fratres vestimentis induantur, ut debent; super quibus eorumdem ministrorum, custodum et guardianorum conscientias oneramus, statuentes et districte praecipiendo mandantes, quatenus in praedictis et iis similibus eorum arbitrium, determinationem sive iudicium — generalis quidem in totius, provincialium vero ministrorum in provinciarum administrationibus, ac custodum et guardianorum [in] custodiis et guardianiis sive conventibus ordinis memorati commissis eisdem — fratres omnes et singuli sequi omnimode illisque parere per omnia teneantur; ac insuper quod illorum sequendo arbitrium, determinationem sive iudicium illisque parendo nec sunt nec possint dici vel debeant nec ipsi seipsos autument suae regulae vel constitutionum sui ordinis transgressores: maxime, cum nec expresse vel determinate in praedicta fratrum Minorum dicatur regula vel declarationibus antedictis, quantae longitudinis quantaeque latitudinis, quantae grossitiei vel subtilitatis, qualis formae qualisve figurae huiusmodi debeant esse vestes, sicut nec qualis quantaeque vilitatis eas esse oporteat, exprimitur in eadem; sicque (quodammodo eadem urgente necessitate, aequitate non impari, vero sensu veroque id regulae suadentibus intellectu) eiusdem Clementis inhaerentes vestigiis, praefatorum ministrorum, custodum et guardianorum in praedictis horumque similibus fore iudicium declarare compellimur illaque eis, ut praedicitur, committere invitamur. Non enim particularium omnium certa potest dari scientia, neque horum, cum infinita sint, contingit fieri disciplinam; non ars, non regula circumstantias singulas accidentiaque cuncta complectitur: habent in illis minores subesse maioribus, illis obsequi, illisque intendere, non in certis solum, verum etiam in dubiis et incertis praesunt artibus, quibus obediant, praesunt regulis, quibus obtemperent, disciplinis, ut illarum finis egregius debitis subsequentium ministeriis subsequatur. Sic iudicans cuncta rimatur et discutit, leges applicat casibus, canonum decreta secernit; sic morbus aggravans medicum, sic virtus constans in medio sapientem prudentemque deposcit: ne, si quisque regatur, ut appetit, confestim corruat, ut non quaerit, neque taliter convenientibus non ordo sed horror inhabitet, adsit (quod absit) discordia religans, religio relegetur; sententiae namque variantur ut capita, et crescit in stolidis opinionibus phantasia.

Eodem modo, eisdem quodammodo rationibus invitati, cum praefatorum ministrorum et custodum sub certa forma (simul scilicet et separatim in suis administrationibus et custodiis) cum guardiani et duorum de conventu loci discretorum sacerdotum et antiquorum in ordine fratrum consilio et assensu praefatus Clemens iudicio duxerit relinquendum, an sit multum credibile ex iam expertis, quod fratres ipsi absque *granariis* et *cellariis* non possint vitae necessaria invenire (quo casu granaria et cellaria, congregationes et conservationes huiusmodi eis ipse concessit, prout in praedictis eiusdem Clementis litteris plenius continetur): nos de praefatorum fratrum nostrorum consilio eorundem ministrorum et custodum sub eadem forma iudicio praesentium auctoritate committimus determinare, videlicet arbitrari atque praecipere eo casu, qualiter, ubi, quando, quomodo et quotiens granum, panem et vinum pro vitae fratrum necessariis fratres ipsi quaerere debeant, conservare, sive reponere, etiamsi reponenda sint in praedictis granariis et cellariis conservanda; statuentes et districte praecipientes mandamus, quod in praedictis et his similibus eorundem arbitrium, determinationem sive iudicium, generalis quidem in totius, provincialium vero ministrorum in provinciarum administrationibus ac custodum (simul ac separatim) in custodiis ordinis memorati commissis eisdem, cum guardiani tantum (ut supra dicitur) et duorum de conventu discretorum loci sacerdotum et antiquorum in ordine fratrum consilio et assensu, fratres omnes et singuli sequi omnimode illisque parere per omnia teneantur; ac insuper, quod illorum sequendo arbitrium, determinationem sive iudicium illisque parendo nec sint nec dici possint vel debeant nec ipsi seipsos autument suae regulae vel constitutionum sui ordinis transgressores.

Ideoque omnes et singulos fratres antedicti ordinis Minorum qui *strictos, curtos* et *difformes habitus* ab ipsius generalis ministri et aliorum fratrum de dicta communitate habitibus coram nobis et fratribus nostris vel alias in Romana curia detulerunt vel deferunt, monemus et hortamur in Domino, eis nihilominus in virtute obedientiae ac sub excommunicationis poena per apostolica scripta mandantes, quatenus ad mandatum ipsius generalis deponant, quos deferunt, habitus et aliis iuxta ipsius generalis arbitrium, determinationem sive iudicium induantur, ipsique generali in omnibus istis et aliis per omnia, secundum beati Francisci regulam et praedictas praedecessorum nostrorum declarationes, concessiones et commissiones in ipsis declarationibus comprehensas et nostras contentas in praesentibus, humiliter obediant, pareant et intendant: non obstantibus quibuscunque privilegiis, indulgentiis, litteris, libertatibus, immunitatibus vel exemptionibus eis vel alicui ipsorum a praefato Clemente concessis, vel appellationibus ab eis vel ipsorum aliquo ad sedem apostolicam interiectis, quae, in quantum possent derogari praesentibus, iuribus vacuamus. Religio namque perimitur, si a meritoria subditi obedientia subtrahantur. Magna quidem paupertas, sed maior integritas; bonum est obedientia maximum, si custodiatur illaesa. Nam prima rebus, secunda carni, tertia vero menti dominatur et animo, quos velut effraenos et liberos ditioni alterius humili iugo propriae voluntatis adstringit. Ad hanc ergo fratres praedicti non inviti sed sponte redeant, hanc velint et appetant, hanc magnis desideriis concupiscant, illudque votis canticorum ingeminent: « Osculetur me osculo oris sui », caritatis utique et dilectionis, religionis huiusmodi obedientia sancta purificans; nam « meliora sunt ubera tua (praeceptorum scilicet et consiliorum, velut quaedam nutrientia pocula) vino, unguentis optimis (scilicet bonae famae) fragrantia suavitatis odorem ». Nec formident hi, ad obedientiam ordinis Deo auctore dum redeunt; nam praelatos suos (ut firmiter speramus eisque iniungimus) sibi benignos et mites invenient, ceteros dulces atque palpabiles, cum sint et esse debeant omnes et singuli fratres in Christo; clamitent: « Quis mihi det fratrem meum (communi scilicet patre beato Francisco congenitum) sugentem ubera matris nostrae (religionis utique et professionis eiusdem velut matris contemplationis et lectionis suavia et dulcia pocula), ut inveniam te foris (ab eiusdem observantiis quodammodo disparem) et deosculer (blande videlicet intra caritatis ubera te amplexans), et iam me (immo et te) nemo despiciat »: profecto, quos foris positos multi ac si divisos et dissidentes fortasse despexerant, intus, puta intra dilectionis internae praecordia et conformis observantiae claustra repositos, iam nemo despiciat, sed suscipientes eosdem dulcedine quisque digne laudibus efferat et susceptos. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae declarationis, commissionis et constitutionis, mandati, monitionis et vacuationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem *etc.* Datum Avinione, nonis octobris, anno secundo. [1]

[1] Non « idibus aprilis anno primo », sicut exhibet *Wadd.* l. c. — Hoc Ioannis XXII decreto Spirituales causa ceciderunt. Ordinis autem procuratori (fr. Raymundo de Fronciaco) ea definitio « gloriosa et diu desiderata » esse videbatur (cfr. eius acta ante laudata not. 1 ad n. 266). Generalis ordinis ipse Michael de Caesena e summi pontificis praecepto quinque diebus post constitutionem promulgatam a Spiritualibus sive in carceribus sive in conventu Minorum Avinion. detentis (cfr. l. c.)

290. Vitali presbytero cardinali concedit facultatem testandi.[1]

1317, octobris 25, Avinione.

Dilecto filio Vitali[2] *tituli sancti Martini in Montibus presbitero cardinali.*

Cum nihil sit, quod magis hominibus debeatur, quam ut supremae voluntatis liber sit stilus et liberum, quod iterum non redit, arbitrium: nos tuis supplicationibus inclinati testandi, ordinandi et disponendi libere de omnibus bonis ad te pertinentibus, cuiuscumque quantitatis seu valoris fuerint, etiam si illa ex proventibus ecclesiasticis seu ecclesiis tibi commissis vel alias personae tuae vel tui cardinalatus intuitu, ratione aut contemplatione ad te pervenerunt et pervenient etiam in futurum, plenam et liberam tibi concedimus tenore praesentium facultatem. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, VIII kalendas novembris, anno secundo.[3]

291. Absolvit Petrum patriarcham Hierosol. (ex ord. Min.) ab omnibus administratis per eum in legationis officio,

---

quaerebat, « an vellent obedire praeceptis contentis in praedicta littera et an crederent, quod dominus papa illa potuisset ordinare seu praecipere eo modo, quo in eadem littera continentur ». Ad utramque quaestionem responderunt ex eis aliqui affirmative, aliqui autem (numero 25) totum contrarium (cfr. cod. bibl. nation. Paris. 4350, cui f. 44-47 instrumentum publicum super hac inquisitione confectum inest). Illi quidem poenas ab ordinis legibus provisas solvebant, hi fratri Michaeli Monachi inquisitori haereticae pravitatis sunt traditi (cfr. infra n. 293). — In Chart. Univ. Paris., ed. *Denifle-Chatelain*, t. II, p. 215, n. 760 relata sunt vota quorumdam magistrorum theologiae contra tres articulos partis fratrum ord. Min. (Spiritualium), scilicet: « 1. quod non est obediendum alicui praelato praecipienti quibusdam professoribus regulae ord. b. Francisci, quod deponant quosdam habitus curtos et strictos, difformes ab habitu communitatis aliorum dictae regulae professorum, quos assumpserunt per se ipsos, et quod nullus mortalium eos potest cogere ad ipsos habitus dimittendos ex eo, quod illud, quod est contra observantiam praefatae regulae b. Francisci et eius intelligentiam, est per consequens contra evangelium et fidem, et e converso, alias ipsa non esset pro regula evangelica [habenda]; sed tales habitus impugnare et eos [fratres] ad deponendum cogere est contra veritatem dictae regulae et per consequens contra evangelium et fidem, et est verbo et facto Christi evangelium et eius veritatem impugnare; et quod ex hoc sequeretur destructio vitae Christi et est Christum de synagoga eiicere, et quod illi, qui procedunt contra fratres portantes dictos habitus curtos et strictos, sunt in errore contra veritatem evangelicae regulae et per consequens contra veritatem evangelii et fidei; 2. quod dominus papa non habuit nec habet quamdam potestatem nec auctoritatem faciendi constitutionem, quam de consilio cardinalium fecit, quae incipit: *Quorundam* (in qua praelatorum dicti ordinis iudicio committit determinare et arbitrari, cuius longitudinis et latitudinis, formae sive figurae et similium accidentium debeant esse habitus professorum dictae regulae, et cuius quantaeque vilitatis vestimentis indui ipsos fratres oportet, ac insuper determinare, arbitrari et praecipere, quo casu, qualiter, ubi et quando et quotiens granum, panem et vinum pro vitae fratrum necessariis fratres ipsi quaerere debeant, conservare sive reponere; et districte praecipiendo mandavit, quod in praedictis et his similibus eorundem praelatorum arbitrium, determinationem sive iudicium sequi illisque parere per omnia teneantur; et in virtute obedientiae et sub excommunicationis poena mandavit, quod dicti fratres, qui dictos habitus curtos et strictos assumpserant, ad mandatum generalis ministri ordinis deponerent et aliis secundum ipsius generalis ministri arbitrium sive iudicium induerentur, ipsique generali in omnibus istis et aliis per omnia secundum b. Francisci regulam et declarationes editas super ea et ad praedictam ordinationem humiliter obedirent); 3. quod nec papae nec praelatis dicti ordinis obediendum est in his, quae in praefata constitutione continentur, ex eo quod praedicta in dicta constitutione contenta sunt contra consilium Christi et dictam regulam, contra quae papa non potest ». Quos articulos singulos esse haereticos, ecclesiam Romanam limitantes et destruentes, falsos et novos in fide catholica et veritati evangelicae adversantes, improbabiles et superstitiosos iudicaverunt ante annum 1319 medium hi in theologica facultate magistri Parisienses: fr. Vitalis tit. s. Martini in montibus presb. card. (ex ord. Min.), Berengarius de Landorra electus Compostellanus (olim magister gen. ord. Praed.), Guillelmus de Lauduno ord. Praed. (postmodum archiep. Viennen.), Deodatus ep. Castrensis, Raymundus (de Mostuéjouls) ep. s. Flori (postm. tit. s. Eusebii presb. card.), Guido Terreni ord. Carm. (paulo post prior gen. ipsius ord. et dein ep. Maioricarum, denique Elnensis), Henricus (de Carreto) ep. Lucanus (ex ord. Min.), Michael de Caesena minister gen. ord. Min., Arnaldus Royardi (ord. Min.), Durandus (de s. Porciano, ord. Praed.) ep. Aniciensis (postm. Meldensis), Laurentius (Anglicus ord. s. Ben.), Iacobus (de Thermis) abbas Pontiniaci (ord. Cist.), Raymundus (Robaudi) ep. Massiliensis (postm. archiep. Ebredunensis).

[1] Reg. Vat. t. 67, f. 306, ep. 13, de curia.

[2] De Furno, ex ord. Min., olim min. prov. Aquitaniae, postmodum episcopo Albanen., qui 16 aug. 1327 obiit. Cfr. supra n. 167 et not. ad n. 203 et 207.

[3] Ei Ioannes XXII variis temporibus quaedam beneficia ecclesiastica in commendam contulit, « ut incumbentia sibi onera expensarum necessariarum commodius valeret supportare », scil.: 3 ian. 1317 canonicatus et praebendas, quae Ioannes Fernandi electus Legionen. olim in Legionen., Astoricen., Corduben. ecclesiis una cum decanatu Legionen. obtinebat; item 25 febr. 1317 unum beneficium eccl. ad collationem abbatis et conventus monasterii s. Victoris Massilien., et alterum ad collationem episcopi et capituli Ruthenen. spectans; item 1 Iulii 1317 prioratum de Lichien. dioec. Atrebaten.; item 23 Iulii 1317 canonicatum et praebendam in eccl. Londonien. ac parochiales ecclesias de Boyle dioec. Cantuarien. et de Ruzelfeld dioec. Cicestren., quas olim Thomas episcopus Wigornien. obtinebat; item 25 iulii 1317 prioratum de Elizona ord. Clun. dioec. Auxitan., ad monasterium Cluniacense pertinentem, qui olim b. m. Raymundo tit. s. Pudentianae presb. card. commendatus erat; item 1 iulii 1318 parochialem ecclesiam s. Mariae de Obidos dioec. Ulixbonen.; item 15 oct. 1318 prioratum de s. Monte dioec. Auxitan.; item 5 nov. 1319 ecclesiam s. Mariae Rotundae Neapolitan., die denique 24 maii 1321 facultatem permutandi prioratum de Areis dioec. Nemausen. cum prioratu de Melinis dioec. Arelaten. O. S. B. Quae beneficia ut retineret, cum in episc. Albanen. promotus esset, obtinuit gratiam 1321 iunii 6 ab eodem summo pontifice, qui insuper 23 febr. 1320 quosdam praelatos constituerat conservatores iurium ipsius. Cfr. Reg. Vat. t. 64, ep. 1428, t. 65, epp. 2138 et 2139, t. 66, epp. 3385, 3412, 3557, 3585, 3614; t. 67, ep. 13 de curia; t. 68, ep. 1349; t. 69, ep. 45; t. 70, epp. 170 et 590; t. 72, epp. 828 et 1221; t. 73, ep. 911; t. 74, ep. 877 et 878. *Wadd.* Ann. Min. ed. II, t. VI, p. 167, 200, 334, 346; *Sbar.* Suppl. ad *Wadd.* Script. ord. Min. p. 688. Eo quidem tempore quasi singuli cardinales aliquot beneficia eccl. obtinebant in commendam.

quo fungebatur in Hierosolym. et Antiochen. patriarch. ac Rhodi et Cypri ceterisque aliis ultramarinis partibus. [1]

1317, octobris 26, Avinione.

Venerabili fratri Petro patriarchae Ierosolymitan. et episcopo Ruthenen.

Ad nos nuper aliquorum insinuatione perlato, quod tu, dudum in Ierosolymitanis, Antiochenis ac Rhodi et Cypri ceterisque aliis ultramarinis partibus auctoritate apostolica legationis functus officio, a legatione ipsa licentia ab eadem sede non obtenta redieras nec de administratis, gestis et acquisitis per te occasione legationis eiusdem legitimam reddideras rationem: nos super hiis a te in nostra praesentia constituto certitudinem veritatis habere volentes, quia de omnibus per te gestis, administratis atque receptis ratione legationis eiusdem sufficientem rationem et idoneam, quam a te diligenter exigi fecimus, reddidisti ac te rediisse, licet absque dicta licentia, ex iustis tamen et rationabilibus causis asseruisti, nos propter hoc tuo statui et honori, et ne super hiis deinceps deferri possis aut impeti, providere volentes, tuis supplicationibus inclinati, te auctoritate apostolica ab impetitione omnium praemissorum et aliorum omnium contra te in Romana curia denuntiatorum et inquisitorum, quia non obtenta sedis apostolicae licentia a dicta legatione redieras, vel alia quacunque ratione seu causa, absolvimus et tenore praesentium liberamus, decernentes te auctoritate praedicta sufficientem et plenam de omnibus per te gestis, administratis atque receptis vigore seu ratione legationis eiusdem reddidisse sicut praemittitur rationem, teque a quoquam... occasione praemissorum omnium in iudicio vel extra non posse impeti aut quomodolibet molestari. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, VII kal. novembris, anno secundo.

292. Mandat praelatis infra nominatis, ut faciant iustitiam fratribus Min. de Cragferiis dioec. Conneren. super funere cuiusdam militis. [2]

1317, novembris 1, Avinione.

Dilectis filiis .. priori de Aichirde Armachanae dioecesis et .. decano ecclesiae Armachanae ac .. officiali Armachano.

Sua nobis dilecti filii guardianus et fratres ordinis Minorum de Cragfergiis [3] Connerensis dioecesis petitione monstrarunt, quod olim ipsi, qui ex indulto sedis apostolicae speciali habere noscuntur liberam sepulturam, corpus quondam Thomae de Mandeville militis, qui intestatus in eadem dioecesi et a sua parochiali ecclesia eiusdem dioecesis nimis remotus a quibusdam suis aemulis interfectus extitit, cum idem corpus per potentiam dictorum aemulorum ab aliquo alio tumulari non valeret et absque gravi periculo in dicta parochiali ecclesia tumulandum deferri non posset, de consensu loci dioecesani apud ipsorum locum, qui loco, ubi dictus miles interfectus extitit, vicinior praedicta parochiali ecclesia existebat, tradiderunt ecclesiasticae sepulturae; postmodum autem Willelmus Aubrey et Florentius de Ardino ordinis fratrum Praedicatorum loci de Drochda [4] Armachanae dioecesis, de mandato prioris fratrum eiusdem loci de Drochda ad locum dictorum fratrum Minorum temere accedentes, dictum corpus resumere et ad locum eorum deferre illudque ibidem ecclesiasticae tradere sepulturae, quamquam dictus miles apud eos sepeliri minime elegisset nec progenitorum suorum corpora inibi sepulta fuerint, temeritate propria praesumpserunt, in ipsorum guardiani et fratrum non modicum praeiudicium et gravamen. Ideoque discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatinus, vocatis qui fuerint evocandi et auditis hinc inde propositis, quod iustum fuerit, appellatione postposita decernatis, facientes, quod decreveritis, per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Non obstantibus *etc.* Datum Avinione, kalendis novembris, anno secundo.

293. Mandat Michaeli Monachi ord. Min., haer. prav. inquisitori, ut procedat contra quosdam pseudo-fratres Minores (Spirituales). [5]

1317, novembris 6, Avinione.

Dilecto filio fratri Michaeli Monachi ordinis fratrum Minorum, inquisitori haereticae pravitatis in Provinciae et Forcalcherii comitatibus, nec non et civitatibus, terris et locis infra Arelaten., Aquen., Ebredunen. et Viennen. provincias consistentibus auctoritate apostolica constituto. [6]

Super omnia desiderabilia cordis nostri fidei ca-

---

[1] Reg. Vat. t. 67, ep. 266.

[2] Reg. Vat. t. 68, f. 25, ep. 1099 *d.*

[3] *Carrikfergus* in custodia Pontensi prov. Hiberniae.

[4] *Drogheda* dioec. Armachan. *(Armagh.)*

[5] Reg. Vat. t. 69, ep. 142 de curia, apud *Wadd.* l. c. ad a. 1317, n. 14.

[6] Michael Monachi a Clemente V a. 1312 (cfr. supra n. 203) ob nimium Spirituales persequendi studium omnium ordinis officiorum nobiliorum incapax pro futuro renuntiatus, a Ioanne XXII anno 1317 inquisitor haer. prav. nihilominus creatus, eosdem Spirituales ipse sibi in fidem deditos habuit. Unum id exemplum satis prodit, quantum in Spiritualibus iudicandis inter Clementem V atque Ioannem XXII interesset. Clemens V persuasum sane tenebat, veram fidem profiteri sinceroque animo studere ordini reformando Spirituales. Neque enim eo tempore tantae turbae tantaeque in ipsam pontificis auctoritatem iniuriae acciderant. Ioannes XXII vero rebus certe mutatis de ipso reformationis studio idem sentire vix iam poterat. - Inquisitori Michaeli Monachi id feliciter successit, ut ex traditis 25 Spiritualibus (cfr. supra not. ult. ad n. 289) fratres 20 (inter quos Guilelmus de s. Amantio et Franciscus Sancii fuere) a pertinaci oblocutione averteret. Qui fratres viginti morem gerentes publica retractatione errores eiuraverunt et poenas graviores ut luerent per plures provincias sunt dispersi. Fratres vero quinque (sc. Ioannes Barravi, Deoda-

tholicae continuum incrementum intensioribus desideriis cupientes, gravi nimirum dolore torquemur, cum audimus aliquos vel sentimus ad depressionem illius qualicunque malignitatis astutia vel colore satagere aut ei detractionibus vel commentis mendacibus derogare. Ad quorum iniqua sternenda molimina eo ferventius nostra suspirat intentio, quo perniciosius in animarum stragem perversis conatibus machinantur. Nuper siquidem non absque multa mentis turbatione percepto, quod nonnulli pseudo-Minorum ordinis fratres, solo nomine professores, ad eam mentis inopiam et caecitatem devenerant, quod haeretica labe respersi adversus saluberrimam christianae fidei veritatem impie sentiebant et alios verbis mendacibus sub mentitae pallio sanctitatis in errorum suorum devium trahere ipsosque errores defendere pro viribus conabantur: nos, qui sollicitudine vigili contra talium dolosam astutiam opportunum remedium libenter ubilibet adhibemus, ne virus huiusmodi in eodem ordine sub specie sanctitatis huiusmodi subintraret, tibi mandasse recolimus oraculo vivae vocis, ut adversus eosdem pseudofratres procedas iuxta canonicas sanctiones et de illis facias iustitiae complementum. Verum intendentes, ut eo tutius ad huiusmodi pestis omnimodam exterminationem procedas, qua per nos fueris certiori auctoritate munitus, discretioni tuae, de qua fiduciam obtinemus in Domino specialem, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus contra fratres Ioannem Barravi, Guillelmum Santoni, Deodatum Michaelis, Pontium Rocha, Bernardum Aspa,[1] Berengarium Tortelli, Petrum Fabri, Vincentium Geraudi, Bernardum Antiniaci, Guirardum Martini, Bernardum Francisci, Guillelmum Arnaudi, Iacobum Seguini, Ioannem Raserii, Raymundum Borditi, Arnardum Raymundi, *Franciscum Sanctii, Guillelmum de sancto Amantio, *Franciscum de Badonis Serinanum, *Philippum Ferrarii, *Arnardum Maurini, Iacobum de Rivo, *Arnardum de Felginio, Guillelmum Girardi[2] et Bernardum Boneti, pseudo dicti ordinis professores, eadem labe respersos, quorum aliqui a quibusdam mandatis auctoritate nostra factis eisdem certas appellationes et protestationes interposuisse noscuntur, et omnes et singulos ipsis adhaerentes sic efficaciter et solerter iuxta statuta canonica procedere studeas, quod per tuae sollicitudinis circumspectam prudentiam dicti ordinis sacra plantatio, exterminatis vulpeculis, quae illum venenosis morsibus demoliri praesumunt, fructus afferat catholicae puritatis. Nos enim super praemissa contra eos iuxta statuta huiusmodi procedendi et omnia alia et singula, quae contra praemissa opportuna fuerint, faciendi et etiam exercendi (non obstantibus quibuscunque privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus eidem ordini aut ipsis ordinis fratribus vel eorum aliquibus sub quavis verborum forma concessis, quae pseudo-fratribus et adhaerentibus supradictis contra praemissa vel aliquod praemissorum in nullo volumus suffragari; et tam de duabus dietis in concilio generali quam felicis recordationis Bonifatii papae VIII praedecessoris nostri auctoritate editis, per quas iudices a sede deputati praedicta extra civitatem et dioecesim, in quibus deputati fuerint, aliquem aut aliquos ultra unam dietam a finibus suae dioecesis trahere prohibentur, et aliis contrariis constitutionibus quibuscunque, sive si aliquibus communiter vel divisim a dicta sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari aut extra vel ultra certa loca trahi vel ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi ac eorum personis ac locis et nominibus propriis vel ordinibus mentionem, et qualibet alia dictae sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscunque tenoris existat, per quam tuae iurisdictionis executio valeat in hac parte quomodolibet impediri, et de qua eiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis) plenam tibi concedimus tenore praesentium potestatem. Volumus insuper et apostolica auctoritate decernimus, quod a data praesentium tibi sit in praemissis omnibus et singulis praesentibus et futuris perpetuata potestas et iurisdictio attributa, ut eo vigore illaque firmitate possis in praemissis omnibus coeptis et non coeptis, praesentibus et futuris, procedere, ac si iurisdictio tua in praedictis omnibus et singulis per citationem vel alium modum perpetuata legitima extitisset. Datum Avinione, VIII[3] idus novembris, pont. nostri anno secundo.

294. Arguit Bertrandum de Turre ord. Min., apost. sedis legatum, quod fines mandati sui excesserit.[4]

1317, novembris 22, Avinione.

Dilecto filio fratri Bertrando de Turre de or-

---

tus Michaelis, Guilelmus Sanctonis, Pontius Rocha, Bernardus Aspa), qui pertinaciter resistebant, ex inquisitoris sententia (quam retulit *Baluze*, Miscell. ed. Mansi, II, 248-251) a. 1318 die 7 maii brachio saeculari sunt traditi ac praeter fr. Bernardum praedictum, qui animo minus obstinato se defenderat atque « ad immurandum » est condemnatus, omnes Massiliae rogum ascenderunt.

[1] Hic Bernardus et alii inferius nominati, quibus signum * antepositum est, non inveniuntur inter illos, quos archidiaconi Narbonen. et Biterren. iussi sunt citare (Cfr. supra nn. 266 et 267).

[2] Cfr. supra p. 120 circa finem notae 4 incip. pag. 118.

[3] Non « idibus », sicut exhibet *Wadd.* Ann. Min. ad a. 1317, n. 14.

[4] Reg. Vat. t. 109, f. 102, ep. 427.

dinis fratrum Minorum ministro provinciali Aquitaniae, nostro et apostolicae sedis nuntio.

Miranter audivimus, quod tu fines mandati minus prudenter excedens rei ad te non pertinenti te immiscere culpabiliter praesumpsisti, potestatem absolvendi a sententiis per apostolicam sedem in eos latis, qui in Alexandriam vel ad infidelium partes se conferunt sive mittunt contra prohibitionem sedis eiusdem, illicite usurpando, cum huiusmodi potestas ad nos tantum pertinere noscatur, qui nec ea usi fuimus nec tibi nec alii cuiquam nos eam meminimus hactenus concessisse. [1] Tuam itaque inde temeritatem, si est ita, eo durius arguentes, quo maioris reputationis vir cautius abstinuisse debuisses a talibus, quae in tuae et aliorum etiam, quos ex tali usurpata potestate seducis, redundant periculum animarum: devotioni tuae in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo mandamus, quatenus ab usurpatione absolutionis huiusmodi et cuiusvis alterius, super qua non fuerit tibi legitime concessa potestas, omnino desistens illis, quos de facto taliter absolvisti, significare cures explicite, quod eis absolutio ipsa prodesse non potest, quae processit a te nulla circa id auctoritate suffulto; sic te super hiis habiturus, quod, quantum in te fuerit, hii, quos absolvisti, de huiusmodi absolutione tua materiam confitendi non habeant, per quod eorum animae periculose deceptae consistant. Datum Avinione, X kalendas decembris, [anno secundo].

295. Indulget Clarissis Colimbrien., ut fruantur privilegiis ordini fratrum Min. concessis. [2]

1317, decembris 21, Avinione.

Dilectis in Christo filiabus abbatissae et conventui monasterii sanctae Clarae prope Colimbriam ordinis eiusdem sanctae.

Ad monasterium vestrum, quod carissima in Christo filia nostra Elisabetha regina Portugalliae illustris [3] de propriis bonis fundasse dicitur et dotasse, ac sorores degentes in ipso sincerae dilectionis gerentes affectum, in iis, quae vobis et eidem monasterio profutura fore conspicimus, nos libenter favorabiles exhibemus. Ut igitur eo libentius, quo quietius, divinis vacetis operibus, et status vestri monasterii eo celerius augmentetur, quo specialius fueritis privilegio sedis apostolicae communitae, vobis, ut de cetero abbatissa et sorores praefati monasterii illis eiusdem sedis gratiis, privilegiis et immunitatibus tam concessis quam etiam concedendis gaudeant, quibus fratres et monasteria ordinis Minorum gaudent et in futurum gaudebunt, auctoritate praesentium indulgemus. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, XII kal. ianuarii, anno secundo.

296. Concedit indulgentias earumdem Clarissarum ecclesiam visitantibus. [4]

1317, decembris 21, Avinione.

Universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis.

Licet is, de cuius munere venit *etc.* Cum itaque carissima in Christo filia nostra Elisabetha regina Portugalliae illustris monasterium quoddam prope Colimbriam in honorem sanctae Clarae et Elisabethae de bonis propriis, obtenta prius super hoc ab apostolica sede licentia, construi fecerit et dotari, abbatissa et sororibus ordinis eiusdem sanctae Clarae inibi institutis: nos cupientes, ut ecclesia eiusdem monasterii devoto populi frequentetur accessu, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui ecclesiam ipsam in sanctarum praedictarum, Corporis Christi, gloriosae virginis Mariae, beatae Mariae Magdalenae ac sanctorum Ioannis Evangelistae et Francisci confessoris, in quorum honorem altaria in dicta ecclesia sunt fundata, festivitatibus, unum annum, eis vero, qui per octavas earumdem festivitatum annis singulis venerabiliter visitaverint, centum dies, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, de iniunctis sibi poenitentiis misericorditer relaxamus. Datum Avinione, XII kal. ianuarii, anno secundo.

297. Contra Fraticellos et alios id genus pseudo-religiosos procedi iubet. [5]

1317, decembris 30, Avinione.

Ad perpetuam rei memoriam.

Sancta Romana atque universalis ecclesia, cui auctore Domino licet immeriti praesidemus, sicut religiosa et pia vota benigno favore prosequitur, sic superstitiosos conatus insolentium hominum detestatur, videlicet, ne sub ovina pelle gregem Dominicum truculentia lupi rapacis invadat, sub pietatis imagine virus haereticae pravitatis obstrepat et sub praetextu conversationis angelicae incautis mentibus spiritus malignus illudat. Cuius rei gratia sacris est canonibus interdictum, ne aliquis novum

---

[1] Ianuenses fuisse videntur illi, quos a sententiis, de quibus sermo est, fr. Bertrandus de Turre absolvere tentavit, cum inter cives Ianuenses intrinsecos et extrinsecos mandante Ioanne XXII pacem reformare studeret. Cfr. supra p. 110, not. 1.

[2] Reg. Vat. t. 67, ep. 789, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. n. 29.

[3] Postmodum catalogo sanctorum adscripta.

[4] Reg. Vat. t. 67, ep. 788, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. p. XXII, n. 28.

[5] Reg. Vat. t. 67, f. 322, ep. 68 de curia, cfr. *Wadd.* l. c. p. 279-290.

ordinem aut religionem inveniat vel habitum novae religionis assumat, sed quicumque ad religionem venire voluerit, ingrediatur unam de religionibus approbatis. Nonnulli tamen prophanae multitudinis viri, qui vulgariter « fraticelli » seu « fratres de paupere vita » aut « bizzochi » sive « beghini » vel aliis nominibus nuncupantur, in partibus Italiae nec non in insula Siciliae, comitatu Provinciae, Narbonensi et Tholosana civitatibus et dioecesibus et provinciis aliisque diversis cismarinis et ultramarinis partibus contra dictos canones habitum novae religionis assumere, congregationes et conventicula facere, et superiores sibi ipsis eligere, quos ministros seu custodes vel guardianos aut nominibus aliis appellant, plurimos ad eorum sectam recipere, loca etiam de novo construere seu constructa recipere, in quibus habitant in communi, publice mendicare, quasi eorum secta foret una de religionibus per sedem apostolicam approbatis, temeritate damnabili praesumpserunt et praesumunt etiam incessanter. Et ut ipsorum error « veritas » et impietas « religio » reputetur, plurimi eorum regulam ordinis fratrum Minorum, quam sanctus Franciscus instituit, se profiteri et ad litteram observare confingunt, quamquam sub obedientia generalis vel provincialium ministrorum ipsius ordinis non morentur, praetendentes, se a sanctae memoriae Coelestino papa quinto praedecessore nostro huius status seu vitae privilegium habuisse: quod tamen, etiam si ostenderent, non valeret, cum bonae memoriae Bonifatius papa VIII praedecessor noster ex certis causis rationabilibus omnia privilegia ab ipso Coelestino praedecessore concessa, quae per ipsum Bonifatium non contingeret approbari, viribus penitus vacuavit, dictumque vitae privilegium non inveniatur per eumdem Bonifatium approbatum. Quidam autem eorum dictum habitum et vivendi ritum a quibusdam episcopis seu eorum superioribus vel aliis ecclesiarum praelatis se recepisse praetendunt, quos nec eis recipere nec praedictis episcopis vel eorum superioribus seu aliis ecclesiarum praelatis concedere licuit contra formam concilii generalis. Nonnulli etiam ex ipsis, asserentes, se esse de tertio ordine beati Francisci poenitentium vocato, praedictum statum et vitam eorum sub velamine talis nominis satagunt palliare, cum tamen in regula ipsius tertii ordinis talis vivendi ritus nullatenus sit concessus. Et quia in eorum baratrum faciliter ruunt, qui conceptus proprios patrum diffinitionibus anteponunt, ipsorum quamplurimi, sicut fidedigna relatione percepimus, a veritate catholicae fidei deviantes ecclesiastica sacramenta despiciunt ac errores alios student multipliciter seminare. Cum itaque talium damnanda temeritas in eiusdem fidei detrimentum, fidelium scandalum, praefati Minorum et aliorum ordinum opprobrium, et etiam suarum et aliarum multarum animarum perniciem redundare noscatur: nos sectam, ritum et statum huiusmodi (non obstantibus praemissis eorum excusationibus, quas frivolas reputamus, et quicquid per eos coniunctim vel divisim sub religionis, conventus, collegii seu congregationis nomine vel colore attemptatum extitit vel existit) de fratrum ipsorum consilio auctoritate apostolica nullius fuisse et esse decernimus firmitatis, et, quatenus de facto processerunt, de consilio et auctoritate praemissis revocamus omnino ac perpetuae prohibitioni subiicimus et ab ecclesia Dei penitus abolemus, eisdem personis et aliis quibuscunque sub poena excommunicationis, quam eas, si secus fecerint, incurrere volumus ipso facto, iniungentes expresse, ne statum seu sectam et ritum huiusmodi ab ipsis assumptum sectentur ulterius vel ipsum de novo assumere quoquomodo praesumant; episcopos quoque et eorum superiores et etiam alios praelatos quoscunque, qui praedictis personis vel aliis ritum vivendi et habitum supradictos praeter specialem apostolicae sedis auctoritatem deinceps concesserint, praedictae excommunicationis poenae ipso iure decernimus subiacere. Dignum est enim, ut adulterinas plantationes, quas non pater coelestis sed humanae temeritatis audacia plantat, apostolici culminis censura divellat nec patiatur in agro Dominico perversae congregationis vepres excrescere, cui proprium est, divina opitulante gratia, virtutes serere ac vitia radicitus extirpare. Nulli ergo *etc.* nostrae revocationis, subiectionis, abolitionis, voluntatis, iniunctionis et constitutionum *etc.* Datum Avinione, III kalendas ianuarii, anno secundo. [1]

---

[1] Constitutione « *Quorundam exigit* » (cfr. supra n. 289) Spirituales universi repelluntur, ista constitutione « *Sancta Romana ecclesia* » ii, qui Angelum Clarenum inprimis sequebantur et Fraticelli appellabantur, singuli iudicantur. Quodsi hac constitutione aliae insuper factiones (Beguini et Bizochi) una cum Fraticellis reprobantur, id eo evenit, quod illarum sectarum errores plurimum ad erroneas Fraticellorum doctrinas accesserunt. Neque tamen id quosdam historicos debuit movere, ut sectas illas inter se confunderent vel Fraticellos a Minoribus plane abiudicarent. Enimvero Angelus de Clarino atque ipsius assectatores, quos Ioannes XXII omnes vocabat Fraticellos, certissime ordini Minorum erant adscripti. Dubitari solummodo potest, num ii quoque, qui posteriori tempore, quo illi extra ordinis castra degentes pauciores in dies evaderent, eorum partibus sunt adsciti, inter Minoritas ipsos debeant numerari. Et hic quidem locus opportunus nobis occurrit, ut de iis, quae fr. Angelus de Clarino egit ac gessit, quaedam addamus. Qua in re sequimur *Ehrle* l. c. t. I, p. 519 seq.

Is inter annos 1260-1270 vili s. Francisci habitu indutus ad provinciam, quae in marchia Anconitana erat, adlectus est.

298. Praelatis infra nominatis mandat, ut faciant iustitiam fratribus Minoribus super funere cuiusdam mulieris. [1]

1318, ianuarii 1, Avinione.

Dilectis filiis .. priori de Tristirnach Mi[n]densis [2] *dioecesis et .. archidiacono ac .. cantori ecclesiae Mi[n]densis.*

Sua nobis guardianus et fratres ordinis Minorum de Trum [3] Mi[n]densis dioecesis petitione monstrarunt, quod, licet quondam Rosina de Vardona mulier dictae dioecesis apud locum dictorum guardiani et fratrum in sua voluntate ultima elegerit sepulturam, tamen .. prior et fratres ordinis Praedicatorum de Molinger [4] dictae dioecesis, corpus ipsius Rosinae contra iustitiam detinentes, illud dictis guardiano et fratribus tumulandum in dicto loco ipsorum guardiani et fratrum tradere denegant minus iuste, in ipsorum guardiani et fratrum iniuriam ac praeiudicium non modicum et gravamen. Quocirca discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatinus partibus convocatis causam audiatis et appellatione remota fine debito decidatis, facientes, quod decreveritis, per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Non obstantibus *etc.* Datum Avinione, kalendis ianuarii, anno secundo.

299. Priori Praed. et guardiano Min. fratrum Bononien. committit, ut faciant restitui bona relicta olim per Çoen episcopum quondam Avinionen. [5]

1318, ianuarii 6, Avinione.

Dilectis filiis .. priori Praedicatorum, et .. guardiano Minorum ordinum fratrum Bononien.

Decet sinceritatem vestram sic processus vestros per iustitiae tramitem provida consideratione dirigere, sic vestras in divinis beneplacitis disponere actiones, quod ex actibus vestris nihil proveniat, per quod ullus illicitus temporalium rerum appetitus vos arguat, ulla iusta reprehensio examinis superioris astringat. Sane, sicut vestram non credimus latere notitiam, bonae memoriae Çoen [6] episcopus Avinionensis totum podere seu affare, quod habebat in villa et territorio Saliceti et de Seirina Bononien. dioec., ad eum ratione personae suae pertinens, ecclesiae et episcopis Avinionen. eius successoribus in testamento suo ... legavit: ita, quod de fructibus ... dicti poderis seu affaris octo scolaribus pauperibus in studio Bonon. studentibus mittendis per episcopum Avinion. ad dictum studium provideri deberet... Post cuius obitum Avenionenses episcopi .. per spatium 40 annorum vel circiter in pacifica possessione ministrandi expensas per procuratores suos de fructibus dicti poderis seu affaris scolaribus, quos ad dictum studium destinabant, extitisse noscuntur. Verum tempore, quo dilectus filius noster Neapoleo s. Adriani diaconus cardinalis in partibus illis apostolicae sedis legatus civitati praedictae studium interdixit vel substulit, Paulus de Tencayrariis civis Bononien. de mandato .. prioris Praed. et .. guardiani Min. fratrum ordinum Bononien., qui vos in dictis officiis [antecesserunt], asserentium se executores testamenti praedicti, et tamquam specialis procurator eorum omnes possessiones et bona ac iura dicti poderis seu affaris occupavit et tandem dictas possessiones de facto distraxit et vendidit pro certa pecuniae quantitate et recepit pretium ex eisdem illudque dictis priori et guardiano et locorum vestrorum

Quum anno c. 1274 de originaria ordinis disciplina servanda turbae fierent, inter eos fratres fuit, qui pertinaciae causa tanquam haereseos suspecti, ut diuturno tempore carceribus clauderentur, condemnati sunt. Per Raymundum Gaufredi, qui anno 1289 ordinis minister generalis electus ordini reformando studebat, brevi post e carcere liberatus cum sociis calamitatis pluribus ad Armenos mittitur. Quod fratres in provincia Terrae sanctae degentes aegre ferebant. Fratres autem, qui missi erant, anno 1293 quasi medio in patriam reversi a Coelestino papa V a. 1294 creato facile obtinuerunt, ut in eremitoriis sibi concessis s. Francisci regulam diligentius observarent. At anno 1295 vel ineunte, cum hic summus pontifex a munere se abdicasset, in insulam quandam prope Achaiam sitam aufugere atque novas ibi per fratres communitatis, qui provinciae Romaniae aut Achaiae adnumerabantur, iniurias subire coguntur. Quare iterum in Italiam revertuntur. Fr. Angelus de Clarino sodalium postremus a. 1304 reversus primo prope Urbem degebat, a. 1311 curiam Avinionensem ipsam adiit, a card. Iacobo de Columna inter familiam receptus, a. 1316 exeunte aut a. 1317 ineunte a pontifice in ius tandem vocatus est. Quod ante diximus (cfr. supra not. 1 ad n. 266).

Fr. Angelus, cum eis quorum accusabatur parum occurreret, sententiis, quas Bonifatius pp. VIII et Petrus patriarcha Constantinopolitanus in ipsum ipsiusque socios tulerant, irretitus esse iudicatur (cfr. hist. VII trib. l. c. t. II, p. 316 et 317) atque cardinali S. R. E. vicecancellario custodiendus traditur. Cuius custodiae tempore scripsit epistolam illam excusatoriam, quam *Ehrle* cum aliis quibusdam eius epistolis una cum parte historiae VII tribulationum, quam idem Angelus scripsisse merito coniicitur, l. c. t. I, p. 521-569 et t. II, p. 108-327, publici iuris fecit. Qua quidem epistola id effecit Angelus, cui cardinales Iacobus de Columna et Neapoleo de Ursinis favebant, ut pontifex persuasus, eum verae fidei adhaerere, libertatem ipsi donaret, conditione addita, ne iam fratrem Minorem, sed eremitam congreg. Coelestinae ageret vel gereret, quod sane simulare utrumque consueverat. Tamen idem agere neque tum desiit, cum eius pars, quae « Fraticellorum » nomine dicebatur, item ac Beguinorum et Bizochorum factio constitutione « Sancta Romana ecclesia » suppressa esset. Atque tantum aberat, ut sociis relictis ad Coelestinos transiret, ut in Italiam reversus fratres suos asseclas sicut antea congregaret ac dirigeret. Quod sane ex causis in ipsum a. 1334 actis optime perspicitur. Plurimos annos natus die 15 iunii a. 1337 in loco s. Mariae de Aspro dioec. Marsicen. moritur. Cfr. *Ehrle* l. c. t. IV, p. 8-25, et infra n. 302.

[1] Reg. Vat. t. 68, f. 25, ep. 1099 *c*.
[2] Leg. « Miden. » (*Mead* in Hibernia) pro « Minden. ».
[3] *Trim* in custodia Pontensi prov. Hiberniae.
[4] Mullingar.
[5] Reg. Vat. t. 67, f. 309, ep. 27 de curia.
[6] Resignavit a. 1263, obiit a. 1273.

conventibus assignavit et deposuit ibidem nomine eiusdem ecclesiae [Avinionen.] conservandum. Quia igitur venditio huiusmodi in defraudationem piae dispositionis testatoris eiusdem, detrimentum scolarium pauperum et eiusdem Avinionensis ecclesiae non modicum praeiudicium et gravamen noscitur redundare, sitque contractus huiusmodi sine legitimo episcopi Avinionensis, qui tunc erat, et capituli eiusdem Avinionensis ecclesiae assensu de facto praesumptus irritus ipso iure: nos, qui praedictam ecclesiam, cuius regimini olim, dum nos minor status haberet, praefuisse cognoscimur, [1] dilectione praecipua prosequimur, et sicut eius profectus et commoda grata redduntur nostris affectibus, sic et suorum diminutiones iurium odiosae nobis rationabiliter exhibentur, discretionem vestram monendam duximus et etiam requirendam, vobis in virtute obedientiae per apostolica scripta mandantes, quatenus, cum nostrae intentionis existat, quod venditionis praedictae contractus nullatenus observetur, sed emptoribus dicti poderis vel eorum haeredibus pretio restituto dictum podere cum omnibus possessionibus, bonis et iuribus suis ad praedictam Avinionensem ecclesiam revertatur (eius fructibus et proventibus in substentationem dictorum octo scolarium pauperum ad praedictum studium per Avinionensem episcopum, qui erit pro tempore, destinandorum integraliter convertendis), praedictum pretium sic depositum, si hucusque fideliter extitit conservatum, vel aliud quantitatis consimilis et valoris ad requisitionem venerabilis fratris nostri .. Bononiensis episcopi et dilecti filii .. abbatis sancti Proculi Bononiensis ordinis sancti Benedicti et .. archidiaconi Bononiensis vel eorum alterius, per quem fueritis requisiti, praedictis emptoribus pro rata videlicet, quae unumquemque contingit, restituere procuretis, alioquin praedictis episcopo, abbati et archidiacono nostris damus litteris in mandatis, ut ad id vos et fratres locorum ordinum vestrorum Bononiensium per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellant. Non obstante *etc.* Datum Avinione, VIII idus ianuarii, anno secundo.

In e. m. .. episcopo et .. abbati mon. s. Proculi ac .. archidiacono Bononien.

300. Indulget Sanciae reginae Siciliae, quod possit certis diebus ingredi monasterium s. Clarae Neapol. [2]

1318, ianuarii 13, Avinione.

Carissimae in Christo filiae Sanciae reginae Siciliae illustri.

Devotionis tuae sinceritas promeretur, ut, quae a nobis suppliciter postulas, tibi affectu benevolo concedamus. Hinc est, quod nos tuis supplicationibus inclinati tibi, ut cum matura et honesta mulierum comitiva, quae numerum concessum tibi super hoc per alias litteras apostolicas non excedat, monasterium sanctae Clarae Neapolitan. ordinis eiusdem sanctae, [3] non obstantibus monasterii et ordinis praedictorum consuetudinibus et statutis, libere sine viris ingredi et in eo dormire de die ter in anno dumtaxat valeas, auctoritate praesentium indulgemus. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, idibus ianuarii, anno secundo.

301. Ministro generali ord. Min. mandat, ut ampliet numerum monialium eiusdem monasterii. [4]

1318, ianuarii 13, Avinione.

Dilecto filio .. generali ministro ordinis fratrum Minorum.

Carissima in Christo filia nostra Sancia regina Siciliae illustris, zelo fidei et devotionis accensa et ad divina obsequia iugiter exequenda disposita, ut cultum divini nominis ampliet et sacris virginibus iter paret, quo accensis lampadibus possint obviam ire sponso, cum ipso aeternitatis nuptias intra[tu]rae, quoddam sollemne monasterium ordinis sanctae Clarae in civitate Neapolitana construxit, et licet in eo centum et viginti sororum numerus dicti ordinis existere dinoscatur, dicta tamen [regina] affluentis devotionis affectibus desiderat quamvis amplum praedictum numerum ampliare. Nos igitur eiusdem reginae supplicationibus inclinati discretioni tuae, de qua plenam in Domino fiduciam gerimus, praesentium tenore committimus et mandamus, quatenus praedictum numerum ampliando in eodem monasterio numerum centum et quinquaginta sororum, si expedire cognoveris, super quo tuam conscientiam oneramus, auctoritate apostolica studeas ordinare perpetuis futuris temporibus inviolabiliter observandum. Datum Avinione, idibus ianuarii, anno secundo.

302. Spirituales, praesertim illos, qui e Tuscia in insulam Siciliam se contulerunt quorumque antesignanus est Henricus de Ceva apostata ord. Min., damnat, prohibetque, ne illis praebeantur favor aut auxilium. [5]

1318, ianuarii 23, Avinione.

Venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis electis, ad quos litterae istae pervenerint.

Gloriosam ecclesiam, non habentem maculam

---

[1] Fuit translatus ad ipsam a. 1310 ab ecclesia Foroiulien. (*Fréjus*), cui praefectus erat a. 1300; ad ecclesiam Portuen. promotus est die 23 dec. 1312.

[2] Reg. Vat. t. 67, f. 128, ep. 609*c*.

[3] Ab ipsa fundatum. Cfr. supra n. 236-241.

[4] Reg. Vat. t. 67, f. 128, ep. 609*d*, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 30. Cfr. supra n. 236.

[5] Reg. Vat. t. 67, ep. 381, Bull. Rom. ed. Taurin. 1859,

aut rugam, quam Christus dilexit, pro qua semetipsum tradidit, ut ipsam sanctificaret, mundans eam lavacro aquae in verbo vitae, David propheta cunctis praelatam gentibus spiritu revelante cognovit et (splendorem tantae dignitatis admirans) illam sub similitudine regalis fastigii demonstravit dicens: « Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate », nimirum ipsa Christi sponsa virgo mater ecclesia, quia inclyto capiti suo domino Iesu Christo inviolabilis fidei glutino copulatur et eius imperio prona obeditione substernitur, cum illo unum effecta tam incomparabilis unionis, merito rebus omnibus more regio principatur. Quae dum pia ac devota religione terrena despicit, caelestia appetit, omne sinistrum premens, a dextris sponsi gloriosa consistit; et quia geminae caritatis splendore omni ex parte rutilat, in vestitu aureo etiam angelicis spiritibus admiranda coruscat. Cuius inaestimabilis decor, quia vario vivendi genere in una tamen caritate perficitur, quasi de vestis pulcherrimae varietate laetatur. In hoc igitur vestimento tam mirabili varietate distincto Minorum fratrum sacer ordo, ab ipso suae fundationis exordio, almi confessoris b. Francisci regulari traditione et apostolicae sedis auctoritate atque confirmatione indissolubili quadam textura connexus, fide clarus, spe validus, caritate profusus, humilitate placidus, obeditione devotus, velut singulare iubar sanctitatis, exemplo ac doctrinae verbo per universum orbem claruit et ecclesiastico decori multum utilitatis et plurimum inclytae alacritatis invexit.

Verum (quia humani generis inimicus, ubi virtutum segetes uberius videt exurgere, ibi scandalorum vepres et dissidiorum zizania satagit cumulatius seminare) nonnulli huius sacrae religionis solo nomine professores (dum altiora se petunt, dum praeposteris et perturbatis gradibus, citius ruituri, in magnis et mirabilibus supra se ambulare conantur) illius delusi fallaciis, qui se, ut alios decipiat, in lucis angelum transfigurat, sibimet ipsis ruinam, infirmioribus scandalum, solidioribus vero probationem et meritum pepererunt, pro viribus satagentes tam praeclari ordinis unitatem scindere, obnubilare famam, perturbare quietem. Dudum siquidem huiusmodi superstitiosi et discoli homines in provincia Provinciae adversus communitatem praefati ordinis insurgentes et se solos suosque complices de observantia regulae b. Francisci mira vanitate iactantes, reliquam ordinis multitudinem de transgressione regulae perperam iudicando notabant, nonnullos profanae multitudinis verbis mendacibus et mentitae sanctitatis obtentu in sui erroris devium adducentes. Quorum vipereos partus in ipso sui exortu felicis recordationis Nicolaus papa quartus praedecessor noster, ne in multorum perniciem alerentur, ad veritatis petram elidere cupiens, generali ministro, qui tunc temporis memorato ordini praesidebat, districte praecipiendo mandavit, ut huiusmodi praesumptores disciplina debita coërceret, prout in literis ipsius praedecessoris nostri plenius continetur. [1]

Sed horum pestilentissimas novitates hoc remedio compressas fuisse potius quam extinctas redivivus error enunciat et tristis experientia manifestat. Nuper enim nonnulli factionis superstites memoratae, adiunctis sibi quampluribus de dicta provincia Provinciae et provincia Thusciae et aliis diversarum fratribus nationum, coram piae memoriae Clemente papa V praedecessore nostro diversas regulae quaestiones diversasque contra universitatem dicti ordinis proposuere querelas, et quasi ipsi soli ipsorumque complices b. Francisci regulam et perspicacius intelligerent et efficacius adimplerent, notam actionis contrariae in universitatem praefati ordinis impie detorquebant. Qui Clemens praedecessor, huiusmodi homines benignitate magis quam severitate satagens emendare, illorum pestiferos conatus patientiae virtute tolerans, praedictas quaestiones atque querelas pluribus archiepiscopis, episcopis et sacrae theologiae professoribus et aliis iuris scientia praeditis, discretione dotatis, examinandas commisit et ad suam audientiam perferendas. Quibus diligenter et cum multa maturitate peractis, saepe nominatus Clemens praedecessor, de veritate certior factus, praefatam religionem sanctam et (ut eius utamur sermonibus) muris observantiae regularis firmiter undique asseruit circum-

---

t. IV, p. 261, cfr. *Wadd.* l. c. ad a. 1318, n. 10-23. Universus quidem status Spiritualium, praecipue autem illorum, qui in provincia Provinciae degebant, constitutione « Quorundam exigit » (cfr. supra n. 289) reprobatus erat, aliae autem eorum partes alias insuper habuerunt condemnationes. Fratres enim sequaces Angeli de Clarino constitutione « Sancta Romana » (cfr. supra n. 297), ii vero qui ex Tuscia in Siciliam aufugerant atque eo tempore fr. Henricum de Ceva ducem sequebantur, constitutione hac « Gloriosam ecclesiam » sunt repulsi. Tribus illis Spiritualium partibus victis Communitas ipsa veluti legitima ordinis Minorum species superfuisse apparebat. Nil igitur mirum, quod Raymundus de Fronciaco, ordinis procurator generalis, acta, quae de illis litibus universis fecit, Ioannem XXII magnis laudibus celebrando conclusit (cfr. *Ehrle*, l. c. t. III, p. 32). Quae tamen laudes haud longo tempore percrebuerunt. Quum enim de quaestione illa theoretica circa paupertatem Christi anno 1321 exorta pontifex ipse ex parte eorum stetisset, qui sententiam a fratrum Minorum animis alienam tuebantur, atque in eos, qui ipsius persuasioni adversabantur, severe animadverteret, laudatores plane obmutuerunt inter fratres Minores.

[1] Quae quidem litterae desiderantur. Cfr. *Ehrle*, l. c. t. III, pagg. 433-435.

clusam et quaedam, quae circa regulam dubium sensum afferre poterant, declaravit [1] destricte praecipiendo mandans, ut dicti fratres, qui contra praefatam communitatem ordinis huiusmodi quaestiones moverant et querelas, ad conventus, unde discesserant, reverterentur et suis superioribus obedirent humiliter et devote, harum quaestionum et querelarum praetextu ad Romanam curiam de cetero minime reversuri.

Et ut ipsius salubris ordinatio ad optatum duceretur effectum, venerabilibus fratribus nostris archiepiscopo Ianuensi et Lucano ac Bononiensi episcopis per suas literas [2] demandavit, ut ipsi vel alter eorum (per sese seu alium vel alios) fratres illos de provincia Thusciae, qui occasione praefatae dissensionis et adhaerentiae, ad illicita laxatis habenis, quaedam loca dicti ordinis in provincia Thusciae constituta occupaverant et occupata temeritate damnabili detinebant, suis alias obedire superioribus aspernantes, compellerent, ut eisdem locis, per eos occupatis, omnino dimissis ad suorum superiorum obedientiam (qualibet exceptione et occasione postpositis) reverterentur, moraturi, ubicunque et sicut idem superiores ducerent disponendum. Quarum literarum auctoritate dilectus filius Bernardus, prior ecclesiae sancti Fidelis iuxta Senas, cui praefatus Bononiensis episcopus super hoc commiserat vices suas, in ipsos fratres dicti mandati contemptores, eorum exigente contumacia, excommunicationis sententiam promulgavit et eos fecit excommunicatos publice nunciari.

Qui ecclesiastica vincula non verentes (non absque temeritatis audacia, apostasiae nota, mentisque vesania) contra apostolica mandata et dicti ordinis instituta se ad partes insulae Siciliae transtulerunt et inibi ab obedientia et unitate dicti ordinis et praelatorum eius se totaliter separantes, quasi memorati ordinis b. Francisci stabilem firmamque compaginem rescindere stolida praesumptione valerent, novi ordinis, immo abhominabilis horroris, cassis conatibus moliti sunt ponere fundamenta, tam detestabili turbae praeficientes, magis idolum quam praelatum, Henricum de Ceva dicti ordinis refugum et apostatam fugitivum. Et ut tam foedo capiti membra caetera responderent, provinciales ministros, custodes praeterea et guardianos eligere temeritate simili praesumpserunt, plurimos ad ipsorum sectam recipere, praedicatores et confessores assumere, eosdemque ad huiusmodi confessionis et praedicationis officium transmittere, loca etiam a locis fratrum ipsius ordinis remota ad habitandum de novo construere seu constructa recipere (contra Romanorum instituta pontificum, in animarum suarum periculum aliorumque perniciem) attentantes. Et ut ipsorum error « veritas » et impietas « religio » putaretur, temeritate propria quosdam habitus cum parvis caputiis, curtos, strictos, inusitatos et squallidos, simulationis conscios, irrisionis amicos ac dissidii non ignaros, discrepantes a communitate ordinis supradicti, assumere et in simplicium cordibus, ut eosdem secum in devium erroris adducerent, seminare, dictos habitus fore secundum regulam b. Francisci et in ipsis solum pseudo-fratribus ordinem consistere, famamque aliorum fratrum praefatae communitatis diversis conviciis lacerare procaci impudentique versutia praesumpserunt.

Verum quia sic sunt casus mentis, ut primo quidem infelix animus per superbiam intumescat et exinde in contentionem, de contentione in schisma, de schismate in haeresim et de haeresi in blasphemias infelici gradatione immo praecipiti ruina descendat, praedicti temeritatis atque impietatis filii, ut habet fide digna relatio, ad eam sunt mentis inopiam devoluti, quod adversus praeclarissimam et saluberrimam christianae fidei veritatem impie sentiunt, sacramenta ecclesiae veneranda contemnunt et in gloriosum ecclesiae Romanae primatum, cunctis nationibus percolendum, ab ipso conterendi citius, impetum caeci furoris impingunt. Et ne aliquid praedictarum blasphemiarum tolerabile videatur aut dubium, de plurimis eorum erroribus aliquos, ne latere et perinde nocere valeant, praesentibus duximus annotandos.

Primus itaque *error,* qui de istorum officina tenebrosa prorumpit, duas fingit ecclesias: unam carnalem, divitiis pressam, effluentem deliciis, sceleribus maculatam, cui Romanum praesulem aliosque inferiores praelatos dominari asserunt; aliam spiritualem, frugalitate mundam, virtute decoram, paupertate succinctam, in qua ipsi soli eorumque complices continentur, cui etiam ipsi spiritualis vitae merito, si qua fides est adhibenda mendaciis, principantur. — Quae impietas sic istis sceleratis est propria, ut a nulla haeresi possit esse seiuncta! Quippe omnes impii, dum prave in fide sentiunt, dum ab unitate ecclesiae atque obedientiae per contumaciam separantur, universitatem fidelium carni, se ipsos vero spiritui servire frivolis assertionibus mentiuntur: quorum dementiae nihil adiici posse illi manifeste cognoscunt, qui, sicut unicum Christum praedicant, sic unam ecclesiam profitentur, doctore gentium attestante, qui ait: « Ipsum dedit caput super omnem ecclesiam, quae est corpus

---

[1] Constitutione «Exivi» die 6 maii 1312 data, cfr. supra n. 195.

[2] Die 13 iulii 1313 datas, cfr. supra n. 217.

eius ». Una est igitur sancta, universalis, apostolica atque Romana ecclesia, quae non humana praesumptione sub potestate nititur, sed divina et prorsus incommutabili auctoritate fundatur, cuius egregium primatum, si quis impie docendo negat, non solum criminosus aut schismaticus esse convincitur, sed haereticus impietatis suae merito divina etiam atque humana ratione et auctoritate censetur. Quia peccatum paganitatis incurrit quisquis, dum se christianum asserit, sedi apostolicae obedire contemnit, cui inter caetera dona hoc privata largitione concessum est, ut saluberrima fides, quam b. Petrus coelesti Patre revelante cognovit, et immensa potestas, quam ei in eodem apostolorum principe Christus indulsit, sic per legitimam Romanorum pontificum successionem illibata decurrat, ut illam usque ad finem saeculi nec perfidia maculet nec adulterini pastoris pontificium interrumpat. Quam velut validissimam navem divinae gubernationis praesidio communitam nec variarum opinionum atque haeresum turbines a suae unitatis compage divellunt nec tyrannicae potestatis incursus ad ima deprimunt, quin potius inter blanditias terrenae felicitatis et asperitates saeculi felici navigatione media graditur, donec ad portum futurae beatitudinis duce Domino veniatur: in qua, velut in arca, animalia munda atque immunda servantur, sicut in area frumenta paleis permiscentur, quemadmodum in sagena boni pisces et mali coeunt, in agro zizania et triticum simili generatione succrescunt. Nec tamen ipsam membrorum infirmantium immunditia polluit, extollit levitas, corrumpit nequitia, insolentia scindit: sed manens integra atque perfecta, adoptionis filios fide generat, verbo nutrit, auctoritate defendit, poenitentia purgat, patientiae virtute supportat, nec illam divitiarum cumulus suffocat, quia illis tamquam creatura Dei bona cum gratiarum actione bene utitur et aurum habet, non ut in illo finem constituat, sed ut necessitatem patientibus misericorditer largiendo succurrat. Extra quam salus esse non potest, quia natura non patitur, ratio non sinit et divina providentia non permittit, ut membrum, quod a totius corporis unitate seiungitur, virtute, quae a vertice in corpus influit, aliqualiter vegetetur. Quo fit, ut apud istos vaniloquos nec sancta paupertas nec castitas munda nec virtus possit esse perfecta, quia consequens est, ut omni virtute, omni bonitate priventur, qui Deum virtutum, cuius est totum, quod est optimum, per inobedientiam derelinquunt.

Secundus error, quo praedictorum insolentium conscientia maculatur, venerabiles ecclesiae sacerdotes aliosque ministros sic iurisdictionis et ordinis clamitat auctoritate desertos, ut nec sententias ferre nec sacramenta conficere nec subiectum populum instruere valeant vel docere, illos fingentes omni ecclesiastica potestate privatos, quos a sua perfidia viderint alienos, quia apud ipsos solos (ut ipsi somniant), sicut spiritualis vitae sanctitas, sic auctoritas perseverat. In qua re Donatistarum sequuntur errorem, qui olim facto schismate ab unitate ecclesiae recedentes ita in sua secta Dei gratiam dixerunt esse coactam, ut nullus eam recipere esset idoneus, qui non foret ipsorum scelere maculatus. Quorum impietatem zelus fidelium illo in tempore sic exhorruit, sic pia persecutione compressit, ut homines tam pestilenti contagione respersos et censura ecclesiastica anathematis mucrone feriret et legum publicarum sanctio extremo iudicio praedamnaret; quia dignum erat et aequum, ut contra illos utriusque gladii potestas exsurgeret, qui auctoritatem ecclesiasticam a solo Deo traditam et in perpetuum duraturam profanis assertionibus abnegarant. Manet igitur (etiam istis reclamantibus) et usque ad finem saeculi permanebit apud Romanum praesulem sicut summa auctoritas sic immensa potestas, quam, sicut gratis accepit, sic in eos, quos in partem sollicitudinis evocat, in unitate fidei et Romanae sedis obedientia permanentes benigne refundit: tam fortiter atque suaviter moderamina indultae potestatis exercens, ut in corpore Christi, quod est ecclesia, a summo vertice usque ad extrema vestigia nihil per inobedientiam dissolutum, nihil relinquat ordinis confusione turbatum. Cuius suavissimum sed validissimum iugum impii, quia humiliter gestare refugiunt, quod rebus non possunt, lacessere maledictis atque conviciis non desistunt.

Tertius istorum *error* in Valdensium errore coniurat, quoniam et hi et illi in nullum eventum asserunt fore iurandum, dogmatizantes, mortalis criminis contagione pollui et poena teneri, quos contigerit iuramenti religione constringi. — Quorum blasphemias pietas christiana condemnans (non levitate mota, sed utilitate aut necessitate coacta) veritatem praeteritorum atque praesentium et certitudinem futurorum iurisiurandi religione confirmat, certissime tenens, quia nullatenus de suo genere posset esse peccatum, quod Christus exercuit, qui peccatum non fecit, sed peccatum omne sua passione damnavit; iuravit etenim Dominus, iuravit et apostolus Paulus, suae operationis exemplo monstrantes, ad hoc tantum iuramentum esse prohibitum, ne iurandi facultas frequentiam, frequentia consuetudinem, consuetudo periurium introducat. Bonum est ergo iuramentum, per quod veritas rerum divino testimonio confirmatur, sed malum est illi, qui eo male utitur, et a malo infirmitatis humanae est, ut aliquis verum proferens iurare cogatur.

Quarta huiusmodi impiorum *blasphemia*, de praedictorum Valdensium venenato fonte prorumpens,

sacerdotes rite etiam et legitime secundum formam ecclesiae ordinatos, quibuslibet tamen criminibus pressos, non posse conficere vel conferre ecclesiastica sacramenta confingit. — Quorum utrorumque dementiam ecclesiasticae veritatis doctrina redarguit et censura percellit; quoniam nil a bono maius, nil a malo minus perficitur sacerdote, quia sacramentorum virtus non in merito consecrantis sed in virtute sancti Spiritus et verbo proficitur Creatoris.

Quintus error sic istorum hominum mentes obcaecat, ut evangelium Christi in se solos hoc in tempore asserant esse completum, quod hactenus, ut ipsi somniant, obtectum fuerat, immo prorsus extinctum. — Quae impietas sic [per] tenebrosos Manichaeorum calles oberrat, ut tamen Montani atque Priscillae foeda vestigia non relinquat; illi enim promissionem Domini de Spiritu sancto non in apostolis sed in se ipsis completam esse asserunt, isti evangelium Christi, cuius virtus in sancti Spiritus perceptione consistit, ita in se completum autumant, ut ab illius claro intellectu et vera observatione universitatem fidelium mentiendo secludant. Sancta vero ac universalis ecclesia talium hominum figmenta deridens firmissime tenet et nullatenus dubitat, Spiritum sanctum iuxta fidele Salvatoris promissum in beatos apostolos die Pentecostes sic plenissime fuisse refusum, ut illos omnem veritatem, quae ad salutem pertinet, perfecte doceret, ut ipsos ad amorem Dei mirabiliter inflammaret et ut eosdem contra omnem tentationem invictae virtutis firmitate muniret. Cuius Spiritus virtus illa sanctam ecclesiam usque ad finem saeculi nova semper prole fecundat, ut renatis fonte baptismatis una sit fides mentium et pietas actionum; quod profecto non esset, si sanctum evangelium, in quo christianae fidei regula continetur, omnibus esset clausum et istis solummodo (quod cogitare impiissimum est) esset apertum.

Multa sunt alia, quae isti praesumptuosi homines contra coniugii venerabile sacramentum garrire dicuntur, multaque de cursu temporum et fine saeculi somniant, multaque de antichristi adventu, quem iamiam instare asserunt, flebili vanitate divulgant. Quae omnia, quia partim haeretica partim insana partim fabulosa cognoscimus, damnanda potius cum suis auctoribus quam stilo prosequenda aut repellenda censemus; ipsa enim mentosa commenta seipsa destruunt, quia nec ratione vigent nec auctoritate constant nec aliqua verisimilitudine fulciuntur. — In huiusmodi doctrinis variis et peregrinis saepe nominati homines studia sua conterunt; ad haec simplicium corda blandis fictisque sermonibus et simulatae humilitatis praetextu attrahere moliuntur.

Cupientes igitur, quod dicti pestiferi homines aut in melius commutato consilio a suis perversitatibus resilirent aut saltem alios perniciosis sermonibus et suae pravitatis exemplo contaminare non possent, carissimum in Christo filium nostrum Fredericum regem Trinacriae illustrem hactenus rogavimus et monuimus per apostolica scripta mandantes *[cfr. supra n. 256]*, ut huiusmodi viros pestiferos et seminatores errorum de praedicta insula expelleret et penitus extirparet et ministris, custodibus seu guardianis dicti ordinis Minorum, cum ab eis super hoc requireretur, faciendo etiam (si expediret) saepedictos pseudofratres capi et eorum superioribus tradi captivos, iuxta disciplinam ordinis corrigendos, studeret impendere favorem, consilium et auxilium opportunum. Ipse vero, tamquam obedientiae filius, per suas patentes literas nostrarum literarum seriem continentes, singulis officialibus suis per dictam insulam constitutis praecipiendo mandavit, ut ad capiendos huiusmodi falsos fratres rectoribus dicti ordinis, ut praedictae nostrae literae continebant, darent consilium, auxilium et favorem, quodque ipsa mandata in nostris contenta literis studerent executioni in omnibus demandare.

Quae praesentientes pestiferi memorati, cum ad sinum piae matris redire saltem ecclesiastica disciplina coacti humiliter debuissent, salubrem coercitionem et felicem necessitatem, quae ad meliora compellit, fugae praesidio declinarunt, nonnullis eorum in locis abditis et latebrosis dictae insulae derelictis, qui suis fautoribus, sub quorum defensione consistunt, pro mercede iniqui favoris perversi dogmatis venena rependunt; alii vero per loca infidelium discurrentes mare et aridam circuire feruntur, ut unum saltem faciant proselytum simul cum illis gehennae ignibus applicandum; ii sunt, quos doctor gentium caute vitandos admonuit, dicens: « Nemo vos seducat, volens in humilitate et religione angelorum, quae non vidit ambulans, frustra inflatus sensu carnis suae; et non tenens caput, ex quo totum corpus, per nexus et coniunctiones subministratum et constructum, crescit in augmentum Dei ». Ii sunt « diffidentiae filii, nubes sine aqua, quae ventis circumferuntur, sidera errantia, quibus procella tenebrarum reservata est », qui iuxta Psalmistae vaticinium: « Nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant; erraverunt ab utero », a veritate scilicet sanctae matris ecclesiae recedendo, « locuti sunt falsa », vanos et varios errorum tribulos per diversas regiones praesumptione damnabili seminando (*Col. 2,18; Iud. 12; Ps. 81,5; 57,4*).

Quamobrem zelus fidei, fervor compassionis animarum excitare debet corda omnium, qui Christi nomine gloriantur et ipsius sanctae Romanae ac universalis ecclesiae finibus continentur, ut contra istorum insaniam quasi contra publicam pestem valenter exurgant nec eos in locis, ubi christianae religionis viget auctoritas, patiantur pacifice vivere,

quos adversus matrem et dominam suam, sanctam scilicet Romanam ecclesiam, rebellionis suae calcibus et errorum blasphemiis conspiciunt insanire. Frustrà enim utuntur nomine christiano, qui talibus impietatibus non resistunt, et consequens est, ut possint haec credere, qui possunt talia patienter audire. Tantas igitur et tam graves insolentias, errores pestiferos, detestabiles blasphemias in Creatoris iniuriam, populi christiani perniciem et nefariae operationis exemplum per patientiam immo vecordiam tolerare nolentes, universitatem vestram monemus sedule, hortamur attente, per apostolica vobis scripta in virtute obedientiae districte praecipiendo mandantes, quatenus praefato Henrico de Ceva aliisque pseudofratribus, qui ad memoratam Siciliae insulam hactenus confugerunt, nullum detis vel dari, quantum in vobis est, permittatis in praemissis consilium, auxilium vel favorem, quin potius ipsos velut apostatas excommunicatos, ipsius ecclesiae Romanae rebelles, schismaticos et perversi dogmatis assertores, lupos rapaces gregi Dominico non parcentes, a vestris finibus arceatis, capientes ipsos vel capi facientes et captos tradentes rectoribus saepe nominati ordinis fratrum Minorum, cum ab ipsis vel eorum vicariis, procuratoribus seu nunciis fueritis requisiti, per eos iuxta ipsorum demerita castigatione debita puniendos; dignum est enim, ut apud illos patratorum scelerum poenas solvant, qui ipsorum lubricos calles et tortuosas semitas per patientiam longi temporis exploratius cognoverunt, a quorum sacro consortio per apostasiae vitium recedentes, omni pudore calcato, non sunt confusi sanctam religionem, quae ipsos in sinu suo foverat pietate materna, damnis afficere, maledictis pungere, conviciis lacerare.

Proinde, quia ea, quae contra ius et fas atque ordinariam potestatem temeritas humana praesumit, in poenam perturbati ordinis quanto citius debent iuris auctoritate et apostolica potestate convelli: nos, quicquid in memoratis provincia Thusciae, insula Siciliae et ubicunque locorum per saepedictos fratres (in personarum ad dictam sectam receptione, in generalis ministri et provincialium ministrorum, custodum, guardianorum electione, si tamen electio dici possit, et in quibuslibet aliis) communiter vel divisim sub religionis, conventus, congregationis nomine vel colore attentatum extitit vel existit, nullius fuisse vel esse roboris, nullius extitisse vel existere decernimus firmitatis, unde ipsa cassa, irrita et nulla censemus et nihilominus, quatenus de facto processerant, auctoritate apostolica revocamus.

Ceterum, quia verendum est, ne ii praesertim, qui per professionem licet phantasticam ad praedictorum infamiae consortium transierunt, ipsorum errores sapiant et alios pestifera contagione corrumpant, omnes et singulos per eos ad suam sectam receptos maximeque professos ad vestram praesentiam per censuram ecclesiasticam evocate, examinate de fide, de praedictorum erroribus per vos vel alium seu alios caute diligenterque perquirite (sine strepitu et figura iudicii) et ipsorum complicibus atque fautoribus indagate et, si opus fuerit, ipsos capi et detineri curate; et si quos inveneritis culpabiles, secundum canonicas sanctiones poena debita punire curate, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis: contradictores et rebelles per censuram ecclesiasticam compescentes. Testes autem, quos ad praemissa videritis evocandos, censura simili, appellatione cessante, cogatis veritati testimonium perhibere.

Volumus insuper et apostolica auctoritate decernimus quod quilibet vestrum prosequi valeat negotium seu articulum etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonico impeditus, quodque a data praesentium sit vobis et unicuique vestrum in praemissis omnibus et eorum singulis (etiam non coeptis, praesentibus et futuris) perpetuata potestas et iurisdictio attributa, ut eo vigore eaque firmitate possitis in praemissis contra praedictos procedere, ac si iurisdictio vestra et cuiuslibet vestrum in praedictis omnibus et singulis per citationem vel modum alium legitimum perpetuata extitisset. Non obstantibus *etc.* Dat. Avinione, X kalendas februarii, pontificatus nostri anno secundo.

303. Hieronymum episcopum Tartarorum (ex ord. Minorum) transfert ad ecclesiam Caphen. [1]

Ante 1318, februarii 6, Avinione.

Venerabili fratri Hieronymo episcopo Caphen.

Ad universalis ecclesiae regimen extendendum divina dispositione vocati, ad cuiuslibet statum ecclesiae intuitum sollicitae considerationis extendimus, pastoralis partes officii vigilantius adhibentes, ut ecclesiae singulae a pastoribus gubernentur idoneis et providis rectoribus disponantur, quorum circumspectione provida et providentia circumspecta (illius cooperante clementia, qui omnium pastor et rector agnoscitur) spiritualium et temporalium proficiant incrementis. Olim siquidem felicis recordationis Clemens papa V praedecessor noster te ordinis fratrum Minorum professorem, tunc in sacerdotio constitutum et in sacra pagina eruditum, absque titulo ali-

[1] Reg. Vat. t. 73, ep. 498; cfr. 497, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 84; cfr. supra n. 176.

cuius ecclesiae fecit in episcopum consecrari teque ad partes Tartarorum praedicandum inibi verbum Dominicum destinavit.[1] Nuper vero ex certis manifestis et rationabilibus causis, quae ad hoc nostrum animum induxerunt, civitatem Caphen.,[2] tunc villam infra Cambalien. dioecesis limites constitutam, quae locus insignis existit et ubertate multiplici hominum et rerum exuberat, de fratrum nostrorum consilio et apostolicae plenitudine potestatis in civitatem ereximus, et civitatis vocabulo duximus decorandam ac a villa de Varia[3] in Bulgaria usque Saray[4] inclusive in longitudine et a mari Pontico usque ad terram Ruthenorum[5] in latitudine pro dioecesi eidem Caphen. ecclesiae duximus assignandum, statuentes ac etiam decernentes, ut ecclesia sanctae Agnetis dicti loci Caphen. ex tunc haberetur et existeret perpetuis futuris temporibus cathedralis. Postmodum autem de celeri et salubri provisione ipsius ecclesiae Caphen., ut sponsi solatio laetaretur, sollicite cogitantes ac volentes illum eidem ecclesiae Caphen. praeficere in pastorem, de quo certam haberemus notitiam, quod eum clara morum insignia redimerent nec dubia esset eius caritas circa plebem suo regimini committendam et in cuius fida fiducia salubriter recumberet securitas subiectorum, ad te, quem credimus et speramus in dicta civitate Caphen. ac in illis partibus fructus fructiferos producturum, direximus aciem nostrae mentis. Intendentes itaque tam gregi Dominico quam dictae Caphen. ecclesiae salubriter providere, de persona tua de ipsorum fratrum consilio et praefatae potestatis plenitudine dictae Caphen. ecclesiae providemus teque ipsi in episcopum praeficimus et pastorem, tibi curam et administrationem ipsius in spiritualibus et temporalibus committendo *etc.* Datum Avinione, IV kalendas martii, anno sexto.[6]

304. Praelatis infra nominatis committit, ut Agnetem Clarissam, germanam Hieronymi episcopi Caphen., a monasterio Nigripontensi ad monasterium de Perpiniano transferant.[7]

1318, februarii 6, Avinione.

Venerabili fratri .. episcopo et dilectis filiis .. archidiacono ac Berengario Dominici canonico Elnen. Cum, sicut accepimus, dilecta in Christo filia Agnes Malsinta alias dicta Cathalana, monialis monasterii monialium Nigropontensis ordinis sanctae Clarae, ad monasterium monialium de Perpiniano dicti ordinis Elnensis dioecesis, sicut asserit, sperans in eo posse magis animae suae proficere ac Altissimo vota quietius reddere, cupiat se transferre: nos eiusdem Agnetis ac venerabilis fratris nostri Hieronymi episcopi Caphensis, pro ea germana sua nobis super hoc humiliter supplicantis, precibus inclinati ac desideriis suis in hac parte annuere intendentes, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios ex nunc auctoritate nostra praedictam Agnetem in dicto monasterio de Perpiniano, ad quod eam transferri volumus, recipi faciatis in monacham et sororem, et sincera in Domino caritate tractari (non obstantibus de certo monialium numero et aliis quibuscumque statutis et consuetudinibus contrariis praedicti monasterii de Perpiniano, iuramento, confirmatione apostolica seu quacumque firmitate alia vallatis, aut si dilectis in Christo filiabus .. abbatissae et conventui dicti monasterii de Perpiniano a sede apostolica sit indultum, quod ad receptionem alicuius minime teneantur et ad id compelli seu interdici vel excommunicari non possint per litteras apostolicas *etc.*): contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Datum Avinione, VIII idus februarii, anno secundo.

305. Citat ordinis Theutonicorum magistrum, praeceptorem Livoniae, commendatores in Livoniae et Prusciae provinciis constitutos, ut respondeant querelis contra ipsos prolatis (praesertim a Friderico archiepiscopo Rigen. ex ord. Min.).[8]

1318, februarii 23, Avinione.

Dilecto filio magistro ordinis domus sanctae Mariae Theutonicorum Ierosolymitanae etc. Romana mater ecclesia *etc.* Datum Avinione, VIII kalendas martii, anno secundo.

306. Eximit monasterium s. Clarae Neapolitan. a praestandis decimis, a contribuendo in procurationibus, a solvendis paedagiis.[9]

1318, martii 1, Avinione.

Dilectis in Christo filiabus abbatissae et con-

---

[1] Cfr. supra n. 176 (p. 74, nota 7), ubi tamen loco « p. 558 » illius period. *Archiv f. L.-u.-K.-Gesch.* legendum est: « p. 528 ».
[2] *Caffa*, coloniam Ianuensium ad pontum Euxinum sitam.
[3] Vel potius: Varna?
[4] *Zarew* ad flumen, quod vulgo dicitur *Wolga*.
[5] Inter Poloniam (Galitiam) et Wallachiam.
[6] Non: « quarto », sicut exhibet *Wadd.* l. c. Sed Hieronymum praedictum iam 6 febr. 1318 episcopum Caphen. fuisse, liquet e litteris, quae proxime (n. 304) sequuntur; cfr. n. 317. Nihilominus litterae apostolicae de eius translatione ad ecclesiam Caphen. non prius quam die supradicta 26 febr. 1322 expeditae esse videntur, quo tempore Hieronymus curiam Romanam tum Avinione existentem adierat. Cfr. litteras apostolicas ad eum die 22 novembris 1321 directas (infra nn. 447 et 448, cfr. 449 et 450).
[7] Reg. Vat. t. 67, f. 113, ep. 387; fr. supra n. 303.
[8] Reg. Vat. t. 67, f. 150, ep. 505 (cfr. 507-510), et t. 73, epp. 579, 586, 592, atque supra n. 166.
[9] Reg. Vat. t. 67 ep. 796, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 32.

ventui monasterii santae Clarae Neapolitan. ordinis eiusdem sanctae.

Laudabilis et sacra religio, quae in monasterio vestro a vobis et aliis personis in eo degentibus sub onere voluntariae paupertatis iugiter colitur, sic a vobis mundanae dissolutionis relegavit illecebras, ut inter alia claustralis abstinentiae nexibus religatae puritate fulgeatis observantiae regularis et voluntatis libitum coarctantes omnino sub obedientiae debito dignam et sedulam exhibeatis Domino servitutem. Hinc est, quod nos pium et congruum reputantes, ut vos illa prosequamur gratia, quam vestris necessitatibus fore conspicimus opportunam, vobis auctoritate praesentium indulgemus, ut ad praestationem decimarum de quibuscumque possessionibus et aliis omnibus bonis vestris, quae in praesentiarum habetis et iustis modis praestante Domino acquisiveritis in futurum, vel ad contribuendum in procurationibus quorumlibet ordinariorum, etiam legatorum et nunciorum sedis apostolicae, et quibuslibet talliis et collectis, et ad exhibendum pedagia, telonia et alias exactiones quibusvis regibus et principibus seu aliis personis saecularibus minime teneamini, neque ad id compelli aliquatenus valeatis. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, kal. martii, anno secundo.

307. Elargitur indulgentias visitantibus ecclesiam monasterii praedicti. [1]

1318, martii 1, Avinione.

Universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis. Licet is *etc.* Cupientes igitur, ut ecclesia monasterii s. Clarae Neapolitan. ordinis eiusdem sanctae honoribus frequentetur, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui eandem ecclesiam in festivitatibus ipsius sanctae et per octo dies festivitatem ipsam immediate sequentes visitaverint annuatim, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum apostolorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, unum annum de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus. Datum Avinione, kalendis martii, anno secundo.

308. Praeficit Leonem Minoritam ecclesiae Lauden. in epicopum. [2]

1318, martii 1, Avinione.

Dilecto filio Leoni [3] *electo Lauden.* [4]

Dum ad universas orbis ecclesias *etc.* Dudum siquidem ecclesia Lauden. per obitum bonae memoriae Aegydii episcopi Lauden. pastoris solatio destituta dilecti filii capitulum eiusdem ecclesiae, vocatis omnibus, qui voluerunt, debuerunt et potuerunt commode interesse, die ad eligendum praefixa convenientes in unum, post tractatus aliquos super hoc habitos, quibus effectus non extitit subsecutus, duae fuerunt electiones, una videlicet de dilecto filio Roberto archipresbytero Mediolanen., altera vero de Alchero de Laqua eiusdem Lauden. ecclesiae canonico, in dicta ecclesia a dictis capitulo in discordia celebratae. Negotio igitur electionis huiusmodi ad examen venerabilis fratris nostris Castoni patriarchae Aquilegen. tunc archiepiscopi Mediolanen. loci metropolitani deducto, dictoque Castono huiusmodi causa coram ipso pendente ad regimen ecclesiae Aquilegen. tunc vacantis auctoritate apostolica translato, ac postmodum huiusmodi negotio coram dilecto filio vicario capituli eiusdem ecclesiae Mediolanen. (per huiusmodi translationem, ut praedicitur, pastore carentis) aliquandiu ventilato, ac eodem negotio per appellationem eiusdem Alcheri ad sedem apostolicam legitime devoluto et exposito coram nobis: nos causam appellationis huiusmodi ac negotii principalis dilecto filio nostro Arnaldo sanctae Mariae in Porticu diacono cardinali audiendam et referendam nobis postmodum commisimus oraculo vivae vocis. Et cum dictus cardinalis archipresbyterum et canonicum supradictos et omnes et singulos, qui sua putarent et crederent interesse, primo, secundo et pluribus aliis vicibus citari fecisset in audientia publica successive cum competentibus intervallis, ut est moris, nullusque comparuisset in causa huiusmodi coram eo, factaque nobis postmodum super hoc per dictum cardinalem relatione fideli: demum dilectus filius Adigerus de s. Vitali clericus Parmen., procurator dicti Alcherii, ad hoc mandatum habens sufficiens, omni iuri, quod eidem Alcherio competebat in electione praedicta de se habita, in manibus dilecti filii nostri Ioannis s. Theodori diaconi cardinalis nomine dicti Alcherii sponte cessit; quam quidem cessionem idem Ioannes cardinalis de mandato nostro recepit facto sibi per nos oraculo vivae vocis, nosque subsequenter dictum archipresbyterum ab omni iure, si quod ei competere poterat in electione praedicta, exclusum fore decrevimus iustitia exigente. Verum de provisione ipsius ecclesiae Lauden. sollicite cogitantes (et attenta meditatione pensantes, quod, si eiusdem ecclesiae provisio differretur, multis subiici periculis et gravia posset in spiritualibus et temporalibus incurrere

[1] Reg. Vat. t. 67, ep. 609*a*, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 33.

[2] Reg. Vat. t. 68, ep. 2069, apud *Wadd.* l. c. n. 34.

[3] De Palatinis, oriundo de civ. Lauden., qui 16 martii 1343 sanctissime obiit.

[4] *Lodi* in provincia eccles. Mediolanen.

detrimenta, et propterea cupientes ei de celeris et salutaris provisionis remedio subvenire) post deliberationem, quam cum fratribus nostris ad praeficiendum eidem ecclesiae pastorem idoneum adhibuimus diligentem, consideratis muneribus gratiarum, quibus personam tuam illarum Dominus insignivit, ad te ordinem fratrum Minorum expresse professum, in sacerdotio constitutum, direximus oculos nostrae mentis. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de ipsorum cardinalium et aliorum praedictorum fratrum et apostolicae plenitudine potestatis eidem ecclesiae Lauden. providemus teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus committentes *etc.* Datum Avinione, III nonas martii, anno secundo.

309. Custodi fratrum Min. Ianuen. concedit facultatem absolvendi capitaneos Ianuenses a censuris, quas incurrerant propter comprehensionem abbatis de Zerbino. [1]

1318, martii 11, Avinione.

Dilecto filio .. custodi fratrum Minorum Ianuen.

Oblata nobis ex parte dilectorum filiorum capitaneorum civitatis Ianuensis petitio continebat, quod ipsi olim dilectos filios .. abbatem monasterii de Zerbino Cisterciensis ordinis Ianuensis dioecesis et quemdam alium sacerdotem pro eo, quod dicebantur fecisse aliqua et etiam ordinasse ipsis capitaneis damnosa et periculosa quamplurimum, capere et carceri mancipare ac eos aliquandiu detinere captivos ausu sacrilego praesumpserunt, propter quod noscuntur sententiam canonis incurrisse. Quare nobis humiliter supplicarunt, ut providere super hoc eis de opportunae absolutionis beneficio dignaremur. Nos itaque animarum eorumdem capitaneorum saluti paterna sollicitudine providere volentes, discretioni tuae, de qua fiduciam gerimus in Domino pleniorem, per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsis auctoritate nostra, abbati et sacerdoti praedictis debita prius satisfactione impensa, iuxta formam ecclesiae beneficium absolutionis impendas, iniuncta eis iuxta tuae discretionis arbitrium pro modo culpae poenitentia salutari. Datum Avinione, V idus martii, anno secundo.

310. Confirmat Clarissis in Calignano omnes libertates et privilegia concessa ordini s. Clarae et visitantibus earum ecclesiam indulgentias elargitur. [2]

1318, martii 11, Avinione.

Dilectis in Christo filiabus abbatissae et conventui monasterii sancti Leonardi in Calignano ordinis sanctae Clarae Ianuen. dioecesis.

Et pietatis debitum et paternae caritatis exequi reputamus officium, si vobis, quae partem optimam eligentes devotum impenditis sub paupertatis onere Domino famulatum, apostolici favoris suffragium impertimur. Ut igitur offerre Domino eo devotius laudis sacrificium valeatis, quo erga vos apostolicae sedis gratiam magis senseritis affluentem, ac volentes vobis propter hoc et obtentu venerabilis fratris nostri Leonardi episcopi Cathanien., vestri monasterii fundatoris, [3] apostolicam gratiam super hoc humiliter implorantis, gratiam facere specialem: vobis, quod tam vos quam illae, quae vobis in monasterio ipso succedent, omnibus et singulis privilegiis, libertatibus et indulgentiis generalibus et specialibus, quae fratribus Minorum et sororibus sanctae Clarae ordinum ab apostolica sede noscuntur esse concessa, in perpetuum uti et gaudere possitis, auctoritate praesentium indulgemus. Et insuper uberiori vos gratia prosequentes, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui ecclesiam dicti vestri monasterii in festo beati Leonardi, in cuius honorem dictum monasterium noscitur esse constructum, devote visitaverint annuatim, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, unum annum et quadraginta dies de iniunctis sibi poenitentiis misericorditer relaxamus. Datum Avinione, V idus martii, anno secundo.

311. Praelatis infra nominatis mandat, ut inquirant de permutatione quadam bonorum praedicti monasterii. [4]

1318, martii 11, Avinione.

Dilectis filiis sancti Donati et sanctae Mariae ecclesiarum Ianuen. praepositis.

Decet Romanum pontificem, cum inter ecclesiastica loca de aliquorum agitur permutatione bonorum, illam adhibere cautelam, quod, si ex permutatione ipsa alteri dictorum bonorum provenit commodum, sic et alteri non proveniat detrimentum. Exhibita siquidem nobis ex parte venerabilis fratris nostri Leonardi Cathanien. episcopi petitio continebat, quod, cum quaedam terra sive possessio sita in loco, qui dicitur Calignanum, spectans ad

[1] Reg. Vat. t. 67, f. 231, ep. 772.

[2] Reg. Vat. t. 67, ep. 775, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 37.

[3] E nobili genere Fliscorum (*Fieschi*) Ianuen., qui quidem infra fines episcopatus sui (*Catania* in insula Sicilia) certis ex causis residere non poterat et die 21 martii 1331 Ianuae moritur.

[4] Reg. Vat. t. 67, ep. 771*a*, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 31.

ecclesiam sancti Ioannis de Pavagrano ordinis sancti Augustini Ianuen. dioec., adeo sit propinqua et quasi contigua monasterio sancti Leonardi in Calignano ordinis sanctae Clarae dictae dioecesis, quod dictus episcopus fundari fecit et construi, quod possessionem ipsam ab eodem monasterio via tantummodo publica dirimat, et per hoc dicta possessio sit utilis et accommoda plurimum monasterio memorato, ac dilecti filii prior et capitulum eiusdem ecclesiae, licet pluries ab eodem episcopo requisiti, possessionem ipsam sibi eiusdem monasterii nomine noluerint neque velint pro maiori quam valeat pretio vendere neque cum terris aliis longe maioris valoris et pretii permutare: [nos super praemissis de remedio opportuno providere dignaremur]. Nos [itaque], volentes tam ecclesiae quam monasterii praedictorum utilitati prospicere ac utriusque ipsorum indemnitatibus providere, praenominati etiam episcopi super hoc supplicationibus inclinati, gerentes insuper de circumspectione vestra fiduciam in Domino specialem, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus de valoribus dictae possessionis, quae ab eodem episcopo petitur, nec non et illarum terrarum, quae ab eo pro permutatione huiusmodi offeruntur, et de circumstantiis omnibus ad permutationem ipsam (sine ecclesiae et monasterii praedictorum incommodo) opportunis diligentius inquirentes nobis inquisitionem ipsam mittere quantocius studeatis, ut nos informati per eam providere dictorum ecclesiae et monasterii et utriusque ipsorum indemnitatibus auctore Domino valeamus. Datum Avinione, V idus [1] martii, anno secundo.

312. Eisdem idem mandat de permutatione aliorum bonorum.

1318, martii 11, Avinione.

Eisdem.

Decet pontificem *etc. usque* Calignanum, spectans ad monasterium s. Stephani Ianuen. ordinis s. Benedicti sit contigua terris monasterii s. Leonardi *etc. usque* fecit construi, et per hoc dicta possessio utilis et accommoda plurimum eidem monasterio s. Leonardi fore noscatur, ac dilecti filii .. abbas et conventus eiusdem monasterii s. Stephani *etc.* Datum Avinione, V idus martii, anno secundo.

313. Confirmat Clarissis monasterii Villaecomitis regulam ab Alexandro IV concessam. [2]

1318, martii 15, Avinione.

Dilectis in Christo filiabus abbatissae et conventui sororum inclusarum monasterii Villaecomitis ordinis sanctae Clarae Bracharen. dioecesis.

Ordinem sanctae Clarae tanto supponit devota credulitas apud Altissimum clariorem, quanto magis illum profitentes, verbo et opere prosequentes, se a mundi huius illecebris abdicantes, viam mandatorum Domini currere satagunt, per ipsum earum cordibus misericorditer dilatatis. Cum itaque, sicut dilectus filius nobilis vir Alphonsus Sanctii, natus [3] carissimi in Christo filii nostri regis Portugalliae illustris, et dilecta in Christo filia nobilis mulier Tarasia, uxor eius, nobis significare curarunt, ipsi zelo piae devotionis accensi monasterium vestrum in Villa-Comitis [4] Bracharen. dioecesis de bonis propriis fundaverint pariter et dotaverint, nobisque per eorum litteras humiliter supplicaverint, ut regulam sancti Damiani per felicis recordationis Alexandrum papam IV praedecessorem nostrum monasteriis sanctae Clarae concessam vobis, quae ipsam observastis hactenus et inviolabiliter proponitis perpetuis temporibus observare, concedere dignaremur: nos, ipsorum ac etiam vestris in hac parte supplicationibus annuentes, vobis et iis, quae vobis in monasterio praedicto successerint, praedictam regulam per praedecessorem eundem vobis traditam et a vobis et eisdem perpetuis temporibus inviolabiliter observandam auctoritate apostolica, de speciali gratia, tenore praesentium duximus concedendam. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, idibus martii, anno secundo.

314. Indulget reginae infra nominatae, ut aliquis frater Minor esse possit executor testamenti sui. [5]

1318, martii 16, Avinione.

Charissimae in Christo filiae Iohannae reginae Franciae et Navarrae illustri.

Ita Dominus aperuit oculos mentis tuae, sic te suae benedictionis rore perfudit, ut in annorum robore et plena sospitate corporea constituta, diem considerans peregrinationis extremae, cupias[que] sic ante tempus actus tuos salubri ordinatione disponere, ut post vitae praesentis excursum in aeterna Domini tabernacula admittaris. Sane pro parte tua fuit nobis humiliter supplicatum, ut, cum diem peregrinationis eiusdem intendas dispositione testamentaria praevenire cupiasque, quod illis, quos executores tui constitues testamenti, aliquis frater ordinis Minorum, persona utique provida et discreta, in executione huiusmodi coadiutor existat, tibi eligendi ad hoc aliquem fratrem dicti ordinis, quem

---

[1] Non « kalendis », sicut legitur apud *Wadd.* l. c.
[2] Reg. Vat. t. 67, ep. 884, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 38; cfr. infra n. 327.
[3] Illegitime quidem. Cfr. infra p. 146, not. 3.
[4] *Villa do Conde.*
[5] Reg. Vat. t. 68, ep. 1402, cfr. infra n. 359.

ad id idoneum fore credideris, dictoque fratri huiusmodi officium assumendi (superioris sui super hoc licentia non petita) facultatem concedere dignaremur. *Quae conceditur.* Datum Avinione, XVII kal. aprilis, anno secundo.

315. Stephanum episcopum Ulixbonen. (ex ord. Min.) arguit, eo quod discordiam inter Dionysium regem Portugalliae et coniugem eius (s. Elisabeth) suscitasse dicitur. [1]

1318, martii 21, Avinione.

Venerabili fratri nostro Stephano Ulixponensi episcopo.

Ad nostrum non sine mentis perturbatione perduxit auditum fidedignae insinuationis assertio, quod tu, a tui ordinis modestia te alienum exhibens et maturitatis pontificalis expertem subitoque factus receptorum beneficiorum reprehensibiliter immemor et ingratus ad gratias, quibus carissimus in Christo filius noster Dionysius rex Portugalliae illustris te et tuos de regia liberalitate praevenit, inter ipsum ex una parte et carissimam in Christo filiam nostram [Elisabeth] reginam Portugalliae, [2] illustrem consortem suam, et dilectum filium nobilem virum Alphonsum primogenitum utriusque [3] ex altera iniquis tuis suggestionibus (illius, qui primum schisma suscitavit in coelo, prosequendo vestigia) seminare discordiam satagisti, ex qua, si quod absit forsitan processisset, regno Portugalliae potuisset imminere de facili desolationis non parvum discrimen. Sed benedictus Altissimus, qui resistentiae manum apposuit tuumque in hac parte conatum iniquum effectum habere, sicut gaudenter accepimus, non permisit. Sane si prudentius advertisses, quod ex religionis debito et observantia pastoralis officii tenebaris ad concordiam revocare discordes et pacem inter quoscunque fideles pro viribus propagare; si considerasses attentius, quod, cum Dei vocentur filii, qui pacem faciunt, proculdubio alumpni sunt Sathanae, qui confundunt; si et illud non exclusisses a tuae considerationis examine, quod, qui discordiam seminat, in hoc mala innumera peragit, quod in cordibus dissidentium caritatem, quae mater est omnium virtutum, extinguit, nullatenus debuisses semen iactare mortiferum inter eos praecipue, inter quos solidioris caritatis debet inesse fomentum. Nosti namque, quod ipse Dominus coniugii institutor in concordia coniugum specialiter delectatur; nosti, quod ipse idem venerari parentes filiis praecipit et venerantibus dierum longitudinem repromittit. Quomodo ergo tu, qui debes Domino plebem parare perfectam eamque sibi, quantum in te fuerit, lucrifacere salutaribus monitis, discordiam potuisti inter ipsos coniuges et primogenitum serere, quos ad convivendum in unanimitate votorum debuisses potius induxisse? Profecto, frater, si consonent praemissa facta relatibus, nimirum graviter excessisti et ipsum pacis auctorem per id offendisse conspiceris, cum promptum, quantum in te fuit, paraveris dicto regno periculum et regem non leviter scandalizaveris antefatum. Quia igitur et nos praedicta, si vera sunt, displicibiliter gerimus, tuamque inde temeritatem multipliciter increpantes eam digna plectendam castigatione censemus, fraternitati tuae in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo mandamus, quatenus ex nunc a talibus abstinens praecedentis temeritatis errata sic corrigere studeas sicque circa nutriendam inter coniuges et primogenitum antedictos mutuam caritatem et pacem tuae partes sollicitudinis interponas, quod in oblivionem veniat, quicquid in commotionem potuerat, si adsit praemissis veritas, non iniuste venisse. Alioquin scire te volumus, quod, ubi de praemissis et quibusdam sinistris aliis de te nostro instillatis auditui (quae si vera sint, non sunt dissimulationis transeunda neglectu) poenam exigens nobis innotuerit veritas, sic te in Domino mediante iustitia castigare disponimus, quod, quantum in culpa excesseris, metieris in poena, et alii exemplo perterriti a similibus arcebuntur. Datum [Avinione], XII kalendas aprilis, [anno secundo].

316. Praelatis infra nominatis, quibus mandaverat, ut de vita, conversatione et miraculis recol. mem. Clarae de Montefalco inquirerent, concedit in exequendo hoc officio quoddam salarium. [4]

1318, martii 22, Avinione.

Venerabilibus fratribus .. Perusino et .. Urbevetano episcopis et dilecto filio magistro Reginaldo de Arthemia, ducatus Spoletani rectori.

Dudum vobis, de quorum discretione plenam in Domino fiduciam obtinemus, per alias nostras certi tenoris litteras dedimus in mandatis, ut vos aut duo vestrum de vita, conversatione ac miraculis recolendae memoriae Clarae, monasterii sanctae crucis de Montefalco ordinis sancti Augustini Spoletanae dioecesis abbatissae, [5] certisque circumstantiis huiusmodi negotium contingentibus in loco seu locis, ubi expedire videritis, inquirere diligentius veritatem et, quae super praemissis inveneritis, fideliter in

---

[1] Reg. Vat. t. 109, f. 121, ep. 502 (cfr. epp. 499-501). Vide supra n. 221, infra n. 478; cfr. *Wadd.* l. c. ad a. 1311, n. 10.

[2] Postmodum inter sanctas relatam.

[3] Qui contra patrem suum bellum gessisse cognoscitur maxime ex eo, quod timebat, ne iste Alfonsum Sanctii, praedilectum filium suum naturalem, institueret heredem regni Portugalliae.

[4] Reg. Vat. t. 67, f. 185, ep. 626.

[5] Olim tertium ordinem divi Francisci professae, † 17 augusti 1308, cfr. *Wadd.* l. c. ad a. 1308 n. 72-82.

scriptis redacta sub testimonio sigillorum vestrorum per viros idoneos curaretis ad sedem apostolicam destinare. Quare nos volentes de expensis pro vobis, personis et evectionibus, quas vobiscum in huiusmodi inquisitione habebitis, providere et ad statum dicti monasterii, quod ut audivimus facultatibus non abundat, considerationem habentes, auctoritate apostolica de fratrum nostrorum consilio tenore praesentium ordinamus et volumus, ut vestrum quilibet pro tempore dumtaxat, quo praedictae inquisitioni vacabit, duos florenos auri diebus singulis a dilectis in Christo filiabus .. abbatissa et conventu monasterii memorati recipiatis, dummodo pro expensis et huiusmodi nostra taxatione contenti nihil plus ab eis quomodolibet exigatis. Datum Avinione, XI kalendas aprilis, anno secundo.

317. Concedit Hieronymo episcopo Caphen. (ex ord. Min.) facultatem dispensandi in quarto consanguinitatis vel affinitatis gradu. [1]

1318, martii 28, Avinione.

Venerabili fratri Hieronymo episcopo Caphensi.

Desideriis tuis *etc.* Sane lecta coram nobis fraternitatis tuae petitio continebat, quod in dominio Tartarorum partium Aquilonis, in quibus Caphensis episcopatus de novo pro fidei propagatione creatus fore dinoscitur, sic peccatis exigentibus paganorum et schismaticorum multitudo crassatur, quod pauci reperiuntur adhuc in ipsis partibus christianae fidei professores: propter quod quandoque immo persaepe contingit, quod ipsi christiani, qui propter paucitatem ipsorum omnes fere se consanguinitate vel affinitate contingunt, cum ad invicem contrahere nequeant, coguntur cum schismaticis et aliis inimicis fidei contra ipsius fidei sanctiones contrahere in suarum perniciem animarum. Quare de ipsorum salute sollicitus nobis humiliter supplicasti, ut providere ipsorum saluti iuris moderando rigorem de benignitate apostolica dignaremur. Tuis itaque in hac parte supplicationibus inclinati, volentes eorum statui et saluti de solita sedis apostolicae gratia consulere, fraternitati tuae dispensandi cum illis ex eisdem partibus catholicis, ubi huius dispensationis id necessitas exigit et tibi videbitur expedire, super quo tuam conscientiam oneramus, qui inter se quarto consanguinitatis vel affinitatis gradu contingunt, ut impedimentis hiis nequaquam obstantibus, singuli videlicet cum singulis mulieribus, matrimonium inter se libere contrahere valeant et in sic contracto licite remanere, plenam et liberam concedimus tenore praesentium facultatem. Praesentibus post sex annos minime valituris. Datum [Avinione, V kal. aprilis, anno secundo].

318. Monet Usbek imperatorem Tartarorum, ut verbum Dei in suis terris praedicantibus (praecipue ex ord. Minor.) continuet benignitatis suae affectum et christianos campanas habere et pulsare iterum permittat. [2]

1318, martii 28, Avinione.

Magnifico viro Usbek imperatori Tartarorum illustri divinae inspirationis gratiam et fruitionis aeternae gloriam in futuro.

Laetanter audivimus, quod tu non absque speciali motione divina ob reverentiam Christi Ihesu divini Salvatoris religionis christianae cultores infra imperii tui terminos constitutos benigno favore prosequeris et pertractas *etc.* Celsitudinem tuam in Domino deprecamur, quatenus ad christianae fidei professores, qui dominationis tuae terram inhabitant et maxime qui praedicant inibi verbum Dei, sic tuae benignitatis affectum continues ipsos operosis favoribus prosequendo, quod tua protecti defensionis clypeo cuiuscunque offensionis molimina non formident, quin potius assidue securitatis dulcedine valeant gloriari. Ceterum cum, prout accepimus, ob divini reverentiam nominis christianos praedictos campanas, ad quarum pulsationem ad divina convenire possent officia, dudum per aliquod temporis spatium habere ac libere pulsare permisisses, quamvis postmodum inimicorum Christi, qui (quantum possunt, licet supervacue) non desinunt suae iniquitatis iacula iacere contra ipsum, fraudulenta seductus instantia campanas pulsandi praedictas eis interdici fecisti a tribus annis proxime praeteritis facultatem: rogamus denuo, ut suggestiones huiusmodi, quae de ipsorum sentina venenosa procedunt, omnino despiciens Christi cultores eosdem praefatas habere ac pulsare campanas pro divini honore nominis permittas sine difficultate aliqua et concedas. Speramus enim in Domino, quod ex hoc tibi vitae praesentis augmenta provenient nostrique Redemptoris immensa benignitas, qui numquam irremuneratum bonum aliquod praetermittit, ad sui nominis gloriam agnoscendam oculos tuae mentis facilius suae lucis splendoribus illustrabit. Datum Avinione, V kal. aprilis, anno secundo.

318[a]. Erigit in metropolim civitatem Soltanien. in Perside eique Francum de Perusio ord. Praed. praeficit in archiep. et limitat eius fines versus provinciam Cambalien. [3]

1318, aprilis 1, Avinione.

Ad perpetuam rei memoriam.

Redemptor noster *etc. usque* relinquendos. Volumus insuper et praesentium tenore decernimus,

[1] Reg. Vat. t. 67, f. 312, ep. 37 (cfr. 36) de curia. Cfr. supra n. 303 et infra not. proxime seq.

[2] Reg. Vat. t. 67, ep. 40 de curia. Quae litterae ad instantiam praedicti Hieronymi episcopi Caphen. (n. 317) emanasse videntur.

[3] Reg. Vat. tom. 67, ep. 6, de curia.

quod provincia [Soltanien.] praefati archiepiscopi [Franchi de Perusio] de dicto ordine [fratrum Praedicatorum] nunc assumpti ac aliorum archiepiscoporum successorum ipsius per infra scriptos terminos protendatur et etiam limitetur: videlicet a Montebarrario [1] et ultra versus Orientem in toto imperio dicto Carpente quondam magni principis Tartarorum Persidis et qui erunt pro tempore successores ipsius; terrae etiam seu regna Doha et Chaydo regum et aliae terrae eorum imperiis subiectae; terrae insuper Aethiopum et Indorum sint de provincia archiepiscopi praelibati, sede metropolitana eiusdem archiepiscopi in civitate Soltanien. tamquam loco digniori et magis insigni imperpetuum remanente. Fratribus vero de ordine Minorum, quibus fel. rec. Clemens papa V concessit unum archiepiscopatum cum certis episcopis suffraganeis in partibus Tartarorum, remaneant pro terminis provinciae suae archiepiscopalis totum imperium Gazariae et totum illud magnum imperium, quod Cathay vulgariter nuncupatur, et quidquid est a dicto Montebarrario versus Peram. Sic enim de mandato nostro inter fratres Praedicatores et Minores est de terminis concordatum; non obstante quocunque privilegio vel indulto, cuiuscunque tenoris existat eiusdem praedicti Clementis eisdem fratribus Minoribus concesso, per quod posset dictarum provinciarum protentio et limitatio impediri. – Volumus etiam et apostolica auctoritate decernimus, quod praefatus archiepiscopus et successores eius, qui erunt de dicto ordine fratrum Praedicatorum in illis partibus, subsint obedientiae et correctioni magistri ordinis dictorum fratrum Praedicatorum vel vicarii dicti ordinis tamquam nostris in hac parte vicariis usque ad beneplacitum dictae sedis; idem etiam [volumus et decernimus] de archiepiscopo, qui de dicto ordine Minorum est per praedictam sedem in illis partibus constitutus, eiusque successoribus consistentibus in dictis partibus, ut videlicet dicti ordinis Minorum generalis ministri vel eius et dicti ordinis vicarii correctioni et obedientiae sint subiecti. Suffraganei vero ipsorum ipsis dumtaxat archiepiscopis sint subiecti, auctoritate sedis apostolicae in omnibus semper salva. Eisdem quoque magistro et ministro ac vicariis in eosdem archiepiscopos correctionem et obedientiam huiusmodi exercendi, cum expedierit, quacunque constitutione contraria non obstante, plenam auctoritate praedicta usque ad dictae sedis beneplacitum concedimus potestatem: ita tamen, quod ad depositionem et amotionem eorum aliquatenus non procedant, super quo praefati magister et minister dictique vicarii quoad dictos archiepiscopos necnon dicti archiepiscopi quoad praefatos suffraganeos suos potestatem omnimodam sibi noverint interdictam. – Eisdem quoque archiepiscopis et episcopis utendi insigniis pontificalibus et fungendi pontificali officio extra terminos illarum partium in praesentibus nostris litteris positos vel alias contentos in privilegiis a dicta sede concessis dictis fratribus dicti ordinis Praedicatorum euntibus et peregrinantibus inter infideles et scismaticas nationes, etiam si eos vel eorum aliquem ad sedem apostolicam venire contingeret seu destinarentur ad ipsam, vel etiam de dioecesanorum licentia, omnem auctoritate praedicta interdicimus facultatem; illud quoque de archiepiscopo ordinis Minorum eiusque suffraganeis in eisdem partibus constitutis decernimus observandum. – Volumus insuper et apostolica auctoritate statuimus, ut, si in aliquibus locis positis seu contentis infra terminos provinciae archiepiscopi et suffraganeorum dicti ordinis Praedicatorum superius designatos aliqui de dicto ordine fratrum Minorum sint per suum archiepiscopum in episcopos constituti eisque certa loca infra dictam provinciam fuerint assignata, tales episcopi ibidem remaneant; sed tam ipsi quam alii eiusdem ordinis Minorum, si qui forte imposterum ibi episcopi statuerentur, dicto archiepiscopo dicti ordinis fratrum Praedicatorum eiusque successoribus tamquam eius suffraganei sint subiecti; similiter, quod fratres Praedicatores, si qui sunt et imposterum fuerint in provincia dicti archiepiscopi ordinis Minorum in episcopos constituti, eidem archiepiscopo tamquam eius suffraganei, ut praemittitur, sint subiecti. Praefati quoque archiepiscopus ordinis Praedicatorum in eosdem episcopos ordinis Minorum ac archiepiscopus ordinis Minorum in episcopos ord. Praed. in suis provinciis constitutos tamquam in alios suos suffraganeos possint iurisdictionem metropoliticam libere exercere. Non obstantibus *etc.* Datum Avinione, kalendis aprilis, anno secundo.

319. Fratres infra nominatos ex ord. Praed. et Min. destinat nuntios apostolicos ad comitem et communitates Flandriae, ut eos inducant ad pacem habendam cum rege Franciae. [2]

1318, aprilis 1, Avinione.

Dilectis filiis fratribus Petro de Palude, magistro in theologia, Praedicatorum, Stephano de Neriaco et Guillelmo de Gandavo Minorum fratrum, nuntiis nostris.

Illius, qui via, veritas est et vita *etc.* Datum [Avinione], kalendis aprilis, [anno secundo]. [3]

---

[1] Qui idem esse videtur ac mons vulgo *Arrarat* dictus.

[2] Reg. Vat. t. 109, ep. 543, cfr. 542-549; t. 110, ep. 77, 83, 88-90, 95, 96, 98, 129.

[3] Cuius legationis officium ac si non ita bene exercuisset, praedictus fr. Petrus de Palude accusatus est apud summum pont., qui propterea inquisitionem adversus eum instituit tertia

320. Mandat priori Praed. et guardiano Min. fratrum de Agenno, ut moneant et inducant Matham comitissam et Bernardum comitem Armaniaci ex una ac Margaritam comitissam Fuxensem, illius Mathae sororem et huius Bernardi amitam, ex altera parte, ut nuntios speciales super concordia inter sese habenda mittant. [1]

1318, aprilis 15, Avinione.

Dilectis filiis .. priori Praedicatorum et .. guardiano Minorum fratrum de Agenno.

Cum illius, cuius in pace factus est locus, vices geramus *etc.* Datum [Avinione], XVII kal. maii, [anno secundo]. [2]

320a. Fratribus Praedicatoribus in terras infidelium proficiscentibus easdem gratias et privilegia concedit, quae concedet fratribus Minoribus die 23 oct. 1321, inter quae continetur facultas, domos et loca quaecunque in illis partibus de novo recipiendi receptaque transferendi, dummodo loca seu domus huiusmodi, quae recipient in civitatibus, castris et villis partium earumdem, in quibus domus seu loca fratrum ord. Min. extiterint, ab eisdem per spatium triginta cannarum mensurandarum per aerem distare noscuntur. [3]

1318, maii 1, Avinione.

Dilectis filiis fratribus ord. Praed. in terras Saracenorum, Paganorum, Graecorum, Bulgarorum, Cumanorum, Yberorum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Ruthenorum, Iacobitarum, Nubianorum, Nestorianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Mocolitarum aliarumque non credentium nationum Orientis et Aquilonis seu quarumcumque aliarum partium proficiscentibus.

Gratias agimus gratiarum omnium largitori *etc.* Dat. Avinione, kal. maii, anno secundo.

321. Peregrino Praed. et Nicolao Min. ord. fratribus committit officium inquisitionis haer. prav. in Cracovien. et Vratislavien. dioecesibus. [4]

1318, maii 1, Avinione.

Dilectis filiis Peregrino Oppolien. [5] *Praedicatorum, et Nicolao Hyspodinet de Cracovia Minorum ordinum fratribus.*

Prae cunctis mentis nostrae desiderabilibus tota mente optantes fidei catholicae incrementa et eam a malignorum et pravorum, haereticorum potissime et « credentium », fautorum, defensorum et receptatorum ipsorum dolosis insidiis et fraudulentis fallaciis, quibus vineam Domini Sabaoth nequiter demoliri satagunt, pro viribus conservare, nimio dolore replemur, cum audimus aliquos vel sentimus ad illius depressionem qualicumque malignitate consurgere vel damnabilibus ipsam depravando reprehensionibus aut eis detractionibus abrogabilibus derogando seu iam fictis et mendacibus pervertendo commentis; ad quorum iniqua consternenda molimina eo animosius aspiramus, quo in animarum stragem huiusmodi pestilentes viros perniciosius agnoscimus conspirare, facies quidem habentes diversas, sed caudas ad invicem colligatas. Sane dolentes accepimus, quod in aliquibus partibus regni Boemiae et Poloniae et in confinibus et limitibus terrarum ipsarum, praecipue in Cracovien. et Wratislavien. civitatibus et dioecesibus, adeo infidelitatis diversimode error invaluit, quod ibidem quamplurimi a via veritatis prorsus aversi, euntes post devium falsitatis ac seipsos diversis et variis haeresibus maculantes, pestiferas ad concutiendum orthodoxae murum fidei machinas construunt, molientes ipsam fallacium argumentationum dolosis, falsis ac vulpinis impulsibus demoliri. Verum, licet ubilibet sedis apostolicae diligentia contra talium periculosam et dolosam astutiam, ne diffusius huiusmodi serpat morbus, remedium libenter adhibeat opportunum, in praedictis tamen civitatibus, dioecesibus, locis et terris veluti gentibus et paganis quasi conterminis (cupientes anxie, ut negotium fidei iugi profectu, elisis omnino quibuslibet erroribus haeresumque quarumlibet eradicatis vepribus, fortius convalescat) studemus ad haec, nec immerito, per nos et alios attentius vigilare. Providemus itaque in praedictis civitatibus, locis et terris aliquas circumspectas personas ad praesens pro tanto negotio deputare, quarum honesta conversatio exemplum tribuat puritatis et doctrinam fundant erudita labia salutarem, ut sacro ipsorum ministerio ac vigili studio et sollicitudine indefessa praefatae civitates et dioeceses, terrae et loca huiusmodi pravis contagiis, assistente divina gratia, expurgentur ac

---

et seq. diebus iulii a. 1318. Inter testes vocatos erant praedicti fratres Stephanus et Guilelmus ac fr. Amblardus de Rubeomonte, socius illius fr. Stephani, omnes ex ord. Min. (cfr. *Baluzii* Miscell. ed. *Mansi* t. II, p. 251-257). Petrus de Palude quidem non sinistre se defendisse videtur; nam paulo post a Ioanne XXII in gratiam receptus apparet et a. 1329 ab eodem S. P. in patriarcham Hierosol. promovetur.

[1] Reg. Vat. t. 109, ep. 538 et t. 119, f. 94 et 95; cfr. supra n. 277.

[2] Cum praedictus guardianus (Isarnus de Montealto) peracto huius legationis officio ad summum pontificem rediturus esset, a capellano et baiulo castri Valentiae dioecesis Agennen., in quos excommunicationis sententiam promulgavit, eo quod procurationem sibi debitam solvere contumaciter recusaverant, captus et multis opprobriis affectus, statim autem ab Amanevo de Fossato, locumtenente senescalci Vasconiae, eorum manibus ereptus et libertati restitutus est, ipsis capellano ad episcopum Agennen. et baiulo ad senescalcum Vasconiae adductis, ut poenam facinori condignam subirent. Ut id fiat, monet Ioannes XXII die 19 iunii 1318 senescalcum praedictum, Amanevo autem eius locumtenenti regratiatur, quod praedicto guardiano auxilium praebuit (Reg. Vat. t. 109, epp. 602 et 603, t. 110 f. 133); de eadem causa scribit regi Angliae ut domino Vasconiae 26 iunii 1318 (l. c. f. 169).

[3] Reg. Vat. t. 67, ep. 62 de curia.

[4] Reg. Vat. t. 67, ep. 56 et 57 de curia, apud *Wadd.* ad l. c. a. 1318, nn. 2-6.

[5] *Oppeln* in Silesia.

fidei catholicae nitor multiplicetur et solidetur ibidem et clarius et lucidius elucescat in Dei honorem et eiusdem fidei incrementum, soliditatem et statum. Cumque de prudentiae vestrae industria, de qua nobis a fide dignis et maioribus vestrorum ordinum laudabile testimonium perhibetur, plenam in Domino fiduciam habeamus, propter quod ministerium vestrum ad id specialiter exequendum et debite ac (prout tanti negotii requirit arduitas) vigilanter et sollicite prosequendum elegimus, discretioni vestrae per apostolica scripta sub virtute sanctae obedientiae firmiter praecipiendo mandamus, in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatenus inquisitionis officium in praefatis civitatibus et dioecesibus, terris et locis contra haereticos, « credentes », fautores, defensores et receptatores eorum, iuxta formam canonum et auctoritatem fratribus vestrorum ordinum inquisitoribus huiusmodi pravitatis deputatis auctoritate apostolica et in posterum deputandis concessam, solerter et sollicite exequi studeatis; nos enim vos ad praefatum officium exequendum in locis et partibus illis expresse duximus deputandos ac illam potestatem et auctoritatem habere vos volumus in partibus et locis eisdem, quae fratribus vestrorum ordinum inquisitoribus pravitatis haereticae in aliis locis et provinciis, in quibus eam exercent, noscitur esse concessa, ac in executione praedictorum plenam vobis concedimus iuxta formam canonum tenore praesentium facultatem. Et quia extirpationem praedictarum haeresum, quae in illis partibus periculose pullulare dicuntur, et incrementum catholicae fidei zelamus ex corde, volumus et mandamus, ut frequenter de statu fidei in illis partibus et executione vestri officii nos informare velitis, ut, si per nos ad extirpationem praefatarum haeresum et haereticorum, credentium, fautorum, defensorum et receptatorum ipsorum conculcationem aliud remedium adhiberi oporteat, certificati per vos possimus officii nostri debitum in praedictis et ea contingentibus salubriter impertiri. Datum Avinione, kal. maii, anno secundo.

In e. m. dilectis filiis Coldae Praedicatorum et Hartmanno Pilsnen. [1] *Minorum ordinum fratribus* (pro Pragen. et Olomucen. civitatibus et dioecesibus). [2]

322. Indulget Clarissis Messanen., quod possint gaudere privilegiis ordinis s. Clarae concessis. [3]

1319, maii 2, Avinione.

Dilectis in Christo filiabus sororibus monasterii sanctae Clarae Messanen. ordinis eiusdem sanctae.

Ad monasterium vestrum, quod clarae memoriae Constantia quondam regina Aragonum ex concessione sedis apostolicae fundasse dicitur et dotasse, ac sorores degentes in ipso sincerae dilectionis gerentes affectum, in iis, quae vobis et eidem monasterio profutura esse conspicimus, nos libenter favorabiles exhibemus. Ut igitur eo liberius quo quietius divinis vacetis operibus et status vestri monasterii eo celebrius augmentetur, quo specialius fueritis privilegio sedis apostolicae communitae, vobis, ut de cetero sorores praefati monasterii ac monasterium ipsum illis eiusdem sedis libertatis et exemptionis privilegiis gaudeant, quibus sorores et monasteria ordinis sanctae Clarae gaudent et in futurum gaudebunt, auctoritate praesentium indulgemus. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, VI nonas maii, anno secundo.

323. Fratribus Minoribus Aretinensibus concedit facultatem vendendi antiquum ipsorum locum. [4]

1318, maii 2, Avinione.

Dilectis filiis guardiano et fratribus ordinis Minorum Aretin. [5]

Meritis vestrae religionis inducimur, ut illa vos gratia prosequamur, quam vestris necessitatibus fore conspicimus opportunam. Sane oblata nobis vestra petitio continebat, quod vos olim, vestra commoditate et animarum salute pensatis, dimisso loco, quem primitus habebatis, alium intra civitatem Aretinam de licentia sedis apostolicae recepistis et in eo aedificare ecclesiam incepistis. Verum quia ad consummationem incepti operis vobis non suppetunt facultates, supplicastis nobis humiliter, ut vendendi praedictum locum vestrum dimissum concedere vobis licentiam dignaremur. Nos igitur, vestris supplicationibus inclinati, vendendi et alienandi locum praedictum et recipiendi inde pretium pro aedificatione dicti operis iam incepti liberam vobis auctoritate praesentium concedimus facultatem. Datum Avinione, VI nonas maii, anno secundo.

---

[1] *Pilsen* in Boemia.

[2] Aliis litteris eodem die datis Io. XXII monet episcopos Cracovien., Olomucen., Misnen., item regem Boemiae aliosque nobiles et civitates regni Boemiae, ducem Cracoviae, ducem Vratislaviae, marchionem Misniae, ut praedictis inquisitoribus in suis dioecesibus vel terris in exercendo officio ipsis concesso assistant (l. c. epp. 54 et 55). In his litteris de eisdem haereticis et praesertim sectae Valdesiae asseclis agi videtur, contra quos a. 1335 per Benedictum XII fratribus Gallo de Novo Castro ord. Praed. et Petro de Neczeracz ord. Min. officium inquisitionis committitur.

[3] Reg. Vat. t. 57, ep. 975, apud *Wadd.* reg. pont. Io. XXII, n. 39.

[4] Reg. Vat. t. 68, ep. 1788, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 40.

[5] *Arezzo* in custodia Aretina provinciae Thusciae.

324. Committit episcopo Perusino, ut Clarissis de Pausio de Assisio concedat licentiam permutandi locum suum. [1]

1318, maii 2, Avinione.

Venerabili fratri episcopo Perusino.

Officii nostri debitum *etc.* Porrecta siquidem nobis dilecti filii ministri generalis ordinis fratrum Minorum petitio continebat, quod monasterium monialium de Pausio de Assisio ordinis sanctae Clarae in loco dictae civitatis adeo arcto consistat, quod moniales in eo degentes necessarias officinas habere non possint nec ibidem morari commode iuxta earum decentiam honestatis, propter quod monasterium ipsum cum capella sanctae Mariae non longe a dicto monasterio posita, earumdem monialium commoditatibus magis apta, ac domibus et horto eidem capellae adiacentibus et quibusdam aliis domibus et hortis ad mensam episcopalem Assisinaten. spectantibus desiderant permutare, remanentibus post permutationem huiusmodi utrique parti possessionibus et iuribus aliis, sicut ea obtinent in praesenti. Quare idem minister nobis humiliter supplicavit, ut eisdem monialibus permutationem praedictam faciendi et se ad dictam capellam transferendi ibique morandi ac oratorium et officinas necessarias ibidem construendi (constitutione felicis recordationis Bonifatii papae VIII praedecessoris nostri et quacumque alia seu privilegio seu statuto in contrarium editis nequaquam obstantibus) licentiam concedere dignaremur. Quia vero tu de praemissis habere poteris notitiam pleniorem, fraternitati tuae, de qua fiduciam gerimus in Domino specialem, per apostolica scripta mandamus, quatenus eisdem monialibus auctoritate nostra licentiam tribuas postulatam. Datum Avinione, VI [2] nonas maii, anno secundo.

325. Concedit ministro ord. Min. generali facultatem recipiendi duo loca in insula Siciliae. [3]

1318, maii 10, Avinione.

Dilecto filio .. ministro generali ordinis fratrum Minorum.

Clara ordinis tui religio virtutum fecunditate refecta et per bonorum operum studia a Domino stabilita, ex suae institutionis exordio ad robur et munimentum orthodoxae fidei dedicata, per insignium gratiam meritorum et sacrae praedicationis doctrinam uberes in universali ecclesia honestatis et salutis fructus semper protulit et proferre iugiter non desistit. Cupientes igitur, ut ordo tam conspicuus amplietur, tuis supplicationibus inclinati, tibi acquirendi et recipiendi unum locum in terra Platiae [4] Cathaniensis dioecesis ponendique in eo fratres dicti ordinis, prout tibi videbitur expedire, ac ipsis fratribus in eodem loco aedificandi oratoria, domos et necessarias officinas (constitutione felicis recordationis Bonifatii papae VIII praedecessoris nostri et qualibet alia in contrarium non obstante) plenam et liberam concedimus auctoritate praesentium facultatem. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, VI idus maii, [5] anno secundo.

In e. m. eandem concedit facultatem pro recipiendo loco in terra Licatae [6] Agrigentinae dioecesis.

Dilecto filio ministro generali ordinis fratrum Minorum.

Oblata ordinis *etc.* Dat. ut supra.

326. Indulget fratribus Minoribus provinciae Aragoniae, ut recipiant domum in villa de Terraga. [7]

1318, maii 14, Avinione.

Dilectis filiis ministro provinciali et fratribus provinciae Aragoniae ordinis fratrum Minorum.

Clara ordinis vestri religio *etc.* Haec venerabilis frater noster [Berengarius] episcopus Vicen. et dilecti filii universitas hominum villae de Terraga [8] Vicen. dioecesis attendentes optant, sicut oblata nuper nobis carissimi in Christo filii nostri Iacobi regis Aragonum illustris petitio continebat, quod ordo vester in dicta villa locum cum oratorio et necessariis officinis habeat, in quo fratres dicti ordinis valeant commorari. Quare pro parte dicti regis nobis extitit supplicatum, ut vobis recipiendi locum in dicta villa habitationi fratribus vestri ordinis congruum et in eo aedificandi oratoria et necessarias officinas concedere licentiam dignaremur. Nos igitur vestris ac dicti regis supplicationibus inclinati, recipiendi locum in dicta villa ac in eo aedificandi oratoria, domos et necessarias officinas et ibidem morandi (felicis recordationis Bonifatii papae VIII praedecessoris nostri *etc.* nequaquam obstantibus) plenam et liberam vobis concedimus auctoritate praesentium facultatem. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, II idus maii, anno secundo.

---

[1] Reg. Vat. t. 68, ep. 1789, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 41.
[2] Non « V », sicut legitur apud *Wadd.*
[3] Reg. Vat. t. 67, f. 286, ep. 979, apud *Wadd.* l. c. nn. 35 et 36.
[4] *Piazza* in custodia Agrigentina prov. Siciliae.
[5] Non « martii », sicut legitur apud *Wadd.* l. c.
[6] Non « Basilicatae », sicut exhibet *Waddingus* loc. cit.; est enim *Licata* in praedictis custodia et provincia; cfr. supra n. 270.
[7] Reg. Vat. t. 68, ep. 1141, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 43.
[8] *Tarrega* dioec. Vicen. (*Vich*) in custodia Ilerdae prov. Aragoniae.

327. Monialibus monasterii Villaecomitis concedit regulam s. Clarae aliquatenus moderatam. [1]

1318, iunii 6, Avinione.

Dilectis in Christo filiabus .. abbatissae et conventui sororum inclusarum monasterii Villaecomitis ordinis sanctae Clarae Bracharensis dioecesis.

Ordinem sanctae Clarae tanto supponit devota credulitas *etc.* Sane carissimus in Christus filius noster Dionisius rex Portugalliae illustris et dilectus filius nobilis vir Alphonsus Sancii natus eius nobis significare curarunt, quod ipse Alphonsus zelo piae devotionis accensus monasterium vestrum in Villacomitis Bracharensis dioecesis de propriis bonis fundavit pariter et dotavit quodque nos ad eorum instantiam regulam sancti Damiani per felicis recordationis Alexandrum papam IV praedecessorem nostrum monasteriis ordinum sanctae Clarae concessam, quam [2] observastis hactenus et inviolabiliter proponitis perpetuis temporibus observare, vobis duximus concedendam. Verum quia idem praedecessor, dum esset in minori officio constitutus, praedictam regulam propter ipsius rigorem in certis articulis per suas litteras moderavit et postmodum, postquam fuit ad apicem summi apostolatus assumptus, huiusmodi suam moderationem auctoritate apostolica confirmavit, concedens eam cum huiusmodi moderatione certis ordinis sanctae Clarae monasteriis observandam, iidem rex et Alphonsus nobis humiliter supplicarunt, ut regulam ipsam cum huiusmodi moderatione vobis concedere dignaremur. Nos igitur, ipsorum et etiam vestris in hac parte supplicationibus annuentes, vobis et hiis, quae vobis in monasterio praedicto successerint, praedictam regulam cum moderatione litterarum praedecessoris eiusdem vobis et eisdem perpetuis temporibus inviolabiliter observandam auctoritate apostolica praesentium tenore concedimus de gratia speciali. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, VIII idus iunii, anno secundo.

327a. Ioanni abbati s. Genovefae et Petro abbati s. Germani monasteriorum Parisien. iniungit, ut Ioannem de Polliaco, magistrum theologiae Parisien., ad curiam Romanam citent. [3]

1318, iunii 27, Avinione.

Dilectis filiis .. s. Genovefae Parisiensis et .. s. Germani de Pratis iuxta Parisius monasteriorum abbatibus.

Dum infra cordis claustra attenta meditatione revolvimus, quod Praedicatorum et Minorum ordines velut duo fontes irrigui de paradiso militantis ecclesiae prodeuntes sacrarum doctrinarum profluviis agros rigant fidelium animarum; dum prudenter advertimus, quod ipsi velut duo magna luminaria consistentia in eiusdem ecclesiae firmamento mentes illuminant et de fidelium cordibus profligant nebulosae ignorantiae caecitatem: sicut apostolicis votis acceptum redditur pia ipsorum et tranquilla profectio, qua de virtutibus provehantur cotidie in virtutes, sic turbamur merito, si per cuiusquam iniuriam eorum reddatur intranquilla tranquillitas et quies, qua quietis actori in cordium unanimitate deserviunt, exhibeatur forsitan inquieta. Sane non absque mentis turbatione nuper accepimus, quod magister Iohannes de Poullyaco, Parisius doctor in theologica facultate, [4] ad inconvenientia verba inconsulte prolapsus, verba sua incautis involvit obsequiis et abiecto operculo vasis cordis in quaedam verba venenosa et avertentia populum a devotione ordinum praedictorum reprehensibiliter dicitur prorupisse. Asseruit enim, sicut accepimus, in provinciali Remensi concilio [5] solemniter congregato, quod dictorum ordinum fratres in audientia confessionum venenaverant totum mundum mundique partem magnam secum traxerant ad infernum: in fomentum assertionis huiusmodi allegans, quod scribitur, si caecus caeco ducatum praebeat, ambo in foveam dilabuntur; praemissis adiiciens existere magnum dampnum, quod tantum dicti ordines perdurabant. Cuius quidem assertio propter multitudinem astantium et obloquentis conditionem, qui forte non modicae opinionis fore creditur propter magisterii dignitatem, in gravem dictorum ordinum infamiam redundavit. Volentes igitur super hiis et pluribus aliis, in quibus ipsum enormiter excessisse accepimus a pluribus fidedignis, ipsum audire ac exhibita nobis eius personali praesentia ab eodem super praemissis inquirere veritatem, discretioni vestrae in virtute sanctae obedientiae per apostolica scripta districte praecipiendo mandamus, quatinus vos vel alter vestrum per vos vel alium seu alios, statim post receptionem praesentium, dictum Iohannem auctoritate apostolica peremptorie citare curetis, ut infra triginta dierum spatium post citationem huiusmodi (non obstantibus vacationibus, si in Romana curia contingat ipsas indici) personaliter nostro conspectui se praesentet auditurus, facturus et recepturus super hiis, quod fuerit rationis. Diem vero cita-

---

[1] Reg. Vat. t. 68, f. 402, ep. 2236; cfr. supra n. 313.

[2] *In Regesto:* vobis ipsam, *omisso infra verbo* vobis *ante:* duximus concedendam.

[3] Reg. Io. XXII Avin. vol. 9, f. 458. Cfr. *Chart. Univ. Paris.* t. II, p. 220, n. 764, et infra constitutionem Ioannis XXII d. d. 24 iulii 1321, qua tres propositiones mag. Io. de Polliaco damnantur.

[4] Canonicus eccles. Cameracensis *(Cambrai)* et s. Quintini *(Saint Quintin).*

[5] In civ. Silvanecten. *(Senlis)* a. 1315 vel 1318.

tionis et formam, et quidquid super hiis feceritis, per vestras litteras harum seriem continentes nobis fideliter et celeriter intimare curetis. [1] Dat. Avinione, V kal. iulii, anno secundo.

328. Respondet Perusinis ad litteras per fratrem Egunaldum, lectorem Perusini conventus ord. Min., et alios cives Perusinos portatas, se gratum gerere, quod ipsi gratanter agnoscunt gratiam a sede apostolica sibi factam super concessis suae civitati privilegiis studii generalis; « quod autem avidi paternae praesentiae nos ad visitationem ipsius vestrae civitatis multis refertae commoditatibus ac copiosa necessariorum opulentia praeditae filiali sollicitudine invitatis, ex sincerae procedere devotionis instinctu supponimus idque non parum acceptum habemus; debetis tamen indubie credere, immo pro firmo tenere, quod grandia nec minus ardua sunt, quae nos in istis partibus detinent et quae opportunitatem visitandi Urbem, cui, cum sit laus specialis Romani pontificis, potior fidei sinceritas et specialis caritatis affectus debetur a nobis, hiis temporibus non indulgent; erit autem, quando faciente Domino agendis imminentibus salubriter ordinatis Urbem ipsam visitare poterimus vobisque, impenso prius eidem Urbi debitae visitationis officio, circa visitationem vestram convenientius respondere. » [2]

1318, iulii 1, Avinione.

Devotionis vestrae *etc.* Datum Avinione, kalendis iulii, [anno secundo].

329. Confirmat Conradum Minoritam in archiepiscopum Ephesin. promotum. [3]

1318, iulii 4, Avinione.

Venerabili fratri Conrado ordinis fratrum Minorum episcopo in archiepiscopum Ephesin. electo.

Decet et expedit *etc.* Sane petitio tua nobis exhibita continebat, quod venerabilis frater noster patriarcha Constantinopolitanus, intendens ecclesiae Ephesinae in patriarchatu Constantinopolitano constitutae, cuius ad eum dicebatur provisio pertinere, quae ab hostibus fidei (quod dolenter referimus) occupata tenetur, ad consolationem et salutem fidelium, qui inibi remanserunt, et liberationem ipsius a manibus hostium praedictorum de opportuno praesule providere, deliberatione praehabita super hoc diligenti, tandem in te convertit oculos mentis suae ac de te utique viro litterarum scientia praedito, morum gravitate decoro, conversatione placido, in officio sanctae praedicationis instructo ac in spiritualibus et temporalibus circumspecto, eidem ecclesiae Ephesinae duxit auctoritate ordinaria providendum, teque praefecit eidem ecclesiae in episcopum et pastorem, tibi curam et administrationem ipsius in spiritualibus et temporalibus committendo, tibique subsequenter munus consecrationis impendit. Verum quia propter longam vacationem eiusdem ecclesiae a nonnullis non improbabili rationis iudicio dicebatur, quod praefatus patriarcha nequiverat ad praemissa procedere sine auctoritate super hoc habita a sede apostolica speciali, nobis humiliter supplicasti, ut providere tibi super hoc de opportuno remedio dignaremur. Nos igitur attendentes praemissa et plura alia tibi virtutum merita suffragari, ex quibus spem firmam concepimus, quod per te, utpote virum in diversis scientiis et linguis peritum, sanctae conversationis, vitae laudabilis et in agendis plurimum circumspectum, Dominus in illis partibus multorum poterit operari salutem, et praedictam ecclesiam a spurcidorum manibus liberare et praestare consilium ad proximas dudum partes catholicas, schismaticorum contagio depravatas, ad callem verae fidei reducendas: quod per dictum patriarcham circa provisionem et praefectionem de te factas eidem ecclesiae Ephesinae et consecrationem tuam huiusmodi postmodum subsecutam factum est, ratum et gratum habentes, id ex certa scientia de fratrum nostrorum consilio et apostolicae potestatis plenitudine confirmamus, ratificamus et etiam approbamus (omnem defectum, si quis ex eo, quod provisioni huiusmodi absque speciali licentia ministri generalis tui ordinis consensisti, licet a vicario generali eiusdem ministri super hoc licentiam obtineres, vel quocumque alio modo in tua provisione et praefectione huiusmodi forsitan extitisset, supplentes de ipsorum fratrum consilio et eiusdem plenitudine potestatis) et nihilominus ad maiorem tui securitatem te eidem ecclesiae Ephesinae de ipsorum fratrum consilio auctoritate apostolica de novo praeficimus in archiepiscopum et pastorem, curam et administrationem praedictas tibi in spiritualibus et temporalibus committendo. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, IV nonas iulii, anno secundo.

330. Mandat cancellario Parisien., ut fr. Petro Aurioli ord. Min. largiatur licentiam legendi. [4]

1318, iulii 14, Avinione.

Dilecto filio cancellario Parisien.

Sicut partim experientia partim fidedigna relatione didicimus et te ipsum non latere putamus, dilec-

---

[1] In responsione ad citatorium et ad 13 articulos sibi obiectos mag. Ioannes de Polliaco inter alia negat, populum fuisse aversum per ipsum a devotione ordinum religiosorum. Hoc « non fuit ex dicto vel facto meo, quia, ubi locutus sum, non erat populus, ... sed ex facto fratrum Minorum de Silvanecto, quia, cum eis essent relata verba mea, nescio qualiter et quod dixissem, quod confessati eis tenebantur eadem iterum confiteri proprio sacerdoti, cucurrerunt per totam civitatem convocantes ad sermonem populum in crastino, in quo frater, qui praedicavit, dixit, quod sibi placuit, et inter cetera dementitus fuit me multotiens irreverenter. Et habuerunt hoc praelati congregati in dicto concilio pro valde malo et similiter alii boni viri. Et vocatus fuit in crastino dictus frater coram concilio, qui etiam superbe et praesumptuose respondit valde. »

[2] Reg. Vat. t. 109, ep. 375.

[3] Reg. Vat. t. 67, ep. 847, apud *Wadd.* l. c. p. 512, n. 43.

[4] Reg. Vat. t. 67, ep. 95 de curia, apud *Wadd.* l. c. ad a. 1318, n. 30; *Chart. Univ. Paris.* II, 225, n. 772.

tus filius Petrus Aurioli ordinis Minorum sic in studio theologicae facultatis diebus insudavit ac noctibus sicque per continuationem studii et exercitium lectionum profecit laudabiliter in eodem, quod dignum se reddidit, ut credimus, ad obtinendum docendi licentiam in huiusmodi facultate. Quia igitur ipsum honestate conspicuum et tantum thesaurum scientiae (divina sibi suffragante gratia) assecutum, dignum est, ut benevolentia prosequamur gratiosa, discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus eidem Petro iuxta morem, qui servari in talibus consuevit, licentiam huiusmodi auctoritate nostra, remoto cuiuslibet tarditatis obstaculo, largiaris. Per huiusmodi vero licentiam eidem Petro dandam de nostro speciali mandato nolumus fratribus praedicti vel alterius ordinis iam praesentatis per eumdem vel alium ordinem vel imposterum praesentandis ad huiusmodi licentiam obtinendam aliquod generari praeiudicium vel promotionem eorum quomodolibet retardari. Datum Avinione, II idus iulii, anno secundo.

331. Committit archiepiscopo Messanen. ut concedat Francisco comiti Vigintimilien. et Hieracii facultatem construendi locum ad usum fratrum Minorum. [1]

1318, iulii 18, Avinione.

Venerabili fratri archiepiscopo Messanensi.

Personam dilecti filii nobilis viri Francisci Vigintimilien. et Hieracii [2] comitis devotionis titulo insignitam favoris apostolici plenitudine prosequentes, votis eius libenter annuimus in iis praesertim, quae divini cultus augmentum respicere dignoscuntur. Exhibita siquidem nobis eiusdem comitis petitio continebat, quod in terris comitatus sui Hieracii praedicti nullus fratrum Minorum locus existit et quod ipse ob reverentiam et specialis devotionis zelum, quem ad eumdem ordinem habet, construere de novo et fundare intendit in aliqua ex terris dicti comitatus, ubi tibi videbitur expedire, in fundo proprio, unum locum [ad usum] dictorum fratrum cum oratorio seu ecclesia et aliis domibus et officinis fratribus, qui morabuntur inibi, opportunis. Quare nobis humiliter supplicavit, ut sibi construendi dictum locum et fundandi cum oratorio seu ecclesia ac aliis domibus et officinis necnon et eisdem fratribus huiusmodi locum recipiendi et in eo morandi ac habendi ibidem coemeterium et liberam sepulturam dignaremur concedere facultatem. Nos itaque, pium eius in hac parte propositum benigno prosequentes affectu, fraternitati tuae praesentium tenore committimus et mandamus, quatenus considerata loci qualilate, si distantia locorum dicti ordinis a loco, quem idem comes ad hoc deputaverit, id suadeat, construendi dictum locum cum oratorio, domibus et officinis necessariis et eisdem fratribus huiusmodi locum recipiendi et in eo commorandi ac habendi ibidem coemeterium et liberam sepulturam (constitutione felicis recordationis Bonifatii papae VIII praedecessoris nostri et qualibet alia contraria non obstante) plenam auctoritate nostra tribuas facultatem. [3] Datum Avinione, XV kal. augusti, anno secundo.

332. Mandat praelatis infra nominatis, ut, si ipsis constiterit, ecclesiam s. Laurentii de Panisperna de Urbe, olim a Bonifatio VIII ecclesiae Lateran. unitam, cum domibus aliisque possessionibus rite esse donatam Iacobo de Columna S. R. E. cardinali ad collocandas ibi sorores sub regulari habitu Domino famulantes, confirment et donationem et collocationem praedictas incorporentque eidem ecclesiae s. Laurentii ruralem ecclesiam s. Angeli de Malartesio dioec. Tiburtin. olim ad monasterium de Palatiola ord. Cist. dioec. Albanen. pertinentem. [4]

1318, augusti 1, Avinione.

Venerabili fratri Ioanni episcopo Nepesino, vicario nostro in Urbe, [5] *et dilectis filiis Matthaeo de Columna praeposito s. Audomari dioec. Morinen. ac Ioanni Blasii canonico s. Mariae maioris de Urbe.*

Dilectus filius noster Iacobus de Columna *etc.* Datum Avinione, kalendis augusti, anno secundo.

333. Mandat quibusdam nuntiis apostolicis atque dominii sanctae sedis rectoribus, quod, « cum nonnulli Praedicatorum et Minorum ordinum fratres inquisitores haereticae pravitatis in diversis Italiae partibus auctoritate apostolica constituti et quamplures officiales eorum ratione officii inquisitionis contra pravitatem eamdem magnas pecuniarum summas, de quibus non reddiderunt ecclesiae Romanae camerae rationem, recepisse noscantur, summarie de plano sine strepitu et figura iudicii de huiusmodi pecuniarum summis diligentius inquirant et exigant exactam rationem et computum ab eisdem, facientes sibi dictas pecuniarum summas, in quantum cameram ipsam contingunt, integraliter assignari, inquisitores et officiales eosdem ad id, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo ». [6]

1318, augusti 2, Avinione.

Cum nonnulli *etc.* Datum Avinione, IV nonas augusti, anno secundo.

---

[1] Reg. Vat. t. 68, ep. 1359 (cfr. 1394), apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 44.

[2] *Ventimiglia e Geraci.*

[3] Teste *Waddingo* l. c. ad a. 1318, n. 33, vi huius facultatis a supradicto comite in castro suo dicto Castrobono *(Castelbuono)* ad usum fratrum Min. est fundatus.

[4] Reg. Vat. t. 68, ep. 1675, apud *Wadd.* (qui existimat, praedictas sorores fuisse Clarissas ipsas) l. c. ad a. 1318, n. 40-42, et reg. pont. Io. XXII, n. 45.

[5] Cfr. supra n. 278.

[6] Reg. Vat. t. 67, f. 332, epp. 143-149 de curia; cfr. t. 69, f. 510, ep. 26 de curia.

334. Eximit Clarissas monasterii de Znoyma a solvendis decimis. [1]

1318, augusti 6, Avinione.

Dilectis in Christo filiabus abbatissae et conventui monasterii in Znoyma [2] *ordinis sanctae Clarae Olomucen. dioecesis.*

Praesignis vestra religio *etc.* Sane exhibita nobis ex parte vestra petitio continebat, quod, licet felicis recordationis Bonifatius papa VIII praedecessor noster universis abbatissis et conventibus vestri ordinis per suas litteras duxerit indulgendum, ut ad praestationem decimarum de quibuscunque possessionibus et aliis bonis earum, quae tunc habebant et iustis modis possent acquirere in futurum, minime tenerentur neque ad id compelli possent, nosque indultum huiusmodi duxerimus innovandum: tamen venerabilis frater noster episcopus Olomucen. et rectores parochialium ecclesiarum Olomucen. dioecesis, indultum huiusmodi voluntaria interpretatione astringere molientes, asserunt, quod pro possessionibus et bonis huiusmodi novalia debent intelligi et quod dictum indultum non sit ad bona, quae cadunt sub decimatione, sed dumtaxat ad novalia extendendum. Quare nobis humiliter supplicastis, ut, cum propter hoc praedictum indultum vobis reddatur inutile, providere vobis super hoc de opportuno remedio dignaremur. Nos igitur attendentes huiusmodi interpretationem verbis indulti ac intentioni dicti praedecessoris et nostrae plurimum obviare, cum, si sic stricta fuisset eiusdem praedecessoris intentio, ubi posuit « de possessionibus quibuscumque et aliis bonis earum », solummodo « de novalibus » posuisset: volumus et auctoritate praesentium decernimus, quod interpretatione praedicta aliquatenus non obstante ad praestationem decimarum quarumcumque possessionum et bonorum vestrorum, quae in praesentiarum obtinetis et iustis modis dante Domino potueritis adipisci, sive decimalia dudum extiterint sive non decimalia, per praedictum episcopum et rectores vel quoscunque alios non possitis contra eiusdem indulti tenorem aliquatenus coarctari, cum de huiusmodi concessionibus et gratiosis indultis, ut privilegium non censeatur inutile, sit benigna interpretatio facienda. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, VIII idus augusti, anno secundo.

335. Concedit indulgentias visitantibus ecclesiam monasterii de Medina de Pomar ordinis sanctae Clarae dioecesis Burgensis. [3]

1318, augusti 13, Avinione.

Universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis.

Licet is *etc.* Cum itaque dilecta in Christo filia nobilis mulier Sancia, uxor quondam Sancii Sanches de Velasco, et idem vir suus, dum viveret, sicut ipsa exposuit, propter specialis devotionis affectum, quem ad ordinem sanctae Clarae gessisse noscuntur et pro suorum venia peccatorum monasterium monialium sanctae Clarae de Medina de Pomar Burgen. dioec. fundaverint de bonis propriis et dotaverint, et in eo plures sanctimoniales eiusdem ordinis iugiter Domino famulentur: nos cupientes, ut monasterium ipsum piis fidelium eleemosynis augeatur et devoto populi veneretur accessu, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui ad ecclesiam dicti monasterii beatae Mariae Virginis et sanctae Clarae festivitatibus causa devotionis accesserint ac eidem monasterio pro necessariis manum porrexerint adiutricem, unum annum, per octavas vero earumdem festivitatum: centum dies de iniunctis sibi poenitentiis misericorditer relaxamus. Datum Avinione, idibus augusti, anno secundo.

336. Petrum de Columna s. Angeli diaconum cardinalem constituit protectorem monasterii s. Silvestri in Capite de Urbe ord. s. Clarae. [4]

1318, augusti 13, Avinione.

Dilecto filio Petro sancti Angeli diacono cardinali.

Inter opera pietatis *etc.* Cum itaque, sicut nuper ad apostolatus nostri pervenit auditum, monasterium sancti Sylvestri in Capite de Urbe, hactenus [ordinis] sancti Benedicti, nunc vero sororum inclusarum, obtentu bonae memoriae Iacobi de Columna diaconi cardinalis sanctae Romanae ecclesiae [5] et quondam Ioannis de Columna militis patris tui [6] pro filiabus dicti Ioannis ac neptibus ipsorum cardinalis et Ioannis aliisque mulieribus de ipsorum genere fuerit apostolica auctoritate concessum, de quibus quidem filiabus et neptibus ac aliis ex eodem genere et consanguinitate descendentibus adhuc ultra duodecim sorores in eodem monasterio Domino famulantur, et eadem monasterium ac sorores

---

[1] Reg. Vat. t. 68, ep. 1620, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 46. Cfr. huius op. t. IV, p. 401, et t. V, n. 283.

[2] Non « Enoyma », sicut exhibet *Wadd.* l. c.; est enim *Znaym*, oppidum Moraviae.

[3] Reg. Vat. t. 68, ep. 2090, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 24.

[4] Reg. Vat. t. 68, ep. 1781, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 23.

[5] Qui paucis diebus ante obiit; die enim 1 aug. 1318 adhuc inter vivos existebat. Cfr. supra n. 332.

[6] A. 1292 defuncti, qui fuit frater germanus praedicti Iacobi cardinalis.

propter dicti cardinalis obitum, qui protectionis et defensionis eorum curam dum vixit exercuit, in praesentiarum careant defensore: nos nolentes, quod ob defectum defensionis huiusmodi pateant incursibus malignorum, ac sperantes in Domino, quod idem monasterium sub protectionis tuae brachio constitutum tanto magis in spiritualibus et temporalibus favente Domino suscipiet incrementum, quanto tu, qui dictis sororibus tanta consanguinitatis linea nosceris esse coniunctus, eo merito ad ipsorum monasterii et sororum honores et commoda maiorem diligentiam spiritualiter et temporaliter habiturus, te praedictorum monasterii et sororum ac bonorum et iurium eorumdem protectorem, conservatorem et defensorem tenore praesentium constituimus et etiam ordinamus, exercendi ac gerendi curam protectoris, conservatoris et defensoris ipsorum monasterii et sororum et cetera, quae ad huiusmodi officium pertinent, necnon per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendi, non obstante *etc.*, plenam tibi concedentes et liberam auctoritate apostolica facultatem. Nos enim decernimus irritum et inane, si secus super hoc a quoquam quavis auctoritate attentatum est vel contigerit imposterum attentari. Datum Avinione, idibus augusti, anno secundo.

337. Praelatis infra nominatis committit, ut inquirant de quadam domo in civ. Tragurien. ad usum fratrum Minorum deputata. [1]

1318, augusti 20, Avinione.

Venerabili fratri episcopo Faren. [2] *et plebano ecclesiae sancti Petri novi Iaderensis.* [3]

Dilectus filius frater Michael minister generalis fratrum ordinis Minorum in nostra proposuit praesentia constitutus, quod, cum Milantinus [4] princeps Croatorum et Bosnae in provincia Sclavoniae pararet se cum exercitu suo tam per mare quam per terram ad veniendum contra civitatem Tragurien., [5] cives Traguriensis timentes, ne per locum fratrum Minorum situm extra dictam civitatem, sed vicinum tamen moenibus civitatis eiusdem, [6] dicta civitas expugnaretur facilius et etiam caperetur, locum ipsum occasione huiusmodi funditus destruxerunt; ad quorum civium preces venerabilis frater noster episcopus Tragurien. de consilio et assensu capituli locum monasterii sancti Ioannis Tragurien. olim ordinis sancti Benedicti [accedente consensu] quondam abbatis et conventus eiusdem monasterii, qui dictum monasterium volebant dimittere, sicut postmodum dimiserunt, qui siquidem abbas et conventus eiusdem monasterii ad quoddam aliud eis concessum monasterium se transtulisse dicuntur, duxit auctoritate ordinaria concedendum, prout in instrumento publico inde confecto plenius dicitur contineri. Nos igitur, volentes super praemissis plenius informari ac de circumspectione vestra plenam in Domino fiduciam obtinentes, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel alter vestrum, vocatis qui fuerint evocandi, de praemissis omnibus et singulis simpliciter et de plano absque strepitu et figura iudicii vos plenarie informatis et, quidquid super his inveneritis, nobis per vestras patentes litteras harum seriem continentes fideliter intimetis, ut ex relatione vestra instructi, quid super his faciendum fuerit, securius agere valeamus. Datum Avinione, XIII kalendas septembris, anno secundo.

338. Infra nominatis mandat, ut ad locum, ubi se debent congregare Gallici et Flandrici inter se bellum gerentes, personaliter eant et quasdam litteras, quibus diriguntur, reddant. [7]

1318, septembris 17, Avinione.

Dilectis filiis fratribus Bernardo Guidonis, inquis. haer. prav. in regno Franciae per sedem apost. deputato, Praed., et Bertrando de Turre, s. theol. mag., ministro Aquitaniae, Minorum fratrum ordinum, apost. sedis nuntiis.

Clamavimus hactenus *etc.* Datum Avinione, XV kal. octobris, anno tertio.

339. Scribit super hoc negotio procuratoribus et comitis et communitatum Flandriae. [8]

1318, septembris 17, Avinione.

Clamavimus hactenus *etc.* Datum ut supra.

340. Mandat infra nominato episcopo, ut informationem quandam contra Beguinos mittat. [9]

1318, septembris 18, Avinione.

Venerabili fratri .. episcopo Magalonen.

Cum, sicut audivimus, per te vel tuam curiam inquisitio facta et nonnulli processus habiti fuerint contra beguinos et quosdam alios, qui in dioecesi tua nonnullos seminasse dicuntur errores, nos certis ex causis inquisitionem et processus ipsos habere volentes fraternitati tuae per apostolica scripta districte praecipiendo mandamus, quatenus inquisitionem et processus praedictos cum ea informatione facti, quam inde receperis, fideliter sub

---

[1] Reg. Vat. t. 684, ep. 2065, apud *Wadd.* l. c. n. 25.
[2] Sive Pharensis (*Hvar* al. *Lesina*).
[3] *Zara* al. *Zadar.*
[4] Alias et recte: Mladinus sive Maladinus.
[5] *Traù.*
[6] Qui locus pertinebat ad cust. Spalatinam prov. Sclavoniae.
[7] Reg. Vat. t. 109, ep. 633; t. 110, ep. 94 al. 80.
[8] Reg. Vat. t. 109, epp. 634-639; t. 110, epp. 117, 122, 127, 128, 184, 185, al. 97, 102, 107, 108, 161, 162.
[9] Reg. Vat. t. 109, ep. 655.

tuo sigillo inclusos per fidelem nuntium nobis non differas destinare. Datum Avinione, XIV kal. octobris, anno tertio.

340ª. Transfert Guilelmum episcopum Cunavien. ad ecclesiam s. Iustae in Sardinia, vacantem per obitum fr. Iacobi ord. Min. in istius eccl. episcopum electi. [1]

1318, septembris 19, Avinione.

Venerabili fratri Guilelmo episcopo s. Iustae.

Inter sollicitudines alias *etc.* Dudum siquidem ecclesia s. Iustae per obitum bo. me. Frederici episcopi s. Iustae pastoris solatio destituta, dilecti filii capitulum eiusdem ecclesiae .... quondam Iacobum de Plombino ordinis fratrum Minorum in eorum episcopum elegerunt. Idem Iacobus pro licentia consentiendi huiusmodi electioni suae obtinenda a superiore suo, qui in hiis partibus morabatur, sicut adhuc morari dicitur, ad partes easdem personaliter accessit et Bellicadri Arelaten. dioec. debitum naturae persolvit. Nos itaque .... provisionem eiusdem ecclesiae dispositioni nostrae hac vice duximus reservandam .... demum .... te tunc episcopum Cunavien. .... ad ecclesiam s. Iustae transferimus teque ipsi praeficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem illius tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo, liberam tibi concedendo licentiam transeundi ad dictam ecclesiam s. Iustae *etc.* Dat. Avinione, XIII kalendas octobris, anno tertio.

In e. m. capitulo ecclesiae s. Iustae, archiepiscopo Arboren., Mariano iudici Arboren.

341. Iacobum Minoritam praeficit ecclesiae Tiburtin. in episcopum. [2]

1318, octobris 2, Avinione.

Venerabili fratri Iacobo episcopo Tyburtino. [3]

Licet ex debito pastoralis officii de universis orbis ecclesiis cogitemus, ad illas tamen attentioris dirigimus considerationis intuitum, quas vacationis detrimentis expositas intuemur. Dudum siquidem bonae memoriae Sabaritio episcopo Tiburtino regimini Tiburtinae ecclesiae immediate Romanae ecclesiae subiectae praesidente, nos cupientes ipsi ecclesiae, cum eam per ipsius episcopi obitum vel alio quocunque modo vacare contingeret, idoneam praeesse personam, provisionem ipsius ecclesiae ea vice dispositioni nostrae ac sedis apostolicae duximus specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus in hac parte per quoscunque scienter vel ignoranter contingeret attentari. Postmodum autem eadem ecclesia per obitum ipsius episcopi, qui in partibus illis viam fuit universae carnis ingressus, solatio destituta pastoris, nos de provisione eiusdem ecclesiae, ne prolixae vacationis subiaceret incommodis, cogitare coepimus diligenter et post deliberationem, quam super hoc cum fratribus nostris habuimus diligentem, ad te ordinem fratrum Minorum professum, quem litterarum scientia praeditum, morum gravitate decorum, in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum asseverant testimonia fide digna, direximus oculos nostrae mentis. Quibus omnibus diligenti consideratione discussis, volentes eidem ecclesiae salubriter providere, de persona tua nobis et eisdem fratribus nostris ob huiusmodi tuorum exigentiam meritorum accepta praefatae ecclesiae, de ipsorum fratrum consilio, auctoritate apostolica duximus providendum, teque ipsi ecclesiae in episcopum praefecimus et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesiae tibi in spiritualibus et temporalibus committendo, et subsequenter tibi per venerabilem fratrem nostrum Arnaldum episcopum Albanen. fecimus munus consecrationis impendi *etc.* Datum Avinione, VI nonas octobris, anno tertio.

342. Fratribus Min. Ragusin. concedit facultatem se transferendi ad alium locum. [4]

1318, octobris 15, Avinione.

Dilectis filiis .. guardiano et fratribus ordinis Minorum Ragusinis. [5]

Ordinis vestri laudanda religio, quae in domo Domini relucere conspicitur *etc.* Sane pro parte vestra fuit nuper expositum coram nobis, quod, cum olim Orasius [6] rex Serviae ad expugnandum civitatem Ragusinam suam impietatem armasset ibique propterea magnum gentis suae destinasset exercitum, cives civitatis ipsius merito formidantes, ne civitas ipsa per locum vestrum moenibus civitatis praedictae vicinum posset facilius per dictum exercitum expugnari, pro eo quod locum ipsum tute custodire non poterant, ad evitandum tyramnidem dicti regis locum ipsum funditus diruerunt; sed postmodum dicti cives futurum etiam formidantes periculum, cum nollent permittere vos denuo locum reaedificare praedictum, volentes vestris necessitatibus providere, quemdam fundum cum quibusdam domibus tunc ad ipsos cives spectantem, existentem infra moenia civitatis eiusdem, in recompensationem loci praedicti vobis donaverunt et

[1] Reg. Vat. t. 69, ep. 41. Forsan iste quoque Guillelmus erat ex ord. Min.

[2] Reg. Vat. t. 69, ep. 90, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 49.

[3] *Tivoli* prope Urbem.

[4] Reg. Vat. t. 69, f. 22, ep. 64.

[5] *Ragusa* sive *Dubrovnik* in cust. Ragusin. prov. Sclavoniae.

[6] Orosius, de quo supra n. 109.

etiam concesserunt; quem locum necessitate cogente, quamvis vobis non liceret, recepistis contra constitutionem felicis recordationis Bonifatii papae VIII praedecessoris nostri et inhabitatis eundem. Quare pro parte vestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere vobis super hoc de opportuno remedio dignaremur. Nos igitur vestris supplicationibus inclinati, quod locum ipsum per dictos cives ut praedicitur vobis donatum tenere et inhabitare ibique capellam, officinas et alia necessaria vobis, si non fecistis, facere valeatis, constitutione praedicta et qualibet alia contraria non obstante, auctoritate vobis praesentium indulgemus. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, idibus octobris, anno tertio.

343. Priori Praed. et guardiano Min. fratrum Ilerden., ut rectoribus ecclesiarum Ilerden. dent licentiam benedicendi nuptias baptizandique parvulos non obstante quodam iuramento. [1]

1318, octobris 24, Avinione.

Dilectis filiis .. priori Praedicatorum et .. guardiano Minorum fratrum ordinum Ilerden. [2]

Dilectorum filiorum universitatis civitatis Ilerdae oblatae nobis petitionis series continebat, quod dudum venerabilis frater noster .. episcopus et dilecti filii capitulum Ilerdenses auctoritate propria statuerunt, quod nuptiae benedici et baptismi sacramentum conferri alibi nequeant quam in ecclesia cathedrali, quae in summitate montis civitatis eiusdem dicitur esse sita, ac statutum huiusmodi postmodum iuraverunt se perpetuo et inviolabiliter observare et quantum in eis erat ab aliis facere observari nec contra venire palam vel occulte; quodque per loci distantiam viasque praecipites plerumque contigit infantes in via, priusquam ad dictam ecclesiam perveniant, decedere sacramento baptimatis non percepto, ac mulieres propter asperitatem itineris ex subito casu laeduntur acriter et quandoque etiam moriuntur, et plurima alia inde pericula ac incommoda subsecuntur. Quare nobis humiliter supplicarunt, ut super praemissis de opportuno providere remedio dignaremur. Nos itaque huiusmodi obviare periculis et animarum saluti in hac parte providere cupientes, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus, praefatis episcopo et capitulo ac singulis canonicis eiusdem capituli prius per vos auctoritate nostra iuramento huiusmodi absolutis, si postmodum de ipsorum consensu processerit, rectoribus dictarum parochialium ecclesiarum benedicendi nuptias parochianorum suorum ac conferendi eisdem in dictis ecclesiis baptismatis sacramentum, statuto et iuramento praedictis nequaquam obstantibus, concedatis liberam facultatem, attentius provisuri, quod praefata cathedralis ecclesia iuribus per eam propterea recipi consuetis servetur indemnis. Quod si forte praefati episcopus et capitulum praemissis noluerint consentire, statuto praedicto interim in suo robore remanente, de causa statuti huiusmodi et eius circumstantiis universis nos per vestras litteras harum seriem continentes curetis fideliter intimare, ut ex relatione vestra instructi, quod super hoc ordinandum fuerit, securius agere valeamus. Non obstante indulgentia, qua, filii prior et guardiane, ordinibus vestris a sede apostolica dicitur esse concessum, quod ipsorum ordinum fratres non teneantur se intromittere de quibuscunque negotiis, quae ipsis per ipsius sedis litteras committuntur, nisi in eis de concessione huiusmodi plena et expressa mentio habeatur. [3] Datum Avinione, IX kalendas novembris, anno tertio.

344. Respondet principissae Achaiae ad litteras per fr. Ubaldum ministrum provinciae Achaiae (Romaniae) sibi missas super matrimonio inter ipsam et Ioannem filium cl. mem. Caroli regis Siciliae, comitem Gravinae, contracto, sed nondum consummato. [4]

1318, octobris 26, Avinione.

345. Mariae de Cephalonia Clarissae concedit licentiam se transferendi a monasterio Aversan. ad monasterium s. Mariae domnae reginae Neapolitan. [5]

1318, novembris 28, Avinione.

Dilectae in Christo filiae Mariae de Cefalonia moniali monasterii sancti Francisci Aversani ordinis sanctae Clarae.

Eximiae carissimae in Christo filiae nostrae Sanctiae reginae Siciliae illustris devotionis sinceritas promeretur, ut petitionibus suis, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Hinc est, quod nos eiusdem reginae super hoc cum instantia nos rogantis supplicationibus inclinati, tibi, quae velut virgo prudens parare te cupiens accensis lampadibus obviam ire sponso, mundanis contemptis illecebris, in castro claustrali monasterii monialium sancti Francisci Aversani ordinis sanctae Clarae elegisti Domino perpetuo famulari quaeque ex voto teneris de dicto monasterio aliquatenus non exire, ut non obstante voto praedicto de ipso monasterio egredi et monasterium sanctae Mariae domnae reginae Neapolitanum eiusdem ordinis ingredi valeas, inibi quamdiu vixeris sub eiusdem ordinis observantia perpetuo moratura, auctoritate praesentium

[1] Reg. Vat. t. 69, f. 32, ep. 92.

[2] *Lerida.* Conventus fratrum Min. ibidem existens pertinebat ad custodiam Ilerden. prov. Aragoniae.

[3] Cfr. huius op. t. I, p. 184, n. 190.

[4] Reg. Vat. t. 109, ep. 648.

[5] Reg. Vat. t. 69, f. 51, ep. 158.

de speciali gratia indulgemus. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, IX kalendas decembris, anno tertio.

346. Episcopos infra nominatos constituit conservatores iurium et privilegiorum fratrum Minorum in Germania et Austria constitutorum. [1]

1318, novembris 27, Avinione.

Venerabilibus fratribus .. archiepiscopo Maguntin. et Argentin. ac Ratisbonen. episcopis.

Etsi quibuslibet religiosis personis et locis ex iniunctae nobis servitutis officio assistere defensionis praesidio teneamur, illis tamen specialius et efficacius adesse nos convenit, qui sedi apostolicae immediate subiecti non habent praeter Romanum pontificem alium defensorem. Cum itaque, sicut ex parte dilectorum filiorum ministri provincialis et fratrum ordinis Minorum provinciae Alemanniae superioris fuit propositum coram nobis, ipsi super praedicationibus libere ab eisdem fratribus faciendis et audiendis confessionibus eis peccata sua volentium confiteri et aliis iuribus et libertatibus ipsis ab apostolica sede concessis a praelatis et rectoribus ecclesiarum et clero aliisque personis contra indulta privilegiorum eis ab eadem sede concessorum multipliciter molestentur et gravamina multiplicia inferantur eisdem: nos, volentes eis super hoc de opportuno remedio providere, fraternitati vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios eisdem ministro et fratribus efficacis defensionis praesidio assistentes non permittatis eos contra tenorem privilegiorum ipsorum a praedictis vel aliis quibuscumque molestari nec eis aliqua gravamina vel iniurias irrogari, facientes ipsi ministro et fratribus de illatis eis iniuriis, molestationibus et gravaminibus contra tenorem eundem (in illis videlicet, quae iudicialem requirunt indaginem, per viam iudicii, in aliis vero, prout qualitas eorum exegerit) iustitiae complementum: ita quod officium, potestas et iurisdictio vestra ex nunc perpetuata censeatur; molestatores et iniuriatores *etc.* compescendo. Non obstantibus tam de duabus dietis *etc.* Datum Avinione, V kal. decembris, anno tertio.

In e. m. venerabilibus fratribus: 1) *Colonien. et Treveren. archiepiscopis ac episcopo Monasterien.* (pro provincia Coloniensi); 2) *archiepiscopo Magdeburgen. et Hildesemen. ac Caminen. episcopis* (pro provincia Saxoniae); 3) *archiepiscopo Salisburgen. et Brixinen. ac Laventin. episcopis* (pro provincia Austriae).

347. Praelatis et religiosis infra nominatis mandat, ut stipendia fratribus quondam Templi a nonnullis episcopis de bonis, quae eiusdem ordinis erant et ad ordinem Hospitalis s. Io. Hieros. translata sunt, nimis large assignata moderentur. [2]

1318, decembris 1, Avinione.

Dilectis filiis .. decano ecclesiae et .. priori Praedicatorum ac .. guardiano Minorum fratrum Senonensium.

Nuper ad apostolatus nostri pervenit auditum, quod, licet felicis recordationis Clemens papa V praedecessor noster inter alia ordinandum et statuendum duxerit in concilio Viennensi, quod fratribus quondam Templi ab erroribus, quibus obnoxii reperti fuerant, absolutis et in posterum absolvendis per provincialia concilia iuxta sui status decentiam deberent necessaria ministrari, nonnulli tamen archiepiscoporum et aliorum praelatorum, ad quos executio ordinationis huiusmodi pertinebat, non convocatis conciliis provincialibus, nonnulli vero dictis conciliis convocatis eisdem fratribus ita immoderata et superflua stipendia conferenda annis singulis statuerunt, quod, si eis per dilectos filios .. magistrum et fratres Hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani, quibus bona dicti quondam ordinis fuerunt per sedem apostolicam applicata (exceptis illis, quae idem ordo quondam militiae Templi in regnis et terris carissimorum in Christo filiorum nostrorum .. Castellae, .. Aragoniae, .. Portugalliae et .. Maioricarum regum illustrium extra regnum Franciae habebat seu etiam possidebat et ad eum poterant quomodolibet pertinere), huiusmodi stipendia assignentur de bonis praedictis, nullum emolumentum negotio Terrae sanctae poterit pervenire nec ordo Hospitalis eiusdem (consideratis aliis oneribus tam debitorum quam aliorum incumbentium sumptuum, quae pro sustinendis conventu et eorum gentibus morantibus in partibus transmarinis habet de necessitate subire) onera stipendiorum huiusmodi posset aliquatenus supportare; et nihilominus dicti archiepiscopi et praelati sibi reservasse dicuntur addendi et minuendi stipendia huiusmodi potestatem. Nos igitur attendentes, quod ex eiusdem Viennensis concilii provida deliberatione processit, quod ex applicatione, concessione et incorporatione dictorum bonorum praefato Hospitali facta magnum emolumentum eiusdem Terrae sanctae negotio perveniret quodque huiusmodi provisio eisdem quondam ordinis Templi fratribus facienda non tam immoderate et superflue fieret, quod tantam partem proventuum dictorum redditum et bonorum absorberet, quod de residuis ut praemittitur praefato Hospitali et eiusdem Terrae sanctae negotio provenire utilitas non valeret: dis-

[1] Reg. Vat. t. 69, f. 51, ep. 158.

[2] Reg. Vat. t. 69, f. 83, ep. 265.

cretioni vestrae, de qua plenam fiduciam gerimus, per apostolica scripta in virtute obedientiae districte praecipiendo mandamus, quatenus taxationes stipendiorum per archiepiscopos et praelatos et quoscumque alios, cuiuscumque status vel conditionis exstiterint, in quibuscunque provinciis seu episcopatibus vel terris aliis ac regum praedictorum factas fratribus quondam ordinis Templi faciatis vobis auctoritate praesentium exhiberi illasque studeatis inspicere diligenter et attendendo, quod dicti quondam Templarii non debent ex provisione huiusmodi thesaurizare nec valde vivere delicate sed tamquam religiosi victum dumtaxat et vestitum consequi opportunum, taxationes et provisiones huiusmodi, quas superfluas et immoderatas fore inveneritis ultra dictorum victus et vestitus sufficientiam opportunam, studeatis auctoritate nostra taliter moderari, quod ex bonis praedictis eidem Terrae sanctae utilitas et profectus adveniat et dictus ordo Hospitalis possit huiusmodi plurima sibi incumbentia onera supportare: omnes excommunicationis, suspensionis et interdicti sententias, quas in dictis provincialibus conciliis vel aliter per dictos archiepiscopos et praelatos in dictos magistrum et fratres ac ecclesias, domus et certa loca ipsorum propter ordinationes et taxationes huiusmodi non solutas inveneritis promulgatas (dummodo pro praeterito, praesenti et futuro tempore iuxta moderationem vestram eisdem fratribus quondam Templi dicti magister et fratres studeant providere), auctoritate praedicta in irritum revocando, contradictores eadem auctoritate, appellatione postposita, compescendo; non obstantibus *etc.* Volumus autem, quod a data praesentium in praemissis omnibus et singulis sit vobis perpetuata potestas et iurisdictio attributa, ac si per citationem vel modum alium legitimum perpetuata extitisset. Quod si *etc.* Datum Avinione, kalendis decembris, anno tertio.

In eundum modum dilectis filiis: .. scolastico ecclesiae et .. priori Praedicatorum ac .. guardiano Minorum fratrum ordinum Tornacensium; .. decano ecclesiae ac .. priori Praedicatorum et .. guardiano Minorum fratrum ordinum Turonensium; .. archidiacono Minoris Caleti in ecclesia Rothomagensi et .. priori Praedicatorum ac .. guardiano Minorum fratrum ordinum Rothomagensium; .. decano ecclesiae ac .. priori Praedicatorum et .. guardiano Minorum fratrum ordinum Parisiensium; .. decano ecclesiae et .. priori Praedicatorum ac .. guardiano Minorum fratrum ordinum Remensium; .. decano ecclesiae et .. priori Praedicatorum ac guardiano Minorum fratrum ordinum Caminensium; .. archidiacono Toarcensi in ecclesia Pictavensi et .. priori Praedicatorum ac .. guardiano Minorum fratrum ordinum Pictavensium; .. decano ecclesiae et .. priori Praedicatorum ac .. guardiano Minorum fratrum ordinum Andegavensium; .. decano ecclesiae et .. priori Praedicatorum ac .. guardiano Minorum fratrum ordinum Magdeburgensium; .. decano ecclesiae et .. priori Praed. ac .. guardiano Minorum fratrum ordinum Coloniensium; .. subdecano ecclesiae ac .. priori Praedicatorum et .. guardiano Minorum fratrum ordinum Leodiensium; .. decano ecclesiae et .. priori Praedicatorum ac .. guardiano Minorum fratrum ordinum Aurelianensium; .. archidiacono et .. cancellario ecclesiae ac .. priori fratrum Praedicatorum Lingonensium; .. decano ecclesiae ac .. priori Praedicatorum et .. guardiano Minorum fratrum ordinum Maguntin.; .. decano ecclesiae et .. priori Praedicatorum ac .. guardiano Minorum fratrum ordinum Viennensium; .. decano ecclesiae et .. priori Praedicatorum ac .. guardiano Minorum fratrum ordinum Lemovicensium; .. decano ecclesiae et .. priori Praedicatorum ac .. guardiano Minorum fratrum ordinum Bisuntin.; .. archidiacono ecclesiae et .. priori Praedicatorum ac .. guardiano Minorum fratrum ordinum Aquensium; .. abbati ecclesiae et .. priori Praedicatorum ac .. guardiano Minorum fratrum ordinum Claromontensium; .. decano ecclesiae ac priori Praedicatorum et .. guardiano Minorum fratrum ordinum Lugdunen.; .. praeposito ecclesiae et .. priori Praedicatorum ac .. guardiano Minorum fratrum ordinum Arelaten.; .. decano ecclesiae et .. priori Praedicatorum ac .. guardiano Minorum fratrum ordinum Eboracensium; .. archidiacono ecclesiae et .. priori Praedicatorum ac .. guardiano Minorum fratrum ordinum Ruthenen.; .. archidiacono ecclesiae et .. priori Praedicatorum ac .. guardiano Minorum fratrum ordinum Bicterensium; .. cancellario ecclesiae et .. priori Praedicatorum ac .. guardiano Minorum fratrum ordinum Londoniensium; .. primicerio ecclesiae et .. priori Praedicatorum ac .. guardiano Minorum fratrum ordinum Neapolitan.; .. archipresbytero ecclesiae et .. priori Praedicatorum ac .. guardiano Minorum fratrum ordinum Mediolanensium; .. maioris ecclesiae et .. Praedicatorum prioribus ac .. guardiano Minorum fratrum ordinum Dublinensium; .. ecclesiae et .. Praedicatorum prioribus ac .. guardiano Minorum fratrum ordinum Cantuariensium; .. archipresbytero ecclesiae et .. priori Praedicatorum ac .. guardiano Minorum fratrum ordinum Bononiensium; .. primicerio ecclesiae Castellanae et .. priori Praedicatorum ac .. guardiano Minorum fratrum ordinum de Venetiis Castellanae diocesis; .. praeposito ecclesiae et .. priori Praedicatorum ac .. guardiano Minorum fratrum ordinum Astensium; .. praeposito ecclesiae et .. priori Praedicatorum ac .. guardiano Minorum fratrum ordinum Senensium; .. archipresbytero ecclesiae et .. priori Praedicatorum ac .. guardiano Minorum fratrum ordinum Tra-

nensium ; .. archipresbytero ecclesiae et .. priori Praedicatorum ac .. guardiano Minorum fratrum ordinum Perusin.; .. praeposito ecclesiae et .. priori Praedicatorum ac .. guardiano Minorum fratrum ordinum Nemausensium; .. praeposito ecclesiae et .. priori Praedicatorum ac .. guardiano Minorum fratrum ordinum Tholosan.; .. thesaurario ecclesiae et .. priori Praedicatorum ac .. guardiano Minorum fratrum ordinum Burdegalensium; .. thesaurario et .. sacristae ecclesiae ac .. guardiano Minorum fratrum ordinum (!) Auxitan.; .. archidiacono de Montepensato ecclesiae et .. priori Praedicatorum ac .. guardiano Minorum fratrum ordinum Caturcensium; .. decano ecclesiae et .. priori Praedicatorum ac .. guardiano Minorum fratrum ordinum Nicosiensium; .. praeposito ecclesiae et .. priori Praedicatorum ac .. guardiano Minorum fratrum ordinum Terraconensium .. archidiacono ecclesiae et .. priori Praedicatorum ac .. guardiano Minorum fratrum ordinum Maioricensium. [1]

348. Excusat se erga Robertum regem Siciliae, quod eius preces de promovendo fr. Petro de Gaieta ad ecclesiam Terracin. non possit implere. [2]

1318, decembris 13, Avinione.

Carissimo in Christo filio Roberti regi Siciliae illustri.

Preces tuas, fili carissime, pro dilecto filio fratre Petro Barevalli de Gaieta ordinis fratrum Minorum ad Terracinen. ecclesiam promovendo nobis nuper oblatas decenter implere non possumus, cum adhuc causa pendeat de electione facta in ipsa ecclesia, et, ubi esset, etiam iam decisa sit, quod, [cum] ecclesia ipsa vacaret in curia, antequam suscepissemus preces tuas huiusmodi, spem alteri dederamus de praeficienda sufficienti persona (et de qua confidere poteris) ipsi ecclesiae, circa quod nequiremus cum decentia variare. Datum ut supra [idibus decembris, anno quarto].

349. Committit ministro provinciali prov. Franciae, quod cum (Blanca) filia regis Franciae, postquam ingressa est monasterium de Longocampo ord. s. Clarae, dispenset in iis, quae non sunt de substantia dicti ordinis. [3]

1319, ianuarii 17, Avinione.

Dilecto filio ministro provinciali ordinis fratrum Minorum provinciae Franciae.

Cum carissima in Christo filia nostra Ioanna regina Franciae et Navarrae, zelo piae devotionis accensa, de consensu et voluntate carissimi in Christo filii nostri Philippi Franciae et Navarrae regis illustris viri sui desideret unam de filiabus suis [4] aeterni regis obsequiis mancipare ipsamque in monasterio de Longocampo ordinis sanctae Clarae Parisien. dioecesis recipi facere in monacham et sororem: nos, pium et laudabile devotionis suae propositum in hac parte plurimum in Domino commendantes eiusque supplicationibus inclinati, devotioni tuae, de qua plenam in Domino fiduciam gerimus, dispensandi cum praedicta filia, quae ut praemittitur in dicto monasterio habitum sumpserit regularem, in omnibus, quae de substantia dicti ordinis non existunt, in quibus tibi visum fuerit expedire, super quo tuam conscientiam volumus onerare, usque ad quinquennium auctoritate praesentium liberam concedimus facultatem. Datum Avinione, XVI kal. februarii, anno tertio.

350. Eidem ministro generali committit, ut praedictae filiae obsequio et instructioni deputet duos fratres Minores. [5]

1319, ianuarii 17, Avinione.

Eidem ministro provinciali.

Eximiae devotionis sinceritas carissimae in Christo filiae nostrae Iohannae Franciae et Navarrae reginae illustris promerere dignoscitur, ut in iis, quae piae postulat, votis eius favorabiliter annuamus. Cum itaque dicta regina .. desideret unam de filiabus suis .. in monasterio de Longocampo recipi facere in monacham et sororem: nos .. devotioni tuae eligendi duos fratres provectae aetatis, maturos moribus et alias ad hoc idoneos, super quo tuam conscientiam oneramus, quos dicta filia, quae .. in dicto monasterio habitum sumpserit regularem, possit habere in dicto monasterio ad instruendam eam, non obstantibus *etc.*, auctoritate praesentium concedimus facultatem. Datum Avinione, XVI kal. februarii, anno tertio.

351. Ioannae reginae Franciae concedit, quod ad filiam monasterium de Longocampo ord. s. Clarae ingressam possit mittere duas mulieres eam visitandi causa. [6]

1319, ianuarii 17, Avinione.

Carissimae in Christo filiae Ioannae reginae Franciae et Navarrae illustri.

Eximiae tuae devotionis sinceritas promeretur,

[1] Die 1 aug. 1324 eadem commissio fit .. cantori ecclesiae et .. priori Praedicatorum ac .. guardiano Minorum fratrum Salamantin. (Reg. Vat. t. 77, ep. 1702).

[2] Reg. Vat. t. 190, f. 232, ep. 874. Hic Petrus idem esse videtur atque ille Petrus « Borbelli », qui 1320 ian. 15, cum esset lector in conventu Adversano, promovetur in episcopum Calinen. (cfr. infra n. 598).

[3] Reg. Vat. t. 69, ep. 295*a*, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 52.

[4] Blancam, minorem natu liberorum dicti regis, tum decimum circiter annum agentem. Cfr. infra nn. 361-365.

[5] Reg. Vat. t. 68, ep. 295*b*, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 53.

[6] Reg. Vat. t. 69, ep. 295*c*, apud *Wadd.* l. c. n. 54.

ut in iis, quae pie postulas, votis tuis favorabiliter annuamus. Cum itaque, sicut habet petitionis tuae assertio, tu .. desideras unam de filialibus tuis in annis puerilibus constitutam .. in monasterio de Longocampo .. recipi facere in monacham et sororem: nos .., quod duas mulieres honestas ad visitandam dictam filiam tuam et confortandam eam in dicto monasterio, quoties tibi visum fuerit expedire, et referendam tibi certitudinem status sui valeas destinare, dictaeque mulieres cum ipsa dictum monasterium valeant introire, non obstantibus quibuscunque statutis et consuetudinibus *etc.*, excellentiae tuae usque ad biennium auctoritate praesentium duximus concedendum. Datum Avinione, XVI kal. februarii, anno tertio.

352. Eidem reginae concedit, quod, cum filia ipsius ingressa fuerit monasterium de Longocampo, possit eam visitare et ibidem pornoctare. [1]

1319, ianuarii 17, Avinione.

Eidem reginae.

Celsitudinis tuae merita promerentur, ut in iis, quae pie postulas, votis tuis favorabiliter annuamus. Habet siquidem tuae petitionis assertio, quod tu .. desideras, unam de filiabus tuis .. in monasterio de Longocampo recipi facere in monacham et sororem: nos .., quod cum decenti comitiva honestarum mulierum possis, cum praedicta filia tua recipietur et etiam postquam recepta fuerit in monasterio memorato, dictum monasterium introire et ibi etiam pernoctare, quotiescumque volueris, quamdiu praedicta filia erit ibi, non obstantibus quibuscumque statutis *etc.*, auctoritate praesentium indulgemus. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, XVI kal. februarii, anno tertio.

353. Eidem reginae concedit, quo filia ipsius monasterium de Longocampo ingressa possit secum habere duas mulieres saeculares. [2]

1319, ianuarii 18, Avinione.

Eidem reginae.

Eximiae tuae devotionis sinceritas promeretur, ut petitiones tuas, quantum cum Deo possumus, ad exauditionis gratiam favorabiliter admittamus. Cum itaque, sicut habet petitionis tuae assertio, tu .. desideras, unam de filiabus tuis .. in monasterio de Longocampo recipi facere in monacham et sororem: nos .. eidem filiae, quae ut praemittitur in dicto monasterio saeculi vanitate relicta habitum sumpserit regularem, habendi secum in dicto monasterio duas mulieres honestas in habitu saeculari in iuvenilis aetatis suae solamen, usque ad biennium a receptionis suae tempore numerandum, non obstantibus quibuscumque statutis *etc.*, concedimus facultatem. Datum Avinione, XV kalendas februarii, anno tertio.

354. Inhibet universis praelatis, ne molestent fratres et sorores tertii ordinis sancti Francisci. [3]

1319, februarii 23, Avinione.

Venerabilibus fratribus universis patriarchis, archiepiscopis et episcopis, ac dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, archipresbyteris aliisque praelatis et rectoribus ecclesiarum.

Etsi apostolicae sedis auctoritas tueri debeat, quae apud ipsam meruerunt approbationis praesidio communiri, ad curam tamen dictae sedis specialius pertinere dignoscitur, ut religionis, per quam ad divini nominis laudem tenditur et salus fidelium impetratur, status per sedem approbatus eamdem inviolabiliter perseveret, religionem huiusmodi approbatam manutenere favorabiliter et efficaciter defensare, ita quod impugnationis cuiuslibet cessante turbine personae religionis eiusdem liberis clarisque mentibus vacare valeant divinis beneplacitis exequendis. Sane dilecti filii minister et fratres ordinis Minorum nuper in nostra et fratrum nostrorum praesentia fecere proponi, quod, licet tertius ordo fratrum et sororum, qui « continentes » seu « de poenitentia » nuncupatur, a beato Francisco institutus et a sede praefata iamdudum approbatus et confirmatus ac etiam communitus diversis privilegiis extitisset, dictique fratres et sorores ipsius tertii ordinis sub cura et doctrina eorumdem fratrum Minorum iuxta tenorem ordinationis a piae memoriae Nicolao papa IV praedecessore nostro super hoc factae [4] vixerint et vivant in observantia regulae tertii ordinis antedicti: nonnulli tamen praelati et rectores ecclesiarum, civitatum et dioecesum diversarum, praesertim in Alemanniae partibus constituti, constitutionem, per quam felicis recordationis Clemens papa V praedecessor noster quarumdam mulierum, quae vulgariter nuncupantur Beguinae, quae non profitebantur aliquam regulam approbatam, religionem aut statum ex causis rationabilibus in constitutione ipsa expressis in concilio Viennensi per eum celebrato perpetuo prohibuit ac illum ab ecclesia Dei penitus abolevit, [5] ad dictos fratres et sorores de poenitentia perperam extendere innitentes, eiusdem constitutionis praetextu eosdem fratres et sorores de poenitentia ad dimit-

---

[1] Reg. Vat. t. 69, ep. 295*e*, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 55.

[2] Reg. Vat. t. 69, ep. 295*d*, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 56.

[3] Reg. Vat. t. 69, ep. 359, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 57.

[4] Cfr. huius op. t. IV, p. 94.

[5] Cfr. Clem. tit. XI, cap. 1 *Quum de quibusdam.*

tendum habitum atque statum huiusmodi regulae ipsorum per excommunicationis et interdicti sententias aliasque poenas indebite conati sunt et conantur iugiter coarctare, in ipsos fratres et sorores de poenitentia pro eo, quod in iis non paruerunt eisdem, sicut nec etiam debuerunt, de facto excommunicationum proferendo sententias aliaque diversa ipsis gravamina inferendo; praetendunt quoque iidem praelati et rectores minus veraciter, dictos fratres Minores ex eo fautores existere personarum damnatarum per constitutionem eamdem, quia eisdem fratribus et sororibus de poenitentia communicant et eos recipiunt ad divina, et propter hoc ipsos fratres Minores per constitutionem eamdem excommunicationis sententiam incurrisse [aestimantes] illos excommunicatos denunciant et sententiam ipsam aggravant contra eos, civitates et loca, in quibus dicti fratres Minores inhabitant, ecclesiastico interdicto supponunt ac eis eleemosynas ac alia vitae subsidia subtrahunt et ab aliis subtrahi faciunt, ipsosque alias multipliciter gravant, appellationibus etiam pro parte dictorum fratrum et sororum de poenitentia et fratrum Minorum ad ipsam sedem interiectis propterea vilipensis. Quare pro parte dictorum ministri, et fratrum nobis extitit humiliter supplicatum, ut providere in hac parte de celeri et opportuno remedio dignaremur. Cum itaque constitutio supradicta ad ipsos fratres et sorores tertii ordinis minime se extendat, universitati vestrae de fratrum nostrorum praedictorum consilio per apostolica scripta mandamus, quatenus memoratos fratres et sorores de tertio ordine praelibato vel fratres Minores seu quosvis alios occasione praemissa nullatenus molestetis nec permittatis ab aliis quomodolibet molestari, nisi contingeret per sedem apostolicam aliud ordinari, et ne super his secus faciatis, districtius inhibemus. Nos enim, quidquid a praelatis et rectoribus supradictis vel quibuslibet aliis contra praelibatos fratres et sorores ipsius tertii ordinis vel aliquos eorumdem seu contra fratres Minores aut alios huiusmodi praetextu attentatum forsitan est hactenus vel a vobis seu quibuslibet aliis contigerit attentari ex nunc, nullius omnino decernimus existere firmitatis, dictosque fratres Minores in admittendo ad divina ipsos fratres et sorores tertii ordinis et communicando eis, ut praefertur, praelibatae constitutioni minime derogasse. Datum Avinione, VII kal. martii, anno tertio.

355. Concedit Clarissis de Villacomitis, quod possint habere possessiones, bona, iura, quae eis debentur iure haereditario. [1]

1319, februarii 27, Avinione.

Dilectis in Christo filiabus abbatissae et conventui monasterii s. Clarae de Villacomitis ordinis eiusdem sanctae Bracharen. dioecesis.

Apostolicae sedis circumspecta benignitas solet nonnunquam illas, quae relictis mundanis illecebris acceptisque lampadibus obviam ire Christo sponso se parant, tanto propensiori studio prosequi, quanto maiori eas propter fragilitatem sexus conspicit suffragio indigere. Hinc est, quod nos monasterium vestrum, in quo, sicut fide digna relatione percepimus, devotum impenditis Altissimo iugiter famulatum, et personas in ipso degentes piis affectibus prosequentes, illa vobis libenter concedimus, per quae vacare divinis obsequiis eisque insistere liberius et commodius valeatis. Vestris itaque et dilecti filii nobilis Alfonsi, nati clarae memoriae Dionysii regis Portugalliae, et dilectae in Christo filiae nobilis mulieris Tharasiae, eius uxoris, apostolicae sedis in hac parte gratiam implorantium, supplicationibus inclinati, ut de cetero possessiones, iura et alia bona temporalia pro sustentatione vestra habere quodque tam parentibus et linea consanguinitatis coniunctis monialibus et sororibus vestris ad ipsum monasterium vestrum (mundi vanitate relicta) convolantibus et professionem facientibus in eodem quam aliis quibuscumque personis in bonis ac rebus mobilibus et immobilibus iure successionis vel quocumque alio iusto titulo succedere, ac si eaedem moniales et sorores remanentes in saeculo succedere potuissent, ipsasque res et bona petere, exigere et retinere libere possitis, dummodo in his regula vestri ordinis non repugnet, auctoritate vobis praesentium indulgemus. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, III kal. martii, anno tertio.

356. Eisdem Clarissis concedit, ut liberam habeant sepulturam. [2]

1319, februarii 27, Avinione.

Eisdem.

Ex virtutum vestrarum meritis, per quae divinis iugiter vacatis obsequiis, incitamur, ut vos ac monasterium vestrum paternis affectibus prosequentes ad illa libenter intendamus, quae vestris votis sint placida et eiusdem monasterii respiciant incrementa. Ex tenore siquidem nobilis viri Alphonsi Sanctii, nati clarae memoriae Dionysii regis Portugalliae, et dilectae in Christo filiae nobilis mulieris Tharasiae, eius uxoris, petitionis accepimus, quod ipsi zelo devotionis accensi, cupientes transi-

[1] Reg. Vat. t. 69, ep. 374, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 58; cfr. supra n. 313 et infra n. 356.

[2] Reg. Vat. t. 69, ep. 579, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 59; cfr. supra n. 355.

toria pro aeternis et temporalia pro coelestibus salubri commercio commutare, in Villacomitis Bracharen. dioec., in qua iurisdictionem obtinent temporalem, ad Dei honorem et beatae Clarae virginis laudem dictique regis et eorum remedium animarum vestrum monasterium de bonis propriis fundaverunt, venerabilis fratris nostri archiepiscopi loci dioecesani et dilectorum filiorum capituli Bracharen. ad id accedente consensu. Verum quia propter magnam religionis observantiam, quae ex vestris operibus in ipso monasterio vigere dignoscitur, praecipua devotione a fidelibus veneratur, nos volentes in monasterio ipso, quod propterea pio affectu diligimus, huiusmodi devotionem fidelium adaugeri, dictorum nobilium et vestris supplicationibus inclinati, ut coemeterium et liberam sepulturam ad sepeliendum ibidem, postquam benedictum extiterit, tam vestra quam aliorum fidelium corpora, qui voluerint et elegerint inibi sepeliri, quemadmodum monasterium de Santarena eiusdem ordinis Ulixbonen. dioec. obtinere dignoscitur, habere libere et licite valeatis, quacunque constitutione contraria non obstante, auctoritate vobis praesentium indulgemus, iure parochialium ecclesiarum in omnibus semper salvo. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, III kal. martii, anno tertio.

357. Declarat, guardianum aliosque fratres Minores Carcassonenses non impedivisse executionem sententiae contra ossa quondam Castelli Fabri haeretici latae. [1]

1319, martii 15, Avinione.

Dilectis filiis Petro Vitalis guardiano, Arnaldo Gheminarii et Petro de Montelongo ordinis fratrum Minorum Carcassonensium.

Officii nostri debitum exigit, ut, quae iustitiae convenire perspicimus, exequamur. Sane in nostra et fratrum nostrorum praesentia propositum extitit, quod corpus quondam Castelli Fabri civis Carcassonensis in loco fratrum vestri ordinis Carcassonae sepultum fuit quadraginta annis et amplius iam elapsis, [2] sed comperto pridem, quod dictus Castellus haeretica fuerat labe respersus, dilectus filius Ioannes de Belna ordinis fratrum Praedicatorum, in illis partibus inquisitor haer. prav. per sedem apostolicam deputatus, pronuntiavit sententialiter, ossa, quae dicti corporis fuerant, exhumanda fore ac incendio, si discerni possent ab aliis fidelium ossibus, concremanda. Cumque perlatum ad nostram audientiam extitisset, quod vos, ne in eisdem ossibus ipsius Castelli talis executio fieri posset, illa commiscueratis cum aliis ossibus fidelium eorundem et alias impedimentum praebueratis, ne dicti inquisitoris pronuntiatio huiusmodi executioni debitae mandaretur, nos scire volentes, an praedicta per vos fuissent operibus adimpleta, et in vos animadvertere, si vos super hiis invenissemus culpabiles extitisse, huiusmodi negotium examinavimus diligentius; et quia per huiusmodi examinationem invenimus, quod tam fidelium quam Castelli praefatorum ossa eadem diu ante pronuntiationem huiusmodi simul fuerant diversis temporibus et locis absque culpa vestra commixta, vosque in executione praedicta facienda impedimentum aliquod nullatenus praestitisse, sicut nobis minus veridica fuerat insinuatione suggestum: vos in hac parte de fratrum nostrorum praedictorum consilio omnino inculpabiles reputamus vosque decernimus nulla propter hoc nota infamiae maculatos. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, idibus martii, anno tertio. [3]

358. Margaritae comitissae de Claromonte concedit facultatem construendi unum locum ad usum fratrum Minorum. [4]

1319, martii 19, Avinione.

Dilectae filiae nobili mulieri Margaritae comitissae de Claromonte Anglonen. dioecesis.

Exposita siquidem nobis pro parte tua petitio continebat, quod tu in castro Senesii Anglonen. dioec., in quo quondam Hugo comes Claromontis frater tuus extitit interfectus, quemdam locum ordinis fratrum Minorum in fundo proprio ad honorem Dei et beati Francisci ac remissionem peccatorum dicti Hugonis intendis de novo construere et construi facere tuis sumptibus et expensis. [5] Quare pro parte tua fuit nobis humiliter supplicatum, ut construendi dictum locum in eodem castro tibi auctoritate apostolica licentiam concedere dignaremur. Nos itaque obtentu dilecti filii nobilis viri Thomasii de sancto Severino comitis Marsici, soceri tui, nobis super hoc humiliter supplicantis, volentes tuis votis annuere in hac parte, tibi, ut eumdem locum accommodum de novo in dicto castro, si ministro provinciali eiusdem ordinis expediens videbitur, construere et construi facere

---

[1] Reg. Vat. t. 69, f. 124, ep. 389.

[2] V. supra notam (1, pag. 20) ad n. 34.

[3] Hanc bullam auctor libri « Bernard Délicieux », de quo diximus supra n. 34, non cognovisse videtur; nam eius mentionem non fecit, quamquam p. 140 n. 1 expensas retulit, quae pro exhumandis et comburendis ossibus Guillelmi Andreae, Guilelmi Borelli et Petri Borelli apud fratres Minores Carcassonen. sepultorum, quos inquisitor haer. prav. postmodum haeretica labe conspersos declaravit, sunt factae.

[4] Reg. Vat. t. 69, ep. 450, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 60.

[5] Haec fundatio peracta esse non videtur; nam dictus locus infra provinciam s. Angeli, in qua requirendus esset, non invenitur in provinciali fratrum Min. circa a. 1340 conscripto.

libere valeas, auctoritate praesentium plenam et liberam concedimus facultatem, constitutione felicis recordationis Bonifatii papae VIII praedecessoris nostri super hoc edita in contrarium non obstante. Datum Avinione, XIV kal. aprilis, anno tertio.

359. Ioannae reginae Franciae concedit, quod duos fratres Minores possit constituere executores ultimae voluntatis. [1]

1319, martii 27, Avinione.

Carissimae in Christo filiae Ioannae reginae Franciae et Navarrae illustri.

Quia fragilis humanae naturae conditio statum habet instabilem et incertum, tu hoc salubri meditatione praemeditans diem tuae peregrinationis extremum dispositione testamentaria desideras praevenire. Quare nobis humiliter supplicasti, ut, cum fratres ordinis Minorum ab annis teneris confessores habueris et in iis, quae pertinent ad fidem et mores, laudabiles instructores, et ob ipsorum fidelitatem expertam intendas aliquos de dictis fratribus una cum aliis saecularibus personis executores constituere tuae ultimae voluntatis, eisdem fratribus, quos ut praemittitur in huiusmodi tua ultima voluntate executores institues, assumendi officium huiusmodi ac etiam exequendi facultatem concedere dignaremur. Nos itaque tuis in hac parte supplicationibus annuentes, devotioni tuae, quod duos fratres dicti ordinis sub propriis vel officiorum suorum nominibus, possis executores instituere huiusmodi tuae ultimae voluntatis, ipsique fratres onus executionis huiusmodi in se suscipere valeant, prosequi et adimplere, alterius sui superioris in hoc licentia non petita, felicis recordationis Bonifatii papae VIII *etc.*, de gratia concedimus speciali. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, VI kal. aprilis, anno tertio.

360. Eidem reginae concedit, quod fratres Minores in comitiva ipsius possint ingredi monasteria sororum inclusarum. [2]

1319, martii 27, Avinione.

Carissimae in Christo filiae Ioannae reginae Franciae et Navarrae illustri.

Eximiae tuae devotionis sinceritas, quam ad nos et sedem apostolicam habere dignosceris, promeretur, ut petitionibus tuis, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Sane petitio tua nobis exhibita continebat, quod nos dudum, ut monasteria sororum inclusarum ordinis sanctae Clarae seu Minorissarum cum decenti comitiva causa devotionis ingredi posses, celsitudini tuae per nostras certi tenoris litteras duximus concedendum. Quare nobis humiliter supplicasti, ut, cum fratribus ordinis Minorum per statuta dictorum ordinum et specialia apostolicae sedis privilegia sit prohibitum, ne dicta monasteria intrare praesumant, quod praedictum verbum « comitivae decentis » ad fratres dicti ordinis, qui in tua comitiva fuerint, se extendat, concedere dignaremur. Nos igitur tuis in hac parte supplicationibus inclinati, quod verbum « comitivae decentis » in praedictis litteris nostris insertum ad fratres dicti ordinis, dummodo fuerint vitae laudabilis et conversationis honestae et in tua extiterint comitiva, praedictis statutis et privilegiis contrariis nequaquam obstantibus, se extendat, devotioni tuae auctoritate apostolica indulgemus. Nulli ergo *etc.* Datum ut supra.

361. Eidem reginae concedit, quod Blanca filia ipsius monasteriorum de Longocampo ingressa possit uti pelliceis et iacere in lecto plumeo usque ad pubertatem. [3]

1319, martii 27, Avinione.

Eidem reginae.

Cum carissimus in Christo filius noster Philippus Franciae et Navarrae rex illustris et tu, zelo piae devotionis accensi, dilectam in Christo filiam Blancam natam vestram cupientes ab annis teneris Regis regum obsequiis mancipare, sibi habitum sororum ordinis sanctae Clarae in monasterio de Longocampo dicti ordinis Parisien. dioecesis feceritis exhiberi, ne dictae Blancae, quae adhuc est in aetate tenera constituta, reddatur difficile observantias dicti ordinis in aetate huiusmodi supportare, tuis supplicationibus inclinati, eidem Blancae pelliceis utendi et iacendi in lecto plumeo, quousque ad annos pervenerit pubertatis, non obstantibus eiusdem ordinis contrariis *etc.*, duximus indulgendum. Nulli ergo *etc.* Datum ut supra.

362. Eidem reginae concedit, quod medicus et confessor ipsius possint ire ad eandem Blancam et prospicere eius statui. [4]

1319, martii 27, Avinione.

Eidem reginae.

Eximiae tuae devotionis sinceritas, quam ad nos et Romanam geris ecclesiam, promeretur, ut petitionibus tuis, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Hinc est, quod nos tuis supplicationibus inclinati, quod medicus liberorum tuorum ac confessor tuus de ordine fratrum Minorum

---

[1] Reg. Vat. t. 69, ep. 555*a*, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 61; cfr. supra n. 314.

[2] Reg. Vat. t. 69, ep. 558 apud *Wadd.* l. c., reg. pont. Io. XXII, n. 66. Cfr. supra n. 226.

[3] Reg. Vat. t. 69, ep. 555*d*, apud *Wadd.* l. c., reg. pont. Io. XXII, n. 64. Cfr. supra nn. 349-354.

[4] Reg. Vat. t. 69, ep. 555*c*, apud *Wadd.* l. c., reg. pont. Io. XXII, n. 63.

vel quicumque alius, quem in confessorem imposterum duxeris eligendum, possint, cum eis vel eorum alteri mandaveris, dilectam in Christo filiam sororem Blancam natam tuam intra clausuram monasterii de Longocampo ordinis sanctae Clarae Parisien. dioec., vel ubicumque manserit, visitare, dummodo inibi non comedant nec pernoctent, non obstantibus *etc.*, indulgemus. Nulli ergo *etc.* Datum ut supra.

363. Eidem reginae concedit, quod possit mittere unum de capellanis suis ad Blancam natam suam in monasterio de Longocampo existentem ad referendum sibi statum ipsius. [1]

1319, martii 27, Avinione.

Eidem reginae.

Eximiae tuae devotionis sinceritas promeretur, ut in iis, quae pie postulas, desideriis tuis favorabiliter annuamus. Hinc est, quod nos tuis supplicationibus inclinati devotioni tuae destinandi unum de capellanis tuis, quem ad hoc elegeris, ad dilectam in Christo filiam sororem Blancam, natam tuam, quam in monasterio de Longocampo ordinis sanctae Clarae Parisien. dioecesis divinis obsequiis mancipasti, ad investigandum et referendum tibi statum ipsius, quando et quoties tibi placuerit, quousque dicta Blanca ad annos pervenerit pubertatis, dictoque capellano praedictum vel aliud monasterium dicti ordinis, ubi morari dictam Blancam contigerit, usque ad tempus praedictum libere intrandi, ita tamen, quod ibi non comedat nec pernoctet, non obstantibus *etc.*, auctoritate praesentium indulgemus. [2] Nulli ergo *etc.* Datum ut supra.

364. Concedit ministro generali ord. Minorum, quod eidem Blancae monasterium de Longocampo ingressae det licentiam secum tenendi duas mulieres saeculares. [3]

1319, martii 27, Avinione.

Dilecto filio ministro generali ordinis fratrum Minorum.

Cum carissimus in Christo filius noster Philippus rex et carissima in Christo filia nostra Ioanna regina Franciae et Navarrae illustres, zelo laudabilis voluntatis accensi, dilectam in Christo filiam Blancam natam eorum cupientes ab annis teneris Regis regum servitiis mancipare, sibi habitum sororum ordinis sanctae Clarae in monasterio de Longocampo dicti ordinis Parisien. dioec. fecerint exhiberi, sibique ipsorum obtentu per litteras nostras habendi secum usque ad biennium, a data litterarum ipsarum computandum, duas mulieres saeculares honestas duxerimus concedendam facultatem: nos eiusdem reginae, quae in hac parte cum instantia nos rogavit, supplicationibus inclinati, discretioni tuae concedendi auctoritate nostra dictae Blancae, quod, donec quartum decimum annum aetatis suae compleverit, dictas mulieres honestas secum habere valeat, si videris expedire, non obstantibus *etc.*, tribuimus facultatem. Datum ut supra.

364.ᵃ Concedit Matildi comitissae Atrebaten. et Ioannae ducissae Burgundiae licentiam visitandi eandem Blancam. [4]

1319, martii 27, Avinione.

Dilectis in Christo filiabus nobilibus mulieribus Matildi comitissae Atrebaten. et Iohannae ducissae Burgundiae.

Desideriis vestris in hiis libenter annuimus, quae ad animarum vestrarum salutem cedere dignoscuntur. Hinc est, quod nos vestris devotis supplicationibus inclinati vobis et cuilibet vestrum, ut monasterium sororum inclusarum de Longocampo ordinis sanctae Clarae Parisien. dioec. ad visitandum dilectam in Christo filiam Blancam, natam carissimi in Christo filii nostri Philippi regis et car. in Chr. filiae nostrae Iohannae reginae Franciae et Navarrae illustrium, cuius tu Matildis avia et tu Iohanna soror existis, cum honesta comitiva intrare possitis, ita tamen, quod inibi non comedatis nec etiam pernoctetis (non obstantibus eiusdem ordinis quibuscumque statutis et consuetudinibus contrariis, auctoritate sedis apostolicae vel quacumque firmitate alia roboratis), tenore praesentium indulgemus. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, VI kal. aprilis, anno tertiio.

365. Episcopos infra nominatos instituit conservatores iurium et privilegiorum ordini fratrum Minorum concessorum. [5]

1319, aprilis 26, Avinione.

Venerabilibus fratribus archiepiscopo Bisuntino et Meten. ac Herbipolen. episcopis.

Dilectos filios ministrum generalem et fratres ordinis Minorum, qui in decore sanctae religionis virtutum Domino famulantes ac crucifigentes cum vitiis et concupiscentiis carnem suam ad divinae maiestatis obsequia trahunt alios per exemplum,

---

[1] Reg. Vat. t. 69, ep. 555*b*, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 62.

[2] *Vel rectius:* concedimus facultatem.

[3] Reg. Vat. t. 69, ep. 557, apud *Wadd.* l. c. n. 65. Cfr. supra n. 353.

[4] Reg. Vat. t. 69, ep. 559. De illa Matildi cfr. supra n. 227; haec Ioanna, soror Blancae Clarissae, erat uxor Othonis IV ducis Burgundiae. Aliae sorores erant Margarita, postmodum uxor Ludovici de *Crécy* comitis Flandriae, et Isabella, quae postmodum Guigoni VIII dalphino Viennensi et eo mortuo Ioanni baroni de *Faucogney* nupsit (cfr. infra n. 414 et 415). Unicus earum frater, Ludovicus, obiit, quum esset infans.

[5] Reg. Vat. t. 69, ep. 1551, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 67. Cfr. supra n. 346.

infra pietatis apostolicae ubera complectentes, dignum esse conspicimus eos congruis praesidiis communiri, ut eo devotius quo quietius famulentur pacis auctori. Cum itaque, sicut ex parte dictorum ministri generalis et fratrum fuit propositum coram nobis, ipsi a nonnullis, qui nomen Domini in vanum recipere non formidant, diversis et gravibus iacturis, iniuriis, violentiis et molestiis in diversis mundi partibus extra regnum Franciae affligantur, nos eorundem ministri et fratrum providere quieti et malignorum conatibus obviare volentes, fraternitati vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios, etiamsi sint extra loca, in quibus deputati estis conservatores et iudices, eisdem ministro et fratribus efficacis defensionis praesidio assistentes non permittatis eosdem a praedictis vel quibuscumque aliis indebite molestari vel eisdem damna, violentias, iniurias et molestias irrogari, facturi eisdem ministro et fratribus, cum ab eis vel procuratore aut procuratoribus eorum fueritis requisiti, de praedictis et aliis personis quibuslibet de quibuscumque molestiis, violentiis, iniuriis atque damnis praesentibus et futuris (in illis videlicet, quae iudicialem requirunt indaginem, de plano summarie sine strepitu et figura iudicii, in aliis vero, prout qualitas ipsorum exegerit) iustitiae complementum: molestatores, praesumptores et iniuriatores huiusmodi necnon contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscumque dignitatis, status, ordinis vel conditionis extiterint, etiamsi pontificali praefulgeant dignitate, quandocumque et quotiescumque expedierit, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, non obstantibus *etc.* Ceterum volumus et auctoritate apostolica decernimus, quod quilibet vestrum prosequi valeat articulum etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonico impeditus, quodque a data praesentium sit vobis et unicuique vestrum in praemissis omnibus et eorum singulis coeptis et non coeptis, praesentibus et futuris, perpetuata potestas et iurisdictio attributa, ut eo vigore eaque firmitate possitis in praemissis omnibus coeptis et non coeptis, praesentibus et futuris, et pro praedictis procedere, ac si praedicta omnia et singula coram vobis coepta fuissent, et iurisdictio vestra et cuiuslibet vestrum in praedictis omnibus et singulis per citationem vel modum alium legitimum perpetuata extitisset, constitutione praedicta super conservatoribus et alia qualibet in contrarium edita non obstante. Datum Avinione, VI kalendas maii, anno tertio.

In eundem modum venerabilibus fratribus: Colonien. et Treveren. archiepiscopis et episcopo Traiecten.; archiepiscopo Magdeburgen. et Ildesemen. ac Caminen. episcopis; archiepiscopo Maguntino et Bambergen. ac Constantien. episcopis; Leodien. et Monasterien. ac Minden. episcopis; Wratislavien. et Nuemburgen. ac Warmien. episcopis; Bisuntin. et Viennen. archiepiscopis ac episcopo Gratianopolitan.; archiepiscopo [H]ispalen. et Abulen. ac Calaguritan. episcopis; archiepiscopo Toletan. et Burgen. ac Palentin. episcopis; archiepiscopo Compostellan. et Ulixbonen. ac Lamecen. episcopis; archiepiscopo Bracharen. et Mindonien. ac Legionen. episcopis; archiepiscopo Mediolanen. et Cuman. ac Vercellen. episcopis; archiepiscopo Cassellen. et Laonien. ac Coneren. episcopis; archiepiscopo Neapolitan. et Isernien. ac Gaietan. episcopis; Esculan. et Auximan. ac Pensaurien. episcopis; Spoletan. et Perusin. ac Assisinaten. episcopis.

366. Friderico archiepiscopo Rigen. (ex ord. Minorum) concedit facultatem testandi. [1]

1319, maii 3, Avinione.

Venerabili fratri Friderico [2] *archiepiscopo Rigen.*

Quia praesentis vitae conditio *etc. m. m. ut supra n. 216.* Datum Avinione, V nonas maii, anno tertio.

367. Concedit indulgentias visitantibus capellam s. Ludovici confessoris sitam in ecclesia fratrum Minorum Cenomanen. [3]

1319, iunii 1, Avinione.

Universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis.

Ante thronum divinae clementiae fideles Christi sanctorum piis adiuti suffragiis ad eorum festiva colenda solemnia eo debent ferventius excitari, quo sanctorum ipsorum fulti praesidiis potiora retributionis aeternae praemia promerentur. Nos quoque vigilis more pastoris oves gregis Dominici curae nostrae commissas, quas cupimus in loco pascuae collocari, libenter ad eorumdem sanctorum solemnitates annuas invitamus, ut vanis illecebris abdicatis illos in conspectu Domini devota veneratione collaudent. Rogamus itaque universitatem vestram et hortamur in Domino in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatenus ad capellam constructam in honorem beati Ludovici confessoris, sitam in ecclesia fratrum Minorum Cenomanen. [4]

---

[1] Reg. Vat. t. 67, ep. 611, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 68.
[2] Cfr. supra nn. 31, 166, 175, 305.
[3] Reg. Vat. t. 69, ep. 727, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 69.
[4] *Le Mans* in custodia Aurelianensi prov. Turoniae.

imploraturi a Domino veniam delictorum in humilitate spiritus accedatis; nos enim, ut Christi fideles quasi per praemia salubriter invitemus ad merita, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui capellam ipsam in festo ipsius confessoris visitaverint annuatim, unum annum, illis vero, qui ad capellam eamdem per octo dies festivitates ipsas immediate sequentes accesserint, centum dies de iniunctis eis poenitentiis misericorditer in Domino relaxamus. Datum Avinione, kal. iunii, anno tertio.

368. Obriam monialem praeficit monasterio Condomien. ord. s. Clarae in abbatissam. [1]

1319, iunii 18, Avinione.

Dilectae in Christo filiae Obriae abbatissae monasterii sanctae Clarae Condomiensis ordinis eiusdem sanctae.

Debitum officii nostri requirit *etc.* Dudum siquidem monasterio sanctae Clarae Condomiensi [2] ordinis eiusdem sanctae, cui tunc praesidebas, per liberam resignationem tuam (ex certis causis factam in manibus .. vicarii .. ministri provincialis ordinis fratrum Minorum Aquitaniae, cui Minorum ordini cura eiusdem ordinis sanctae Clarae est apostolica auctoritate commissa) vacante, dilectae in Christo filiae conventus eiusdem monasterii vocatis omnibus, quae debuerunt, voluerunt et potuerunt commode interesse, die pro facienda electione abbatissae futurae praefixa, ut moris est, convenientes in unum ac Spiritus sancti gratia invocata, deliberantes, fore ad id per viam scrutinii procedendum, ex ipsis tres fidedignas personas, videlicet Navarram de sancto Petro, comitissam de Pinibus et Geraldam de Arquerio, ipsius monasterii moniales scrutatrices votorum suorum et omnium aliarum dicti monasterii monialium ibidem praesentium concorditer assumpserunt. Cumque scrutatrices ipsae secedentes in partem primo sua et deinde singularum monialium eiusdem monasterii ibidem adstantium vota [3] secreto et si[n]gillatim diligentius inquisissent eaque in scriptis redacta publicassent, illico in communi collatione super hoc habita diligenter compertum est, quod maior et sanior pars dicti conventus, quae pro celebranda electione ipsa convenerant, in te monialem eiusdem monasterii ordinem ipsum expresse professam direxerat [4] vota sua, dictaque Navarra suo, collegarum suarum et aliarum monialium praedictarum nomine, de ipsarum voluntate et expresso mandato ac ex potestate eis a conventu praefatis super hoc tradita, te elegit in abbatissam monasterii memorati et electionem ipsam conventu ipso praesentibus sollemniter publicavit, reliqua parte earundem conventus vota sua in personam aliam minime dirigente; tuque postmodum ad ipsarum conventus instantiam electioni huiusmodi de te factae consensisti, et quamvis tam pro parte tua quam eiusdem conventus a dilecto filio .. dicti ministri vicario, ad quem ministro praedicto absente confirmatio electionis [5] eiusdem monasterii cum vacat pertinere dicitur, ut electionem confirmaret praedictam, fuisset cum instantia humiliter postulatum, idem vicarius electionem ipsam confirmare pro suae voluntatis libito recusavit. Propter quod incommoda et alia [6] gravamina tibi et conventui praedicto sunt inlata, per eum etiam comminata. Quare pro parte tua et eiusdem conventus ad sedem apostolicam extitit appellatum et deinde tam tu quam dictae conventus pro huiusmodi negotio prosequendo certos procuratores et nuncios specialiter ad sedem eandem destinastis. Proposito itaque huiusmodi negotio in concistorio coram nobis et fratribus nostris fecistis nobis humiliter supplicari, ut confirmare electionem huiusmodi dignaremur, in praemissis omnibus statutis a iure temporibus observatis. Nos igitur negotium ipsum venerabili fratri nostro Berengario episcopo Portuensi audiendum et examinandum commisimus oraculo vivae vocis nobisque postmodum referendum; demum facta nobis ab eodem episcopo super hoc relatione fideli, quia invenimus electionem eandem de te aetatis legitimae, cui de religionis [zelo], vitae munditia, honestate morum et aliarum virtutum meritis fidedignorum testimonia perhibentur, canonice celebratam, eam auctoritate apostolica de praedictorum fratrum consilio et apostolicae potestatis plenitudine confirmamus, praeficientes te in abbatissam monasterii supradicti, administrationem ipsius tibi plenarie committendo. Suscipiens itaque impositum a Domino tibi onus, sic dicti monasterii regimen gerere studeas fideliter et solerter, quod idem monasterium tui regiminis tempore, divino tibi assistente suffragio, spiritualiter et temporaliter valeat adaugeri et bonae famae tuae odor ex laudabilibus tuis actibus latius diffundatur, ac praeter benedictionis aeternae praemium apostolicae sedis gratiam uberius exinde consequi merearis. Datum Avinione, XIII kalendas iulii, anno tertio.

In eumdem modum dilectis in Christo filiabus conventui monasterii sanctae Clarae Condomiensis ordinis eiusdem sanctae.

Debitum officii *etc. usque* plenarie committendo.

---

[1] Reg. Vat. t. 69, f. 257, ep. 814.
[2] *Condom* in cust. Agenensi prov. Aquitaniae.
[3] *In registro:* abstantium voto.
[4] *In registro:* dumtaxat.
[5] Scil. abbatissae.
[6] *In registro:* Propter quod et nonnulla alia.

Quocirca universitati vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus praefatam abbatissam pro nostra et apostolicae sedis reverentia benigne recipientes ac honeste pertractantes exhibeatis ei obedientiam et reverentiam debitam ac devotam, eius salubria monita suscipiendo humiliter et efficaciter adimplendo: ita quod mutuo inter vos et ipsam spirituale possit habundare gaudium et prosperitatis optatae consurgere incrementum. Datum ut supra.

369. Ministro provinciali Sclavoniae concedit facultatem recipiendi ecclesiam s. Ioannis dioec. Scardonen. [1]

1319, iunii 20, Avinione.

Dilectis filiis ministro et fratribus ordinis Minorum de Sclavonia.

Sacrae vestrae religionis merita, sub qua virtutum Domino militantes vobis per vitae meritum et aliis proficitis per exemplum, instanter exposcunt, ut petitionibus vestris favorabiliter annuamus. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat, quod dilectus filius nobilis vir banus [2] Maladinus, zelo piae devotionis inductus, conventum fratrum vestri ordinis in ecclesia sancti Ioannis Scardonen. dioecesis, quam quondam legitima tunc uxor quondam Pauli bani, dicti bani M[a]ladini mater, ad hoc ipsum cum quibusdam aedificiis ecclesiae praedictae adiunctis aedificare curavit, cupit habere, ubi maiestas Altissimi collaudetur, ac propterea ecclesiam ipsam recipiendi ibique ponendi conventum fratrum ordinis supradicti vobis largiri licentiam a nobis suppliciter postulavit. Nos igitur, qui piis votis fidelium libenter annuimus eaque, quantum nobis ex alto permittitur, favorabiliter exaudimus, dicti nobilis supplicationibus inclinati, recipiendi ecclesiam ipsam cum aedificiis supradictis et ibidem conventum fratrum praedictorum ponendi, prout videbitis expedire, non obstante constitutione felicis recordationis Bonifatii papae VIII *etc.*, vobis concedimus facultatem, sine iuris praeiudicio alieni. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, XII kalendas iulii, anno tertio. [3]

370. Concedit ministro provinciae s. Francisci facultatem transferendi quaedam loca. [4]

1319, iulii 1, Avinione.

Dilectis filiis magistro [5] et fratribus ordinis Minorum provinciae sancti Francisci.

Sacrae religionis, in qua mundi abdicatis illecebris in abiectione voluntariae paupertatis devotum et assiduum Christo pauperi famulatum impenditis, merita promerentur, ut, quod a nobis pie digneque deposcitis, ad exauditionis optatae gratiam favorabiliter admittamus. Exhibita siquidem nobis devotionis vestrae petitio continebat, quod dudum ordo vester Nuceriae [6] ducatus Spoletan. unum et in castro Citernae [7] prope civitatem Castelli alium loca, quae de provincia beati Francisci fore noscuntur, obtinuit, et in quibus fratres ipsius ordinis inibi tunc degentes maiestatem Altissimi collaudabant, quodque tempore guerrarum in illis partibus invalescentium tam oratoria quam officinae locorum, sacrilegis manibus iniectis in illa, incendio penitus combusta sunt et, uno ex eis diruto, ab eisdem fratribus derelicta. Quare nos humiliter supplicastis, ut, cum loca praefata in aliis tutis et aptis locis Nuceriae atque castri praedictorum construere affectetis, alienatis primitus auctoritate nostra dictis locis combustis ac etiam derelictis, quod id efficere valeatis, votis vestris super hoc clementer annuere dignaremur. Nos itaque pium vestrum in hac parte propositum in Domino commendantes ac volentes vobis in executione illius favore apostolico merito suffragari, devotioni vestrae, quod praefata combusta et derelicta loca per procuratores vobis a sede apostolica deputatos venditionis vel alterius alienationis titulo in alios transferri valeant (ecclesiis tunc existentibus in eisdem combustis ac derelictis locis, si conservatae fuerint, dumtaxat exceptis) vosque huiusmodi alia duo loca cum suis oratoriis ac etiam officinis in praelibatis tutis et aptis locis, alias tamen legitime acquisita, recipere libere ipsaque construere ac aedificare et ad inhabitandum ac Deo inibi serviendum tot ex vobis, de quot videritis expedire, deputare possitis, constitutione felicis recordationis Bonifatii

---

[1] Reg. Vat. t. 69, ep. 1247, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 70.

[2] I. e. comes vel princeps (Croatorum et Bosnae). Cfr. supra n. 338.

[3] Die 18 iulii 1319 Ioannes XXII eidem « dilecto filio nobili viro Maladino Chroatorum et Bosnae comiti alias dicto bano » gratias agit, quod, cum terra Bosnensis eiusque patria haereticorum ob rectorum negligentiam longo tempore ibidem degentium tanta sit infidelitatis labe polluta, quod ibi desolentur ecclesiae, clericalis ordo sit extirpatus radicitus et Christi sacra irrisione pestifera conculcentur, non ibi crucis reverentia ..., non vivifici sacramenti communio, ipsius etiam baptismi ... nomen in plerisque partibus ignoretur a gentibus, ad extirpandos errores de terra et patria supradictis et praeparandum verae religionis cultum potentiae suae dexteram sollicitudine religiosa convertit (l. c. ep. 1248). Cfr. Monum. spect. hist. Slav. Merid. vol. XXIII (Acta Bosnae, ed. *Eusebius Fermendzin O. S. Fr.* p. 20, n. 113).

[4] Reg. Vat. t. 69, ep. 1205, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 71.

[5] *Rectius:* ministro.

[6] *Nocera* in custodia Eugubina (*Gubbio*).

[7] *Citerna* in custodia Castellana (*Città di Castello*).

papae VIII *etc.* nequaquam obstante, plenam atque liberam licentiam indulgemus. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, kalendis iulii, anno tertio.

371. Episcopo Argentinensi mandat, quod monasterio Campi regis (Königsfelden) ord. s. Clarae dioec. Constantien. incorporet ecclesiam parochialem in Windelsheim (Windesch). [1]

1319, iulii 8, Avinione.

Venerabili fratri episcopo Argentinen.

Apostolicae sedis providentia circumspecta *etc.* Exhibita siquidem nobis pro parte dilectae in Christo filiae nobilis mulieris Catharinae ducissae Calabriae petitio continebat, quod clarae memoriae Elisabeth Romanorum regina, mater sua, de salute propria cogitans et cupiens terrena pro coelestibus ac transitoria pro aeternis felici commercio commutare, monasterium Campi regis ordinis sanctae Clarae Constantien. dioecesis de bonis fundavit propriis et dotavit [2] ibique pro se ac suis elegit etiam sepulturam. Quia vero, antequam dicta regina iuxta piam intentionem suam dictum monasterium plenius dotavisset, viam fuit universae carnis ingressa, dicta ducissa nobis humiliter supplicavit, ut in augmentum dotium ipsius monasterii, ut in eo degentes commodius valeant sustentari, parochialem ecclesiam in Windesch dictae dioecesis, in cuius parochia dictum monasterium dignoscitur contineri cuiusve redditus et proventus iuxta antiquam et consuetam taxationem decimae sexaginta marcharum argenti valorem annuum non excedunt, ipsi monasterio annectere ac unire de benignitate apostolica dignaremur.

Cum igitur de facto et facti circumstantiis habere possis notitiam pleniorem, nos volentes dicto monasterio, praemissis veris existentibus, de opportunae subventionis auxilio providere, ipsius ducissae devotis supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, praefatam parochialem ecclesiam eidem monasterio auctoritate nostra unias et annectas, ita quod post annexionem et unionem huiusmodi cedente vel decedente eiusdem ecclesiae rectore liceat dilectis in Christo filiabus abbatissae et conventui eiusdem monasterii auctoritate propria, dioecesani loci vel cuiuscumque alterius assensu minime requisito, eiusdem parochialis ecclesiae possessionem apprehendere et illam propter hoc in usus proprios perpetuo retinere, reservata de ipsius ecclesiae proventibus pro vicario in ea perpetuo virtutum Domino servituro, instituendo canonice in eadem, portione congrua, ex qua commode sustentari valeat et episcopalia iura solvere aliaque incumbentia sibi onera supportare: non obstantibus, si aliqui super provisionibus sibi faciendis de parochialibus ecclesiis vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales a sede apostolica litteras impetrarint, quibus per hoc quoad assecutionem parochialium ecclesiarum et beneficiorum aliorum praeiudicium generetur, seu quibuslibet litteris et indulgentiis apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quas effectus praesentium impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumcumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Datum Avinione, VIII idus iulii, anno tertio.

372. Delegat episcopis infra nominatis cognitionem criminum, de quibus accusabatur frater Bernardus Deliciosi ordinis Minorum. [3]

1319, iulii 16, Avinione.

Venerabilibus fratribus archiepiscopo Tolosano et Appamiensi ac sancti Papuli episcopis.

Etsi cunctorum nequitia redundans in proximi laesionem merito cunctis bonis mentibus esse debeat odiosa, illorum tamen actus nefarios acrius prosequi debet censura iudicii, qui voto regularis professionis astricti sub agni specie gestant lupum, et sanctimoniae habitum et pietatis opera exterius praetendentes per machinationes detestabiles proximorum exterminia moliuntur. Sane ad audientiam nostram fama immo verius infamia publica defe-

---

[1] Reg. Vat. t. 69, ep. 1126, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 72.

[2] Cfr. supra n. 165.

[3] Reg. Vat. t. 69, ep. 866, cfr. t. 110, part. 2, f. 3, et *Wadd.* Ann. Min. ad a. 1318 n. 24-27, ubi dicto Bernardo perperam tribuitur cognomen « delli Consi ». Idem fr. Bernardus inter eos Spirituales fuit, quos Ioannes XXII Avinionem ad se vocavit (cfr. supra n. 266, not. 1, versus finem). Non tamen ob excessus, propter quos ceteri puniti sunt, hac bulla in ius vocatur. Causae sunt aliae, videlicet, quod cum aliis, ut Benedictus pp. XI veneni poculo necaretur, conspiravit, quod quasdam civitates a fidelitate regis Franciae avertere est molitus, quod populum contra inquisitores haer. prav. et ordinem fratrum Praedicatorum concitavit. Et illae quidem inquisitoribus factae iniuriae sub iudice tum erant. Conspirationis contra Benedictum XI criminis reus non est declaratus (cfr. not. ult. ad hanc bullam). Studia autem eius politica rex Franciae eo coercebat, ut circa mensem augusti 1305 ad Clementis pp. V (modo electi) provocaret auctoritatem. Quo factum est, ut fr. Bernardus tum Parisiis degens per fratrum Min. Paris. guardianum mandante summo pontifice cito caperetur. Et primo quidem Parisiis detinebatur, deinde apud ipsam curiam Romanam diversis in partibus Galliae tum existentem, si excipias tempus a mense aprilis 1307 ad ineuntem annum 1308, quo summus pontifex eum in conventu fratrum Min. de s. Iuniano custodiri iussit. Deinde ad curiam Rom. tum Avinione existentem remissus, anno 1309 ineunte fr. Bernardus facultatem tandem habuit ab eadem recedendi, causa nequaquam finita. Adiit confratres Carcassonenses, inter quos degisse videtur, usque dum Spiritualibus Biterren. iunctus in itinere Avinionem versus comes vel dux extitit. Cfr. supra p. 44 not. 7.

rente pervenit, quod frater Bernardus Deliciosi ordinis Minorum in profunda malorum opera obstinans vota sua in illum prorupit horribilis factionis excessum, ut conspirans in mortem felicis recordationis Benedicti XI praedecessoris nostri operam dederit, ut idem praedecessor veneni poculo necaretur, et quod ad nefanda alia applicans actus pravos molitus est cum quibusdam hominibus burgi Carcassonae necnon syndicis Albiensibus et castri de Cordua Albiensis dioecesis, ut a fidelitate [Philippi IV] clarae memoriae regis Franciae recederent et quendam potentem [1] in dominum sibi assumerent ac Carcassonensem cum burgo ac Albiensem sibi traderent civitates et castrum praedictum, litterasque huiusmodi proditionis habitae et tractatae scripsit et sigillatas sigillo consulatus Carcassonae detulit et assignavit dicto potenti, ipsumque rogavit et sibi consuluit quantum potuit et induxit, ut civitatum, burgi et castri praedictorum dominationem reciperet, cum ex hoc posset toti patriae dominari: cuius quidem proditionis Petrus Probi de Castris et Arnaldus Garsiae de Albia clerici conscii et participes fuisse dicuntur. Dictusque Bernardus populum Carcassonae subdolis praedicationibus ac suasionibus decipiens adversus inquisitores haereticae pravitatis et ordinem fratrum Praedicatorum sic studuit concitare, quod praefatus populus ad domum et ecclesiam dictorum Praedicatorum in multitudine gravi armorum impetu concurrentes ipsorum domum et ecclesiam expugnarunt. Idemque Bernardus carceres dictorum inquisitorum fecit seu procuravit frangi et aperiri et inde plures damnatos de haeresi abstrahi ac liberari et quamplures domos hominum burgi Carcassonae amicorum dictorum Praedicatorum penitus demoliri, praedae ipsorum bonis ac viridariis et praediis expositis vastitati. Et aliter plures sermones tam in ecclesiis quam extra publice fecisse dicitur adversus inquisitores et Praedicatores praedictos, ex quibus eos graviter infamavit et in fidelium cordibus reddidit odiosos, eorumque processus corruptus pecunia coram quibusdam praedecessoribus nostris Romanis pontificibus et dicto rege Franciae studuit impugnare, haereticis seu « credentibus » et receptatoribus eorundem praebendo auxilium, consilium et favorem; praefatis clericis eidem in proditione et praedicationibus et aliis commissis contra officium inquisitorum praedictorum consentientibus et alias sibi praestantibus auxilium, consilium et favorem. Praeter haec item Bernardus nonnulla alia detestabilia praesumpsisse et commisisse dicitur, quae non possent praesentibus absque diffusa recitationis serie enarrari. Licet igitur super praemissorum aliquibus ex aliis detestabilibus commissis per eum contra dictum Bernardum de mandato sedis apostolicae fuerit hactenus inquisitum, quam inquisitionem vobis duximus remittendam: volentes tamen, ut super praemissis et nonnullis aliis articulis, quos vobis sub bulla nostra mittimus interclusos, super quibus etiam dictus Bernardus publica infamia noscitur laborare, per vos diligentius inquiratur, fraternitati vestrae praesentium tenore committimus et mandamus, quatenus vos vel duo vestrum in civitate Tolosae vel alibi, ubi expedire videritis, de praedictis omnibus et aliis singulis in articulis praedictis contentis contra Bernardum et clericos supradictos, quos iam captos et sub custodia fida detentos ad vos mitti volumus et mandamus, et quoscumque alios clericos, de quibus vobis videbitur, summarie et de plano ac sine strepitu et figura iudicii inquiratis diligentius veritatem, et, si per inquisitionem iam factam vel per vos faciendam seu per confessionem eorum aut aliter vobis legitime constiterit de praemissis vel eorum aliquibus, contra eos ad poenas debitas, etiam degradationem, quam per vos aut duos ex vobis fieri volumus, nullis episcopis seu praelatis aliis, si haberi non possint commode, convocatis, et poenas alias graviores, si enormitatum ipsarum exegerit qualitas, auctoritate nostra iuxta sanctiones canonicas appellatione seu provocatione remota procedatis, constitutione aliqua non obstante seu indulgentiis apostolicis ordini praedicto concessis, quod fratres dicti ordinis per litteras apostolicas nequeant conveniri vel contra ipsos quoque modo procedi non possit, nisi in dictis litteris de indulgentiis huiusmodi eorumque toto tenore de verbo ad verbum plena et expressa mentio habeatur; contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel amore subtraherint, censura simili appellatione cessante compellatis veritati testimonium perhibere. Datum Avinione, XVII kal. augusti, pontificatus nostri anno tertio. [2]

---

[1] Ferdinandum filium Iacobi regis Maioricarum. Cfr. *Hauréau*, Bernard Délicieux et l'inquisition Albigeoise, Paris 1877, p. 102-142.

[2] Receptis his litteris primum tres supra nominati praelati, deinde archiepiscopo Tolosan. impedito episcopi Appam. et s. Papuli ad inquisitionem sibi commissam procedentes dictum fr. Bernardum Deliciosi de memoratis criminibus, excepta machinatione in mortem Benedicti XI, « nedum propria voce confessum, sed et de plurimis et gravioribus etiam eorundem argumentis convictum et testibus superatum » invenerunt atque in eum die 8 dec. 1319 in foro burgi Carcassonen. perpetuae depositionis et degradationis a sacerdotali et omni alio ordine sententiam tulerunt, pronuntiantes nihilominus ipsum perpetuo carceri effectualiter deputandum, in quo quidem « sub vinculis ferreis in pane doloris et aqua angustiae » perpetuam ageret poenitentiam de commissis, mitigationem autem huius poenitentiae sibi ex causa certa et legitima reservantes. Post haec eodem die in domo episcopali

373. Eximit monasterium dompnae reginae Neapolitan. ord. s. Clarae a praestandis decimis etc. [1]

1319, augusti 8, Avinione.

Dilectis filiabus abbatissae et conventui sive sororibus monasterii dompnae reginae Neapolitan. ord. s. Clarae.

Ordinis vestri sacra religio, sub qua devotum Domino famulatum impenditis sub onere voluntariae paupertatis, sic a vobis mundanae dissolutionis relegavit illecebras, ut inter alia claustralis astinentiae nexibus relegatae puritate fulgeatis [2] observantiae regularis et voluntatis libitum coartantes omnino sub obedientiae debito dignam et sedulam exhibeatis Domino servitutem. Cum itaque, sicut carissima in Christo filia nostra Maria regina Siciliae illustris [3] sua nobis petitione monstravit, monasterium vestrum, ad quod praefata regina tanquam ad opus manuum suarum speciale gerit devotionis affectum, vix proventus triginta unciarum auri annuos habeat, ex quibus vos, quae quadragintasex numero fore noscimini, necessarium victum non possetis habere, nisi vobis fidelium suffragia subvenirent: nos pium et congruum reputantes, ut illa vos gratia prosequamur, quam vestris necessitatibus fore conspicimus opportunam, et eiusdem reginae super hoc nobis supplicantis humiliter supplicationibus inclinati, vobis universis et singulis auctoritate praesentium indulgemus, ut ad praestationem decimarum de quibuscunque possessionibus et aliis omnibus bonis vestris, quae impraesentiarum habetis et iustis modis praestante Domino acquisiveritis in futurum, ac etiam ad contribuendum in procurationibus legatorum vel nunciorum sedis apostolicae sive ad decimam, vicesimam, tricesimam vel aliam portionem aut subventionem aliquam faciendam aliquibus minime teneamini neque ad id per litteras sedis eiusdem vel legatorum eius, quae de indulto huiusmodi plenam et expressam ac de verbo ad verbum de ordine ipso non fecerint mentionem, compelli aliquatenus valeatis. Nos enim decernimus irritas et inanes interdicti, suspensionis et excommunicationis sententias, si quas in vos vel aliquam vestrum aut locum vestrum seu quascunque alias [personas] occasione vestri praemissorum praetextu contra huius concessionis nostrae tenorem per quoscunque contigerit promulgari. Nulli *etc.* Dat. Avinione, VI idus au[gu]sti, anno tertio.

374. Mandat ministro Terrae laboris, ut ad idem monasterium duas Clarissas in cantu expertas transferat. [4]

1319, augusti 8, Avinione.

Dilecto filio ministro provinciali ord. fratrum Minorum provinciae Terrae laboris.

Sincerae devotionis affectus, quem carissima in Christo filia Maria regina Siciliae illustris ad nos et Romanam ecclesiam habere dignoscitur, digne meretur, ut petitiones suas, quae praesertim divini cultus augmentum respiciunt, ad exauditionis gratiam favorabiliter admittamus. Cum itaque, sicut pro parte ipsius reginae fuit expositum coram nobis, ipsa in monasterio sanctae Mariae donnae reginae Neapolitan. ordinis sanctae Clarae, ad quod tamquam ad opus manuum suarum specialem gerit devotionis affectum, habere desideret moniales ipsius ordinis in arte cantus sufficienter instructas, quae sorores seu moniales iuvenes et novitias ipsius in cantu instruere valeant et docere: nos huiusmodi suum desiderium, quod a devota mente procedit, in Domino commendantes illudque implere, in quantum cum Deo possumus, cupientes, gerentes quoque de discretione tua fiduciam in Domino specialem, quod ad requisitionem dilectae in Christo filiae abbatissae ipsius monasterii duas sorores seu moniales in aliquo monasterio provinciae Terrae laboris eiusdem ordinis constitutas, in arte cantus huiusmodi expertas, si tibi alias videbitur expediens, assumere valeas et ad monasterium ipsum transferre propterea, ipsaeque moniales per te sic assumptae de monasteriis suis exire licite valeant et monasterium sanctae Mariae praefatum intrare perpetuo inibi moraturae, quacumque ipsius ordinis constitutione seu consuetudine contraria non obstante, tibi et eis auctoritate praesentium concedimus facultatem. Datum Avinione, VI idus augusti, anno tertio.

---

episcopi Carcass. eidem fr. Bernardo coram ipsis praesentialiter constituto pro carcere carcerem « stricti muri » dictum, situm inter civit. Carcass. et flumen Atacis, assignarunt et ad illum incontinenti eum transmiserunt suam ibidem impleturum poenitentiam, quam propter ipsius senectutem et debilitatem ita mitigarunt, ut Ioanni de Belna inquisitori haer. prav. in regno Franciae et specialiter in senescallia Carcassonae committerent, quod quantum ad vincula et dietam cum ipso dispensare posset. A qua sententia procurator regius ad sedem apost. appellavit, maxime quod dictus Bernardus a machinatione in mortem Benedicti papae XI absolutus ac post degradationem non traditus esset curiae saeculari et quod dicti episcopi iudices, cum poenas potius exasperare debuissent iuxta multiplicitatem et enormitatem criminum praedictorum, eas tamen mitigandi sibi retinuissent potestatem. Cfr. *Baluze*, Vitae paparum Avin. II, 341-365, *Hauréau*, Bernard Délicieux etc. p. 194-218, infra (n. 388) bullam Ioannis XXII Avin. die 25 febr. 1320 datam.

[1] Reg. Vat. t. 69, f. 476, ep. 1509.

[2] *In Registro:* fulgentis.

[3] Cui litteris eodem die datis plena peccatorum remissio in articulo mortis per eius confessorem sibi impertienda conceditur (l. c. ep. 1508). Cfr. supra nn. 231 et 232.

[4] Reg. Vat. t. 69, ep. 1507, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 47.

375. Mandat ministro generali ord. Min., ut ordinet duos alios fratres in eodem monasterio. [1]

1319, augusti 9, Avinione.

Dilecto filio ministro generali ordinis fratrum Minorum.

Cum, sicut ex parte carissimae in Christo filiae nostrae Mariae reginae Siciliae illustris fuit expositum coram nobis, in monasterio sanctae Mariae donnae reginae Neapolitan. ordinis sanctae Clarae, ad quod praefata regina, cum sit opus manuum suarum, specialem gerit affectum, quatuor fratres ordinis tui in eodem monasterio deputati pro divinis obsequiis celebrandis ex eo maxime non sufficiant pro eisdem, quod in ecclesia ipsius monasterii, quam praefata regina de novo construi fecit, plura sint altaria instituta, ipsumque monasterium auxilio praefatae reginae, divina favente clementia, incipit ampliari, et propterea plures fratres ipsius ordinis in sacerdotio constitutos habere desideret in monasterio supradicto: nos huiusmodi desiderium laudabile commendantes in Domino, ipsius reginae supplicationibus inclinati, praesentium tibi auctoritate committimus et mandamus, quatenus, si tibi videatur expediens, duos alios fratres dicti tui ordinis in sacerdotio constitutos, de quibus tibi videbitur, super quo tuam conscientiam oneramus, cum quatuor illis fratribus supradictis ordines in monasterio supradicto, ita quod de cetero sint sex numero pro divinis in ipso officiis celebrandis, quodque huiusmodi senarius numerus fratrum ipsorum per provinciale capitulum seu ministrum ipsius provinciae minui nequeat in futurum. Datum Avinione, V idus augusti, anno tertio.

376. Monet Ioannam reginam Franciae, ut raro utatur indulgentiis sibi concessis de Blanca filia sua in Longocampo visitanda. [2]

1319, septembris 11, Avinione.

Carissimae in Christo filiae Ioannae reginae Franciae et Navarrae illustri.

Et si plurimum celsitudini tuae cedat ad meritum, quod illo, a quo cunctae bonae inspirationes procedunt, inspirante misericorditer mentem tuam dilectam in Christo filiam sororem Blancam genitam tuam, quam naturalis tibi diligendam reddit affectio et status sublimitas deliciose suadet educandam in monasterio sororum de Longocampo ordinis sanctae Clarae Parisiensis dioecesis, quantum est in te, Christi obsequiis mancipasti, ut in aetate tam tenera dimissis mundi deliciis asperis assuescat, recipiat status fortioris insignia et apertum sibi coelitus aeternae beatitudinis [h]ostium laeta cognoscens agat illi gratias, qui manus teneras ad fortia roborat et debiles pueritiae pedes in commotionem pari non sustinens constituit supra petram: sic tamen ad eam, postquam ipsam coelestis sponsi thalamo copulasti, debes inflectere tuae dilectionis intuitum, ut tanti boni meritum affectio materna non vacuet nec mentem teneram Christi sponsae a rectitudinis calle, quo sequitur caelestem agnum, abducat, attente considerans et diligenter attendens, quod frequens visitatio saecularium personarum, quae sit causa solaminis, magnum etiam in robustioribus religiosarum mentibus potest gignere desolamen, immo quodammodo in earum cordibus est venenum magnasque tentationes ingerit, generat et relinquit in mentibus earundem, dum in se asperitatem cilicii, abiectionem vestium, ciborum abstinentiam, afflictionem ieiunii, censuram silentii, clausuram claustralem, obedientiae iugum, rerum temporalium paupertatem et plura alia, quae ordinis austeritas eis indicit, attendunt, et in aliis, quae ad eas causa visitationis accedunt, pretiosas et fastuosas vestes, ipsarum mollitiem, esus effluentiam, verba iocosa, capillorum ornatum et multiplices capitis apparatus et alia multa considerant, quae saeculariter viventibus saeculi vanitates indulgent; verba insuper otiosa et indecentia religiosis auribus, quae dissoluta loquendi licentia plerumque a saecularibus proferuntur, interdum teneras mentes divertunt a sanctae cogitationis proposito vel pervertunt, et interdum variarum cogitationum seminaria derelinquunt. Et propterea, carissima filia, indulgentiis circa praemissa concessis [3] illa studeas uti modestia, ut eiusdem genitae religio sumpta, pomparum saecularium abdicatio, sanctimonialis vita et conversatio Deo grata semper in ipsa proficiant, nec propter conversationes aliquarum saecularium personarum eius vel aliarum sanctimonialium, quarum vitam elegit et habitum, pia desideria a sanctitatis proposito abducantur vel in ipsarum cordibus exemplis vel verbis saecularibus aliqua relinquatur tentatio, quae affectum mentis, quod absit, inclinet ad dimissas saeculi vanitates: provisura, ut, sicut in aetate proficiet, utaris rarius indulgentiis supradictis. Datum [Avinione, III idus septembris, anno quarto]. [4]

---

[1] Reg. Vat. t. 69, ep. 1506, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 3; cfr. supra n. 373 et 374.

[2] Reg. Vat. t. 110, parte 2, f. 6, ep. 39 al. 595.

[3] Cfr. supra n. 349-353, 360-364, et infra n. 385.

[4] Sicut in litteris, quae in registro proxime praecedunt et ad Philippum regem Franciae et Nav. destinatae sunt.

377. Mandat fratribus Min. et Praed. Ianuensibus, ut deputent incolis Ianuensibus confessarios. [1]

1319, septembris 17, Avinione.

Dilectis filiis ministro provinciae ac custodi fratrum ordinis Minorum Ianuen.

Ad nostrum nuper dilectorum filiorum civium Ianuen. relatione pervenit auditum, quod venerabilis frater noster Porchettus [2] archiepiscopus Ianuen. fratres aliquos ordinis Minorum Ianuen. vita et scientia commendatos et in ordine ipso diutius comprobatos, per vos ad audiendum confessiones fidelium civitatis et dioecesis Ianuen. electos et eidem archiepiscopo iuxta iuris exigentiam praesentatos, admittere denegavit, eis in hoc fratres aliquos eiusdem ordinis non sic sufficientes praeferens pro suae libito voluntatis. Nos igitur super hoc de illo remedio, per quod fratribus eiusdem ordinis et saluti animarum fidelium consulatur, providere volentes ac de circumspectione vestra plenam in Domino fiduciam obtinentes, vobis et cuilibet vestrum, ut aliquos fratres idoneos dicti ordinis, prout vobis expedire videbitur, super quo vestras conscientias oneramus, eligere et ipsos in civitate et dioecesi supradictis, ipsius archiepiscopi licentia minime requisita, deputare possitis, quorum aliqui confessiones confiteri volentium, sicut alii sacerdotes illarum partium curam animarum habentes, audire ac eis pro modo culpae iniungere poenitentiam salutarem et absolutionis beneficium impertiri, ac eorum aliqui, quos duxeritis eligendos, prout vobis videbitur, super quo easdem vestras conscientias oneramus, super casibus omnibus a iure permissis, etiam dicto archiepiscopo reservatis, huiusmodi confitentes audire et absolvere ac eis poenitentiam iniungere valeant salutarem, felicis recordationis Clementis papae V praedecessoris nostri super hoc edita et qualibet alia constitutione contraria non obstantibus, plenam et liberam concedimus tenore praesentium facultatem, praesentibus post biennium minime valituris. Datum Avinione, XV kal. octobris, anno quarto.

Dilectis filiis provinciae et conventus fratrum ordinis Praedicatorum Ianuen. prioribus.

Ad nostrum nuper ex relatione dilectorum *etc. m. m. ut supra.* Dat. Avinione, XV kalendas octobris, anno quarto.

378. Archiepiscopo Ragusin., archidiacono Catharen., guardiano Ragusin. mandat, ut citent archiepiscopum Antibaren. [3]

1319, septembris 19, Avinione.

Venerabili fratri .. archiepiscopo Ragusino et dilectis filiis .. archidiacono Catharensi .. ac guardiano fratrum Minorum Ragusino. [4]

Quae sacrorum canonum reverentiae detrahunt et alias canonicis obviant institutis, merito debet Romani pontificis auctoritas detestari taliumque praesumptores et praesertim, cum pontificali dignitate praeheminent, canonicae ultionis virga percellere, ne in exempli perniciem transeant aliorum. Sane dilecti filii capitulum ecclesiae Antibarensis per dilectum filium Ioannem Zaulum eiusdem ecclesiae canonicum dictorumque capituli procuratorem ad hoc specialiter destinatum in nostra et fratrum nostrorum praesentia fecere proponi, quod venerabilis frater noster Andreas archiepiscopus Antibarensis, [5] si ei venerationis denominatio debeatur, tam propria salute neglecta quam ipsorum auctoritate canonum vilipensa, sensu dato in reprobum, palleum, insigne videlicet pontificalis officii, quod ab ecclesia Romana receperat, pignoris nomine obligavit aliudque adulterinum palleum fabricari fecit ipsoque adulterino uti sub specie veri pallei non veretur, quodque non attento, quod antistitum depositio soli est Romano pontifici reservata, venerabilem fratrem nostrum Michaelem episcopum Abbarensem [6] suffraganeum suum propria temeritate deposuit et loco ipsius Michaelis de facto quendam abbatem illarum partium in episcopum subrogavit, et quod multa alia enormia commisit et committere non cessabat in suae salutis dispendium, perniciosum exemplum et scandalum plurimorum, quodque super praemissis apud bonos et graves erat publice diffamatus. Volentes itaque super hoc et in aliis morem laudabilis gravitatis praedecessorum nostrorum Romanorum pontificum observare, non facile huiusmodi propositis fidem curavimus adhibere, sed dilecto filio nostro Iacobo sancti Georgii ad velum aureum diacono cardinali duximus committendum, ut apud sedem praefatam, an idem archiepiscopus super huiusmodi propositis infamia laboraret, inquireret per indaginem non sollemnem. Verum quia per depositiones quorundam fidedignorum testium per dictum cardinalem super hiis apud sedem receptorum eandem compertum extitit, prout idem cardinalis retulit fideliter coram nobis et nostris fratribus supradictis,

[1] Reg. Vat. t. 70, ep. 483 et 484, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 76.
[2] Ex ord. Min., fautor partis Ghibellinae.
[3] Reg. Vat. t. 70, f. 247, ep. 477.
[4] *Ragusa* sive *Dubrovnik* in custodia Ragusina prov. Sclavoniae sive Dalmatiae.
[5] Ex ord. Min.; cfr. supra n. 74.
[6] Alias et recte: *Arbanen.*

eundem archiepiscopum fore apud bonos et graves publice diffamatum, quod ipse archiepiscopus praelibatum palleum, quod a dicta ecclesia Romana receperat, pignoris nomine obligarat et alio adulterino palleo, quod fabricari fecerat, patenter in illis partibus utebatur, quamvis non ad plenum probatum extiterit, quod idem archiepiscopus diffamatus foret, quodque ipse praesumptione propria supradictum Michaelem ab episcopatu deposuerat Abbanensi et loco eius abbatem monasterii sancti Alexandri dioecesis Abbanensis, Lazzarum nomine, in episcopum subrogavit: nos intendentes, quod excessus huiusmodi non remaneant incorrecti, discretioni vestrae sub excommunicationis poena, quam eo ipso, si secus feceritis, incurratis, per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel per alium seu alios saepedictum archiepiscopum ex parte nostra peremptorie citare curetis, ut infra trium mensium spatium post citationem vestram conspectui apostolico personaliter se praesentet, suam super praedictis si poterit innocentiam ostensurus et alias mandatis seu beneplacitis nostris humiliter pariturus. Si vero memoratus archiepiscopus nequiverit personaliter inveniri, huiusmodi citationis edictum iuxta praemissam formam contra eum apud ecclesiam Antibarensem publice proponatur. Non obstante indulgentia, qua, fili guardiane, ordini tuo dicitur esse concessum, quod ipsius ordinis fratres non teneantur *etc.* Datum Avinione, XIII kalendas octobris, anno quarto. [1]

379. Rossolinum Minoritam praeficit ecclesiae Regen. in episcopum. [2]

1319, octobris 1, Avinione.

Venerabili fratri Rossolino episcopo Regen.

Summi providentia principi *etc.* Dudum siquidem ecclesia Regen. [3] (per translationem per nos factam de venerabili fratre nostro Petro archiepiscopo Aquen. tunc episcopo Regen., apud sedem apostolicam constituto, ad ecclesiam Aquen. tunc pastore carentem) pastoris regimine destituta, nos intendentes, quod nullus praeter nos de provisione ipsius ecclesiae hac vice disponere poterat, ... post deliberationem, quam super hoc cum fratribus nostris habuimus diligentem, consideratis muneribus gratiarum, quibus personam tuam illarum Dominus insignivit, ad te ordinem fratrum Minorum expresse professum, in sacerdotio constitutum, direximus oculos nostrae mentis. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua nobis et eisdem fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de ipsorum fratrum consilio eidem ecclesiae Regen. duximus providendum, teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, tibi curam et administrationem illius in spiritualibus et temporalibus committendo, tibique subsequenter fecimus per venerabilem fratrem nostrum Berengarium episcopum Tusculanum munus consecrationis impendi *etc.* Datum Avinione, kalendis octobris, anno quarto.

380. Ministro generali ord. Min. concedit facultatem recipiendi unum locum. [4]

1319, novembris 5, Avinione.

Dilecto filio ministro generali ordinis fratrum Minorum.

Summa prudentia praeditus *etc.* Exhibita siquidem nobis ex parte dilectae in Christo filiae Ilariae de Lauria, relictae quondam Henrici nati comitis de sancto Severino viduae, petitio continebat, quod ipsa, de salute propria cogitans et extremum peregrinationis suae diem misericordiae operibus praevenire desiderans gerensque ad ordinem tuum et beatissimum confessorem Franciscum ferventis devotionis affectum, proponit in aliqua de terris suis unum locum construere propriis sumptibus et expensis, in quo competens conventus fratrum ipsius ordinis decenter valeat immorari. Quare nobis humiliter supplicavit, ut sibi construendi locum huiusmodi cum oratorio et necessariis officinis ac fratribus ipsius ordinis recipiendi locum eumdem, postquam sic per eam constructus fuerit, largiri licentiam dignaremur. Nos itaque votis ipsius Ilariae in divinae maiestatis oculis, ut speramus, acceptis annuere cupientes, gerentes quoque de discretione tua fiduciam in Domino specialem, volumus, quod praefatae Ilariae construendi locum praedictum in aliqua ex terris praedictis, quae pro loco huiusmodi magis accommoda fuerit, cum oratorio et necessariis officinis, si tibi videatur expediens, super quo tuam intendimus conscientiam onerare, dictisque fratribus recipiendi et inhabitandi locum eumdem (felicis recordationis Bonifatii papae VIII *etc.* nequaquam obstantibus) plenam et liberam auctoritate apostolica licentiam largiaris. Datum Avinione, nonis novembris, anno quarto. [5]

---

[1] Ecclesiae Antibaren. per resignationem Andreae supradicti vacanti die 26 oct. 1324 alium in archiepiscopum praefici constat. Cfr. Reg. Vat. t. 78, ep. 350.

[2] Reg. Vat. t. 70, ep. 20, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 77.

[3] *Riez* in Provincia.

[4] Reg. Vat. t. 70, ep. 545, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 78.

[5] Difficile est dictu, num aut ubi vi huius facultatis domus fratrum Min. fundata sit. Cfr. supra n. 358.

381. Confirmat monasterio « Corporis Christi » Neapolitan. ord. s. Clarae omnes donationes per regem et reginam Siciliae ipsi factas.[1]

1319, novembris 13, Avinione.

Dilectis in Christo filiabus abbatissae et conventui monasterii sororum s. Corporis Christi Neapolitan. ordinis sanctae Clarae.

Quae in religionis favorem ac divini cultus augmentum pie facta conspicimus, ut in futurum firma permaneant, libenter illis apponimus apostolici muniminis firmitatem. Habet siquidem carissimae in Christo filiae nostrae Sanciae reginae Siciliae illustris apostolatui nostro pro vobis oblata petitio, quod carissimus in Christo filius noster Robertus Siciliae rex illustris, cuius praefata consors existit, nonnullis ab olim civitatibus, castris, casalibus, terris et aliis bonis sitis in diversis partibus regni sui in assecutione provisionis redditus annui unciarum auri duorum millium, quam eidem reginae pro sua dote et doterio fecerat, sibi per regem eumdem benigne concessis, post concessionem iam factam per regem eumdem reginae praefatae, videlicet quod liceat praefatae reginae monasterio vestro, ad quod praefata regina velut opus manuum suarum specialem gerit devotionis affectum, in suo ultimo testamento legare vel alias legitimo modo concedere annuas uncias auri mille habendas in certis civitatibus et locis aliis, quae praefata regina pro ipsius dote noscitur obtinere, quousque scilicet de ipsis mille unciis annuis dictum monasterium sit completum et quousque annuum redditum unciarum auri quadringentarum emendarum de eisdem unciis auri mille in burgensaticis bonis et aliis non feudalibus monasterium ipsum integraliter assequatur, voluit et per suum privilegium speciale concessit ac etiam declaravit, quod, si det fatalitatis eventus, quod praefata regina praemoriatur regi praedicto, eodem constante matrimonio, possit ipsa monasterio vestro praedicto praefatas annuas uncias auri mille sub modo et forma praemissis legare et quod nihil, quod dicta regina emet pro monasterio supradicto vel donabit aut concedet eidem, vel per alium seu alios oblatum, donatum et concessum extiterit, computetur in summa dictarum quadringentarum unciarum auri ex praefatis mille unciis annuis emendarum, sed eisdem bonis sic oblatis atque concessis per reginam et quoscumque alios monasterio accrescentibus supradicto idem annuus redditus praedictarum quadringentarum unciarum auri in sua concessione perduret; quodque postmodum rex praefatus, gerens ad monasterium ipsum intimae devotionis affectum et interne desiderans sic ipsum in facultatibus adaugeri, quod vos et aliae personae degentes in ipso necessariorum carentia non gravatae possitis liberius vacare divinis, bona burgensatica usque ad valorem annuum unciarum auri ducentarum, quae in certis terris et pertinentibus regni sui in privilegio huiusmodi concessionis expressis, a die data ipsius, ex quavis legitima causa ad regiam curiam semel aut saepius devolvi contingeret, eidem monasterio vestro dedit et concessit de gratia speciali, cum certis praerogativis, conditionibus et clausulis in privilegio huiusmodi concessionis expressis: volens etiam et expresse declarans per concessionem huiusmodi de ipsis ducentis unciis annuis factam monasterio vestro praedicto concessioni iam dictae, factae praedictae reginae de praedictis mille unciis monasterio vestro legandis, et annuo redditu quadringentarum unciarum auri emendo de ipsis bonis burgensaticis et aliis non feudalibus pro ipso monasterio, ut praefertur, nullum praeiudicium generari nec ipsius praetextu se et haeredes suos ab ea velle quomodolibet liberari, sed etiam potius in sua efficacia permanere; adiiciens nihilominus rex praefatus post haec huiusmodi suae donationi de gratia speciali, ut ipsa celerius consequi possit effectum, quod procurator ipsius reginae, unus vel plures ad hoc ab ea legitime constituti, quos ipsam constituere legitime posse concessit, huiusmodi bona burgensatica, quotiens devolutionis eorum casus evenerit, usque ad praedictam summam annuam ducentarum unciarum auri, sine iussu praesidis vel auctoritate praetoris capere libere valeant assignanda per eos monasterio saepefato, prout haec in ipsius regis diversis privilegiis inde confectis, ipsius sigillo munitis, plenius et seriosius continetur. Quare pro parte vestra nobis praefata regina supplicavit humiliter, ut, quae in hac parte per regem eumdem sunt gratiose concessa, firma persistant et ne per alicuius sinistrae opinionis eventum retractari valeant in futurum, ex certa scientia confirmare ac supplere omnem defectum, si quis intervenisset forsitan in praemissis, de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur eiusdem reginae votis in hac parte benignius annuentes, concessiones huiusmodi dicti regis factas, ut praedicitur, monasterio vestro supradicto et in favorem ipsius cum modis, conditionibus et declarationibus contentis in ipsis ratas habentes et gratas, eas, dum tamen in aliorum iurium iniuriam non redundent, auctoritate apostolica ratificamus, approbamus et ex certa scientia nostra confirmamus, supplentes omnem defectum,

[1] Reg. Vat. t. 70, ep. 180, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 79. Cfr. supra n. 300 et infra n. 407.

si quis intervenerit forsitan in praemissis, ac decernentes ad maiorem praemissorum cautelam, ea omnia et singula in privilegiis ipsis contenta effectum debitum sortiri debere de apostolicae potestatis plenitudine. Tenores autem privilegiorum eorumdem super his, ut praemittitur, per regem eundem concessorum [1] ad maiorem praemissorum cautelam praesentibus inseri facimus, qui tales sunt. [2] .... Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, idibus novembris, anno quarto.

382. Fratribus Praed. et Min. Portugallen. confirmat privilegium liberae sepulturae. [3]

1319, decembris 13, Avinione.

Venerabili fratri episcopo et dilectis filiis decano et capitulo Portugallen. ac priori et guardiano ac fratribus Praedicatorum et Minorum ordinum Portugallen. [4]

Nuper ex parte vestra, filii prior et guardiane ac fratres, fuit in consistorio propositum coram nobis, quod tu, frater episcope, et vos, filii decane et capitulum Portugallen., non permittitis ipsos in ecclesiis et locis eorum iuxta constitutionem, quae incipit « Super cathedram », dudum per felicis recordationis Bonifatium papam VIII editam ac (post revocationem ipsius a piae memoriae Benedicto papa XI subsecutam) per bonae memoriae Clementem papam V praedecessores nostros in statum pristinum restauratam, [5] habere liberam sepulturam, sed parochianis et civibus Portugallen. et aliis vestris subditis inhibetis, ne apud ipsorum fratrum coemeteria eligant sepeliri; ac deinde vobis, praefati episcope et decane, ex parte una ac procuratore vestro, praefati prior, guardiane et fratres, ex altera propter hoc in nostra et fratrum nostrorum praesentia constitutis, pro parte vestra, praefati episcope et decane, fuit super praemissis ex diverso responsum, quod dudum ante editionem constitutionis eiusdem quaedam conventiones et pacta hinc inde habita fuerant, iuramento et confirmatione sedis apostolicae roborata, videlicet, ut vos fratres in ecclesiis atque locis vestris non reciperetis aliquem ad ecclesiasticam sepulturam, quodque vigore iuramenti et confirmationis huiusmodi praedicta constitutio ad conventiones et pacta praedicta se minime extendebat. Nos igitur, praemissis propositis et ad ea responsionibus subsecutis et allegationibus factis hinc inde diligenter auditis et quibusdam conventionibus et pactis dudum inter partes utrimque habitis ac in forma communi per sedem confirmatis eamdem lectis coram nobis et diligentius intellectis, de ipsorum fratrum nostrorum consilio volumus et auctoritate apostolica ordinamus, ut praedictis conventionibus et pactis nequaquam obstantibus, cum per dictam constitutionem tollantur omnino, iuxta constitutionem ipsam vos, praefati prior, guardiane et fratres, habeatis liberas sepulturas; vobis, praefati episcope et decane, pro vobis et dicto capitulo iniungentes, ut, si quae alia specialia iura creditis vos habere, per quae constitutioni praefatae forsitan derogetur, illa usque ad initium proximae futurae quadragesimae, quem quidem terminum ad vestram instantiam vobis pro peremptorio termino assignamus, studeatis producere coram nobis, alioquin ex tunc veniendi et allegandi contra constitutionem eamdem sciatis vobis viam quamlibet interdictam. Datum Avinione, idibus decembris, anno quarto.

In e. m. (m. m.) archiepiscopo Compostellan. et abbati mon. s. Ioannis de Pendurada dioec. Portugallen. ac cantori eccl. Bracharen. tamquam executoribus litterarum istarum.

383. Clarissis mon. s. Mariae Vallis gloriae concedit facultatem se transferendi ad alium locum. [6]

1319, decembris 16, Avinione.

Dilectis in Christo filiabus .. abbatissae et conventui monasterii sanctae Mariae Vallis gloriae ordinis sanctae Clarae districtus Spelli [7] *Spoletanae dioecesis.*

Meritis vestrae devotionis inducimur, ut in hiis, quae animarum vestrarum quietem vestraeque religionis augmentum respiciunt et personas vestras et bona tuentur ab incursibus malignorum, petitionibus vestris, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Ex parte siquidem vestra fuit propositum coram nobis, quod monasterium vestrum, utpote situm in convallibus montium territorii castri Spelli Spoletanae dioecesis, ab hominum est habitatione remotum et quod propter guerrarum discrimina (et maxime propter duram guerram inter civitatem Perusinam et castrum Spelli ex parte una et civitatem Assisii ex altera noviter suscitatam) necnon propter latronum et raptorum incursus

---

[1] Die 13 nov. 1318.

[2] Cfr. *Wadd.* l. c. p. 540-543. In his litteris ipsi monasterio tum « Hostiae sanctae » tum « sanctae Eucharistiae » tribuitur cognomen.

[3] Reg. Vat. t. 70, ep. 548, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 80 et 81.

[4] *Porto* in Lusitania. Conventus fratrum Min. ibi existens pertinebat ad custodiam Colimbriensem (*Coimbra*) prov. sancti Iacobi.

[5] Cfr. supra n. 196*a*.

[6] Reg. Vat. t. 70, f. 166, ep. 237.

[7] *Spello* inter Spoletum et Assisium.

damna gravia incurristis, magnos propterea sustinendo timores, quodque verisimiliter dubitantes vos similia in posterum et deteriora passuras, si vos contingeret inibi remanere, quasdam domos vestrae habitationi habiles iuxta dictum castrum Spelli construi et aedificari fecistis non sine multo onere expensarum, ut ad illas guerrarum tempore recurrentes inibi secure habitare possetis. Nos itaque laudabile in hac parte et necessarium intentionis vestrae propositum extimantes ac super hiis securitati personarum et bonorum vestrorum ac quieti providere volentes, vestris supplicationibus inclinati, quod dictum monasterium sive locum, in quo ad praesens moramini, huiusmodi necessitate poscente dimittere et ad praedictas domos iuxta dictum castrum Spelli per vos constructas cum omnibus immunitatibus, privilegiis, indulgentiis, exceptionibus, iuribus, rebus, bonis, possessionibus et actionibus omnibus ex quacunque causa vobis et monasterio vestro competentibus ac omnibus et singulis per Romanos pontifices praedecessores nostros et quoscunque alios monasterio vestro et vobis indultis vos conferre possitis: ita quod omnia et singula, quae dicto monasterio Vallis gloriae competebant et competunt, ad dictas domos per vos constructas, in quibus deinceps monasterium proponitis construere et habere, totaliter transferantur, vobisque liceat monasterium, ecclesiam et altaria in dictis domibus iuxta dictum castrum constructas sub eisdem vocabulis construere et erigere dictamque ecclesiam et altaria per quemcumque dioecesanum malueritis sub eisdem vocabulis facere consecrari, sub quibus illa in dicto monasterio, in quo hucusque degistis et degitis, habebatis, et quod dictum monasterium Vallis gloriae per vos tenendum et custodiendum ac in spiritualibus et temporalibus gubernandum vobis et dicto monasterio, quod de novo aedificari et construi facietis, tamquam membrum capiti plenarie sit subiectum (felicis recordationis Bonifatii papae VIII praedecessoris nostri [constitutione] religiosis quibuslibet ordinum Mendicantium ad habitandum domos vel loca quaecunque de novo recipere seu hactenus recepta mutare in aliqua civitate, castro, villa seu loco specialiter prohibente absque sedis apostolicae licentia speciali, faciente plenam et expressam de prohibitione huiusmodi mentionem, et quibuslibet aliis constitutionibus contrariis nequaquam obstantibus), vobis auctoritate apostolica de speciali gratia indulgemus. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, XVII kalendas ianuarii, pontificatus nostri anno quarto.

384. Elargitur indulgentias ecclesiam monasterii Colimbrien. ord. s. Clarae visitantibus. [1]

1320, ianuarii 6, Avinione.

Universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis.

Vitae perennis gloria *etc.* Cupientes igitur, ut ecclesia monasterii monialium sanctarum Clarae et Helisabeth prope Columbriam [2] ordinis eiusdem sanctae Clarae, quod carissima in Christo filia nostra Elisabeth regina Portugalliae illustris [3] de licentia nostra de bonis propriis fundasse dinoscitur, congruis honoribus frequentetur ibique nomen frequentius Altissimi collaudetur, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui ecclesiam ipsam in festo beatae Agnetis, in cuius honore altare in eadem ecclesia est erectum, unum annum, eis vero, qui per octavam eiusdem festivitatis devote visitaverint annuatim, centum dies, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus. Datum Avinione, VIII idus ianuarii, anno quarto.

385. Blancae Clarissae, filiae Philippi V regis Franciae, indulget, *a*) ut usque ad annos pubertatis possit secum habere duas mulieres saeculares, *b*) ut possit secum habere unum capellanum et unum medicum saeculares, *c*) ut possit secum habere unum fratrem Minorem, *d*) ut guardianus fratrum Minorum Parisien. secum dispenset super quibusdam statutis vel observationibus. [4]

1320, ianuarii 13, Avinione.

a) *Dilectae in Christo filiae Blanchae, natae carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Franciae et Navarrae illustris, moniali de Longocampo ordinis sanctae Clarae Parisiensis dioecesis.*

Ut erga sedem apostolicam eo amplius crescat tuae devotionis affectus, quo eam benigniorem inveneris in faciendo tibi gratiam specialem, tuis devotis supplicationibus inclinati, ut liceat tibi duas mulieres saeculares honestas habere, quae tibi usque ad annos tuae pubertatis in monasterio, in quo te morari contigerit, valeant deservire, non obstantibus quibuscunque statutis *etc.* tenore praesentium indulgemus. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, idibus ianuarii, anno quarto.

b) *Eidem.*

Tuae devotionis sinceritas promeretur, ut in hiis, quae pie postulas, desideriis tuis favorabiliter annuamus. Hinc est, quod nos tuis et carissimae in Christo filiae nostrae Ioannae reginae Franciae et Navarrae illustris, matris tuae, pro te nobis super hoc humiliter supplicantis, supplica-

---

[1] Reg. Vat. t. 70, f. 235, ep. 424.
[2] *Coimbra* in custodia cognomini prov. s. Iacobi.
[3] Postmodum inter sanctas relata.
[4] Reg. Vat. t. 70, f. 180, ep. 276*a-d;* cfr. supra n. 376.

tionibus inclinati devotioni tuae habendi, postquam ad annos perveneris pubertatis, unum capellanum et unum medicum saeculares, quos tu vel dicta regina duxeris eligendos, ad investigandum et referendum statum tuum tuis parentibus et amicis, quando et quoties tibi videbitur expedire, dictisque capellano et medico monasterium ordinis sanctae Clarae, in quo te pro tempore morari contigerit (dummodo processerit de licentia illius, qui ipsi monasterio praeest vel praeerit pro tempore, cuius conscientiam oneramus), libere intrandi, ita tamen quod ibi non comedant nec pernoctent, non obstantibus quibuscunque *etc.*, tenore praesentium indulgemus. [1] Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, idibus ianuarii, anno quarto.

c) *Eidem.*

Benigno sunt illa tibi concedenda favore, per quae, sicut pie desiderare dinosceris, conscientiae tuae pacem et salutem etiam animae Deo propitio consequaris. Hinc est, quod nos tuis devotis supplicationibus inclinati, ut unum de ordine Minorum sacerdotem, qui fuerit de conventu loci ipsius ordinis existentis iuxta monasterium, in quo te morari contigerit, in tuum possis eligere confessorem, qui tuam confessionem infra claustrum dicti monasterii audire teque visitare valeat, quoties fuerit opportunum, et pro commissis poenitentiam tibi salutarem iniungere et super hiis beneficium debitae absolutionis impendere, nisi forte talia fuerint, propter quae sedes apostolica sit merito consulenda, tibi auctoritate praesentium indulgemus. Nulli ergo *etc.*.. Datum Avinione, idibus ianuarii, anno quarto.

d) *Eidem.*

Desideriis tuis libenter annuimus *etc.* Hinc est, quod nos tuis devotis supplicationibus inclinati, ut usque ad decennium post tuae tempora pubertatis dilectus filius guardianus fratrum ordinis Minorum Parisiensium, qui pro tempore fuerit, tecum super constitutionibus, statutis vel observationibus regularibus ordinis sanctae Clarae, ad quae es per tuae religionis ingressum astricta (continentiae, obedientiae et propriae abdicationis substantialibus articulis dumtaxat exceptis), dispensare valeat, tibi et eidem guardiano auctoritate praesentium indulgemus. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, idibus ianuarii, anno quarto.

386. Praelatis infra nominatis committit, ut Iacobinam de Monexilio faciant recipi in monasterio Clarissarum Asten. [2]

1320, ianuarii 18, Avinione.

Dilectis filiis .. priori de Monexilio et .. archipresbytero Astensis ac Buxolo de Parma, capellano nostro, canonico Tornacensis ecclesiarum.

Cupientibus vitam ducere regularem *etc.* Cum itaque dilecta in Christo filia Iacobina, nata nobilis viri Thomae de Monexilio Albensis dioecesis, cupiat sicut accepimus in monasterio sanctae Agnetis Astensis ordinis sanctae Clarae una cum dilectis in Christo filiabus .. abbatissa et conventu dicti monasterii sub regulari habitu Domino famulari, nos, volentes dictam Iacobinam in huiusmodi suo laudabili proposito confovere, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios dictam Iacobinam auctoritate nostra recipi faciatis in eodem monasterio in monacham et sororem et sincera in Domino caritate tractari: non obstantibus de certo monialium numero *etc.* Datum Avinione, XV kalendas februarii, anno quarto.

387. Elargitur indulgentias visitantibus capellam in honorem sancti Ludovici in ecclesia b. Mariae Foroiulien. constructam. [3]

1320, ianuarii 28, Avinione.

Universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis.

Licet is *etc.* Cupientes, ut capella, quam venerabilis frater noster Bartholomaeus episcopus Foroiuliensis in ecclesia beatae Mariae Foroiuliensis [4] in honore beatissimi Ludovici episcopi et confessoris propriis sumptibus construxit, congruis honoribus frequentetur, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui capellam ipsam in festo et translatione ipsius sancti annis singulis venerabiliter visitarint, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, unum annum et XL dies de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus. Datum ut supra, [V kalendas februarii, anno quarto].

388. Aggravat sententiam adversus Bernardum Deliciosi ord. Min. latam. [5]

1320, februarii 25, Avinione.

Venerabilibus fratribus Appamiensi et sancti Papuli episcopis. [6]

Cum nimis indecens videatur, quod frater Bernardus Deliciosi ordinis Minorum, pro tam enor-

[1] *Vel rectius:* concedimus facultatem.

[2] *Asti* in Italia superiore. Reg. Vat. t. 70, f. 235, ep. 480.

[3] Reg. Vat. t. 70, f. 241, ep. 459.

[4] *Fréjus* in Provincia.

[5] Cfr. *Baluze*, Vitae paparum Avin. II, 365, ubi haec bulla impressa est, et *Hauréau*, « Bernard Délicieux » p. 165, ubi legimus, dictum Bernardum paucis hebdomadis post obiisse. *Waddingus* errat igitur, cum in Ann. Min. ad a. 1318, n. 27, scribat, istum Bernardum, cui cognomen « Delliconsi » tribuit, iam obiisse, antequam condemnatus est.

[6] Vide supra n. 372 litteras Io. XVII die 16 iulii 1319 ad eosdem episcopos et archiepiscopum Tolosan. datas.

mibus criminibus condemnatus, religionis adeo venerabilis habitum extra dictum ordinem in carcere deferat, praesertim cum, si pro levioribus culpis esset ad ipsius ordinis carcerem deputatus, huiusmodi habitum in eodem ordine non deferret: fraternitati vestrae de fratrum nostrorum consilio per apostolica scripta praecipiendo mandamus, quatenus eidem fratri Bernardo, sublato cuiusvis tarditatis obstaculo, dictum habitum auferatis, ab omni mitigatione poenitentiae per vos eidem impositae, quam nobis et apostolicae sedi reservamus, specialiter abstinendo, nisi a nobis super hoc aliud receperitis in mandatis. Datum Avinione, V kal. martii, anno quarto.

389. Archiepiscopo Beneventano concedit facultatem confirmandi fr. Laurentium ord. Min. electum in Arianen. episcopum. [1]

1320, martii 1, Avinione.

Venerabili fratri .. archiepiscopo Beneventan.

Inter sollicitudines alias *etc.* Sane dudum, cupientes de provisione Arianen. ecclesiae per apostolicae sedis providentiam ordinare, provisionem ipsius ea vice, cum eam vacare contingeret, dispositioni nostrae et sedis eiusdem duximus reservandam, decernentes *etc.* Postmodum eadem ecclesia per obitum b. m. Rostagni episcopi Arianen. pastoris regimine destituta dilecti filii capitulum eiusdem ecclesiae, huiusmodi forsan nostrae reservationis ignari, consideratis muneribus gratiarum, quibus Dominus personam dilecti filii Laurentii ordinis fratrum Minorum, electi Arianen., multipliciter insignivit, ipsum Laurentium in eorum episcopum concorditer elegerunt. Nos vero de statu ipsius ecclesiae, ne diutinae vacationis experiatur incommoda, cogitantes et diligentius attendentes multiplicia dona virtutum, quibus carissimus in Christo filius noster Robertus rex Siciliae illustris personam dicti electi asserit insignitam, quodque in dicto electo vota dictorum capituli sic concorditer concurrerunt eum in eorum episcopum unanimiter eligendo, praemissis debita meditatione pensatis, volumus de apostolicae plenitudine potestatis, quod huiusmodi electioni factae de ipso electo praefata reservatio non obsistat, quodque nihilominus tu ad confirmationem electionis ipsius, si quidem alias eam inveneris de persona idonea canonice celebratam nullumque in hac parte sibi canonicum obviare, libere procedere valeas, ac si nulla reservatio processisset, in contrarium editis non obstantibus constitutionibus quibuscumque. Datum Avinione, kalendis martii, anno quarto.

390. Guardiano fratrum Min. de Piperno committit, ut, cum Massimus, filius quondam Ioannis dicti castri de Piperno militis, et dilecta in Christo filia Gemina, nata cuiusdam eiusdem loci de Piperno militis, qui quarto gradu consanguinitatis coniuncti ad reformanda pacis foedera inter suos consanguineos et amicos, inter quos homicidia et alia diversa personarum et rerum pericula intervenisse noscuntur, desiderent ad invicem matrimonialiter copulari, super praemissis diligentius se informet et, si invenerit, quod per huiusmodi contractum matrimonii inter dictos consanguineos et amicos pax huiusmodi reformetur et obvietur periculis animarum ac propterea scandala sopiantur, cum ipsis auctoritate apostolica dispenset, ut matrimonium ad invicem contrahere valeant et in eo, postquam illud contraxerint, licite remanere, prolem suscipiendam ex eis legitimam nuntiando. [2]

1320, martii 2, Avinione.

Dilecto filio .. guardiano fratrum ordinis Minorum de Piperno [3] *Terracinen. dioec.*

Sedis apostolicae circumspecta benignitas *etc.* Datum Avinione, VI kal. martii, anno quarto.

391. Hedvigi ducissae Poloniae indulget, quod monasterium Clarissarum Cracovien., quoties voluerit, ingredi valeat. [4]

1320, martii 7, Avinione.

Dilectae in Christo filiae nobili mulieri Hedvigi ducissae Poloniae.

Devotionis tuae sinceritas promeretur, ut personam tuam paterna benevolentia prosequentes votis tuis, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuamus. Tuis itaque supplicationibus inclinati, ut monasterium monialium Cracoviense ordinis sanctae Clarae cum honesta et decenti comitiva matronarum causa devotionis, quoties volueris, ingredi libere valeas, quibuscumque statutis *etc.* non obstantibus, dummodo tu et matronae praedictae in monasterio ipso non edatis nec etiam pernoctetis, tibi auctoritate praesentium indulgemus. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, nonis martii, anno quarto.

392. Ministro provinciae s. Francisci concedit facultatem vendendi quasdam possessionis monasterii de Monte sancto prope Tudertum ord. s. Clarae. [5]

1320, martii 18, Avinione.

Dilecto filio ministro provinciae beati Francisci ordinis fratrum Minorum.

Exhibita nobis dilectarum in Christo filiarum abbatissae et conventus monasterii de Monte sancto prope Tudertum [6] ordinis sanctae Clarae petitio continebat, quod ipsae terras, domos et casalina

---

[1] Reg. Vat. t. 70, f. 286, ep. 584. Iste Laurentius aliquamdiu Nicolao V antipapae adhaeret. Cfr. infra not. ad n. 721*a*.

[2] Reg. Vat. t. 70, f. 229, ep. 715.

[3] *Piperno* in custodia Velletren. provinciae Romanae.

[4] Reg. Vat. t. 70, f. 283, ep. 574.

[5] Reg. Vat. t. 70, ep. 1115, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 86.

[6] *Todi* in custodia cognomini.

quaedam tam in civitate quam dioecesi Tudertin. habere noscuntur, ex quorum pretio se credunt posse res magis utiles eidem monasterio adipisci; quare ex parte ipsarum fuit nobis humiliter supplicatum, ut terras, domos et casalina praedicta venditionis titulo in alios transferendi licentiam concedere dignaremur. Nos igitur in praemissis dicti monasterii volentes meliora prospicere ac gerentes de circumspectione tua, qui super his habere poteris notitiam pleniorem, fiduciam in Domino specialem, discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus inquisita super his diligentius veritate, si tandem inveneris terrarum, domorum et casalinorum praedictorum venditionem in utilitatem dicti monasterii redundare, eisdem abbatissae et conventui alienandi, ut praedicitur, terras, domos et casalina praedicta, ita quod eorum pretium in res dicto monasterio magis utiles convertatur (iuramento, quod eadem abbatissa noscitur praestitisse de non alienandis bonis dicti monasterii, Romano pontifice inconsulto, ac inhibitione felicis recordationis Alexandri papae IV praedecessoris nostri in contrarium edita, nequaquam obstantibus) praedictam licentiam eadem auctoritate concedas. Datum Avinione, XV kalendas aprilis, anno quarto.

393. Ministro provinciae Bononiensis concedit facultatem recipiendi unum locum. [1]

1320, martii 18, Avinione.

Dilecto filio ministro provinciae Bononien. ordinis fratrum Minorum.

Habet in nobis tuae devotionis sinceritas, ut petitiones tuas, quas praesertim de pietatis affectu procedere ac divini cultus augmentum intuemur respicere, ad exauditionis gratiam admittamus. Exhibita siquidem nobis tua petitio continebat, quod dilecti filii nobiles viri domini de Malatestis de Arimino in castro Verucoli [2] Ariminen. dioecesis, unde originem traxisse dicuntur, desiderant fratrum tui ordinis decentem conventum habere. Nos igitur piis desideriis devotorum libenter impertientes assensum, tuis supplicationibus inclinati, recipiendi in eodem castro aliquem locum ad hoc aptum ibique aedificandi oratorium et necessarias officinas ac ordinandi conventum fratrum dicti ordinis, prout tibi videbitur expedire, ut sibi et aliis proficere valeant ad salutem, felicis recordationis Bonifacii papae VIII praedecessoris *etc.* et qualibet alia constitutione contraria non obstante, plenam et liberam concedimus tenore praesentium facultatem. Datum Avinione, XV kalendas aprilis, anno quarto.

394. Elargitur indulgentias visitantibus capellam in honore s. Ludovici ep. in ecclesia fratrum Minorum Valentin. constructam. [3]

1320, aprilis 8, Avinione.

Universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis.

In sanctorum festivitatibus *etc.* Cupientes igitur, ut capella, quam dilectus filius Gondisalvus Garsiae miles Valentinus in ecclesia fratrum Minorum Valentin. [4] ad honorem beati Ludovici episcopi et confessoris fecit construi suis sumptibus et expensis, congruis honoribus frequenter, ... Dei omnipotentis misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui eandem capellam in eiusdem confessoris festivitate, centum, illis vero, qui capellam eandem per octo dies festivitatem ipsam immediate sequentes devote visitaverint annuatim, quadraginta dies de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus. Datum Avinione, VI idus aprilis, anno quarto.

395. Episcopo Curiensi committit, ut fratribus Min. in Heidelberg licentiam concedat ad alium locum se transferendi. [5]

1320, aprilis 17, Avinione.

Venerabili fratri .. [6] *episcopo Curiensi.* [7]

Ex parte dilectorum filiorum guardiani et fratrum ordinis Minorum in Heydelberch [8] Wormaciensis dioecesis nobis extitit intimatum, quod locus eorum pro eo, quod est extra muros ipsius oppidi de Heydelberch constitutus, bis [h]actenus propter guerras, quae frequenter in partibus illis ingruunt, fuit destructus, et quod propter dissensionem duorum ducum [9] in regno Alamanniae discorditer [in regem Romanorum] electorum homines dicti oppidi verisimiliter formidantes, ne a gentibus alterius duorum electorum illud obsideri contingat et sic locus dictorum fratrum esset obsidentibus in tutelam eisdem, infra muros eiusdem oppidi locum alium assignarunt, priorem locum situm extra muros praedictos propter timorem huiusmodi destruere intendentes; quare pro parte dictorum guardiani et fratrum fuit nobis humiliter supplicatum, ut, cum

[1] Reg. Vat. t. 70, ep. 1127, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 85.
[2] *Verucchio* in custodia Forlivien. prov. Bononien.
[3] Reg. Vat. t. 70, f. 514, ep. 1290.
[4] *Valencia* in custodia Valentiae prov. Aragoniae.
[5] Reg. Vat. t. 70, f. 484, ep. 1184.
[6] Siffrido de Gelnhausen.
[7] *Chur* seu *Coira* in Helvetia.
[8] *Heidelberg* in custodia Rheni provinciae superioris Alamanniae sive Argentinae.
[9] Ludovici ducis Bavariae et Friderici ducis Austriae. De illo cfr. infra n. 545 ac not. ad n. 554 etc.

ipsi priorem locum dimittere et alium locum infra dictos muros recipere nequeant (constitutione fel. record. Bonifatii papae VIII praedecessoris nostri super hoc in contrarium edita obsistente) absque apostolicae sedis licentia speciali, recipiendi eundem locum infra muros praedictos eis concedere licentiam dignaremur. Quia igitur de facto huiusmodi et eius circumstantiis notitiam non habemus, fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus, si praemissis veritas suffragatur, .. eisdem guardiano et fratribus recipiendi dictum secundum locum infra muros praedictos priori loco dimisso .. concedas specialem licentiam et liberam facultatem. Dat. Avinione, XV kalendas maii, anno quarto.

396. Praelatis infra nominatis mandat, ut citent episcopum Basileen. eiusque officialem vexantes fratres Minores. [1]

1320, aprilis 18, Avinione.

Venerabili fratri archiepiscopo Bisuntin. et dilectis filiis decano Constantien. ac succentori sancti Ioannis Bisuntin. ecclesiarum.

Dudum dilectis filiis ministro et fratribus ordinis Minorum significantibus nobis, quod, licet tertius ordo fratrum et sororum, qui continentes seu de poenitentia nuncupantur, a beato Francisco institutus et a sede praefata iam dudum approbatus et confirmatus ac etiam communitus diversis privilegiis extitisset *etc. ut supra n. 358.*

Et licet huiusmodi litterae ad venerabilis fratris nostri Geraldi episcopi Basileen. [2] et Richardi officialis sui notitiam devenissent et ex parte dictorum ministri et fratrum Minorum humiliter requisiti fuissent, ut fratres et sorores dicti tertii ordinis in suis dioecesi et civitate constitutos dictosque fratres Minores occasione constitutionis praedictae, [3] quae, ut praemittitur, ad dictos fratres et sorores eiusdem tertii ordinis extendi minime noscebatur, iuxta mandatum nostrum per dictas litteras eis factum nullatenus molestarent nec permitterent ab aliis molestari, sed gravamina, si qua praetextu constitutionis huiusmodi eis intulerant vel inferri fecerant, revocarent: iidem tamen episcopus et officialis, praedictis litteris non absque magnae temeritatis audacia, irreverentia et contemptu illudentes potius quam parentes, infrascriptis personis quilibet eorum litteras infrascriptas, videlicet suis sigillatas sigillis, dirigere temere praesumpserunt. Quae quidem litterae eorum sigillis munitae cum fuissent ad sedem apostolicam destinatae et ad notitiam nostram deductae, nos dilecto filio nostro Petro tituli sanctae Susannae presbytero cardinali commisimus oraculo vivae vocis, ut, an dictae litterae verae essent ac veris dictorum episcopi et officialis sigillis munitae, se diligentius informaret. Qui tam per procuratorem praefati episcopi apud sedem apostolicam personaliter constitutum quam per nonnullos alios fide dignos de partibus illis ad suam propter hoc praesentiam accersitos, qui litteras et sigilla praedicta eis ostensa recognoverunt praesentialiter esse vera, certioratus, quod dictae litterae verae erant et veris dictorum episcopi et officialis sigillis munitae, nobis fecit super hoc relationem plenariam et fidelem, propter quod earum litterarum tenores de verbo ad verbum praesentibus duximus inserendos, qui tales sunt: « Geraldus Dei gratia Basilien. episcopus dilectis in Christo universis decanis, camerariis, rectoribus, incuratis, vicariis et capellanis ecclesiarum civitatis et dioecesis nostrae Basilien. salutem in Domino Iesu Christo. Cum nos ad instantiam fratrum Minorum quoddam " vidimus " de quibusdam litteris papalibus ad honorem et reverentiam summi pontificis domini nostri et sedis apostolicae dederimus: ne propter hoc de observatione processuum nostrorum quorumcumque a nobis vel auctoritate nostra emanatorum aliquod dubium propter ignorantiam multorum simplicium oriri contingat, vobis universis universaliter et singulis singulariter significamus in his scriptis, quod propter donationem dicti " vidimus " nolumus processibus nostris quibuscumque in aliquo derogari. Datum apud Telperg [4] sub sigillo nostro anno Domini MCCCXIX in vigilia Pentecostes ».

« Officialis curiae Basilien. decano citra Otensbusel ceterisque confratribus eiusdem decanatus salutem in Domino. Nuper ad nostrum veridicorum relatione pervenit auditum, quod fratres Minores quasdam bullas papales in ecclesiis vestris et in dioecesi Basilien. deferunt et ostendunt, per quas sententias et processus a nobis contra eosdem et Beghinas habitum Bighinagii deferentes auctoritate ordinaria latos et latas evadere moliuntur, quocumque praetextu asserunt, Beghinas de tertia regula in pristino statu debere remanere. Quare mandamus vobis universis et singulis (sub poena suspensionis ab officio, quam in contrarium facientes, monitione trium dierum praemissa, ferimus in his scriptis), quatenus (dictis bullis ostensis et ostendendis non obstantibus, quibus per vos nullam fidem seu credulitatem volumus adhiberi) omnes processus nostros contra dictos fratres Minores et Beghinas et eorum fautores latos secundum eorum continentiam et tenorem publicetis, observetis et ab

[1] Reg. Vat. t. 70, ep. 736, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 82.

[2] Cuius metropolita erat archiep. Bisuntin. *(Besançon).*

[3] Scilicet Clementis V, per quam constitutionem status « Beguinarum » prohibitus est.

[4] *Delsberg* sive *Délemont.*

omnibus faciatis inviolabiliter observari, ipsosque fratres et Beghinas arctius evitetis, donec a domino nostro episcopo vel nobis aliud receperitis in mandatis. Datum anno Domini MCCCXIX, feria quinta ante dominicam palmarum ».

Nolentes igitur tantae praesumptionis excessum conniventibus oculis pertransire, ne ipsorum impunitas praebeat aliis audaciam similia committendi, discretioni vestrae in virtute obedientiae districte praecipiendo mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum (per vos vel alium seu alios) praefatos episcopum et officialem ex parte nostra peremptorie citare curetis, ut idem episcopus sub suspensionis infra duorum mensium spatium, dictus vero officialis sub excommunicationis poenis infra viginti dies post citationem vestram huiusmodi (quas poenas eos incurrere volumus ipso facto, nisi fecerint, quod eisdem iniungitur) apostolico se conspectui repraesentent, super his facturi et recepturi, quod iustitia suadebit, eisdem episcopo et officiali (eorum videlicet cuilibet sub poenis similibus, quas eos incurrere volumus ipso facto, si infrascripto mandato non paruerint cum effectu) similiter iniungentes, ut, cum occasione constitutionis praedictae contra fratres et sorores dicti tertii ordinis et contra fratres Minores praefatos et participantes cum eis ante receptionem dictarum litterarum nostrarum, et post de facto, nonnullos propter praemissa dicantur fecisse processus, in eos etiam excommunicationis, suspensionis et interdicti sententias proferendo, processus et sententias huiusmodi propter praemissa habitos et praelatos, [1] prout de facto fecerunt, eosdem de facto debeant revocare et revocatos fore in praedictis civitate et dioecesi facere publicari, quodque deinceps a similibus debeant abstinere. Diem vero citationis et iniunctionis huiusmodi, et quidquid super his duxeritis faciendum, nobis per vestras litteras harum seriem continentes fideliter intimare curetis. Datum Avinione, XIV kalendas maii, anno quarto. [2]

397. Praeficit Ioannem Minoritam ecclesiae Tiburtin. in episcopum. [3]

1320, maii 5, Avinione.

Venerabili fratri Ioanni episcopo Tyburtin.

Onerosa pastoralis officii *etc.* Nuper siquidem ecclesia Tyburtina [4] ecclesiae Romanae immediate subiecta per obitum bonae memoriae Iacobi [5] episcopi Tyburtini, qui in partibus illis diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, nos ad eamdem ecclesiam, utpote in brachiis sedis apostolicae constitutam, specialis dilectionis dirigentes affectum et cupientes, ut ipsi ecclesiae praeficeretur persona secundum cor nostrum idonea, per cuius industriam status eius posset salubriter dirigi et utiliter gubernari, provisionem eiusdem ecclesiae nostrae ac dictae sedis dispositioni ea vice duximus reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hoc per quoscumque scienter vel ignoranter contingeret attentari. Verum volentes eidem ecclesiae, ne diutinae vacationis subiaceret incommodis, de celeris et salubris provisionis remedio subvenire, post deliberationem, quam super hoc cum fratribus nostris habuimus diligentem, consideratis muneribus gratiarum, quibus personam tuam illarum Dominus insignivit, ad te ordinem fratrum Minorum expresse professum, in sacerdotio constitutum, virum utique litterarum scientia praeditum, morum honestate decorum, aliisque virtutum donis multipliciter insignitum, dreximus oculos nostrae mentis. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua nobis et eisdem fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de ipsorum fratrum consilio eidem ecclesiae Tyburtin. duximus providendum, teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, tibi curam et administrationem ipsius in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, tibique subsequenter fecimus per venerabilem fratrem nostrum Berengarium episcopum Portuen. munus consecrationis impendi *etc.* Datum Avinione, III nonas maii, anno quarto.

398. Priori Praed. et guardiano Min. fratrum Lucan. mandat, quod faciant sibi assignari bona Fulchi Rustici et Labri Vulpelli civium Lucan. quodque exigant ab haeredibus Geri de Fondora summam 6000 fl. auri ecclesiae Rom. legatorum. [6]

1320, maii 25, Avinione.

a) *Dilectis filiis ..priori Praedicatorum et .. guardiano Minorum fratrum ordinum Lucan.* [7]

Intelleximus nuper relatione fideli, quod quondam Fulchus Rustici civis Lucanus, volens suae providere saluti, sibi pauperes Christi in certis bonis valoris trigintamillium librarum monetae Lucensis et ultra in suo testamento haeredes instituit. Cum igitur bonorum indistincte legatorum dispositio ad nos et apostolicam sedem pertinere noscatur, volumus et discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel alter

[1] Prolatos?

[2] Idem madatur diebus 18 iunii et 10 augusti 1320 eisdem archiepiscopo et succentori ac Bussolo de Parma, canonico Tornacen. summique pont. capellano. L. c. epp. 951 et 201.

[3] Reg. Vat. t. 70, ep. 720, ap. *Wadd.* reg. pont. Io. XXII, n. 87.

[4] *Tivoli* prope Urbem.

[5] Cfr. supra n. 341.

[6] Reg. Vat. t. 70, f. 28, ep. de curia 75*a*-*c*.

[7] *Lucca.* Conventus fratrum Min. ibidem existens pertinebat ad custodiam Lucanam prov. Tusciae.

vestrum per vos vel alium seu alios praedicta bona, in quibuscumque consistant, per detentores eorum nostro et eiusdem sedis nomine vobis faciatis integraliter assignari..., rescripturi nobis per patentes litteras vestras vel instrumentum publicum harum seriem continentes, quidquid in praemissis duxeritis faciendum. Datum Avinione, VIII kalendas iunii, anno quarto.

b) *Eisdem.*

Ad nostri apostolatus auditum relatio fidedigna perduxit, quod quondam Labrus Volpelli civis Lucanus, dum adhuc viveret, volens suae providere saluti et de diversis pecuniarum summis ad ecclesiam Romanam spectantibus, quas iniuste receperat, debitam satisfactionem impendere, omnia bona sua eiusdem ecclesiae camerae in sua ultima voluntate pro huiusmodi satisfactione legavit. Quare discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus quatenus .... praedicta bona a quibusvis tam clericis quam laicis, ad quos illa quomodolibet pervenissent, eiusdem ecclesiae nomine petere, exigere et ad manus vestras recipere cum integritate curetis *etc.* Datum ut supra.

c) *Eisdem.*

Fidedigna nuper assertione percepimus, quod Gerus de Fondora civis Lucanus, dum adhuc viveret, sexmillia florenorum auri ecclesiae Romanae in suo ultimo testamento legavit. Cum igitur de huiusmodi florenorum summa ipsius ecclesiae camerae nondum fuerit satisfactum, nos, volentes super hoc servare cameram praefatam indemnem, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus .... praedicta sexmillia florenorum ab haeredibus vel executoribus testatoris eiusdem aut aliis quibuscunque, ad quos bona testatoris pervenissent eiusdem, petere, exigere ac recipere nostro et eiusdem ecclesiae nomine cum integritate curetis etc. Datum ut supra.

399. Officiali Constantiensi (*Constanz* in Germania) mandat, ut Mathildem Alberti de Friberc recipi faciat in monasterio de Söflingen ord. s. Clarae. [1]

1320, iunii 17, Avinione.

Dilecto filio .. officiali Constantiensi.

Cum, sicut accepimus, dilecta in Christo filia Matildis, nata dilecti filii nobilis viri Alberti de Friberc, puella Constantiensis dioecesis cupiat in monasterio Seuelingen [2] ordinis sanctae Clarae dictae dioecesis sub regulari habitu virtutum Domino famulari: nos, cupientes eandem puellam in huiusmodi suo laudabili proposito confovere, discretioni tuae, de qua fiduciam gerimus in Domino specialem, per apostolica scripta mandamus, quatenus eandem puellam, si eam idoneam esse repereris et aliud sibi canonicum non obsistat, auctoritate nostra in dicto monasterio recipi facias in monacham et sororem et sincera in Domino caritate tractari: non obstantibus de certo monialium numero, si forsan inibi existat, et quibusvis aliis statutis *etc.* Datum Avinione, XV kalendas iulii, anno quarto.

400. Rectorem civitatis Beneventan. inquirere iubet super electione de fr. Petro de Scalea ord. Min. in episcopum Neocastren. facta. [3]

1321, iunii 21, Avinione.

Dilecto filio magistro Guilelmo de Balaeto archidiacono Foroiulien., capellano nostro, civitatis Beneventan. rectori.

Suscepti regiminis nos cura sollicitat *etc.* Nuper siquidem ex parte dilecti filii Galteri decani Catacen. [4] et canonici Neocastren. ecclesiarum fuit in consistorio publico propositum coram nobis, quod dudum ipsa ecclesia Neocastren. [5] per obitum bonae memoriae Nicolai episcopi Neocastren. pastoris regimine destituta canonici ecclesiae Neocastren. praefatae post diversas dierum assignationes pro substitutione eorum praesulis inter se habitas, quae ex certis causis sortitae non fuerunt effectum, demum die ad hoc praefixa, ut moris est, insimul convenerunt et ad id per formam scrutinii procedentes duas electiones inibi fieri contigit: unam videlicet de ipso Galtero a decem et novem, et reliquam de Gofredo decano ecclesiae Militen. a quatuordecim canonicis ecclesiae antedictae, quinque vero ex reliquis canonicis fratrem Petrum de Scalea ordinis Minorum in eorum episcopum postularunt. Cumque venerabilis frater noster .. archiepiscopus Regin. [6] loci metropolitanus dictum Galterum ad comparendum et allegandum coram eo iura sibi competentia super petenda confirmatione electionis suae coram se ad certum terminum citare fecisset, ex parte ipsius Galteri comparentis fuit coram archiepiscopo praefato propositum, quod, cum tempus trium mensium a die sui assensus sibi a iure indultum ad suae electionis confirmationem petendam nondum esset elapsum et iuris beneficium nemini sit auferendum, ad huiusmodi confirmationem petendam compelli de iure non poterat nec debebat. Et quia idem archiepiscopus praemissis non obstantibus eum debere in dicta causa procedere coram eo interlocutus fuit dicendo, quod

[1] Reg. Vat. t. 70, f. 521, ep. 1319.
[2] *Söflingen* prope *Ulm.*
[3] Reg. Vat. t. 70, f. 595, ep. 1546.
[4] Cfr. infra n. 434, not. 3.
[5] *Nicastro* in Calabria.
[6] *Reggio* in Calabria.

ex manifesta iactura ipsius Neocastren. ecclesiae praefatum tempus poterat maturare, dictus Galterus ad sedem apostolicam in hiis scriptis coram ipso archiepiscopo appellavit et huiusmodi appellatione intimata decano Militen. praefato personaliter ad sedem ipsam accessit, ac proposito, ut praemissum est, huiusmodi negotio coram nobis, ipsum negotium venerabili fratri nostro Berengario episcopo Portuensi audiendum commisimus nobisque postmodum referendum. Sane dictus episcopus ad instantiam praefati Galteri coram eo comparentis, praemissis contra archiepiscopum et decanum Militen. praedictos, quatenus sua interesset, omnesque alios, qui sua crederent interesse, debitis et consuetis citationibus in audientia publica, ut est moris, productisque coram pro parte dicti Galteri interlocutoria et appellatione huiusmodi et nonnullis aliis munimentis, cum nullus de praedictis per se vel alium coram dicto episcopo comparere curasset, in contumacia ipsorum citatorum debito super hiis iuris ordine observato pronunciavit: causam huiusmodi ad sedem ipsam fore legitime devolutam et apud eam tractari et finiri debere, et deinde ipsum Galterum et praedictos citatos ad dandum in eadem causa petitionem eorum summariam praestandumque iuramentum de calumpnia et de veritate dicenda ac positiones et articulos necnon acta, iura et iuramenta, cum quibus partes ipsae debebant ad curiam venire paratae (?) et quibus uti volebant in causa praedicta, producendum successive in eadem audientia citari fecit ad certos terminos peremptorios competentes, in quibus dictus Galterus coram dicto episcopo in iudicio comparens praedictorum citatorum non comparentium contumaciam accusavit et in eorum contumacia in eadem causa quandam petitionem summariam obtulit et de calumpnia et veritate dicenda praestitit iuramentum necnon positiones et articulos exhibuit et etiam instrumenta, litteras, iura et munimenta, quibus in causa ipsa uti volebat in terminis ad singulos actus huiusmodi assignatis, coram episcopo antedicto produxit, ac idem episcopus eosdem citatos ad recipiendum inde copiam et dicendum contra ea et concludendum in causa praedicta vel proponendum causam rationabilem, quare concludi non deberet in illa, in eadem audientia citari fecit peremptorie per competentia intervalla, ipseque Galterus in terminis ad hoc praefixis coram episcopo praedicto comparens ipsorum citatorum non comparentium contumaciam accusavit, ac dictus episcopus in eorum contumacia in huiusmodi termino ad concludendum praefixo cum ipso Galtero concludente in causa praefata conclusit et habuit pro concluso. Et subsequenter de praemissis omnibus nobis fecit relationem plenariam et fidelem.

Postmodum autem fide digna relatione percepto, quod idem frater Petrus, causa huiusmodi apud sedem sic pendente praedicta, non absque magnae ambitionis vitio et iuris evidenti offensa, contemptu sedis praefatae, animae suae praecipitio aliarumque animarum, quarum curam et custodiam tanta indecentia concupivit, deceptione dampnabili, se per dictum archiepiscopum vel ex eius commissione de facto, cum id fieri de iure nequiverit, praefici temere seque consecrari in episcopum (quin potius execrari et intrudi) procuravit in supradicta ecclesia Neocastrensi, quodque dictus frater Petrus huiusmodi praetextu administrationi spiritualium et temporalium ipsius ecclesiae Neocastren. dampnabiliter se ingessit et pertinaciter ingerere non desistit: nos itaque, factum huiusmodi dicti fratris Petri, praesumptuosum quidem et perniciosum exemplo scandalumque grande generans in ecclesia Dei sancta, nolentes, prout nec debemus, sacrorum canonum, exigente censura, sub dissimulatione transire, discretioni tuae, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus statim post receptionem praesentium, dicto fratre Petro (si commode poterit praesentialiter inveniri, alioquin apud eandem ecclesiam Neocastren. publice) ad peremptorium terminum competentem coram te personaliter evocato, de praemissis diligenter inquiras (simpliciter et de plano sine strepitu et figura iudicii) veritatem, et si per inquisitionem huiusmodi clare tibi constiterit, dictum fratrem Petrum ex postulatione huiusmodi vel alias ius in episcopatu Neocastren. minime obtinere dictamque administrationem contra iustitiam exercere, ipsum fratrem Petrum ab administratione huiusmodi spiritualium et temporalium ipsius ecclesiae Neocastren. auctoritate nostra omnino suspendas per te vel per alium seu alios, ubi et quando expedire videris, eum sic suspensum denunciari facias ab eadem ac ipsum ex parte nostra peremptorie cites vel citari facias, ut termino competente a te praefigendo personaliter conspectui apostolico se praesentet pro meritis recepturus. Si vero per inquisitionem eandem de iniustitia dicti fratris Petri, videlicet quod indebite administrationem exerceat supradictam, tibi forsan clare non liqueat, nihilominus ipsum fratrem Petrum cites vel citari facias, ut termino peremptorio competente, quem sibi propterea duxeris praefigendum, per se vel per procuratorem idoneum ad hoc sufficienter instructum, cum omnibus actis, iuribus et munimentis suis compareat coram nobis, facturus et recepturus, quod iustitia suadebit. In quolibet autem casuum praedictorum processum, quem feceris et habueris super inquisitione huiusmodi, et inquisitionem eandem ad nos sub tuo sigillo inclusos transmittere necnon diem vel dies citationis vel citationum huiusmodi, et quicquid exinde duxeris fa-

ciendum vel fieri feceris de praedictis, nobis per tuas litteras continentes harum seriem studeas quantocius fideliter intimare. Datum Avinione, XI kal. iulii, anno quarto. [1]

401. Episcopo Colimbricen. committit, quod monasterio Clarissarum prope Colimbriam incorporet quandam ecclesiam. [2]

1320, iulii 22, Avinione.

Venerabili fratri [Raymundo] episcopo Colimbriensi.

Religionis dilectarum in Christo filiarum.. abbatissae et conventus monasterii sanctae Helisabeth prope Colimbriam ordinis sanctae Clarae [3] inducimur meritis, ut ipsas ea gratia favorabiliter prosequamur, quam earum fore conspicimus necessitatibus opportunam. Sane nuper carissimus in Christo filius noster Dionysius rex et Helisabeth eius consors regina Portugalliae illustres nobis humiliter supplicarunt, ut ecclesiam sancti Petri de Goraiera tuae dioecesis, in qua ut asseritur eaedem abbatissa et conventus ex donatione dicti regis ius obtinent patronatus, ad earum onera commodius supportanda unire et annectere ipsi monasterio de benignitate apostolica dignaremur. Cum igitur de facto huiusmodi habere possis notitiam pleniorem, fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus, si praemissis veritas suffragatur, praedictam ecclesiam eidem monasterio auctoritate nostra unias et annectas: ita quod post annexionem et unionem huiusmodi cedente vel decedente eiusdem ecclesiae rectore liceat eisdem abbatissae et conventui auctoritate propria eiusdem ecclesiae possessionem apprehendere et illam in usus proprios perpetuo retinere: reservata de ipsius ecclesiae proventibus pro vicario in ea perpetuo virtutum Domino servituro, per easdem abbatissam et conventum praesentando et per te instituendo canonice in eadem, portione congrua per te taxanda, ex qua commode sustentari valeat et episcopalia iura solvere aliaque incumbentia sibi onera supportare. Contradictores *etc.* Datum Avinione, IX kal. augusti, anno quarto.

402. Guardiano fratrum Min. Roscheburgen. committit, ut, cum Ioannes Giffardi miles dioecesis s. Andreae, qui cum quondam Isabella de Straherne, filia quondam Malisii de Straherne Dumblanensis dioecesis tum vivente, sponsalia contraxerat et demum post obitum eiusdem Isabellae, quae infra pubertatis tempora incognita carnaliter ab eodem decesserat, cum Eufena de Marahono, cui eadem Isabella quarto consanguinitatis gradu attingebat, matrimonium per verba de praesenti in ecclesiae facie contraxit, suscepta prole postmodum ex eodem, humiliter supplicaverit, ut super impedimento publicae honestatis, quod ex contractu dictorum sponsalium provenit, de opportunae dispensationis beneficio provideatur, cum dictis Ioanne et Eufena, si excommunicationis non sint ligati sententia vel, si forte sint illa ligati, postquam ab eadem iuxta formam ecclesiae sunt absoluti, ut impedimento huiusmodi non obstante in eodem matrimonio licite remanere valeant, dispenset, prout secundum Deum viderit expedire, prolem susceptam et suscipiendam ex eodem matrimonio legitimam nuntiando. [4]

1320, augusti 18, Avinione.

Dilecto filio .. guardiano fratrum ordinis Minorum de Roscheburc [5] Glasquen. dioecesis.

Petitio dilecti filii *etc.* Datum Avinione, XV kal. septembris, anno quarto.

403. Episcopis Cathanien. et Saonen. mandat, quod exigant a fratribus Min. Ianuen. quandam crucem aliasque res pretiosas. [6]

1320, augusti 21, Avinione.

Venerabilibus fratribus .. [7] Cathaniensi et .. [8] Saonensi episcopis.

Ad nostri apostolatus auditum relatio fidedigna perduxit, quod ad .. guardianum et fratres ordinis Minorum Ianuen. quaedam crux et una icona aureae, in quibus magna pars de ligno vivificae crucis multaeque sanctorum reliquiae conservantur, nec non et duo capita sanctorum in duabus aureis seu argenteis thecis recondita, margaritis ac lapidibus pretiosis et exmaltis ornata, quae cum aliis bonis thesauri ecclesiae Romanae de sacristia ecclesiae sancti Fridiani Lucan., ubi tunc servabantur, subtracta per violentiam extiterunt, [9] per traditionem Nicolosi Dani factam eis pervenisse noscuntur. Quare fraternitati vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel alter vestrum super hiis (de plano, summarie, sine strepitu et figura iudicii) vos plenius informantes crucem, iconam et capita dictorum sanctorum cum thecis eisdem et aliis ornamentis ipsorum faciatis vobis nostro et eiusdem ecclesiae Romanae nomine plene restitui et integraliter assignari, ad hoc eosdem guardianum et fratres per excommunicationis in personas cuiuslibet eorum et interdicti in conventum et locum ipsorum sententias et ipsarum sententiarum aggravationem, sicut expedire videritis, appellatione postposita compellendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, super quibus omnibus plenam vobis

---

[1] Praedictum Petrum ab administratione ecclesiae Neocastren. minime suspensum esse, liquet ex eo, quod die 7 martii 1323 eidem ecclesiae vacanti per obitum ipsius Petri episcopi alius praeficitur in episcopum.

[2] Reg. Vat. t. 70; f. 538, ep. 1371.

[3] Cfr. supra n. 384.

[4] Reg. Vat. t. 70, f. 512, ep. 1280.

[5] *Roxburg* in dioec. Glasguen. (*Glasgow*) prope *Edinburg* in Scotia.

[6] Reg. Vat. t. 70, f. 43, ep. 127 de curia.

[7] Leonardo; cfr. supra nn. 310-312.

[8] Frederico.

[9] Die 14 iunii 1314. Cfr. « Archiv für Litteratur-und Kirchen-Geschichte des Mittelalters » ed. *Denifle-Ehrle*, t. I, pp. 228-238.

et unicuique vestrum potestatem concedimus. Non obstantibus *etc.* Datum Avinione, XII kal. septembris, anno quarto.

404. Eximit monasterium Isernien. ord. s. Clarae a iurisdictione episcopi ordinarii. [1]

1320, augusti 27, Avinione.

Venerabili fratri episcopo Isernien. [2]

Piis desideriis *etc.* Sane dilecti filii nobilis viri Alferii de Isernia militis petitio nobis exhibita continebat, quod ipse pro suae et parentum suorum animarum remedio in civitate Isernien. ad Dei et gloriosae Virginis matris eius honorem quoddam monasterium ordinis sanctae Clarae in fundo suo proprio cum necessariis officinis ac loco apto et congruo pro capella incepit construere propriis sumptibus et expensis, et quod circa eius consummationem assidue laboratur, quodque illud sic convenienter dotare proponit, quod saltem viginti quinque sorores dicti ordinis decenter vivere valeant in eodem, iuxta consilium et voluntatem ministri et proborum fratrum ordinis Minorum provinciae sancti Angeli, in qua dicta civitas Isernien. consistit, [3] cum eius intentionis existat, quod idem monasterium liberaliter et sine retentione et reservatione aliqua sit ordinis antedicti, et quod per fratres Minores ad hoc deputandos visitetur dumtaxat, sicut visitantur alia monasteria praelibati ordinis sanctae Clarae. Quare nobis humiliter supplicavit, ut monasterium ipsum cum omnibus eius membris et bonis quibuscunque habitis et habendis ab officio, iurisdictione et potestate ordinarii et metropolitani loci gratiose eximere dignaremur, nihilominus indulgentes eidem, quod praefatum monasterium et personae degentes in eo nunc et imposterum semper gaudeant omnibus exemptionibus, privilegiis, libertatibus et immunitatibus, quibus gaudent alia loca monasteriorum ordinis praelibati.

Nos itaque, pium eiusdem militis propositum in Domino commendantes ipsumque favorabiliter prosequi cupientes, fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus, postquam dictum monasterium (ut praemittitur, iam inceptum) constructum fuerit et sufficienter dotatum pro praedicto numero dictarum sororum et personis aliis ad earundem sororum et dicti monasterii servitia opportunis, ut eo liberius in eodem divinis laudibus intendatur, quo illud per sedem apostolicam potiori fuerit libertate munitum, praedictum monasterium cum membris et bonis ipsius quibuscunque habitis et habendis ab omni officio, iurisdictione et potestate tua et successorum tuorum episcoporum Isernien., qui erunt pro tempore, et cuiuslibet ordinarii et metropolitani loci auctoritate nostra eximere studeas et eidem etiam indulgere, quod ipsum monasterium et personae degentes in eo nunc et imposterum semper gaudeant omnibus exemptionibus, privilegiis, libertatibus et immunitatibus, quibus alia monasteria sororum dicti ordinis sanctae Clarae perfrui dignoscuntur. Datum Avinione, VI kalendas septembris, anno quarto.

404ª. Concedit indulgentias visitantibus ecclesiam monasterii s. Clarae Isernien. [4]

1320, augusti 27, Avinione.

Universis Christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Inter universa opera *etc.* Cum itaque dilectus filius nobilis vir Alferius de Isernia miles, cupiens terrena in coelestia et transitoria in aeterna felici commercio commutare, ob reverentiam Dei et gloriosae Virginis matris eius honorem, quoddam monasterium sororum ordinis sanctae Clarae in fundo suo proprio cum necessariis officinis ac loco apto et congruo pro capella propriis expensis, sicut asserit, aedificare inceperit, circa cuius consummationem facit assidue laborare, illudque intendat sic convenienter dotare, quod saltem viginti quinque sorores eiusdem ordinis in eo decenter valeant sustentari: nos cupientes, ut erga dictum monasterium fidelium devotio augeatur, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui ad ecclesiam seu capellam ipsius monasterii, postquam in eo sorores receptae fuerint et dotes sufficienter eidem (ut praemittitur) assignatae, in Nativitatis et Resurrectionis Dominicae, Pentecostes et Epiphaniae ac quatuor eiusdem beatae Virginis gloriosae, sanctorum apostolorum Petri et Pauli, sancti Francisci et ipsius sanctae Clarae festivitatibus devote accesserint annuatim, de omnipotentis Dei misericordia et eorundem apostolorum auctoritate confisi, quadraginta dies de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus. Datum Avinione, VI kalendas septembris, anno quarto.

405. Nicolao episcopo Anconitano et fratri Laurentio de Mondaino ord. Min. mandat, ut procedant contra quosdam cives Racanaten. et Auximan. ac Fredericum de Monteferetro. [5]

1320, augusti 28, Avinione.

Venerabili fratri Nicolao [6] *episcopo Anconitano*

[1] Reg. Vat. t. 70, ep. 1538, apud *Wadd.* l. c. p. 534, n. 74; cfr. supra n. 404.

[2] *Isernia* in provincia eccles. Capuan.

[3] In custodia Comitatus.

[4] Reg. Vat. t. 70, ep. 1542, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 73; cfr. supra n. 404.

[5] Reg. Vat. t. 70, f. 44, ep. 136 de curia.

[6] Cognom. « de Hungaris », qui ordinis Min. fuisse dicitur.

et dilecto filio fratri Laurentio de Mondaino [1] *ordinis Minorum.*

Coelestis agricolae mira benignitas *etc.* Nuper siquidem ad nostri apostolatus auditum relatio fidedigna perduxit, quod, cum olim publicae famae immo infamiae potius et notoriae insinuationis assertione clamante, quod nonnulli Racanatenses et Auximani cives Marchiae Anconitanae provinciae ad nos et Romanam ecclesiam pertinentes haeresum diversarum erroribus et horribilis idololatriae, quod dolentes reperimus, abhominatione [se] foedabant, tu frater Laurenti (tunc in memorata provincia, infra quam Racanatensis et Auximana civitates fore noscuntur, auctoritate apostolica pravitatis inquisitor eiusdem) contra eos, prout tibi ex officii tui debito incumbebat, inquirens iam usque ad publicationem attestationum in eiusdem inquisitionis negotio receptorum testium processisses, frater Thodinus minister provincialis eiusdem ordinis Minorum in provincia supradicta te ab eiusdem inquisitionis officio, prout sibi competere praetextu cuiusdam ipsius ordinis statuti dicebat, revocasse dinoscitur, tibi fratre Iacobo de Fabriano eiusdem ordinis subrogato. Cum igitur tu, praedicte frater Laurenti, inquisitionis praefatae circumstantias universas plene palpaveris et de omnibus contingentibus inquisitionem eandem informationem habeas pleniorem, nec frater Iacobus subrogatus praedictus posset de facili in eodem negotio informari, sicque negotium ipsum moram, quae dispendiosa ipsi negotio afferret pericula, posset recipere longiorem: nos periculis ipsis, prout debitum exigit apostolicae servitutis, occurrere sollicitis studiis intendentes, discretioni vestrae per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vos vel alter vestrum, praedictis revocatione ac subrogatione nequaquam obstantibus, negotium inquisitionis eiusdem in eo statu, in quo erat dictae revocationis aut subrogationis tempore, resumentes contra dictos cives ac « credentes », fautores, defensores et receptatores eorum iuxta formam canonum et auctoritatem fratribus tui ordinis, praedicte frater Laurenti, inquisitoribus pravitatis eiusdem deputatis eadem auctoritate apostolica concessam et alias ad sententiam ferendam in ipsius inquisitionis negotio et eiusdem executionem sententiae cum omni diligentia procedatis; volumus autem, quod vos et quilibet vestrum omnibus privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis inquisitoribus haereticae pravitatis sub quibusvis modo, forma vel expressione verborum concessis in negotio inquisitionis huiusmodi uti plene et libere valeatis omnemque potestatem et iurisdictionem per litteras et privilegia supradicta praefatis concessas inquisitoribus exercere. Datum Avinione, V kalendas septembris, anno quarto.

Eisdem.

Coelestis agricolae *etc. ut supra usque* inquisitor eiusdem, cum sollicite, prout tibi ex officii tui debito incumbebat, procederes contra eos, reperisti per inquisitionem eandem Fredericum de Monteferetro [2] in diversis articulis de huiusmodi haeresum labe et idololatriae foeditate suspectum, et demum, cum iam .... processisses, fr. Thodinus *etc. ut supra usque* resumentes, contra memoratum Fredericum super dictis articulis iuxta formam canonum *etc.* Datum ut supra. [3]

406. Indulget Minorissis Bononien., quod non teneantur ad decimas vel alia subsidia praestanda. [4]

1320, septembris 1, Avinione.

Dilectis in Christo filiabus .. abbatissae et conventui monasterii sororum Minorissarum sancti Francisci de Bononia ordinis sanctae Clarae seu sancti Damiani.

Exhibita nobis vestra petitio continebat, quod nos olim (pium et congruum reputantes, ut universas abbatissas et conventus monialium monasteriorum ordinis sanctae Clarae, sive sancti Damiani sive Minorissae dicerentur, illa prosequeremur gratia, quam conspiceremus earum necessitatibus opportunam) eis et singulis earum ad instar fel. rec. Bonifatii VIII praedecessoris nostri per nostras sub certa forma litteras duximus indulgendum, ut ad praestationem decimarum de quibuscunque possessionibus et aliis omnibus bonis, quae tunc habebant et iustis modis praestante Domino acquirerent in futurum, vel ad contribuendum in procurationibus quorundam ordinariorum et etiam legatorum et nuntiorum sedis apostolicae et quibuslibet talliis et collectis ac exhibendum paedagia, telonea et alias exactiones quibusvis regibus, principibus seu aliis personis saecularibus minime tenerentur nec ad id aliquatenus compelli valerent. Cum autem, sicut asseritis, tam occasione decimae, quae colligebatur de mandato fel. rec. Clementis papae V praedecessoris nostri et de mandato nostro in partibus illis ad praesens colligitur, quam etiam collectarum legatorum seu nuntiorum sedis apostolicae, quae in partibus illis exiguntur, per vos non solutarum nonnulli processus contra vos et monasterium vestrum tam per collectores ipsius decimae

[1] Cfr. infra n. 460.
[2] Cfr. infra nn. 455*a* et 461.
[3] Eisdem episcopo et inquisitori die 11 sept. 1320, ut in negotio, de quo supra, procedant, mandatur (Reg. Vat. t. 71, ep. 3 cfr. 77 de curia).
[4] Reg. Vat. t. 70, f. 573, ep. 1483; cfr. supra n. 283.

auctoritate nostra deputatos quam per eosdem legatos et nuntios habiti fore dicantur, nobis humiliter supplicastis, ut providere vobis in hac parte paterna diligentia dignaremur. Nos igitur, volentes, ut in quiete animi possitis virtutum Domino gratum impendere famulatum, vobis, ut ad solutionem tam huiusmodi decimae impositae seu in futurum auctoritate apostolica imponendae quam etiam collectarum legatorum et nuntiorum ipsius sedis impositarum et imposterum imponendarum minime teneamini, nisi expresse de vobis et ordine vestro in nostris litteris facta fuerit mentio specialis, auctoritate praesentium indulgemus ac quaslibet excommunicationis et interdicti sententias in vos et monasterium vestrum contra huiusmodi indulti nostri tenorem et processus contra vos ac monasterium vestrum habitos et habendos omnino carere viribus et nullius fore decernimus firmitatis. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, kalendis septembris, anno quarto.

406[a]. Praeficit Bertrandum de Turre ord. Min., ministrum provinciae Aquitaniae, ecclesiae Salernitan. in archiepiscopum. [1]

1320, septembris 3, Avinione.

Dilecto filio Bertrando electo Salernitan.

Romani pontificis *etc.* Sane ecclesia Salernitana per obitum bonae memoriae Onuphrii archiepiscopi Salernitani, qui nuper apud sedem apostolicam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, nos volentes eidem ecclesiae paterna sollicitudine praecavere, ne dispendia prolixae vacationis incurreret, ad provisionem ipsius ecclesiae (cum nullus praeter nos hac vice de ipsius ecclesiae ordinatione se intromittere potuerit pro eo, quod nos dudum, circa promotionis nostrae principium ad apicem apostolicae dignitatis, provisiones omnium tam cathedralium quam aliarum ecclesiarum tunc apud dictam sedem vacantium et vacaturarum in antea dispositioni nostrae reservantes, decrevimus ex tunc irritum et inane, si secus super his per quoscumque scienter vel ignoranter contingeret attentari) coepimus intendere diligenter; et post deliberationem, quam ad deputandum eidem ecclesiae personam utilem et etiam fructuosam, cuius industria probitatis salubriter dirigi posset ac in suis iuribus adaugeri et etiam defensari, cum nostris fratribus habuimus diligentem, tamdem ad te ordinis fratrum Minorum professorem, in sacerdotio constitutum ac sacrae theologiae magistrum, propter laudanda tuae conversationis merita, vitae munditiam, gravitatem morum, circumspectionis expertae prudentiam, insigne donum scientiae aliasque virtutes multiplices, quibus personam tuam bonorum dator Altissimus decoravit, nobis et eisdem fratribus nostris acceptum, direximus oculos nostrae mentis, teque de fratrum ipsorum consilio eidem Salernitanae ecclesiae praeficimus in archiepiscopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesiae tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo *etc.* Datum Avinione, III nonas septembris, anno quarto.

407. Elargitur indulgentias visitantibus monasterium « Corporis Christi » Neapolitan. ord. s. Clarae. [2]

1320, septembris 24, Avinione.

Universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis.

Speciosus forma et plenus gratia *etc.* Cum itaque carissima in Christo filia nostra Sanctia regina Siciliae illustris, offerre Deo cupiens piae mentis gratissimum holocaustum, ob ipsius reverentiam et gloriosissimae Virginis matris eius in civitate Neapolitana monasterium sororum fundandum duxerit et etiam construendum, quod « sancti Corporis Christi » vulgariter nuncupatur, [3] ubi chorus virgineus sororum ordinis sanctae Clarae in copioso numero gratum Altissimo praebeant famulatum: nos cupientes, ut erga dictum monasterium fidelium devotio augeatur et ad eius ecclesiam dicti fideles spiritualibus allecti muneribus in iubilo mentis frequenter accedant dona divinae gratiae percepturi, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui in festo eiusdem sancti Corporis, quod in die Iovis sancto et post festum [4] Pentecostes quinta feria celebratur, annum unum, eis vero, qui in ipsarum festivitatum octavis ad dictam ecclesiam devote accesserint annuatim, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, centum dies de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus. Datum Avinione, VIII kal. octobris, anno quinto.

408. Eximit idem monasterium a praestandis decimis aliisque contributionibus. [5]

1320, septembris 24, Avinione.

Dilectis in Christo filiabus abbatissae et conventui monasterii sororum inclusarum sancti Corporis Christi Neapolitan. ordinis sanctae Clarae.

Sacra vestra religio, quae in monasterio vestro a vobis sub onere paupertatis iugiter colitur, sic

---

[1] Reg. Vat. t. 70, ep. 1390, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 75; cfr. supra p. 134, n. 1.

[2] Reg. Vat. t. 71, ep. 398, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 91.

[3] Cfr. supra n. 381 et infra nn. 408 ac 422.

[4] *Vel potius:* post octavam festi.

[5] Reg. Vat. t. 71, ep. 460, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 90.

a vobis mundanae dissolutionis relegavit illecebras *etc.* Hinc est, quod nos pium et congruum reputantes, ut vos illa prosequamur gratia, quam vestris necessitatibus conspicimus opportunam, vobis auctoritate praesentium indulgemus, ut ad praestationem decimarum de quibuscunque possessionibus et aliis omnibus bonis vestris, quae in praesentiarum habetis et iustis modis praestante Domino acquisiveritis in futurum, vel ad contribuendum in procurationibus quorumlibet ordinariorum et etiam legatorum et nuntiorum sedis apostolicae, et quibuslibet talliis et collectis, et ad exhibendum paedagia, telonia et alias exactiones quibusvis regibus, principibus seu aliis personis saecularibus minime teneamini nec ad id compelli aliquatenus valeatis, omnes sententias excommunicationis, suspensionis et interdicti, quas contra haec in personas vestras seu praefatum monasterium proferri contigerit, decernentes tenore praesentium irritas et inanes. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, VIII kal. octobris, anno quinto.

409. Committit episcopis Iserniensi et Suessano, ut confirment electionem de Matthaeo ord. Min. in archiepiscopum Surrentin. factam, si eam invenerint canonicam. [1]

1320, octobris 3, Avinione.

Venerabilibus fratribus .. Isernien. et .. Suessanen. episcopis. [2]

Militanti ecclesia *etc.* Sane dudum, sicut accepimus, ecclesia Surrentina [3] per obitum bonae memoriae Richardi archiepiscopi Surrentini vacante, dilecti filii capitulum ipsius ecclesiae, vocatis omnibus, qui voluerunt, debuerunt et potuerunt commode interesse, die ad eligendum praefixa, ut moris est, convenientes in unum pro futuri substitutione pastoris et deliberantes per viam procedere compromissi, in dilectos filios Matthaeum de sancta Cruce et Matthaeum Sersari Verulan. (?) et Matthaeum Sersarii Serviente Surrentin. et Hugonem de Castro Penario Beneventan. ecclesiarum canonicos compromittere curaverunt, promittentes, quod illum in suum et ipsius ecclesiae Surrentinae archiepiscopum reciperent et haberent, quem dicti compromissarii in archiepiscopum eiusdem ecclesiae concorditer ducerent eligendum. Ipsi vero huiusmodi compromisso recepto, secedentes in partem, et demum inter se praehabita deliberatione diligenti, dilectum filium Matthaeum de Capua ordinis Minorum in Surrentinum archiepiscopum unanimiter et concorditer elegerunt, qui, sicut asseritur, obtenta a suo superiore licentia, huiusmodi electioni de se factae, sibi per specialem eiusdem capituli nuntium praesentatae, consensit ac postmodum, licet ipse ad prosequendum negotium electionis huiusmodi et accedendum personaliter ad sedem apostolicam se parasset, tamen carissima in Christo filia nostra Maria regina Siciliae illustris [4] et dilectus filius Carolus (primogenitus carissimi in Christo filii nostri Roberti regis Siciliae illustris) dux Calabriae, diligentius attendentes, quod praesentia eiusdem Matthaei, utpote sicut asseritur viri providi ac discreti, erat circa eorum obsequia in illis partibus opportuna, voluerunt, quod in illis partibus maneret, ac nobis per suas litteras cum instantia supplicarunt, ut tum propter hoc tum propter maris et terrae pericula, quae de partibus illis venientibus ad sedem praedictam incumbere dignoscuntur, a personali comparitione dignaremur eumdem habere de ipsius sedis gratia excusatum; et tam ipsi quam praefati capitulum, qui cum decreto electionis huiusmodi duos canonicos Surrentinos ad sedem destinarunt eamdem, nobis per suas litteras humiliter supplicarunt, ut examinationem electionis huiusmodi et personae ipsius electi et confirmationem eiusdem electionis aliquibus discretis in illis partibus committere dignaremur.

Volentes igitur eiusmodi ecclesiae Surrentinae obviare dispendiis, quae possent ei ex vacatione diutina imminere, eumdem Matthaeum propter praemissas causas a personali comparitione, quam nobis infra statutum tempus a canone facere tenebatur, de gratia speciali excusatum habemus, felicis recordationis Nicolai papae IV praedecessoris nostri et qualibet constitutione contraria non obstante. De vestra igitur circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes, fraternitati vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel alter vestrum, Deum habendo prae oculis, de modo electionis, eligentium studiis et electi meritis et praefata licentia, quae sibi asseritur concessa, inquiratis diligentius veritatem, et, si praedictam electionem canonicam repereritis et de persona idonea canonice celebratam sibique fuisse concessam licentiam supradictam, ipsam auctoritate vestra confirmare curetis, impendendo vel faciendo eidem electo munus consecrationis impendi ac facientes sibi a suis subditis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi: contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. [5] Datum Avinione, V nonas octobris, anno quinto.

---

[1] Reg. Vat. t. 71, ep. 304, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 92.

[2] Ecclesiae Iserniensi *(Isernia)* tunc praeerat Petrus, Suessanae *(Sessa)* Bertrandus.

[3] *Sorrento* prope Neapolim.

[4] Mater Roberti regis.

[5] Eidem Matthaeo iam consecrato Ioannes XXII die 15 aug. 1321 assignari iussit pallium.

410. Ioanni de Beccaria ord. Min. committit administrationem ecclesiae Papien. (*Pavia*). [1]

1320, novembris 16, Avinione.

Dilecto filio fratri Ioanni de Beccaria ordinis fratrum Minorum, administratori ecclesiae Papien. in spiritualibus et temporalibus auctoritate apostolica deputato.

Dudum in Isnardum quondam patriarcham Antiochenum, tunc administratorem ecclesiae Papien., exigentibus suis multiplicibus demeritis atque culpis perpetuae depositionis sententiam duximus promulgandam, omni honore et patriarchali dignitate ac administratione dictae ecclesiae Papien. privantes eumdem. [2] Porro dilectus filius noster Bertrandus tituli sancti Marcelli presbyter cardinalis, apostolicae sedis legatus, ne praefata Papien. ecclesia providi gubernatoris destituta regimine in spiritualibus et temporalibus subiret gravia detrimenta, curam et administrationem ac gubernationem eiusdem ecclesiae in spiritualibus et temporalibus tibi auctoritate apostolica, eidem Bertrando specialiter in hac parte concessa duxit per suas litteras committendam, gerendam a te et libere in omnibus exercendam. Quocirca discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus curam et administrationem huiusmodi sic geras sollicite, fideliter et prudenter, circa possessionum recuperationem et iurium ipsius ecclesiae distractorum studium attentae sollicitudinis adhibendo, quod a retributore bonorum aeternae retributionis praemium assequi merearis nosque devotionem tuam propter hoc possimus dignis in Domino laudibus commendare. Datum Avinione, XVI kal. decembris, [3] anno quinto.

411. Mandat episcopo Tolonen., quod beguinas de castro de Areis suae dioecesis in statu ipsarum dimittat et manuteneat. [4]

1320, novembris 22, Avinione.

Venerabili fratri [Elzeario] episcopo Tolonensi.

Cum de mulieribus, quae beghinae vulgariter et communius nuncupantur, felicis recordationis Clementi papae V praedecessori nostro praecipue de Alamanniae partibus multa fuissent insinuata sinistra, praesertim quod earum aliquae de summa Trinitate et divina essentia disputare et etiam praedicare, circa articulos quoque fidei et ecclesiastica sacramenta opiniones eidem fidei contrarias introducere multorumque simplicium animos in diversos super iis errores inducere ac alia multa periculum animarum patientia facere subfucatae sanctitatis velamine praesumebant, ex quibus nec non et aliis de dictis mulieribus frequenter auditis habens eas dictus praedecessor non indigna ratione suspectas, statum ipsarum prohibendum duxit et a Dei ecclesia penitus abolendum (in illas, quae statum huiusmodi iam assumptum sectarentur ulterius, aut quae de novo illum assumerent, excommunicationis sententiam promulgando). Cum attamen carissima in Christo filia nostra Sancia regina Siciliae illustris nuper ad auditum apostolatus nostri deduxerit, esse plurimas in castro de Areis tuae dioecesis huiusmodi mulieres beguinas de Robaudo nuncupatas, quae per virtutum odoramenta currentes honeste vivunt, devote frequentant ecclesias, praelatis suis reverenter obediunt et se in praemissis disputationibus et erroribus non involvunt nec suas vel aliorum animas per opiniones erroneas et ab evangelica veritate degeneres damnabili praesumptione decipiunt, sed in sancta et solida simplicitate viventes in eodem habitaculo ad tutiorem castitatis observantiam immorantur et sic ab hactenus vixerunt laudabiliter atque vivunt, quod nulla unquam super hiis fuit vel est suspicio vel infamia contra ipsas: fuit nobis pro parte dictae reginae humiliter supplicatum, ut providere super hiis per apostolicae sedis providentiam dignaremur. Nos igitur indignum et rationi contrarium reputantes, si probas et reprobas similis censura percelleret, et dictae reginae et dictarum mulierum humilibus supplicationibus inclinati, fraternitati tuae, de qua plenam in Domino fiduciam gerimus, per apostolica scripta mandamus, quatenus per te vel alium de vita dictarum mulierum diligentius informatus, si praemissa veritate nitantur, ut praefertur, dictas mulieres laudabiliter viventes libere remanere permittas iuxta modum et ritum per eas hactenus debite et diutius observatum: sic quod per te non molestentur nec permittas eas vel ipsarum aliquam in personis et bonis earundem occasione prohibitionis et abolitionis huiusmodi, quousque de statu earum fuerit aliter per sedem apostolicam ordinatum, ab aliquo vel aliquibus molestari, molestatores, si qui fuerint, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Non obstante *etc.* Datum Avinione, X kalendas decembris, anno quinto.

---

[1] Reg. Vat. t. 71, ep. 865, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, p. 93.

[2] Qui quidem (ex ord. Praed.) postmodum rehabilitatus est, commisso sibi regimine ecclesiae Theban., cui praeerat, antequam patriarcha Antiochen. factus est.

[3] Non «septembris», sicut legitur apud *Wadd.* - In eumdem modum scriptum est: archidiacono et capitulo ecclesiae Papien., clero ac populo civ. et dioec. Papien., universis vassallis ecclesiae Papien.

[4] Reg. Vat. t. 71, f. 126, ep. 180.

412. Raymundum Minoritam praeficit ecclesiae Vigintimilien. in episcopum. [1]

1320, novembris 26, Avinione.

Venerabili fratri Raymundo electo Vigintimilien.

Inter caetera *etc.* Dudum siquidem bonae memoriae Octone episcopo Vigintimilien. regimini Vigintimilien.[2] ecclesiae praesidente, nos cupientes eidem ecclesiae, quamprimum ipsam quocumque modo vacare contingeret, personam iuxta cor nostrum idoneam, quae tanto oneri et honori congrueret, praesidere, provisionem ipsius ecclesiae ea vice dispositioni nostrae et sedis apostolicae duximus specialiter reservandam, decernentes extunc irritum et inane, si secus per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attentari. Postmodum vero eodem Octone rebus humanis exempto, dilecti filii capitulum eiusdem ecclesiae, huiusmodi nostrae reservationis forsan ignari, Iacobum de Maximino presbyterum Alben. dioecesis de facto in Vigintimilien. episcopum elegerunt. Nos igitur attendentes, quod nullus praeter nos de provisione praefatae ecclesiae hac vice se intromittere poterat reservatione obsistente praedicta, praefatam electionem de ipso Iacobo, utpote post et contra praefatam reservationem de facto praesumptam, irritam prout erat decrevimus et inanem. Deinde vero de salutari provisione ipsius ecclesiae, ne prolixae vacationis exponeretur incommodis, sollicite cogitantes, post deliberationem, quam cum fratribus nostris ad deputandum eidem ecclesiae personam utilem, cuius industria et sollicitudine valeret utiliter dirigi et in suis iuribus adaugeri, demum ad te ordinem fratrum Minorum expresse professum, poenitentiarium nostrum, in sacerdotio constitutum, virum utique, prout nos familiaris experientia docuit, litterarum scientia praeditum, vitae ac morum honestate decorum aliisque virtutum meritis insignitum, dereximus oculos mentis nostrae: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua nobis et eisdem fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta de ipsorum fratrum consilio eidem Vigintimilien. ecclesiae auctoritate apostolica providemus, teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo *etc.* Datum Avinione, VI kalendas decembris, anno quinto. [3]

413. Priorem generalem ord. Er. s. Aug. certiorem reddit de optione quibusdam fratribus, qui de eius ordine ad religionem fratrum Min. transierant, concessa. [4]

1320, decembris 4, Avinione.

Dilectis filiis .. priori generali et fratribus ordinis Heremitarum sancti Augustini.

Ex officii nostri debito *etc.* Nuper siquidem .. vestri et .. Minorum ordinum procuratoribus in nostra et fratrum nostrorum praesentia constitutis pro parte dicti procuratoris ipsius vestri ordinis propositum extitit cum querela, quod (licet felicis recordationis Alexander papa IV praedecessor noster .. generali et universis provincialibus ministris et fratribus dicti ordinis Minorum in virtute obedientiae districte praecipiendo mandasset, ne aliquos in eodem ordine vestro professos sine petita et obtenta suorum priorum licentia reciperent ad ordinem eorundem, prout in litteris ipsius praedecessoris inde confectis plenius continetur [5]) nonnulli tamen guardiani et fratres praefati ordinis Minorum in Yberniae partibus contra mandatum huiusmodi pro eorum libito venientes Stephanum Floring, Ioannem Callam, Ioannem Draac, Ricardum Callam et Ioannem de Ros presbyteros eundem vestrum ordinem professos, qui fuerant in eo diutius conversati, ad dictum eorum ordinem non petita nec obtenta suorum priorum licentia receperunt ipsosque professos praeter dictum Ioannem de Ros in ipso eorum ordine retinent prioribus et fratribus dicti vestri ordinis, de quorum locis iidem professi fuerant, renitentibus et invitis; et quia idem Ioannes de Ros poenitentia ductus redierat ad vestrum ordinem praelibatum, quidam de guardianis ex fratribus supradictis eiusdem ordinis Minorum (praetendentes, quod dictus praecessor universis prioribus et fratribus dicti vestri ordinis per alias suas inhibuerat litteras, ne aliquos fratres dicti ordinis Minorum recipere vel retinere praesumerent in eodem ordine vestro absque superiorum suorum petita licentia et obtenta, et decreverat irritum et inane, quicquid per eosdem priores et fratres ipsius vestri ordinis contra huiusmodi suam inhibitionem dictis prioribus et fratribus ipsius vestri ordinis factam fuisset attentatum, propter quod insuper incurrerent excommunicationis sententiam ipso facto, et prior et fratres domus de Ros praefati vestri ordinis Fernensis dioecesis, pro eo quod ipsum Ioannem de Ros post eius exitum ab eodem ordine

---

[1] Reg. Vat. t. 71, ep. 270, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 94.

[2] *Ventimiglia*, olim in Mediolan., nunc in Ianuen. provincia ecclesiastica.

[3] Eidem Raymundo Ioannes XXII die 3 iulii 1321 episcopum Regen. ac praepositos Foroiulien. et Grassen. constituit conservatores iurium ipsius et die 1 augusti 1321 ecclesiam s. Ampelii dioec. Vigintimil. (per praepositum et canonicos O. S. A. gubernari solitam) concedit in commendam (Reg. Vat. t. 72, ep. 1382 et 1383). Cfr. infra n. 730.

[4] Reg. Vat. t. 72, f. 300, ep. 1672.

[5] Cfr. huius op. t. II, p. 414, not. c.

Minorum receperant, sententiam ipsam incurrerant) tam eosdem priorem et fratres de Ros quam ipsum Ioannem de Ros excommunicatos nuntiarunt et non desinunt nuntiare, dictusque Ioannes de Ros eodem ordine vestro iterate dimisso discurrit per Yberniam velut ovis devia sine duce. Cum autem a nobis fuisset pro parte vestra suppliciter postulatum, ut providere super hiis de apost. sedis benignitate dignaremur, nos ad statum salutiferum utriusque ordinis intendentes ac vestrarum et fratrum dicti ordinis Minorum mentium cunctorumque aliorum fidelium quietem affectantes et pacem, de fratrum nostrorum praefatorum consilio taliter super praemissis duximus providendum, quod praefati professi dictum vestrum ordinem, qui ut praedicitur in dicto Minorum ordine sunt recepti, remanendi in eodem ordine Minorum vel ad ipsum vestrum ordinem redeundi, etiam si professi fuissent in ordine Minorum eodem, ac praefatus Ioannes de Ros vestrum, etiam si in dicto Minorum ordine professus fuisset, seu ipsorum Minorum ordinem reintrandi liberam habeant optionem, nisi vos contra dictos professos vestros in eodem ordine Minorum receptos, etiam si in eo ut praefertur professi fuissent, vel vos aut dicti fratres eiusdem ordinis Minorum contra ipsum Ioannem de Ros causas aliquas rationabiles habeatis, quare vos eosdem professos vestros ac vos seu dicti fratres ordinis Minorum dictum Ioannem de Ros nolletis recipere, super hoc optionem huiusmodi alias ut praedicitur habituros; volentes quoque dictorum prioris et fratrum de Ros, qui occasione huiusmodi receptionis praefati Ioannis dictam sententiam ut proponitur incurrisse dicuntur, et eiusdem Ioannis, qui propter apostasiam ipsius praeterea commissam similem sententiam dicitur incurrisse, nec non aliorum professorum vestrorum in eodem ordine Minorum ut supradicitur receptorum, si dictam sententiam incurrisse[n]t, ex nunc animarum saluti celeriter providere, praefatam sententiam auctoritate apostolica relaxamus. Nulli *etc.* Datum Avinione, II nonas decembris, anno quinto.

414. Concedit Isabellae, Philippi V regis Franciae filiae, facultatem visitandi Blancam monialem mon. de Longocampo, germanam suam. [1]

1320, decembris 13, Avinione.

Dilectae in Christo filiae Isabellae, natae carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Franciae et Navarrae illustris.

Devotionis tuae sinceritas promeretur, ut tuis in hiis etiam, quae tibi dulcedinem consolationis afferant, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Hinc est, quod nos tuis supplicationibus inclinati, ut quoties et quando volueris, clausuram et septa monasterii monialium de Longocampo prope Parisius ordinis sanctae Clarae cum decenti militum et mulierum aetatis provectae comitiva (illius religiosi, qui praeerit regimini animarum monasterii praefati, arbitrio, super quo ipsius religiosi conscientiam oneramus) libere introire valeas causa visitandi dilectam in Christo filiam Blancam sororem tuam, ipsius monasterii monialem, dummodo tu ac milites et mulieres praedicti non comedatis nec pernoctetis in monasterio antedicto. Non obstantibus quibuscunque statutis *etc.* Datum Avinione, idibus decembris, anno quinto.

415. Concedit Margaritae, Philippi V regis Franciae filiae, facultatem visitandi Blancam praedictam, germanam suam. [2]

1320, decembris 13, Avinione.

Dilectae in Christo filiae Margaritae, natae carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Franciae et Navarrae illustris.

Sinceritas tuae devotionis instanter exposcit, ut petitionibus tuis *etc.* Hinc est, quod nos tuis *etc.* *ut supra n. 414* tibi auctoritate praesentium indulgemus. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, idibus decembris, anno quinto.

416. Ioannae reginae Franciae indulget, ut medicus ipsius reginae visitare valeat praedictam Blancam filiam. [3]

1320, decembris 13, Avinione.

Carissimae in Christo filiae nostrae Ioannae reginae Franciae et Navarrae illustri.

Magnitudo tuae devotionis erga nos et sedem apostolicam promeretur *etc.* Hinc est, quod nos tuis devotis supplicationibus inclinati, ut ad visitandam dilectam in Christo filiam Blancam natam tuam, monialem monasterii de Longo campo prope Parisius ordinis sanctae Clarae, aliquem de tuis vel carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Franciae et Navarrae illustris medicis eligere tibi liceat, quoties de tua processerit voluntate, idemque medicus clausuram ipsius monasterii licite introire valeat, statum ipsius Blanchae tibi postmodum recto sanoque iudicio relaturus, dummodo dictus medicus in eodem monasterio non comedat nec pernoctet, quibuscunque statutis et consuetudinibus contrariis... non obstantibus, tibi et ipsi medico auctoritate praesentium indulgemus. Nulli *etc.* Datum Avinione, idibus decembris, anno quinto.

---

[1] Reg. Vat. t. 71, f. 224, ep. 477. Cfr. supra n. 364*a*.
[2] Reg. Vat. t. 71, f. 224, ep. 478. Cfr. supra n. 364*a*.
[3] Reg. Vat. t. 71, f. 224, ep. 479; cfr. supra n. 361 et infra n. 480.

417. Episcopis Cameracen., Tornacen., Parisien. idem mandat de beghinis, quod paulo ante mandaverat episcopo Tolonen. [1]

1320, decembris 31, Avinione.

Venerabili fratri .. episcopo Cameracensi.

Cum de mulieribus, quae beghinae vulgariter et communius appellantur, felicis recordationis Clementi papae V praedecessori nostro praecipue de Alamanniae partibus *etc. ut in epist. 180 [supra n. 411 relata]*. Volumus autem, quod praedictas mulieres attente et accurate praemoneas eisque districte praecipias, ne de huiusmodi disputationibus contra huiusmodi praedicti praedecessoris nostri prohibitionis et abolitionis tenorem se aliquatenus intromittant, sed in dictis operibus persistentes et proficientes semper de virtutibus in virtutes mereantur retributionis aeternae praemium, quod non inchoantibus sed perseverantibus in consummatione praestatur. Datum Avinione, II kalendas ianuarii, anno quinto.

In eundem modum venerabili fratri .. episcopo Tornacensi.

In eundem modum venerabili fratri .. episcopo Parisiensi.

418. Gerardum Minoritam praeficit ecclesiae Bruniaten. in episcopum. [2]

1321, ianuarii 16, Avinione.

Dilecto filio Gerardo electo Bruniaten.

Rationis oculis intuentes *etc.* Sane dudum ecclesia Bruniaten. [3] per obitum bonae memoriae Iacobi Bruniaten. episcopi solatio destituta pastoris, Franciscus filius quondam Ioannis Alegrini, presbyter Bruniaten., cum omnes eiusdem ecclesiae canonici tunc ab eadem ecclesia absentes essent nec ibidem sine personarum suarum periculis tute residere valerent, falso asserens se fore ecclesiae praedictae canonicum, cum non esset, et ad eum ea vice ius eligendi episcopum pertinere, rectorem ecclesiae de Coczana Bruniaten. dioecesis de facto, cum de iure non posset, in episcopum Bruniaten. elegit, et tam Franciscus quam rector praedicti electionem huiusmodi, cui idem rector suum consensum praebuisse infra tempus debitum praetendebat, petierunt a venerabili fratre nostro archiepiscopo Ianuen., loci metropolitano, auctoritate metropolitica confirmari, idemque archiepiscopus, ipsius electionis discusso negotio, electionem ipsam tamquam attentatam ab illo, ad quem electio eadem de iure minime pertinebat, decrevit irritam et inanem iustitia suadente. Deinde vero dilecti filii capitulum ipsius ecclesiae dilectum filium Bernardum abbatem monasterii sancti Siri Ianuen. ordinis sancti Benedicti, tunc in Romana curia existentem, in Bruniaten. episcopum concorditer elegerunt, dictusque abbas, huiusmodi electionis per procuratorem dictorum capituli in dicta curia sibi praesentato decreto, eidem electioni renuit consentire, dictique capitulum postmodum te, ordinem fratrum Minorum expresse professum et in sacerdotio constitutum, in eorum et dictae ecclesiae Bruniaten. episcopum et pastorem concorditer elegerunt. Demum tu certis ex causis omne ius, si quod tibi ex huiusmodi electione fuerat acquisitum, resignasti libere in manibus venerabilis fratris nostri Nicolai episcopi Ostien., de mandato nostro vivae vocis oraculo sibi facto resignationem huiusmodi admittentis.

Nos autem de ordinatione praedictae ecclesiae sollicite cogitantes ac pensantes virtutum merita, quibus personam tuam virtutum Dominus multipliciter decoravit, post vigilem, quam circa provisionem dictae ecclesiae faciendam habuimus diligentiam, ad te nostrae mentis oculos duximus convertendos, teque, cui litterarum scientia, vitae munditia, morum honestas, prudentia spiritualium et temporalium providentia suffragantur, de fratrum nostrorum consilio et apostolicae plenitudine potestatis eidem ecclesiae praeficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi tam in spiritualibus quam temporalibus plenarie committendo *etc.* Datum Avinione, XVII kalendas februarii, anno quinto.

419. Transfert Raymundum episcopum Alben. (ex ord. Min.) ad eccl. Theatin. [4]

1321, februarii 9 (?) Avinione.

Venerabili fratri Raymundo episcopo Theatino.

Romani pontificis *etc.* Dudum siquidem ecclesia Theatina [5] ad Romanam ecclesiam immediate spectante per obitum bonae memoriae Petri episcopi Theatini pastoris solatio destituta, dilecti filii capitulum ipsius ecclesiae (vocatis omnibus, qui voluerunt, debuerunt et potuerunt commode interesse pro electione futuri episcopi inibi celebranda), die ad hoc praefixa convenientes in unum, dilectum filium Guillelmum de Gigniaco [6] ordinis fratrum Minorum in eorum et dictae ecclesiae episcopum per viam compromissi concorditer elegerunt, qui post consensum per eum huiusmodi electioni de sui superioris licentia praestitum personaliter ad aposto-

---

[1] Reg. Vat. t. 71, f. 159, ep. 287 et f. 192 ep. 391. Ecclesiae Cameracen. *(Cambrai)* tunc praeerat Petrus, Tornacensi *(Tournay)* Guido, Parisiensi Stephanus.

[2] Reg. Vat. t. 71, ep. 355, apud *Wadd.* l. c., n. 95.

[3] *Brugnato* in Liguria.

[4] Reg. Vat. t. 71, f. 271, ep. 607.

[5] *Chieti* in Aprutio.

[6] Cfr. infra n. 420 not. 2 (p. 196 not. 4).

licam sedem accedens, praesentato nobis eiusdem electionis decreto, a nobis humiliter petiit, ut electionem confirmaremus eandem, in omnibus hiis statutis a iure temporibus observatis. Cumque procurator ipsius ordinis procuratorio nomine eiusdem ordinis electioni huiusmodi se opponens electionem ipsam certis impugnaret ex causis et occasione oppositionis huiusmodi inter eosdem Guillelmum et procuratorem fuisset coram aliquibus ex fratribus nostris Romanae ecclesiae cardinalibus (successive super hoc a nobis auditoribus eisdem partibus deputatis) diutius litigatum, tandem, causa huiusmodi ultimo coram dilecto filio nostro Petro tituli sanctae Susannae presbytero cardinali pendente, dictus Guillelmus (volens vitare litigiorum anfractus et dictam ecclesiam a longioris vacationis incommodis praeservare) omni iuri, quod sibi ex huiusmodi electione quomodolibet competebat, pure ac libere in manibus nostris sua sponte renuntiare curavit. Nosque renuntiationem huiusmodi admittentes ac de ipsius ecclesiae provisione celeri, ne ulterius vacationis remaneret exposita detrimentis, sollicite cogitantes, ad te tunc episcopum Albensem, virum quoque vitae laudabilis ac morum honestate decorum, litterarum scientia praeditum, in spiritualibus providum et temporalibus circumspectum, nec non in executione pontificalis officii comprobatum, direximus aciem nostrae mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, volentes de persona tua eidem Theatinae ecclesiae providere, te a vinculo, quo Albensi ecclesiae, cui praeeras, tenebaris adstrictus, de fratrum nostrorum consilio et apostolicae plenitudine potestatis absolvimus, teque ad ecclesiam Theatinam transferimus supradictam ac te ipsi in episcopum praeficimus et pastorem, curam et administrationem illius tibi in spiritualibus et temporalibus committentes ac liberam tribuentes tibi licentiam ad ipsam Theatinam ecclesiam transeundi *etc.* Datum Avinione, IX kalendas martii, [1] anno quinto. [2]

420. Praeficit Guilelmum Minoritam ecclesiae Alben. in episcopum. [3]

1321, februarii 9, Avinione.

Dilecto filio Guillelmo [4] *electo Alben.*

Sedula nos pastoralis officii cura sollicitat *etc.* Dudum siquidem ecclesiae Alben. (pro eo, quod nos venerabilem fratrem nostrum Raymundum Theatin. olim Alben. episcopum, tunc et nunc in illis partibus commorantem, a vinculo, quo tenebatur eidem ecclesiae Alben., cui praeerat, absolventes, ad Theatin. ecclesiam tunc vacantem duximus transferendum) pastoris regimine destituta, nos volentes eidem Alben. ecclesiae paterna sollicitudine praecavere, ne dicta Alben. ecclesia dispendia prolixae vacationis incurreret (cum nullus praeter nos hac vice de ipsius Alben. ecclesiae ordinatione se intromittere potuerit, pro eo quod nos dudum circa promotionis nostrae principium ad apicem apostolicae dignitatis provisiones omnium ecclesiarum, etiam cathedralium, tunc apud sedem apostolicam vacantium, et quas per translationem episcoporum et electorum, quam per nos de ipsis extra Romanam curiam existentibus fieri contingeret, vacare contingeret in futurum, dispositioni nostrae et sedis eiusdem duximus specialiter reservandas, decernentes *etc.*), post deliberationem, quam cum fratribus nostris ad deputandum eidem ecclesiae Alben. personam utilem ac etiam fructuosam, cuius industria probitatis in suis valeret iuribus adaugeri ac etiam defensari, habuimus diligentem, ad te ordinis fratrum Minorum, ordinem ipsum expresse professum, in sacerdotio constitutum, cui de litterarum scientia, vitae munditia, honestate morum et vitae et aliis virtutum meritis fide digna testimonia suffragantur, direximus aciem nostrae mentis. Quibus omnibus diligenti meditatione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus ob huiusmodi tuorum exigentiam meritorum accepta, de ipsorum fratrum consilio eidem Alben. ecclesiae providemus teque ipsi Alben. ecclesiae in episcopum praeficimus et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo *etc.* Datum Avinione, V idus februarii, anno quinto. [5]

421. Mandat episcopo Spirensi (*Speyer* in Germania), ut capiat Franciscum de Lutra, apostatam ord. Min., eumque ad curiam Rom. transferat. [6]

1321, februarii 13, Avinione.

Venerabili fratri [Emichoni] episcopo Spirensi.

Super gregem dominicum *etc.* Nuper siquidem dilecti filii minister et fratres ordinis Minorum in

[1] Sic legitur in registro; sed hanc translationem non post 9 febr. 1321 factam esse apparet ex litt., quae proxime sequuntur.

[2] In eundem modum dilectis filiis capitulo Theatinae ecclesiae ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, clero et populo civ. et dioec. Theatin. atque universis vassallis ecclesiae Theatinae. — Eidem Raymundo Ioannes XXII 1321 iulii 1 episcopos Venafran., Valven., Calven. constituit conservatores et iudices iurium ipsius (Reg. Vat. t. 72, ep. 989).

[3] Reg. Vat. t. 71, f. 202, ep. 423, apud *Wadd.* l. c., reg. pont. Io. XXII, n. 96.

[4] Qui idem atque ille Guilelmus de Gigniaco esse videtur, de quo in litteris, quae proxime praecedunt; alias ei cognomen « de Civitella » est. In aliquibus litteris Io. XXII fratri Francisco ord. Min., germano eius, cognomen « de Cancella » tribuitur.

[5] Eidem Guilelmo per Galhardum archiepiscopum Arelaten. iam consecrato mandatur 23 febr. 1321, ut ad ecclesiam sibi commissam cum plenitudine gratiae apost. sedis accedens eam prudenter et fideliter regere studeat (l. c. ep. 426).

[6] Reg. Vat. t. 71, ep. 379; cfr. « Vatik. Akten zur deutschen Geschichte » p. 127, n. 236, et p. 120, n. 222; infra n. 459.

nostra et fratrum nostrorum praesentia fecere proponi, quod, licet nos olim contra illos ipsius ordinis fratres pestiferos, in quorum cordibus hostis antiquus... quosdam seminavit errores, quique... errores huiusmodi aliis praedicabant, modum certae provisionis salubris duximus apponendum, [1] tamen Franciscus de Lutra [2] professus ordinem antedictum ab ordine apostatavit eodem, eius fugiens disciplinam, ac post et contra provisionem huiusmodi quorundam Spirensium favore suffultus contra dictum ordinem in vocem appellationis prorupit, causas falsas inserens in eadem et ipsi suae appellationi non deferens coram clero et populo Spirensi contra statum dicti ordinis publice praedicare infamatoria non expavit, dampnatam Sarraboytarum [3] sectam satagens suscitare. Inter cetera namque idem Franciscus, prout memorata propositio continebat, patenter praedicare praesumpsit, quod non essent in statu salutis fratres ordinis praelibati, supradictos fratres erroneos approbando et dicendo, quod iniuste processum fuerat contra eos, quodque peccaret mortaliter, quicunque daret eleemosynam fratribus ordinis memorati, aliaque superstitiosa et falsa, quae praesentibus ex causa non duximus inserenda, in nostrum et apostolicae sedis contemptum, dicti ordinis obprobrium, plurimorum scandalum et animae suae perniciem palam non est veritus praedicare illaque in sermonibus... suis publice proponere non desistit. *Mandat igitur summus pontifex episcopo, quatenus sine morae dispendio praefatum Franciscum, sive in iurisdictione sua seu in alio loco illarum partium, ad quas sine periculo poterit destinare, caute perquiri faciat ipsumque ad sedem apostolicam sub fida custodia destinare procuret, suam si poterit innocentiam ostensurum, alioquin pro suis meritis puniendum.* Dat. Avinione, idibus februarii, anno quinto. [4]

---

[1] Cfr. supra nn. 289, 297, 302 constitutiones *Quorundam exigit, Sancta Romana, Gloriosam ecclesiam.*

[2] *Kaiserslautern* in dioecesi Spirensi.

[3] Sarabaitarum (cfr. supra n. 195, p. 80, not. 6), de quibus in Ioannis Cassiani collat. XVIII, § 4-7 (Corp. script. eccl. lat., vol. XIII, pp. 509-517) haec legimus: « Tria sunt in Aegypto genera monachorum, quorum duo sunt optima, tertium tepidum atque omnimodis evitandum. Primum est coenobitarum, qui scilicet in congregatione pariter consistentes unius senioris iudicio gubernantur....; secundum anachoretarum, qui prius in coenobiis instituti iamque in actuali conversatione perfecti solitudinis elegere secreta....; tertium reprehensibile Sarabaitarum est...., illud deterrimum et infidele monachorum genus..., qui ab eo, quod semetipsos a coenobiorum congregationibus sequestrarent ac singillatim suas curarent necessitates, Aegyptiae linguae proprietate Sarabaitae nuncupati sunt, de illorum quos diximus numero procedentes, qui evangelicam perfectionem simulare potius quam in veritate adripere maluerunt, aemulatione scilicet eorum vel laudibus provocati, qui universis divitiis mundi perfectam Christi praeferunt nuditatem. Hi igitur, dum imbecillo animo rem summae virtutis adfectant vel necessitate ad hanc professionem pervenire compulsi, dum censeri tantummodo nomine monachorum absque ulla studiorum aemulatione festinant, coenobiorum nullatenus expetunt disciplinam nec seniorum subduntur arbitrio aut eorum traditionibus instituti suas discunt vincere voluntates nec ullam sanae discretionis regulam legitima eruditione suscipiunt, sed ad publicam tantummodo id est ad hominum faciem renuntiantes aut in suis domiciliis sub privilegio huius nominis iisdem obstricti occupationibus perseverant, aut construentes sibi cellulas easque monasteria nuncupantes suo iure in eis ac libertate consistunt..., qui districtionem ut diximus coenobii declinantes bini vel terni in cellulis commorantur, non contenti abbatis cura aut imperio gubernari, sed hoc praecipue procurantes, ut absoluti a seniorum iugo exercendi voluntates suas ac procedendi vel quo placuerit evagandi agendive quod libitum fuerit habeant libertatem, etiam amplius in operibus diurnis quam hi, qui in coenobiis degunt, diebus ac noctibus consumuntur, sed non ea fide eodemque proposito ».

[4] *Iste Franciscus de Lutra, Spiritualium non minimus, die 6 decembris 1320 foribus ecclesiae Spiren. sequentem declarationem, quae in archivo Vaticano inter « miscellanea » asservatur, appenderat:* « Ecce ego Franciscus frater ordinis beati Francisci, postquam inspirationi divinae ad plenum parui, in publicatione deviorum voti fratrum, qui se dicunt ordinis beati Francisci, gratia Dei praeventus, existens in spiritu, audivi vocem divini spiraminis dicentem mihi: " sede cito et scribe! " et ego sedi et scripsi; et dixit mihi: " et tu, fili hominis, evangeliza quondam populo meo, nunc autem non populo, et dices ad eos: audite verbum divinum, fratres solo nomine, non re, Minores, quondam populus meus, nunc autem non populus. Haec dicit Dominus: retribuam vindictam in hostes servorum meorum, et propitius ero terrae populi mei. Quoniam inimici seu hostes servorum meorum maxime fuerunt domestici, ut patet ab initio temporis in Chaym Abil iustum occidente et progressu temporis in coetu filiorum Iacob Ioseph sanctum in exilium tamquam mortuum retrudente, ex multisque antiquis rerum hystoriis comprobatur, veritatem iustorum per domesticos, dum eam sciscitari poterant profundius, tendentes insidias facilius, multifarie fore laceratam et ex certa malitia impugnatam sive conculcatam. Quam veritatem vos, qui pro nunc dicimini fratres Minores sed non estis, in statu vestrae vocationis deserentes, in quo, ut liquet ex verbo beati Francisci, vocati estis Minores, ideo ut non per ecclesiasticas praeeminentias (pontificales seu quasvis alias huius saeculi dignitates) praesumeretis fieri maiores sive altiores, paternae eruditionis immemores tamquam filii degeneres, iam dudum multi ex vobis per subornationes indefessas, ambitione notorie plenas, ecclesiasticis dignitatibus se ingesserunt et ad easdem sic assumpti vestri praedecessores, in agnitionem plenam omnium occultorum totius ecclesiae meae sanctae et maxime plenitudinem auctoritatis summorum pontificum rimantes, callide subintroierunt, sumentes ex hoc diffugii voti vestri fundamentalem occasionem per inexemplatam praesumptionem, qua instigatione importuna fratrum ad praelaturas sic assumptorum rigoris ecclesiastici archana perscrutantium privilegiis infinitis vallati, statuta sanctorum patrum omnibus Christi fidelibus et maxime ecclesiasticis personis indistincte iniuncta sub specie simulatae sanctitatis talia impetrantes, iam ab eorum invariabilium observantia vos eximi procurastis temeritate inexemplata ab ullis personis ecclesiasticis tam saecularibus quam religiosis, veritatem, quam ecclesia mea sancta docet et tenet, non solum impugnare, verum etiam conculcare satagentes, productione privilegiorum statutis concilii Viennensis cassatorum tunicam Christi mei inconsutilem, scilicet unitatem spiritus Christi fidelium, quae subsistit in vinculo pacis, tota die litigiosis processibus nitimini lacerare, veritatem etiam agnitam impugnando, per quod iam Christi fideles in effrenem contemptum statutorum ecclesiae et

422. Archiepiscopos infra nominatos constituit conservatores iurium et privilegiorum monasterii « Corporis Christi » ord. s. Clarae Neapolitan. [1]

1321, februarii 16, Avinione.

Venerabilibus fratribus Neapolitan. et Capuan. ac Salernitan. archiepiscopis.

Etsi quibuslibet religiosis personis et locis ecclesiasticis ex iniunctae nobis servitutis officio assistere defensionis praesidio teneamur, illis tamen specialius et efficacius adesse nos convenit, quae non habent praeter Romanum pontificem alium defensorem. Cum itaque, sicut ex parte dilectarum in Christo filiarum abbatissae et conventus monasterii sancti Corporis Christi Neapolitan. ordinis sanctae Clarae conquestione percepimus, nonnulli archiepiscopi et episcopi, abbates, priores et alii clerici et ecclesiasticae personae tam religiosae quam saeculares, nec non comites, barones, nobiles, milites, universitates et alii saeculares civitatum et dioecesium et partium vicinarum, in quibus dictum monasterium consistere dignoscitur, occuparunt et occupari fecerunt grangias,

---

maxime in Alemannia induxistis, fastu vestrae vesanae pertinaciae, an per statuta concilii Viennensis privilegium Bonifatii VIII de communione corporis Christi sororibus et fratribus tertii ordinis concessum esset annullatum, ab eo, cuius solius interest et intererat interpretari et diffinire, summi pontificis, nunc Christi mei vicarii Ioannis XXII, requirere ac interpellare, antequam eo uteremini, infrunito animo contempsistis in tam notoria contradictione omnium sapientium totius Alemanniae, ex certa malitia adhuc in eodem persistendo, veritati quasi agnitae in hac parte cum remorsu conscientiae resistendo, nullo praelato ordinis tam notorium errorem corrigente, providentia mea infallibili hoc permittente, ut in tam notoria culpa voti vestri devia iam dudum occultata panderentur, ut cohercione condigna corrigantur. Et ideo in hostes servorum meorum, beati Francisci, s. Antonii, s. Lodewici vindictam retribuam, eo quod hii servi mei fastum terrenae praeeminentiae abnegantes doctrina et exemplo in aedificationem totius ecclesiae indefesse refulserunt. Quorum vestigia imitari in hiis, sine quibus non est salus, vos scandalose recusantes, notorie et publice comprobastis, quod hostes servorum meorum censemini, quia, si in tam notoriis degenerastis, sedis apostolicae praeceptis non obtemperando, convincimini, quod veritatem vestrae professionis multo minus hactenus formidastis enervare, peccato obstinationis frena laxantes, observantiam voti vestri a servis meis exemplatam ausu temerario exterminando profanastis. Ego igitur patiens redditorum Deus, peccata dissimulans hominum, volens praedestinatos inter vos ad gremium sanctae matris ecclesiae efficaciter revocare a tantae temeritatis ignavia, qua voti vestri deviis ex certa scientia occultatis, speciem fictae sanctitatis praetendentes, statum vestrae professionis omnimode dinoscimini abnegasse; volens igitur esse propitius rei populi mei, qui propter impugnationem veritatis et destructionem observantiae regularis ex certa malitia iam dudum per vos, hostes servorum meorum, instauratam, non populus meus, nunc autem populus meus paternae condescensionis clementia, meae inspirationis efficacia per servum meum fratrem Franciscum de Lutra, non meritorum ipsius ulla exigentia sed mere meae exuberantis gratiae redundantia, qua et Paulum ecclesiae persecutorem in actu persecutionis in vas electionis mihi adaptavi, volui manifestari voti vestri devia, ut professores ordinis s. Francisci non cottidianis culpis seu earundem recidivis obstinati ab ecclesia, sicut de novo Templariis accidit, exterminentur, sed magis meritis servi mei b. Francisci, [sicut ipse] apud me impetrare dum viveret promeruit, usque in finem huius saeculi (saltem in paucis fratribus votum suum, sine quo non est salus, observantibus) ordo b. Francisci conservetur et ab ecclesia toleretur, quia, sicut ex paucis non multorum annorum curriculis numerum fratrum dilatavi, tunc fratribus de virtute in virtutem proficientibus, sic ex nunc volens dare virtutem populo meo in paucis ex eodem ordine adoptato, ut ego Deus deorum in Syon idem in cordibus fratrum pacis visione tranquillitatis, doctrina et exemplo videar ad instar perfectionis, qua a servo meo s. Francisco ordo vester fuit institutus, ut in hoc perdam sapientiam versutae calliditatis fratrum nunc ut filii huius saeculi sapientium et restaurem deperdita collegio pauperum paucorum in spiritu humilitatis, committentes se ex toto (ut a principio institutionis ordinis) providentiae meae liberalitati, quaerendo primum regnum Dei, non innitentes humanae visionis ut filii degeneres refugio, quia dabo virtutem non solum spiritualem sed etiam corporalem populo meo, eum in pace benedicendo. Cuius benedictionis si vultis fieri participes, devia voti vestri absque ulla mora quilibet vestrum abdicet, non parendo vestris pro nunc praelatis, multitudini malignantium consentientibus et subditos in malitia ex certa scientia, quantum in eis est, obstinantibus; alioquin evaginabo gladium meum videlicet iustae ultionis et interficiet vos manus mea, subtractione gratiae iustificantis, subsequenti sententia infallibili dampnationis in morte aeterna vos perpetrantis, quia non est prudentia, non est sapientia, non est consilium contra me, qui sum et non est alius. Volens, ut Christi mei vicarius in terris reformationi ordinis b. Francisci secundum seriem inspirationis praesentis absque mora invigilet, sagaciter animadvertendo, quod ad hoc infirma mundi elegerim, ut fortia quaeque confundam, volens opus reformationis iam indictae nulli ascribi creaturae, sed meae tantum potentiae ac providentiae, unde nec ipsum volui multitudine sapientium, ut quidam ex eodem ordine pluries attemptarunt, consummare, sed per pauperculum spiritum, destitutum viribus corporalibus [neque] industriae ac providentiae creatae in hoc facto innitentem, sed omni irrequisito refugio auxilii creati; [qui,] antequam pareret in executione operis praesentis, se totaliter in omnibus meae submisit providentiae, spem non habens in alio. Cuius inspirationis efficacia fructum volui elicere subscriptum, ut potentia mei, Dei scilicet Patris, secundum formam et modum, quae per baiulum huius lucis, videlicet fratrem Franciscum per me ad hoc electum ex utero matris, Christi mei vicario reserabo, fratres, qui se dicunt pro nunc Minores, a deviis voti sui revocentur, et a latebris conculcationis veritatis, quibus tunica Christi mei inconsutilis notorie est lacerata, ad gremium ecclesiae meae sanctae in obedientia ex regula sibi praescripta refugere absque mora compellantur, et ut sapientia mei, scilicet filii Dei, pharisaei, in tota ecclesia in eisdem latebris impugnationis veritatis se iam occultantes, hac luce veritatis inspirati poenitentiae fructu facto condigno, ab errore tam pestifero, videlicet ypocrisis, resilire alliciantur, et ut bonitate mei, Dei videlicet Spiritus sancti, Christi fideles a fermento pharisaeorum, quod est ypocrisis, sagacius attendant se praeservare, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis, pacis inquam custodientis corda et intelligentias Christi fidelium in Christo meo Iesu, id est in veritate, quam ecclesia mea sancta in certis articulis christianae veritatis firmiter credit et simpliciter profitetur, qua veritate, quia nuda sunt omnia oculis meae divinae maiestatis, per eam nihil relinquitur occultum (fermento falsitatis corruptum, ut in inspirato praescripto), quod non reveletur, nec opertum, quod non sciatur ». *Quae ad haec responderit Mengotus guardianus Spirensis, legas in Raynaldi annal. eccles. ad a. 1321, n. 19.*

[1] Reg. Vat. t. 71, ep. 425; apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 97.

obedientias, castra, casalia, terras, vineas, possessiones, redditus et proventus, iurisdictiones et iura, nonnulla alia bona mobilia et immobilia ad dictum monasterium spectantia, seu eadem detinentibus praestant auxilium et favorem, et nonnulli civitatum et dioecesium ac partium praedictarum, qui nomen Domini in vanum recipere non formidant, dictis abbatissae et conventui in grangiis, castris, casalibus, terris, iurisdictionibus, iuribus, bonis et rebus aliis ad dictum monasterium spectantibus molestias multiplices et iniurias inferunt et iacturas: quare dicta abbatissa et conventus nobis humiliter supplicarunt, ut, cum valde difficile reddatur eisdem pro singulis querelis ad apostolicam sedem habere recursum, providere eis super hoc paterna diligentia curaremus. Nos igitur adversus occupatores, detentores, praesumptores, molestatores et iniuriatores huiusmodi illo volentes eis remedio subvenire, per quod ipsorum compescatur temeritas et aliis committendi similia aditus praecludatur, fraternitati vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel unus aut duo vestrum per vos vel alium seu alios (etiamsi sint extra loca, in quibus deputati estis conservatores et iudices) eisdem abbatissae et conventui efficacis defensionis praesidio assistentes non permittatis, eas super his et quibuslibet aliis bonis et iuribus ad ipsas spectantibus a praefatis vel a quibuscunque aliis indebite molestari vel eisdem gravamina seu damna vel molestias ac iniurias irrogari: facturi eisdem abbatissae et conventui, cum ab iis vel procuratoribus eorum fueritis requisiti, de praedictis et aliis personis quibuslibet super restitutione grangiarum, castrorum, casalium, terrarum, possessionum, iurisdictionum, iurium et bonorum mobilium et immobilium, reddit:uum quoque et proventuum et aliorum quorumcunque bonorum, nec non de quibuslibet molestiis, violentiis, iniuriis atque damnis praesentibus et futuris (in illis videlicet, quae iudicialem requirunt indaginem, summarie et de plano sine strepitu et figura iudicii, in aliis vero, prout qualitas ipsorum exegerit) iustitiae complementum, occupatores seu detentores, molestatores, praesumptores et iniuriatores huiusmodi nec non contradictores quoslibet et rebelles (cuiuscunque dignitatis, status, ordinis vel conditionis fuerint, etiamsi pontificali praefulgeant dignitate), quantocunque et quotiescunque expedierit, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, non obstantibus *etc.* Datum Avinione, XIV kalendas martii, anno quinto.

423. Confirmat eidem monasterio omnes donationes per Sanctiam reginam Siciliae sibi factas. [1]

1321, februarii 16, Avinione.

Dilectis in Christo filiabus abbatissae et sororibus monasterii sancti Corporis Christi Neapolitan. ordinis s. Clarae tam praesentibus quam futuris.

Speciosus forma *etc.* Sane carissima in Christo filia nostra Sanctia, regina Siciliae illustris, omnipotenti Deo piae mentis offerre cupiens gratissimum holocaustum, ob ipsius reverentiam et gloriosissimae beatae Mariae Virginis matris eius in civitate Neapolitana monasterium vestrum ordinis sanctae Clarae, quod « sancti Corporis Christi » est vocabulo insignitum et in quo virgineus chorus sororum dicti ordinis in copioso numero gratum praebet Altissimo famulatum, pia devotione construxit et ei competentes dotes etiam assignavit et ampliores dotes ad plenam sufficientiam earumdem sororum et certi numeri fratrum ordinis Minorum, per quos ad praesens ibidem in divinis officiis deservitur et deservietur imposterum, disposuit assignare, carissimi in Christo filii nostri Roberti regis Siciliae illustris viri sui in constructione et dotatione huiusmodi expresso accedente consensu. Ut in dicto monasterio perpetuis futuris temporibus religio vigeat Deo grata, eadem regina quamdam piam et providam ordinationem de eiusdem regis consensu fecisse noscitur in dicto monasterio perpetuo observandam, prout praemissa omnia et singula in instrumento publico inde confecto, sigillo dictorum regis et reginae munito, cuius tenorem inspici et examinari fecimus diligenter de verbo ad verbum et praesentibus inseri fecimus, plenius continetur. Nos igitur eiusdem reginae supplicationibus inclinati, quae super constructione, dotatione et ordinatione praedictis facta sunt, rata habentes et grata, illa auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus. Tenor autem dicti instrumenti per omnia talis est. [2] Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, XIV kal. martii, anno quinto.

424. Concedit eidem monasterio, quod nullus infra septa eiusdem possit construere. [3]

1321, februarii 24, Avinione.

Dilectis in Christo filiabus abbatissae et con-

---

[1] Reg. Vat. t. 71, ep. 427, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 99.

[2] Sequitur instrumentum illud publicum die 30 ianuarii 1321 confectum, quod legere est apud *Wadd.* l. c. p. 561-575; cfr. supra n. 381.

[3] Reg. Vat. t. 71, ep. 424, apud *Wadd.* l. c., n. 98.

ventui monasterii sororum inclusarum sancti Corporis Christi Neapolitan. ordinis sanctae Clarae.

Eximiae devotionis sinceritas, quam carissima in Christo filia nostra Sanctia, regina Siciliae illustris, ad nos et apostolicam sedem gerit, sic eam per sublimia merita nostris et eiusdem sedis conspectibus dignam reddunt, ut petitionibus suis, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Ipsius itaque reginae supplicationibus inclinati illamque vobis intendentes gratiam liberaliter impertiri, per quam, sicut pie cupitis, sublatis impedimentis quibuslibet, possitis eo devotius quo quietius sub regularis obedientiae debito virtutum Domino famulari, ut nulli personae, quibuscumque statu seu praeeminentia fulgeat vel cuiusvis etiam dignitatis et conditionis existat, intra septa monasterii vestri, cuius ipsa regina fundatrix existit, seu eiusdem monasterii et fratrum Minorum locum, qui pro vestra et ipsius monasterii gubernatione commorantur ibidem, liceat imposterum habitare neque domum sive quamlibet aliam mansionem inibi facere seu etiam construere causa morandi, vobis auctoritate praesentium indulgemus. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, VI kalendas martii, anno quinto.

425. Praeficit Petrum Aurioli ord. Min., « doctorem profundum » appellatum, ecclesiae Aquen. *(Aix)* in archiepiscopum. [1]

1321, februarii 27, Avinione.

Dilecto filio Petro electo Aquen.

Sponso coelesti *etc.* Nuper siquidem Aquen. ecclesia pastoris solatio destituta (pro eo quod nos dilectum filium Petrum tituli sanctae Pudentianae presbyterum cardinalem, archiepiscopum Aquen., [2] tunc apud sedem apostolicam personaliter constitutum, a vinculo, quo ipsi ecclesiae, cui praeerat, tenebatur adstrictus, de fratrum nostrorum consilio et apostolicae plenitudine potestatis absolventes, ipsum ad dignitatem cardinalatus, ut regiminis universalis ecclesiae nobiscum onera portaret, duximus assumendum) nos attendentes, quod nullus praeter nos *etc.*, de praeficiendo eidem Aquen. ecclesiae personam utilem ac etiam fructuosam cogitare coepimus diligenter, et post deliberationem, quam cum dictis fratribus super hoc attentam habuimus, demum in te ordinis fratrum Minorum, ordinem ipsum expresse professum, in sacerdotio constitutum ac sacrae theologiae magistrum, virum quidem morum gravitate laudabilem, vitae munditia commendandum, discretionis et consilii maturitate conspicuum aliarumque virtutum muneribus circumfultum, aciem direximus mentis nostrae. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus ob exigentiam huiusmodi tuarum virtutum accepta, praefatae Aquen. ecclesiae de fratrum praedictorum consilio auctoritate apostolica providemus teque ipsi Aquen. ecclesiae praeficimus in archiepiscopum et pastorem, curam et administrationem illius tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo *etc.* Datum Avinione, III kal. martii, anno quinto. [3]

426. Praelatis infra nominatis committit causam inter fratres Min. Basileen. et vicarium gen. episcopi Basileen. super quodam funere vertentem. [4]

1321, martii 20, Avinione.

Dilecto filio .. abbati monasterii Morbacensis [5] *Basileensis dioecesis, ac .. praeposito et .. thesaurario ecclesiae sancti Petri Basileensis.*

Significarunt nobis dilecti filii .. custos et fratres ordinis Minorum civitatis et dioecesis Basileensis, quod Otto de Adventica tunc archidiaconus ecclesiae Basileensis, vicarius venerabilis fratris nostri Gerardi episcopi Basileensis (asserens ex querelâ .. praepositi et conventus monasterii sancti Leonardi Basileensis per praepositum soliti gubernari ordinis sancti Augustini, ad dictum episcopum pervenisse, quod, [licet] de approbata consuetudine in dictis civitate et dioecesi corpora decedentium alibi quam in suis parochialibus ecclesiis eligentium sepeliri prius sint ad dictas parochiales ecclesias deferenda et ibidem missis pro defunctis et consuetis mortuorum exequiis celebratis deferri debeant ad loca, ubi elegerint sepulturam, fratres tamen ordinis Minorum Basileenses cum quibusdam conversis monasterii sororum de Gnadenthal [6] Basileensis ordinis sanctae Clarae, nominibus eorum nominatim expressis, corpus quondam Annae filiae Conradi dicti Helmer civis Basileensis, parochianae ecclesiae dicti monasterii [s. Leonardi], dicto Conrado praesente et consentiente ac auctoritatem praestante, de domo paterna, in qua decesserat, contra dictam consuetudinem, dicta parochiali ec-

---

[1] Reg. Vat. t. 71, ep. 647, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 100.

[2] Petrus *Desprès*, cum quo noster Petrus Aurioli persaepe confunditur.

[3] Ioannes XXII eidem Petro per se ipsum iam consecrato die 14 iunii concedit facultatem ad ecclesiam suam accedendi, sex diebus post assignari facit pallium per Neapoleonem s. Adriani, Iacobum s. Georgii ad velum aureum, Lucam s. Mariae in via lata diaconos cardinales, die vero 11 iulii 1321 indulget, quod contrahere possit mutuum usque ad 1000 fl. auri (Reg. Vat. t. 72, epp. 921, 922, 925). Iste Petrus unico tantum anno post moritur. Cfr. *Sbar.* Suppl. ad Script. ord. Min. p. 584 n. 3113.

[4] Reg. Vat. t. 71, f. 299, ep. 685. Cfr. supra n. 396.

[5] *Murbach* in Alsatia.

[6] *In registro partim* Gadental *partim* Cadental (*alias:* Vallis gratiae), quod monasterium ordini s. Clarae incorporatum est die 17 aprilis 1289. Alterum Clarissarum monasterium existebat in Basilea minori. Utrumque persaepe confunditur.

clesia praetermissa, ad quam prius fuerat ut praemittitur deportandum, ad ecclesiam eorumdem fratrum Minorum propria auctoritate detulerunt illudque tam praenominati quam reliqui fratres in dicto loco morantes, quos nominibus propriis similiter exponebat, in dicto cimiterio praesumpserant sepelire, et quod dicti praepositus et conventus proposuerant, se fuisse in quasi-possessione iuris consuetudinis antedictae seque quasi-possessione huiusmodi per dictos fratres extitisse notorie expoliatos, ac propterea petiverant, [1] sibi et dictae parochiali ecclesiae super huiusmodi notorio spolio ut dicebant per formam Bisuntini consilii [2] et alia iuris remedia provideri; et quod praefatus episcopus, volens inquirere de praemissis, fratres conversos et Conradum praedictos peremptorie citari fecerat, ut coram eo vel eius commissario apud Basileensem ecclesiam comparerent recepturi super hiis, quod iustitia suaderet, et quod tandem idem episcopus huiusmodi negotium dicto vicario duxerat committendum quodque in dicto termino praefatis praeposito et conventu et quodam fratre Minore procuratore Minorum et conversorum praedictorum dictoque Conrado pro se ipso personaliter comparentibus coram vicario memorato dictoque procuratore nihil in excusationem praemissorum proponente, quamvis ad ipsius vicarii declinandum examen quoddam privilegium apostolicum exceptionis produceret coram ipso, quod dictus praepositus ex eo non debere dictis fratribus suffragari dicebat, quod violentiam extra locum exceptum et in loco non excepto commisisse asserebat eosdem, dictoque procuratore expresse dicente, se non debere neque velle super hoc coram eodem vicario ulterius comparere) idem vicarius praetendens, se super hoc probationes eiusdem praepositi recepisse et per attestationes testium productorum sufficienter fuisse probatum, dictos fratres, conversos et Conradum contra dictam consuetudinem maxime in loco non excepto dictam violentiam et spoliationem commisisse, decrevit contra eos esse procedendum per formam dicti concilii Bisuntini super violentia supradicta eosque moneri fecit, ut infra certum terminum corpus eiusdem defunctae restituerent praeposito et conventui memoratis illudque ad praedictam parochialem ecclesiam permitterent deportari eisque de violentia et iniuria, damnis et interesse, quae exinde sustinuerant, dictoque episcopo de contemptu satisfactionem procurarent: alioquin, si monitioni huiusmodi non parerent, ex tunc universa loca et parochias, ubi ipsi vel aliquis ipsorum essent, devenirent aut domicilia haberent in civitate aut dioecesi praedictis, quamdiu ibi forent, secundum formam dicti concilii ob violentiam et spoliationem huiusmodi, ut dicebat, subiiciebat ecclesiastico interdicto, dictum Conradum ex tunc excommunicabat et excommunicatum nuntiari mandabat et ab omnibus arctius evitari; et subsequenter dictus vicarius (asserens, fratres, conversos et Conradum praedictos huiusmodi monitioni minime paruisse et propter hoc monitionem suam per lapsum temporis fuisse consequutam effectum dictumque Conradum excommunicationis sententiam incurrisse, ac propterea tam ecclesiam Basileensem quam alias parochiales ecclesias et monasteria Basileen., domo fratrum Minorum Basileensium et [3] dicto monasterio de Gnadenthal dumtaxat exceptis, iuxta processus per dominum vicarium habitos a divinis officiis cessavisse, et quod dicti fratres Minores, licet dicerent se exemptos et etiam a dictis processibus appellasse, tamen, ubi huiusmodi exemptio probata fuisset, quam negabat esse probatam adhuc propter dictum Conradum, qui laicus erat et nullo gaudebat privilegio, ut dicebat, erant adstricti ad observantiam praedictae sententiae interdicti; et quia tam ipsi quam personae dicti monasterii de Gnadenthal divina in ipsorum ecclesiis praesumpserant celebrare) idem vicarius asserebat, eosdem per constitutionem fel. rec. Clementis papae V [4] editam in concilio Viennensi excommunicationis sententiam ipso facto ac per consequens ipsos fratres irregularitatis maculam incurrisse, propter quod eosdem fratres et personas dicti monasterii de Gnadenthal in cancellis quarundam ecclesiarum denuntiari fecit excommunicationis sententiam incurrisse ipsosque fratres Minores propterea irregularitatis maculam contraxisse, et tam vos quam personas dicti monasterii Gnadenthal mandavit tamquam excommunicatos ab omnibus arctius evitari dictumque Conradum singulis diebus dominicis et festivis candelis accensis excommunicatum denuntiari publice ab omnibus arctius evitandum; et nihilominus nominatim moneri fecit quosdam mares et feminas, ut in loco dictorum fratrum et praefato monasterio de Gnadenthal divina officia non audirent nec eis dictoque Conrado utpote excommunicatis participarent sed se a communione subtraherent eorundem: alioquin ipsos, nisi infra triduum huiusmodi monitioni parerent dictumque vicarium certificarent, quod deinceps suis processibus obedirent, quod ex tunc ob [5] inobedientiam eorum excommunicabat [et] excommunicatos denuntiari publice demanda-

[1] *In registro:* petivisse.
[2] Agi videtur de quodam statuto alicuius synodi prov. Bisuntin., ad quam eccl. et dioec. Basileen. eo temporis pertinebat.
[3] *In registro:* in.
[4] Cfr. Clem. lib. III, tit. 5, de sepulturis cap. 2 Dudum.
[5] *In registro:* ad.

bat ab omnibus arctius evitandos, prout in authenticis litteris inde confectis plenius dicitur contineri. Orta igitur propter hoc inter dominum vicarium super praemissis omnibus et singulis ex parte una et dictos fratres Minores ex altera materia quaestionis ac praedictis partibus in nostra praesentia constitutis et omnibus, quae dictae partes hinc inde et advocati [1] eorum coram nobis et fratribus [nostris] in consistorio allegare et proponere voluerunt, diligenter auditis, nos in considerationis nostrae scrutinium deducentes, quod ex frequentibus subtractionibus divinorum crescit indevotio populi, pericula plurima animarum insurgunt et ecclesiis debita obsequia subtrahuntur, tum ob devotionem populi et salutem praecipue animarum tum multiplicibus aliis rationabilibus causis inducti, omnes sententias interdicti vel interdictorum ipsaque interdicta ob praemissas causas nec non interdictum per dictum vicarium seu de mandato ipsius vel quemcunque alium auctoritate eiusdem episcopi ratione cuiusdam vulneris per Ioannem filium Petri dicti Helmer civem Basileensem illati ut dicitur cuidam canonico eiusdem monasterii sancti Leonardi promulgata usque ad beneplacitum sedis apostolicae auctoritate praesentium duximus suspendenda, omnesque illos et singulos, qui aliis excommunicationum sententiis hinc inde postmodum quacunque auctoritate prolatis ligati fortassis existunt seu qui eas hinc inde propter praemissa incurrisse modo quolibet dicerentur, et specialiter episcopum et Ottonem vicarium et Conradum praefatos ad cautelam duximus absolvendos; per praedicta autem nolumus nec intendimus aliter iuri dicti episcopi in aliquo derogari. Quocirca discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios suspensionem et absolutionem huiusmodi per nos factas in singulis locis civitatis et dioecesis praedictorum, ubi expedire videritis, sollemniter publicare curetis. Et quia idem Otto dicta interdicta per eum prolata sub certo modo et forma generaliter relaxavit, decernens ipsius relaxationis beneficium ad dictos fratres Minores aliquatenus non extendi, nos, intendentes de huiusmodi processu eiusdem vicarii plenius informari, volumus vobisque praesentium auctoritate mandamus, quatenus dictum Ottonem vicarium peremptorie ex parte nostra citetis, ut per se vel per procuratorem sufficientem et idoneum infra unius mensis spatium post citationem huiusmodi, etiam si terminus huiusmodi propter vacationes vel alias in tempus inciderit feriatum, apostolico se conspectui repraesentet, defensurus si poterit promulgationem et relaxationem factam postmodum huiusmodi interdictorum et auditurus super hiis, quod sedes apostolica decreverit faciendum, et alia facturus et recepturus, quod iustitia suadebit; dictum quoque praepositum eiusdem monasterii sancti Leonardi simili modo ex parte nostra peremptorie citare curetis, ut infra eundem terminum, si sua crediderit interesse, per se vel procuratorem idoneum compareat coram nobis, allegaturus, quicquid in hac parte proponere voluerit vel etiam allegare. Diem vero vel dies huiusmodi citationis et formam, et quaecunque super hiis duxeritis faciendum, nobis per vestras litteras harum seriem continentes fideliter intimare curetis. Datum Avinione, XIII kalendas aprilis, anno quinto.

427. Confirmat ordinationes inter fratres Praedicatores et Minores Xanctonen. super construendo quodam loco factas. [2]

1321, martii 30, Avinione.

Dilectis filiis .. priori et fratribus Praedicatorum et .. guardiano et fratribus Minorum ordinum Xanctonen. [3]

Ea, quae iudicio vel concordia terminantur, firma debent et illibata consistere et, ne in recidivae quaestionis scrupulum relabantur, apostolico convenit praesidio communiri. Exhibita siquidem nobis vestra petitio continebat, quod dudum inter vos super eo, quod vobis, fili gardiane et fratres ordinis Minorum, asserentibus, quod, licet sedes apostolica per suas sub certa forma litteras ordinandum duxerit et districtius inhibendum, quod nulli liceret de Praedicatorum, Poenitentiae Iesu Christi, beatae Mariae de Monte Carmeli, Heremitarum sancti Augustini aliisque ordinibus Mendicantium aliquod monasterium, ecclesiam vel oratorium aedificare seu construere infra spatium seu numerum centum cannarum in dictis litteris contentarum a vestris ecclesiis praefatis, fili gardiane et fratres ordinis Minorum, mensurandarum per aera, etiam ubi alias recte non permitteret loci dispositio mensurari, tamen vos, fili prior et fratres ordinis Praedicatorum Xanctonenses, infra dictum numerum in civitate Xanctonensi ab ecclesia dictorum Minorum locum huiusmodi recipere ac domum et oratorium construere praesumpseratis contra privilegium memoratum: et tam super hoc quam super quadam ordinatione dudum per felicis recordationis Benedictum papam XI praedecessorem nostrum, tunc Nicolaum episcopum

[1] *In registro:* advocatos.
[2] Reg. Vat. t. 71, f. 259, ep. 574.
[3] *Saintes.* Conventus fratrum Min. ibidem existens pertinebat ad custodiam Xanctonensem prov. Turoniae.

Ostiensem, et bonae memoriae Gentilem tit. s. Martini in Montibus presbyterum cardinalem, super controversiis quibuscumque occasione dicti privilegii cannarum inter vos utrinque iudices a sede apostolica deputatos, [facta] [1] et super quibusdam appellationibus pro parte vestra, praedicti fratres ordinis Praedicatorum, ad sedem interiectis eandem materia quaestionis exorta, tandem in dilectos filios nostros Nicolaum [2] tituli sancti Eusebii et Petrum [3] tituli sanctae Susannae ac Bertrandum [4] tituli sancti Vitalis presbyteros cardinales fuit a vobis hinc inde super hiis tamquam in arbitros arbitratores et amicabiles compositores sub certa poena concorditer compromissum. Qui huiusmodi compromisso recepto rite in negotio procedentes eodem pro bono pacis et concordiae vestrorum ordinum aequum super praemissis arbitrium promulgarunt, prout in instrumento publico inde confecto dictorum cardinalium arbitratorum sigillis munito, cuius tenorem de verbo ad verbum praesentibus inseri fecimus, plenius continetur. Quare pro parte vestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut praemissis confirmationis nostrae robur adiicere dignaremur. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati praedictum arbitrium et quaecunque circa haec per dictos arbitros arbitratores et amicabiles compositores facta sunt, rata et firma habentes, illa auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus. Tenor autem instrumenti praedicti de verbo ad verbum per omnia talis est: « In nomine Domini amen. Miseratione divina nos frater Nicolaus tituli sancti Eusebii, Petrus tituli sanctae Susannae, et frater Bertrandus tituli sancti Vitalis presbyteri cardinales notum facimus universis, quod ab olim controversia mota inter fratres ordinis Minorum civitatis Xanctonensis ex parte una et Praedicatorum eiusdem civitatis ex altera occasione privilegii cannarum dictis ordinibus a sede apostolica concessi super eo, quod fratres Minores dicebant, dictos fratres Praedicatores in memorata civitate Xanctonensi locum recepisse seu domum [atque] oratorium construxisse et constructum tenere infra metas seu cannas in dicto privilegio contentas ac in eorum praeiudicium et contra novi operis nuntiationem occasione praedicta per praedictos fratres Minores factam contra fratres Praedicatores praedictos ac sententiam dudum latam super demolitione dicti oratorii per bonae memoriae dominum Guidonem episcopum Xanctonensem, conservatorem seu iudicem super dicto privilegio cannarum ipsis fratribus Minoribus per eamdem sedem apostolicam deputatum; fratribus Praedicatoribus antedictis contrarium asserentibus et dicentibus, eisdem licuisse praedictum [5] locum recepisse [atque] oratorium construxisse et constructum tenere ac licere deinceps construere iure suo praesertim vigore ordinationis per bonae memoriae reverendos patres dominos N. Ostiensem et Velletrensem episcopum et Gentilem tituli sancti Martini in montibus presbyterum cardinales super controversiis quibuscunque occasione dicti privilegii cannarum inter fratres ordinis Praedicatorum a praefata sede apostolica deputatos factae pendente dicta controversia ac per sedem apostolicam ex certa scientia confirmatae et per appellationes ex parte dictorum fratrum Praedicatorum a praefata sententia dicti episcopi licet nulla interpositas et per eosdem canonice prosecutas: dictis fratribus Minoribus contrarium asserentibus et dicentibus, sententiam dicti episcopi in rem iudicatam transiisse nec fuisse aliqua legitima appellatione suspensam nec debite prosecutam, ordinationemque dictorum dominorum cardinalium casum non comprehendisse praedictum – necnon super quibusdam appellationibus de novo pro parte fratrum Praedicatorum interpositis ad sedem eandem occasione praedicta. [6] Tandem pro bono pacis et concordiae et ad fovendum caritatem sinceram inter fratres praedictos et ad removendum scandalum, quod occasione quaestionis praedictae praesertim apud saeculares suboriri valeret, tam per procuratores generales ordinum Praedicatorum quam speciales guardiani et conventus dictorum Minorum de Xantonis et fratris Iacobi provincialis Franciae ordinis Praedicatorum in nos praenominatos cardinales tamquam in arbitros arbitratores seu amicabiles compositores sub poena ducentarum librarum turonensium et alias, prout in instrumento publico inde confecto plenius continetur, extitit compromissum. Nos igitur cardinales praefati, verentes, ne propter discordiam huiusmodi famae ipsorum fratrum laudabili quamplurimum derogetur, quos decet caritatem sinceram tenere, cupientes, ut inter fratres ipsorum ordinum ad invicem pax et concordia iugiter vigeat, regnet amor, caritas ferveat ac animorum idemptitas perseveret, ac volentes huiusmodi controversiam taliter terminare, quod deinceps fratres praedicti se non possint ex vicinitate collidere, quin immo vicinitas firmum sit inter fratres praedictos pacis et concordiae nutrimentum,

[1] Cfr. supra n. 9.
[2] De Francavilla seu *Fréauville* ord. Praedicatorum.
[3] De Arreblayo.
[4] De Turre ord. Minorum.
[5] *In registro:* praedictos.
[6] Quaedam verba hic deesse videntur.

quae dissensionis dudum extitisse dicitur incentivum, volentibus et consentientibus procuratoribus tam generalibus quam specialibus praedictis, votis nostris in hac parte annuentibus gratiose, praesertim dictis procuratoribus Minorum ius, quod se habere dicebant in dicto negotio, ad instantiam et requisitionem nostram ipsis fratribus Praedicatoribus dimittentibus ex dono et gratia speciali, visis et diligenter inspectis omnibus et singulis exhibitis et propositis coram nobis per partes praedictas: pro bono pacis et concordiae partium et ordinum praedictorum amicabiliter pronuntiamus ac dictum nostrum proferimus in hunc modum, videlicet quod fratres Praedicatores in loco praedicto, quem inhabitant, libere remanebunt, in quo aedificare et dilatare secundum exigentiam regularem se poterunt, sicut eis videbitur: ita tamen, quod in oratorio, officinis, domibus, [h]ortis seu aliis versus locum Minorum praedictorum se approximare seu dilatare non possint, quin muri et fossata civitatis Xantonensis semper remaneant integraliter inter loca fratrum Minorum et Praedicatorum praedicta. Item, quod dicti fratres Praedicatores non possint nec debeant facere portam in vico transversali, qui est retro Tohuam [1], qui dirigitur ad portam aquariam, et quod porta, quae nunc esse dicitur in vico praedicto, claudatur et perpetuo clausa remaneat; in vico tamen, qui est in descensu castri, per quem itur ad ecclesiam maiorem Xanctonensem, ante domum Guillelmi Fulcaudi, faciant tot portas, sicut dictis Praedicatoribus videbitur, et ibidem dicti Praedicatores aedificare valeant ecclesiam suam seu oratorium longitudinis et latitudinis debitarum. Si vero aliqua partium praedictarum contra praemissa vel praemissorum aliqua in futurum aliquid attemptaret vel in aliquo contrairet, poenam ducentarum librarum praedictarum incurreret ipso facto toties, quoties in praemissis vel aliquo praemissorum contrairet, ordinatione praefata nihilominus in suo robore remanente. Et ut praedicta ordinatio in posterum inconcusso permaneat, robur quoque obtineat perpetuae firmitatis, volumus et mandamus per partes praedictas domino nostro summo pontifici supplicari, ut ordinationem praescriptam ex certa scientia auctoritate apostolica confirmare dignetur, executoribus seu conservatoribus pro ea inviolabiliter observanda concessis, cum potestate plena per censuram ecclesiasticam et alias partem non servantem cohercendi. In quorum omnium testimonium et fidem, et ut praedicta manifesta sint praesentibus et futuris: nos cardinales praefati praesens instrumentum publicum per Ioannem de Spello notarium infrascriptum scribi et publicari mandavimus et nostrorum sigillorum ad cautelam inferius appensione muniri. Datum, actum et pronuntiatum fuit, ut suprascriptum est, per reverendos patres dominum fratrem Nicolaum et dominum fratrem Bertrandum, dominum Petrum presbyteros cardinales supradictos arbitros arbitratores seu amicabiles compositores a supradictis partibus electos communiter et assumptos ex vigore compromissi in ipsos facti per procuratores ordinum Praedicatorum, de quo quidem compromisso constat manu Petri Romani de Terracina notarii, ut prima facie apparebat, a me Ioanne notario infrascripto viso et lecto sub anno Domini a nativitate eiusdem M.CCC.XXI. Indictione IIII pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini domini Ioannis divina providentia papae XXII anno quarto, die lunae XXIII mensis martii, Avinione in loco consistorii palatii novi episcopatus Avinionensis, in quo quidem loco praedictus papa tenet consistorium, praesentibus reverendo in Christo patre et domino domino Simone [2] tituli sanctae Priscae presbytero cardinali et magnifico ac potente viro domino Arnaldo de Trian comite Alisiae, domini papae et Romanae curiae marescallo ac comitatus Venaisini rectore, testibus ad praemissa vocatis specialiter et rogatis. Et ego Ioannes Silvestri de Spello apostolica et imperiali auctoritate notarius praedictae pronunciationi dicti laudi seu arbitrii et omnibus aliis supradictis praesens interfui ac de mandato praedictorum reverendorum patrum, domini fratris Nicolai, domini Petri, et domini Bertrandi cardinalium, scripsi et publicavi rogatus meoque solito signo signavi ». Nulli *etc.* Datum Avinione, III kalendas aprilis, anno quinto. [3]

In eundem modum venerabilibus fratribus .. Pictavensi et .. Engolismensi ac .. Lemovicensi episcopis.

Ea quae iudicio *etc.* Quocirca fraternitati vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios arbitrium huiusmodi faciatis auctoritate nostra inviolabiliter observari, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Non obstantibus quibuscunque *etc.* Datum Avinione, III kalendas aprilis, anno quinto.

428. Episcopo Theatin. (Raymundo ex ord. Min.) et aliis praelatis mandat, ut tueantur iura, quae Bertrando (de

[1] Cohuam?

[2] De Archiaco, olim electo Viennen.

[3] Similes lites erant inter eosdem religiosos Alexandriae; cfr. supra nn. 126 et 191.

Turre ord. Min.) tit. s. Vitalis presb. card. ex administratione ecclesiae Salernitan. ei commissa competunt. [1]

1321, aprilis 12, Avinione.

Venerabili fratri .. episcopo Teatino et dilectis filiis .. archidiacono Foroiuliensi ac .. scolastico ecclesiae Petragoricensis.

Dudum claris exigentibus meritis dilecti filii nostri Bertrandi tituli santi Vitalis presbyteri cardinalis, quibus se ecclesiae generali plurimum necessarium nobisque et fratribus nostris exhibebat acceptum, eum tunc regimini ecclesiae Salernitanae praesidentem ad cardinalatus apicem de ipsorum fratrum consilio auctoritate apostolica duximus promovendum; [2] et quia ipse sufficientes redditus non habebat, ex quibus posset sarcinas expensorum, quae tanti status dignitas exigit, supportare, praedictam ecclesiam, donec de ipsa duxerimus aliter ordinandum, auctoritate praedicta in spiritualibus et temporalibus eidem duximus commendandam, [3] curam et administrationem ipsius sibi interim plenarie committentes ac decernentes irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate contigerit attemptari. Cum autem, sicut accepimus, dilecti filii capitulum eiusdem Salernitanae ecclesiae, inconsulta super hoc sede apostolica nec de statu ipsius alia certitudine expectata, licet ob reverentiam nostram et sedis eiusdem prius nos in hac parte consulere potuissent, quamprimum ad eos de promotione eiusdem Bertrandi ad cardinalatus honorem pervenit, ex abrupto procuratores in eisdem spiritualibus et temporalibus auctoritate propria duxerint ordinandos, vicarios et familiares cardinalis eiusdem de domibus, quas inhabitabant expellere satagentes ac bona mobilia et immobilia occupantes ac administrationem officialium cardinalis eiusdem, quos inibi prius ordinaverat, impedientes ex toto ac propter hoc damna eidem cardinali fere in trecentis auri unciis inferentes, dictusque cardinalis ad nos super praemissis recurrens humiliter sibi super hiis petierit de celeri remedio provideri: discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios eundem cardinalem nec non procuratores, vicarios et familiares ipsius in regimine et administratione dictae ecclesiae ac iurium et proventuum ad mensam archiepiscopalem eiusdem ecclesiae spectantium non permittatis a praefatis capitulo vel quibuslibet aliis quomodolibet impediri vel etiam perturbari, sed, quaecunque sunt ablata, praedictis vicariis cum integritate restitui faciatis, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Non obstante *etc.* Datum Avinione, II idus aprilis, anno quinto.

429. Praeficit Arnaldum Royardi ord. Min. ecclesiae Salernitan. in archiepiscopum. [4]

1321, aprilis 30, Avinione.

Dilecto filio Arnaldo electo Salernitan.

Pastoralis officii *etc.* Dudum siquidem Salernitana ecclesia (pro eo, quod dilectum filium nostrum Bertrandum [5] tituli s. Vitalis presbyterum cardinalem, tum archiepiscopum Salernitanum, licet absentem, a vinculo, quo tenebatur eidem ecclesiae Salernitanae, cui praeerat, de fratrum nostrorum consilio et apostolicae plenitudine potestatis absolventes, ipsum ad dignitatem cardinalatus, ut nobiscum universalis ecclesiae onera sortiretur, suis claris exigentibus meritis duximus assumendum) pastoris solatio destituta, nos cupientes regimini eiusdem Salernitanae ecclesiae personam utilem per nostrae sollicitudinis studium praesidere, provisionem ipsius ecclesiae Salernitanae ea vice dispositioni nostrae et sedis apostolicae duximus reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attentari; ac postmodum de provisione eiusdem ecclesiae Salernitanae, ne prolixae vacationis sustineret incommoda, sollicite cogitantes, post deliberationem, quam ad deputandum eidem ecclesiae personam utilem ac etiam fructuosam, cuius industria probitatis valeret salubriter dirigi ac in suis iuribus adaugeri et etiam defensari, cum dictis fratribus habuimus diligentem, tandem ad te ordinis fratrum Minorum professorem, ordinem ipsum expresse professum, in sacerdotio constitutum et in sacra theologia magistrum, propter laudanda tuae conversationis merita, vitae munditiam, gravitatem morum, circumspectionis expertae prudentiam, insigne donum scientiae aliasque virtutes multiplices, quibus personam tuam bonorum dator Altissimus decoravit, nobis et fratribus nostris acceptum, direximus aciem nostrae mentis teque de ipsorum fratrum consilio eidem Salernitanae ecclesiae praeficimus in archiepiscopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesiae tibi tam in spiritualibus

[1] Reg. Vat. t. 71, f. 266, ep. 591. Cfr. supra n. 406*a*.
[2] Die 19 decembris 1320.
[3] Cfr. infra n. 429. Die 1 febr. 1321 ei iam praepositura s. Angeli de Fornis ord. s. Benedicti prope Capuam monasterio Casinen. immediate subiecta in commendam erat concessa (Reg. Vat. t. 71, ep. 552); die 1 iunii 1321 de prioratu de Illena ord. s. Benedicti dioec. Ruthenen. ac 18 oct. 1321 de praepositura s. Benedicti Capuan. ei providetur (l. c. t. 72, ep. 803, et t. 73, ep. 172 cfr. 121 et 307).
[4] Reg. Vat. t. 71, ep. 657, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 101; cfr. supra n. 225.
[5] De Turre ord. Min. (cfr. supra n. 428).

quam in temporalibus plenarie committendo *etc.* Datum Avinione, II kal. maii, anno quinto. [1]

430. Praelatis infra nominatis committit, ut quandam puellam in monasterio s. Francisci Bononien. ord. s. Clarae recipi faciant. [2]

1321, maii 12, Avinione.

Dilectis filiis .. abbati monasterii sancti Proculi Bononiensis et magistro Ioanni de Regio, camerae nostrae clerico, praeposito Parmensis, et Andreae de Galluciis canonico Bononiensis ecclesiarum.

Cum, sicut accepimus, dilecta in Christo filia Blansafloris nata dilecti filii nobilis viri Guroni de Garisendis, puella litterata, cupiat in monasterio monialium sancti Francisci Bononiensi ordinis sanctae Clarae sub regulari habitu Domino famulari, nos volentes eandem puellam in huiusmodi suo laudabili proposito confovere, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios praefatam puellam, si sit idonea et aliud canonicum non obsistat, in dicto monasterio auctoritate nostra recipi faciatis in monacham et sororem, sibique iuxta monasterii et ordinis praedictorum consuetudinem regularem habitum exhiberi et sincera in Domino caritate tractari. Non obstantibus de certo monialium numero, si ibidem *etc.* Datum Avinione, IV idus maii, anno quinto.

431. Cum fratribus Minoribus Condomien. dispensat, ita ut certo cuidam interdicto non subiaceant durante capitulo provinciali apud ipsos celebrando. [3]

1321, maii 15, Avinione.

Dilecto filio .. guardiano et conventui ordinis fratrum Minorum Condomiensium. [4]

Ex parte vestra fuit nuper expositum coram nobis, quod, cum olim provinciale capitulum fratrum ordinis Minorum ad instans festum Pentecostes apud civitatem Condomiensem celebrandum extiterit convocatum, ipsaque civitas ex certis causis per venerabilem fratrem nostrum .. episcopum Condomiensem seu eius officialem supposita fuerit ecclesiastico seu ecclesiasticis interdictis ac declaratum fuisset et esset, eam fore suppositam huiusmodi interdictis, vos (ne celebratio dicti capituli posset occasione huiusmodi impediri, cum ipsius episcopi in remotis agentis pro suspendendo interdicto seu interdictis eisdem propter ipsius celebrandi capituli temporis brevitatem praesentia haberi non possit) fecistis nobis humiliter supplicari, ut huiusmodi interdictum seu interdicta usque ad decem dies continuos a die inceptionis dicti capituli computandos suspendere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur vestris in hac parte supplicationibus inclinati interdictum seu interdicta huiusmodi per dictum decem dierum spatium auctoritate apostolica suspendimus de gratia speciali. Per suspensionem autem huiusmodi interdicti iuri dicti episcopi non intendimus in aliquo derogare, quominus elapso dicto decem spatio dierum interdictum seu interdicta praefata ut prius in suo robore perseverent et debeant inviolabiliter observari. Nulli *etc.* Datum Avinione, idus maii, anno quinto.

432. Ministro generali ord. Min. concedit licentiam recipiendi unum locum ad usum fratrum sui ordinis. [5]

1321, maii 15, Avinione.

Dilecto filio ministro generali ordinis fratrum Minorum.

Quia tua potissimum versatur intentio circa cultum divini nominis ampliandum, in quo tua devota sinceritas et sincera devotio iugiter delectatur, nos huiusmodi tuum pium propositum prosequentes, illa tibi et ordini tuo libenter concedimus, per quae ad Dei laudem et gloriam huiusmodi propositum ad efficacem effectum, dextera Domini tibi assistente propitia, perducatur. Oblata siquidem nobis tuae petitionis series continebat, quod universitas hominum castri Thausignani [6] Imolen. dioecesis, ad ordinem tuum specialis devotionis habentes affectum, cupiunt, ut unus locus fratrum dicti ordinis in dicto castro possit aedificari, construi et haberi; quare nobis ad instantiam dictae universitatis humiliter supplicasti, ut perficiendi desiderium huiusmodi praedictae universitatis tibi licentiam concedere dignaremur. Nos itaque ad te et ordinem ipsum specialis gerentes caritatis affectum, tuis in hac parte devotis supplicationibus inclinati, ut in eodem castro locum aptum et congruum cum officinis et oratorio opportunis pro eodem ordine licite acquirere ac recipere atque construere valeas, sine iuris praeiudicio alieni, constitutione felicis recordationis Bonifatii Papae octavi *etc.* et qualibet alia contraria non obstante, auctoritate tibi praesentium indulgemus. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, idibus maii, anno quinto.

---

[1] Aliis litteris 1 febr. 1323 datis summus pontifex eidem Arnaldo iam consecrato concedit facultatem testandi et officium tabellionatus viris idoneis conferendi, die autem 15 martii 1323 constituit conservatores iurium ipsius. Cfr. Reg. Vat. t. 75, epp. 1300, 1720, 1721 et *Sbar.* supplem. ad script. ord. Min. p. 99. Iste Arnaldus transfertur 27 iun. 1330 ad eccl. Sarlaten.

[2] Reg. Vat. t. 72, f. 5, ep. 716.

[3] Reg. Vat. t. 71, f. 297, ep. 680.

[4] *Condom* in custodia Agennen. prov. Aquitaniae.

[5] Reg. Vat. t. 72, ep. 1145, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 102.

[6] *Tossignano* in custodia Ravennae prov. Bononien.

433. Praelatis infra nominatis committit, ut quandam puellam litteratam recipi faciant in monasterio s. Mariae de Montelucido prope Perusium.[1]

1321, maii 16, Avinione.

Dilectis filiis .. sancti Iacobi prope Perusium et .. sanctae Mariae de Villisgeminis Perusinae dioecesis prioribus ac Bussolo de Parma, capellano nostro, canonico Tornacensi.

Cupientibus vitam ducere regularem apostolicum debet adesse praesidium, ut eorum pium propositum possint ad laudem divini nominis adimplere. Cum itaque, sicut accepimus, dilecta in Christo filia Gemina nata Bindoli civis Perusini cupiat in monasterio sanctae Mariae de Montelucido ordinis sanctae Clarae prope Perusium una cum dilectis in Christo filiabus .. abbatissa et conventu dicti monasterii sub regulari habitu Domino perpetuo famulari: nos volentes dictam Geminam in huiusmodi suo laudabili proposito confovere, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios dictam Geminam, si sit idonea aliudque sibi canonicum non obsistat, auctoritate nostra recipi faciatis in dicto monasterio in monacham et sororem eique iuxta ipsius monasterii consuetudinem regularem habitum exhiberi et sincera in Domino caritate tractari. Non obstante de certo monialium numero, si forte ibidem existat, et aliis quibuscumque statutis *etc.* Datum Avinione, XIII kalendas iunii, anno quinto.

434. Guardiano fratrum Min. Barchinonen. (Barcellona) concedit facultatem absolvendi quosdam Barchinonenses, qui merces vetitas portabant ad soldanum Aegypti.[2]

1321, maii 23, Avinioni.

Dilecto filio guardiano fratrum ordinis Minorum Barchinonen.

Exhibita nobis Bernardi de Bastida, Iacobi de Villario, Petri Fortuyn, Petri de Vico et Arnaldi de Usay civium Barchinonensium de Guillelmi Lappardi de Balneolis laici Gerundensis dioecesis petitio continebat, quod ipsi dudum contra constitutionem apostolicae sedis ad partes Alexandriae et alias terras Soldani res et merces vetitas diversis detulerunt vicibus et per alios etiam transmiserunt, propter quod excommunicationis et alias poenas in dicta constitutione contentas incurrisse noscuntur. Cum igitur postmodum cives et laicus supradicti super relaxatione sententiae et poenarum praedictarum nostram misericordiam implorantes congruam super hiis satisfactionem impenderint, nos eorum supplicationibus inclinati et ipsorum saluti et statui paterna volentes in hac parte sollicitudine providere, discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus (per te vel alium seu alios) cives et laicum supradictos auctoritate nostra iuxta formam ecclesiae a dicta sententia excommunicationis absolvens eis alias poenas et sententias in eadem ut praedicitur constitutione contentas studeas relaxare. Non obstante *etc.* Datum Avinione, X kalendas iunii, anno quinto.

435. Episcopis infra nominatis mandat, ut reintegrent Venutum (ex ord. Min.) episcopum Catacen. expulsum.[3]

1321, iunii 4, Avinione.

Venerabilibus fratribus .. archiepiscopo Reginensi et .. Marturano ac .. Cotronensi episcopis.

Gravem venerabilis fratris nostri Venuti episcopi Catacensis querelam recipimus continentem, quod licet ipse iam quindecim anni [sunt] canonice assumptus fuerit in episcopum Catacensem et extunc regimini eiusdem ecclesiae praefuerit pacifice et quiete, nuper tamen, cum invitatus fuisset ad exequias bonae memoriae [Guidonis?] episcopi Neocastrensis, dilectus filius nobilis vir Ioannes comes Catansorii, intendens quemdam consanguineum uxoris suae sacerdotem eligi in episcopum Neocastrensem, mandavit eidem, quod electionem illius procuraret omnino a canonicis Neocastrensibus celebrari: alioquin minabatur eidem, quod talia sibi procuraret, quae sibi plurimum displicerent. Et quia idem episcopus Catacensis id procurare non poterat nec debebat, idem comes ira commotus ante reditum eiusdem episcopi accessit ad ecclesiam Catacensem et per capitulum[4] eiusdem ecclesiae quemdam alium[5] eligi procuravit. Cuius electionis praetextu praefati capitulum et quidem alii dictum episcopum bonis omnibus spoliarunt, idemque episcopus propter terrorem eiusdem comitis extunc non fuit ausus ad ecclesiam suam redire, sed ad nos et sedem apostolicam super huiusmodi gravaminibus duxit humiliter recurrendum. Cum autem excessus huiusmodi sit perniciosus exemplo ac in partibus illis adeo notorius esse dicatur, quod nulla possit tergiversatione celari, fraternitati vestrae per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios, si vobis per evidentiam facti vel alias summarie et de plano sine strepitu et figura iudicii constiterit ita esse, eun-

[1] Reg. Vat. t. 72, f. 68, ep. 911.
[2] Reg. Vat. t. 72, f. 147, ep. 1166.
[3] Reg. Vat. t. 72, f. 49, ep. 843; cfr. supra nn. 136, 163.
[4] Scilicet Robertum de Oliverio archidiaconum, Ioannem de Alferio, Angelum Pulitium, Raonem de Astore, Nicolaum Macanonum et Ioannem de Cruce et quosdam alios canonicos.
[5] Scilicet Galterum decanum ipsius ecclesiae; cfr. supra n. 400, not. 2.

dem episcopum reintegretis et restituatis et restitui faciatis ad episcopatum suum ecclesiae Catacensis, facientes eum episcopatus praedicti pacifica possessione gaudere sibique restitui bona omnia, quibus extitit spoliatus, eique satisfieri de fructibus perceptis medio tempore ex eisdem, omnem novitatem, si qua forsan per capitulum ecclesiae Reginae loci metropoliticae vel quoscumque alios praetextu electionis huiusmodi de facto praesumpta esset quomodolibet attemptata, in irritum revocando, dictumque comitem et fautores et sequentes ipsius ab huiusmodi insolentia nec non contradictores et rebelles, cuiuscumque ordinis, conditionis et status extiterint, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Non obstante si aliquibus a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Avinione, II nonas iunii, anno quinto. [1]

436. Ioannem Minoritam praeficit ecclesiae Albingan. in episcopum. [2]

1321, iulii 18, Avinione.

Dilecto filio Ioanni electo Albinganen.

Angit nos cura pastoralis officii *etc.* Olim siquidem bonae memoriae Emanuele episcopo Albinganen. praesidente regimini Albinganen. [3] ecclesiae, nos cupientes per apostolicae sedis providentiam eidem Albinganen. ecclesiae, quam in visceribus gerimus charitatis, post ipsius Emmanuelis obitum personam utilem praesidere, provisionem ipsius Albinganen. ecclesiae, cum eam vacare contingeret, ea vice eiusdem sedis dispositioni duximus specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super his per quoscunque scienter vel ignoranter contingeret attentari; et deinde praedicta Albinganen. ecclesia per obitum ipsius Emmanuelis pastoris solatio destituta, nos ad provisionem ipsius ecclesiae Albinganen., ne prolixae vacationis exponeretur incommodis, coepimus intendere diligenter, et post deliberationem, quam ad deputandum eidem ecclesiae personam utilem ac etiam fructuosam, cuius industria probitatis dicta ecclesia in suis valeret iuribus adaugeri, tandem ad te ordinis fratrum Minorum professorem, in sacerdotio constitutum, qui de litterarum scientia, vitae munditia, religionis observantia et aliarum virtutum meritis laudabili testimonio commendaris, direximus oculos mentis nostrae: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus ob huiusmodi tuorum exigentiam meritorum accepta, de ipsorum fratrum consilio eidem ecclesiae auctoritate apostolica providimus, praeficientes te praefatae ecclesiae in episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesiae tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus committendo *etc.* Datum Avinione, XV kal. augusti, anno quinto. [4]

437. Tres propositiones magistri Ioannis de Polliaco tamquam falsas et erroneas damnat. [5]

1321, iulii 24, Avinione.

Venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis electis, ad quos praesentes pervenerint.

Vas electionis doctor eximius et egregius praedicator, cuius praedicatio mundum docuit universum, praesumptuosam illorum audaciam refraenare sollicitus, qui prudentiae propriae innitentes in errores varios prolabuntur, non plus sapere quam oportet sed ad sobrietatem sapere, salubri doctrina suggessit, ut iuxta sapientis eloquium quisque suae prudentiae modum ponat. Sane dudum, cum dilectum filium magistrum Ioannem de Polliaco, sacrae theologiae doctorem, certis ex causis de fratrum nostrorum consilio ad nostram praesentiam vocassemus, fidedigna relatio ad nostrum perduxit auditum, quod ipse quibusdam articulis tangentibus poenitentiae sacramentum non sobrie sed perperam sapiebat, infrascriptos articulos periculosos continentes errores docens publice in suis praedicationibus et in scolis: *primo* siquidem astruens, quod confessi fratribus habentibus licentiam generalem audiendi confessiones tenentur eadem peccata, quae confessi fuerant, iterum confiteri proprio sacerdoti; *secundo*, quod stante statuto *omnis utriusque sexus*,

---

[1] Eisdem episcopis litteris eodem die datis S. P. mandat, ut supradictos electores et electum apostolico se repraesentare conspectui iubeant, atque Robertum regem Siciliae et capitaneum generalem Calabriae monet, quod, cum res sit execrabilis Deo et sacris canonibus inimica, vivente praesule in locum superstitis ponere vel eligere per potentiam laicalem, dictis episcopis ad reintegrandum praefatum episcopum Catacen. ad episcopatum suum et manutenendum eum in pacifica possessione ipsius exhibeant opportunum auxilium et favorem.

[2] Reg. Vat. t. 72, ep. 1359, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 88.

[3] *Albenga* in provincia eccles. Ianuen.

[4] Eundem Ioannem per Raynaldum episcopum Ostien. iam consecratum Ioannes XXII die 2 aug. 1321 hortatur, ut cum benedictionis gratia ad ecclesiam suam accedens eam bene administret (Reg. Vat. t. 72, ep. 1374, cfr. t. 75, ep. 1321).

[5] Reg. Vat. t. 72, f. 30, ep. 1104; cfr. supra n. 327*a* et *Chart. Univ. Paris.* t. II, p. 243, n. 798.

edito in concilio generali Romano, [1] pontifex non potest facere, quod parochiani non teneantur confiteri omnia peccata sua semel in anno proprio sacerdoti, quem dicit esse parochialem curatum, immo nec Deus posset hoc facere, quia, ut dicebat, implicat contradictionem; *tertio*, quod papa non potest dare generalem potestatem audiendi confessiones, immo nec Deus, quin confessus habenti generalem licentiam teneatur eadem iterum confiteri suo proprio sacerdoti, quem dicit esse, ut praemittitur, parochialem curatum.

Nos igitur scire volentes, si suggesta nobis veritatem haberent, articulorum praemissorum copiam eidem magistro Iohanni fecimus assignari et ad defensionem sui audientiam plenam sibi praebuimus, tam in nostra et dictorum fratrum nostrorum praesentia in consistorio, quam alias coram aliquibus ex ipsis fratribus per nos ad huiusmodi deputatis. [2] Verum licet praefatus magister dictos articulos et contenta in ipsis defendere niteretur, asserebat tamen se paratum credere et tenere in praemissis et aliis ea, quae credenda et tenenda esse sedes apostolica diffiniret. Nos igitur attendentes, quod dictorum articulorum assertio, praedicatio et doctrina redundare poterant in multarum perniciem animarum, ipsos per plures magistros in theologia examinari fecimus diligenter; nos ipsi etiam cum dictis fratribus nostris collocutionem solertem habuimus super ipsis, per quas quidem collocutionem et examinationem super hoc praehabitas comperimus praemissos articulos doctrinam non sanam sed periculosam multum ac veritati contrariam continere: quos etiam articulos omnes et singulos idem magister Iohannes, veris sibi rationibus opinioni suae dudum habitae contrariis demonstratis, in consistorio revocavit, asserens se credere eos non veros, sed ipsorum contrarium verum esse, cum diceret, se nescire rationibus sibi factis in contrarium respondere. Ideoque, ne per assertionem, praedicationem et doctrinam huiusmodi in errorem, quod absit, animae simplicium prolabantur, omnes praedictos articulos et quemlibet eorumdem tanquam falsos et erroneos et a doctrina sana devios auctoritate apostolica dampnamus et reprobamus de fratrum consilio praedictorum, doctrinam ipsis contrariam veram esse et catholicam asserentes, cum illi, qui praedictis fratribus confitentur, non magis teneantur eadem peccata iterum confiteri, quam si alias illa confessi fuissent eorum proprio sacerdoti iuxta dictum concilium generale. Optantes autem veritatis vias notas esse fidelibus et cunctis erroribus praecludere aditum, ne subintrent, fel. rec. Alexandri IV et Clementis IV Romanorum pontificum praedecessorum nostrorum vestigia imitando, [3] universis et singulis districtius inhibemus, ne quisquam dictos articulos per nos, ut praemittitur dampnatos et etiam reprobatos, vel contenta in eis vel aliquo ipsorum utpote a catholicis mentibus respuenda tenere audeat seu defendere quomodolibet seu docere. Quocirca universitati vestrae per apostolica scripta districte praecipiendo mandamus, quatinus universi et singuli vestrum in civitatibus et dioecesibus vestris convocato clero communiter praemissa omnia et singula per vos seu alios solemniter publicetis. Nos enim eidem magistro Iohanni mandavimus, quod ipse in scolis et in sermone Parisius praedictos articulos et contenta in eis tanquam veritati contraria propriae vocis oraculo et asseveratione constanti publice debeat revocare, quod se facturum dictus Iohannes efficaciter repromisit. [4] Dat. Avinione, IX kal. augusti, anno quinto.

438. Concedit indulgentias visitantibus sacellum s. Nicolai in ecclesia fratrum Minorum Fulginaten. constructam. [5]

1321, iulii 31, Avinione.

Universis Christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Splendor paternae gloriae *etc.* Cum itaque, sicut accepimus, dilecta in Christo filia Rissabella, uxor dilecti filii Ugolini de Trinzis militis Fulginaten., ob reverentiam, quam habet ad beatum Nicolaum confessorem, in civitate Fulginaten. in loco fratrum Minorum quandam capellam in honorem et sub vocabulo confessoris eiusdem construi fecerit opere sumptuoso: nos cupientes, ut eadem capella congruis honoribus frequentetur et Christi fideles eo concurrant libentius ad eandem, quo magis se spiritualibus gratiis prospexerint confoveri, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui eandem capellam in singulis eiusdem confessoris et beatae Mariae

---

[1] Sive Lateranensi, coacto a. 1215, quo statuitur, ut quisque semel in anno proprio sacerdoti confiteri debeat.

[2] Coram cardinalibus in consistorio iste mag. Ioannes de Polliaco (*Polly, Poili*) ad omnia sibi obiecta responsum dedit, dicens falsum sibi imponi (exceptis tribus articulis supra in textu relatis); « nec mirandum, si in mea absentia, ubi resistentem non invenerunt, mihi falsa imposuerunt, quia certe in die determinationis meae die mercurii ante festum Pentecostes magister fratrum Minorum Parisius contrarium eius, quod ego dixeram in mane, accepit in nonis in sua disputatione ».

[3] Cfr. in huius op. t. II, pp. 29, 160, 178 (nn. 39, 241, 260); t. III, p. 41 (n. 19).

[4] Quod et fecit. Cfr. *Chart. Univ. Paris.*, t. II, p. 245, n. 799.

[5] *Foligno* in Umbria. Reg. Vat. t. 72, ep. 1648, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 89.

Virginis festivitatibus devote visitaverint annuatim, quadraginta dies de iniunctis eis poenitentiis misericorditer in Domino relaxamus. Datum Avinione, III kal. augusti, anno quinto.

439. Matildi comitissae Atrebaten. et Burgundiae comitissae palatinae concedit facultatem ingrediendi monasterium sororum inclusarum de s. Audamaro ord. s. Clarae. [1]

1321, octobris 15, Avinione.

Dilectae in Christo filiae nobili mulieri Mathildi comitissae Atrebaten. Burgundiae palatinae et dominae de Salinis. [2]

Devotionis tuae sinceritas promeretur, ut, quae a nobis suppliciter postulas, affectu tibi benevolo concedamus. Hinc est, quod tuis supplicationibus inclinati, ut cum decenti et honesta mulierum comitiva monasterium sororum inclusarum ordinis s. Clarae, quod in villa de s. Audomaro [3] Morinen. dioecesis quondam progenitor tuus, ut asseris, pia devotione fundavit, [4] non obstantibus ipsorum monasterii etc., de die, horis congruis et honestis dumtaxat, quotiens tibi placuerit, libere possis ingredi, dummodo abbatissae ipsius monasterii ad id accedat assensus: ita tamen, quod nec tu nec mulieres praedictae, quae in tua ut praemittitur fuerint comitiva, comedatis vel pernoctetis ibidem, auctoritate praesentium indulgemus. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, idibus octobris, anno sexto.

440. Zachariae archiepiscopo s. Thaddaei de Caraclesia et vicario Praedicatorum ac custodi Minorum fratrum ordinum commorantibus in imperio Tartarorum concedit facultatem confirmandi in praelaturis nonnullos praelatos tam saecularium quam regularium ecclesiarum haud canonice constitutos; eidem archiepiscopo insuper mandat, ut alios ad sacros ordines haud rite promotos iterum secundum canonica instituta initiet. [5]

1321, octobris 15, Avinione.

Ven. fratri Çachariae archiepiscopo s. Thaddaei apostoli de Caraclesia et dilectis filiis vicario Praedicatorum ac custodi fratrum Minorum in imperio Tartarorum commorantibus.

Piae matris ecclesiae *etc.* Dat. Avinione, idus octobris, anno sexto.

441. De unitate ecclesiae et primatu s. Petri ad Georgium regem Georgianorum et universos Tartarorum populos per fratres Min. easdem dirigit litteras, quas olim Innocentius IV per ipsos ad Bulgaros miserat. [6]

1318, octobris 15, Avinione.

Georgio regi Georgianorum illustri, eiusque baronibus, et Baro Porcelli, Ysai Vartabet et David filiis Aiaci, Gregorio Toppin Orticurte, Solagay, Amir, Sarkis de Teffelicio, Ioanni Magdanao de Soldania, et Manueli de Trapesunda, ac universis populis per regna, provincias et terras imperii Tartarorum constitutis, Deum diligere et timere.

Cum simus super apostolicae sedis speculam constituti, vehementer dolere cogimur et turbari, cum a capite suo membra quaedam videamus esse divisa, suaeque divisionis damnum tamquam mortificata non plangere nec sentire *etc. ut in litteris Innocentii IV ad Bulgaros missis anno MCCXLV (v. in huius op. t. I, p. 357) usque ad finem.* Datum Avinione, idibus octobris, anno sexto.

442. Mandat episcopo Assisiensi et inquisitoribus haer. prav. in provincia s. Francisci (ex ord. Min.), ut inquirant contra Mucium civem Assisiensem, qui in rapiendo et asportando thesauro ecclesiae Romanae apud fratres Min. Assisien. deposito principalis minister et actor extitit, quin ipse aliive cives Assisienses, complices huius facinoris sacrilegi, infra terminum a sede apostolica ad restituendum dictum thesaurum ipsis praefixum mandatis ipsius sedis obtemperaverint. [7]

1321, octobris 21, Avinione.

Venerabili fratri .. [8] *episcopo Assisien. et dilectis fratribus inquisitoribus haer. prav. in provincia s. Francisci.*

Dudum ad nostri apostolatus auditum *etc.* Verum praefatus Mucius sacrilegus, per diversoria mortis incedens nec verens ex praedicti violatione ac subtractione thesauri tam nephandi sacrilegii commisisse reatum, dictamque sententiam excommunicationis (tamquam membrum putridum a corpore praecisum ecclesiae, non formidans illam) diutius obstinata mente sustinuit, et adhuc quasi bibens aquam pro maledictione continua infrunito et irreverenti animo in multorum scandalum substinere praesumit, propter quod de labe non immerito suspectus haereticae pravitatis. Nos igitur contra ipsius Mucii tam mortiferam labem, ne gregem dominicum contagione suae pestis inficiat, de celeris et opportuni provisione remedii occurrere, quantum cum

---

[1] Reg. Vat. t. 73, ep. 72, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 104.

[2] Cfr. supra n. 227.

[3] *Saint Omer* in custodia Flandriae prov. Franciae.

[4] Cfr. supra n. 275.

[5] Reg. Vat. t. 73, ep. 25 de curia. - Eidem Zachariae archiepiscopo summus pontifex aliis litteris incip. « Salvator noster » et die 22 nov. 1321 datis condolet, eo quod in fidei catholicae veritate perseverans ab aemulis multas perpessus est angustias multosque pertulit labores, eumque hortatur, ut ad unitatem et observantiam ecclesiae catholicae cunctos sibi subditos episcopos et presbyteros ac laicos adducat. Reg. Vat. t. 73, ep. 55 de curia; cfr. infra litteras 452*a* exhibitas, quae iisdem verbis « Salvator noster » incipientes similis quoque tenoris sunt. Cfr. infra n. 811.

[6] Reg. Vat. t. 73, ep. 23 de curia.

[7] Reg. Vat. t. 73, f. 14, ep. 44 de curia; cfr. *Ehrle* l. c. t. I, p. 238.

[8] Thebaldo ex ord. Min.

Deo possumus, intendentes, discretioni vestrae per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum contra praefatum Mucium sacrilegum super eiusdem haeresis labe iuxta formam canonum, et prout alias vobis ex officio inquisitionis contra haereticos competit, procedere cum omni diligentia studeatis. Volumus autem, quod, si forsan in huiusmodi negotio separatim procedere vos contingat, processum per singulos vestrum habendum in prolatione sententiae vobis invicem communicare curetis, rescripturi nobis per litteras vestras vel instrumentum publicum harum seriem continentes, quidquid in praemissis duxeritis faciendum. Datum Avinione, XII kalendas novembris, anno sexto. [1]

443. Innovat privilegia et indulgentias a Clemente V die 23 iulii 1307 fratribus Minoribus et Praedicatoribus in terras infidelium et schismaticorum proficiscentibus concessa. [2]

1321, octobris 23, Avinione.

Dilectis filiis fratribus de ordine fratrum Minorum in terras Sarracenorum, Paganorum, Graecorum, Bulgarorum, Cumanorum, Yberorum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Sichorum, Ruthenorum, Iacobitarum, Nubianorum, Nestorianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Moclitorum, aliarumque non credentium nationum Orientis et Aquilonis seu quarumcumque aliarum partium proficiscentibus.

Cum hora undecima sit diei *etc.* Datum Avinione X kal. novembris, anno sexto.

444. Praelatis infra nominatis mandat, ut citent ad curiam Romanam abbatem et monachos Virgiliacen. propter iniurias fratribus Min. Virgiliacen. illatas. [3]

1321, novembris 22, Avinione.

Dilectis filiis de Regniaco et de Cueure monasteriorum abbatibus et priori de Valle s. Georgii Autisiodoren. et Aeduen. dioec.

Dilectorum filiorum guardiani et fratrum ordinis Minorum Virgiliacen. [4] Aeduen. dioec. gravis nobis insinuatio patefecit, quod dilecti filii abbas et conventus monasterii eiusdem loci Virgiliacen. ord. s. Benedicti dictae dioec., qui in dicto loco utramque iurisdictionem habere dicuntur, a principio, quo dicti fratres locum inibi receperunt, ad eorum gravamina et iniurias aspirantes, ipsos diversis contumeliis affecerunt, de manibus eorum ornamenta altaris nec non calicem, libros, vestimenta sacra, campanam, cruces et alia bona in dicto loco reperta rapiendo temere et secum per violentiam asportando, altare etiam subvertendo et, quae secum deferre non poterant, suis pedibus conculcando, nec his contenti in dictos fratres excommunicationis sententiam promulgarunt. Deinde dictis fratribus huiusmodi iniurias et gravamina in apostolicae sedis deducentibus notitiam et super eis quibusdam iudicibus deputatis a sede praedicta, quibus inter alia specialiter fuit commissum, ut dictam excommunicationis sententiam revocare possent vel dictos abbatem et conventum compellere ad publice revocandum eamdem eosque compescere ab iniuriis et gravaminibus praelibatis: licet iidem iudices monuissent eosdem, ut a dictis cessarent iniuriis dictamque sententiam revocarent, iidem tamen abbas et conventus, mandatum dictorum iudicum contemnentes, non solum revocare dictam sententiam non curarunt, sed in maioris inobedientiae cumulum, cum ipsam dicti iudices auctoritate nostra revocassent, eam in ipsorum iudicum praesentia innovarunt et pulsatis campanis, candelis accensis, coram populo aggravaverunt ac deinde ad domum dictorum fratrum euntes domum ipsam et ad eam pertinentia et omnia in ipsa reperta penitus destruxerunt et ea, quae voluerunt, ad suum monasterium nequiter asportarunt. Et quamvis iidem iudices, iuxta commissionem super hoc a sede praedicta specialiter eis factam, locum congruentem cum quadam vinea subtus locum praedictum dictis fratribus assignassent pro hortalitiis faciendis, dicti tamen abbas et conventus dictam vineam per violentiam intraverunt et ex tunc tenuerunt et adhuc detinent violenter occupatam et temere, licet a tempore assignationis huiusmodi (sicut et cetera bona dictorum fratrum Minorum) ad Romanam ecclesiam pertineret, contempta excommunicationis sententia in contradictores et rebelles per dictos iudices promulgata, quamvis assignationi praedictae prius in praesentia dictorum iudicum consensissent, sicut per patentes litteras inde confectas potest,

---

[1] Litteris die 4 sept. 1322 datis summus pontifex rectorem marchiae Ancon. monet, ne molestet amplius episcopum Assisien. super pecunia decimae ab ipso apud fratres Min. Assis. deposita, sed a Mucio rapta; tribus diebus post ipsi episcopo mandat, quod super processu contra Mucium praedictum habito proferat sententiam. Die 24 sept. 1322 abbati mon. s. Petri Perusin. et aliis mandat, quod faciant instrumentum publicum de thesauro ecclesiae Rom. apud fratres Min. Assisien. deposito, et 29 oct. 1322 fr. Petro Raimundi ord. Praed. procuratori generali iniungit, ut dictum thesaurum, si restitutum fuerit, faciat assignari mercatoribus Bardorum Perusin. et Azayalorum. Die 1 aug. 1324 Ioannes XXII thesaurarium sedis apost. in marchia Ancon. monet, ut cesset molestare episcopum Assisien. de solvenda decima praedicta. Reg. Vat. t. 111, f. 108, 124, 317, 326, 373; t. 112, f. 13. Cfr. infra n. 813.

[2] Reg. Vat. t. 73, ep. 24. Cfr. supra n. 84.

[3] Reg. Vat. t. 73, ep. 257, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 105.

[4] Alias Visiliacen. i. e. *Vézelay* in custodia Campaniae prov. Franciae.

sicut asseritur, fieri plena fides. Nec iniuriis praedictis contenti, alia plurima gravamina ex tunc per successus temporum et contumelias in funeralibus et aliis iuribus et bonis ad dictos fratres spectantibus, contra sacros canones et contra tenorem constitutionis fel. record. Bonifatii papae VIII praedecessoris nostri, quae incipit « Super Cathedram », irrogaverunt eisdem et irrogare continue non desistunt. Quare praedicti guardianus et fratres ad nos super his humiliter recurrentes nobis humiliter supplicarunt, ut super tot iniuriis et gravaminibus providere ipsis de opportuno remedio dignaremur. Quocirca discretioni vestrae per apostolica scripta districte praecipiendo mandamus, quatenus vos vel alter vestrum eosdem abbatem et conventum ex parte nostra peremptorie citare curetis, ut infra unius mensis spatium post citationem huiusmodi per se vel per procuratorem idoneum et sufficienter instructum, cum omnibus actis, iuribus et munimentis eorum, apostolico se conspectui repraesentent, eisdem guardiano et fratribus super praemissis et quibuscumque aliis gravaminibus et iniuriis, quae contra ipsos proponere voluerint, responsuri et facturi super his et recepturi, quod iustitia suadebit, non obstante, quod huiusmodi causae forsan non sint de sui natura in Romana curia agitandae. Diem vero citationis et formam, et quidquid super praemissis duxeritis faciendum, nobis per vestras litteras harum seriem continentes fideliter intimare curetis. Datum Avinione, X kal. decembris, anno sexto.

445. Compatitur Stephano episcopo Saraicen. seu Sarayen. (ex ord. Minor.) super iniuriis et iacturis per Bogos episcopum Armenorum sibi illatis. [1]

1321, novembris 22, Avinione.

Stephano episcopo Saraicensi.

Doctor gentium, egregius praedicator apostolus, ad virtutem patientiae nos informans, « omnes, inquit, qui pie vivere volunt in Christo, persecutiones et molestias patientur ». Licet igitur pro fidei defensione catholicae per Bogos episcopum Armenorum graves passus extiteris, quod dolentes audivimus, iniurias et iacturas ac bonis omnibus spoliatus exilii poenas, super quibus pio tibi affectu compatimur, calamitosas pertuleris: quia tamen illorum beatorum consortio, qui persecutionem propter iustitiam patiuntur, iuxta veritatem evangelicam te cupimus aggregari, quaesumus, ut in hiis et aliis adversis, quae te pati Domino permittente contigerit pro divini nominis gloria, mentem tuam patientiae stabilitate corroborans et in hiis, quae tibi sunt a Domino credita, inconcussa firmitate persistens ad arguendum, corrigendum et erudiendum in iustitia Dei populum fidelitati tuae divina dispositione commissum tamquam ad omne bonum opus instructus non desinas laborare, ut mercedem salutis aeternae consequaris a Domino et nostram et apostolicae sedis gratiam, quam ad benemeritos extendimus libenter, plenius merearis. Nos enim populum tuae civitatis et dioecesis per nostras litteras attentius exhortamur, ut ad tuam obedientiam revertantur, te tamquam patrem animarum suarum devote recipiant et tuis documentis salutaribus et monitis acquiescant. Dat. Avinione, X kal. decembris, anno sexto. [2]

446. Superioribus infradictis mandat, ut cives Caphenses, qui episcopo suo iniurias et contumelias intulerunt, ad impendendam ipsi satisfactionem congruam compellant. [3]

1321, novembris 22, Avinione.

Dil. filiis vicario generali in partibus Tartariae Aquilonaris et s. Mariae ac s. Francisci de Capho ordinis Minorum guardianis.

Nuper ad nostri apostolatus auditum non absque turbatione pervenit, quod nonnulli de civibus Ianuen. per civitatem et dioecesim Caphen. constituti, qui per fructum bonorum operum aliis partium ipsarum, qui sunt divinae legis ignari, esse deberent in speculum et exemplar, ad illicita lassatis habenis contra ven. fratrem nostrum [Hieronymum] episcopum et ecclesiam Caphen. insurgentes, improvide eis graves et enormes iniurias intulerunt, propter quas forte non sunt a sententia excommunicationis immunes. Nos vero, dictarum iniuriantium volentes providere saluti, eos per litteras nostras rogandos duximus attentius et hortandos, expresse mandantes eisdem, ut episcopi et ecclesiae praedictorum gratiam repetentes eis super contumeliis et iniuriis antedictis congruam satisfactionem impendant. Quocirca discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus iniuriatores praedictos, si forte huiusmodi monitis et mandatis nostris parere contempserint, vos vel duo aut unus vestrum per vos vel per alium seu per alios, inquisita super praemissis diligentius veritate, si vobis per inquisitionem huiusmodi de iniuriis et contumeliis praedictis constiterit, ad impendendum prae-

[1] Reg. Vat. t. III, f. 86, ep. 332.

[2] Aliis litteris die 22 nov. 1321 datis populum Armenorum per Saraicen. civitatem et dioecesim constitutos, qui contra Stephanum episcopum Saraicen. adiunctis quibusdam Saracenis nequiter insurgentes eum de sede sua per violentiam spoliatum bonis omnibus eiecerunt, arguit et monet, quatenus eiusdem episcopi gratiam humiliter repetentes et super praemissis satisfactionem congruam impendentes ipsum tamquam patrem et pastorem animarum suarum devote recipere eiusque salubribus monitis et doctrinis efficaciter acquiescere studeant. Cfr. Reg. Vat. t. 73, ep. 35 de curia.

[3] Reg. Vat. t. 73, f. 13, ep. 37 de curia. Cfr. supra n. 303.

fatis episcopo et ecclesiae satisfactionem praedictam, prout iustum fuerit, per censuram ecclesiasticam appellatione proposita compellatis. Datum Avinione, X kal. decembris, anno sexto. [1]

447. Hieronymo episcopo indulget, quod cum quatuor fratribus Min. ad partes Hierosolym. transfretare possit. [2]

1321, novembris 22, Avinione.

Ven. fratri Hieronymo episcopo Caphensi.

Cum tu zelo piae devotionis accensus proponas sepulchrum Dominicum personaliter visitare, nos tuis supplicationibus inclinati tibi cum quatuor sociis ordinis Minorum, cuius professor existis, et totidem famulis ad partes Hierosolymitanas accedendi seu etiam transfretandi dictumque sepulchrum cum eisdem sociis et famulis visitandi Dominicum (quibusvis constitutionibus, inhibitionibus et mandatis apostolicae sedis ac sententiis latis contra praedictum sepulchrum absque sedis ipsius licentia visitantes nequaquam obstantibus) tibi et eisdem sociis et famulis licentiam elargimur. Datum Avinione, X kal. decembris anno sexto. [3]

448. Eidem episcopo Caphensi (ex ord. Min.) indulget, quod tres fratres Min. ad partes Tartarorum possit secum ducere. [4]

1321, novembris 22, Avinione.

Hieronymo episcopo Caphensi.

Cum in Aquilonari Tartaria, in qua episcopatus tuus Caphensis constitutus existit, multa sit messis, operarii vero pauci, et propter hoc iuxta desiderii tui fervorem circa salutem proficere nequeas animarum, fraternitati tuae, quod recipiendi tres fratres ordinis Minorum, cuius professor existis, quos de quacunque provincia de consilio [ministri] generalis eiusdem ordinis vel provincialis illius provinciae, de qua fratres ipsi fuerint, duxeris eligendos, volentes ad partes illas accedere, qui sub tua degentes obedientia ministerium praedicationis et alia, quae ad cultum divinum pertineant et profectum respiciant animarum, exercere, tibique in iis, quae pastoralis incumbunt officii, fideliter et solerter assistere valeant (dum tamen ad hoc idonei, in scriptura sacra sufficienter instructi et laudabilis existant conversationis et vitae, super quibus tuam et generalis vel provincialis praedictorum intendimus conscientias onerare), recipere et tecum pro praemissis ad partes illas adducere possis, plenam tibi concedimus tenore praesentium potestatem. Datum Avinione, X kal. decembris, anno sexto.

449. Admonet universos christianos imperii Tartarorum, ut in obedientia sedis apostolicae perseverent. [5]

1321, novembris 22, Avinione.

Universis per Tartarorum imperium Aquilonare constitutis in obedientia perseverantibus apostolicae sedis.

Dominum Deum nostrum anima nostra magnificat et in eo devotis laudibus reverenter exultat, quod ipse, qui neminem vult perire, vos per venerabilis fratris nostri Hieronymi episcopi Caphen. et dilectorum filiorum Praedicatorum et Minorum fratrum ordinum ministerium salutare, [6] de mortis educens tenebris ac vitae veteris caecitate in admirabile lumen suum, ad agnitionem sui gloriosissimi nominis revocavit. Profecto, filii, inter sollicitudines alias nostris humeris incumbentes hoc perpeti cura revolvimus, ad hoc ardentius nostra suspirat intentio, et hoc in solidae caritatis ardore crebris orationibus postulamus a Domino, ut ipse lapis angularis, qui fecit utraque unum, suam sanctam catholicam et universalem ecclesiam in unitate fidei orthodoxae toto orbe terrarum dignanter adunet. Ideoque, filii, universitatem vestram paternis rogamus et hortamur affectibus et per Dei misericordiam obsecramus, quatenus diligentius attendentes, quod coronam gloriae perseverantia repromittit, in huiusmodi sinceritate fidei, per quam mereamini consortium angelorum, inconvulsis radicitus stabiliti (?), illam semper devotis animis observare curetis, ut ipse cognitor secretorum omnipotens, vota vestra percipiens suis beneplacitis conformare, in vobis gratiae suae dona multiplicet et post vitae praesentis excursum regni sui faciat cohaeredes. Datum Avinione, X kal. decembris, anno sexto. [7]

450. Abuscanum regem Tartarorum ad fidem cath. (opera et studio praesertim fratrum Min.) conversum hortatur,

---

[1] Aliis litteris eadem die, ut videtur, datis summus pontifex et dictos cives iniuriantes monet, ut episcopo suo congruam impendant satisfactionem, et consulem Ianuensium in civitate et dioec. Caphen. ac provincia Gazariae consistentium hortatur, ut ipsos ad hoc compellat. Cfr. Reg. Vat. t. 111, f. 88.

[2] Reg. Vat. t. 111, f. 97, ep. 338 et t. 73, f. 13, ep. 33.

[3] Dum iste episcopus transfretat, naufragat vel a Saracenis capitur. A. 1324 ecclesiae Caphen. vac. per ipsius obitum alius praeficitur in episcopum. Cfr. nn. 448-450 ac not. ad n. 464.

[4] Reg. Vat. t. 111, f. 87, ep. 337. Cfr. supra nn. 446 et 447.

[5] Reg. Vat. t. 73, ep. 39 de curia, apud *Wadd.* l. c. ad a. 1321 n. 37.

[6] *In registro*: ministerio salutari.

[7] Aliis litteris eadem die datis summus pontifex Ioannem de Zorzoro in s. theol. doctorem ac universos socios et discipulos eius, qui referentibus fratribus Iacobo et Petro ord. Min. multos in illis partibus ad viam veritatis dirigunt, laudibus extollit eosque nihilominus monet, ut in zelo pristino perseverent (l. c. ep. 32). A. 1343 Ioannes David, monachus Armenorum de Zorzor, fit archiepiscopus Edessen.; num idem ac supradictus Ioannes de Zorzoro?

ut subditos quoque ad recipiendam fidem catholicam inducat. [1]

1321, novembris 22, Avinione.

Dilecto filio nobili viro Abuscano, nato clarae memoriae Cotogani regis in partibus Tartariae.

Considera quaesumus, fili, opus clementissimae pietatis, quod in te dignatus est Dominus misericorditer operari, de sua inaccessibili luce, ne transirent dies tui et non videres bonum nec excludereris a desiderio collium aeternorum, illuminans habitaculum mentis tuae. Profecto fili, ecce quod nos et Romana mater ecclesia, mater tua, in laudem ac benedictionem et gloriam Dei ac salvatoris nostri, sponsi coelestis, oculos nostros erigimus et manus nostras levamus in sancta eius, qui amorem suum in generis humani salute continua miseratione conservans te, sicut ven. fratris nostri Hieronymi ep. Caphen. [2] et socii eius assertione laeti percepimus, ad sponsae suae thalamum, sancti Spiritus lumine illucescente, direxit. Propterea dominum Deum nostrum in salutari eius anima nostra magnificat, nosque in te in iubilo cordis et spiritus exultamus. Verum, ut super te tamquam dignum benedictionis filium perpetuae pacis fida tranquillitas requiescat, volumus te prudenter agnoscere, quod inter cetera, quae te dirigere possunt rectis gressibus ad salutem, haec recolenda facti memoria [praeter] aetatis tuae tempora futuris saeculis collaudanda mandabit, si subditi tui [3] vivido ac individuo ecclesiae catholicae corpori ad participationem vitalis spiritus tua prudentia iungerentur. Quare nobilitatem tuam paternis rogamus et hortamur affectibus atque per Dei misericordiam obsecramus tibique in remissionem iniungimus peccatorum, quatenus inaestimabilis boni praemium pro eisdem subditis procurando sic res felici ducatu dirigas ad salutem, quod tuo salutari consilio sacri baptismatis unda renati Deo et angelis eius in communione sanctorum et communicatione sancti Spiritus uniantur inseparabili foedere caritatis, idque te in sublimitatem gloriae celsioris adducat et nostram deinde ac dictae sedis benedictionem et gratiam plenius merearis. Ceterum cum dicti episcopus et socius [4] pro tua dictorumque populorum procuranda salute ad partes ipsas cum benedictionis nostrae gratia revertantur ad praesens, quaesumus, fili, ut tam eos quam alios christianos in eisdem partibus commorantes pro divina et dictae sedis ac nostra reverentia benigne pertractans eos favoribus munias opportunis tuaeque protectionis auxiliis a molestiis tuearis et in libertate plenae securitatis manuteneas et conserves. Datum Avinione, X kal. decembris, anno sexto. [5]

451. Mussayd imperatori Tartarorum, erga christianos benigno, fratres Petrum et Iacobum ord. Min., qui e partibus Tartarorum ad curiam Rom. venerunt et nunc ad illas partes remittuntur, unacum aliis christianis ibi commorantibus commendat. [6]

1321, novembris 22, Avinione.

Magnifico viro Mussayd imperatori Tartarorum gratiam in praesenti, quae perducat ad gloriam in futuro.

Larga Dei Patris et copiosa clementia, qui neminem vult perire, ex eo misericorditer intima cordis tui digito manus suae tetigisse videtur, quod fidei christianae cultores infra latitudinem tui degentes imperii oculo sereno respiciens multae mansuetudinis (sicut dilecti filii Iacobus et Petrus ordinis Minorum, exhibitores praesentium, quod laeti suscepimus, te voce laudabilis commendationis attollunt) benigne prosequeris et pertractas et a tuae protectionis favoribus non excludis, ex quo data nobis spei gratae fiducia, quod ineffabilis nostri pietas Salvatoris, a quo charismatum omnium dona manant, oculos mentis tuae a montibus aeternis illuminans, de vitae veteris caecitate ad agnitionem, sui gloriosissimi nominis revocabit. Quare magnitudinem tuam rogamus et hortamur in filio Dei Patris et per misericordiam eius, qui vult omnes salvos fieri, instantius obsecramus, quatenus, quod circa fidei cultores eiusdem dedit pietas inchoari, laudabili prosecutione continuans, praedictos fratres, qui pro tua et populorum tibi subiectorum procuranda salute ad partes eiusdem imperii cum nostrae benedictionis gratia revertuntur, nec non et christianos alios in eodem imperio commorantes habens pro divina et apostolicae sedis reverentia ac nostra propensius commendatos, eos tui favoris ope confoveas, protectionis tuearis auxiliis et in libertate plenae securitatis manuteneas et conserves. Datum Avinione, X kal. decembris, anno sexto. [7]

---

[1] Reg. Vat. t. 73, ep. 40 de curia et 497 comm., apud *Wadd.* l. c. ad a. 1321 n. 36.
[2] Cfr. supra nn. 303, 447, 448, 449.
[3] *In registro:* subditos tuos.
[4] *In registro:* sociis.
[5] Simili modo eidem regi scribit Ioannes XXII aliis litteris 28 febr. 1322 datis eique viginti dies de iniunctis sibi poenitentiis relaxat qualibet die, qua missam audierit vel ad ecclesiam orandi causa se devote contulerit, dummodo fuerit vere poenitens et confessus (l. c. ep. 497 comm.).
[6] Reg. Vat. t. 73, ep. 34 de curia, apud *Wadd.* l. c. ad a. 1321, n. 30.
[7] Simili modo scribit Ioannes XXII Çopan Begilar regi (l. c. ep. 38). Aliis litteris 4 iulii 1322 datis magnificum virum Bosseit Haii imperatorem Tartar. monet, ut renovet amicitiam cum rege Franciae et assistat regi Armen. contra Saracenos, sicut eius progenitores fecerunt. Reg. Vat. t. 73, ep. 81 et t. 111, f. 89 et 90; cfr. supra p. 27, not. 9 et infra nn. 804 et 818. E litteris, quae in his numeris referentur, cura zelusque Ioannis XXII de fide in partibus Orientalibus propaganda plenius innotescet.

452. Singulis in imperio Tartarorum ad fidem catholicam (opera praecipue fratrum Minorum) iam conversis et in futurum convertendis quasdam indulgentias elargitur. [1]

1321, novembris 22, Avinione.

Dilectis filiis Vartan sacristae, Israheli et Abraham et aliis monachis monasterii sancti Thaddaei apostoli, Abraam, Gregorio et Anerlot clericis, et Cothulotoga, Scya, Chazeries, Viharam, Sarchis, Sinofour, Lius, Surinsa, Amirsia et David de Thaurisio, Carin, Astuazadur, Barac et Anetis de Soldania, Argon Amirfek et Sarkis de Maiaga et Diacoregan et Sarkis de Salamastro, Abraam, David, Sadaga, Aldamur, Zachariae et David de Tefelicio et aliis universis et singulis ad Catholicam fidem conversis per Tartarorum imperium constitutis.

Cum, sicut dilectus filius Iacobus ordinis Minorum, lator praesentium, nobis exposuit, vos pro nomine salvatoris Dei et domini nostri Iesu Christi contumelias tribulationum et angustias persecutionum frequenter pati contingat: nos intendentes, ut in iis pro divini nominis gloria vestraeque salutis augmento libentius patientiam habeatis, quo potiora spiritualis gratiae dona inde vos perceperitis adipisci, vobis universis et singulis et aliis de praefato imperio, qui ad fidem catholicam orthodoxam convertentur in posterum, singulis diebus, quibus vos aut dictos convertendos contumelias aut tribulationes vel persecutionem pro eodem nomine pati contigerit, et omnibus, qui alios ad dictae fidei communionem inducent, singulis diebus, quibus super hoc fideliter laborabunt, nec non et illis, qui nomini eiusdem domini nostri Iesu Christi et beatissimae semper Virginis Mariae genitricis eius, dominae nostrae, reverentiam devotis animis exhibebunt, vere poenitentibus et confessis, singulis diebus, quibus reverentiam huiusmodi facient, viginti dies de iniunctis eis poenitentiis misericorditer in Domino relaxamus. Datum Avinione, X kal. decembris, anno sexto.

452a. Universos ecclesiae Armenorum episcopos et populos schismaticos per imperium Tartarorum constitutos monet, ut ad unitatem ecclesiae catholicae redeant, eosque de sacramentis ecclesiasticis instruit et ad colenda festa Domini et sanctorum iuxta ritum Romanae ecclesiae, ipsis per fratres Iacobum et Petrum ord. Min. tradendum, hortatur. [2]

1321, novembris 22, Avinione.

Venerabilibus fratribus .. de Aguemaz et .. de Arthamar archiepiscopis, ac Zachariae Argis, Ioanni de Noravans, Stephano Thaisair ac .. de Pictriviaco, .. de Astarat, .. de Carry, Iacobo de sancto Bartholomaeo, Zachariae de Naczoan, Thaddaeo de Patenam, Nerses de Vuanavaniz, Sarbas de Acpada, .. de Arzeron, .. de Arzenga et .. de Cars ac aliis Orientis episcopis, nec non dilectis filiis .. archipresbytero et filiis Ristakes ac Stephano de Soldania, Avetik Constant, Iacobo Avetis Tarpat, Papon de Arzeron, Ioanni de Moraga, Stephano et Abraham de Diacoregan, Bartholomaeo et Tirazon de Thefeliz, Chiratos varcabet ac universis et singulis varcabetibus, abbatibus, monachis et sacerdotibus ac clero et populo fidelium per imperium Tartarorum degentibus.

Salvator noster *etc.* Ceterum, ut larga Dei patris et copiosa clementia, in laudem et benedictionem et gloriam sui beatissimi nominis suorum veneratione sanctorum vos devotis praecipiens studiis delectari, in vobis gratiae suae dona multiplicet, quaesumus, ut gloriosissimae Nativitatis Dei et Salvatoris nostri domini Iesu Christi, Annunciationis beatissimae et praecelsae genitricis eius semper Virginis Mariae dominae nostrae, sancti Ioannis Baptistae, beatorum apostolorum Petri et Pauli, et aliorum Sanctorum festivitates iuxta ritum, quem praedicta Romana tenet ecclesia, vobis per dilectos filios fratrem Iacobum et Petrum de ordine Minorum, exhibitores praesentium, peritos in lege divina, tradendum cum omni devotione, ut multiplicatis intercessoribus apud Deum eius misericordiam valeatis abundantius promereri, colere studeatis et per eosdem subditos vestros coli reverentibus animis faciatis: rogantes, ut eosdem fratres pro divina et apostolicae sedis reverentia benigne recipere et honeste tractare curetis et eis in iis, quae ad documenta praedictae fidei et ritus eiusdem ecclesiae pertinere noscuntur, firmiter et sine dubitatione credatis. Datum Avinione, X kal. decembris, anno sexto.

453. Episcopis Valentin. (*Valence*) et Vivarien. (*Viviers*) ac fr. Iacobo Bernardi ord. Min. inquisitori haer. prav. mandat, ut procedant contra illos, qui fratres Cathalanum Fabri et Petrum Paschalis ord. Min., socios praedicti inquisitoris, trucidarunt. [3]

1321, novembris 30, Avinione.

Venerabilibus fratribus .. Valentin. et Vivarien. episcopis et dilecto filio fratri Iacobo Bernardi ordinis Minorum, inquisitori haereticae pravitatis in Arelaten., Aquen., Viennen. et Ebredunen. provinciis per sedem apostolicam deputato.

Vox sanguinis innocentis, quem nocens impietas nocenter effudit, de terra proclamans, horribile fa-

[1] Reg. Vat. t. 73, ep. 36 de curia.

[2] Reg. Vat. t. 76, ep. 22 de curia, apud *Wadd.* l. c. ad a. 1321 nn. 32 et 33.

[3] Reg. Vat. t. 73, epp. 41 et 42 de curia, apud *Wadd.* l. c. ad a. 1321, n. 22 et 23; cfr. infra n. 485, ubi eaedem litterae repetuntur, reticito nomine inquisitoris haer. prav.

cinus et enorme flagitium defert in fidelium medium, iudicium expetens ultionis; quoniam in cultores fidei et fideles agricolas, missos ad demolientes vulpeculas propellendas, insurrexere viri perfidiae, ac operarios Dominicae vineae flagitiosi nequitiae viri (poenam imminentem et proximam, utpote iam rei postulati criminis haereticae pravitatis, rationabiliter formidantes) unanimi saevitia inhumaniter occiderunt: contra quos eo debet acerbius rigor canonicae severitatis exurgere, quo immanitas sceleris (in innocentes a noxiis, a saevis in mites, in pios ab impiis perpetrati) gravius noscitur exaggerare reatum. Sane, sicut publicae famae relatio iam deduxit in publicam notionem, nonnulli de haeretica labe respersi (quorum aliqui dudum in haeresi deprehensi in signum promissae per eos verae conversionis ad fidem anterius et posterius per inquisitores pravitatis haereticae iusto iudicio receperant signum crucis), aliqui vero fermento dictae labis infecti ac credentes et fautores haereticorum ex accusatione conscientiae propriae, futuram sibi meritam poenam praenoscentes, intellecto, quod ad perquirenda talium devia pro negotio fidei vitae laudabilis et probatae religionis viri quondam fratres Cathalanus Fabri et Petrus Paschalis de Saliente ordinis Minorum ad castrum Cabioli Valentin. dioec. per te, fili inquisitor, fuerant destinati, tam praefati crucem portantes quam quidam alii delati de haeresi ac defensores et fautores eorum, consuentes sibi poenam ipsamque evitare quaerentes ac ob hoc eorumdem fratrum conspirantes in necem, collecta multitudine aliorum suorum in hac parte complicium et fautorum praehabuere tractatum, ut superveniente nocte in dictum castrum, cuius portae eis debebant per alios consortes eiusdem nequitiae reserari, ipsis praestaretur ingressus dictos fratres eorumque familiam perempturis. Cumque idem frater Cathalanus in dicto castro Cabioli non valens iniunctum sibi inquisitionis officium commode exercere, se cum dicto fratre Petro ad castrum Montilisii dictae dioec. contulisset, praefati malefici illuc cum praedicta multitudine diversis armorum generibus praemunita in profundae noctis silentio accesserunt ac in eosdem fratres, qui in prioratu sancti Iacobi dicti loci de Montilisio fuerant hospitati (huiusmodi machinationum insidias minime formidantes, sed opus Domini fideliter prosequentes, ac tunc quiescentes), portas camerae, in qua recumbebant, securibus excidendo, omni divino timore postposito et quolibet debito humanitatis excluso, immani et terribili impetu irruerunt ac in eorum capitibus, cervicibus atque membris tot atrocia et lethalia vulnera terribilibus ictibus frequentius iterarunt, ut, quamvis ad extinctionem eorum pauca de dictis vulneribus sufficissent, illam in cruenta caede ipsorum rabidam ostenderent feritatem, ut non videretur de nimietate plagarum posse ipsorum crudelitas satiari. Cum igitur praedictorum sceleratorum causae multiplicatae reatuum tanto maioris sint ultionis animadversione plectendae, quanto impunitas talium periculosiorem pararet audaciam similia perpetrandi, discretioni vestrae, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo mandamus, quatenus vos vel duo vestrum per vos contra priorem dicti prioratus et quoscumque alios, qui in eorumdem fratrum miserabili nece culpabiles capti fore dicuntur, ac universos et singulos, quos per inquisitionem (quam super hoc per vos haberi volumus simpliciter, summarie et de plano, sine strepitu et figura iudicii) inveneritis fore praecipuos eiusdem nefandi sceleris patratores vel super dicto scelere dedisse auxilium, consilium vel favorem, cum tam committentium reatum huiusmodi quam dictorum fratrum, in quos scelus sic immanissimum est commissum, qualitas evidenter insinuet, huiusmodi patratores fore de haeretica labe suspectos, ad poenas debitas inferendas eisdem auctoritate nostra iuxta sanctiones canonicas et secundum privilegia inquisitoribus haereticae pravitatis ab apostolica sede concessa procedere studeatis (ita quod, qui excessus excessibus aggregarunt, pro cumulatione scelerum poenam recipiant congruentem) et, si aliquis casus vel dubietas forsan emergeret, ut vobis sceleratos eosdem poenis dignis subiicere periculosum vel difficile redderetur, aut eos ad sedem apostolicam sub fida destinetis custodia, si poteritis, poenam pro meritis recepturos, aut nos super talibus consulatis: invocantes ad exequenda praemissa dilectorum filiorum comitum, baronum, militum et nobilium aliorum, universitatum civitatum, castrorum et villarum auxilium, [1] si videritis expedire, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione posthabita, compescendo; non obstante, si aliquibus communiter vel divisim a praefata sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Avinione, II kal. decembris, anno sexto.

[1] Ad quod impendendum ipsi dicti nobiles et locorum universitates aliis litteris eadem die datis monentur.

454. Episcopo Valentino mandat, ut inquirat tam de vita et conversatione praedictorum fratrum Cathalani Fabri et Petri Paschalis ord. Min. quam de professione fidei ab ipsis in agone martyrii constitutis facta et de eorum spontanea ipsius martyrii susceptione ac de miraculis, quibus Deus gloriosam eorum mortem illustravit. [1]

1321, novembris 30, Avinione.

Venerabili fratri [Guilelmo] episcopo Valentino.

Vox sanguinis innocentis *etc. ut supra n. 453 usque ad* crudelitas satiari. Cum igitur, sicut habet multorum relatio, omnipotens Dominus, qui sanctos suos mirificat meritis et eos facit coruscare miraculis, meritis eorumdem fratrum, qui fidei prosequendo negotia a viris perfidis martyrium susceperunt, evidentia miracula in ecclesia, [2] ad quam eorum corpora delata fuerunt, circa infirmos, qui dictorum corporum devotum poterant habere contactum, fuerit operatus et iugiter operari dicatur, ac dignum existat, ut, quos signis et prodigiis Dominus sanctos venerandos ostendit, eos veneratione dignos fidelium mater ecclesia debeat publicare: nos de praemissis miraculis volentes cum omni qua possumus cautela et diligentia veritatem plenius indagare, fraternitati tuae, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, de fratrum nostrorum consilio praesentium auctoritate committimus et mandamus, quatenus vocatis et adhibitis tecum aliquibus probis viris tam de vita et conversatione dictorum fratrum quam de professione fidei facta per eos, dum erant in agone recepti martyrii constituti, et spontanea susceptione dicti martyrii, quam[que] de dictis miraculis ac ipsorum circumstantiis universis secundum datam tibi a Deo prudentiam diligenter inquirens nobis, quae inveneris, studeas fideliter per tuas litteras nunciare. Datum ut supra.

455. Fratribus Minoribus Sibenicen. concedit facultatem retinendi locum novum, destructo antiquo, ipsis a civibus concessum. [3]

1321, decembris 20, Avinione.

Dilectis filiis .. guardiano et fratribus ordinis Minorum civitatis Sibenicensis [4] *provinciae Sclavoniae.*

Inter ceteros ordines in agro plantatos ecclesiae sacrum vestrum ordinem claris suis exigentibus meritis gerentes in visceribus caritatis, ad ea vigilanter intendimus ac opera operamque sollicitam impertimur, per quae status eiusdem ordinis ad divini nominis gloriam, exaltationem catholicae fidei et augmentum ordinis supradicti tranquillis foveatur eventibus et votivis proficiat incrementis. Sane petitio dilectorum filiorum potestatis, iudicum et curiae civitatis Sibenicensis nobis exhibita continebat, quod olim (incentore malorum, pacis aemulo, procurante) inter dilectum filium nobilem virum Mladinum Chroatorum et Bosnae banum [5] ex parte una et cives civitatis eiusdem ex altera gravi discordia suscitata, cum idem banus per terram et mare civitatem praedictam intenderet impugnare, iidem cives, considerantes, quod per locum vestrum tunc situm extra civitatem praedictam impugnationi huiusmodi magna commoditas praestabatur, ac tantis periculis occurrere cupientes, praedictum locum funditus destruxerunt, ac deinde, pro dicto loco volentes infra moenia civitatis eiusdem recompensationem vobis facere congruentem, de assensu et voluntate totius maioris et generalis consilii civitatis praedictae ad sonum campanae voceque praeconia more solito congregati, quendam locum cum omnibus aedificiis et ligaminibus certis terminis limitatum, situm infra civitatem praedictam, cum omnibus suis iuribus, pertinentiis et adiacentiis universis dilecto filio .. ministro provinciali ordinis vestri in provincia Sclavoniae recipienti vice et nomine vestro dederunt et liberaliter concesserunt, prout in instrumento publico inde confecto, sigillo communis civitatis eiusdem munito, plenius continetur. Quare pro parte vestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut recipiendi locum praedictum cum aedificiis, pertinentiis et adiacentiis supradictis et construendi in eo ecclesiam seu oratorium cum officinis, habendi quoque ibidem liberam ecclesiasticam [6] sepulturam (constitutione Bonifatii papae VIII praedecessoris nostri in contrarium edita non obstante) specialem vobis licentiam concedere dignaremur. Attendentes igitur ex eo praecipue, quod locum huiusmodi non voluntate sed potius exigente necessitate mutastis, petitioni vestrae in hac parte fore rationabiliter annuendum, vestris supplicationibus inclinati, vobis, dummodo dictus locus ab ecclesiis aliorum ordinum, qui sunt in paupertate fundati, per spatium centum et quadraginta cannarum (in moderatione seu restrictione piae memoriae Clementis papae IV praedecessoris nostri super hoc edita [7] diffinitum) distare noscatur, recipiendi et retinendi locum praedictum cum aedificiis, pertinentiis et adiacentiis memoratis et in eo morandi et construendi in ipso ecclesiam seu

[1] Reg. Vat. t. 73, ep. 43 de curia, apud *Wadd.* l. c. nn. 24 et 25.

[2] Fratrum Min. Valentin. (*Valence*, in custodia Viennen. prov. Burgundiae).

[3] Reg. Vat. t. 73, f. 116, ep. 311, apud *Wadd.* l. c. n. 44.

[4] *Sebenico* in custodia Spalatensi prov. Sclavoniae sive Dalmatiae.

[5] Cfr. supra n. 369.

[6] *In registro:* ecclesiam.

[7] Cfr. supra n. 9, p. 4, not. 15.

oratorium et officinas vobis necessarias ac habendi in eo cimiterium et ecclesiasticam sepulturam (sine praeiudicio tamen cathedralis ac parochialium ecclesiarum et iuris cuiuslibet alieni), praedicta eiusdem praedecessoris Bonifatii et qualibet alia constitutione contraria non obstante, plenam et specialem auctoritate apostolica licentiam concedimus et etiam facultatem. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, XIII kalendas ianuarii, anno sexto.

455a. Rectori ducatus Spoletani et inquisitoribus haer. prav. in provincia s. Francisci (ex ord. Min.) mandat, ut procedant contra Spoletanos, qui Fredericum olim comitem de Monteferetro sibi in ducem assumpserunt, etiam si ipse Fredericus de civitate Spoletana forte recesserit. [1]

1321, decembris 23, Avinione.

Dilectis filiis mag. Raynaldo de s. Arthemia thesaurario Noviomen., capellano nostro, ducatus Spoletani rectori, et inquisitoribus haer. prav. in provincia s. Francisci.

Intellecto dudum, quod hii, qui se pro potestate, consiliariis et officialibus civitatis Spoletan. gerebant, necnon et eiusdem civitatis commune Fredericum olim comitem de Monteferetro, nostrum et ecclesiae Romanae rebellem, excommunicatum haereticum et idololatram ac fidei catholicae corruptorem, recepisse et eum in ducem sibi, ut confusionem mortis perpetuae incurrerent cum eodem, assumpsisse praesumpserunt: nos considerantes, quod ipsi per hoc manifestos eiusdem haeretici se fautores et receptores reddiderant, vobis per alias nostras dedimus litteras in mandatis, ut contra eosdem Spoletanos tanquam contra fautores et receptores haereticorum iuxta formam canonum et alias, prout vobis, filii inquisitores, ex officio inquisitionis contra haereticos, receptatores et defensores eorum commisso auctoritate apostolica competit, procedere curaretis; quare volumus et discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus contra dictos Spoletanos, etiam si memoratum Fredericum de dicta civitate Spoletan. forte recessisse contingat, iuxta formam dictarum procedere litterarum cum omni diligentia studeatis. Dat. Avinione, X kal. ianuarii, pont. nostri anno sexto.

456. Mandat ministro generali ord. Min., quod fr. Deodatum, quondam moderatorem monasterii s. Silvestri in capite de Urbe ord. s. Clarae, quem amoverat, restituat. [2]

1322, ianuarii 22, Avinione.

Dilecto filio ministro generali ordinis fratrum Minorum.

Petitionem dilectarum in Christo filiarum abbatissae et conventus monasterii sancti Silvestri in capite de Urbe ordinis sororum Minorum inclusarum recepimus continentem, quod bonae memoriae Iacobus de Columna sanctae Romanae ecclesiae diaconus cardinalis, ad cuius instantiam fuit ab hactenus dictum monasterium eisdem abbatissae et conventui, quarum plurimae de genere Columnensium et consanguineorum suorum existere dignoscuntur,[3] apostolica auctoritate concessum, exercuit, dum in illis partibus extitit, visitationis et correctionis officium per seipsum in monasterio praelibato, quodque aliqui de ordine tuo fuerunt ex tunc et in praesentiarum existunt in eodem monasterio pro cura dictarum abbatissae et conventus et pro ministrandis eis ecclesiasticis sacramentis. Tandem dictus cardinalis se ad Romanam curiam transferens, huiusmodi visitationis et correctionis officium dilecto filio Deodato[4] de Praeneste dicti ordinis ob religionis zelum et merita probitatis ipsius, qui diutius fuerat laudabiliter immoratus in monasterio memorato, commisit et quod dictum officium usque ad ipsius cardinalis obitum dictus Deodatus laudabiliter exercuit et prudenter; sed tu, dicto cardinali sublato de medio, praefatum Deodatum ab eodem monasterio revocasti. Cum autem ex revocatione huiusmodi eaedem abbatissa et conventus, ut asserunt, gravia sentiant in spiritualibus et temporalibus detrimenta, nobis humiliter supplicarunt, ut providere ipsis de remittendo ad dictum monasterium praefatum Deodatum, moraturum ibidem, exercendo visitationis et correctionis officium, sicut prius, de opportuno remedio dignaremur. Nos autem easdem abbatissam et conventum, de quarum vitae munditia suaves per Dei gratiam sentimus odores, paternis brachiis amplectentes et supplicationibus earum apostolicum impertiri, quantum cum Deo possumus, volentes assensum, discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus memoratum Deodatum remittas ad monasterium antedictum, non revocaturus eum exinde, nisi ex causa rationabili, de qua nos cures indilate reddere certiores. Datum Avinione, XI kal. februarii, anno sexto.

457. Eidem ministro generali committit officium visitationis et correctionis Clarissarum mon. s. Antonii de Paliciano ord. s. Clarae. [5]

1322, ianuarii 23, Avinione.

Dilecto filio ministro generali ordinis fratrum Minorum.

Exquisita tuae circumspectionis industria nobis

[1] Ex autographo in archivo sacri conventus Assisien. asservato. Cfr. supra n. 405 et infra n. 461.

[2] Reg. Vat. t. 73, ep. 354, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Ioann. XXII, n. 106.

[3] Cfr. supra n. 336.

[4] *Alias:* Adeodato.

[5] Reg. Vat. t. 73, ep. 419, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 107.

fiduciam ingerit, ut, quae tibi committuntur a nobis, prudenter et fideliter exequaris. Cupientes igitur, ut monasterium sororum sancti Antonii de Paliciano prope Ferrariam ordinis sanctae Clarae, subductis obstaculis et impedimentis quibuslibet procul pulsis, pacis commodis affluat et successibus prosperis gratuletur, discretioni tuae praesentium auctoritate committimus et mandamus, quatenus per te vel alium praefatum monasterium et personas degentes in ipso, quotiens opus fuerit (dummodo visitatio, inquisitio, correctio et reformatio dicti monasterii ad alium non pertineant, cui non intendimus per hoc praeiudicium aliquod generari), visites et in eo tam in capite quam in membris inquiras, corrigas et reformes, quae correctionis et reformationis officio videris indigere, processurus circa hoc secundum iuris ordinem et constitutiones ipsius ordinis approbatas, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo (non obstantibus ipsius monasterii quibuscunque privilegiis contrariis aut *etc.*). Datum Avinione, X kal. februarii, anno sexto.

458. Eidem ministro generali concedit facultatem recipiendi locum apud Castrum novum dioec. Parmen. ad usum fratrum Min. [1]

1322, ianuarii 25, Avinione.

Ministro generali ordinis fratrum Minorum.

Oblata nobis dilecti filii Aronis praepositi Burgen. et nobilium virorum Simonis et Guidonis filiorum quondam Gilberti de Corrigia petitio continebat, quod idem Gilbertus, cum adhuc viveret, cupiens tamquam de propria salute sollicitus terrena pro coelestibus et transitoria pro aeternis felici commercio commutare, in castro suo, quod dicitur « Castrum novum » Parmen. dioec. ecclesiam in honorem beati Francisci et locum fratrum tui ordinis Minorum, in quo decem tui ordinis fratres possent continue commorari et divina officia celebrare, in sua ultima voluntate pro sua ac parentum suorum salute de propriis bonis construi voluit et mandavit. Cum itaque pro construendis ecclesia et loco praedictis, sicut pro parte dictorum praepositi et nobilium fuit expositum coram nobis, bona sufficientia sint postmodum assignata, nos intendentes, ut satisfiat piae voluntati testatoris ipsius et eiusdem ordinis palmites ad laudem et gloriam divini nominis latius extendantur, tibi ad opus eorumdem ordinis et fratrum in eodem castro huiusmodi locum recipiendi, si videris expedire (fel. record. Bonifatii papae VIII praedecessoris nostri et qualibet alia sedis apostolicae constitutione contraria non obstante), plenam et liberam auctoritate praesentium licentiam largimur. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, VIII kalendas februarii, anno sexto. [2]

459. Mandat episcopo Spirensi, ut transmittat Franciscum de Lutra apostatam ord. Min. [3]

1322, februarii 1, Avinione.

Venerabili fratri [Emichoni] episcopo Spirensi.

Dudum ad audientiam apostolatus nostri deducto, quod Franciscus de Lutra professor ordinis Minorum ab ordine apostatarat eodem, eius effugiens disciplinam, ac quorundam civium Spirensium favore suffultus contra dictum ordinem in vocem frivolae appellationis erumpens causasque falsas inserens in eadem suaeque appellationi non deferens, coram clero et populo Spirensibus contra statum dicti ordinis publice praedicare infamatorie non expaverat, damnatam Sarrabaytarum sectam satagens suscitare, et quod inter cetera patenter praedicare praesumpserat, quod non erant in statu salutis fratres ordinis praelibati – quosdam ipsius ordinis fratres pestiferos, in quorum cordibus hostis antiquus sator zizaniae pravos seminavit errores, contra quos utpote tunicam Domini scindere molientes modum certae provisionis salubris duximus apponendum, ausu damnabili approbando et dicendo, quod iniuste processum fuerat contra eos et quod peccaret mortaliter, quicunque daret eleemosynam fratribus ordinis memorati – et quod alia superstitiosa et falsa in nostrum et apostolicae sedis contemptum, dicti ordinis opprobrium, plurimorum scandalum et animae suae perniciem palam non est veritus praedicare, sed illa in praedicationibus et sermonibus suis publice proponebat: nos volentes iuxta officii nostri debitum manum apostolicae correctionis, prout iustum erat, apponere in hac parte, tibi in virtute sanctae obedientiae per apostolica scripta dedimus in mandatis, ut sine morae dispendio dictum Franciscum, si esset in iurisdictione tua sive in alio loco illarum partium, ad quas posset [4] sine periculo destinare, caute perquiri et capi faceres ipsumque ad nos et sedem praedictam sub fida custodia destinares, suam si posset innocentiam ostensurum, alioquin pro meritis recepturum. Sane tu praedictis litteris nostris receptis nobis inter alia per tuas litteras rescripsisti, quod dictum Franciscum ad sedem praedictam absque personae suae

[1] Reg. Vat. t. 73, ep. 447, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 108.

[2] Locus ipse, de quo in his litteris sermo est, nominabatur « de Corrigia *(Correggio)* » et pertinebat ad custodiam Ferrariensem prov. Bononien. Cfr. *Wadd.* l. c. ad a. 1321, n. 42.

[3] Reg. Vat. t. 73, f. 176, ep. 463; cfr. supra n. 421.

[4] Posses?

periculo tute destinare nequibas propter potentiam fratrum Minorum vel amicorum ordinis Minorum, qui in diversis locis in itinere constitutis ipsum hiis, quos ad eius custodiam destinasses, per violentiam abstulissent: quorum praetextu mandato nostro huiusmodi hucusque minime paruisti. [1] Cum autem nota qualitas tuae conditionis et status huiusmodi violentiam gentibus tuis posse per dictos fratres Minores inferri credi verisimiliter non permittat, fraternitati tuae iterato in virtute sanctae obedientiae ac sub poena suspensionis, quam si secus feceris te incurrere volumus ipso facto, districte praecipiendo mandamus, quatenus statim post receptionem praesentium praedictum Franciscum, si in tua potestate consistat, alioquin, si eum forsan de tua potestate permisisses exire, ipsum perquiri et capi facias et ad civitatem Metensem sub diligenti custodia quantocius destinare procures, faciens eum dilecto filio [Henrico] electo Metensi seu .. vicario vel vicariis eius personaliter assignari: damus insuper eidem electo seu vicario vel vicariis eius in virtute sanctae obedientiae tenore praesentium in mandatis, ut eundem Franciscum, quamprimum in eorum manibus ut praemittitur fuerit assignatus, sub fida et diligenti custodia ad civitatem Lingonensem studeant destinare eumque venerabili fratri nostro [Ludovico] episcopo Lingonensi seu .. vicario vel vicariis eius ex parte nostra personaliter faciant assignari. Quibus episcopo et vicario seu vicariis similiter in virtute obedientiae auctoritate praesentium districtius iniungimus et mandamus, ut, postquam eis iuxta modum praemissum idem Franciscus fuerit assignatus, eundem ad nos et sedem apostolicam sub diligenti custodia destinare procurent. Volumus autem tibique et praenominatis aliis sub poena nostro arbitrio inferenda districte praecipimus et mandamus, ut tam tu de huius executione mandati et assignatione eiusdem Francisci dicto electo Metensi vel eius vicario seu vicariis quam idem electus vel eius vicarius seu vicarii de executione et assignatione simili praefato episcopo Lingonensi vel eius vicario seu vicariis facienda duo consimilia instrumenta publica (diem et testes assignationis huiusmodi cum praesentium serie continentia) fieri faciatis, quorum penes unumquemque vestrum de assignatione sua huiusmodi uno retento reliqua nobis per eos gradatim, per quos idem Franciscus sub huiusmodi custodia transmittetur, fideliter destinentur, ut ex tenore ipsorum uniuscuiusque diligentiam possimus rationabiliter commendare. Ceterum volumus, quod, si te, praefate episcope, ab ecclesia tua forsitan abesse contingeret, ita quod praesentes litterae tibi nequeant praesentari, vicarius seu vicarii tui in spiritualibus (quibus in huiusmodi tua absentia praesentari volumus litteras supradictas quosque ad executionem praesentis mandati nostri in virtute obedientiae et sub poena nostro arbitrio infligenda astringi volumus et mandamus) praemissa omnia et singula eo modo et forma, quibus tu ille exequi tenereris, si tibi litterarum nostrarum praesentatio fieret praedictarum, diligenter exequi teneantur. Datum Avinione, kalendis februarii, anno sexto. [2]

460. Laurentium Minoritam praeficit ecclesiae Ragusinae in archiepiscopum. [3]

1322, februarii 10, Avinione.

Dilecto filio Laurentio electo Ragusin.

Romana ecclesia, quae super universas alias *etc.* Olim siquidem bonae memoriae Petro archiepiscopo Ragusino ecclesiae Ragusinae regimini praesidente, nos intendentes eidem ecclesiae Ragusinae, cum vacaret, de persona idonea providere, provisionem faciendam ea vice dictae ecclesiae de praelato, quam cito eam contingeret pastore carere, dispositioni nostrae certis de causis duximus specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super his per quoscumque scienter vel ignoranter contingeret attentari. Postmodum autem dicto archiepiscopo viam universae carnis ingresso, nos de ipsius ecclesiae Ragusinae ordinatione sollicite cogitantes, ne prolixioris vacationis incommodis exposita remaneret, post vigilem quam ad praeficiendum eidem ecclesiae Ragusinae idoneam approbatamque personam adhibuimus diligentiam, ad te ordinis fratrum Minorum professum, in sacerdotio constitutum, virum

[1] Nec mirum; istum enim episcopum Spirensem praedicto fr. Francisco favisse eumque in domum suam receptum contra fratres Min. Spiren. defendisse constat. Cfr. insuper infra n. 463.

[2] Aliis litteris eadem die 1 febr. 1322 datis summus pontifex « venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis electis et abbatibus nec non nobilibus viris marchionibus, comitibus, baronibus, advocatis, scultetis et magistris civium civitatum, castrorum, villarum et aliarum terrarum, ad quos ipsae litterae pervenerint », mandat, « quatenus eundem Franciscum per civitates, castra, terras et loca sua et districtus eorum ~entes eiusdem episcopi Spirensis usque ad dictam civitatem ~c deinde tam per electi Metensis quam episcopi Lingonensis praedictorum familiares seu gentes ad sedem apostolicam deduci libere permittant dictisque gentibus, cum super hoc ab eis fuerint requisiti, de securo conductu providere curent, ita quod dictus Franciscus per cuiuspiam praesumptionis audaciam eripi nequeat de manibus eorundem, quin immo absque impedimento cuiuslibet ad ipsius summi pont. praesentiam deducatur ». Franciscum de Lutra Avinionem deductum esse ibique postmodum ad ord. s. Ben. se transtulisse, deinde autem apostatando recessisse, liquet e litteris Ioannis XXII diebus 10 oct. 1323, 28 maii 1324, 8 ian. 1326 datis inferiusque referendis.

[3] Reg. Vat. t. 73, ep. 1271; apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 109.

utique, prout fide dignorum habet assertio, vitae laudabilis, conversationis placidae, morum honestate decorum, discretionis et consilii maturitate conspicuum, in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum, direximus oculos mentis nostrae. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, intendentes tam gregi Dominico quam dictae Ragusinae ecclesiae salubriter providere, de persona tua ipsi Ragusinae ecclesiae de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica providemus teque illi in archiepiscopum praeficimus et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus committendo plenarie *etc.* Datum Avinione, IV idus februarii, anno sexto. [1]

461. Mittit Paulinum de Venetiis ord. Min. nuntium apostolicum ad ducem et commune Venetiarum, ut eos moneat, quod abstineant ab hostilibus contra Ariminenses, qui civitatem Fanensem ad obedientiam ecclesiae Romanae reduxerant. [2]

1322, februarii 26, Avinione.

Paulino de Venetiis ordinis Minorum, capellano et poenitentiario nostro.

Audito nuper, quod dilecti filii .. dux, consilium et commune Venetiarum dilectis filiis nobilibus viris Pandulpho et Ferrantino de Malatestis de Arrimino et Arriminensibus et aliis universitatibus civitati Fanensi vicinis expresse mandaverant per nuntios et speciales litteras comminando, ne contra commune et dictam civitatem Fanensem nostros et ecclesiae Romanae rebelles aliquam facerent novitatem, quodque iidem nobiles et Arriminenses castra nostra comitatus civitatis eiusdem, quae dicebantur occupata per eos, immo quae (sicut veritatis habet assertio) de saeva tyrannide Frederici olim comitis de Monteferetro haeretici et idololatrae perfidi, [3] qui tunc dictae civitati tyrannice praesidebat, zelo recuperaverant verae devotionis inducti, reddere procurarent, civibus Arriminensibus eorum interdicto commercio et eis ac ipsorum navigiis de terra et districtu eorum minus rationabiliter expulsis: nos dictos .. ducem, consilium et commune per diversas litteras nostras rogandos duximus attentius et hortandos auctoritate apostolica praecipientes eisdem, ut mandatum huiusmodi curarent circumspectione provida revocare, a similibus in posterum abstinentes, nullamque nobilibus, communitatibus et universitatibus antedictis et aliis Fanenses impugnantibus memoratos iniuriam vel molestiam irrogarent, quin potius tam contra Fanenses eosdem quam alios nostros et ecclesiae praedictae de provincia marchiae Anconitanae rebelles dilecto filio Amelio abbati sancti Saturnini Tholosano, capellano nostro, eiusdem provinciae rectori, pro divina et apostolicae sedis ac nostra reverentia prompte ac viriliter adesse curarent. Verum, ut super hiis .. duci, consilio et communi praedictis de nostra intentione plenius innotescat, ac de tua circumspecta prudentia fiduciam obtinentes in Domino specialem et sperantes de creditis tibi a Domino virtutibus, quod ea, quae tibi committimus, sicut vir doctus et prudens instantia fidelis sollicitudinis prosequeris, volumus et discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus ad dictam terram Venetiarum accedens eosdem .. ducem, consilium et commune (eis periculis et iacturis ac dispendiosis et enormibus nocumentis, quibus per haec se ac terram eorum spiritualiter et temporaliter subdunt, diligenter ostensis, et eisdem exposito, quanta commoda, quanta bonorum et honoris augmenta ipsis et eidem terrae ipsorum persistendo in nostra et ipsius ecclesiae devotione constanter poterunt provenire), quod huiusmodi nostris precibus, exhortationibus et mandatis efficaciter acquiescant, iuxta datam tibi a Deo prudentiam cum omni solertia dirigas et inducas, eis, quae tibi sub verbo credentiae circa praemissa exponenda commisimus, relaturus. Sic igitur in praedictis te studiosum exhibeas et offeras efficacem, quod de tuae diligentiae studiis in hac parte fructus laudabiles producantur; tuque nostram et apostolicae sedis benedictionem et gratiam exinde plenius merearis. Datum Avinione, IV kalendas martii, anno sexto. [4]

---

[1] Aliis litteris 4 oct. 1322 datis eidem electo concedit, ut extra curiam Rom. a quocunque maluerit antistite munus consecr. recipere valeat. Cfr. Reg. Vat. t. 74, ep. 42.

[2] Reg. Vat. t. 111, f. 146, ep. 603.

[3] Cfr. supra n. 455[a].

[4] Aliis litteris eadem die datis summus pontifex ducem et commune Venetiarum hortatur, ut super excessibus per Matthaeum vicecomitem Mediolan. commissis et super criminibus marchionum Estensium credant fr. Paulino supradicto. Cui die 15 martii 1322 scribit, se mirari, quod non rescribat de negotiis, pro quibus est transmissus. Fr. Paulinus quidem rescripsisse, sed litterae eius non ad summum pontificem pervenisse videntur; hic enim illi die 18 iunii 1322 scribit, se ab eo, ex quo a sua praesentia recessit, nullas litteras recepisse nisi unam in causa Ariminensi, quare de iis, quae ceterae litterae continebant, iterum informari vult; insuper monet fr. Paulinum, ut sibi rescribat, quid fecerit in facto Ferrariensi, et quod praesentet duci Venetorum litteras super remissione (traditione) Zeroli al. Ceroli de Racaneto labe haereticae pravitatis infecti et de ea condemnati. Qui quidem per fr. Bonaiunctam de Padua ord. Min., inquisitorem haer. prav., ducis Venetiarum auxilio suffultum captus, sed ab eodem duce retentus, minime vero rectori marchia Anconitanae traditus est, quamquam summus pontifex id petiverat litteris 23 maii 1322 ad eundem ducem datis. Die denique 8 oct. 1322 Ioannes pp. XXII nostro fr. Paulino regratiatur, quod ipso procurante dux et commune Venetiarum dictum Cerolum rectori marchiae Anconitanae assignarunt. In causa quoque Ariminensi supradicta res prospere cessit; die enim 22 iunii 1322 summus pontifex Venetianos laudat, quod, sicut fr. Paulinus sibi intimavit, exbannitionem Ariminensium revocaverunt. Die vero

462. Archiepiscopis et episcopis infradictis mandat, ut inquirant contra quosdam fratres et sorores tertii ordinis s. Francisci, qui de rebus fidei altercari et aliter, atque ecclesia catholica docet et sentit, sentire et profiteri dicuntur. [1]

1322 februarii 26, Avinione.

Vener. fratribus universis archiepiscopis et episcopis per Narbonen., Tholosan., Auxitan., Burdegallen., Terraconen., Arelaten., Aquen., Viennen. et Ebredunen. provincias constitutis.

Si ea, quae pro salute fidelium in propagationem exemplarium actionum et in perennis vitae praemium consequendum per sanctorum patrum veneranda studia sancta et pia sumpsere principia, postmodum ex humanae malignitate naturae, quae semper ad vetita labitur et plus quaerit sapere quam oportet, in perniciosos revolvuntur errores animarum perniciem parituros, ad Romani pontificis providentiam pertinet, errores ipsos non pertransire silentio, sed, priusquam spatientur et affluant, personas in ipsis demersas erroribus vel paterna castigatione corrigere vel in eis, si opus fuerit, condignae ultionis acrimoniam exercere. Sane de nonnullis professoribus ordinis Continentium, qui fratres tertii ordinis b. Francisci vulg. nuncupantur, [2] gravis ad nostri apostolatus auditum, quod dolenter referimus, pervenit infamia, ultionis acrimoniam in professores ipsos, si dictis facta conveniunt, relatura, videlicet quod in huiusmodi ordine tertio sunt nonnullae sexus utriusque personae, quae (volentes potius suo errore perire quam evangelica doctrina et salubri persuasione proficere) de articulis fidei, de sacramentis ecclesiae, de apostolicae potestatis plenitudine, ac in quantum claves eiusdem ecclesiae se extendunt, altercari et disputare; nonnulli etiam ex eis aliter, quam Romana ecclesia doceat et sentiat, sentire ac profiteri praesumunt, in derogationem, quantum in eis extat, catholicae fidei et in perniciem suarum et aliarum, quas astute decipiunt, simplicium animarum.

Nos itaque dignum censentes et debitum, ut super his per vos et vestrum quemlibet auctoritate nostra, cum sitis in partem nostrae sollicitudinis evocati, habeatur indago et certitudo plenaria veritatis, fraternitati vestrae per apostolica scripta in virtute obedientiae districte praecipiendo mandamus, quatenus, ne talis morbi contagium in fideles subrepat populos animasque simplicium (quod absit) inficiat, personis utriusque sexus eiusdem tertii ordinis in vestris dioecesibus constitutis, ad vestram (prout commodius fieri poterit) evocatis praesentiam, inquiratis tam super praemissis et singulis praemissorum quam de ingressu eorum ad huiusmodi tertium ordinem, et per quem vel quos ad ipsum ordinem fuere recepti et in cuius seu quorum manibus ac ubi et quando et quid specifice fuere professi, iuxta datam vobis ex alto prudentiam, et habita de ingressu, receptione, professione ipsorum ac de disputationibus et erroribus, ut praefertur, et utrum tamquam fideles atque catholici firmiter de praedictis et aliis sentiant, quod sancta Romana sentit ecclesia, certitudine veritatis, illis ex eis, quos repereritis sub vita laudabili et doctrina ecclesiastica et fide catholica et iuxta ritum suae regulae et observantias vivere seque in dictis disputationibus et errorum maledictionibus non involvi, iacturam seu molestiam aliquam (cum non sit aequum innocentes cum nocentibus ad paria iudicari) nullatenus inferatis, sed exhortare sedulo studeatis eosdem, ne puram suarum mentium massam pravi fermenti commixtione coinquinent ac per vitae puritatem, innocentiam atque munditiam Domino militantes, mereantur consequi felicitatis aeternae praemium, quod constat non inchoantibus repromitti sed perseverantibus in consummationem praestari. Illos vero, quos in praemissis articulis aut ipsorum aliquo, videlicet vel in articulis fidei vel in sacramentis ecclesiae aut in apostolicae potestatis plenitudine seu in quantum claves eiusdem ecclesiae se extendant, aut quomodolibet deviantes inveneritis ab eo, quod Romana servat et docet ecclesia, et a catholica fidei rectitudine deviare, vobis et inquisitoribus haereticae pravitatis secundum canonicas sanctiones et privilegia super hoc ab apostolica sede concessa relinquimus vel ad veritatis semitam, si Deus dederit, servato iuris ordine reducendos vel iuxta ipsorum culpas et de-

---

21 iulii 1322 nuntium praedictum monet, ut studeat amovere impedimenta, quae faciendo sali propter pacta inter Venetos et Servienses (Cervienses) obsistunt, ipsumque ducem Venetorum hortatur, ut sal fieri permittat in salina Cerviensi. Cfr. Reg. Vat. t. 111, f. 146, 149 (ep. 611), 150 (epp. 612, 613), 105 (epp. 425-429, 436, 437), 344 (epp. 1411-1416), 347 (epp. 1428, 1429) et t. 74 ep. 319. Vide infra litteras apostolicas d. d. 20 iulii 1324, quibus iste fr. Paulinus ecclesiae Puteolanae praeficitur in episcopum.

[1] Reg. Vat. t. 73, ep. 52 de curia, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 111.

[2] Sic quidem in registro. Apud *Waddingum* vero loco cit. legimus loco verborum « Sane.... nuncupantur » haec: « Constat siquidem, gloriosum illum beatum Franciscum, Domini confessorem, tres ordines, priusquam ad caelestia regna transiret, instituisse ad christianae religionis augmentum et salutem fidelium populorum in universalis ecclesiae firmamentum. Primum namque "fratrum Minorum" ordinem voluit appellari, secundum "sanctae Clarae" seu "Minorissarum" iuxta provinciarum idiomata nuncupatum, et tertium "Continentium", sperans confessor ipse iuxta sanctissima (sine ruga et macula) vota sua, quod professores ipsorum ordinum per virtutum odoramenta percurrerent et in aeternum ecclesiae Dei suavissima redderent holocausta. Et licet ex primis duobus ordinibus, prout in Domino congaudemus, suaves et emeritos laudibus sentiamus odores, de nonnullis professoribus tamen eiusdem tertii ordinis *etc.* »

merita debita et canonica animadversione plectendos. Non obstantibus *etc.* Dignum est equidem, ut, quos timor Dei et instituta sanctorum ac propriae salutis consideratio a malo non revocant, animadversio debita et divini et humani iuris censura percellant. Datum Avinione, IV kal. martii, [1] anno sexto.

463. Committit abbatibus infradictis, ut suspendant sententias excommunicationis Spirae a fratribus Min. in episcopum et clerum atque ab episcopo et clero in fratres Min. sacramentorum sodalibus tertii ordinis s. Francisci administrandorum causa latas. [2]

1322, martii 1, Avinione.

Dilectis filiis in Mulubrunn et Usserstal. ac in Clingenmunster monasteriorum [3] *abbatibus Spiren. dioecesis.*

Dudum felicis recordationis Bonifatius papa VIII praedecessor noster, dilectis filiis universis fratribus et dilectis in Christo filiabus sororibus ordinis « Continentium seu de poenitentia sancti Francisci » vulgariter nuncupatis, per Alemanniam constitutis, per suas literas speciales indulsit, ut ipsi (qui ob reverentiam eiusdem sancti, qui ordinis eorum extiterat institutor, iuxta salubre super hoc consilium a sede apostolica eis datum dilectorum filiorum fratrum ordinis Minorum doctrina dirigebantur et visitatores suos de ipsis fratribus assumebant) possent ab eisdem fratribus, quotiens existeret opportunum, dominici corporis recipere sacramentum, praeterquam in festo recurrectionis Dominicae, in quo pro divinis officiis audiendis et eodem sacramento recipiendo consueverant in suis parochialibus ecclesiis convenire, iuribus dictarum ecclesiarum parochialium semper salvis, ac nihilominus excommunicationis, suspensionis et interdicti sententias, si quos in ipsos seu ipsorum aliquem contra huiusmodi concessionis tenorem fieri contingeret, idem praedecessor decrevit irritas et inanes, prout in litteris praedecessoris eiusdem plenius dicitur contineri. [4]

Postmodum vero, sicut asseritur, nonnullis ex dictis fratribus Minorum huiusmodi indulti praetextu per civitatem Spiren. publice deferentibus cum campanella et lumine praedictis fratribus et sororibus « de poenitentia » eucharistiae sacramentum, ac ob hoc inter venerabilem fratrem nostrum episcopum Spiren. [5] ac clerum civitatis et dioec. Spiren. ex parte una dictosque fratres Minores ex altera materia dissensionis exorta, tandem dicti episcopus et clerus (asserentes indultum huiusmodi per constitutionem piae memoriae Clementis papae V praedecessoris nostri, quae sic incipit: « Religiosi », postmodum editam in concilio Viennensi [6] revocatum fuisse) impediebant dictos fratres Minores, quominus huiusmodi sacramentum eisdem fratribus et sororibus « de poenitentia » possent libere ministrare: propter quod per conservatores privilegiorum eisdem Minoribus a sede deputatos eadem contra ipsum episcopum et clerum praedictos nonnulli habiti sunt processus, dictusque episcopus versa vice ex eo, quod dicti Minores contra prohibitionem suam eisdem fratribus et sororibus « de poenitentia » sacramentum huiusmodi ministrabant, cum id non crederet eis de iure licere, sed ob hoc ipsos crederet per dictam constitutionem eiusdem Clementis praedecessoris ipso facto excommunicationis sententiam incurrisse, fecit eosdem excommunicatos publice nunciari.

Partibus igitur propter hoc in nostra et fratrum nostrorum praesentia constitutis et auditis, quae partes hinc inde per se et advocatos suos super praemissis allegare et proponere voluerunt, nos (consideratis multiplicibus rationalibus causis et variis circumstantiis in talibus attendendis) sic in hac parte praedictorum fratrum Minorum et rectorum parochialium ecclesiarum quieti providemus procedendum, videlicet quod praefatum indultum et eius effectum eiusdem praedecessoris Bonifatii eisdem fratribus et sororibus « de poenitentia » concessum in civitate Spiren. eiusque dioec. suspendimus, donec per sedem praedictam aliud fuerit ordinatum, omnesque excommunicationis, suspensionis et interdicti sententias per dictos conservatores contra episcopum et clerum praefatos vel aliquas singulares personas eiusdem cleri vel maiorem et alias ecclesias civitatis et dioecesis praedictarum vel in ipsam civitatem et loca eorum promulgatas et processus quoscumque alios ob praemissa factos et habitos contra eos, nec non excommunicationis, suspensionis et interdicti sententias per eumdem episcopum vel quemcumque seu quoscumque alios auctoritate ipsius aut dictum clerum contra dictos fratres Minores et personas tertii ordinis et benefactores eorum seu participantes cum eis occasione praedicta prolatas, et quascumque sententias dictae partes vel personae aliquae partium earumdem utriusque praemissorum occasione quomodolibet incurrerunt, de ipsorum fratrum consilio auctoritate apostolica relaxamus

[1] Non: « maii », sicut exhibet *Wadd.* l. c.
[2] Reg. Vat. t. 73, ep. 516, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 110.
[3] *Maulbronn, Eusserthal, Klingenmünster.*
[4] Cfr. huius op. t. IV, p. 356, n. 22 et p. 408, n. 87.
[5] Cfr. supra n. 459.
[6] Cfr. Clement. lib. V, tit. 7 (de privilegiis et excessibus privilegiatorum) cap. 1.

et revocamus omnino, ac nihilominus cum episcopo et personis ecclesiasticis quibuscumque eiusdem cleri et civitatis ac dioecesis praedictarum nec non cum dictis fratribus Minoribus et personis tertii ordinis eorumque benefactoribus et participantibus cum eisdem super irregularitate, si quam forsan praedictis ligati sententiis celebrando divina vel se ingerendo eisdem vel interdicta huiusmodi utrimque prolata violando vel in locis ob hoc interdictis etiam celebrando contraxerunt, auctoritate praesentium dispensamus: non intendentes, quod per hoc aliae excommunicationis, suspensionis et interdicti sententiae, si quibus forte ex causis aliis praefati episcopus, clerus et personae ecclesiasticae eorumque ecclesiae ac civitas et dioecesis praelibatae et alia loca eorum seu dicti Minores et personae tertii ordinis et benefactores eorum seu participantes cum eis praemissorum occasione forsitan subiacebant, aliquatenus revocentur, sed sicut prius debeant observari, donec canonice fuerint relaxatae. Quocirca discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios suspensionem, revocationem et dispensationem huiusmodi per nos factas in dicta civitate Spiren. et aliis locis civitatis et dioecesis praedictarum, ubi expedire videritis, solemniter publicetis. Datum Avinione, kalendis martii, anno sexto.

464. Suspendit prohibitiones et poenas a Nicolao III latas et comminatas in eos, qui super regula fratrum Min. glossas facere audent. [1]

1322, martii 26, Avinione.

Ad perpetuam rei memoriam.

Quia nonnunquam, quod coniectura profuturum credidit, subsequens experientia nocivum ostendit, non debet reprehensibile iudicari, si canonum con-

[1] Reg. Vat. t. 73, ep. 57 de curia, apud *Wadd.* l. c. ad a. 1322, n. 51. — Bulla haec « Quia nonnunquam » controversiarum illarum, quae de paupertate longius agebantur, primum est sollemne documentum. Opus fuerit explicare, quomodo turbae illae sint ortae. Qua de re veluti fontibus maxime utimur documentis, quae in Bibliotheca Vaticana sub numeris 4008-4010 Vat. Lat. servantur quaeque magna ex parte iamdudum *Baluze* in miscellaneis (ed. *Mansi* t. III) publici iuris fecit. In codice praedicto n. 4010 collectioni documentorum ad hanc rem pertinentium haec verba sunt praemissa, videlicet: « Incipit tribulatio et temptatio, quam praedixit beatus pater noster Franciscus in morte sua suo ordini appropinquare; sed felices vocavit illos fratres, qui perseverabunt in hiis, quae promiserunt Domino observare. Praedixit autem ipso beatus pater in infirmitate, de qua mortuus est sc. anno MCCXXVI. Et tribulatio et temptatio incepit anno MCCCXXI fratre Michaele de Caesena existente generali anno generalatus sui VI ».

Itaque res ita contigerunt: « Anno Domini MCCCXXI, fratre Michaele de Caesena, sacrae theologiae magistro, existente ordinis fratrum Minorum ministro generali, sui ministerii anno sexto, quidam beguinus seu bisocus fuit captus in civitate Narbonae pro facto haeresis per archiepiscopum Narbonensem et fratrem Ioannem de Belna ordinis fratrum Praedicatorum inquisitorem haereticae pravitatis. Qui beguinus inter alia asserebat, quod Christus et apostoli viam perfectionis sequentes, nihil habuerunt iure proprietatis in speciali nec in communi. Quare inquisitor, volens iudicare dictum beguinum, convocavit ad concilium omnes priores, guardianos, lectores conventuum religiosorum et quam plures alios viros sapientes Narbonae existentes, inter quos fuit frater Berengarius Taloni, lector in conventu fratrum Minorum de Narbona. Et inter caetera praefatus inquisitor fecit legi praefatum articulum de paupertate Christi et apostolorum eius, pro quo volebat beguinum huiusmodi tamquam haereticum iudicare. Praefatus vero frater Berengarius lector super dicto articulo requisitus respondit, quod hoc dicere non erat haereticum, sed dogma sanum, catholicum, fidele, maxime cum hoc esset per ecclesiam in decretali " Exiit qui seminat " diffinitum (cfr. huius Bull. t. III, p. 404-416; ibi p. 407 Nicolaus III revera ipse declarat: " Dicimus, quod abdicatio proprietatis huiusmodi omnium rerum tam in speciali quam etiam in communi propter Deum meritoria est et sancta, quam et Christus viam perfectionis ostendens verbo docuit et exemplo firmavit, quamque primi fundatores militantis ecclesiae, prout ab ipso fonte hauserant, in volentes perfecte vivere per doctrinae ac vitae ipsorum alveos derivarunt "). Quo facto, ac si asseruisset haeresim praefatus lector, dictus inquisitor eidem praecepit, ut dictum suum in praesentia omnium revocaret. Qui lector revocare noluit aliquo modo, dum cogebatur revocare illud, quod erat sanum ac catholicum et tamquam tale per ecclesiam definitum; et timens ex hoc contra iustitiam multipliciter aggravari, ad sedem apostolicam solemniter appellavit. Et cum appellatione sua venit Avinionem, ubi praedictus dominus Ioannes papa XXII cum sua curia residebat, et in consistorio coram eo (iam tamen informato de opposito) comparuit et proposuit dictus lector. Qui dominus Ioannes papa praefatum lectorem fecit in curia sua arrestari et publice proposuit hanc quaestionem: Utrum videlicet pertinaciter affirmare, dominum Iesum Christum eiusque apostolos non habuisse aliqua in speciali nec etiam in communi, foret haereticum censendum ». Maxime agebatur res in consistorio d. 6 martii 1322 coram summo pontifice habito. Tum, sicut legimus in codice quodam bibliothecae Malabecchianae Florentin., inprimis Henricus ep. Lucanus, Hieronymus ep. Caffensis, Arnaldus archiep. Salernitanus, Vitalis cardinalis, qui singuli ordinis erant Minorum et eandem sententiam, quam fr. Berengarius Taloni statuit, ipsi sunt professi. Et archiepiscopus Salernitanus quidem asseruit, statuere Christum et apostolos in communi quaedam bona possedisse magis esse haereticum quam contradictorium docere. Episcopus Caffensis autem multis ostendit rationibus, decretalem *Exiit*, quam Ioannes pp. XXII a Nicolao pp. III non consultis cardinalibus esse factam dicebat, nihilominus esse legitimam. Minorum ordinem ipsum a doctrinis haereticis idem orator eo vindicavit, quod « fieri vix potest, ut ordo sit haeresi corruptus, qui per terras omnes a Maroccanis finibus ad Indos usque missionarios suos mittit, qui per octoginta annos inter Tartaros evangelium praedicat et quadraginta ecclesias ibi condidit, qui nuperrime novem martyribus est coronatus; nemo in universo orbe ecclesiae, ut obediat vitamque consecret, promptior ac paratior quam iste ordo Minorum; neque negligendum, quod ecclesia orientalis de paupertate idem semper tenuit, quod Minoritae modo docent ». At contradixit Guido archiep. Arborensis (ex ord. Praed.). Se ipsum quidem 40 annis inter Graecos degisse, dixit ille, neque tamen unquam invenisse quempiam, qui Christum apostolosque bona communia non possedisse docuisset. Cui Caffensis episcopus respondit, se quoque per 22 annos per Graecos et Tartaros evangelium praedicasse atque etiam coram imperatore Constantinopolitano multisque praelatis ac principibus fidem Romanae ecclesiae laudasse. Praeter oratores quos diximus in consistorio concionem habuit Hildebrandus ep. Paduanus, qui nulli ordini religioso erat adscriptus. Cuius quidem sententiae is adstipulatus sit, nos interim fugit.

ditor canones a se vel suis praedecessoribus editos vel aliqua in eisdem contenta canonibus revocare, modificare vel suspendere studeat, si ea obesse potius viderit quam prodesse. Sane dum fel. record. Nicolaus papa III praedecessor noster quamdam constitutionem declaratoriam, quae incipit: «Exiit», super regulam dilectorum filiorum fratrum ordinis Minorum, quam beatus Franciscus almus confessor instituit, promulgavit sub certis poenis arctius interdicens, ne concordantiae, contrarietates seu adversae vel diversae opiniones ab ipsius constitutionis lectoribus seu expositoribus aliquatenus inducantur, nec super ipsa constitutione glossae fiant ab aliquo, nisi forsan per quas verbum vel sensus ipsius seu constructio vel ipsa constructio quasi grammaticaliter ad litteram exponatur, nec intellectus ipsius per legentem distorqueatur ad aliud, quam constitutionis eiusdem littera ipsa sonat. Glossantes autem in scriptis constitutionem eamdem aliter, quam superius est expressum, facientes quoque commentum, scripturas seu libros, et ex certa scientia deliberate determinantes in scholis seu praedicantes contra contenta in constitutione praedicta, vel aliqua seu aliquod praedictorum (non obstantibus, aliquibus privilegiis seu indulgentiis aut litteris apostolicis quibuscumque personis, dignitatibus, ordinibus aut locis religiosis vel saecularibus generaliter vel singulariter sub quacumque forma vel expressione verborum concessis, quae noluit aliquibus in praedictis suffragari) ipso facto excommunicationis sententiae voluit subiacere. Nos autem attendentes, quod argumentis frequenter et collationibus latens veritas aperitur quodque sub eadem littera saepe latet multiplex intellectus, necnon esse difficile volentibus constitutionem praedictam perfecte legere ac intelligere poenas adiectas in constitutione huiusmodi devitare, viam veritati aperire volentes ac periculis, quae ex praedictis possent litteratae personae (praecipue scholasticae) incurrere, salubriter obviare, praesertim cum de novo suborta sint aliqua dubia, circa quae posset periclitari veritas et erroribus via pandi, nisi liceret conferre super contentis in constitutione huiusmodi et etiam disputare: prohibitiones et poenas praedictas tam latas quam comminatas et eorum effectus, in fratrum nostrorum et multorum archiepiscoporum, episcoporum et aliorum praelatorum nec non multorum professorum utriusque iuris et multorum sacrae theologiae magistrorum praesentia, dum consistorium teneremus, auctoritate apostolica duximus usque ad sedis apostolicae beneplacitum suspendendas. Per suspensionem autem huiusmodi nequaquam licentiam cuiquam intendimus impertiri, quod contra fratrum regulam praedictorum dogmatizare, scribere seu determinare, praedicare seu praecise loqui liceat publice vel occulte, quin imo hoc omnibus et singulis auctoritate praefata districtius inhibemus. Ne autem imposterum praemissarum prohibitionum et poenarum suspensio in dubium revocari valeat nec alicui propter defectum probationis impingi, quod velut transgressor prohibitionum ipsarum in poenam seu poenas inciderit antedictas, nos, volentes super hoc de opportuno remedio providere, chartas seu membranas suspensionem continentes eamdem appendi seu affigi in maioris ecclesiae Avinionen. ostiis seu superliminaribus faciemus, quae suspensionem praedictam suo quasi sonoro praeconio et patulo indicio publicabunt. Datum Avinione, VII kal. aprilis, anno sexto.

465. Confirmat fundationem monasterii ord. s. Clarae in civitate Panormitana per Constantiam reginam Aragoniae factam. [1]

1322, iunii 3, Avinione.

Dilectis in Christo filiabus abbatissae et conventui monasterii sanctae Clarae Messanen. ordinis sanctae Clarae.

Dum prudenter attendimus, quod vitalis odor, quo ecclesiam Dei ordo vestrae religionis implevit, pium suscepit incrementum ac insignis lucerna operum sanctitatis, quam Dominus in vobis ad illuminationem domus suae inter alias coelestium exemplarium lampades suscitavit, extingui nescit nube caliginis vel obduci, ac quod directa in vultum Dei mentium vestrarum studia sursum assiduis desideriis eriguntur, quodque indesinenter proficitis in censura morum et regularis observantiae disciplina: gratum nobis redditur plurimum et acceptum, ut vos illa gratia prosequamur, quae vobis et ordini vestro religionis profectum pariat et quietis gaudia subministret. Sane petitio pro parte vestra nobis exhibita continebat, quod clarae memoriae Constantia regina Aragonum monasterium vestrum de licentia et concessione beati Petri de Murrone confessoris, tunc Coelestini papae V, de bonis propriis construxit pariter et dotavit, assumens eius-

Summus pontifex ipse quaestionem liberis apud omnes disceptationibus committere voluit. Quare formam ipsius quaestionis in scriptis redactum omnibus et praelatis et magistris in theologia in sua curia existentibus tradi fecit. Ut autem ab eis eo liberius de ipsa quaestione disputari posset, suspendit excommunicationis sententiam latam in dicta decretali *Exiit* contra glossantes, docentes seu dogmatizantes aliter atque eo modo, qui continetur in ea; et de dicta suspensione quandam constitutionem sive ordinationem edidit et publice promulgavit, quam supra in textu retulimus.

[1] Reg. Vat. t. 43, ep. 812, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 113. Cfr. supra n. 322.

dem ordinis habitum in eodem; quodque postmodum nos eidem monasterio dicimur concessisse, quod vos et monasterium vestrum omnibus privilegiis, indulgentiis et libertatibus gauderetis, quibus gaudent alia monasteria ordinis supradicti: verum quia per venerabilem fratrem nostrum archiepiscopum Messanen. loci ordinarium asseritur seu etiam allegatur, quod pro eo, quod dictum monasterium ex concessione dicti Coelestini fundatum ac constructum extiterat et dotatum, et quod fel. rec. Bonifatius papa VIII praedecessor noster omnes gratias et concessiones per eundem Coelestinum quibuscumque personis factas subsequenter duxerit revocandas, dicta fundatio et constructio eiusdem monasterii et quaecumque indulgentiae, privilegia et libertates a sede apostolica ei concessa de iure subsistere minime videbantur, nobis humiliter supplicari fecistis, ut fundationem, constructionem, dotationem et dictorum privilegiorum, indulgentiarum et libertatum concessionem (revocatione eiusdem Bonifatii non obstaute) approbare atque ex certa scientia confirmare et decernere huiusmodi concessionem per nos factam perinde valere debere, ac si in litteris ipsius concessionis de praemissis omnibus et singulis plena et expressa fuisset mentio habita, dignaremur. Nos itaque vestris et carissimae in Christo filiae nostrae Alionorae reginae Trinacriae illustris, quae ad dictum monasterium praecipuae gerit devotionis et dilectionis affectum, nobis super hoc humiliter supplicantis, supplicationibus inclinati, fundationem, constructionem, dotationem et eorumdem privilegiorum, indulgentiarum et libertatum concessionem, praefata revocatione dicti Bonifatii non obstante, dummodo aliud rationabile non obsistat, approbamus eaque ex certa scientia auctoritate apostolica confirmamus ac praesentis scripti patrocinio communimus: decernentes, huiusmodi concessionem per nos ut praemittitur factam perinde valere debere, ac si in eisdem nostris litteris ipsius concessionis de praemissis omnibus et singulis plena et expressa mentio habita extitisset. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, III nonas iulii, anno sexto.

466. Mandat episcopo Illerden., ut concedat sororibus mon. de Virgaria ord. ss. Trinit., quod possint confiteri fratribus Praed. vel Min. [1]

1322, iunii 22, Avinione.

Venerabili fratri [Pontio] episcopo Ilerdensi.

Pro parte dilectarum in Christo filiarum priorissae et conventus monasterii de Virgaria per priorissam soliti gubernari ordinis sanctae Trinitatis et captivorum tuae dioecesis nobis extitit supplicatum, ut propter insufficientiam fratrum ipsius ordinis sanctae Trinitatis, quibus tenentur secundum statuta et consuetudines dicti ordinis confiteri, in audiendis eorum confessionibus et absolutionibus impendendis, sicut saluti suarum expedit animarum et sicut necessitatum casus exigunt de salubri remedio provideri, eis in hac parte consulere de opportuno remedio misericorditer dignaremur. Nos igitur in hiis, quae salutem animarum respiciunt, earum votis, quantum cum Deo possumus, annuere intendentes, fraternitati tuae, de qua in Domino fiduciam gerimus specialem, praesentium tenore committimus et mandamus, quatenus eisdem priorissae et conventui, quod dilectis filiis Praedicatorum vel Minorum ordinum fratribus ad hoc idoneis sua possint libere, prout postulant, confiteri peccata, qui earum valeant confessiones audire et ipsas a commissis absolvere eisque iniungere poenitentiam salutarem (nisi forte talia fuerint, propter quae sedes apostolica sit merito consulenda), quacumque constitutione contraria non obstante, nisi sit aliquod rationabile, quod obsistat, auctoritate nostra concedas de gratia speciali. Datum Avinione, X kalendas iulii, anno sexto.

467. Mandat ministro Min. et priori Praed. fratrum provincialibus in regno Armeniae, quod ad Ioannam ipsius Armeniae reginam binos sui ord. fratres cum eadem moraturos mittant. [2]

1322, iulii 4, Avinione.

Dilecto filio .. ministro provinciali ordinis Minorum in regno Armeniae.

Ad ordinem tuum Minorum carissima in Christo filia nostra Ioanna regina Armeniae illustris habens piae devotionis affectum aliquos eiusdem ordinis fratres, qui eam in hiis, quae suae salutis commoda contingere possunt, instruant et informent, secum habere proponit. Quare discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus duos fratres eiusdem ordinis, aetatis provectae viros, qui gravitate morum, vitae munditia, maturitate consilii, litterarum scientia et famae claritate resplendeant quique dictam reginam in hiis, quae ad suam salutem pertinent, salubriter consulere valeant et utiliter providere, cum ea in domo sua vel alibi, prout ipsa disposuerit, moraturos, eidem reginae (quibusvis privilegiis eidem ordini ab apostolica sede concessis ac ipsius statutis et consuetudinibus contrariis, iuramento, confirmatione sedis eiusdem seu quacunque firmitate alia roboratis, nequaquam obstantibus) absque difficultate concedere non omittas. Datum Avinione, IV nonas iulii, anno sexto.

In e. m. dilecto filio .. priori provinciali ord. Praed. in regno Armeniae.

[1] Reg. Vat. t. 73, f. 505, ep. 1490.

[2] Reg. Vat. t. 73, ep. 69 de curia. Cf. supra not. ad n. 261.

468. Vetat rectori marchiae Anconitanae, ne a fratribus Min., inquisitoribus haer. prav., partem bonorum haereticorum exigat, si expensae inquisitionis ascenderint valorem horum bonorum.

1322, iulii 6, Avinione.

Dilecto filio .. rectori marchiae Anconitanae.

Ex debito credimus nostro apostolatui convenire, si supplicationibus devotorum in hiis praecipue, quae ad extirpandas haereses negotium fidei christianae contingunt, auditum benevolum et aequitati congruum impartimur. Petitionem siquidem dilecti filii Sinibaldi provincialis ministri fratrum ordinis Minorum de provincia marchiae Anconitanae recepimus continentem, quod tu tertiam partem confiscationum et condemnationum omnium, quae circa triginta annorum spatium ad manus inquisitorum dicti ordinis de bonis haereticorum dictae provinciae pervenerunt, a ministro et inquisitoribus exigis antedictis. Adiecit etiam dictus minister in petitione praefata, quod, cum hactenus haeretici non fuerint de praelibata provincia oriundi, sed interdum aliqui multa paupertate gravati et in haeresi deprehensi ad eandem provinciam de partibus alienis accesserunt, de quorum facultatibus ob extremam ipsorum inopiam iidem inquisitores modicum aut nihil exigere potuerunt, sed ipsos oportuit propter hoc pro maiori parte inquisitionis officium expensis dicti ordinis exercere; quare praelibatus minister nobis humiliter supplicavit, ut super hoc indemnitati dicti ordinis providere paterna sollicitudine dignaremur. Nos igitur attendentes, supplicationem dicti ministri esse iuri consonam et aequitati conformem, districtius tibi per apostolica scripta mandamus, quatenus de praemissis te diligenter informes et, si tibi constiterit, quod ea, quae pervenerunt ad manus dictorum inquisitorum de confiscationibus et condemnationibus antedictis, non potuerunt excedere expensas necessarias ad exercendum officium memoratum, dictam tertiam partem non exigas ab eisdem. Datum Avinione, II nonas iulii, anno sexto.

469. Ioannem de Tessenderia ord. Min. praeficit ecclesiae Lodovensi in episcopum, translato Iacobo episcopo Lodovensi ad ecclesiam Aquen. vacantem per obitum Petri (Aurioli ex ord. Min.).[2]

1322, iulii 9, Avinione.

Dilecto filio Ioanni electo Lodoven.

Sedula nos pastoralis officii cura sollicitat *etc.* Nuper siquidem Lodoven.[3] ecclesia (pro eo quod nos venerabilem fratrem nostrum Iacobum episcopum tunc Lodoven., in archiepiscopum Aquen. electum, apud sedem apostolicam constitutum, a vinculo, quo tenebatur eidem Lodoven. ecclesiae, cui praeerat, de fratrum nostrorum consilio et apostolicae potestatis plenitudine absolventes ad Aquen. ecclesiam tunc vacantem duximus transferendum, praeficiendo ipsum eidem Aquen. ecclesiae in archiepiscopum et pastorem) solatio destituta pastoris, nos ad celerem provisionem eiusdem Lodoven. ecclesiae, ne prolixae vacationis exponeretur incommodis, sollicite intendentes...., post deliberationem, quam ad deputandum eidem Lodoven. ecclesiae personam utilem ac etiam fructuosam, cuius industria probitatis in suis valeret iuribus utiliter gubernari ac etiam adaugeri, cum dictis fratribus habuimus diligentem, ad te ordinis fratrum Minorum professorem, in sacerdotio constitutum, cui de vitae munditia, litterarum scientia, gravitate morum, circumspectionis expertae prudentia et aliis virtutum meritis fide digna testimonia suffragantur, dreximus aciem mentis nostrae. Quibus omnibus diligenti meditatione discussis, volentes praefatae Lodoven. ecclesiae salubriter providere, de persona tua, nobis et eisdem fratribus ob huiusmodi tuorum exigentiam meritorum accepta, memoratae Lodoven. ecclesiae de ipsorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus teque illi in episcopum praeficimus et pastorem, curam et administrationem ipsius Lodoven. ecclesiae tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo *etc.* Datum Avinione, VII idus iulii, anno sexto.[4]

470. Confirmat Aymericum Minoritam electum in episcopum Paphensem.[5]

1322, iulii 18, Avinione.

Venerabili fratri Aymerico episcopo Paphen.

Apostolicae sedis benignitas *etc.* Sane dudum Paphen.[6] ecclesia per obitum bonae memoriae Iacobi episcopi Paphen. solatio destituta pastoris, nos de vacatione huiusmodi ex fide dignis relatibus certiores effecti ac cupientes, quod eidem ecclesiae per nostrae providentiae studium persona praeficiatur idonea in pastorem, provisionem eiusdem ecclesiae duximus specialiter reservandam. Verum quia dilecti filii capitulum eiusdem ecclesiae ante reservationem huiusmodi te Minorum ordinis professorem in suum et eiusdem ecclesiae episcopum duxerant concorditer eligendum, tu huiusmodi reservationis post electionem huiusmodi per nos factae forsan ignarus, per venerabilem fratrem nostrum Ioannem archiepiscopum Nicosien., cui praedicta

---

[1] Reg. Vat. t. 73, f. 299, ep. 847.
[2] Reg. Vat. t. 73, ep. 942 (cfr. 932), apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 114.
[3] *Lodève* in provincia Narbonensi.
[4] Iste Ioannes 24 iulii 1324 transfertur ad eccl. Riven.
[5] Reg. Vat. t. 73, ep. 1087, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 115.
[6] *Paphos* seu *Baffo* in insula Cypro.

ecclesia iure metropolitico est subiecta, obtinuisti electionem huiusmodi confirmari et subsequenter tibi munus consecrationis impendi, ac post confirmationem bonorum ipsius ecclesiae administrationem recipiens in spiritualibus et temporalibus administrasti libere in eadem. Postmodum vero reservatione huiusmodi ad notitiam tuam deducta, tu prudenter attendens, quod praedicta electionis eiusdem confirmatio et consecratio reservationem et decretum huiusmodi subsecutae omni iuris carebant effectu, ad praedictam sedem te personaliter contulisti ac in nostra ac fratrum nostrorum praesentia constitutus, te super his omnibus nostris et eiusdem ecclesiae beneplacitis devote et humiliter commisisti. Nos igitur fide digna relatione multorum plenius informati, quod tibi vita laudabilis, religionis zelus, morum elegantia, litterarum scientia et alia multiplicia virtutum merita adeo suffragantur, quod clero et populo Paphen. civitatis et dioec. acceptus es quodque per tuae circumspectionis prudentiam praedicta ecclesia a noxiis et adversis praeservari laudabiliter poterit et in spiritualibus et temporalibus auctore Domino salubria suscipere incrementa, et propterea dignum censentes et congruum, ut circa personam tuam reservationi praedictae uberem eiusdem sedis gratiam praeferentes te in hac parte specialis favoris et gratiae prosequamur praerogativa, electionem praedictam de te factam et confirmationem electionis eiusdem ac consecrationem personae tuae postmodum subsecutas ac ea, quae spiritualiter et temporaliter (alias utiliter et prudenter) in administratione praedicta gessisse dignosceris, de ipsorum fratrum consilio et apostolicae plenitudine potestatis perinde valere decernimus ac robur habere perpetuae firmitatis, ac si nulla reservatio provisionis eiusdem ecclesiae per nos facta nullumque decretum interpositum extitisset: volentes, ut curam et administrationem eiusdem ecclesiae in eisdem spiritualibus et temporalibus (praemissis nequaquam obstantibus) libere valeas exercere. Datum Avinione, XV kal. augusti, anno sexto. [1]

471. Bernardum Minoritam praeficit ecclesiae Corisopitensi in episcopum. [2]

1322, iulii 19, Avinione.

Dilecto filio Bernardo electo Corisopiten.

Sedula nos *etc.* Olim siquidem bonae memoriae Thomae Corisopiten. episcopo regimini Corisopiten. ecclesiae praesidente (cupientes per apostolicae sedis providentiam eidem ecclesiae, post ipsius episcopi obitum, personam utilem praesidere) provisionem ipsius ecclesiae, cum eam vacare contingeret, ea vice dispositioni nostrae et eiusdem sedis duximus specialiter reservandam *etc.* Postmodum eodem episcopo in partibus illis universae carnis viam ingresso, nos attendentes, quod nullus praeter nos de provisione ipsius ecclesiae hac vice se intromittere potest reservatione huiusmodi obsistente, post vigilem quam ad praeficiendum eidem ecclesiae personam utilem ac etiam fructuosam.... cum fratribus nostris habuimus diligentiam, ad te ordinis fratrum Minorum professorem, ordinem ipsum expresse professum, in sacerdotio constitutum, cui religionis zelus, litterarum scientia, morum elegantia, vitae honestas, aliaque dona virtutum tibi desuper concessarum, laudabiliter suffragantur, direximus aciem mentis nostrae. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus nostris ob huiusmodi tuorum exigentiam meritorum accepta, de ipsorum fratrum consilio eidem ecclesiae auctoritate apostolica providemus teque illi in episcopum praeficimus et pastorem, curam et administrationem eiusdem ecclesiae tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo *etc.* Datum Avinione, XIV kal. augusti, anno sexto.

472. Mandat episcopo Colimbriensi, ut inquirat, si verum sit, nonnullos conventus fratrum ordinum Mendicantium in regno Portugalliae bona immobilia contra regulam possidere. [3]

1322, iulii 21, Avinione.

Venerabili fratri [Raymundo] episcopo Colimbriensi.

Ad nostri apostolatus auditum non sine admiratione pervenit, quod nonnulli conventus et fratres ordinum Mendicantium per regnum Portu-

---

[1] Die 21 ian. 1323 summus pontifex eidem episcopo varia concedit privilegia, die autem 9 apr. 1323 ipsi mandat, ut unacum Petro in patriarcham Hierosol. electo (olim canonico Paphen.) studeat ad pacem reformandam inter reges Cypri et Armeniae (Reg. Vat. t. 74, epp. 674-678, t. 111, f. 293, t. 74, ep. 12 de curia, t. 112, f. 90). — Die 22 febr. 1329 summus pontifex Guidoni (?) episcopo Paphen. prorogat terminum, quo camerae apost. satisfacere debet ratione bonorum mobilium a bo. me. Aymerico ep. Paphen. relictorum et ad eandem cameram spectantium ratione debitorum, in quibus iste ipsi camerae tenebatur; die autem 22 martii 1330 nuntiis apost. sedis in regno Cypri mandat, ut, si ex bonis mobilibus praedictis, a Geraldo ep. Paphen. camerae apost. traditis, de summa decimae, in qua ille Aymericus eidem camerae tenebatur, non plene satisfieri possit, illud, quod sit residuum, ab ipso Geraldo exigant (Reg. Vat. t. 115, f. 60, ep. 386 et f. 215, ep. 2147).

[2] Reg. Vat. t. 73, ep. 1029, apud *Wadd.* l. c., reg. pont. Io. XXII, n. 116.

[3] Reg. Vat. t. 73, f. 23, ep. 74 de curia. Difficile est dictu, an inter illos Mendicantes fratres quoque Minores referendi sint.

galliae constituti diversas possessiones et alia immobilia bona (non absque Dei offensa et propriae salutis dispendio) indebite contra regulam et professionem eorum habere et possidere praesumunt. Nos igitur super hiis scire volentes certitudinem veritatis, fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus per te vel per alium seu alios super hoc diligenter inquirens, quicquid in hac parte repereris et duxeris faciendum, per tuas patentes litteras (vel instrumentum publicum) harum seriem continentes nobis fideliter et distincte per singula studeas quantocius intimare. Datum Avinione, XII kalendas augusti, anno sexto.

473. Concedit ministro provinciali ord. Min. in Marchia Anconitana facultatem permutandi locum de Serra dioec. Camerin. tum alio magis tuto. [1]

1322, augusti 1, Avinione.

Dilecto filio .. ministro fratrum ordinis Minorum in Marchia Anconitana.

Inter cetera, quae nostrae sollicitudini ex imminenti nobis officio apostolatus incumbunt, nos decet attentius providere, ut religiosae personae, quae se divinis obsequiis (mundanis illecebris derelictis) voluntarie dedicarunt, eisdem obsequiis laudabiliter et salubriter continuato studio in quiete animi valeant immorari et quod dignae protectionis auxilio circumfulti nequeant super hiis malignorum incursibus impediri. Sane petitionis tuae nobis exhibitae series continebat, quod locus fratrum ordinis Minorum extra castrum Serrae [2] Camerinensis dioecesis est adeo in loco periculoso, suspecto et dubio situatus, quod fratres in ipso degentes quiete nequeunt Domino impendere famulatum, quare nobis humiliter supplicasti, ut providere tibi ac fratribus ipsis de opportuno remedio dignaremur. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, ut fratres ipsi quietius et commodius valeant Domino deservire, transferendi dictum locum seu mutandi cum capella, domibus et aliis necessariis officinis prope dictum castrum in loco magis accommodo, idoneo et securo (constitutione fel. record. Bonifatii papae VIII praedecessoris nostri et qualibet alia contrariis non obstantibus) plenam et liberam tibi concedimus tenore praesentium facultatem. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, kalendis augusti, anno sexto.

474. Mandat inquisitoribus haer. prav. in Sicilia, Italia, Narbona et Francia, quod ad requisitionem fratrum Min. faciant observari constitutionem « Sancta Romana » olim contra fraticellos editam. [3]

1322, augusti 1, Avinione.

Venerabilibus fratribus, archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis fratribus Praedicatorum et Minorum ordinum inquisitoribus haereticae pravitatis, ad quos praesentes litterae pervenerint.

Dudum fide digna relatione ad apostolatus nostri pervenit auditum, quod nonnulli viri pestiferi, qui vulgariter fraticelli *etc. ut supra n. 297 in constitutione* Sancta Romana *usque ad* multipliciter seminare: Nos attendentes, quod talium damnanda temeritas in eiusdem fidei detrimentum, fidelium scandalum praefati Minorum et aliorum ordinum opprobrium, ac etiam suarum et aliarum animarum multarum perniciem redundabat, sectam, ritum et statum huiusmodi de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica nullius fuisse et esse decrevimus firmitatis et, quatenus de facto processerant, de consilio et auctoritate praemissis revocantes omnino, perpetuae prohibitioni subiecimus eosque ab ecclesia Dei penitus duximus abolendos, eisdem personis et aliis quibuscumque sub poena excommunicationis, quam eos, si secus facerent, incurrere voluimus ipso facto, iniungentes expresse, ne statum sive sectam et ritum huiusmodi ab ipsis assumptum ulterius sectarentur vel de novo ipsum assumere praesumerent, prout in constitutione nostra super hoc edita, quae incipit: « Sancta Romana, atque universalis Ecclesia », plenius continetur.

Quia igitur, sicut accepimus, in nonnullis cismarinis et ultramarinis partibus praenominati pestiferae sectae viri contra praedictos processus venire et facere moliuntur, nos attendentes, quod parum esset prohibuisse praemissa, nisi sit, qui eadem tueatur et puniat transgressores, discretioni vestrae in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo mandamus, quatenus vos et singuli vestrum ad requisitionem rectorum et vicariorum seu procuratorum et nunciorum dicti ordinis fratrum Minorum et cuiuscunque eorumdem constitutionem seu prohibitionem huiusmodi nostram quoad omnia eius capitula, prout iacent, auctoritate nostra faciatis per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia, prout expedire videritis, appellatione semota, inviolabiliter observari, contra quoscunque, qui adversus contenta in ea vel eorum aliquod facere praesumpserint, cuiuscunque status aut conditionis extiterint, ad poenas debitas procedentes iuxta canonicas sanctiones, contradictores per censuram eamdem, appellatione postposita, compes-

[1] Reg. Vat. t. 73, f. 399, ep. 1168.
[2] *Serrapetrona* in custodia Camerinensi.
[3] Reg. Vat. t. 73, f. 407, ep. 1189, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 118.

cendo; invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis; non obstantibus *etc.* Datum Avinione, kal. augusti, anno sexto.

475. Monasterio del Peyrat ord. s. Clarae episcopos infradictos concedit conservatores. [1]

1322, augusti 1, Avinione.

Venerabilibus fratribus Agennen. et Petragoricen. ac Lemovicen. episcopis.

Sub religionis habitu vacantibus piae vitae studio debemus esse propitii, ut in divinis beneplacitis exequendis malignorum non possint obstaculis impediri. Cum igitur dilectae in Christo filiae abbatissa et conventus monasterii del Peyrat de Maron (extra muros castri de Gordonio) ordinis sanctae Clarae Caturcen. dioecesis, sicut ex parte ipsarum fuit propositum coram nobis, a nonnullis, qui nomen Domini in vanum recipere non formidant, super possessionibus et aliis bonis suis graves patiantur iniurias et iacturas: nos, earumdem abbatissae et conventus providere quieti et malignorum malitiis obviare volentes, fraternitati vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios, eisdem abbatissae et conventui pro nostrae et apostolicae sedis reverentia opportuni favoris praesidio assistentes, ipsos contra indulta privilegiorum eis a sede concessorum eadem non permittatis ab aliquibus indebite molestari, molestatores huiusmodi, quicunque et cuiuscunque conditionis, religionis aut status existant, auctoritate nostra, appellatione posposita, compescendo; non obstantibus *etc.* Datum Avinione, kalendis augusti, anno sexto.

476. Concedit priori generali ord. beatae Mariae de Monte Carmeli, quod fratres sui ord. professi absque sua licentia non recipiantur in ordinibus fratrum Praed., Min., Erem. s. Aug. [2]

1322, augusti 6, Avinione.

Dilectis filiis .. generali ac universis prioribus et fratribus ordinis beatae Mariae de Monte Carmeli.

Sacrae religionis, in qua virtutum Domino devotum et sedulum exhibetis obsequium, promeretur honestas, ut, quo studiosius divinae contemplationi vacatis, eo libentius vestrae providere quieti paterna diligentia studeamus. Pro parte siquidem vestra fuit expositum coram nobis, quod, licet fel. record. Alexander papa IV praedecessor noster duxerit inhibendum, ne aliqui religiosi professos vestrum ordinem absque .. prioris generalis ipsius vestri ordinis, qui tunc erat et qui pro tempore foret, petita licentia et obtenta reciperent ad aliquem ordinem eorundem (prout in litteris dicti praedecessoris super hoc confectis plenius continetur); quia tamen Praedicatorum, Minorum et Heremitarum sancti Augustini ordinum fratres plerumque professores eiusdem vestri ordinis absque praedecessorum tuorum priorum generalium dicti vestri ordinis vel tua, fili prior generalis, licentia ad eorundem ordines receperunt, inter vos et eosdem Praedicatorum, Minorum et Heremitarum sancti Augustini ordinum fratres fuerint contentiones et iurgia suscitata. Intendentes igitur vestrae ipsorumque ordinum fratrum providere quieti, paci consulere ac huiusmodi contentionibus et iurgiis obviare, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, de fratrum nostrorum consilio providemus inhibitionem innovare huiusmodi et poenarum adminiculis adiuvare. Auctoritate igitur praesentium districtius inhibemus, ne deinceps dictorum Praedicatorum, Minorum et Heremitarum sancti Augustini ordinum fratres praefatum ordinem vestrum professos ad eorum ordinem seu ordines recipiant vel in eis retineant sine tua, praedicte prior generalis, vel tuorum successorum generalium dicti vestri ordinis, qui pro tempore fuerint, petita licentia et obtenta: statuentes auctoritate praedicta, quod receptio ac detentio huiusmodi eo ipso viribus non subsistant et talis recipiens vel retinens quolibet officio vel administratione sui ordinis sit ipso facto privatus et inhabilis ad quodvis officium vel quamvis administrationem in huiusmodi suo ordine in posterum obtinendam, quodque praelibati Praedicatorum, Minorum, et Heremitarum sancti Augustini ordinum fratres ad requisitionem tui, praefate prior, vel prioris provincialis ipsius ordinis vestri illius provinciae, in qua idem tunc receptus fuerit, vel prioris loci dicti vestri ordinis, cuius quidem loci ipse receptus conventualis extiterat, seu illius, cui prior provincialis vel prior huius loci saepefati vestri ordinis id duxerit committendum, eundem sic receptum illi ex eis eum taliter requirenti sine difficultate aliqua restituere teneantur illumque sic restitutum ex tunc nullatenus [de novo] recipiant. Non obstantibus quibuscunque privilegiis *etc.* Datum Avinione, VIII idus augusti, anno sexto.

477. Concedit priori generali ord. Erem. s. Aug., quod fratres sui ord. professi absque sua licentia non recipiantur in ordinibus fratrum Praed., Min., Carm. [3]

1322, augusti 6, Avinione.

Dilectis filiis .. generali ac universis provin-

[1] Reg. Vat. t. 72, ep. 924, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 117; cfr. supra nn. 271-273.

[2] Reg. Vat. t. 73, f. 431, ep. 1265.

[3] Reg. Vat. t. 73, f. 431, ep. 1266.

cialibus aliisque prioribus et fratribus ordinis Heremitarum sancti Augustini.

Inter ceteras sollicitudinis nostrae curas, quibus continue angimur, illud praecipue fore dinoscitur et ad id libenter opem impendimus et partes pastoralis officii adhibemus, ut personae ecclesiasticae (praesertim cuiusvis ordinis in paupertate fundati), quae mundanis illecebris relegatis se divinis obsequiis voluntarie dedicarunt, cultum divinum, ad quem sunt specialiter deputatae, quibuslibet iurgiorum et dissensionum materiis procul pulsis, liberis et quietis mentibus exequantur. Pro parte siquidem vestra per procuratorem vestri ordinis fuit cum querela expositum coram nobis, quod olim Praedicatorum et Minorum ordinum fratres plerumque professos vestrum ordinem absque praedecessorum tuorum priorum generalium dicti vestri ordinis vel tua, fili prior generalis, non petita licentia nec obtenta ad eorundem ordines receperunt, propter quod inter vos et eosdem Praedicatorum et Minorum ordinum fratres fuerunt contentiones et iurgia suscitata. Intendentes igitur *etc. ut supra n. 476, substituendo nomen* fratrum beatae Mariae de Monte Carmeli *loco* fratrum Heremitarum s. Augustini. Datum Avinione, VIII idus augusti, anno sexto.

478. Transfert Stephanum episcopum Ulixbonen. (ex ord. Min.) ad ecclesiam Conchensem. [1]

1322, augusti 21, Avinione.

Venerabili fr. Stephano episcopo Conchen.

Romani Pontificis *etc.* Dudum ecclesia Conchen. [2] per obitum bonae memoriae Paschasii episcopi Conchen. pastoris solatio destituta, dilecti filii capitulum eiusdem ecclesiae, vocatis omnibus, qui voluerunt, debuerunt et potuerunt commode interesse, die ad eligendum praefixa, ut moris est, convenientes in unum, dilectum filium Petrum Martini decanum ipsius ecclesiae per viam compromissi in Conchen. episcopum eligere curarunt, dictusque decanus huiusmodi electioni praesentatae sibi pro parte dictorum capituli ad instantiam capituli praedictorum infra tempus a iure statutum consensit. Huiusmodi autem electionis negotio ad sedem apostolicam legitime devoluto, tandem idem decanus (post aliquos processus habitos coram aliquibus auditoribus a nobis in huiusmodi electionis negotio deputatis) omni iuri, si quod sibi ex huiusmodi sua electione quomodolibet competebat, in manibus nostris renunciavit pure, libere et expresse. Nos igitur, volentes dictam Conchen. ecclesiam a dispendiis, quae ex longiori vacatione imminere poterant, praeservare sibique de pastore illico providere, ad te tunc episcopum Ulixbonen. convertimus aciem nostrae mentis. Intendentes igitur tam gregi Dominico quam praedictae Conchen. ecclesiae salubriter providere ac sperantes, quod tu praefatam ecclesiam Conchen. divina tibi propitiante clementia utiliter et salubriter gubernabis, te a vinculo, quo tunc eidem Ulixbonen. ecclesiae tenebaris, de fratrum nostrorum consilio et apostolicae plenitudine potestatis absolventes, te ad praedictam ecclesiam Conchen. transferimus teque ipsi Conchen. ecclesiae in episcopum praeficimus et pastorem, tibi curam et administrationem eiusdem Conchen. ecclesiae in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo tibique tribuendo licentiam ad eamdem Conchen. ecclesiam transeundi *etc.* Datum Avinione, XII kal. septembris, anno sexto. [3]

479. Mandat Michaeli (de Caesena) ministro generali ord. Min., quod Rufinum de Assisio, ordinis eiusdem, qui se fingit episcopum, capi faciat. [4]

1322, septembris 17, Avinione.

Dilecto filio Michaeli ordinis fratrum Minorum generali ministro.

Ut iniquitatis malitia, quam ille Rufinus de Assisio ab ordine tuo nequam apostata, mendaciter episcopum se confingens, instigante diabolo satagit operari, antequam alia nociva succrescant ex ea germina, debitae rationis moderamine compescatur, discretioni tuae per apostolica scripta in virtute obedientiae districte praecipiendo mandamus, quatenus per te vel per alium seu alios, de quibus expedire videris, eum perquiri facias diligenter ac capi et fideliter custodiri, quousque a nobis aliud receperis in mandatis, studio diligenti procures, [5] ita quod ex hoc tua debeat diligentia merito commendari, nos, quantocius commode poteris, certificare procurans de omnibus, quae super praedictis et ea tangentibus duxeris facienda. Datum Avinione, XV kalendas octobris, anno VII.

---

[1] Reg. Vat. t. 73, ep. 1185, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 103; cfr. supra n. 315.

[2] *Cuenca* in provincia eccles. Toletana.

[3] Litteris die 18 sept. 1322 datis summus pontifex Raymundo de Serra et Petro de La Bruma sedis apost. nuntiis mandat, ut a dicto episcopo quaedam bona ad eccl. Ulixbon. pertinentia recipiant; qua de re capitulum quoque ipsius ecclesiae certius reddit. Cfr. Vat. t. 111, f. 251.

[4] Reg. Vat. t. 111, f. 317, ep. 1281.

[5] Illo tempore certum qnendam Rufinum episcopum Chien. (*Chios, Scio*, in mari Aegeo) fuisse constat; num hic Rufinus idem ac supradictus?

480. Eidem ministro generali mandat, ut quandam summam pro restauranda basilica Lateran. receptam assignet infradictis. [1]

1322, septembris 22, Avinione.

Dilecto filio Michaeli ordinis fratrum Minorum generali ministro.

Volentes, quod ducenti floreni auri ad nos et ecclesiam Romanam spectantes, per te in Urbe recepti, in structurae et reparationis fabricam Lateranensis ecclesiae fideliter expendantur, discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus venerabili fratri nostro Angelo Viterbiensi episcopo [2] ac dilectis filiis Ioanni Provincialis basilicae principis apostolorum de Urbe et Petro Capociae Lateranensis canonicis, quorum industriae et fidelitati curam eiusdem fabricae dudum commisimus, aut duobus ex eis dictos ducentos florenos in usum convertendos praedictum integraliter assignare procures; nos enim eisdem episcopo et canonicis aut duobus ipsorum damus per alias nostras litteras in mandatis, [3] ut dictos florenos a te recipiant et de hiis, quae sibi assignanda duxeris, te quitent plenius et absolvant. Volumus autem, quod de assignatione huiusmodi duo fieri faciatis consimilia publica instrumenta, quorum altero penes te retento reliquum ad nostram cameram mittere, quantocius commode poteris, non postponas. Datum Avinione, XV kalendas octobris, anno septimo.

481. Concedit Bonaiunctae ord. Min., inquisitori haer. prav. in partibus Venetis, plenam peccatorum remissionem per confessorem suum sibi impertiendam. [4]

1322, septembris 26, Avinione.

Bonaiunctae ordinis fratrum Minorum, inquisitori haereticae pravitatis in partibus Venetiarum auctoritate apostolica deputato.

Magnae devotionis zelus et fidei puritas, quibus erga Deum et Romanam ecclesiam splendore dinosceris, nos inducunt, ut illa tibi favore benevolo concedamus, per quae, sicut pie desideras, pacem conscientiae Deo propitio consequaris. Tuis itaque supplicationibus inclinati, ut confessorem idoneum tui ordinis possis eligere, qui super peccatis et transgressionibus tuis, quae sibi poenitentiali iudicio duxeris revelanda, de absolutionis beneficio et salutari poenitentia tibi auctoritate nostra provideat et semel in mortis periculo omnium peccatorum, de quibus corde contritus et ore confessus extiteris, ac poenarum etiam, quibus tunc pro peccatis ipsis eris obnoxius, illam plenam remissionem, quam Romani pontifices consueverunt interdum per speciale privilegium aliquibus impertiri, quatenus claves ecclesiae se extendunt et gratum in oculis divinae maiestatis extiterit, concedere valeat, tibi auctoritate praesentium indulgemus: sic tamen, quod idem confessor de hiis, de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda, illam tibi faciendam iniungat, quam iuxta facultates tuas (per te, si supervixeris, vel per alium seu alios, si tunc transieris) facere tenearis. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, VI kalendas octobris, anno septimo.

482. Paulino de Venetiis ord. Min., apostolicae sedis nuntio, mandat, ut Iacobum Saurum ord. Min., socium inquisitoris haer. prav. in partibus Venetis, compellat ad restituendam quandam summam. [5]

1322, septembris 27, Avinione.

Fratri Paulino ordinis Minorum, poenitentiario nostro.

Ad audientiam nostram pervenit, quod dilectus filius frater Bonaiuncta de Vicentia ordinis Minorum, in terris Venetiarum ac Foroiulii et administratione Marchiae Tervisinae inquisitor haer. pravitatis, [6] quendam hominem Murli nomine Tridentinae dioecesis super eo, quod dicebatur poenitentiam sibi iniunctam pro haeresis crimine per fratrem Paulinum de Mediolano, praedecessorem eiusdem Bonaeiunctae in inquisitionis officio supradictae, minime observasse, ad cuius observantiam sub certa poena se duxerat obligandum, ad suam fecit praesentiam evocari, assumpto secum ad inquirendum contra eum dilecto filio fratre Iacobo Sauro eius collega in officio praelibato; dictusque [homo] requisitus ab eis, quod super hiis diceret veritatem, noluit respondere, dicens, quod non erant iudices sui (pro eo, quod dicebatur in hoc poenitentiam non servasse, quia restitutionem non fecerat usurarum, cum ad inquisitorem non spectet quaestio de usuris), ac propter hoc ad sedem apostolicam appellavit. Cuius appellationi dictus frater Bonaiuncta humiliter detulit ob reverentiam dictae sedis, eidem appellanti apostolos [7] offerendo. Verum dictus eius collega nec dictae appellationi sicut asseritur deferre voluit nec apostolos ei offerre, sed ipsum violenter captum extra decretae sibi iurisdictionis terminos, eiusque famulo de centum florenis vel circiter spoliato, infra iurisdictionis suae terminos facit in carceribus detineri, eo proclamante et dicente, quod appellationem suam prosequi intendebat, a quo etiam ultra dictos [centum] florenos duo millia librarum dicitur extorsisse, quam quidem pecuniam expendere dicitur pro libito

[1] Reg. Vat. t. 111, f. 296, ep. 1175.
[2] Simulque in spirit. vicario Urbis.
[3] Cfr. l. c. f. 100 et t. 73, ep. 56, de curia.
[4] Reg. Vat. t. 111, f. 342, ep. 1399; cf. infra n. 482.
[5] Reg. Vat. t. 111, f. 298, ep. 1190; cfr. supra n. 481 et infra n. 544.
[6] Cfr. supra p. 9 not. 6.
[7] Litteras de appellatione interiecta testimoniales.

voluntatis. Cum igitur de quaestionibus usurarum motis contra illos, quibus poenitentia pro crimine haeresis est iniuncta, dicti inquisitores intromittere se non possint, ne per causas huiusmodi offendiculum negotio fidei praeparetur, et propter hoc appellationi eius ob hanc causam ad dictam sedem emissae fuerit deferendum: discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, dictum fratrem Iacobum Saurum, quod eidem Murli pecuniam restituat supradictam vel eam deponat in aliquo certo loco idoneo et securo, de quo tibi videbitur, ut personis illis, quibus apparuerit per eum restitutionem debere fieri usurarum, restitutio possit fieri supradicta, necnon ad liberandum eundem, si ex huiusmodi causa dumtaxat in carcere teneatur, per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellas. Quod si forte per dictum fratrem Iacobum causa rationabilis allegetur, per quam appareat, a praedicto Murli iuste dictam pecuniam [se] recepisse eamque posse licite retinere, eum ad communicandum dictam pecuniam praefato Bonaeiunctae eius collegae in subsidium expensarum officii inquisitionis praedictae ex parte nostra moneas et inducas ipsumque ad id, si expediat, simili censura compellere non postponas. Datum Avinione, V kalendas octobris, anno septimo.

483. Declarat litteris V kal. oct. pontificatus anno VII datis, se non commisisse finale iudicium apostillarum fr. Petri Ioannis (Olivi) de ord. Min., sed examinationem tantum, ipsum vero finale de iis iudicium sibi reservasse. [1]

1322, septembris 27, Avinione.

484. Dispensat cum fr. Berengario de Queralto ord. Min. super defectu natalium. [2]

1322, octobris 14, Avinione.

Dilecto filio Berengario de Queralto ordinis fratrum Minorum.

Testimonio tibi suffragante laudabili, quod a Domino gratiam consecutus geniturae maculam, quam ex prohibita parentum copula contraxisti, de coniugato genitus et soluta, probitate morum abstergis, dignum duximus, ut a te illegitimitatis notam plenitudo apostolicae potestatis aboleat, quam, sicut accepimus, zelo religionis et aliis virtutum meritis recompensas. Nos igitur te, qui, sicut accepimus, in ordine fratrum Minorum, cuius professor existis, sic fuisti laudabiliter conversatus, quod non indigne mereris apostolicam sedem tibi propiciam reperire, volentes propterea, ut et Deo magis placere studeas et de virtute progredi in virtutem, favore prosequi gratioso, tuis supplicationibus inclinati, tecum, quod defectu praedicto et qualibet constitutione contraria nequaquam obstantibus ad omnia officia et gradus dicti ordinis, citra tamen ministri provincialis officium, eiusdem ordinis eligi vel assumi licite valeas, si alias ad illa seu illos evocari canonice te contingat, auctoritate apostolica misericorditer dispensamus. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, II idus octobris, anno septimo.

485. Iterat litteras d. d. 30 nov. 1321, quibus episcopis Valentin. et Vivarien. atque Iacobo Bernardi ord. Min., inquisitori haer. prav., mandaverat, ut procederent contra illos, qui fratres Cathalaunum Fabri et Petrum Paschalis ord. Minorum, socios praedicti inquisitoris, in castro *Montélier* prope castrum *Chabeuil* trucidarunt. [3]

1322, novembris 17, Avinione.

Ven. fratribus .. Valentin. et .. Vivarien. episcopis ac dilecto filio .. [4] *ord. Min. inquisitori haer. prav. in Arelaten., Aquen., Viennen. et Ebredunen. provinciis per sedem apost. deputato.*

Vox sanguinis *etc.* Dat. Avinione XV kalendas decembris, anno septimo.

486. Declarat, bonorum in ordine Min. acquisitorum dominium non amplius ad ecclesiam Romanam, sed ad ordinem ipsum spectare, quare simul prohibet, quominus syndici deinceps constituantur ad ista bona nomine ecclesiae Rom. administranda. [5]

1322, decembris 8, Avinione.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ad conditorem canonum non est dubium pertinere, cum statuta a se vel a suis praedecessoribus

---

[1] Ita legimus apud *Baluze*, Vitae papp. Avin. I, 752, et *Muratori*, Antiqu. Ital. VI, 181[18]. Cfr. supra p. 86 not. 3 et *Ehrle* l. c. III, 457, qui scribit, istas apostillas die denique 8 febr. 1326 damnatas et in capitulo generali fratrum Min. a 1500 Interamnae habito haec statuta esse: « Praeterea iuxta eadem prisca instituta nullus frater tenere praesumat summam Petri Ioannis super Apocalypsim et alios eius tractatus sub poena carceris ». Sixtus tamen quintus dicitur concessisse licentiam opera dicti Petri Ioannis legendi et ex illis rosam excerpendi spinis omissis. Cfr. infra n. 600*a*.

[2] Reg. Vat. t. 74, f. 127, ep. 319.

[3] Reg. Vat. t. 74, ep. 186, cfr. supra n. 453.

[4] Hic differunt inter se litterae 30 nov. 1321 et 17 nov. 1322 datae; nomen inquisitoris in illis expressum, in his omissum est.

[5] Reg. Vat. t. 74 ep. 6 de curia, apud *Baluze*, Miscell. III, 221. — Ad bullam « Quia nonnunquam » d. d. 26 mart. 1322 (n. 464) notavimus, summum pontificem de paupertate sententiam plurimorum praelatorum doctorumque hominum rogasse. Inter eos Ubertinus de Casali saepius laudatus (cf. n. 287) numeratur, qui quidem ita censuit: « Ad quaestionem praedictam non est respondendum simpliciter affirmative vel negative, sed per duplicem distinctionem eligenda est veritas fidei et haeresis respuenda. Et primo distinguendum est de Christo et apostolis, quia fuerunt sub duplici statu; fuerunt enim universales praelati ecclesiae novi testamenti: et hoc modo, quantum ad dispositionis auctoritatem pro dando pauperibus et ministris ecclesiae, sicut de apostolis scribitur, bona habuerunt bona communia; et negare, quod non habuerunt isto modo, esset haereticum. Sed de hoc non currit proprie quaestio, quia nullus in isto sensu negavit. Ex ista praelationis auctoritate Christus dicitur loculos

edita obesse percipit potius quam prodesse, ne ulterius obesse valeant, providere. Dudum siquidem fel. rec. Nicolaus papa III praedecessor noster (attente prospiciens in almi confessoris beati videlicet Francisci regula contineri, quod sibi nihil approprient nec domum nec locum nec aliquam rem sui ordinis professores; ac considerans diligenter, quod per piae record. Gregorium papam IX et nonnullos alios praedecessores eiusdem fuerat declaratum, hoc debere servari tam in speciali quam in communi; nec non et consideranter attendens, nonnullos fratribus ipsis detrahere impingentes eisdem, quod regulam et declarationem huiusmodi non servabant; pie quoque considerans, ora contra praemissos fratres oblatrantium claudere ac professorum ipsorum conscientiis providere) inter alia ordinavit et sanxit, quod omnium utensilium et librorum rerumque mobilium praesentium et futurorum, ecclesiarum quoque et oratoriorum ac coemeteriorum tam praesentium quam futurorum nec non et aliarum rerum emptarum de eleemosynis diversis et oblatarum seu concessarum dictis fratribus, in quibus tamen offerentes seu concedentes ipsa nihil sibi in ipsis ducerent reservandum, proprietas ac dominium plene ac libere ad se et Romanam pertineant ecclesiam, ipsa in se recipiens et ecclesiam antedictam, simplici usu facti dumtaxat in rebus et bonis huiusmodi reservato fratribus antedictis. Et quia nonnunquam libros et alia mobilia saepedicta vendi expedit seu etiam commutari, fratribus ipsis in eadem ordinatione

---

habuisse. Secundo Christus et apostoli possunt considerari ut singulares personae, fundamenta perfectionis religiosae et perfecti mundi contemptores ac gloriam mundi calcantes et Christi consilia de supererogatione perfectionis in se ipsis observantes et omnibus volentibus esse perfectos exempla lucida tribuentes; et si quaeritur, utrum isto modo habuerint, distinguendum est de duplici modo habendi. Quorum primus est civilis et mundanus, quem modum habendi leges imperiales definiunt, duas eius partes ostendentes; et haec verba in bonis nostris dicimus esse, in quibus habitis exceptionem et defensionem et in non habitis repetitionem habemus. Et ita patet, quod, qui habet aliquid civiliter et mundane, potest defendere rem suam ab invasore et repetere a detentore in iudicio sub iudice imperiali. Et isto modo dicere, quod habuerint Christus et apostoli res mundanas, est haereticum, quia contra evangelium; nam Christus rex pacificus, qui apostolos suos fecit filios pacis, separavit ab omni humano litigio, dicens: " Et ei, qui vult tecum in iudicio contendere et tunicam tuam tollere, praebe ei et pallium "; et " qui aufert tibi vestimentum, etiam tunicam noli prohibere, et qui aufert, quae tua sunt, ne repetas ". In quibus verbis removet a se (quia ipse fecit, quod docuit) et ab apostolis (quibus hoc ipsum imposuit) duplicem partem iuris civilis et mundani, defensionem habiti et repetitionem perditi. Et iste modus habendi proprie dicitur habere in re proprietatem et dominium. Et quia Christus et apostoli isto modo nihil habuerunt, idcirco beatus Petrus pro se et pro omnibus apostolis dicit sicut verus pauper: " Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te ". Dicere ergo, quod Christus et apostoli isto modo habuerint in communi vel speciali proprietatem et dominium, est haereticum et blasphemum. Et hoc modo concedo, quod intelligunt fratres Minores, licet non distinxerint diversos modos habendi. Alio modo possunt haberi res temporales quantum ad ius necessarium et commune fraternae charitatis. Et isto modo Christus et apostoli habuerunt bona temporalia iure naturali, quod ab aliquibus dicitur ius poli, ad sustentationem necessariam, repellentes omnia, quae divitias saperent vel delicias redolerent vel mundi pompam nutrirent. Et isto modo habuerunt panes et pisces; et sic dicit apostolus: " habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti sumus ". Nec est aliqua professio nec aliquod consilium Christi, quod prohibeat talem modum habendi, scilicet quantum ad necessarium usum vitae: et ideo dicere, quod non habuerint isto modo, esset haereticum. Et sic concedo, quod vellent dicere fratres Praedicatores ».

Vitalis de Furno autem episcopus Albanensis (ex ord. Min.) quaerenti summo pontifici illa respondit, quae leguntur apud *Raynaldum* Ann. eccl. ad a. 1322, n. 67. Idem fere placuit Bertrando de Turre tit. s. Vitalis presb. card. (ex ord. Min.) et Berengario Fredoli ep. Tusculano.

Alii exstiterunt adversarii. Ita Petrus de Arreblayo tit. s. Susannae presb. card., ita Petrus Textoris tit. s. Stephani in Coelio monte presb. card., ita Petrus de Columna S. R. E. diaconus cardinalis, ita Durandus de s. Porciano ep. Anicien. (ex ord. Praed.), ita Hervaeus magister generalis ord. Praed., ita episcopus Soranus (aut Iacobus, qui cum esset canonicus Soranus, die 24 nov. 1323 in episcopum Soran. est promotus, aut eius antecessor nomine Andreas), de quibus confer *Raynaldum* l. c. nn. 56-64; ita « responsio studii generalis Parisien. per (Simonem de Archiaco) cardinalem Viennensem data, quam refert *Raynaldus* l. c. ad a. 1323, nn. 38-56; ita denique tractatus quidam hac de re confecti, inter quos laudamus illos, quos supradictus magister generalis ord. Praed. et Augustinus ep. Lucerinus (ex ord. Praed.) confecerunt (cfr. *Rayn.* l. c. nn. 58-60).

« Subsequenter, scribit *Baluzius* l. c., aliqui cardinales [praesertim illi duo, qui ex ord. Min. erant] et nonnulli alii viri notabiles requisierunt fratrem Michaelem generalem ministrum ordinis Minorum et totum capitulum generale apud Perusium in festo Pentecostes [a. 1322] proxime futuro celebrandum, quod ipsi definirent et determinarent illud, quod de dicta quaestione de paupertate Christi et apostolorum eius sentirent, et in scriptis redigerent ac universis Christifidelibus destinarent ».

Qui istas adhortationes secuti has litteras dederunt: « Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis frater Michael ordinis fratrum Minorum generalis minister, Guillelmus [de Notingham] Angliae, Henricus [de Talheim] superioris Alamanniae, Arnaldus Aquitaniae provinciales ministri, in sacra theologia magistri, nec non Ugo de Novocastro et Guillelmus de Alnvich, sacrae theologiae doctores, Nicolaus minister Franciae ac Guillelmus Bloch, bacallarei in sacra pagina, et omnes ministri et custodes, discreti et generalium studiorum lectores apud Perusium congregati in capitulo generali ipsumque totum generale capitulum ordinis supradicti salutem et pacem in Domino sempiternam. Noveritis, quod nos anno Domini 1322, indictione 5, pridie nonas iunii, audita et intellecta quaestione quadam, quae in Romana curia principaliter agitatur, qua quaeritur, utrum asserere Christum et apostolos non habuisse aliquid in proprio nec in communi sit haereticum; et requisiti, quid de illa quaestione sentiremus et in scriptis sub nostris sigillis et subscriptionibus propriis redigere curaremus: visis et examinatis dicta quaestione cum allegationibus, quae pro et contra fiunt, diligentique et matura deliberatione digestis, determinationi sanctae Romanae ecclesiae firmiter et totaliter inhaerentes, concorditer et unanimiter dicimus et fatemur, quod dicere et asserere, quod Christus viam perfectionis ostendens et apostoli eamdem viam perfectionis sequentes atque per exemplum in alios volentes perfecte vivere derivantes nihil iure proprietatis et dominii seu iuris proprii in speciali et in communi habuerunt, non est haereticum, sed sanum, catholicum et fidele, maxime cum sancta Romana ecclesia catholica, quae a tramite apostolicae traditionis nunquam deviasse aut errasse probatur *(XXIV*, qu. *I*

concessit, ut res ipsas cum rebus aliis, quarum usum habere licet ipsis fratribus, dummodo generalis vel provincialium ministrorum coniunctim vel divisim auctoritas intercedat, possent libere commutare. Sed quia fratribus ipsis pecuniam per se vel per alium recipere ipsorum regula districtius interdicit, voluit et concessit, quod si vendi contingeret res mobiles antedictas pretio aestimato, quod huiusmodi pretium per procuratorem deberet recipi a sede apostolica vel a cardinale gubernatore ipsius ordinis deputandum, per procuratorem eundem in rem licitam aliam, cuius usus esset permissus eiusdem ordinis fratribus, expendendum: hoc adiecto, quod possent de vilibus vel parum valentibus fratres ipsi pietatis seu devotionis intuitu vel pro alia honesta et rationabili causa (obtenta super hoc superiorum suorum licentia) intra et extra dictum ordinem ordinare.

Quamquam autem pia consideratione motus dictus praedecessor noster ordinaverit supradicta, dicto ordini existimans profutura, ipsa tamen (attento modo utendi fratrum ipsorum ac dictae ecclesiae subsecuta patientia circa ipsam) non profuisse, sed potius tam ipsis fratribus quam multis aliis obfuisse, subsequens magistra rerum experientia noscitur declarasse. Ipsis quidem fratribus quantum ad statum perfectionis nequaquam profuit reservatio dominii supradicta. Cum perfectio vitae christianae principaliter et etiam essentialiter in charitate consistat, quae ab apostolo perfectionis vinculum dicitur

---

cap. *A recta* et cap. *Pudenda* in fine), hoc expresse dicat, affirmet et determinet manifeste (Extra de verb. sign. cap. *Exiit* lib. VI, § *Porro)* sic inquiens: " Dicimus, quod abdicatio proprietatis omnium rerum tam in speciali quam in communi propter Deum meritoria est et sancta, quam et Christus viam perfectionis ostendens verbo docuit et exemplo firmavit, quam quoque primi fundatores militantis ecclesiae idest apostoli, prout ab ipso fonte idest Christo hauserant, in volentes perfecte vivere per doctrinae ac vitae ipsorum alveos derivarunt ". Quae ecclesiae determinatio libro VI (decretalium) per ipsam catholicam ecclesiam est inserta et per aliam decretalem in Viennensi concilio promulgatam et in VII libro sub titulo " de verborum significatione " insertam per ipsam universalem et catholicam ecclesiam est approbata. Ac novissime per sanctissimum patrem dominum Ioannem divina providentia papam XXII in dicta sua declaratione edita super regula et statu fratrum Minorum, quae incipit: " Quorumdam exigit ", est eadem declaratio plurimum commendata tamquam salubriter edita, solida, lucida multaque maturitate digesta. Et testante canone (XIX dist. *Si Romanorum*) illud, quod pro sano dogmate sedes apostolica comprobavit, semper teneri debet acceptum nec ab eo licet alicui quomodolibet resilire *(XXIV*, qu. *I* cap. *Haec est fides)*. In huius autem nostrae opinionis et communis ac concordis sententiae testimonium et munimen. praesentem seriem de communi consensu omnium nostrum sigillis et subscriptionibus propriis generalis ministri et nominatorum superius magistrorum ac bacalariorum in sacra pagina nec non et quatuor provincialium ministrorum, videlicet Thomae provinciae Bononiensis, Petri provinciae sancti Francisci, Fernandi provinciae Castellae et Symonis provinciae Turoniae, duximus muniendam. Datum Perusii, anno, mense et die superius memoratis ».

Alteram quoque similem sed prolixiorem declarationem iidem ordinis Minorum praelati in capitulo generali Perusii congregati die 11 iulii 1322 dederunt, ut universis christifidelibus persuaderent, illam sententiam non esse haereticam, sed sanam et catholicam. Quam declarationem, cui non solum supradicti, sed omnes in sacra pagina magistri et bacallarei de ordine Minorum numero 46, Parisiis et in Anglia (Oxonii) commorantes, adhaeserunt, legas apud *Baluze* l. c. p. 208 vel apud *Wadd.* l. c. ad a. 1322 n. 55.

Quibus litteris tantum abfuit, ut summus pontifex ad partes Minorum alliceretur magisque de paupertate controversa inter utrosque conveniret, ut illas enuntiationes aegerius ferret magisque inclinaret in sententiam oppositam. « Ut itaque », scribit *Waddingus* (l. c. n. 57, « viam sterneret ad hanc contrariam opinionem stabiliendam, quorundam suggestione lacessitus et irritatus, renuntiavit dominio rerum omnium, quae conferebantur fratribus Minoribus vel penes ipsos habebantur et quorum usu potiebantur, etsi eousque tale dominium penes pontifices Romanos aut Ecclesiam esset secundum declarationem multorum praedecessorum suorum; et insuper inhibuit, ne deinceps pro recipiendis vel petendis bonis, quae in posterum ordini Minorum conferrentur, quisquam constitueretur amodo nomine ecclesiae Romanae procurator vel syndicus ».

Quod quidem ipsum per hanc constitutionem *Ad conditorem canonum* est effectum. Duo sunt constitutionis textus; bis enim promulgata est.

Prima forma ad valvas ecclesiae Avinionensis affixa eaque brevior haec continet: « *Ad perpetuam rei memoriam.* Ad conditorem canonum non est dubium pertinere, cum statuta a se vel a suis praedecessoribus edita obesse percipit potius quam prodesse, ne ulterius obesse valeant, providere. Dudum siquidem fel. rec. Nicolaus papa III praedecessor noster, attente perspiciens in almi confessoris beati videlicet Francisci regula contineri, quod nihil sibi approprient nec domum nec locum nec aliquam rem aliam sui ordinis professores, ac considerans diligenter, quod per piae record. Gregorium IX et alios nonnullos praedecessores eiusdem fuerat declaratum, hoc debere servari tam in speciali quam etiam in communi; necnon considerans et attendens, nonnullos fratribus ipsis detrahere, imponentes eisdem, quod regulam et declarationes huiusmodi non servabant; pie quoque considerans ora contra praemissos fratres oblatrantium claudere ac professorum ipsorum conscientiis providere: inter alia ordinavit et sanxit, quod omnium utensilium et librorum rerumque mobilium praesentium et etiam futurarum, ecclesiarum quoque et oratoriorum ac cunctorum tam praesentium quam futurorum necnon et aliorum emptorum de eleemosynis diversis et oblatorum seu concessorum dictis fratribus, in quibus tamen conferentes seu concedentes ipsi nihil in ipsis sibi ducerent reservandum, proprietas ac dominium plene et libere ad se et Romanam ecclesiam pertineret, ipsa in se et antedictam ecclesiam recipiens, usu facti dumtaxat in rebus et bonis huiusmodi dictis fratribus reservato; et quia nonnunquam libros et alia mobilia supradicta vendi expedit seu etiam commutari, fratribus ipsis in eadem ordinatione concessit, ut res ipsas cum rebus aliis, quarum usum habere licet ipsis fratribus, dummodo generalis et provincialium ministrorum coniunctim vel divisim auctoritas intercedat, possint libere commutare. Sed quia fratribus ipsis pecuniam per se vel per alium recipere ipsorum regula districtius interdicit, voluit et concessit, quod, si vendi contingeret res mobiles antedictas pretio aestimato, quod huiusmodi pretium per procuratorem a praefata sede vel cardinalis gubernatoris eiusdem ordinis auctoritate deputandum deberet recipi in rem licitam aliam, cuius usus eiusdem ordinis fratribus esset permissus, expendendum: hoc adiecto, quod possent de vilibus rebus mobilibus et parum valentibus fratres ipsi, pietatis seu devotionis intuitu vel pro alia honesta et rationabili causa, obtenta tamen super hoc superiorum suorum licentia, intra et extra dictum ordinem ordinare.

et quae unit seu iungit in via aliqualiter hominem suo fini, ad quam per bonorum temporalium contemptum et ipsorum expropriationem via disponitur, per hoc praecipue, quod sollicitudo, quam ipsa temporalia in acquirendo, conservando et dispensando exigunt, quae plerumque ab actu charitatis retrahit, amputatur: restat, quod, si sollicitudo eadem post expropriationem huiusmodi, quae ante ipsam inerat, perseveret, ad perfectionem huiusmodi talis expropriatio valeat nil conferre. Constat autem, quod post ordinationem praedictam non fuerunt in acquirendis et conservandis bonis praedictis in iudicio et extra iudicium minus solliciti, quam ante illam fuerint, fratres ipsi, quamque sint religiosi alii Mendicantes habentes aliqua in communi. Adhuc nec utique profuit dictis fratribus ordinatio supradicta quantum ad hoc, quod propter carentiam talis dominii se pauperiores dicere valeant, quam si res ipsas cum illo, quo carere se dicunt, dominio obtinerent. Licet enim praedecessor noster praedictus dominium earum rerum, quae ipsis fratribus offerri seu conferri aut aliter obvenire contingeret, quorum tamen usum facti habere licet ordini vel fratribus antedictis, usu facti simplici dictis fratribus reservato, in se et Romanam ecclesiam recipiendum duxerit ac libere pertinere decreverit, ut superius est expressum: attento tamen ipsorum fratrum utendi modo et eius effectu ac patientia circa modum ipsum Romanae ecclesiae subsecuta, non ipse usus fratrum simplex dici debet, sed potius ecclesiae Romanae

---

Quamquam autem a praedecessore nostro pia consideratione haec fuerint ordinata, ipsa tamen hactenus profuisse dictis fratribus non percepimus, sed potius ipsis et aliis multipliciter obfuisse. Ipsis quidem prodesse ad statum perfectionis nequaquam potuit reservatio supradicta. Cum enim perfectio vitae christianae principaliter et essentialiter in charitate consistat, quae ab apostolo " vinculum perfectionis " dicitur et quae unit seu iungit aliqualiter hominem suo fini, ad quem per contemptum bonorum temporalium et ipsorum expropriationem via disponitur per hoc praecipue, quod sollicitudo, quam ipsa temporalia in acquirendo, conservando et administrando exigunt et quae plerumque ab actu charitatis retrahit, amputatur: restat, quod, si sollicitudo eadem post expropriationem huiusmodi, quae ante ipsam inerat, perseveret, ad perfectionem huiusmodi talis expropriatio nil conferret. Constat autem, quod fratres dicti ordinis post factam retentionem dicti dominii non minus, sed satis amplius quam ante ipsam in acquirendis bonis ipsis ac conservandis tam in iudicio quam extra fuerunt solliciti, quam sint religiosi alii mendicantes solliciti, habentes aliqua in communi, prout haec nota magistra rerum experientia cunctis recte considerantibus evidentius manifestat. Quod retentio dominii supradicta fratribus ipsis obfuerit, patet ex subsequentibus evidenter. Occasione siquidem retentionis eiusdem fratres ipsi de paupertate altissima coeperunt inaniter gloriari, quam sibi prae cunctis aliis Mendicantibus ex eo praecipue vendicant imprudenter, quod in his, quae obtinent, nihil ad se proprietatis vel dominii sed solum nudum usum facti asserunt pertinere. Profecto, si rem plus quam verba vellent attendere et veritati acquiescere, ut deberent, attento ipsorum utendi modo et ecclesiae Romanae patientia circa illum, totum contrarium affirmarent, videlicet non relictum eis usum, sed retentum ecclesiae Romanae dominium esse nudum. Quis enim nudum usuarium poterit dicere, cui rem usuariam licet vendere, permutare ac donare? procul dubio haec naturam usus excedunt nec ad usuarium sed ad dominum potius pertinere [noscuntur]; haec evidenter arguunt talem usuarium minime fore nudum: quae quidem de rebus nonnullis mobilibus fratres ipsi faciunt, asserentes sibi per ordinationem huiusmodi hoc concessum. Quod autem non sint nudi usuarii in rebus, quae usu consumuntur, evidentius declaratur, in quibus dicere, quod usus iuris vel facti a dominio separatus possit constitui, iuri repugnat et etiam rationi. Nec praedecessoris nostri praedicti fuisse videtur intentio, Romanae ecclesiae talium bonorum dominium reservare. Quis enim sanae mentis credere potuit, quod intentio fuit tanti patris, unius ovi aut unius casei aut frusti unius panis, quae saepe ipsis fratribus conferuntur, dominium Romanae ecclesiae retinere? Aut si eius fuit intentio, quis defendere potest, quod non realis fuerit talis retentio dominii sed verbalis quodque non vera sed ficta potius censenda? Adhuc esto, quod usus in talibus rebus possit constitui, nudus tamen nullatenus possit dici, cum usus rei consumptibilis usuarii non differat ab usu plenum dominium obtinentis: quod patet, quia usus cuiuslibet rem totaliter consumit. Constat autem, usum habentis plenum dominium minime fore nudum. Ex quo consequi videtur, quod eorum usus nudus minime sit censendus. Dominium autem Romanae ecclesiae reservatum ex eo videri potest nudum, verbale et mathematicum, quod ex illo nullum hactenus eidem obvenit commodum, nec speratur, quod obvenire debeat in futurum, cum nec intentio reservantis nec fratrum ipsorum fuerit, quod in cuiusque alterius quam fratrum compendium cederent res praedictae. Constat autem, quod tale dominium nec habentem ditiorem instituit nec pauperiorem efficit non habentem. Ex quibus liquet evidenter, quod imprudenter propter retentionem praedictam prae aliis Mendicantibus sibi vendicant altissimam paupertatem. Nocuit insuper dictis fratribus retentio praedicta, cum eius occasione inter fratres ipsius ordinis periculosa suborta fuerint scismata et dispendiosa pericula subsecuta, quibus hactenus dari finis non potuit, nec speratur, quod ad illum ipsa durante valeat perveniri. Rursus needum fratribus ipsis dicta reservatio obfuit, sed etiam honori sacrosanctae Romanae ecclesiae non leviter detrahit et detraxit. Nunquid non praefatae ecclesiae derogatur honori, nunc in foro saeculari nunc in foro ecclesiastico, interdum quoque coram pedaneis iudicibus, et plerumque pro rebus parvis et vilibus litigare? Haec tamen occasione ordinationis praedictae fieri cernimus, cum eorum, quae dantur, offeruntur vel alias acquiruntur dictis fratribus, nisi dantes vel offerentes sibi dominium reservaverint, sit dominium dictae ecclesiae Romanae reservatum; propter quod per procuratores constitutos a ministris dicti ordinis nomine sanctae Romanae ecclesiae agendo vel defendendo causae omnes contingentes dictum ordinem agitantur, et, quod gravius est censendum, procuratores praedicti multos vexare dicuntur indebite et in suis iuribus multipliciter perturbare. Quae omnia noscuntur in notam et iniuriam dictae ecclesiae redundare. Adhuc ordinatio praedicta ecclesiarum praelatis et rectoribus et multis aliis gravis existere nimium et molesta monstratur. Nunquid non grave praemissis potest existere, quod ipsos oporteat se opponere Romanae ecclesiae, quae ipsorum domina noscitur et magistra, ac cum ea agendo vel defendendo litigare assidue vel cedere iuri suo? Haec tamen oportet illos facere, cum in multis dicti fratres praedicti existere dicantur iniurii, sicut clamorosa multorum praelatorum et rectorum diversarum provinciarum adhuc in curia existentium habet insinuatio, qui [quidem fratres] facta sua palliare nituntur et defendere per procuratores ab ipsis nomine dictae sanctae Romanae ecclesiae constitutos.

Nos itaque praemissis in scrutinio rectae considerationis adductis multorumque clamoribus excitati, volentes tantis ma-

dominium esse simplex. Quis enim simplicem usuarium dicere poterit, cui rem usuariam licet permutare, vendere ac donare? procul dubio haec repugnare noscuntur naturae usuarii nec ad usuarium pertinere; quae tamen de rebus mobilibus antedictis faciunt fratres ipsi. Quod autem dominium Romanae ecclesiae reservatum simplex censeri debeat, ex hoc patet, quod ex illo nullum eidem ecclesiae temporale advenerit hactenus commodum nec speratur, quod obvenire debeat in futurum, cum nec intentio reservantis nec fratrum ipsorum fuerit, quod ad quemcumque alium quam ad fratres dictarum rerum perveniret compendium: quod procul dubio modus utendi ipsorum fratrum et Romanae ecclesiae subsecuta patientia evidentius declaravit. Et quod talis intentio fuerit ordinantis, ex hoc patet, quod illarum rerum sibi et ecclesiae Romanae dominium dumtaxat retinuit, quarum usum facti licet habere ordini vel fratribus antedictis. Talis enim dominii carentia re in praesenti ac spe in futurum omni commodo denudati quo ad paupertatem temporalem, quam altiorem prae Mendicantibus aliis in communi habentibus sibi vendicant dicti fratres, pauperiorem non efficit non habentem. Quod autem quo ad res, quae usu consumuntur, non sint censendi usuarii fratres ipsi, ex subsequentibus liquet satis. Dicere siquidem, quod in talibus rebus usus iuris vel facti separatus a proprietate seu dominio possit constitui, repugnat iuri et obviat rationi. Nec praedecessoris nostri praedicti videtur fuisse

---

lis occurrere ac conscientiis et statui dictorum fratrum necnon et honori dictae ecclesiae Romanae praelatorumque et rectorum et aliorum indemnitatibus providere, de fratrum nostrorum consilio, sacrosanctam Romanam ecclesiam tam inutili tamque periculoso dominio carere potius quam ipsum habere volentes, hoc edicto in perpetuum valituro censemus, quod in bonis praedictis, quae in posterum conferentur vel offerentur vel quomodolibet alias obvenire contigerit fratribus seu ordini praedictis, non plus iuris in illis apostolica sedes habeat nec eidem in ipsis seu pro ipsis dominium seu ius aliquod [plus] acquiratur, quam quomodo habeat quamque sibi acquiratur in bonis vel pro bonis, quae fratribus aliorum Mendicantium ordinum quomodolibet acquiruntur. Ac insuper statuentes, quod pro bonis praedictis recipiendis, petendis, exigendis, defendendis seu administrandis nullus quoque procurator constituatur amodo nomine summi pontificis vel praefatae sanctae Romanae ecclesiae, nisi de ipsius licentia speciali et mandato, revocamus quoque quoscumque a quibuscumque taliter constitutos, decernentes irritum et inane, si secus a quocumque fuerit attentatum: non obstantibus quibuscumque privilegiis a fel. rec. Martino papa IV vel aliis praedecessoribus nostris eisdem fratribus vel ordini sub quacumque forma verborum seu expressione concessis. Per haec autem non intendimus nec regulae dicti ordinis nec privilegiis fratribus ipsis seu eorum ordini ab apostolica sede concessis, nisi quoad praemissa et praemissa tangentia, in aliquo derogare, quin imo ea volumus in suo robore permanere. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione VI idus decembris, pontificatus nostri anno septimo ».

Praedicta constitutione, scribit Baluzius l. c. p. 213, sub dicta forma brevi edita et solemniter promulgata, frater Bonagratia de Pergamo, procurator ord. Min. generalis ad hoc specialiter constitutus, sentiens se dicto nomine et dictum ordinem ex praedicta constitutione et contentis in ea provocari, appellavit et protestatus fuit sub forma, quae infra sequitur: « In nomine domini nostri Iesu Christi amen. Anno a nativitate Domini millesimo tercentesimo vigesimo tertio, indictione VI, die XIV mensis ianuarii in civitate Avinionen. in palatio sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Ioannis divina providentia papae XXII in consistorio cardinalium more solito congregato et convocato: ibi frater Bonagratia de Pergamo procurator et procuratorio nomine ordinis fratrum Minorum, in praesentia praefati domini papae et collegii dominorum cardinalium ibidem ad consistorium congregatorum personaliter constitutus, publice dedit, porrexit et praesentavit praefato domino papae sive domino Bertrando de monte Faventio cardinali, ibi praesenti et de mandato ipsius domini papae recipienti, infrascriptum libellum provocationis et appellationis sive supplicationis, cuius libelli tenor talis est: Vestrae significat sanctitati frater Bonagratia procurator ordinis fratrum Minorum ad hoc specialiter constitutus, quod orta olim circa initium institutionis et approbationis ordinis beati Francisci materia quaestionis super verbis et intellectu regulae ipsius sancti, in quibus dicitur: *Regula et vita fratrum Minorum haec est, scilicet domini nostri Iesu Christi sanctum evangelium observare, vivendo in obedientia, sine proprio et in castitate;* et infra: *fratres nihil habeant seu sibi approprient nec domum nec locum nec aliquam rem* etc., et ipsa quaestione ad examen primo sanctae memoriae domini Gregorii IX, iuris divini et canonici et civilis multum periti, deducta, ipse sanctissimus pater post multam et longam deliberationem et examinationem ipsam quaestionem definivit *(die 28 sept. 1230 constitutione « Quo elongati »)* in haec verba: *Cum ex longa familiaritate, quam idem confessor nobiscum habuit, plenius noverimus intentionem eius et in condendo praedictam regulam et obtinendo ipsius confirmationem per sedem apostolicam sibi astiterimus, dum adhuc essemus in minori officio constituti (cfr. huius op. t. I, p. 68);* et infra *(l. c. p. 69): Dicimus itaque, quod nec in communi nec in speciali debeant proprietatem habere, sed utensilium et librorum et eorum mobilium, quae licet habere, eorum usum habeant et fratres, secundum quod generalis minister et provinciales disponendum duxerint, his utantur salvo locorum et domorum dominio illis, ad quos noscitur pertinere; nec vendi debeant mobilia vel extra commutari aut aliquo modo alienari, nisi Romanae ecclesiae cardinalis, qui fuerit ordinis gubernator, generali seu provincialibus ministris auctoritatem super hoc praebuerit vel assensum.* Hac verba definitionis apostolicae sedis non regulam ampliantis seu circa eam aliquid novi statuentis, sed intentionem conditoris et verba ipsius regulae exponentis seu declarantis, felicis quoque recordationis domini Innocentius IV et Alexander IV Romani pontifices diversis temporibus successive, dictis verbis regulae cum exacta diligentia recensitis et in rectae considerationis iudicium deductis, verba dictae regulae et ipsorum rectam intentionem declarando, in duabus ipsorum pontificum declarationibus sic dicunt: *Dicimus, quod ...... vel assensum, cum tam mobilium quam immobilium ius, proprietas et dominium, illis solis exceptis, in quibus expresse donatores vel translatores sive proprietatem et dominium sibi reservasse constiterit, nullo medio ad ecclesiam ipsam spectent* (cfr. in huius op. t. I, p. 401, constit. Inn. IV « Ordinem vestrum » d. d. 14 nov. 1245, confirm. ab Alex. IV die 20 febr. 1257, l. c. t. II, p. 196).

Non solum autem praedicti Romani pontifices, sed plures alii praedecessores fel. rec. domini Nicolai III et maxime domini Clemens IV (cfr. l. c. t. III, p. 28) et Gregorius X in suis litteris et rescriptis expresse dicunt, quod fratres dicti ordinis ex professione dictae regulae nec in communi nec in speciali proprietatem cuiuscunque rei habere valent; sed ubi donatores vel collatores quorumcunque bonorum sibi non reservaverint dominium,

intentio, Romanae ecclesiae talium bonorum dominium reservare. Quis enim sanae mentis credere poterit, quod intentio fuerit tanti patris, unius ovi seu casei ac frusti panis et aliorum usu consumptibilium, qui saepe fratribus ipsis ad consumendum e vestigio conferuntur, dominium Romanae ecclesiae et usum fratribus retinere? Profecto probabile non videtur, praesertim cum illorum dumtaxat bonorum dominium praefatae ecclesiae Romanae reservaverit, quorum simplex usus facti pertinere potest ad fratres dicti ordinis: quod nequaquam potest in rebus usu consumptibilibus reperiri, in quibus nec ius utendi nec usus facti separata a rei proprietate seu dominio possunt constitui vel haberi. Et quod de talibus rebus [ita] non intellexerit, evidenter ostendit, dum respondet legi dicenti, non posse usum vel usumfructum a dominio perpetuo separari, quia dominium dominis semper abscedente usu inutile redderetur: quae quidem lex de rebus illis intelligitur, quarum penes unum usus rei et penes alium dominium possit (licet inutile) remanere, quod nequaquam in rebus usu consumptibilibus potest esse, cum in illis per usum vel abusum usuarii substantia talis rei esse desinat et per consequens proprietas inutilis non existat. Cum enim ususfructus, prout est actus in re constitutus, qui servitus dicitur personalis et pro quo reales competunt actiones, nihil aliud sit, quam ius utendi tantum rebus alienis, salva rerum substantia, id est ius percipiendi fructus et utilitatem aliam aliquam in totum vel pro parte suo nomine, qui possunt ex re, in qua ususfructus seu usus constituitur, provenire: propter quod pro-

---

donata vel collata eidem ordini ad Romanam ecclesiam immediate pertinent. Et alibi dicit praedictus dominus Gregorius X: *Ordo fratrum Minorum humilitati deditus ac paupertati et rem et nomen abiecit proprietatis, et quicquid ei obvenire dignoscitur, ipso facto in nostrum et Romanae ecclesiae dominium transire perhibetur. Quando ergo in locis, quae ad prosecutionem divini cultus inhabitant, occupationis iniuriam patiuntur, nobis et eidem ecclesiae Romanae iniuria huiusmodi specialiter irrogatur.* Idem etiam Gregorius X in Lugdunensi concilio, sacro approbante concilio, huiusmodi statum et ordinem ex evidenti utilitate, quae ex ipso universali ecclesiae proveniebat, comprobavit. Insuper praedicti Romani pontifices ante dictum dominum Nicolaum III determinaverunt pluries et frequenter, dictam expropriationem in speciali et in communi fore altissimam et fratres praedictos in huiusmodi altissima paupertate Christum pauperem imitari et nudos nudum Christum sequi et eos extremam paupertatem pro Christi nomine pati; et alibi: *Almus Christi confessor beatus Franciscus divina inspiratione calligantia praesentis aetatis tempora fulgoris sui lampade illustravit, viam perfectae iustitiae praeparans in eremo paupertatis altissimae;* et alibi: *professores dictae regulae in huiusmodi altissima paupertate perfectionem evangelicam amplexando non solum in statu salvandorum sed etiam perfectorum existunt et per suae religionis observantiam, quae ipsius evangelicae perfectionis tenet formam, in aeternae retributionis praemio praecellentem gloriam promerentur.* Et libellum quorundam magistrorum asserentium, dictam paupertatem et vitam non esse paupertatem evangelicam et apostolicam, similiter damnaverunt per litteras apostolicas districtius inhibentes, ne quisquam praemissa vel aliquod praemissorum pertinaciter astruere vel quomodolibet defensare praesumat: statuentes, quod, quicunque id praesumpserit attentare, tanquam contumax et ecclesiae Romanae rebellis ab omnibus fidelibus habeatur, prout haec et plura alia circa haec in determinationibus et litteris apostolicis plenius continentur. Ex quibus liquide patet, quod praefatus dominus Nicolaus III in decretali, quae incipit: *Exiit qui seminat (cfr. huius op. t. III, p. 404)*, declarando, res, quibus dictae regulae professores utuntur et uti possunt, ad se et Romanam ecclesiam pertinere, rem non novam nec insolitam est aggressus, sed ab antiquo et pluribus Romanis pontificibus praedecessoribus suis, veritati et vitae evangelicae et apostolicae et sanctorum doctorum et patrum ipsius ecclesiae auctoritatibus et rationibus necessariis divinisque testimoniis, quae credibilia facta sunt nimis, firmiter inhaerentibus, provide et salubriter declaratam et diffinitam, nec per hoc aliquod novum ius statuit, sed quod erat detexit et in publicam notionem deduxit.

Nam de iure divino res omnes, quae afferuntur, dantur seu conceduntur pro animarum salute, pauperibus praesertim dominii non capacibus, utpote qui se et omnia sua ex eorum professione obtulerunt Deo in holocaustum medullatum per contemptum omnium mundanorum, Deo dantur et sunt oblatae et consecratae, ut habetur Levitic. cap. ult. circa finem. Ipsae quoque res sunt Dei et corporis mystici scilicet ecclesiae (XII, q. II, cap. *Qui Christi* et cap. *Nulli liceat* et cap. *Praedia* et cap. *Qui abstulerit*, et q. III, cap. *Pontifices;* et plene noviter per Innocentium et Hostiensem extra de causa possessionis et proprietatis cap. *Cum super electione*). Et ad hoc etiam facit, quod lex civilis dicit, res sacras et religiosas in nullius hominis fore dominio, sed Dei (institut. de rerum divisione § *In nullius*, in textu et glossa, et XXIV q. I cap. *Episcopus*), et sancta Romana et universalis ecclesia omnium fidelium est illud corpus mysticum Christi (VII q. I cap. *Novatianus*, et de consecratione dist. I, cap. *Ecclesia*, et habetur et notatur extra de sacra unctione cap. *Uno* ante medium in textu ibi), qui secundum apostolum *caput est Ecclesiae, quae est corpus ipsius;* et in glossa Hostien.: *cuius ecclesiae fidelium omnium de iure divino omnia sunt* (ut habetur XXIII, q. VII, cap. I et epist. prima ad Corinth. III cap. *Omnia vestra sunt*, et XXIII, q. VII, cap. *Quod autem*). Cuius etiam ecclesiae principatus est a iure divino, quia Christus totam suam ecclesiam commisit Petro et successoribus eius Romanis pontificibus per illud verbum Ioannis (cap. ult.): *Pasce oves meas* (et probatur XXI dist. cap. *Quamvis*, et XXII dist. cap. *Omnes*). Et tali communitati, quae emanat a iure divino (XXII, q. I, cap. *Dilectissimis*), non est licitum renunciare; communitati autem, quae emanat a iure humano, per quod unum collegium habet possessiones et dominia rerum et iura distincta a dominiis, possessionibus et iuribus aliorum collegiorum sive communitatum singularium (VII dist. cap. *Quo iure*), licite et meritorie renunciari potest propter Deum. Nam sicut una singularis persona potest a se meritorie et sancte omne dominium abdicare iuxta consilium Christi dicentis: *vade et vende omnia, quae habes, et da pauperibus* etc., sic et unum collegium religiosorum, quod vicem tenet unius personae (ff. de fideiussor. l. *Mortuo*, et in Esdra: *Congregatus est populus quasi vir unus*), potest licite et meritorie renunciare, quod non habeat aliquod distinctum dominium a communitate fidelium. Quam abdicationem proprietatis omnium rerum Christus et apostoli viam perfectionis ostendentes verbo docuerunt et exemplo firmaverunt, sicut sancta Romana ecclesia determinat et definit. Ex quibus manifeste patet, quod proprietas et dominium omnium rerum, quae propter Deum dantur, offeruntur seu conceduntur in speciali vel in communi fratribus Minoribus, qui ex eorum professione et regula a se in speciali et ab ipsorum collegio in communi proprietatem omnium rerum abdicarunt et in communitate sanctae Romanae ecclesiae remanserunt ac ex eorum professione et regula pedibus ipsius sanctae Romanae ecclesiae sunt subiecti et per ipsam sanctam

prietas reputatur inutilis, a qua perpetuo ususfructus abscedit. Nec potest ususfructus seu usus constitui in rebus, in quibus ipsis stantibus ususfructuario seu usuario nulla possit utilitas provenire. Patet, quod ad hoc, quod talis ususfructus vel usus in re aliqua constitui valeat, requiritur, quod ex re illa possit fructus vel utilitas alia salva ipsius rei substantia ad fructuarium vel usuarium provenire. Quod si nulla ad ipsos posset ex re ipsa utilitas salva rei substantia pervenire, quales res usu consumptibiles esse constat, nequaquam posset in rebus ipsis cuiquam ususfructus vel usus constitui vel a quoquam haberi. Adhuc nec ius utendi, quia nec est ius in re nec servitus personalis, sed mere ius personale, pro quo reales actiones non competunt, in rebus talibus vel rebus ipsis ius utendi potest constitui vel haberi, cum etiam ius tale exigat, quod ex re ipsa, quae ad utendum conceditur, tali modo ad usuarium provenire possit utilitas aliqua ac cum usu permanere usuarii, salva rerum substantia: quod nequaquam potest, sicut ad sensum percipi potest, in rebus usu consumptibilibus reperiri. Rursus nec simplex usus facti, quia nec est servitus nec pro illo competit ius utendi, in talibus rebus potest constitui vel haberi. Cum enim uti re aliqua nihil aliud sit proprie quam fructus rei seu utilitatem aliquam in solidum vel pro parte recipere, qui ex ea possunt salva rei substantia provenire, restat, quod re illa uti quis nequeat, ex qua (eius salva substantia) nulla potest sibi provenire utilitas, quales res usu consumptibiles esse constat. Ex quibus patet, quod nec usus, qui est servitus personalis, nec ius utendi, quod non est

---

Romanam ecclesiam in spirituales filios sunt recepti, quasi filii parvuli in potestate patris totaliter constituti, ipso facto et iure in dominium communitatis sanctae Romanae ecclesiae et universalis ecclesiae transfertur. Et sicut, quod datur monacho, qualiscunque sit dantis intentio, non transit in ipsius dominium, sed ipso iure et facto transit in monasterium et subiacet dispositioni abbatis, etiamsi dans nihil cogitet de collegio: sic, quicquid offertur, conceditur vel donatur fratribus dicti ordinis in singulari vel eorum ordini in communi, ipso iure et facto transit in dominium Romanae et universalis ecclesiae omnium fidelium, prout etiam praefatus dominus Gregorius X in supradicto suo rescripto apostolico protestatur. De quibus rebus summus pontifex tanquam universalis dispensator et administrator rerum omnium, quae Deo sive propter Deum sunt oblata, praecepto divino tenetur prout expedit ipsis pauperibus providere (LXXXVII dist. cap. *Desolatis*, et XII q. I, cap. *Videntes*). Unde, cum ea, quae a iure divino sunt, debeant semper firma atque immutabilia permanere (V dist. § *His ita respondetur*), non decet papam huiusmodi dominium a se et ecclesia quomodolibet abdicare (XII q. II, cap. *Non liceat papae*, et XXIII, q. IV, cap. *Si is, qui praelatus* cum similibus). Et sicut Christus (Ioan. VI) dicit: *Eum, qui venit ad me, non eiiciam foras*, sic et eius vicarium decet dicere: sanctum Franciscum et professores suae regulae, qui venerunt ad me et se et omnia sibi concessa vel concedenda meae et ecclesiae, cui praesum, potestati totaliter subiecerunt, non eiiciam foras. — Quae et alia plura praefatus dominus Nicolaus III provide et prudenter attendens, congregata multitudine magistrorum in sacra pagina et iuris utriusque praecellentium doctorum, qui tunc erant in Romana curia, et longa ac diligenti examinatione praehabita, dictorum praedecessorum vestigiis inhaerendo, signanter declarando (et non novum ius statuendo, sed quod erat detegendo) sic dicit *(l. c. p. 405 et 406)*: *Nos de pia ipsius confessoris intentione et his, quae regulam ipsam et eius observantiam contingunt, informati tam ea, quae per praedecessores nostros approbata et declarata esse noscuntur, quam ipsam regulam et eam contingentia maturitate plena discussimus, nonnulla in praesenti serie declaravimus, certius approbavimus et approbata confirmavimus*; et infra (l. c. p. 409): *Ad haec, cum fratres ipsi ...... sanximus.* Et alibi in eadem decretali dicit (l. c. p. 408): *Non autem talem abdicationem proprietatis omnimode renunciationem usus rerum cuiquam videatur inducere ...... quanto commutat temporalia pro aeternis.* Haec ibi.

Ex quibus declarationis praedictae verbis tria manifestissime concluduntur. Primum videlicet, quod Romanus pontifex praedicta dicendo non novum ius statuit, sed, quod erat veritatis et iuris, declarando detexit; cum enim dicat, quod illud, quod conceditur, offertur vel donatur fratribus propter Deum, in personam sedis apostolicae sive vicarii Christi, qui pater est omnium et fratrum Minorum nihilominus specialis, loco Dei transfertur, patet, quod haec translatio non fit in eum tanquam in hominem, sed in eum vice Dei, et per consequens, quod huiusmodi dominium rerum Dei est et ecclesiae eius Romanae universalis, et non hominis. Et cum dicat, quod, sicut filius patri et servus domino et monachus monasterio acquirunt, sic frater Minor ecclesiae sive Christi vicario acquirit; et cum de iure constet, quod illud, quod relinquitur filio familias, ipso facto in patrem, et quod servo, ipso facto in dominum, et quod monacho, ipso facto in monasterium transferatur: sequitur, quod illud, quod relinquitur fratribus Minoribus, ipso facto in dominium immediatum ecclesiae Romanae et vicarii Christi loco Dei transfertur, sicut et Gregorius X per longa tempora ante dictum dominum Nicolaum notabiliter dixerat in suo rescripto: *Quicquid obvenire ordini dignoscitur, ipso facto in nostrum et sanctae Romanae ecclesiae dominium transire perhibetur*, cuius rescripti verba sunt superius enarrata. Patet etiam ex eo, quod idem dominus Nicolaus in decretali *Exiit* approbat et confirmat ea, quae in praedictis fuerunt a suis praedecessoribus declarata; confirmatio autem est iuris prius habiti corroboratio; sic enim describitur extra de fide ministr. cap. *Inter dilectos* § *Ceterum*. Et qui confirmat, proprie nihil novum facit, sed, quod factum est, corroborat (ff. de iurisd. omn. iudic. l. *Et quia*). Imo de novo dare et confirmare sunt contraria (extra de praescript. cap. *Veniens* § *Nec obstante*); unde in idem subiectum cadere non possunt (extra de baptismo et eius effectu cap. *Maiores* § *Sed adhuc* ibi) tanquam impossibilia se minime patiuntur. Quod si in privilegiis vel constitutione invenitur: « damus et confirmamus », necesse est, quod diversa respiciant (ut in dicto cap. *Inter dilectos* § *Ceterum*), veluti quod dare referatur ad actum extrinsecum, quo res, quae est de iure alicuius, sibi datur de facto, et confirmare ad ius; sicut et electio, quae est irrita de iure, dicitur irritari per sententiam (extra de elect. cap. *Auditis* in fine), sicut in textu et glossa Hostien. ibi posita notatur vel exponitur: « damus, idest datum ostendimus » (XXIII q. V, § *Hinc notandum*). Quamvis enim, qui declarat, proprie non dicatur aliquid novi facere, sed « factum ostendere » (ff. de testamento cap. *Heredes*), palam tamen opinione et credulitate hominum et apparentia exteriori dicitur « facere »; unde Matth. XIV dicitur, quod, quando filia Herodis dixit: *da mihi in disco caput Ioannis Baptistae*, contristatus est rex; et paulo ante promiserat, quod volebat eum occidere, et occidisset, nisi populum timuisset; sed contristatum dixit, quia quantum ad exteriorem apparentiam et opinionem hominum visus est contristatus. Ad hoc etiam facit, quod secundum Augustinum regula valde frequens est in scripturis, quod dicitur aliquid incipere fieri, quando incipit innotescere, iuxta quod Matth. cap. ult. dicitur: *Data est mihi omnis*

servitus sed mere ius personale, nec actus ipse utendi sine iure aliquo possunt in rebus usu consumptibilibus constitui vel haberi, cum quodlibet praemissorum exigat, quod ex re ipsa salva rei substantia possit habenti ius utendi seu utenti ex re ipsa utilitas aliqua provenire: quod utique nequit in rebus usu consumptibilibus reperiri. - Nec obviat supradictis, quod ipse praedecessor noster in ordinatione praedicta etiam illarum rerum, quae ad sustentationem pertinent, sibi et Romanae ecclesiae dominium reservavit. Hoc enim de illis rebus dumtaxat debet intelligi, quae usu non sunt consumptibiles, sine quibus humana vita non est sustentabilis, quae utique non sunt paucae. – Licet autem in rebus usu consumptibilibus nec ius utendi nec ipsum uti possit constitui vel haberi, ipsis tamen poterit quis abuti. Abuti autem, dum tractatur de rebus usu consumptilibus, pro rei consumptione sumitur, quod ei opponitur, quod est uti. Uti siquidem praesupponit, quod cum usu salva rei substantia maneat; sed abuti exigit, quod cum actu huiusmodi rei substantia consumatur, cum abuti nihil aliud quam contra naturam usu uti in hac materia proprie possit dici. Licet autem quis re usibili absque iure utendi aliquo uti possit, ipsum tamen uti etiam in re tali absque iure utendi separato a dominio vel coniuncto nec ab aliquo potest constitui nec ab aliquo haberi. Et quod talis usus constitui nequeat, ex hoc patet, quia dare vel constituere, quod suum non est nec ad se pertinet, nemo potest, licet interdum dare valeat aliter quam sit suum. Actus autem ipse utendi ad ipsum utentem pertinet, in quantum quis suorum

---

potestas in coelo et in terra; et illud ad Philipp. cap. II: *propter quod et Deus exaltavit illum et donavit illi nomen, quod est super omne nomen.* Non enim tunc de novo dedit pater omnipotentiam filio et nomen deitatis, sed ita dictum est, quia tunc post resurrectionem suam incepit magis innotescere hominibus esse datam. Sic etiam est in multis aliis exemplis, in quibus illud, quod secundum apparentiam dicitur, quasi fit in re. Unde, qui de facto contraxit matrimonium, quod de iure non tenuit, dicitur uxorem accepisse, attenta hominum opinione et apparentia exteriori (extra de bigamis cap. *Nuper*). Quae opinio interdum veritati praefertur, ut ibi notatur. Sic e contrario illud, quod non apparebit hominibus, non dicitur esse, quamvis in veritate sit (ff. de contrahen. imp. l. *In lege*). Ex quibus in proposito concluditur, quod illud, quod in praedicta declaratione *Exiit* dicitur, videlicet: *ne talium rerum sub incerto videatur esse dominium, proprietatem in nos et in Romanam ecclesiam apostolica authoritate recipimus, quod etiam fel. rec. dominus Innocentius papa IV praedecessor noster fuisse dignoscitur*, refertur solum quoad illud, quod exterius in opinione hominum et credulitate eorum prima facie videbatur, scilicet quia dominium et proprietas non erat fratrum in speciali nec in communi: ergo sub incerto videbatur, quamvis in veritate non esset; unde et signanter dixit: *ne videatur*, quasi dicat, quod videtur hominibus ignaris divini iuris et dictae professionis et declarationum a nostris praedecessoribus editarum, *quod proprietas et dominium ipsarum rerum sit sub incerto, ideo illud in nos et Romanam ecclesiam recipimus*, quamvis in veritate sit ecclesiae Romanae, quod bene patet, cum dicit: *quod etiam fel. rec. Innocentius papa IV fecisse dignoscitur;* et postea subiungit: *Et ad nos et ipsam Romanam ecclesiam plene et libere pertinere sancimus.* Si enim iam erat a suo praedecessore receptum tale dominium, cur superflue iterum recipiebat, cum libertati semel praestitae secundum manumissionem nihil addere vel detrahere manifestissimum iuris sit (cap. *De vendicta libertate* et *Apud concilium*, manumissione l. 1), nisi, quia huiusmodi veritas uon innotescebat hominibus, voluit eam per solemnem decretalem in corpore iuris ponendam et in scholis legendam innotescere? Et sic, ut dictum est, recepisse dicitur, ex quo innotescere coepit, quamvis in veritate huiusmodi proprietas et dominium semper ad Romanam et universalem omnium fidelium ecclesiam pertineant, ut supra probatum est. — Secundo autem concluditur ex verbis tam ex mente memoratae declarationis dicti domini Nicolai et praedictorum aliorum summorum pontificum declarationibus quam ex iure et ratione, quod dicti fratres in speciali aut in communi non habent nec habere possunt ex eorum professione proprietatem seu dominium in aliquibus rebus, cuiuscunque conditionis existant, sive sint res, quae usu consumuntur, sive aliae res, quae non consumuntur usu, sed in omnibus rebus huiusmodi habent tantum simplicem usum facti; et quod dominium et proprietas etiam illarum rerum, quae usu consumuntur, quarum usum facti habent dicti fratres, quantumcunque etiam minimarum, acquiritur dictae Romanae ecclesiae et semper remanet et residet penes eam usque ad ipsarum consumptionem, et quod usus facti in talibus rebus, quae usu consumuntur, a proprietate et dominio separatur; et quod hoc dicere non repugnat iuri neque rationi, sed cum iure divino, naturali, canonico et civili ac ratione omnino concordat. Ex verbis et mente dictae declarationis domini Nicolai hoc patet, cum dicat expresse, quod omnium rerum necessariarum tam ad vitae sustentationem quam ad officiorum sui status executionem solum usus facti fratribus est concessus, et omnium utensilium ac omnium aliorum mobilium praesentium et futurorum, quorum usum facti fratres possunt habere, dominium et proprietas ad Romanam ecclesiam pertinet; et quod nulla potest esse professio, quae a se usum necessariae sustentationis excludat. Constat autem, quod res illae, quae comedendo, bibendo et induendo consumuntur, praecipue sunt de illis rebus, quae necessario pertinent ad vitae sustentationem et sine quibus corpus humanum sustentari sive ali non potest (ff. de alimentis et cibariis l. *Legatis* et l. ult.). Constat etiam hoc ex diversis passibus ipsius decretalis; nam declarans verba regulae, quae dicunt: *fratres nihil sibi approprient nec locum nec domum nec aliquam rem*, et probans, quod per praedicta verba fratres proprietatem omnium rerum tam in speciali quam etiam in communi abdicarunt, dicit: *Nec quisquam ex his surgat erronee, quod taliter propter Deum proprietatem omnium abdicantes tanquam homicidae sui vel tentatores Dei vivendi discrimini se committant* etc. Certum est autem, quod nullus homicidas eos vocasset, nisi quia earum rerum, quae ad vitae sustentationem pertinent et sine quibus corpus ali non potest, proprietatem abdicarunt, cum multi sint, qui non habent domum nec locum nec propter hoc homicidae sui esse dicuntur. Et de se ipso Christus dicit (Matth. VII): *filius hominis non habet, ubi caput suum reclinet.* Super quibus verbis glossa Hieronymi dicit: *quasi dicat, quid me vis propter divitias et saeculi lucra sequi, cum ita sim pauper, ut nec hospitiolum, quod meum sit, habeam et tecto utar alieno?* Haec ibi. Nec ob hoc aliquis sanae mentis dicet, Christum fuisse homicidam sui vel tentatorem Dei. Item certum est, quod in pluribus locis dicta decretalis faciens mentionem de rebus, quarum usum fratres habere possunt, semper implicat ea illa, quae spectant ad vitae eorum necessitatem sive sustentationem. Unde post praedicta verba: *Nec putet quisquam* etc. statim subdit: *Sic enim se ipsos committunt divinae providentiae in vivendo, ut viam non contemnant provisionis humanae, quin vel de his, quae offeruntur liberaliter, vel de his, quae mendicantur humiliter, vel quae conquiruntur per laboritium, sustententur, qui triplex vivendi modus*

actuum per liberum arbitrium et voluntatem dominus dicitur, cum per hoc illos non extendere valeat vel etiam exercere. Non autem actus ipse utendi ad eum pertinet, qui concedit alii, quod in re sua actum illum valeat exercere, quod utique nihil aliud est, quam quod actum suum ad rem concedentis vel rem concedentis ad actum suum utens valeat applicare; sicut qui equum suum alicui commodat, non actum equitandi concedit commodatario, sed quod actum illum in equo suo valeat exercere. Quod non est utique actum utendi simplicem concedere sine iure utendi, cum hoc concedere nihil aliud sit quam concedere ius utendi, quod quidem ius utendi separatum a proprietate sive dominio in rebus, quae usu consumuntur, nequit constitui, ut patet manifestius ex praedictis. Praeterea quod simplex usus, idest sine iure utendi a proprietate seu dominio separatus, etiam in re usibili haberi nequeat, sic probatur: Si enim haberi possit usus talis, aut ante actum ipsum aut in ipso actu aut post completum actum huiusmodi haberetur. Quod autem hoc fieri nequeat, ex hoc patet, quia, quod non est, nequaquam haberi potest. Patet autem, quod actus ipse, antequam exerceatur aut etiam dum exercetur aut postquam perfectum est, in rerum natura non est: ex quo sequitur, quod haberi minime potest. Licet enim ante actum ipsum quis facultatem habeat illum exercendi, per hoc tamen actus ipse in rerum natura nisi in potentia non existit. Cum autem actus est in fieri, nec adhuc, quod ipse actus in rerum natura sit, potest dici, licet de eo, quod sit in fieri, possit dici (cum esse rem per-

---

in regula providetur expresse; et infra: *Insuper nec utensilia nec alia, quorum usum ad necessitatem et officiorum suorum executionem licet habere (non enim omnium usum habere debent), ad ullam superfluitatem habere debent seu copiam, etc.* Constat autem, quod illa, quae a fratribus mendicantur, sunt ut plurimum panis, vinum et vestes, quae ad victum pertinent, quae usu consumuntur; constat etiam, quod omnes res, quibus fratres uti possunt, aut pertinent ad necessitatem vitae, ut sunt alimenta, aut ad officiorum suorum executionem. Ex quibus luce clarius patet, quod verba, mens et intentio dictae decretalis ad victualia se extendunt. Constat etiam, quod, si fratres possent sibi in speciali vel in communi acquirere res, quae usu consumuntur, inter quas res sunt non solum alimenta sed etiam pecunia, quae assidua permutatione quodammodo consumitur (ut dicitur Inst. de usufruct. § *Constituitur*), sequeretur, quod possent habere pecunias et res ad copiam in speciali et in communi; et sic verba praedictae declarationis, quae dicunt, quod non debent habere usum aliquarum rerum ad divitias et copiam, quae derogent paupertati, falsificarentur; et similiter verba regulae, quae dicunt: *fratres nihil sibi approprient nec domum nec locum nec aliquam rem,* et quod subditur: *vadant pro eleemosyna,* quod utique non competit divitibus et habentibus necessaria ad victum; et quod subditur: *haec est illa celsitudo altissimae paupertatis.* Quae tam singularis commendatio esset valde ridiculosa, si fratres possent res, quae usu consumuntur, sibi appropriare; frustra dictum esset in principio regulae: *Regula et vita fratrum haec est, scilicet domini nostri Iesu Christi sanctum evangelium observare, vivendo sine proprio etc.;* nec fratres imitarentur paupertatem Christi, de quo dicitur, quod cibo vescebatur alieno. Unde Hieronymus ad Nepotianum: « Turpe est ante fores ecclesiae domini crucifixi et pauperis, qui cibo vescebatur alieno, lictores consulum et milites excubare ». Per quae omnia manifeste apparet, quod regula et declaratio proprietatem omnium rerum tam illarum, quae non consumuntur usu, quam illarum, quae usu consumuntur, a fratribus omnibus in speciali et in communi penitus abdicavit. Patet etiam hoc ex praedictis aliis declarationibus aliorum Romanorum pontificum, de quibus supradictum est, cum in eis dicatur, quod omnium rerum tam mobilium quam immobilium, quarum usum fratres habent, proprietas ac dominium ad Romanam ecclesiam pertinet, et quod ordo fratrum Minorum rem et nomen proprietatis abiecit et, quidquid ei obvenire dignoscitur, ipso facto in Romanae ecclesiae dominium transit. Ex quibus patet, quod nullam rem mobilem, quae fratribus obveniret, a proprietate et dominio Romanae ecclesiae excluserunt, sed omnem incluserunt. Et qui omnia et quicquid dixit, nihil excipit (extra de maioritate et obedientia cap. *Solitae* et ff. de auro et argento l. *Plautius*), et ubi canon sive lex non distinguit, nec nos distinguere debemus (ff. de officio praesidis l. III in fine). Ex iure etiam naturali et divino constat, quod in omnibus rebus, sive sint de illis, quae non consumuntur usu, sive de his, quae consumuntur, usus rerum ipsarum non habet dominium sive proprietatem rerum annexum sive annexam, quia de iure naturali et divino omnia, quae spectant ad usum hominum, sic sunt communia omnibus hominibus (ex institut. de rerum divisione § I); hoc enim ius naturale coepit ab exordio naturalis creaturae (V di. in princ.), quod ex isto iure non potest aliquis dicere: « hoc meum, hoc tuum »; haec enim divisio sive distinctio, per quam factum est, ut homines dicant: « hoc meum, hoc tuum », solum a iure humano ex iniquitate et cupiditate gentium processit. De iure enim naturali et divino communis usus omnium, quae sunt in hoc mundo, omnibus hominibus debuit esse et est. Tolle iura imperatorum, nemo de aliqua re dicere potest: « haec mea est, haec tua », ut haec manifeste probantur in saepe allegatis cap. VIII dist. *Quo iure*, et XII q. I cap. *Dilectissimis.* Et Ambrosius primo libro de officiis dicit sic: « Natura enim omnia omnibus in commune profudit; sic enim Deus iussit generari omnia, ut pastus omnibus communis esset et terra foret omnium quaedam communis possessio. Natura igitur ius commune generavit, usurpatio ius privatum fecit. » Haec Ambrosius. Cum igitur usus facti rerum spectantium ad esse naturae conservandum de iure sit naturali et divino et ab exordio coeperit rationalis creaturae (V di. in prin. et XXXVI di. cap. *Ipso die*) et de iure naturali et divino non fuerint distincta dominia: sequitur, quod de ipso iure naturali et divino usus rerum, quae usu consumuntur, nullo modo habet annexum « meum et tuum ». Praeterea constat, quod proprietas et dominium decimarum et rerum Deo et ecclesiae oblatarum est Dei et corporis eius mystici, scilicet ecclesiae; unde per Moysem ait Dominus (Levitic. cap. ult.): *Omnes decimae Domini sunt, et illi sanctificantur;* qui per eundem de perfectione levitarum loquens (Numeror. cap. XVIII) dicit: *Nihil aliud possidebunt decimarum oblatione contenti, quas in usus eorum et necessaria separavi:* in usus, inquit, non in proprietatem et dominium. Hinc etiam et papa Innocentius de rebus ecclesiasticis loquens sic ait: « ecclesiae, cuius est ius retentionis, sit aeternum dominium » (ut legitur XVI q. III cap. *Inter memoratos* et extra de decimis cap. *Tua nobis,* ubi loquens de decimis dicit: « quas Dominus in signum universalis dominii sibi reddi praecepit, suas esse primitias et decimas asseverans »); et glossa super eodem cap. super verbo « tributa » dicit: « Ecclesia dicitur habere dominium decimarum, et in hoc consistit privilegium ecclesiae, ut re nondum tradita ipsa sit domina » (cap. de sacrosanctis ecclesiis l. *Ut inter divinum*). Et Innocentius et Hostiensis de causa possess. et propriet. cap. *Cum super electione* in apparatibus suis super verbo « restituendum » dicunt sic: « Hic est notandum, quod non praelatus sed Christus habet dominium et possessionem rerum ecclesiae: unde, quaecunque homines offerunt ecclesiis, dicuntur esse

fectam significat, quod quamdiu est in fieri, non potest actui convenire); quod enim de actu, qui est in fieri, praeteriit vel futurum est, iam non in rerum natura sed in memoria vel apprehensione tantum est, quare, nisi prout in memoria vel apprehensione est, haberi nequaquam potest. Quod autem in praesenti fit, momentaneum seu instantaneum est, quod utique magis intellectu quam sensu percipi potest; unde nec haberi pro tunc nisi pro momento illo seu instanti, in quo fit, potest dici. Adhuc post completum actum, licet, si ex ipso facto producta res aliqua fuerit, res ipsa facta haberi valeat, factum tamen ipsum, quod iam transiit, nisi in memoria, ut supradictum est, non habetur.

Praeterea, si simplex usus absque iure utendi haberi posset ab aliquo, constat, quod non iustus esset actus utendi huiusmodi reputandus, cum ille usus fuerit, cui non competebat ius utendi. Talis autem usus non iustus ad perfectionis statum nequaquam pertinet nec perfectioni aliquid adiicit, sed sibi repugnare potius ac detrahere noscitur manifeste. Quod autem usum iniustum conditor canonis fratribus intellexerit reservare, nequaquam debet aliquis sapiens aestimare; imo quod de iusto intellexerit, ex eo patet evidentius apparere, quod in eadem ordinatione curavit adiicere, quod illarum rerum dumtaxat in se et Romanam ecclesiam recipiebat dominium, quarum usum facti licet habere fratribus seu ordini antedictis: subiungens nihilominus, quod non omnium rerum usum debeant habere fratres ipsi. Quantum enim ad usum facti absque omni iure utendi simplicem attinet,

---

oblata Deo (XII q. I cap. *Res*, et cap. *Videntes*, et q. II cap. *Non liceat*, et cap. *Praedia*, et cap. *Qui abstulerit*), vel Ecclesia i. e. congregatio fidelium, quae est corpus Christi capitis (extra de sacra unctione cap I ante medium), habet proprietatem et possessionem earum (XII q. III cap. *Pontifices*). Etsi aliquando in iure inveniatur, quod haec bona Deo oblata sint episcoporum vel praelatorum vel capitulorum, dic ea esse eorum quoad administrationem et gubernationem et dicuntur esse pauperum quoad administrationem, unde proprie loquendo praelati dicuntur procuratores et non domini (extra de donat. cap. II); ideo nullus dicat patrimonium proprium, quod est ecclesiae, idest pro communi utilitate datum. Haec tamen bona propter communem utilitatem divisa sunt per ecclesias diversorum locorum auctoritate summorum pontificum, et ecclesiae sunt limitatae; et episcopis et aliis praelatis concessa est administratio eorumdem, ut uniuscuiusque necessitas relevetur (XII q. I cap. *Videntes* et cap. *Ex his* et cap. *Episcopus* et cap. *Praecipimus*) ». Haec Innocentius et Hostiensis. Unde patet, quod dominium decimarum et aliarum rerum, quae Deo oblatae sunt, cuiuscunque conditionis existant, sive sint res, quae usu consumuntur (ut sunt decimae bladi, vini et olei et similium rerum, quae usu consumuntur), sive sint aliae res, semper residet penes Christum sive corpus eius, quod est ecclesia universalis fidelium; et usus sive ususfructus et administratio earum est ministrorum ecclesiae. Ac per consequens sequitur, quod usus et ususfructus rerum, etiam quae consumuntur usu, a proprietate et dominio separatur. De iure autem civili et canonico patet, quod etiam in hiis rebus, quae usu consumuntur, usus a proprietate et dominio separatur: puta in servo, filio familias et religioso, qui in rebus omnibus, quae usu consumuntur, habent simplicem facti usum, et tamen nec ad momentum habent proprietatem et dominium ipsarum rerum. In servo enim patet. Ipse enim servus, qui in alterius potestate est, nihil proprium habere potest (Instit., per quas personas nobis acquiritur § *Item nobis*); unde nec vestimenti sibi a domino traditi nec alterius rei peculiaris habet dominium nec possessionem (ff. de peculio l. *Id vestimentum*), sed proprietas et possessio residet semper penes dominum (ff. de acquirenda possessione l. I § *Item acquirimus*, et l. *Quod servus*); et si cibaria servis legentur, procul dubio domino est legatum et non servo (ut dicitur ff. de conditionibus et de modis l. *Filio famil.* in fine). Item patet in filio familias, quia in omnibus, quae habet ex peculio profectitio, sive sint cibaria sive vestes aut pecunia vel alia, quae usu consumuntur, solum habet usum facti, et proprietas sive dominium ipsarum rerum residet penes patrem (ff. de acquirendis possessionibus l. *Quicquid* et l. prima § *Item acquirimus*, ff. de regulis iuris l. *Filius familias* et in dicta l. *Filio* cum similibus). Item patet etiam in monachis et aliis religiosis, quorum regulae ita est annexa abdicatio proprietatis, ut contra eam nec summus pontifex possit licentiam indulgere (Extra de stat. monac. cap. *Cum ad monasterium* in fine). Manifestissimum est, quod in omnibus rebus, sive sint de illis, quae usu consumuntur, sive de aliis, sic habent simplicem facti usum, quod nec ad momentum habent nec habere possunt dominium seu proprietatem in illis; unde nec vestes, quas deferunt, suae dicuntur quoad proprietatem vel dominium aut veram possessionem (ut legitur et probatur XII q. I cap. *Non dicatis* in textu et glossa or. et XVII q. I cap. *Monacho*, et Extra de statu monachorum cap. *Monachi* § *Qui vero* et cap. *Super quadam* cum similibus); imo non tantum dominium sed nec usumfructum in rebus aliquibus monachi sive religiosi huiusmodi in speciali habere possunt (ut legitur et notatur XIX q. ultima cap. *Ei* § *Si qua mulier* in glossa or.). Dominium igitur omnium rerum, quibus utuntur monachi et alii religiosi, qui habent et habere possunt proprium in communi, semper est monasterii sive communitatis illius religionis, et simplex usus facti etiam in his, quae usu consumuntur, est ipsius monachi sive religiosi. Et per consequens usus earum rerum a proprietate et dominio separatur. Et quemadmodum regulae monachali essentiale esse dignoscitur, ut nulla privata persona possit alicuius rei proprietatem sive dominium adipisci, sic essentiale est regulae et ordini beati Francisci, quod nec singuli de ipso ordine nec ipse ordo in communi, qui vicem unius personae obtinet, ut est dictum, possunt habere aliquid proprium; nec est eis aliquid magis improprium, quam aliquid habere proprium in speciali vel in communi. Et quemadmodum monachus vel alius religiosus utitur vestibus, calceamentis et cibis ac ceteris, quae usu consumuntur, ita quod nihil sibi appropriat quo ad privatum dominium, nec per talem usum efficitur proprietarius, quia proprietas usque ad consumptionem semper remanet penes collegium: sic et fratres Minores utuntur huiusmodi rebus, quae usu consumuntur et aliis, quorum usus est eis concessus, ita quod nihil in speciali nec eorum religioni in communi sibi appropriant, sed dominium et proprietas semper residet penes universalem ecclesiam, cuius est administrator Romanus pontifex et rector. Et quod aliis religiosis est tota congregatio sive communitas suae religionis et eorum abbas, hoc fratribus Minoribus est tota congregatio fidelium, quae dicitur ecclesia Romana, et summus pontifex est caput ipsius ecclesiae. Et sicut, quod datur monacho, qualiscunque sit res vel dantis intentio, non transit in ipsius dominium, sed totius collegii, et subiacet dispositioni abbatis, etiamsi dans nihil cogitet de collegio: sic, quicquid datur absolute vel offertur fratribus Minoribus in speciali vel alicui conventui vel toti ordini in communi, transit ipso facto in dominium et proprietatem ecclesiae Romanae et subiacet dispositioni Romani pontificis, cuiuscunque conditionis sit ipsa res, quae offertur vel datur, et qualiscunque sit dantis intentio. Praeterea nulla lege cautum reperitur, quod usus simplex facti etiam in his rebus, quae usu consumuntur, non possit

nulla rerum quo ad fratres differentia est censenda. Sic enim de facto uti possunt prohibitis ut concessis. Quare praemissarum rerum distinctio ad illum usum facti est potius referenda, pro quo competat ipsis fratribus ius utendi; quarundam enim usus rerum fratribus ipsis noscitur prohibitus et quarumdam permissus. Ex quo sequitur, quod usus facti, de quo loquitur dicta ordinatio, de tali intelligi debeat, qui iustus sit, idest pro quo competat ius utendi; et hoc conditor ipse canonis exprimit evidenter, cum in eadem ordinatione adiecerit, quod moderatus usus in praemissis rebus ipsis fratribus est concessus. Praeterea, si in rebus usu consumptibilibus posset usus constitui vel haberi, nequaquam simplex nec a rei substantia, proprietate seu dominio separatus usus huiusmodi posset dici, cum per talem usum idest utendi actum ac in ipso actu et cum ipso actu res consumatur huiusmodi ac in ipsius rei exerceatur substantia nec sine rei consumptione ipsius esse valeat talis usus. Ex quo patet, quod talis usus nec simplex nec separatus a dominio potest dici.

Rursus nedum fratribus ipsis ordinatio praedicta non profuit, sed etiam occasionaliter honori sacrosanctae Romanae ecclesiae non leviter detrahit et detraxit. Nunquid non praefatae ecclesiae derogatur honori, si ipsam oporteat nunc in foro ecclesiastico nunc in saeculari, interdum quoque coram pedaneis iudicibus, et plerumque pro rebus parvis et vilibus continue litigare? Hoc autem notum est fieri, cum occasione intentionis dicti dominii omnes causae occurrentes agendo vel de-

---

a dominio separari. Nec obstat lex *Sivini* (ff. de usufructu earum rerum, quae usu consumuntur, cum similibus), quia non loquuntur in usu facti simplicis, qui usus nihil habet proprii iuris annexum, sed loquuntur in usufructu, qui est ius utendi et fruendi rebus alienis salva rerum substantia (ff. de usufruct. l. I); et alibi dicitur, quod ususfructus est quoddam incorporale (Instit. de rebus incorporalibus), unde illae res, quae usu consumuntur proprie, non recipiunt usumfructum (ff. de usufructu earum rerum, quae usu consumuntur, l. I et II, et instit. de usufructu § *Constituitur*). Et ideo improprie dicitur, quod ususfructus talium rerum annexus sit dominio, quia in talibus rebus ususfructus proprie non consistit; et ususfructus, qui non est, separari vel uniri non potest (ff. de usufructu legato l. *Sempronius Atallus*) nec desinere potest ususfructus, qui nunquam coepit (ff. de conditionibus et ceremoniis l. *Titio ususfructus*). Et quamvis in talibus rebus ususfructus proprie non consistat, utilitatis tamen causa ex benigna interpretatione lex statuit, quod ususfructus etiam in vilibus rebus constitui possit (ut in dicto § *Constituitur* et in dicta l. I et II de usufructu earum rerum, quae usu consumuntur): unde cautio praestanda est ab illo, cui in talibus rebus, quae usu consumuntur, relinquitur ususfructus, ut, quicunque per mortem vel capitis diminutionem extinguitur ususfructus, eiusdem qualitatis et quantitatis res restituantur aut aestimatis rebus certae pecuniae (nomine cavendum est, quod commodius est, ut dicitur in dicta lege *Sivini*); quae cautio et actio oriens ex ea succedit loco rei et habens eam ipsam rem habere censetur (ff. de soluti. l. *Qui sic solvit* et ff. de regulis iuris l. *Qui actionem*). Unde non bene dicitur, quod ususfructus etiam in talibus rebus non separetur a dominio, sive sumatur ususfructus in propria significatione, quia secundum haec in talibus non consistit ususfructus, sive sumatur improprie pro quasi-usufructu, quia eadem benigna interpretatione, qua statuitur in lege, quod in talibus possit constitui separatio, intelligitur fieri, dum praestatur cautio de re restituenda, quae cautio sive actio ex ea competens succedit loco rei, ut est dictum. Ex quibus concluditur, quod secundum omnia iura, etiam in his rebus, quae usu consumuntur, usus simplex facti a proprietate et dominio separatur. Unde dicta decretalis *Exiit* hoc attendens signanter dixit, quod est considerare in rebus proprietatem, possessionem, usumfructum, ius utendi et simplicem facti usum, inter illa assignans differentiam. Confirmantur etiam praedicta, quia, concesso quod usus facti non separetur a dominio, sequeretur, quod Christus et apostoli et omnes sancti religiosi fuissent proprietarii in speciali, quia, cum usus facti in veste, cibo, potu et aliis, quae usu consumuntur, spectet solum ad singulares personas et eis competat, si non separaretur a dominio, sicut Christus et apostoli et ceteri religiosi in singulari habuerunt usum talium rerum, sic per consequens habuerunt in eis proprietatem et dominium. Sequeretur etiam, quod Christus et apostoli et ceteri omnes religiosi, qui hactenus fuerunt, habuissent in singulari dominia, proprietates et possessiones pecuniarum. Nam cum pecunia inter illas res, quae usu consumuntur, computetur (Instit. de usufructu § *Constituitur*) et (Ioan. 8 c.) dicatur, quod discipuli Christi abierunt in civitatem, ut cibos emerent, per quod videtur, quod pecuniam habuerunt ad emendum cibos, sequeretur, quod Christus et apostoli habuissent proprietatem et dominium et possessionem illius pecuniae, et quod ceteri religiosi, qui potuerunt et possunt habere licite usum pecuniae, fuissent in singulari proprietarii pecuniarum, quibus usi sunt, quod dicere esset contra evangelicam necessitatem: *Nolite possidere aurum nec argentum nec pecuniam*, et contra illud, quod tenuit et docuit universalis ecclesia catholica. — Tertio concluditur ex verbis dictae declarationis secundum omnimodam veritatem, quod dicta expropriatio omnium rerum tam in speciali quam in communi et retentio dominii apud ecclesiam multum profuit et prodest dictis fratribus quantum ad statum perfectionis, et quod dominium ipsarum rerum penes ecclesiam non fuit nec est inutile, nudum vel verbale seu mathematicum, sed multum utile, efficax et reale. Ipsis quidem fratribus quantum ad statum perfectionis profuit, quia, ut dicit saepedicta decretalis *Exiit*, Christi et apostolorum perfectionem in huiusmodi abdicatione rerum omnium tam in speciali quam in communi sequuntur, quam abdicationem Christus et apostoli viam perfectionis ostendentes verbo docuerunt et exemplo firmarunt et in volentes perfecte vivere derivarunt. Et etiam esse dicit meritoriam et sanctam, imo in sua definitione dominus Alexander papa IV dicit: *per hoc ipsi fratres in aeternae retributionis praemio praecellentem gloriam promerentur*. Quod etiam patet ex eo, quod abdicare proprietatem, dominium et ius in omnibus rebus tam in speciali quam in communi amputat omnem facultatem et potestatem litigandi in iudicio pro rebus temporalibus. Unde cum non litigare et amputare materiam litigandi sit perfectionis (consulente Christo: *qui vult tecum in iudicio contendere et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium*), quia huiusmodi lites ad peccatum inclinant et sunt de negotiis, de quibus dicit Gregorius, quod vix aut nunquam sine peccato exerceri valent, iusta illud: *iam quidem omnino peccatum est in vobis, quod lites habetis*, idest, ad peccatum implicat, licet non sit de se peccatum. Ad ea vero, quae implicant ad peccatum, necesse est, ut post conversionem animus non recurrat. Et ideo perfectionis est, a se litigiorum materiam abdicare. Et sicut abdicatio omnis iuris in rebus (retento tamen simplici usu facti) est perfectionis in singulari persona, sic et in collegio, quod obtinet vicem unius personae, prout dictum est, ad perfectionem pertinet, a se omnem proprietatem et dominium et usum iuris (retento usu facti simplici) abdicare. Quod etiam confirmatur per rationem, quia, quanto magis acceditur ad unum oppositorum, tanto magis re-

fendendo pro bonis huiusmodi nomine Romanae ecclesiae, virtute cuiusdam privilegii a fel. rec. Martino papa IV praedecessore nostro concessi, super hoc agitentur. Et quod gravius est censendum, procuratores causarum huiusmodi multos vexare dicuntur indebite, licet potestas attributa talibus procuratoribus per privilegium antedictum quoad administrationem bonorum praemissorum dudum servata non fuerit nec servetur. Quae omnia in notam et iniuriam sanctae Romanae ecclesiae non est dubium redundare. Adhuc ordinatio praedicta ecclesiarum praelatis et rectoribus gravius existere nimium et molesta monstratur. Nunquid non grave praemissis potest existere, quod ipsos oporteat se opponere sanctae Romanae ecclesiae, quae ipsorum caput noscitur et magistra, ac cum ea agendo vel defendendo litigare assidue vel cedere iuri suo? Hoc tamen oportet illos facere, cum in multis dicti fratres praedictis existere dicantur iniurii, sicut multorum praelatorum et rectorum multarum provinciarum adhuc in Curia existentium habet insinuatio, qui quidem fratres facta sua per procuratores nituntur defendere antedictos.

Nos itaque, qui veritatem tenemur colere, velut ille, qui illius, qui veritas noscitur, licet immeriti vicem tenemus in terris, illa volentes in sancta Dei ecclesia, non quae verbo tantum obtinent, sed quae re potius, observari, praemissis in scrutinio rectae considerationis adductis ac deliberatione cum fratribus nostris et multis aliis praehabita diligenti, dignum arbitrantes et congruum, professores dicti ordinis non verbis tantum, non simulatis actibus,

---

ceditur ab altero; unde, quanto plus crescit amor mundi, tanto plus decrescit amor Dei secundum illud Gregorii: *Tanto a superno amore disiungimur, quanto inferioribus delectamur.* Sed per habere proprietatem et dominium rerum in communi magis adhaeretur mundo et per non habere magis receditur, et per consequens per non habere in communi dominium et usu facti simplici contentari amor Dei magis accenditur et nutritur. Praeterea perfectionis est, non providere in futurum, sed omnem suam sollicitudinem proiicere in Deum. Unde et frater Petrus de Tarantasia magister in sacra pagina, qui fuit Innocentius papa V, in postilla super illud [epist.] 2 ad Corinthios cap. VIII ponens tres gradus perfectionis et paupertatis, dicit altissimam eorum, qui nihil habent in proprio vel in communi. Et idem dicit magister Henricus de Gandavo et plures alii. Quod autem dictum dominium ecclesiae fuerit et sit utile, efficax et reale, patet ex verbis dictae decretalis *Exiit*, cum dicit: *Retentio namque dominii talium rerum cum concessione usus facti facta fratribus pauperibus non est infructuosa domino, cum sit meritoria ad aeterna et professioni pauperum opportuna, quae tanto censetur utilior, quanto commutat temporalia pro aeternis.* Haec ibi (*l. c. p. 408*). Quod etiam confirmatur ex eo, quod, cum sancta Romana et universalis ecclesia de perfectione sua habeat, ut contineat perfectos et imperfectos, et sit mater omnium fidelium, cui in persona Petri, cum curam sibi commisit [Dominus], dictum est: *Pasce oves meas* (quod est, ut dicit ibi glossa, credentes, ne in fide deficiant, confortare et terrena subsidia eis cum expedit providere, adversariis fidei resistere ac virtutum exempla praebere), et dominia, proprietates et possessiones rerum sine aliqua sui imperfectione habeat (XII q. I cap. *Expedit*), ut filiis suis provideat (in eadem causa, q. I cap. *Videntes* et q. II cap. *Aurum habet*), et ordo fratrum Minorum, velut filius in potestate patris est totaliter constitutus, sit obedientiae et curae Romanae ecclesiae ex suae regulae professione commissus et per ipsam ecclesiam in specialem filium adoptatus: sequitur, quod dominium, quod ecclesia habet et retinet in omnibus rebus, quibus dicti fratres uti possunt, ut ipsi filii sui licite uti possint ipsis rebus, non est nudum, verbale seu mathematicum, sed multum utile, efficax et reale, cum sit meritorium ad aeterna et saluti filiorum ipsius multum opportunum. Et sicut ad utilitatem et profectum patris familias pertinere censetur dominium, quod habet in rebus peculii profecticii, quibus filius utitur, sic multo magis ad utilitatem matris ecclesiae et patris spiritualis (summi videlicet pontificis, cui cura dictorum pauperum specialiter est concessa) pertinet, ipsis suis filiis per retentionem huiusmodi dominii providere. Praeterea, si susceptio dominii praedicti fuit inutilis, verbalis, mathematica et perniciosa, sequeretur, quod abdicatio et per consequens translatio huiusmodi dominii in ecclesiam ipso facto facta, ut superius probatum est, fuisset inutilis, verbalis, mathematica et perniciosa, et sic universalis ecclesia, quae approbavit pluries et frequenter huiusmodi abdicationem et receptionem dominii tanquam sanctam et meritoriam et a Christo et ab apostolis verbo doctam et exemplo firmatam, a tramite traditionis evangelicae vitae et apostolicae deviasset et errasset in fide, regulam et vitam veritati apostolicae traditionis adversam confirmando et in moribus figmenta et inutilia pro veris et utilibus suis filiis ad observandum tradendo: quod esse non potest, cum universalis ecclesia in hiis errare non possit (XXIV, q. 1, cap. *Haec est fides*, et cap. *A recta*, et cap. *Pudenda* circa finem). Unde, quod ipsa Romana ecclesia semel pro sano dogmate in fide vel moribus comprobavit, semper teneri debet acceptum (XIX di. cap. *Si Romanorum*) nec unquam debet novis retractionibus mutilari (XXIV, q. 1, cap. *Maiores*). Et nihil est, quod ita nequeat occasui subiacere, quam fides et vera religio; nam cum auctorem vitae vel luminis utraque respiciant recte, et tenebras respuunt et nesciunt defectui subiacere (ut haec dicuntur cap. de summa trinit. et fide cath. *Inter claras*); et, sicut non licet contradicere scripturae sacrae, sic nec auctoritati sanctae Romanae ecclesiae, cui ipsius sacrae scripturae auctoritas innititur (dicente Augustino contra epistolam Fundamenti: *Ego evangelio non crederem, nisi me ad hoc catholicae ecclesiae auctoritas commoveret*); et, sicut non est fas dicere, quod in sacra scriptura falsum aliquod aut erroneum reperiatur, alioquin totius sacrae scripturae auctoritas vacillaret (IX di. cap. *Si ad scripturas*), sic non est licitum dicere vel sentire, quod semel sancta Romana ecclesia praecipue in his, quae tangunt vitam et regulam evangelii, pro sano dogmate comprobavit, fore falsum vel figmentum, quia pari modo tota ecclesiae auctoritas vacillaret. Quod autem non semel, sed pluries et frequenter Romana ecclesia praedicta approbavit, non solum ex praedictis superioribus declarationibus Romanorum pontificum et sacri Lugdunensis concilii demonstratur, sed etiam ex eo, quod bo. me. dominus Bonifatius papa VIII dictam decretalem *Exiit* in libro sexto [decretalium] fecit inseri, qui liber est ab universali ecclesia receptus, et ex eo, quod postmodum coram fel. rec. domino Clemente papa V mota quaestione adversus dictam vitam et regulam et dictae ecclesiae determinationem ab aemulis dictae vitae et regulae exterius dicentibus, dictam vitam et regulam non esse vitam Christi et apostolorum et dictam determinationem ecclesiae in dicta decretali *Exiit* super hoc factam contradicere sacrae scripturae evangelicae et apostolicae, qui etiam ad hoc probandum allegationes, quae incipiunt: *Ad honorem sanctae et individuae trinitatis*, eidem domino Clementi papae in Viennensi concilio tradiderunt, et pseudofratribus dicentibus interius, quod dicti ordinis communitas suum statum et regulam non servabat, et dictis quaestionibus in Viennensi concilio cum exacta diligentia pertractatis, idem dominus papa sacro approbante concilio quaestiones huiusmodi determinavit et

sed operibus claris virtute suffultis perfectioris status ac altioris paupertatis sibi praerogativam prae aliis Mendicantibus vendicare: ac nihilominus honori sacrosanctae Romanae ecclesiae, cuius obnubilari possit gloria, si tam perversae simulationi, quae profecto et ipsis simulantibus officit et aliis scandali materiam subministrat, dissimulando illis occurrere consentiret; ac insuper volentes indemnitati praelatorum ecclesiarum salubriter super [praemissis] providere; nolentesque in posterum sub praetextu seu pallio talis dominii temporalis verbalis, nudi et aenigmatici tanta bona, quanta dicti fratres faciunt, inficere ac fomentum tantis malis, quanta procedunt ex simulatione huiusmodi, ministrare: de fratrum nostrorum consilio hoc edicto in perpetuum valituro sancimus, quod in bonis, quae in posterum conferentur vel offerentur aut alias quomodolibet obvenire continget fratribus seu ordini supradictis (exceptis ecclesiis, oratoriis, officinis et habitationibus ac vasis, libris et vestimentis divinis officiis dedicatis vel dedicandis, quae ad ipsos obvenirent in futurum, ad quae se non extendunt adeo inconvenientia supradicta, propter quod constitutionem ipsam ad illa extendi nolumus), nullum ius seu dominium aliquod occasione ordinationis praedictae seu cuiuslibet alterius a quocumque praedecessorum nostrorum super hoc specialiter editae sanctae Romanae ecclesiae acquiratur, sed quoad haec habeantur prorsus ordinationes huiusmodi pro non factis. Per hoc autem in his, quae absque dictis ordinationibus in bonis praedictis ad dictam ecclesiam pervenire vel pertinere

---

de ipsa determinatione fecit fieri decretalem solemnem, quae incipit *Exivi de Paradiso*, quam determinationem vestra sanctitas postmodum approbavit et eam in 7° libro interseri mandavit et fecit. In qua decretali dicta abdicatio proprietatis et dominii omnium rerum in speciali et in communi, quam fratres praedicti ordinis profitentur, tanquam forma et regula caelestis et tanquam salutaris doctrina et toti universali ecclesiae plurimum fructuosa ac declaratio praefati domini Nicolai super hoc facta et dicti dominii per ecclesiam facta receptio approbatur et tanquam abdicatio ad perfectionem deducens et altissima ac solo Deo contenta multipliciter commendatur ac pronunciatur, dictam religionem sanctam et muris regularis observantiae firmiter undique circumclusam; ac etiam novissime super huiusmodi declarationibus ecclesiae *Exiit qui seminat* et *Exivi de Paradiso* et super intellectu observantiae dictae regulae fratrum Minorum orta coram sanctitate vestra materia quaestionis, post multam ac longam examinationem et deliberationem praehabitam de consilio sacri collegii dominorum cardinalium pronunciastis, declarationes dominorum Nicolai III et Clementis V salubriter editas, solidas quidem, claras et lucidas multaque maturitate digestas et dictam religionem sanctam et de die in diem de virtute in virtutem ad perfectionem tendere, terrena despiciendo et caelestia complectendo (prout in constitutione seu declaratione super hoc facta, quae incipit: *Quorundam exigit*, plenius continetur), ac etiam pronunciastis, dictum ordinem fratrum Minorum ab ipso suae fundationis exordio dicti almi confessoris Christi beati Francisci regulari traditione et apostolicae sedis confirmatione fore in vita et doctrina Christi et ecclesiae ipsius indissolubili quadam textura connexum, fide clarum, spe validum, caritate perfusum, humilitate placidum, obeditione devotum, velut singulare iubar claritatis et sanctitatis exemplo vitae ac doctrinae verbo per universum orbem claruisse et ecclesiastico decori multum utilitatis et inclytae alacritatis plurimum invexisse, et quosdam pseudofratres, in dictas declarationes dictorum dominorum Nicolai III et Clementis V impingentes et statum et observantiam regularem communitatis dicti ordinis depravantes ac eidem communitati multipliciter detrahentes, et eorum assertiones damnastis et improbastis (prout in tribus litteris vestris super his confectis, quarum una incipit: *Gloriosam*, alia: *Super omnia desiderabilia cordis nostri*, reliqua: *Sancta Romana ac universalis ecclesia* [*cfr. supra nn. 302, 293, 297*], haec et alia serosius explicantur).

Et quod ad meam praefati fratris Bonagratiae dicto nomine notitiam noviter est deductum, quod nonnulli dicti ordinis aemuli, de dicta praeclarissima et saluberrima veritate per praedecessores vestros et vos determinata aliter sentientes, tacita veritate superius enarrata sanctitati vestrae infrascripta minus veraciter suggesserunt: Primo videlicet, quod fratres ordinis saepedicti post dictam retentionem dicti dominii per dictum dominum Nicolaum III praedecessorem vestrum factam non minus, sed satis amplius quam ante ipsam in acquirendis bonis temporalibus ac conservandis tam in iudicio quam extra fuerunt solliciti, cum tamen sanctitas vestra, ut superius est expressum, novissime pronunciaverit, dictum ordinem muris regularis observantiae undique circumclusum, charitate perfusum, obeditione devotum, velut singulare iubar sanctitatis exemplo vitae ac doctrinae verbo per universum orbem claruisse et ecclesiastico decori plurimum utilitatis invexisse, et in eisdem virtutibus permanere ac ad perfectionem tendere et de die in diem in altius ascendere terrena despiciendo et caelestia complectendo, prout in vestris determinationibus, de quibus superius est habita mentio, plenissime continetur: quamobrem, si aemulorum dicti ordinis suggestio ad dictum ordinem referatur, constat eam, salva dicentium reverentia et honore, nulla veritate fulciri, prout vestrae praefatae determinationes et definitiones vere et salubriter editae cunctis recte considerantibus evidentius manifestant; si vero eorum suggestio ad aliquos fratres dicti ordinis, quos dicunt in praedictis culpabiles, referuntur, non debent huiusmodi eorum eloquia in praeiudicium status dicti ordinis aut infamiam et confusionem bonorum et electorum fratrum ordinis saepedicti converti, cum teste Augustino in omni religione sunt boni et mali et semper militent vitiosi cum virtuosis, nec movere debent aliquem convicia seu peccata aliquorum, ut a via recta et a data seu approbata regula recedatur (XI, VII di., cap. *Quamtumlibet* et cap. sequenti). Secundo sanctitati vestrae suggesserunt, quod dicti ordinis fratres occasione dictae retentionis dominii de paupertate altissima ceperunt inaniter gloriari, quam sibi, ut ipsi aemuli dicunt, prae cunctis Mendicantibus aliis ex eo vendicant imprudenter, quod in his, quae obtinent, nihil ad se proprietatis et dominii, sed solum nudum usum facti asserunt pertinere, cum tamen, ut dicunt, potius deberent dicti ordinis fratres, attento ipsorum fratrum utendi modo et ecclesiae Romanae patientia, affirmare, non relictum eis usum sed retentum ecclesiae Romanae dominium fore nudum: quae quidem suggestio et allegatio, salva semper dicentium et allegantium reverentia et honore, non continet veritatem; neque enim fratres ordinis praedicti de paupertate altissima inaniter gloriantur nec eam prae cunctis Mendicantibus vendicant imprudenter, quamvis paupertatis celsitudinem (non habere videlicet proprietates sive dominia rerum in speciali nec in communi, quam Christus et apostoli viam perfectionis ostendentes verbo docuerunt et exemplo firmarunt quamque sancta Romana ecclesia pluries et frequenter definivit fore Christi et apostolorum eius paupertatem altissimam, meritoriam atque sanctam) tanquam veri sanctae Romanae ecclesiae filii, prout tenentur et debent, defendant, extollant et commendent et usum simplicem facti in rebus omnibus, quibus utuntur, se habere et

quomodolibet poterunt vel debebunt, nullum eidem parari praeiudicium volumus; sed illa sibi expressius intacta et inviolata servamus. Et quia praefatum Martini papae praedecessoris nostri praedicti privilegium dudum servatum quoad administrationem bonorum praemissorum non extitit nec servatur, ac ipsorum procuratorum officium, qui nominantur a ministris et custodibus dicti ordinis, ecclesiae Romanae iurgiosum ac multis aliis noscitur molestum ac etiam onerosum: districtius inhibemus, ne deinceps pro recipiendis, petendis, exigendis, defendendis seu administrandis bonis, quae in posterum fratribus vel ordini praedictis offerri vel conferri seu alias obvenire continget, quisquam nominetur, a quocumque instituatur vel constituatur amodo nomine sanctae Romanae ecclesiae procurator, nec occasione cuiuslibet privilegii apostolici quicunque administrationem quorumcunque bonorum, quae obvenire fratribus ipsis vel ordini continget in posterum, in iudicio vel extra, agendo, defendendo, supplicando vel alias quomodolibet assumere vel etiam exercere dictae ecclesiae nomine audeat, nisi de dictae sedis apostolicae licentia speciali: decernentes irritum et inane, si secus a quocumque in posterum contigerit attentari. Non obstantibus quibuscunque privilegiis a Martino papa praedicto vel aliis praedecessoribus nostris ipsis fratribus vel ordini sub quacunque forma vel expressione verborum concessis. Per haec autem dicti ordinis regulae in aliquo non intendimus derogare nec privilegiis fratribus ipsis vel ipsi ordini ab apostolica sede concessis, nisi dumtaxat quoad praemissa vel praemissa tangentia, praeiudicium aliquod generare. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, VI idus decembris, anno septimo.

---

earum rerum dominium ad Romanam ecclesiam pertinere cum sancta Romana ecclesia veraciter fateantur. Dicere autem " usum facti dictis fratribus derelictum non esse nudum, sed ecclesiae Romanae retentum dominium fore nudum " nihil aliud est, quam determinationes et definitiones omnium Romanorum pontificum et vestras, ut supra dictum est, super his editas, quae dicunt, dictos fratres in omnibus rebus, quibus uti possunt, habere solummodo simplicem facti usum et ecclesiam Romanam earum rerum habere dominium fructuosum tanquam meritorium ad aeterna et professioni suorum filiorum pauperum opportunum, ac partum sanctae matris ecclesiae sponsae Christi per consequens irridere. Tertio suggesserunt sanctitati vestrae aemuli supradicti, quod occasione retentionis dominii supradicti inter fratres dicti ordinis periculosa suborta fuerunt scismata et dispendiosa pericula subsecuta, quibus ut dicunt hactenus finis dari non potuit, nec speratur, quod ad illum ea perdurante valeat perveniri: quae quidem suggestio, salva dicentium reverentia et honore, non continet veritatem, cum nusquam post saepedictas Romanae ecclesiae determinationes super retentione dicti dominii aut eius occasione fuerit inter fratres dicti ordinis aliqua quaestio suborta nec suboriri speretur; sed nec de iure quaestio esse potuit neque potest, cum de eo, quod est in iure definitum et in corpore iuris clausum, nulla iuris quaestio aliqualiter possit esse (cap. de furtis et servo corrupto l. *Ancillae substractae partus*). Et quamvis aliquae quaestiones et dissensiones inter fratres dicti ordinis super observantia dictae regulae hactenus fuerint aliquae subortae, quibus sanctitas vestra Deo inspirante per saepe dictas vestras determinationes laudabilem finem dedit, non tamen per malos et perversos fratres bonorum status debuit nec debet aliqualiter immutari aut etiam in aliquo perturbari, imo potius propter bonos mali sunt tolerandi, sicut toleraverunt prophetae et Christus et apostoli eius et sancti doctores ecclesiae faciendum verbo et exemplo pariter docuerunt (XXIII, q. 2, cap. *Quam magnum*, et per totum). Et nonnulla alia minus vera tam in facto quam in iure vestrae sanctitati suggessisse dicuntur. Ex quibus suggestionibus seu causis contentis in quadam littera sive nota, quam nuper legi fecistis in consistorio sacri collegii dominorum cardinalium, quae incipit: *Ad conditorem canonum*, excitati fuistis et moti, dicto ordine seu eius defensore non monito nec citato et eo inaudito, ad ordinandum et censendum et ordinastis et censuistis, ut ecclesia Romana tam inutili tamque pernicioso dominio careret potius quam haberet, quodque in bonis praedictis, quae in posterum conferrentur vel offerrentur vel quomodolibet alias obvenire contingeret fratribus seu ordini supradictis, non plus iuris in illis apostolica sedes habeat nec in ipsis seu pro ipsis dominium seu ius aliquod acquiratur, quam quod habet sibique acquiritur in bonis vel pro bonis, quae fratribus aliorum Mendicantium ordinum quomodolibet acquiruntur; ac insuper statuendum, quod pro bonis praedictis recipiendis, petendis, exigendis, defendendis seu administrandis nullus a quoquam procurator statuatur amodo nomine summi pontificis vel praefatae sanctae Romanae ecclesiae, nisi de ipsius licentia et mandato, et revocastis quoscunque a quibuscunque taliter hactenus constitutos: decernentes irritum et inane, si secus a quoquam fuerit attentatum, non obstantibus quibuscunque privilegiis a fel. record. Martino papa IV vel aliis praedecessoribus vestris eisdem fratribus vel ordini sub quacunque forma seu expressione concessis; protestantes, quod per hoc non intendebatis regulae dicti ordinis nec privilegiis fratribus ipsis seu eorum ordini ab apostolica sede concessis, nisi quoad praemissa vel ea tangentia, in aliquo derogare, quin imo volebatis ea in suo robore permanere.

Attendens igitur ego praefatus fr. Bonagratia dicto nomine iure cautum fore, quod etiam adversus rescriptum sive sententiam principis, quod sive quare ex suggestione minus vera processit, appellari potest ad eum, quia non adversus principem sed adversus suggerentis calliditatem intelligitur provocatum (ut dicitur ff., quando appellandum sit et infra quae tempora, l. 1, primo responso, et 2, q. 6, § *Biduum* circa finem), et quod in canone dicitur, sententiam Romanae sedis tunc esse in melius commutandum, cum aliquid fuerit sibi surreptum, non quando ipsa, quae bene sunt diffinita, retractare voluerit (XXXV, q. 9, cap. *Sententiam* et extra de sententia et re iud. cap. *Cum olim*); et sentiens me dicto nomine et dictum ordinem ex praedictis et pro praedictis enormiter aggravari ab eis: ad vos sanctissimum patrem et dominum dominum Ioannem papam XXII et ad sanctam matrem ecclesiam, cui praesidetis, provoco et appello, et si de iure peti in hoc casu debent seu possunt apostoli, ego peto instanter et instantissime et subiicio me et dictum ordinem protectioni et defensioni vestrae et sanctae matris ecclesiae; et protestor ante omnia, quod, si aliquid dixissem vel dicerem, quod absit, aliter, quam sancta Romana ecclesia sentit et docet, illud ex nunc revoco et detestor et fateor me firmiter tenere et credere, quod tenet et credit sancta mater ecclesia Romana, et me et omnia dicta mea ex nunc ipsius correctioni et defensioni suppono. Acta et facta fuerunt praedicta per dictum fratrem Bonagratiam dicto nomine praedictis die, anno, indictione et loco superius nominatis ».

Liberiore ista appellatione irritatus summus pontifex eius auctorem quidem carceribus per annum clausit, suam vero constitutionem denuo examinavit, ut argumenta alia rationesque graviores adderet. Constitutionem denuo recognitam multisque auctam illi, quae prius affixa erat, quin alium diem adscriberet, in valvis ecclesiae Avinionen. substituit. Eam supra (in textu) retulimus.

487. Indulget fr. Petro de Perusio ord. Min., inquisitori haer. prov. in ducatu Spoletano, quod non possit amoveri ab isto officio absque licentia speciali sedis apost. [1]

1323, ianuarii 5, Avinione.

Dilecto filio Petro de Perusio de ordine fratrum Minorum, inquisitori haereticae pravitatis in provincia s. Francisci et Valle Spoletana.

Quia solent interdum mutationes iudicum causis et negotiis incommoditates afferre, nos circa negotium inquisitionis fidei, ut utilius procedat et clarius, huiusmodi cupientes incommodis praecavere, cuicumque in ordine tuo tibi superiori, quacumque sit auctoritate munitus, ne ab eodem inquisitionis officio te suspendere vel removere praesumat absque licentia sedis apostolicae speciali, districtius auctoritate praesentium inhibemus. Datum Avinione, nonis ianuarii, anno septimo.

488. Praeficit Matthaeum Minoritam ecclesiae Beriten. in episcopum. [2]

1322, februarii 18, Avinione[*]

Dilecto filio Matthaeo electo Beriten.

Regimini universalis ecclesiae *etc.* Dudum siquidem Beriten. [3] ecclesia per obitum bonae memoriae Roberti episcopi Beriten. pastoris solatio destituta, dilecti filii capitulum eiusdem ecclesiae (vocatis omnibus, qui voluerunt, debuerunt et potuerunt commode interesse, die ad eligendum praefixa, in ecclesia Nicosien. [4], cum in dicta Beriten. ecclesia, quae in terra, ubi Saraceni dominium obtinent, situata existit, non possent absque animarum periculo residere), ut moris est, convenientes in unum et Spiritus sancti gratia invocata, quondam Emanuelem dictum de Long, constitutum in sacerdotio, ordinis fratrum Minorum, in eorum episcopum concorditer elegerunt, qui, antequam huiusmodi fuisset electio confirmata, viam extitit universae carnis ingressus; nosque postea vacatione huiusmodi fide dignis relatibus intellecta, cupientes regimini eiusdem Beriten. ecclesiae personam utilem per nostrae sollicitudinis studium praesidere, provisionem ipsius ea vice dispositioni nostrae ac sedis apostolicae duximus specialiter reservandam, decernentes ex tunc *etc.*; et postmodum de provisione eiusdem Beriten. ecclesiae, ne prolixioris vacationis sustineret incommoda, sollicite cogitantes, post deliberationem, quam ad deputandum eidem Beriten. ecclesiae personam utilem ac etiam fructuosam, cuius industria probitatis in suis valeret iuribus adaugeri ac etiam defensari, cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te ordinis fratrum Minorum, in sacerdotio constitutum, ordinem ipsum expresse professum, cui de religionis zelo, vitae munditia, regulari observantia, litterarum scientia, honestate morum et vitae ac aliis probitatis meritis fide digna testimonia suffragantur, direximus aciem nostrae mentis. Quibus omnibus diligenti meditatione discussis, volentes Beriten. ecclesiae praefatae salubriter providere, de persona tua nobis et fratribus eisdem accepta praefatae Beriten. ecclesiae de ipsorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus teque illi in episcopum praeficimus et pastorem, curam et administrationem ipsius Beriten. ecclesiae tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus committendo plenarie *etc.* Datum Avinione, XII kal. martii, anno septimo. [5]

489. Guillelmum de Villanova in episcopum in partibus Tartar. assumptum (ex ord. Min.) ad ecclesiam Sagonen. transfert. [6]

1323, februarii 28, Avinione.

Venerabili fratri Guillelmo episcopo Sagonen.

Cura pastoralis officii *etc.* Olim siquidem bonae memoriae Guarcino episcopo Sagonen. praesidente regimini Sagonen. [7] ecclesiae, nos cupientes ecclesiae praefatae, cum per ipsius Guarcini obitum vel alio quovis modo vacare contingeret, personam utilem praesidere, provisionem ipsius ecclesiae Sagonen., cum vacaret, nostrae ac sedis apostolicae dispositioni duximus reservandam, decernendo extunc *etc.* Postmodum vero dicto Guarcino Parisiis rebus humanis exempto, nos attendentes, quod nullus praeter nos de ordinatione ipsius ecclesiae Sagonen. ea vice se intromittere poterat, reservatione huiusmodi nostra obsistente, de praeficiendo eidem ecclesiae Sagonen. approbatam idoneamque personam cogitare coepimus diligenter et post deliberationem, quam cum fratribus nostris super hoc attentam habuimus, demum in te fratrem ordinis Minorum, quem in sacerdotio constitutum et sufficienter in sacra pagina peritum fel. rec. Clemens papa V praedecessor noster fecit in episcopum consecrari atque ad praedicandum in terra Tartarorum verbum Dominicum deputavit, aciem direximus nostrae mentis ac de persona tua nobis et eisdem fratribus, propter grandia dona virtutum, quas in te ipsa-

---

[1] Reg. Vat. t. 74, ep. 54, et t. 111, f. 404; apud *Wadd.* l. c. ad a. 1323, n. 17.

[2] Reg. Vat. t. 74, ep. 685 apud *Wadd.* l. c., reg. pont. Io. XXII, p. 2, n. 1.

[3] *Beirut* in Syria.

[4] *Levcosia* in insula Cypro.

[*] Iste Matthaeus die 10 sept. 1333 transfertur ad eccl. Mothonen.

[6] Reg. Vat. t. 74, ep. 765, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, p. 2, n. 2. Cfr. supra n. 86, 87, 112. Iste Guilelmus transfertur die 25 sept. 1327 ad eccl. Tergestin.

[7] *Sagona* in insula Corsica.

rum Dominus inplantavit et super quibus fide dignis testimoniis commendaris, accepta eidem ecclesiae Sagonen. de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus teque ipsi praeficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem illius tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo, liberamque tibi concedendo licentiam te ad eamdem ecclesiam conferendi *etc.* Datum Avinione, II kal. martii, anno septimo.

490. Committit episcopo Nitrien. et archidiaconis Nitrien. ac Trinchin., quod fr. Andreae (ord. Praed.) episcopo Alben. faciant restitui quaedam bona, quae erant Martini (ex ord. Min.) praedecessoris. [1]

1323, februarii 28, Avinione.

Venerabili fratri .. episcopo Nitriensi et dilectis filiis .. Nitriensis ac .. Trinchiniensis [2] *Nitriensis dioecesis archidiaconis ecclesiarum.*

Venerabilis frater noster Andreas episcopus Albensis in Ungaria [exposuit], quod bo. me. Martino ordinis fratrum Minorum episcopo Albensi, praedecessore ipsius, in regno Boemiae, unde originem traxerat, videlicet in Olomucensi dioecesi decedente [3] bona mobilia, quae ratione episcopalis dignitatis seu officii ecclesiae Albensi idem Martinus dum vixerat ibidem acquisiverat, venerabilis frater noster [Conradus] episcopus Olomucensis [4] nec non fratres dicti ordinis conventus Brunensis et nonnullae personae ecclesiasticae et etiam saeculares eiusdem dioecesis nequiter occuparunt et ipsa detinent occupata, quamquam praedicta bona ad dictam Albensem ecclesiam noscantur rationabiliter pertinere. Quocirca discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, si vobis simpliciter, summarie et de plano sine strepitu et figura iudicii constiterit de praemissis, praefatum episcopum Olomucensem et quoscunque alios occupatores et detentores dictorum bonorum, cuiuscunque dignitatis, status et ordinis vel conditionis existant, quod praedicta bona eidem Andreae episcopo nomine dictae Albensis ecclesiae restituant, ut tenentur, auctoritate nostra appellatione postposita compellatis. Testes autem *etc.* Datum Avinione, II kalendas martii, anno septimo.

491. Gaucerando de Angularia ord. Min. concedit facultatem se transferendi ad ordinem canonicorum s. Augustini. [5]

1323, martii 21, Avinione.

Dilecto filio Gaucerando de Angularia ordinis fratrum Minorum professori.

Oblatae nobis tuae petitionis series continebat, quod olim de fratrum ordine Minorum, quem professus extiteras, ex quibusdam perturbationibus et divisionibus dicti ordinis conturbatus, ut asseris, recedens, ipsius ordinis regularem habitum dimisisti nec in dicto ordine resumendo dictum habitum tute posses cum fratribus ipsius de cetero conversari, quare nobis humiliter supplicasti, ut animae tuae saluti consulere dignaremur. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, quod ad ordinem sancti Augustini valeas te transferre et in ecclesia vel monasterio seu prioratu aliquo dicti ordinis canonicorum regularium habitum sumere et dictum ordinem profiteri (quibuscunque constitutionibus a praedecessoribus nostris Romanis pontificibus editis nec non privilegiis et indulgentiis apostolicis eidem ordini fratrum Minorum concessis et quibuslibet statuto et consuetudine dicti ordinis Minorum contrariis, confirmatione apostolica vel quacunque alia firmitate vallatis, nequaquam obstantibus), liberam tibi concedimus auctoritate apostolica facultatem. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, XII kalendas aprilis, anno septimo.

492. Concedit liberam sepulturam Clarissis Civitaten. [6]

1323, aprilis 1, Avinione.

Dilectis in Christo filiabus abbatissae et conventui monasterii sanctae Clarae Civitaten. [7] *ordinis eiusdem sanctae.*

Devotionis vestrae precibus inclinati, sepulturam ecclesiae vestrae sine alieni iuris praeiudicio liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extremae voluntati, qui se illic sepeliri desideraverint, dummodo excommunicati vel interdicti aut publice usurarii non fuerint, nullus obsistat: salvis tamen canonica iustitia et parochiali iure illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, kal. aprilis, anno septimo.

---

[1] Reg. Vat. t. 74, f. 256, ep. 733.

[2] *Trencsén* dioec. Nitrien. (*Nyitra*, *Neutra*) in Hungaria.

[3] Scilicet a. 1321 in conventu fratrum Min. Brunen. (*Brno* sive *Brünn* in custodia Moraviae prov. Boemiae), quae civitas tunc ad dioec. Olomucen. pertinebat, nunc autem ipsa sedes episcopalis est.

[4] Cuius suffraganeum iste Martinus agebat. Hic a. 1306 una cum Antonio episcopo Cenadien. (ex ord. Min.) Patavii litteras de concessis quibusdam indulgentiis dedit et a. 1320 festo Pentecostes presbyterium ecclesiae dictorum fratrum Min. Brunen., dum ibi capitulum provinciale celebratur, consecravit.

[5] Reg. Vat. t. 74, f. 347, ep. 986.

[6] Reg. Vat. t. 74, ep. 992, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, p. 2, n. 3.

[7] *Ciudad Rodrigo*, ut videtur, in custodia Salamantin. prov. s. Iacobi; cfr. huius op. t. II, p. 323, n. 666.

493. Eisdem indulget, quod de legatis et oblationibus ipsis factis nihil a quoquam exigi debeat. [1]

1323, aprilis 1, Avinione.

Eisdem.

Iustis petentium desideriis dignum est nos facilem praebere consensum et vota, quae a rationis tramite non discordant, affectu prosequente complere. Eapropter, dilectae in Christo filiae, vestris supplicationibus inclinati, auctoritate praesentium districtius inhibemus, ne quis de legatis, oblationibus seu aliis quibuscunque eleemosynis vobis pia fidelium devotione collatis aliquid a vobis exigere vel extorquere praesumat. Nulli ergo *etc.* Datum ut supra.

494. Indulget Ioanni Picardi monacho mon. de Caritate ord. Clun., quod possit assumi ad dignitates monachis sui ordinis assignari consuetas, non obstante, quod fuerit olim professus ordinem fratrum Min. [2]

1323, aprilis 28, Avinione.

Dilecto filio Ioanni Picardi monacho mon. de Caritate super Ligerim Clun. ord. Autissiodoren. dioec.

Religionis zelus *etc.* Dat. Avinione, IV kal. maii, anno septimo.

495. Monialibus mon. de Perpignano ord. s. Clarae concedit liberam sepulturam. [3]

1323, maii 1, Avinione.

Dilectis in Christo filiabus abbatissae et conventui monasterii sanctae Clarae de Perpignano [4] *ordinis eiusdem sanctae Elnen. dioecesis.*

Devotionis vestrae precibus inclinati *etc. ut supra n. 492.* Datum Avinione, kalendis maii, anno septimo.

496. Eisdem monialibus indulget, quod de legatis et oblationibus eis factis nihil a quoquam exigi debeat. [5]

1323, maii 1, Avinione.

Eisdem.

Iustis petentium desideriis *etc. ut supra n. 493.* Dat. ut supra.

497. Eisdem monialibus concedit, ut fruantur privilegiis ordini Minorum concessis. [6]

1323, maii 1, Avinione.

Eisdem.

Devotionis vestrae precibus inclinati, ut privilegiis et indulgentiis ordinis fratrum Minorum ab apostolica sede concessis, competentibus vobis, uti possitis, auctoritate vobis praesentium indulgemus. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, kalendis maii, anno septimo.

498. Declarat, fr. Ioannem de Turre de Adria (*Atri* in Aprutinis aut *Adria* in Romandiola) ord. Min. non incurrisse irregularitatem vulnerando quendam fratrem Erem. s. Aug. sibi necem paraturum. [7]

1323, maii 1, Avinione.

Dilecto filio Ioanni de Turre de Adria ordinis fratrum Minorum.

Petitio tua nobis exhibita continebat, quod dudum fratres ordinis Heremitarum sancti Augustini in partibus Pennensibus [8] et vicinis, fratres Minores earundem partium capitali odio persequentes, dictos Minores ubicumque repertos invadere eisque inferre vulnera praesumebant; et quod, dum tu et quidam alii fratres tui ordinis iuxta obedientiam tibi et eis impositam proficisceremini extra quendam locum illarum partium, in quo tunc temporis morabamini, octo fratribus Heremitis armatis in itinere obviastis, ob quorum timorem mortis volentes vitare periculum dedistis velociter terga fugae; et dum sic fugiendo incederetis iuxta mare, quidam ex dictis fratribus Heremitis armatis casualiter tibi et aliis fratribus dicti ordinis tui occurrens statim evaginato gladio contra vos dixit, se nunquam exinde recessurum, nisi tu et dicti Minores tecum stantes per eum essetis primitus interempti; et tandem dictus Heremita, nec precibus nec suasionibus inclinatus, te in spatulis cum quodam gladio (scoco vulgariter nuncupato) graviter vulneravit nec in hiis contentus te constitutum in fugam, ut te occideret, extitit insequutus. Verum tu prospiciens mortem non posse aliter evitare, dictum invasorem vulnerasti, ex quo vulnere dictus Heremita infra biduum dicitur expirasse; ac deinde de quamplurium iurisperitorum consilio asserentium, te irregularitatem ex hoc minime incurrisse, missam et alia divina officia celebrasti. Postmodum vero minister generalis [9] provinciae Pennensis ordinis tui tibi mandavit, ut sedem apostolicam visitares, misericordiam seu declarationem super hoc apostolicam petiturus. Quare tu sedem adiens supradictam nobis humiliter supplicasti, ut tibi super causa huiusmodi, quod in tuis valeas ordinibus mi-

[1] Reg. Vat. t. 74, ep. 993, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, p. 2, n. 4.

[2] Reg. Vat. t. 75, ep. 1523; cfr. supra n. 213.

[3] Reg. Vat. t. 74, ep. 561, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, p. 2, n. 5.

[4] *Perpignan.* in custodia Narbonen. prov. Provinciae, ad quam civitatem postmodum sedes Elnen. translata est.

[5] Reg. Vat. t. 74, ep. 762, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, p. 2, n. 6.

[6] Reg. Vat. t. 74, ep. 760, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, p. 2, n. 7.

[7] Reg. Vat. t. 75, f. 95, ep. 1251.

[8] *Penna sant'Andrea* in Aprutinis.

[9] *Rectius:* provincialis.

nistrare nec propter hoc in aliis honoribus et officiis debeas impediri, providere misericorditer dignaremur. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, si est ita, tenore praesentium declaramus, te nullam irregularitatem propterea incurrisse. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, kalendis maii, anno septimo. [1]

499. Mandat custodi fratrum Min. Colimbrien., quod assignet duos fratres pro directione et consummatione operis monasterii Clarissarum Colimbrien. a regina Portugalliae aedificati. [2]

1323, maii 16, Avinione.

Dilecto filio custodi fratrum ordinis Minorum loci Colimbrien.

Carissima in Christo filia nostra Elisabetha Portugalliae et Algarbii regina illustris [3] nobis exposuit, quod ipsa zelo piae devotionis accensa quoddam monasterium sororum ordinis sanctae Clarae prope Colimbriam in praesentiarum construere facit de nostra sibi concessa super hoc licentia speciali, ad cuius prosecutionem, directionem, consummationem operis intendit duos fratres industrios et fideles tui ordinis adhibere, qui sint conventuales loci Colimbrien. ordinis memorati. Nos igitur pium eiusdem reginae propositum in hac parte plurimum in Domino commendantes illudque opportunis favoribus prosequi cupientes, discretioni tuae per apostolica scripta districte praecipiendo mandamus, quatenus ad requisitionem eiusdem reginae duos fratres tui ordinis, quos ad hoc videris opportunos, conventui fratrum dicti loci Colimbrien. studeas assignare pro dicto opere sanctae Clarae dirigendo provide et feliciter consummando, eos a praedicto loco sine causa rationabili nullatenus amoturus. Datum Avinione, XVII kal. iunii, anno septimo.

500. Mandat cancellario Parisien., ut Francisco de Mayronis de Digna ord. Min. conferat magisterium in theologica facultate. [4]

1323, maii 24, Avinione.

Dilecto filio [Thomae] cancellario Parisiensi.

Viri sacrae lectionis studio dediti ac in lege Domini eruditi, sub religionis habitu Domino militantes, favoris apostolici gratiam promerentur: et eo benignius decet honestis eorum desideriis annui, quo ex eorum profectibus potest maior utilitas provenire. Cum itaque, sicut accepimus, dilectus filius Franciscus de Mayronis de Dina ordinis fratrum Minorum, sacrae theologiae baccalaureus, in praedicta scientia adeo laudabiliter profecisse noscatur, quod dignum se reddit ad obtinendum docendi licentiam in eadem, idemque Franciscus in Parisiensi studio more baccalaureorum legendo in dicta scientia cursum perfecerit in lectura: nos tum ob hoc tum obtentu carissimi in Christo filii nostri Roberti regis Siciliae, nobis super hoc pro eodem humiliter supplicantis, eumdem Franciscum in hac parte favoribus prosequi cupientes, discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus eidem Francisco, si ad hoc eum sufficientem et idoneum esse repereris, magistralem honorem et docendi licentiam conferas in scientia memorata. Non obstantibus quibuscumque Parisien. studii statutis et consuetudinibus vel observationibus solemnitatum contrariis, iuramento vel constitutione apostolica roboratis, per quae nullum praesentibus obstaculum ministretur. Dat. Avinione, IX kal. iunii, anno septimo.

501. Ministro provinciae Apuliae ord. Min. concedit facultatem recipiendi unum locum in castro de Caurata dioec. Ruben. [5]

1323, iunii 4, Avinione.

Dilecto filio ministro provinciali et fratribus ordinis Minorum in Apulliae partibus constitutis.

Pro parte vestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut recipiendi et construendi unum locum ad usum et nomen fratrum ordinis Minorum in castro de Caurata [6] Ruben. dioecesis vobis largiri licentiam dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, volentes votis vestris annuere favorabiliter in hac parte, locum recipiendi huiusmodi in dicto castro et in eo aedificandi capellas seu oratoria et domos cum aliis necessariis officinis, sine praeiudicio parochialis ecclesiae eiusdem castri et cuiuslibet iuris alterius alieni, si tibi, fili minister, expediens videatur, super quo tuam conscientiam oneramus, constitutione fel. rec. Bonifatii papae VIII praedecessoris nostri super hoc in contrarium edita non obstante, plenam et liberam auctoritate prae-

---

[1] Litteris die 20 febr. 1330 datis Ioannes XXII eidem fratri Guilelmo unacum Roberto de Turre canonico ecclesiae Adrien. et scriptori litt. apost. ac Bolongia relicta Mansueti de Turre viduae Adrien. concedit absolutionem plenariam in articulo mortis. Reg. Vat. t. 94, epp. 437-439.

[2] Reg. Vat. t. 75, ep. 1606, f. 228 apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, p. 2, n. 8.

[3] Postmodum inter sanctos relata. Cfr. supra nn. 295, 384.

[4] Reg. Vat. t. 74, ep. 790; cfr. *Wadd.* l. c. ad a. 1328 n. 22, *Sbar.* Suppl. ad Script. tr. ord. s. Franc., p. 267 seq., et Chart. Univ. Paris. II, 272, ubi haec annotatio apposita est: « Genebrardus, Waddingus aliique dicunt, Franciscum Mayronem a. 1315 actum Sorbonnicum in academiam Parisien. invexisse, id est certamen scholasticum, quod aestatis tempore habebatur per singulos dies veneris, in quo candidatus respondebat a quinta matutina ad septimam vespertinam, donec cunctis opponentibus satisfactum esset. Ast nullum instrumentum nos de certamine a Francisco Mayrone introducto docet et quantum ad hoc ad fabulas referri debere putamus ».

[5] Reg. Vat. t. 75, ep. 1695 apud *Wadd.* l. c. reg. pont Io. XXII, p. 2, n. 9.

[6] *Corato* in custodia Barensi.

sentium concedimus potestatem. Nulli ergo *etc.* Dat. Avinione, II nonas iunii, anno septimo.

502. Praeficit Petrum Minoritam ecclesiae Maceraten. in episcopum. [1]

1323, iunii 6, Avinione.

Dilecto filio Petro [2] *electo Maceraten.*

Regimini universalis ecclesiae *etc.* Olim siquidem Maceraten. [3] ecclesia (pro eo quod nos venerabilem fratrem nostrum Fridericum Senogallien. tunc Maceraten. episcopum, licet absentem, a vinculo, quo tenebatur eidem Maceraten. ecclesiae, cui praeerat, de fratrum nostrorum consilio et apostolicae potestatis plenitudine absolventes, ad Senogallien. ecclesiam tunc vacantem duximus transferendum, praeficiendo ipsum eidem Senogallien. ecclesiae in episcopum et pastorem) regimine destituta pastoris, nos ad celerem provisionem eiusdem Maceraten. ecclesiae, ne prolixae vacationis exponeretur incommodis, sollicite intendentes, cum nullus praeter nos hac vice de ipsius Maceraten. ecclesiae ordinatione se intromittere possit *etc.*, post deliberationem, quam ad deputandum eidem Maceraten. ecclesiae personam utilem ac etiam fructuosam, cuius industria probitatis in suis valeret iuribus adaugeri ac etiam defensari, cum dictis fratribus habuimus diligentem, demum ad te ordinem fratrum Minorum professum, in sacerdotio constitum, cui de religionis zelo, vitae munditia, litterarum scientia, gravitate morum, circumspectionis expertae prudentia et aliis virtutum meritis fide digna testimonia suffragantur, direximus aciem mentis nostrae. Quibus omnibus diligenti meditatione discussis, volentes praefatae Maceraten. ecclesiae salubriter providere, de persona tua, nobis et eisdem fratribus ob huiusmodi tuorum exigentiam meritorum accepta, praefatae Maceraten. ecclesiae de ipsorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi in episcopum praeficimus et pastorem, memoratam Maceraten. ecclesiam tibi tam in spiritualibus, quam in temporalibus plenarie committendo *etc.* Dat. Avinione, VIII idus iunii, anno septimo. [4]

503. Praeficit Petrum Minoritam ecclesiae Humanaten. in episcopum. [5]

1323, iunii 6, Avinione.

Dilecto filio Petro electo Humanaten.

Ad regimen universalis ecclesiae *etc.* Olim siquidem ... provisiones omnium ecclesiarum cathedralium ... reservavimus *etc.* Postmodum vero Humanaten. [5] ecclesia per obitum bonae mem. Gerardi [6] episcopi Humanaten. (in illis partibus decedentis) pastoris solatio destituta: nos attendentes, quod nullus praeter nos de ipsius ecclesiae provisione se intromittere poterat neque potest reservatione huiusmodi obsistente, ac de ordinatione celeri eiusdem ecclesiae, ne diu viduitatis experiretur incommoda, sollicite cogitantes, et cupientes illum per nostrae providentiae studium eidem praeesse pontificem, de quo certam notitiam haberemus, quod ipsum clara meritorum suorum insignia redimerent, ne dubia esset ipsius caritas erga plebem suo regimini commendandam, et in cuius fide fida recumberet securitas subditorum, ad personam tuam litterarum scientia, zelo religionis, vitae munditia, honestate morum et aliis virtutibus decoratam, in spiritualibus providam et temporalibus circumspectam, nostrae mentis aciem dirigentes, de te ordinis fratrum Minorum professore, in sacerdotio constituto, de fratrum nostrorum consilio eidem Humanaten. ecclesiae auctoritate apostolica providemus teque in episcopum illi praeficimus et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus committendo *etc.* Dat. Avinione, VIII idus iunii, anno septimo. [8]

504. Visitantibus capellam ad honorem b. Ludovici episcopi in ecclesia Villae novae dioec. Ruthenen. *(Rodez)* constructam indulgentias elargitur. [9]

1323, iulii 29, Avinione.

Universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis.

Vitae perennis gloria *etc.* Cupientes igitur, ut capella, quam venerabilis frater noster Galhardus archiepiscopus Arelatensis in ecclesia Villae novae Ruthenensis dioecesis ad honorem beati Ludovici episcopi et confessoris pia devotione construxit, a Christi fidelibus congruis honoribus frequentetur, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui dictam capellam in die festi eiusdem gloriosissimi confessoris: centum dies, eis vero qui per septem dies dictum festum immediate sequentes eandem cappellam venerabiliter visitaverint annuatim, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, quadraginta

---

[1] Reg. Vat. t. 75, ep. 1407, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, p. 2, n. 11.

[2] Qui ex nob. familia de Compagnonibus Maceratae ortus 29 oct. 1347 (aet. suae anno 90) obiisse dicitur.

[3] *Macerata* in Piceno, ad quam civ. tunc sedes episcopatus Recanaten. translata est.

[4] Aliis litteris die 13 aug. 1323 datis summus pontifex eidem Petro indulget, quod extra curiam Rom. a quocunque maluerit antistite munus consecrationis recipere possit. Cfr. Reg. Vat. t. 75, ep. 1411.

[5] Reg. Vat. t. 75, ep. 1010, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, p. 2, n. 10.

[6] *Umana* in Piceno, nunc unita ecclesiae Anconitan.

[7] Ex ord. Min.; cfr. huius op. t. IV, p. 126.

[8] Iste Petrus ineunte anno 1338 moritur.

[9] Reg. Vat. t. 75, f. 102, ep. 1271.

dies de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus. Datum Avinione, IV kalendas augusti, anno septimo.

505. Concedit fr. Petro de Vienna ord. Min., nuntio regis Cypri, facultatem visitandi sepulchrum Dominicum. [1]

1323, augusti 4, Avinione.

Dilecto filio Petro de Vienna ordinis fratrum Minorum, nuntio carissimi in Christo filii nostri [Henrici] regis Cypri illustris.

Meritis tuae devotionis inducimur, ut in hiis, quae pie deposcis a nobis, petitionibus tuis, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuamus. Petitio siquidem tua nobis exhibita continebat, quod tu zelo piae devotionis accensus sepulchrum Dominicum et alia oratoria Terrae sanctae desideras visitare; quare nobis humiliter supplicasti, ut tibi accedendi ad partes easdem cum tribus fratribus tui ordinis concedere licentiam dignaremur. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, tibi et eisdem tribus fratribus visitandi impune sepulchrum et oratoria supradicta ex causa devotionis huiusmodi, prohibitione quacunque per nos seu praedecessores nostros Romanos pontifices facta in contrarium aliquatenus non obstante, illaque nihilominus exhibendi pro visitatione praedicta, sine quibus id nullatenus adimplere possetis, dummodo ad partes easdem nihil aliud deferatis vel deferri faciatis, quod in profectum vel favorem hostium fidei valeat redundare, auctoritate praesentium licentiam impertimur. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, II nonas augusti, anno septimo.

506. Committit episcopo Aurien., quod fratribus Min. de Monte regis concedat facultatem se transferendi ad Vianam dioec. Astoricen. [2]

1323, augusti 5, Avinione.

Venerabili fratri [Gundisalvo] episcopo Aurien.

Sacra religio dilectorum filiorum guardiani et conventus ordinis fratrum Minorum de Monte Regis [3] tuae dioecesis referta virtutum fecunditate meretur, ut eos illa gratia favorabiliter prosequamur, quae suis fore asseritur necessitatibus opportuna. Petitio siquidem dilecti filii nobilis viri Philippi, nati clarae mem. Sanctii regis Castellae [4], nobis exhibita continebat, quod locus de Monte Regis, in quo ipsi guardianus et conventus degunt, adeo distemperatus existit, quod propterea ipsos frequenter infirmari et mori contingit; quare idem nobilis nobis humiliter supplicavit, ut providere ipsis super hoc de opportuno remedio dignaremur. Praemissorum itaque consideratione inducti et dicti nobilis supplicationibus inclinati, fraternitati tuae, de qua et in his et aliis plenam in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta mandamus et committimus, quatenus, si est ita, eisdem guardiano et conventui dimittendi praedictum locum seque transferendi in Vianam [5] Astoricen. [6] dioec., locum quidem dicti nobilis, ibique construendi ecclesiam et necessarias officinas, non obstante constitutione fel. record. Bonifatii papae VIII, auctoritate nostra licentiam largiaris sine iuris praeiudicio alieni. Datum Avinione, nonis augusti, anno septimo.

507. Committit rectori ducatus Spoletani, ut fratribus Min. concedat facultatem recipiendi unum locum in districtu villae Cordiglianae. [7]

1323, augusti 15, Avinione.

Dilecto filio rectori ducatus Spoletani.

Pro parte dilectorum filiorum Hermanni Raynerii et Ugolini et Raynerii eiusdem Hermanni nepotum, militum Perusin., nobis exhibita petitio continebat, quod ipsi zelo devotionis accensi, cupientes terrena pro coelestibus et transitoria pro aeternis salubri commercio commutare, gerentes quoque ad ordinem fratrum Minorum specialis devotionis affectum, in quibusdam possessionibus eorum sitis in districtu Villae Cordiglianae [8] iuxta Tiberim Perusin. dioec. quemdam locum ad usum fratrum ord. Min. fundare et aedificare proponant nec non fratribus ponendis in loco huiusmodi de necessariis providere; quare nobis humiliter supplicarunt, ut fratribus conventus Perusini praedicti ordinis recipiendi locum huiusmodi ac in eo fratres ipsius ordinis ponendi sive locandi largiri licentiam dignaremur. Nos vero de statu et conditione possessionum seu loci huiusmodi construendi, an sit habilis et sufficiens, notitiam non habentes, gerentes quoque de tuae circumspectionis industria fiduciam in Domino specialem, discretioni tuae praesentium tenore committimus et mandamus, quatenus de sufficientia et habilitate huiusmodi loci plenarie te informans, cum ad hoc sufficientem et habilem pro conventu ipsorum fratrum inibi ordinando [inveneris], eisdem fratribus ipsius conventus Perusin., quod inibi locum fratrum ordinis praelibati cum capella seu oratorio, domibus et aliis necessariis officinis, parochialis ecclesiae eiusdem villae et cuiuslibet alterius iure salvo, construere et aedi-

---

[1] Reg. Vat. t. 75, f. 161, ep. 1425.
[2] Reg. Vat. t. 75, ep. 1468, apud *Wadd.* l. c. reg. Io. XXII, p. 2, n. 12.
[3] *Monterey* in custodia Auriensi (*Orense*) prov. s. Iacobi.
[4] Cfr. supra p. 88, not. 8.
[5] *Viana del Bollo.*
[6] *Astorga.*
[7] Reg. Vat. t. 75, ep. 1663, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, p. 1, n. 120.
[8] *Corciano* in custodia Perusina prov. s. Francisci.

ficare ac in eo fratres ipsius ordinis ponere seu recipere usque ad certum numerum, prout eis expediens fore videbitur, libere valeant, constitutione felicis recordationis Bonifatii papae VIII praedecessoris nostri super hoc in contrarium edita non obstante, concedas auctoritate nostra liberam et plenariam potestatem. Datum Avinione, XVIII kal. septembris, anno septimo.

508. Mittit priorem Praed. et guardianum Min. fratrum Tolosan. ad comitissam Vindocinen. et nobiles de Convenis ad pacem inter eos reformandam. [1]

1323, augusti 16, Avinione.

Eisdem priori [Praedicatorum] et guardiano [Minorum ordinum fratrum Tolosan.].

Dudum ad audientiam nostram infestae relationis assertione producto, quod inter dilectos filios nobiles viros Petrum Raymundi et Guidonem de Convenis [2] fratres ex parte una, et dilectam in Christo filiam nobilem mulierem Alionordem de Monteforti comitissam Vindocinensem [3] ex altera, humani generis inimico superseminante zizania, gravis erat materia dissensionis suborta, nos more pii patris, quem non praetereunt incommoda filiorum, ad huiusmodi sedandam discordiam et turbatae pacis inter eos proxima sanguinis connexitate coniunctos foedera reformanda vigilantibus studiis intendentes, partes ipsas super hoc paternis affectibus et salutaribus monitis multipliciter duximus exhortandas, quamvis hostis eiusdem praevalente malitia nondum fuerit nostris in hac parte desideriis satisfactum. Propter quod verentes pericula, quae nedum ipsis partibus sed multis aliis ipsa dissensio comminatur, eisque salubriter occurrere cupientes, partibus ipsis iterata dirigimus exhortatoria super hiis scripta nostra, ut una vel duas communes personas pacis et concordiae huiusmodi fervidas zelatrices procurent eligere, quae pacis iaceant inter eos semina et vepres dissensionum extirpent. Porro, quia vox viva magis consuevit imprimere quam ipsa series litterarum, vos, de quorum circumspectione plene confidimus, ad huiusmodi ministerium exequendum velut pacis angelos providimus destinandos. Quocirca discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus vos ad earundem partium auctoritate praesentium conferentes et eisdem litteras nostras, quas ut praemittitur sibi dirigimus, praesentantes, partes ipsas ad eligendum unum vel duos huiusmodi pacis et concordiae tractatores communes, per quorum circumspectam industriam votivae pacis, actore Deo, fructus proveniant, viis et modis ad hoc expedientibus inducere secundum datam a Deo vobis prudentiam studeatis *etc.* Datum ut supra [Avinione, XVII kal. septembris, anno septimo].

509. Ermengaudo de Posoliis canonico mon. s. Salvii Albien. ord. s. Aug., ad quem ordinem relicto ordine fratrum Min. virtute concessionis Clementis V se transtulerat, indulget, quod possit assumi ad dignitates sui ordinis, etiam abbatialem, non obstante, quod olim fuerit frater ordinis Minorum. [4]

1323, augusti 26, Avinione.

Dilecto filio Ermengaudo de Posoliis canonico mon. s. Salvii Albien. ord. s. Aug.

Virtutum merita *etc.* Dat. Avinione, VII kal. septembris, anno septimo.

510. Concedit fratribus Min. Albingan. facultatem se transferendi ad alium locum infra moenia ipsius civitatis. [5]

1323, septembris 1, Avinione.

Dilectis filiis ministro provinciali fratrum ordinis Minorum in provincia Ianuen. et fratribus eiusdem ordinis loci Albinganen.

Inter ceteros ordines in agro plantatos ecclesiae sacrum vestrum ordinem, claris suis exigentibus meritis, gerentes in visceribus caritatis, ad ea vigilanter intendimus ac opem operamque sollicitam impertimur, per quae status eiusdem ordinis ad divini nominis gloriam prosperis semper successibus affluat et praeservetur a noxiis et adversis. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat, quod locus vester, qui hactenus iuxta muros civitatis Albinganen. [6] consistebat, per fideles ecclesiae, per quos tunc dicta civitas tenebatur, pro ipsius civitatis tutela et ne per obsidionem hostium eidem periculum immineret, fuit usque ad fundamenta destructus. Unde vos attendentes, quod, si dictus locus in eodem fundo, in quo fuerat, reaedificetur de novo, frequenter eadem civitas simili posset periculo subiacere, quodque locus idem intra fortalitia sive moenia civitatis eiusdem propter parvitatem ambitus ipsius mutari non potest, quin esset prope ecclesiam dilectorum filiorum fratrum ordinis Praedicatorum civitatis praedictae infra cannarum spatium, infra quod prope dictam ecclesiam vobis locum recipere et habere non licet contra constitutionem per fel. record. Clementem papam IV praedecessorem nostrum super hoc specialiter editam [7], nobis humiliter supplicastis, ut,

[1] Reg. Vat. t. 111, fol. 204, ep. 891; cfr. 889 et 890.

[2] *Comminges*, filios Bernardi VI comitis de C. et Laurae filiae Philippi de Monteforti *(Montfort)*.

[3] Sororem dictae Laurae et uxorem Ioannis V com. Vindocinen. *(Vendôme)*.

[4] Reg. Vat. t. 75, ep. 1552.

[5] Reg. Vat. t. 75, ep. 1467, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, p. 1, n. 119.

[6] *Albenga* in custodia Albingan. prov. Ianuae.

[7] Cfr. supra p. 4, not. 15.

ne contingat vos propterea in dicta civitate loco carere, huiusmodi necessitatis articulo deposcente providere vobis super hoc de opportuno remedio dignaremur. Nos itaque vobis in hac parte paterno compatientes affectu vestrisque supplicationibus inclinati, quod praedictum locum possitis mutare ac etiam infra dictum spatium prope ecclesiam dictorum fratrum Praedicatorum civitatis praedictae in fundo seu territorio a vobis alias legitime acquisito vel etiam acquirendo reaedificare et construere libere valeatis, constitutione praedicta et qualibet alia contraria non obstantibus, vobis auctoritate praesentium liberam concedimus facultatem. Volumus autem, quod in mutatione loci praefati displicentiam et molestiam dictorum fratrum Praedicatorum curetis omnino quantum poteritis evitare, quodque constitutioni praedictae quoad alia loca nullum per hoc praeiudicium generetur. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, kalendis septembris, anno septimo.

511. Easdem litteras, quas iam 28 martii 1318 (v. supra n. 318) ad Usbec imperatorem Tartarorum direxerat, de novo ei destinat. [1]

1323, septembris 25, Avinione.

Magnifico viro Usbec imperatori Tartarorum illustri divinae inspirationis gratiam in praesenti et fruitionis aeternae gloriam in futuro.

Laetanter audivimus.... splendoribus illustrabit. Dat. Avinione, V kalendas octobris, anno octavo.

512. Praelatis infra nominatis committit, ut recipi faciant in monasterio s. Cosmae de Urbe Mariam natam Theodini de Monte. [2]

1323, septembris 28, Avinione.

Dilectis filiis Boboni Ioannis Bobonis et Stephano de Insula ac Ioanni de Flaiano canonicis basilicae principis Apostolorum de Urbe.

Cum dilecta in Christo filia Maria nata dilecti filii Theodini de Monte de Urbe, puella litterata, cupiat, sicut ex parte sua fuit propositum coram nobis, una cum dilectis in Christo filiabus .. abbatissa et conventu monasterii sancti Cosmae in Transtiberim de Urbe ordinis sanctae Clarae in dicto monasterio sub regulari habitu Domino famulari, nos pium eius desiderium in hac parte favore benevolo prosequentes, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios eandem Mariam, si est ad hoc idonea et aliud canonicum non obsistat, in dicto monasterio faciatis auctoritate nostra in monacham recipi et sororem sibique exhiberi iuxta consuetudinem dicti monasterii habitum regularem et etiam sincera in Domino caritate tractari. Non obstantibus de certo monialium numero *etc.* Datum Avinione, IV kalendas octobris, anno octavo.

513. Praelatis infra nominatis committit, ut Boruntium de Florentia ord. Min. recipi faciant in monasterio Insulae Barbarae ord. s. Ben. [3]

1323, octobris 10, Avinione.

Dilectis filiis .. cantori et .. sacristae maioris ac .. camerario sancti Pauli Lugdunen. ecclesiarum.

Intenta salutis operibus apostolicae sedis circumspecta benignitas ad ea libenter suarum operationum studia dirigit, quibus animarum obviatur periculis et eorum utilitatibus providetur. Sane dilectus filius Boruntius de Florentia ordinis fratrum Minorum apud sedem apostolicam personaliter constitutus nobis significare curavit, quod ipso in ordine praedicto, quem fuit expresse professus, certis ex causis proficere ad suae salutem animae non valente dilectus filius Michael praedicti ordinis generalis minister eidem Boruntio se transferendi ad aliquod monasterium ordinis sancti Benedicti licentiam per suas patentes litteras specialem auctoritate apostolica sibi in hac parte commissa sub certa forma concessit. Verum, cum ipse cupiat in monasterio Insulae Barbarae prope Lugdunum eiusdem ordinis sancti Benedicti una cum dilectis filiis .. abbate et conventu eiusdem monasterii sub regulari habitu Domino famulari, nobis humiliter supplicavit, ut sibi super hiis salubriter providentes eundem in monachum et in fratrem praedicti monasterii recipi de benignitate apostolica mandaremus. Nos igitur, qui cunctorum salutem appetimus et in periclitantium ad portum salutis reductione laetamur, ipsius Boruntii supplicationi benignis considerationibus annuentes praedictamque licentiam sibi per dictum ministrum concessam ratam habentes et gratam et eum a vinculo, quo praedicto fratrum Minorum ordini tenebatur astrictus, nihilominus absolventes, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios dictum Boruntium recipi faciatis in monachum dicti monasterii Insulae Barbarae atque fratrem sibique iuxta consuetudinem dicti monasterii monachalem habitum exhiberi ac ipsum sincera in Domino caritate tractari, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Non obstantibus etc. Datum Avinione, VI idus octobris, anno octavo [4].

[1] Reg. Vat. t. 76, f. 23, ep. 34.
[2] Reg. Vat. t. 76, f. 59, ep. 142; cfr. supra n. 61.
[3] Reg. Vat. t. 76, p. 33, ep. 57.

[4] Iste Boruntius e factione Spiritualium fuisse videtur; id quod saltem de Francisco de Lutra, de quo n. 514 sermo est, constat.

514. Praelatis infra nominatis committit, ut Franciscum de Lutra ord. Min. recipi faciant in monasterio s. Andreae ord. s. Ben. dioec. Avinionen. [1]

1323, octobris 10, Avinione.

Dilectis filiis .. praeposito Avinionensis et.. praecentori Autisiodorensis ac Bernardo de sancta Speria canonico Urgellensis ecclesiarum.

Intenta salutis operibus *etc. ut supra n. 513.* Sane dilectus filius Franciscus de Lutra ordinis fratrum Minorum *etc. usque* eidem Francisco *etc.* Verum cum ipse cupiat in monasterio sancti Andreae ordinis sancti Benedicti praedicti Avinionensis dioecesis una cum dilectis filiis *etc. usque* ipsius Francisci *etc. usque* per vos vel alium seu alios dictum Franciscum recipi faciatis in monachum dicti monasterii sancti Andreae atque fratrem *etc.* Datum ut supra.

515. Dispensat cum Donato de Urbino ord. Min. super defectu natalium. [2]

1323, novembris 1, Avinione.

Dilecto filio Donato de Urbino ordinis fratrum Minorum.

Religionis favor, cui te devota professio perpetuo dedicavit, vitaeque munditia et morum honestas te dignum dicuntur efficere, quod gratiosi favoris affluentiam apud sedem apostolicam gaudeas invenisse. Hinc est, quod nos devotionis tuae precibus inclinati tecum super defectu natalium, quem pateris de coniugato genitus et soluta, quod (huiusmodi defectu seu quibuslibet constitutionibus Romanorum pontificum seu privilegiis apostolicis ordini fratrum Minorum, cuius professor existis, concessis vel statutis eiusdem ordinis contrariis nequaquam obstantibus) ad omnes honores, administrationes et officia dicti ordinis etiam curam habentia animarum licite possis assumi, auctoritate apostolica de speciali gratia dispensamus. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, kalendis novembris, anno octavo.

516. Decernit, quod religiosi Mendicantes in suis conventibus una tantum campana contenti esse debeant. [3]

1323, novembris 4, Avinione.

Ad perpetuam rei memoriam.

Quia cunctos orthodoxae fidei professores et viros praesertim ecclesiasticos sic optamus ad invicem et quo ad alios etiam conversari, quod ex ipsorum gestis nullius offendatur iustitia nec cuiquam scandali materia praeparetur; advertentes, quod ex eo, quod nonnulli Mendicantium ordinum professores in nonnullis suis conventibus plures campanas obtinent et inposterum satagunt obtinere, cathedrales ac ecclesiae aliae suae queruntur propterea iustitiae detrahi et ex vicinitate locorum interdum afferri divinis impedimentum officiis viamque inter ipsos litigiis et scandalis variis aperiri: nos praemissis obviare cupientes periculis pacemque desiderantes inter ipsos, sine qua beatae pacis auctor non colitur, observari, de fratrum nostrorum consilio hoc edicto perpetuo ordinamus, quod religiosi dictorum ordinum Mendicantium in nullo conventu suo seu loco plures campanas habeant sine sedis apostolicae licentia speciali, sed una tantummodo pro loco quolibet sint contenti. Quod si forsan communitas seu universitas aliqua, ecclesiastica vel mundana, seu iidem religiosi pro illa in aliquo ipsorum loco campanam aliam habuerint vel nunc habent, non illam, sed aliam solam eorum specialiter usibus deputatam pulsare valeant pro horis diuturnis et nocturnis, missis et aliis consuetis. Ceterum religiosis eisdem permittimus, quod, ubi hactenus speciales campanas sine lite et contradictione qualibet in usus dumtaxat proprios habuerunt et nunc habent, illis etiam deinceps libere uti possint, aliis quibuscumque per eos habitis infra trium mensium spatium de suis locis seu campanilibus deponendis et nullatenus iterum reponendis. Verum campanulas, quae in sacristiis, refectoriis, capellis vel capitulis et aliis forsitan officinis religiosorum ipsorum consueverunt haberi, sub ista nostra ordinatione nolumus comprehendi. Nulli ergo *etc.* Dat. Avinione, II nonas novembris, pontificatus nostri anno ovtavo.

517. Concedit indulgentias in festivitate translationis b. Ludovici episcopi in ecclesia fratrum Min. Massilien. peragenda. [4]

1323, novembris 8, Avinione.

Universis Christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Ante tronum divinae clementiae *etc.* Cupientes igitur, ut reliquiae corporis beati Ludovici episcopi et confessoris, quae in ecclesia dilectorum filiorum fratrum Minorum Massilien. gloriosissime requiescunt, in festivitate translationis eiusdem Sancti, quae die martis [5] proxima celebrabitur, a fidelibus veneretur, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui praedictam ecclesiam et ipsius sancti sepulcrum in die festivitatis translationis praedictae et per octabas eiusdem cum devotione et reverentia visitabunt, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, duos annos et duas quadragenas in festo ac centum dies pro singulis diebus octaba-

[1] Reg. Vat. t. 76, f. 33, ep. 57. Cfr. supra n. 459 atque infra n. 544.
[2] Reg. Vat. t. 76, ep. 126, fol. 55.
[3] Arch. Vat. armar. XXXI, 42, f. 39.
[4] Reg. Vat. t. 112, f. 76 ep. 354.
[5] I. e. 15 nov. 1323.

rum ipsarum de iniunctis sibi poenitentiis misericorditer relaxamus. Datum Avinione, VI idus novembris, anno octavo.

518. Declarat fore haereticum pertinaciter affirmare, Christum eiusque apostolos neque in speciali habuisse aliqua neque in communi. [1]

1323, novembris 12, Avinione.

Ad perpetuam rei memoriam. [2]

Cum inter nonnullos viros scholasticos saepe contingat in dubium revocari, utrum pertinaciter adfirmare redemptorem nostrum ac dominum Iesum Christum eiusque apostolos in speciali non habuisse aliqua nec in communi, etiam haereticum sit censendum, diversis diversa et adversa etiam sentientibus circa illud: nos huic concertationi finem imponere cupientes, assertionem huiusmodi pertinacem, cum scripturae sacrae, quae in plerisque locis ipsos nonnulla habuisse asserit, contradicat

---

[1] Reg. Vat. t. 76, ep. 5 de curia, apud *Wadd.* l. c. ad an. 1323, n. 4; cfr. supra n. 486, et infra not. ad n. 628.

[2] Alias: *Ven. fratri Andreae episcopo Terracinen., vicario nostro in spir. in Urbe.* Cfr. *Rayn.* Ann. eccl. ad a. 1323 n. 61.

Ista constitutio unacum aliis constitutionibus *Quia nonnunquam, Ad conditorem canonum, Quia quorundam* (cfr. supra nn. 464 ac 486 et infra n. 554) argumenta praebuit continuae disceptationis, oppositionis, falsae interpretationis. Ita quidam dicebant, eadem constitutione constare, quod haereticum esset id asserere, quod verba decretalis *Exiit qui seminat* docent. Inter « armaria » Arch. Vat. (XXX, 42, fol. 89-93) responsum quoddam servatur, quod Ioanni XXII hac de quaestione consilium petenti videtur esse datum quodque post postillam Petri Ioannis Olivi damnatam (cfr. infra n. 600*a*) est scriptum. Id referre opus fuerit. Sequuntur itaque « *Responsiones ad oppositiones eorum, qui dicunt, quod Ioannes papa XXII sententialiter definivit in constitutione* Cum inter nonnullos, *haereticum fore censendum asserere illud, quod in decretali* Exiit qui seminat § Porro *continetur.* Videtur salvo iudicio saniori, quod verba dictae constitutionis [*Cum inter nonnullos*] non obvient nec contradicant determinationi ecclesiae positae extra de verborum significatione cap. *Exiit qui seminat* in [libro decret.] quinto § *Porro,* nec a sententiis reverendorum patrum et doctorum in sacra pagina fratrum Bonaventurae in sua apologia et Iohannis de Pezano [Peckham ord. Min., cfr. *Denifle-Herle* l. c. II, 401] in libro de perfectione evangelica traditis discrepent nec a determinationibus capituli generalis ordinis Minorum [Perusii mense iunio a. 1322 celebrati]. Nam habere aliquid, quantum ad praesentem materiam pertinet, accipitur tripliciter. Uno modo quantum ad usum facti simplicem; et hoc modo servi et religiosi, qui servi dicuntur et pro mortuis reputantur (cap. *De episcopis* et Cle. l. *Deo nobis* f. 1 in fine, in textu et glossa, et LIV di. cap. *Multos habere dicuntur quantum ad usum facti* ff. De peculio l. *Nec servus* et l. *Id vestimentum,* et notatur plene XII, q. I, cap. *Non dicatis).* Et de hoc modo habendi expresse loquitur decretalis praedicta *Exiit qui seminat* et decr. *Exivi de Paradiso,* posita in VII libro, in quibus dicitur, quod fratres Minores secundum regulam beati Francisci habere possunt unam tunicam et unam aliam etc., et tamen in eisdem dicitur, quod ipsi fratres nihil sibi approprient vel appropriare nihil sibi possunt in speciali vel etiam in communi. Per quod apparet, quod habere ibi sumitur quantum ad simplicem facti usum. Et secundum hunc modum Christus et apostoli habuerunt in speciali et etiam in communi aliquando loculos. Quorum apostolorum locum et vitam tenent monachi quantum ad abdicationem proprietatis et dominii omnium rerum in speciali, ut habetur et notatur expresse XVI, q. I, cap. *Ex auctoritate.*

Alio modo accipitur habere quantum ad ius administrationis et dispensationis; et hoc modo praelati sive episcopi, qui in locum apostolorum succedunt, quo ad praelationem et dispensationem rerum ecclesiae (XII, q. I, *Videntes* in textu et glossa et LXVIII di. cap. *Quorum vices* et XXI di. cap. *In novo*) dicuntur habere et habent ius administrationis et dispensationis ad utendum rebus ecclesiasticis, non quod res ecclesiasticae dicantur eorum esse quantum ad dominium et proprietatem, sed solum quantum ad procurationem, dispensationem et administrationem (et hoc probatur XII, q. I, cap. ultimo in textu et glossa, XXIII q. VII cap. *Quod autem,* et extra de donat. cap. II plene dicitur et notatur cum similibus). Et ex hoc iure competit eis vendere et donare in casibus per sacros canones concessis (XII, q. II, cap. *Sine exceptione,* et cap. *Hoc ius;* extra de rebus ecclesiae alienandis vel non alienandis, ut supra; extra de his, quae fiunt a praelatis sine consensu, cap. *Cum apostolica,* et habetur et notatur extra de donationibus cap. *Ceterum* cum similibus).

Tertio modo sumitur habere scilicet quantum ad dominium, et hic modus habendi subdistinguitur. Uno modo dicitur habere scilicet quantum ad dominium, quod est de iure divino, et hoc modo res Deo sive ecclesiae oblatae propter Deum et decimae dicuntur haberi et esse in dominio Christi et corporis eius, quod est ecclesia (XII, q. II, cap. *Qui Christi pecunias,* et cap. *Nulli liceat,* et cap. *Praedia,* et cap. *Qui abstulerit,* et q. III, capitulus *Pontifices,* et in eadem causa q. I, cap. *Res,* et cap. *Videntes;* et hoc plene dicitur et notatur per Innocentium et Hostiensem extra de causa possessionis et proprietatis cap. *Cum super electione).* Et de hoc dominio legitur XVI, q. III, cap. *Inter memoratos,* ubi dicitur, ecclesiae, cuius est ius retentionis, sit aeternum dominium, et habetur Levitici ultimo cap. circa finem. De hoc etiam dominio, quod spectat ad Christum et corpus eius, quod est ecclesia fidelium, ep. I ad Corint. III cap. dicitur: " *Omnia vestra sunt, vos autem Christi* " (et XXIII, q. VII, cap. I, circa principium etc. cap. *Quod autem* circa finem). Et de hoc modo habendi expresse Augustinus super Iohannem loquens de Donatistis dicit: " Veniant ad catholicam ecclesiam et nobiscum habeant non solum terram, sed etiam Eum, qui fecit coelum et terram ". In huiusmodi autem dominii communitate viventes et iter paupertatis altissimae et perfectionis evangelicae arripientes non quaerunt in rebus, quas habent, nisi usum (glossa ibi); et est Augustini dictum: *praeter usum in rebus nihil quaerendum est;* et ad Titum cap. VI: *habentes alimenta et quibus tegamur etc.* Ieronymus dicit: " signanter dixit: *quibus tegamur,* ut ostenderet, se non quaerere nisi usum ". Et quia usus tegumentorum et alimentorum inter homines distinctus est et habetur in speciali, ideo saepe scriptura divina utitur hiis nominibus, scilicet: *meum et tuum* iuxta illud: *Partiti sunt vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem* (Io. XIX). *Et habebat Christus loculos.* Quod haec intelligantur quantum ad usum, patet per Augustinum in verbis illis apostoli *omnia vestra sunt* dicentem: " Omnia nostra sunt, scilicet superiora, aequalia et inferiora. Superiora nostra sunt ad perfruendum, ut Deus Trinitas, et aequalia ad convivendum, ut et Angeli [ed. *Migne* XXXV, 1348, ubi tamen legimus: " Cum beatitatem illam obtinuerimus, nostra sunt ad videndum superiora nostra, erunt ad convivendum aequalia, nostra erunt ad dominandum inferiora..... Non enim domini erunt, sed consortes potius angelorum, de quibus dictum est: *Erunt aequales angelis Dei* "], qui et modo nostri sunt, quia ad usum nobis sunt, sicut res dominorum dicuntur esse famulorum non dominio, sed quia ad usum sunt eorum ". Haec Augustinus, et ponitur ipsa auctoritas Augustini in libro [secundo] quaestionum evangeliorum et recitatur in glossa ad Romanos VIII et secundo Sententiarum cap. *Omnia enim etc.* Ex isto etiam iure divino viris iter perfectionis arripientibus

expresse ipsamque scripturam sacram, per quam utique fidei orthodoxae probantur articuli, quoad praemissa fermentum aperte supponat continere mendacii ac per consequens, quantum in ea est, eius in totum fidem evacuans, fidem catholicam reddat (eius probationem adimens) dubiam et incertam, deinceps erroneam fore censendam et haereticam de fratrum nostrorum consilio hoc perpetuo declaramus edicto. Rursusque inposterum pertinaciter adfirmare, quod redemptori nostro praedicto eiusque apostolis [in] iis, quae ipsos habuisse scriptura sacra testatur, nequaquam ius ipsis

---

prohibetur dicere: *hoc meum proprium, hoc tuum proprium* (XIV, q. I et III in principio, VIII di. in princ. et cap. *Quo iure*, et XII, q. I cap. *Dilectissimis*). Et de hoc statu perfectionis Petrus in persona omnium apostolorum dixit: *Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te;* et Christus, ostendens ex hoc eos in regno coelorum praecellentem gloriam promereri, dicit: *Vos, qui secuti estis me, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suae, sedebitis et vos super sedes XII etc.*, ut habetur Matth. cap. XIX. Ex hoc iure prohibetur viris iter perfectionibus arripientibus in iudicio contendere, dicente Christo: *Si quis voluerit tunicam tuam tollere et in iudicio tecum contendere, dimitte ei et pallium.....* Ex hoc etiam iure divino apostolis et eorum vitam professis competiit et competit tempore necessitatis emere et vendere, unde dicitur Iohannis cap. IV: *Discipuli eius abierunt in civitatem, ut cibos emerent;* quod autem hoc fecerint tempore necessitatis, scilicet cum aliter eis per auxilium humanum non fuisset provisum de victualibus, patet in eodem evangelio, cum dicitur Ihesum venisse in civitatem Samariae, et quod Samaritani non contebantur Iudaeis; et Luc. cap. IX dicitur: *Introierunt in civitatem Samaritanorum, ut pararent illi, et non receperunt illum.* Ex quibus patet, quod Samaritani erant inhospitales Iudaeis; unde apostolis per humanum auxilium non fuisset provisum de cibo, nisi emissent. — Alio modo dicitur quis habere dominium et proprietatem de iure scilicet positivo, scilicet de iure imperatorum, quod per iniquitatem extitit introductum, scilicet ut homines dicant: *hoc meum proprium, hoc tuum proprium;* et in iudicio etiam contendant, ut dicitur in praeallegatis capitulis VIII di. *Quo iure*, et XII, q. I *Dilectissimis.* Et de hoc modo habendi iure proprietatis et dominii loquitur lex (ff.: De verborum significatione l.): " *habere* " *duobus modis dicitur* (et ff.: De verborum significatione l. *Stipulatio ista, scilicet habere*), et ex hoc iure habendi datur et competit in iudicio actio et exceptio (ff.: De acquirendis re. do. l. *Rem in bonis*) et inde litigia proveniunt. Et huiusmodi dominium et proprietatem abdicare sicut una privata persona potest et ad perfectionem pertinet, sic et unum collegium singulare hominum, quod obtinent vicem singularis personae (ff.: De fideiussore *Licet mortuo*), potest a suo toto collegio abdicare, et ad culmen perfectionis pertinet. Et de tali abdicatione in speciali et in communi, quod sit meritoria et sancta et etiam a Christo et apostolis docta, loquitur decretalis *Exiit qui seminat* (§ *Porro)* et aliae plures constitutiones a Romanis pontificibus super regula et statu fratrum Minorum factae. Dominio autem ac iuri et communitati emanantibus a iure divino, per quod est veritas (in Columba, I *In*[*h*]*umili ecclesia*), non est salubre nec licitum renuntiare ».

« Ex quibus patet, quod error est dicere simpliciter et absolute sive indefinite, quod Christus et apostoli non habuerunt aliqua in speciali nec etiam in communi, et sic omnem modum habendi excludere ac per consequens includere, quod ipsi non habuerunt res aliquas quantum ad usum facti in speciali nec in communi, et quod, in quantum fuerunt praelati ecclesiae militantis et administrationis seu dispensationis, non habuerunt ius utendi rebus oblatis sive concessis eis et vendendi seu donandi eas, prouti sacri canones dicunt, cum hoc contradicat sacrae scripturae et sacris canonibus et dictae decretali *Exiit qui seminat* dicenti, quod Christus loculos habuit etc. Et sequitur, quod in dicta constitutione *Cum inter nonnullos* dicitur, scilicet quod hoc pertinaciter affirmare haereticum sit censendum. Dicere autem cum dicta determinatione ecclesiae posita in dicta decretali *Exiit qui seminat*, scilicet quod abdicatio proprietatis omnium rerum tam in speciali quam in communi propter Deum sit meritoria et sancta, quam et Christus viam perfectionis ostendens verbo docuit et exemplo firmavit quamque apostoli, in quantum fuerunt professores paupertatis excelsae, de qua dicitur: *Ecce nos reliquimus omnia etc.*, in volentes perfecte vivere per doctrinae ac vitae ipsorum alveos derivarunt, et quod Christus loculos interdum habuit condescendens infirmis, ac per consequens quod Christus et eius apostoli viam perfectionis ostendentes non habuerunt proprietatem rerum et dominium in speciali vel ipsorum apostolorum privato collegio appropriatum, quod est ex iure imperatorum et implicat ad litigia et per iniquitatem introductum, ut dictum est, non est haereticum nec erroneum nec hoc aliquo modo dicere videtur dicta constitutio *Cum inter nonnullos*, quae de dicta decretali *Exiit qui seminat* nulla prorsus facit mentionem, nec eam tollit nec eidem in aliquo derogare videtur: immo cum idem sanctissimus pater et dominus dominus Iohannes pp. XXII pronuntiaverit de consilio et assensu dominorum cardinalium, decretalem *Exiit qui seminat* salubriter editam, solidam, claram et lucidam multaque maturitate digestam, prout in sua constitutione, quae incipit *Quorundam*, continetur expresse, et Viennense concilium in illa constitutione *Exivi de Paradiso* contradictorio iudicio approbaverit in hac parte determinationem factam in decretali praedicta *Exiit qui seminat*, nullo modo dicendum est nec credendum, quod per verba aliqua generalia posita in dicta constitutione ultima voluerit subvertere per suos praedecessores et seipsum cum multa maturitate diffinita (extra de electione cap. *Ecclesia nostra*). Sed promptum esse debet iura iuribus concordare (c. De insuffic. dotibus *Licet una* cum similibus) et constitutio subsequens secundum praecedentem exponenda et intelligenda est (extra: De officio et pot. iudi. deleg. cap. *Super quaestionum* in principio) nec constitutioni praecedenti per subsequentem derogatur, nisi in quantum invenitur expressum (cap. De aedif. priv. l. ult. et ff. De adimendis et transferendis legatis, l.: *Alumpnae scilicet qui filias* et in ant. de administrandis officiis in sacris appellationibus ad finem, et in iuribus vulgaribus: quod non mutatur, stare minime prohibetur, cap. De testamentis l. *Sancimus*, et cap. De appellat. l. *Praecipimus*) ».

« Porro post editionem et publicationem dictae constitutionis *Cum inter nonnullos* ipse dominus papa de consilio sacri collegii dominorum cardinalium in condempnatione, quam fecit de postilla, quam P[etrus] Io[annis Olivi] super apoc[alypsi] conscripsit, habuit consilium magistrorum in sacra pagina, quibus examinationem ipsius postillae commisit, inter quos magistros fuerunt fratres G(uilelmus) de Lauduno archiepiscopus Viennensis et Petrus de Palude Ordinis Praedicatorum [29 mart. 1329 in patriarcham Hierosol. promotus] et multi alii magistri aliorum ordinum et statuum; in quo iudicio per ipsos magistros in scriptis sub eorum sigillis etiam in forma publici instrumenti praefato domino papae tradito de quodam articulo, quem dictus P. Io. scripsit in dicta postilla, cuius articuli tenor de verbo ad verbum talis est: " Ex quo per Romanae ecclesiae authenticam testificationem et confirmationem constat, regulam Minorum per beatum F[ranciscum] editam esse vere et proprie illam evangelicam, quam Christus in se ipso servavit et apostolis imposuit et in evangeliis suis conscribi fecit, et nihilominus constat hoc per irrefragabilia testimonia librorum evangeliorum et ceterarum scripturarum sanctarum et perfectos expositores eorum, prout alibi est superhabunde monstratum ", dicti magistri in sacra pagina de ipso articulo suum dant consilium in haec verba:

utendi competierit nec illa vendendi seu donandi ius habuerint aut ex ipsis alia adquirendi, quae tamen ipsos de praemissis fecisse scriptura sacra testatur seu ipsos potuisse facere supponit expresse, cum talis assertio ipsorum usum et gesta evidenter includit in praemissis non iusta (quod utique de usu, gestis seu factis redemptoris nostri Dei filii sentire nefas est, sacrae scripturae contrarium et

---

" Si dictus P. Io. haec verba accipit secundum intellectum et declarationem et determinationem *Exiit qui seminat*, verum dicit; si autem intelligit, sicut ipse alibi declarat et sui sequaces asserunt, quod regula beati F. sit vere et proprie idem et idipsum, quod Christi evangelium et e converso, et quod dominus papa non habet potestatem super eam sicut nec super evangelium, vel quod, quicquid est in regula beati F., totum Christus ad litteram servaverit et apostolis imposuerit observandum: hoc totum simpliciter reputamus haereticum, ridiculum et insanum ". Nec istud probatur per aliquod testimonium, quod inducat haec verba dicti concilii. Ex quibus clare patere potest cuilibet intelligenti, quod ipse dominus papa per dictam constitutionem *Cum inter nonnullos* non intendit dictam determinationem in saepedicta decretali *Exiit* positam in hac parte aliqualiter tollere vel mutare. Idem etiam dominus papa, quando in consistorio legebatur dicta constitutio *Cum inter nonnullos*, ad dictum cuiusdam cardinalis dicentis eidem domino papae, quod in ipsa constitutione exprimeret, haereticum fore pertinaciter affirmare Christum et apostolos non habuisse proprietatem et dominium rerum in speciali nec in communi, respondit: non faciemus ».

« Porro novissime [die 18 iul. 1323] praefatus dominus papa venerabilem doctorem fratrem Thomam de Aquino cathalogo sanctorum ascripsit. Qui doctor in libello, quem edidit contra dampnantes statum non habentium in communi possessiones et dominia rerum sed per mendicitatem victum sibi quaerentium, qui libellus incipit: *Ecce inimici tui sonuerunt*, c[apitulo] V expresse determinat atque probat per auctoritates evangelii et sanctorum doctorum ecclesiae, quod possessiones et divitias rerum tam in speciali quam in communi relinquere est quidam gradus altior, contentus sub perfectione evangelica; et in responsionibus, quas facit ad argumenta in oppositum, dicit de verbo ad verbum sic: " Ad XVII^um^ argumentum dicendum est, quod ecclesia, quia multos infirmos sustinet, qui non de facili sine temporalium possessionum solatio ecclesiasticam vitam ducere sustinerent, expedit facultates communes in ecclesia possideri propriis dimissis, et praecipue propter pauperes sustentandos; non tamen per hoc sequitur, quod non sit expediens, a praedictis viris, qui propria dimiserunt, vitam religiosam agi sine communibus possessionibus. Et quamvis perfectio apostolica non annulletur ab illis, qui possessiones communes habent, tamen expressius servatur in illis, qui propriis dimissis etiam communibus carent ". Haec ibi. Et ad illud, quod obiicitur per adversarios huiusmodi paupertatis in speciali et in communi, quod Christus loculos habuit, in eodem libello respondet in haec verba: " Ad illud autem, quod octavo obiicitur, dicendum est, quod, quamvis non sit praeceptum, ut nihil pecuniae ad usus necessarios reservetur a sanctis; est tamen consilium; nec dominus loculos habuit, quasi alias ei provideri non potuisset, sed ut in se gerens infirmorum personam, ut sibi licitum crederent, quod a Christo observatum viderent ". Haec ibi. Quae probat per auctoritates sanctorum doctorum ecclesiae, et infra in eodem libello et capitulo dicit sic: " Ad XIV^um^ dicendum est, quod, sicut supradictum est, Dominus pecuniam servari fecit in loculis in necessarios usus, ut infirmis condescenderet; et ideo non est reputandum pro superstitione, si aliqui perfecti viri nolunt pecunias reservare; et Christus quamvis pecuniam reservari fecerit, non eam habebat ex aliquibus possessionibus, sed magis ei a fidelibus per modum eleemosynae ministrabatur ". Haec ibi. Et infra in e[odem] c[apitulo] dicit sic: " Ad XXII^um^ dicendum est, quamvis sancti patres modum illum habendi possessiones in communi approbaverunt, non tamen hunc modum abdicationis in communi reprobaverunt; et ideo non est praesumptuosum, hunc modum sequi. Alias nihil de novo posset institui, quod non fuerit antiquitus observatum; nihilominus tamen iste modus vivendi a multis sanctis patribus fuit antiquitus observatus et in ecclesia primitiva ". Haec dictus doctor. Si autem huiusmodi doctrina dicti doctoris fuisset contra fidem evangelii aut scripturae divinae aperte adversa ac per consequens erronea et haeretica, non est verisimile nec credendum, quod praefatus sanctissimus pater dominus Iohannes papa ipsum cathalogo sanctorum aliqualiter adscripsisset ».

« Nec his obstat, quod praefatus venerabilis doctor in sua summa in secunda serie dicit, quod habere aliquid in communi non diminuit perfectionem religionis, inducens ad hoc XII, q. I, cap. *Expedit;* quia, sicut colligi potest per rationes per eum ad hoc probandum inductas, intelligit, quod habere in communi non diminuit aliquid de illa perfectione, quae essentialiter annexa est religioni, quae in abdicatione proprietatis et dominii omnium rerum in speciali sive in singulari consistit, de qua loquitur capitulum extra de sta[tu] mo[nachorum] cap. *Cum ad monasterium* (in fine) et dictum cap. *Expedit*, quamque sancti Hilarius, Augustinus, Benedictus et plures alii habentes in communi possessiones et rerum dominia ad sufficientia professi sunt. Non autem intelligit, quod non diminuat aliquid de illa perfectione, quae est supererogationis et culminis, per quam abdicantur possessiones in proprio et in communi et status mendicitatis eligitur; alioquin, si de tali intellexisset, quod absit, incurrisset sententiam, quam fel. rec. dominus Alexander IV de consilio dominorum cardinalium protulit in omnes asserentes, huiusmodi abdicationem proprietatis et dominii omnium rerum tam in speciali quam in communi non esse de perfectione evangelica et in aeterna retributione praecellentem gloriam non mereri (prout in duabus constitutionibus per ipsum pontificem super hoc editis, quarum una incipit *Romanus pontifex* et alia *Non sine multa cordis amaritudine*, plenius continetur), et fuisset contrarius sibi ipsi et ordini suo et praecedenti suae determinationi, quam in praedicto suo libello conscripsit; quod de tanto doctore dicere videretur absurdum. — Nec obstat, quod dicitur, quod, licet dictus doctor in dicto opusculo *Ecce inimici* dixerit, quod non habere possessionem in communi et per mendicitatem victum quaerere contineatur sub perfectione evangelica, non tamen dixit nec intellexit, quod prorsus abdicare proprietatem et dominium omnium rerum in speciali et communi contineatur sub perfectione evangelica, cum habere in communi dominium et proprietatem rerum aliquarum necessariarum ad vitam non inducat, ut dicunt, sollicitudinem caritatis impeditivam. Et vere non obstat; nam omnes rationes et auctoritates quas adducit ad probandum, statum mendicitatis fore licitum et sub perfectione evangelica contineri, ita arguunt: statum abdicantium proprietatem et dominium omnium rerum in speciali et in communi contineri sub perfectione evangelica sicut statum illorum, qui in aliquibus modicis dicunt se in communi proprietatem et dominium retinere et sufficientia possessionum in communi, unde vivere possint absque mendicitate, se ex eorum statu asserunt abdicare, maxime cum habere in aliquibus rebus dominium et proprietatem introductum de iure gentium vel civili non sit ad vitam humanam necessarium. Nihil enim necessarium est ad vitam humanam conservandam nisi usus rerum. Et quia usus alimentorum est necessarius ad esse naturae conservandum, ad quod quilibet ex praecepto legis naturalis et divinae est indispensabiliter obligatus, eorum usui renuntiari non potest. Proprietati autem, quia non conservat esse naturae, potest renuntiari. Et praeter usum nihil in rebus quaerendum est, ut superius est probatum. Si enim dominium et proprietas domorum, librorum, vestimentorum et pecuniarum, ex quibus hu-

doctrinae catholicae inimicum): assertionem ipsam pertinacem de fratrum nostrorum consilio deinceps erroneam fore censendam merito ac haereticam declaramus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum declarationum infringere vel ausu ei temerario contraire. Si quis autem etc. Datum Avinione, II idus decembris, anno septimo.

519. Indulget Francisco Manneti de Florentia, monacho mon. Fontisboni ord. Camald. dioec. Aretin., quod possit assumi vel promoveri ad sui ordinis dignitates praeterquam abbatialem, non obstante, quod olim fuerit ordinem Min. professus. [1]

1323, novembris 24, Avinione.

Dil. filio Francisco Manneti de Florentia, monacho mon. Fontisboni ord. Camald. dioec. Aretin.

Personam tuam *etc.* Dat. Avinione, VIII kal. decembris, anno octavo. [2]

520. Episcopis Ferrarien. et Bononien. committit, ut puniant fr. Guilelmum dictum Anglicum ord. Min., eo quod Bononiae praedicavit, Christum eiusque apostolos non habuisse quidquam in proprio vel in communi. [3]

1323, decembris 1, Avinione.

[*Ven. fratribus*] *Ferrariensi et Bononiensi episcopis.*

Licet moleste feramus quorumlibet insolentias transgressorum, religiosorum tamen excessibus eo gravius provocamur, quod facilius actus eorum transeunt aliis in exemplum. Nuper siquidem ad nostri apostolatus auditum infesta produxit relatio, quod Guillelmus dictus Anglicus ordinis fratrum Minorum, sacrae scripturae se asserens professorem, [4] nuper in civitate Bononiensi clero et populo publice praedicans nec modestiam et discretionem, quas decet verbi Dei praedicatores in ministrando fidelibus salutis pabulum adhibere, sicut decebat, observans, sed seposito iudicio rationis dilapsus ad illicita et incauta ac contra doctrinam plus sapere quam oporteat moliens et cor suum ponens in coelum, non submissa voce sed altius solito proclamando indiscrete et improvide dicere et affirmare non sine multa temeritate praesumpsit, haereticum esse dicere et asserere salvatorem nostrum et dominum Iesum Christum ac eius apostolos aliquid habuisse in proprio vel communi, quamvis nec posset nec deberet quomodolibet ignorare, quaestionem subortam super hoc esse in Romana curia et in ea terminari debere. Nos autem tantae temeritatis audaciam nolentes, si veritas suffragetur relatibus, absque correctione debita praeterire, fraternitati vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus vos et quilibet vestrum per vos vel per alium seu alios summarie, simpliciter et de plano super praedictis, quae non notoria esse non possunt, vos solerter informare curantes, si ea repereritis veritate fulciri, praedictum Guillelmum peremptorie citare sibique in virtute sanctae obedientiae et sub poena excommunicationis ex parte nostra districtius iniungere studeatis, ut infra unius mensis spatium immediate post citationem huiusmodi numerandum apostolico conspectui personaliter se praesentet, super praedictis, quod suadebit iustitia, recepturus ac mandatis et beneplacitis apostolicis pariturus; diem vero huiusmodi citationis et formam, et quidquid inde feceritis, nobis per vestras litteras vel instrumentum publicum harum seriem continens fideliter intimare curetis. Datum Avinione, kalendis decembris, anno octavo.

521. Rectorem Vallis Spoletan. et abbates mon. s. Petri Perusin. ac s. Petri Assisien. monet, ut in regestris summorum pontificum, quae in archivis ecclesiae Rom.

---

iusmodi necessaria acquiruntur, foret necessarium ad vitam humanam conservandam, sicut nullus in speciali vel in communi potest licite renuntiare his, sine quibus non conservatur esse naturae, sic nec in speciali nec in communi posset renuntiari dominio et proprietati talium rerum nécessariarum: quod tamen constat fore falsum et iuri contrarium. Videtur etiam, quod retinere in communi proprietates et dominia in rebus inducat sollicitudinem, quia, sicut retentio dominii et proprietatis in singularibus inducit sollicitudinem (ex hoc enim, quod quis dicit: *hoc meum proprium, hoc tuum proprium,* insurgit litigium inter singulares personas), ita ex eo, quod unum collegium, quod vicem obtinet singularis personae, ut dictum est, dicit: *hoc meum, hoc tuum,* insurgunt litigia et contentiones inter collegia et communitates, quae a caritate plerumque distrahunt, sicut experientia manifesta declarat. Porro ecclesia humilis pluries et frequenter determinavit, quod abdicatio proprietatis et dominii omnium rerum tam in speciali quam in communi, quam fratres Minores profitentur, sub perfectione evangelica contineatur, et dampnat contrarium asserentes, ut in praeallegata constitutione domini Alexandri IV *Non sine multa cordis amaritudine* continetur, quam dictus doctor non ignoravit; et ideo nullatenus est dicendum, quod contra diffinitionem et determinationem ecclesiae dicere voluerit, quod abdicare proprietates et dominia omnium rerum in speciali et in communi non contineatur sub perfectione evangelica, et per consequens a determinatione ecclesiae deviare et seipsum propria voce dampnare. Et praedicta dicuntur et dicta semper intelligantur salvo iudicio et sub correctione et emendatione domini papae et sedis eius ».

[1] Reg. Vat. t. 76, ep. 327.

[2] Die 17 sept. 1326 summus pontifex cum eodem Francisco Manneti in forma ampliori pro obtinendis in suo ordine dignitatibus dispensat, die autem 5 dec. 1326 ei indulget, ut possit assumi ad abbatiam mon. s. Zenonis Pisan. Reg. Vat. t. 82, ep. 192; t. 83, ep. 1031.

[3] Reg. Vat. n. 112, f. 38, ep. n. 174, cfr. supra n. 518.

[4] Non constat, quinam Guilelmus Anglicus sit intelligendus: utrum ille Guilelmus Alnvich, qui a. 1322 capitulo generali Perusino interfuit et protestationi tum factae (cf. supra n. 486) subscripsit, an Guilelmus dictus de Okam, qui doctrinarum a fide alienarum accusatus apud sedem apostolicam in ius postea vocatur. Verisimilius tamen est (id quod *Raynaldus*, Ann. eccl. ad a. 1323, opinatur), sermonem fieri de Guilelmo Okamo.

penes locum fratrum Min. Assis. aut in circumvicinis locis deposita fore dicuntur, de miraculis b. m. Philippi archiepiscopi Bituricen. studeant diligenter perquirere. [1]

1323, decembris 14, Avinione.

Dil. filiis .. Vallis Spoletanae rectori et .. s. Petri Perusin. ac s. Petri Assisinat. monasteriorum abbatibus.

Ex parte venerabilis fratris nostri Guilelmi archiepiscopi et dilectorum filiorum capituli Bituricen. *etc.* Dat. Avinione, XIX kal. ianuarii, anno octavo.

522. Henrico domino de Soliaco (*Sully*), buticulario regni Franciae, concedit facultatem ingrediendi monasterium de Longocampo ord. s. Clarae. [2]

1324, ianuarii 2, Avinione.

Dilecto filio nobili viro Henrico domino de Soliaco.

Devotionis tuae sinceritas *etc.* Hinc est, quod nos tuis supplicationibus inclinati, ut cum quatuor honestis personis monasterium Minorissarum de Longocampo Parisiensis dioecesis, ad quod specialiter affici te asseris devotione sincera, non obstantibus ipsorum monasterii et ordinis contrariis statutis et consuetudinibus quibuscumque ac constitutione qualibet in contrarium edita, de die horis congruis et honestis dumtaxat, quoties tibi placuerit, libere possis ingredi (ita tamen, quod nec tu nec personae praedictae, quae in tua ut praemittitur fuerint comitiva, comedatis vel pernoctetis ibidem) auctoritate tibi praesentium indulgemus. Nulli ergo etc. Datum Avinione, IV nonas ianuarii, anno octavo.

523. Marino de Diano unam capellam in ecclesia parochiali de Diano dioec. Capudaquen. (*Capaccio*) in hon. b. Ludovici episcopi construendi ibique capellaniam erigendi concedit facultatem. [3]

1324, martii 14, Avinione.

Dilecto filio nobili viro Marino de Diano domino de Camerota Capudaquensis dioecesis.

Sincerae devotionis affectus, quem ad nos et Romanam geris ecclesiam, promeretur, ut in hiis, quae tuae et aliorum salutem animarum respiciunt, petitionibus tuis, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Exhibita siquidem nobis tua petitio continebat, quod tu, cupiens terrena in coelestia et transitoria in aeterna felici commercio commutare, ad honorem et laudem beati Ludovici episcopi gloriosissimi confessoris unam cappellam in parochiali ecclesia de Diano Capudaquensis dioecesis construere desideras et eidem capellae pro uno presbytero perpetuo cappellano, qui pro tua ac parentum et propinquorum tuorum animarum salute inibi perpetuo debeat celebrare, sufficientes redditus de bonis propriis assignare. Quare pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut tibi construendi cappellam praedictam in dicta ecclesia cum assignatione dictorum reddituum, dioecesani loci licentia minime requisita, concedere licentiam dignaremur. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, tibi construendi ut praemittitur praefatam cappellam in ecclesia supradicta, assignata per te perenniter eidem cappellae de bonis propriis ut praefertur iuxta ipsius dioecesani arbitrium dote sufficienti pro huiusmodi presbyteri sustentatione et aliis ipsius cappellae oneribus supportandis, liberam tibi concedimus tenore praesentium facultatem, iure patronatus in eadem cappella tibi et haeredibus tuis perpetuis futuris temporibus reservato. Nulli etc. Datum Avinione, II idus martii, anno octavo.

524. Publicat processus contra Vicecomites Mediolan. ecclesiae Romanae inobedientes habitos, in quibus inter alia sermo est, quod Matthaeus Vicecomes tam praelatis ecclesiasticis quam religiosis, videlicet Praed., Min., Erem. s. Aug. et aliorum ordinum paupertatis fratribus, ne synodos et concilia vel quaelibet capitula congregarent aut in subditos visitationis vel praedicationis officium exercerent, interdicebat expresse, perversos dictorum ordinum fratres suaeque iniquitatis conformes in eorum fovendo nequitiis eosque suis conventibus per violentiam praeficiendo, et quod Galeatius eius filius nonnulla etiam bona, quae tam clerici quam laici in locis Praed., Min., Erem. s. Aug. ordinum fratrum et aliis diversis ecclesiis Placentin. (*Piacenza*) pro securiori custodia duxerant deponenda, tam per se quam suos satellites asportavit. [4]

1324, martii 23, Avinione.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cogit nos *etc.* Dat. Avinione, X kal. aprilis, anno octavo.

525. Episcopos infra nominatos inquirere iubet de commutandis invicem bonis monasterii Scafati ord. Cist. et

---

[1] Reg. Vat. t. 76, e.p 564. Cfr. *Denifle-Ehrle, Archiv.* II, 3.
[2] Reg. Vat. t. 76, f. 162, ep. 485.
[3] Reg. Vat. t. 76, f. 243, ep. 727.
[4] Arch. Vat. Arm. XXXI, 42, f. 24. Bertrandus tit. s. Marcelli presb. card. et apost. sedis in Lombardia legatus praedictum Matthaeum Vicecomitem, iam 6 apr. 1318 a Ioanne XXII excommunicatum, iubente eodem summo pontifice publico instrumento die 3 sept. 1320 in domo fratrum Min. Asten. confecto citavit, ut infra duorum mensium spatium apostolico conspectui se praesentaret. Idem legatus eodem tempore in ipsa domo fratrum Min. Asten. Rainaldum Passerinum, qui spreta monitione apostolica vicariatum imperii in civitate Mantuan. retinebat, excommunicavit. Cfr. « Vatik. Akten » ed. *Riezler* n. 216*c* et 220*a*.

hospitalis s. Ioannis Hieros. ex una, ac monasterii Corp. Chr. Neapolitan. ord. s. Clarae ex altera parte. [1]

1324, martii 23, Avinione.

Venerab. fratribus .. [2] archiepiscopo Salernitan. et [Francisco] Gaietan. ac [Arnaldo] Troian. episcopis.

Ex parte carissimorum in Christo filiorum nostrorum Roberti regis et Sanciae consortis suae reginae Siciliae illustrium nobis extitit humiliter supplicatum, ut, cum monasterium Scafati Cistercien. ordinis Nolanae dioec. habeat nonnulla iura et bona in civitatis Neapolitanae pertinentiis, quae propter commoditatem locorum et vicinitatem, ubi consistunt, multum competerent monasterio sancti Corporis Christi Neapolitan., quod dicti rex et regina ad laudem et gloriam Redemptoris eiusdem pia devotione fundarunt, pro quibus dilectae in Christo filiae abbatissa et conventus dicti monasterii Corporis Christi paratae sunt dicto monasterio Scafati recompensationem decentem seu sufficiens excambium assignare, praedicta iura et bona omnia quaecumque ad dictum monasterium Scafati spectantia, sita in civitate et pertinentiis supradictis, dicto monasterio sancti Corporis Christi, dato per eas dicto excambio praefato monasterio Scafati, concedere dignaremur. Quia igitur de praemissis notitiam non habemus, fraternitati vestrae, de qua plenam in Domino fiduciam gerimus, praesentium auctoritate committimus et mandamus, quatenus de valore dictorum bonorum, quae dictum monasterium Scafati obtinet in civitate et pertinentiis memoratis, et eorum, quae per dictam abbatissam vel conventum danda erunt pro recompensatione seu excambio eorumdem, ac etiam de opportunitate dictorum bonorum assignandarum dicto monasterio Scafati pro recompensatione praedicta et aliis circumstantiis curetis diligentius informari, et quaecumque per informationem huiusmodi invenietis, et alias circumstantias universas et opportunas, quae fuerint in talibus attendendae, nobis per vestras litteras harum seriem continentes fideliter referre curetis, ut vestra relatione super praemissis instructi, quod super his expediens et utile fuerit, auctore Domino agere valeamus. Quod si non omnes his exequendis poteritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Avinione, X kalendas aprilis, anno octavo.

Eisdem. Ex parte carissimorum in Christo filiorum nostrorum Roberti regis et Sanciae consortis suae reginae Siciliae illustrium nobis extitit humiliter supplicatum, ut, cum hospitale sancti Ioannis Hierosolymitan. habeat in pertinentiis civitatis Aversanae quamdam grangiam, quae Coliana vulgariter nuncupatur, et quae propter commoditatem et vicinitatem loci, ubi consistit, multum competeret monasterio sancti Corporis Christi Neapolitan. *etc.*, pro qua dilectae in Christo filiae abbatissa et conventus dicti monasterii sancti Corporis Christi paratae sunt dicto hospitali recompensationem decentem seu sufficiens excambium assignare, praedictam grangiam cum pertinentiis suis dicto monasterio sancti Corporis Christi, dato super eas dicto excambio praefato hospitali, concedere dignaremur. Quia igitur *etc.* ut supra. Datum Avinione, X kalendas aprilis, anno octavo.

526. Monialibus mon. Corp. Christi Neapolitan. ord. s. Clarae indulget, quod guardianus ipsius monasterii non solum semel in anno, sed quoties expedierit, earum confessiones audire valeat. [3]

1324, martii 25, Avinione.

Dilectis in Christo filialibus abbatissae et sororibus monasterii sancti Corporis Christi Neapolitan. ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis ordinis sanctae Clarae.

Desideriis vestris libenter annuimus in iis, quae animarum vestrarum salutem respicere dignoscuntur. Sane in ordinationibus in monasterio vestro salubriter institutis et auctoritate apostolica confirmatis inter alia specialiter continetur, quod in dicto monasterio per dilectum filium generalem totius ordinis vel provincialem Terraelaboris ministros duo fratres litterati, maturi, honesti, providi et discreti instituantur ad audiendum confessiones sororum dicti monasterii et ad absolvendum eas de commissis et iniungendum eis poenitentias salutares, quoties voluerit abbatissa et sorores praedictae, quodque guardiano dicti monasterii semel in anno debeant generaliter confiteri. Cum itaque, sicut asseritis, ad magnum animarum vestrarum profectum, aedificationem quoque et spiritualem consolationem vestram huiusmodi confessio, quam dicto guardiano semel in anno facitis, accedere dignoscatur, ac magis ad consolationem vestram cederet, si semper confiteri haberetis eidem, cuius ratione officii sui de omnibus monasterium ipsum contingentibus intus vel foris, publice vel occulte, interest notitiam obtinere: nos vestris supplicationibus inclinati, quod guardianus praedictus, quoties expedierit, possit confessiones vestras audire [4] et pro commissis debitam vobis absolutionem impendere et iniungere poenitentiam salutarem, et quod, quando dictum guardianum impediri contin-

[1] Reg. Vat. t. 76, ep. 741 et 742, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, p. 2, n. 25.
[2] Arnaldo Roiardi ex Ord. Min.
[3] Reg. Vat. t. 76, ep. 801 (fr. epp. 742 et 798-800), apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, p. 2, n. 28.
[4] Quae facultas iam 1 iul. 1326 revocatur.

gat, ut vacare non possit vestris confessionibus audiendis, de eiusdem licentia dicti duo fratres ad id per dictorum ministrorum alterum instituti secundum ordinationem praefatam possint vestras confessiones audire et de commissis beneficium vobis absolutionis impendere et iniungere poenitentias salutares, auctoritate vobis praesentium indulgemus. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, VIII kalendas aprilis, anno octavo.

527. Indulget Sanciae reginae Siciliae, quod moniales mon. Corp. Chr. Neapolitan. fruantur privilegiis ordinibus Minorum et s. Clarae concessis. [1]

1324, aprilis 1, Avinione.

Carissimae in Christo filiae Sanciae reginae Siciliae illustri.

Claris tuae celsitudinis meritis *etc.* Cum itaque, sicut pro parte tua fuit nobis expositum, de licentia sedis apostolicae monasterium quoddam sub vocabulo sancti Corporis Christi in civitate Neapolitana pia intentione construi feceris ad ampliationem ordinis sanctae Clarae, ut ibi sororum eiusdem ordinis copiosus numerus ad obsequendum Altissimo collocatus de acquisitis et assignatis sibi per te possessionibus et redditibus sustentetur: nos devotis tuis supplicationibus benignius annuentes, ut idem monasterium ac praedictae sorores, et quae in posterum inibi fuerint collocatae, nec non omnes ac singuli ad ipsum monasterium cum veneratione debita confluentes, omnibus indulgentiis ordinibus fratrum Minorum et sororum sanctae Clarae suis vicibus et diebus quavis auctoritate concessis potiantur et gaudeant, auctoritate tibi praesentium indulgemus. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, kalendis aprilis, anno octavo. [2]

528. Eisdem monialibus concedit, ut cum fratribus Min. ad servitium ipsarum in spiritualibus deputatis possint vicissim cantare officium divinum. [3]

1324, aprilis 4, Avinione.

Dilectis in Christo filiabus abbatissae et conventui mon. s. Corp. Chr. Neapolitan. ord. s. Clarae.

Ea, quae cultus divini incrementum respiciunt et ipsius frequentiam, affectu piae mentis complectimur et libenter etiam promovemus. Hinc est, quod nos carissimae in Christo filiae nostrae Sanciae reginae Siciliae illustris, vestri monasterii fundatricis, cupientis ibidem cultum divini nominis augmentari, precibus inclinati, ut in dicto monasterio praefatus cultus divinus frequentetur, auctoritate praesentium indulgemus, ut fratres ordinis Minorum, praesentes et posteri, in dicto monasterio consistentes, in ecclesia eiusdem monasterii, quae extra sed prope clausuram vestram consistit, possint horas divinas vicissitudinaliter dicere seu decantare, videlicet quod ipsi primo missam cantent, in qua tantum respondeant dicti fratres, et deinde in alia missa respondeat chorus vester: qui quidem ordo in aliis horis canonicis observetur, videlicet ut dicti fratres primo horam primae decantent et deinde dictam primam concinat chorus vester, vicissitudinem huiusmodi in ceteris aliis horis canonicis observando, ita quod huiusmodi alternato seu vicissitudinario officio inibi observato Deus in dicto monasterio duplicatis divinae laudis obsequiis venerabiliter collaudetur. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, IV nonas aprilis, anno octavo.

529. Concedit Roberto regi Siciliae facultatem cum 12 personis saecularibus et 4 fratribus Min. monasterium Corp. Chr. Neapolitan. ord. s. Clarae ingrediendi. [4]

1324, aprilis 10, Avinione.

Roberto regi Siciliae illustri.

Eximiae tuae devotionis sinceritas promeretur, ut petitiones tuas, quantum cum Deo possumus, ad exauditionis gratiam admittamus. Hinc est, quod nos tuis supplicationibus inclinati, ut monasterium sororum sancti Corporis Christi Neapolitan. ordinis sanctae Clarae, quotiescunque devotionis causa volueris, cum duodecim probatis et honestis personis saecularibus, quas elegeris, et quatuor fratribus ordinis Minorum ad ipsius loci custodiam deputatis libere ingredi valeas absque poena quacunque, dummodo ibi non comedas nec pernoctes, contrariis ipsius ordinis statutis vel consuetudinibus nequaquam obstantibus, serenitati tuae auctoritate praesentium indulgemus. [5] Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, IV idus aprilis, anno octavo. [6]

---

[1] Reg. Vat. t. 76, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, p. 2, n. 27.

[2] Eidem reginae summus pontifex litteris die 23 martii 1324 datis (Reg. Vat. t. 76, ep. 712) concesserat, quod, si saeculo derelicto regulam monialium in aliquo monasterio profiteretur, administratio omnium bonorum suorum apud idem mon. remaneret.

[3] Reg. Vat. t. 76, ep. 807, apud *Wadd.* l. c., reg. pont. Io. XXII, p. 2, n. 29.

[4] Reg. Vat. t. 76, ep. 815, apud *Wadd.* l. c., reg. pont. Io. XXII, p. 2, n. 30.

[5] Cfr. supra n. 381.

[6] Aliis litteris die 10 apr. 1324 datis summus pontifex Guilelmo episcopo Puteolan., paulo post ad eccl. Adversan. translato (cfr. infra n. 532), indulget, quod circa audiendas confessiones regis et reginae Siciliae ac Caroli primogeniti regis eiusdem, ducis Calabriae, et Mariae uxoris eius, eorumque absolutiones a peccatis ipsorum, remissiones quoque atque poenitentiarum iniunctiones illam per omnia habeat potestatem, quam habent alii minores poenitentiarii in Romana curia existentes (Reg. Vat. t. 76, ep. 813).

530. Indulgentias concedit visitantibus capellam in honorem B. M. V. in ecclesia s. Laurentii fratrum Min. Neapolitan. construendam. [1]

1324, maii 23, Avinione.

Universis Christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Gloriosus Deus *etc.* Cupientes igitur, ut cappella, quam dilectus filius Picardius de Ganibatesa miles infra ecclesiam beati Laurentii fratrum ordinis Minorum Neapolitan. in honorem (eiusdem) beatissimae virginis [facit] construendam, congruis honoribus frequentetur, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui dictam cappellam in quatuor festivitatibus eiusdem Virginis gloriosae venerabiliter visitaverint annuatim, centum dies de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus. Datum Avinione, X kalendas iunii, anno octavo.

531. Dispensat cum fratribus Bernardo de Castillione et Francisco de Aquaputrida ord. Min. super defectu natalium. [2]

1324, maii 24, Avinione.

Dilecto filio Bernardo de Castillione ordinis fratrum Minorum.

Contra illos, qui non sunt de legitimo matrimonio procreati, plures emanarunt canonicae sanctiones; quas licet generaliter conveniat observari, solet tamen apostolicae sedis benignitas, cum specialis ratio id poscit, illarum rigorem lenitatis mansuetudine temperare: praecipue circa regularis ordinis professores, qui defectum huiusmodi redimunt meritis probitatis. Ex parte siquidem tua fuit nobis humiliter supplicatum, ut tecum super defectu natalium, quem pateris de soluto genitus et soluta, quod huiusmodi non obstante defectu natalium possis usque ad custodis officium inclusive in ordine fratrum Minorum, quem expresse fuisti professus, promoveri, dispensare misericorditer dignaremur. Nos itaque attendentes, quod, sicut testimonio fidedigno percepimus, religionis zelo, litterarum scientia et virtutibus aliis redimis, quod ortus tibi odiosus ademit, tuis supplicationibus inclinati, tecum, quod praedicto defectu aliquatenus non obstante possis usque ad praefatum custodis officium inclusive in dicto ordine promoveri et illud ac inferiora officia inibi exercere, auctoritate apostolica de speciali gratia dispensamus. Nulli *etc.* Datum Avinione, IX kalendas iunii, anno octavo.

Dilecto filio Francisco de Aquapudrida ordinis fratrum Minorum.

Contra illos, qui non sunt de legitimo matrimonio procreati *etc. ut supra.* Datum Avinione, IX kalendis iunii, anno octavo.

532. Transfert Guilelmum episcopum Puteolan. (ex ord. Min.) ad ecclesiam Adversanam. [3]

1324, iunii 1, Avinione.

Venerabili fratri Willelmo episcopo Adversan.

Quam sit onusta dispendiis *etc.* Dudum siquidem ecclesia Adversana [4] ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinente per obitum bonae memoriae Petri episcopi Adversani, qui in partibus illis diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, dilecti filii capitulum eiusdem ecclesiae, vocatis omnibus, qui voluerunt, debuerunt et potuerunt commodi interesse, die ad eligendum praefixa, ut moris est, convenerunt insimul et tandem, votis ipsorum in diversis divisis, nonnulli ex eis bonae memoriae Richardum episcopum Tricaricen. tunc viventem postulare, reliqui vero ex ipsis quondam Ligorium de Suessa canonicum eiusdem ecclesiae in Adversanum episcopum eligere in discordia curaverunt. Huiusmodi ergo electionis et postulationis negotio in consistorio proposito coram nobis et praedicto Ligorio ad sedem apostolicam pro prosecutione electionis suae huiusmodi personaliter accedente, nos bonae memoriae Berengario episcopo Portuen. negotium huiusmodi audiendum oraculo vivae vocis commisimus et nobis postmodum referendum. Coram quo postquam ad aliquos actus in huiusmodi negotio fuit processum, dictus Tricaricen. episcopus in illis partibus debitum naturae persolvit, ac deinde praefato episcopo Portuen. sublato de medio nos venerabili fratri nostro Petro episcopo Praenestino negotium huiusmodi resumendum in eo statu, in quo erat coram dicto episcopo Portuen., commisimus similiter referendum; sed priusquam coram eodem episcopo Praenestino in huiusmodi negotio ad aliquos actus processum fuisset, idem Ligorius apud sedem praedictam viam fuit universae carnis ingressus. Nos igitur ad provisionem ecclesiae Adversanae celerem et felicem, ne ulterioris vacationis exponeretur incommodis, sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de praeficiendo eidem ecclesiae personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, tunc episcopum Puteolanum, consideratis grandium virtutum meritis, quibus personam tuam Dominus insignivit, et

[1] Reg. Vat. t. 77, f. 22, ep. 1061.
[2] Reg. Vat. t. 77, f. 62, ep. 1196 et 1197.
[3] Reg. Vat. t. 77, ep. 1541, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, p. 2, n. 31; cfr. supra p. 262 not. 5. Iste Guilelmus exeunte anno 1325 vel ineunte a. 1326 iam moritur.
[4] *Aversa* prope Neapolim.

quod regimini Puteolanae ecclesiae laudabiliter praefuisti, direximus oculos nostrae mentis. Intendentes itaque tam gregi Dominico quam eidem Adversanae ecclesiae salubriter et utiliter providere, te a vinculo, quo tenebaris praefatae Puteolan. ecclesiae, cui tunc praeeras, de dictorum fratrum consilio et apostolicae plenitudine potestatis absolventes, ad praedictam Adversanam ecclesiam transferimus teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem ipius ecclesiae Adversanae tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo liberamque tibi dando licentiam ad praefatam Adversanam ecclesiam transeundi *etc.* Datum Avinione, kalendis iunii, anno octavo.[1]

533. Omnes et singulos, cuiuscunque dignitatis, ordinis, conditionis vel status exstiterint, qui Friderico archiepiscopo Rigen. (ex ord. Min.) de ipsius summi pont. licentia et benedictione a curia Rom. ad provinciam suam Rigen. se conferenti, ut ad ovile gregis Dominici per salubrem ministerii sui opem oves errantes auctore Domino valeat revocare, quominus in eundo libere et secure iter coeptum prosequi valeat, aliquod impedimentum afferunt, eo ipso excommunicationis sententiae subiacere eorumque terras ecclesiastico interdicto fore suppositas declarat.[2]

1324, iunii 1, Avinione.

Ven. fratri Frederico archiepiscopo Rigen.

Cum tu zelo fidei et devotionis accensus etc. Dat. Avinione, kalendis iunii, anno octavo.

534. Committit episcopo Castellano, quod puniat excessum per quosdam canonicos Tergestinos in fr. Fabianum ord. Min., inquisitorum haer. prav., patratum.[3]

1324, iunii 2, Avinione.

Venerabili fratri episcopo Castellano.

Verbum Dei, cultum catholicae fidei et reverentiam apostolicae sedis ab hiis, proh dolor, qui aliis esse debent sacrae venerationis exemplum, venisse nuper audivimus in contemptum; habet enim odiosa nobis et plurimum infesta relatio dilecti filii Fabiani de ordine fratrum Minorum, inquisitoris haereticae pravitatis in provincia Sclavoniae, quod, dum ipse pridem in ecclesia Tergestin. personaliter constitutus vellet, sicut praedixerat, Tergestinae praedicare populo civitatis, ut successive quasdam ibi apostolicas litteras promulgaret, ac pulpitum propterea ipsius ecclesiae niteretur ascendere, factus est velut in propria veniens et a suis ut decuit non receptus, dum Raymundus de Cremona et Michael de Padua, canonici eiusdem ecclesiae, et nonnulli alii iniquitatis filii sequaces eorum, assumpto proterviae spiritu, concitatis clamoribus, pulsatis campanis ad sturmum, populoque turbato, circumdederunt inquisitorem ipsum et in eum pluries manibus violentis iniectis hunc de ascensu ipsius pulpiti traxere deorsum, percusserunt pugnis et eodem astante populo sic plectibiliter tractaverunt, quod idem inquisitor nec praedicationis verbum proponere potuit nec promulgare litteras memoratas, quas violenter huiusmodi temerarii de ipsius manibus abstulerunt, ut dicitur, et lacerassent illas, nisi eis potentia ipsius astantis populi restitisset. Ne igitur tantus excessus in gravem divinae maiestatis offensam, iniuriam et contumeliam pariter nostram et sedis eiusdem, perniciosis exemplis praetereatur impunis, fraternitati tuae per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus de praemissis (simpliciter, summarie et de plano sine strepitu et figura iudicii) diligenter et fideliter te informans, si rem inveneris ita esse, praefatos Raymundum et Michaelem et sequaces ipsorum (illos videlicet, de quibus praemisso modo specialiter tibi constiterit nominatim, alios vero generaliter) excommunicatos denuncies et denunciari publice facias in locis, de quibus expedire videris, et mandes ab omnibus arctius evitari, donec a praedicta sede absolutionis beneficium mereantur; et nihilominus praedictos canonicos et ceteros ex culpabilibus ipsis, qui clerici fuerint, interim suspendas ab officiis et beneficiis eorundem ac demum tam canonicos ipsos et clericos sub poena privationis omnium officiorum et beneficiorum suorum huiusmodi, quam laicos, quos per informationem ipsam specialiter eorum fuisse repereris nominatim in hac parte sequaces, ex parte nostra peremptorie citare procures, ut infra certum et competentem terminum, quem eis praefixeris, personaliter in praesentia nostra compareant, super hiis pro meritis recepturi. Diem vero eiusdem citationis et formam, et quicquid super praemissis faciendum duxeris, per tuas patentes litteras vel instrumentum publicum harum seriem continens nobis scribas. Datum Avinione, IV nonas iunii, anno octavo.

535. Mandat universis personis ecclesiasticis et religiosis, praesertim in civ. et dioec. Basileen., Constantien., Augusten., necnon in provincia Salzeburgen., ut publicent processus contra Ludovicum Bavarum habitos.[4]

1324, iunii 9, Avinione.

Dilectis filiis universis abbatibus, prioribus quoque, ministris, custodibus, guardianis Praedicato-

[1] Litteris die 25 aug. 1324 datis summus pontifex archiepiscopo Capuan. et Theatin. ac Casertan. mandat, ut a praedicto Guilelmo iuramentum fidelitatis in huiusmodi translationibus fieri solitum recipiant (Reg. Vat. t. 77, ep. 1613).

[2] Reg. Vat. t. 77, ep. 1072. Cfr. supra n. 31, 175, 305, 366, et infra n. 986, 1006.

[3] Reg. Vat. t. 112, p. II, f. 41, ep. 181. Cfr. infra n. 573.

[4] Reg. Vat. t. 112, p. II, f. 71, ep. 881. Cfr. infra n. 546.

rum, Minorum, Heremitarum s. Aug. et b. Mariae de Carmelo in civ. et dioec. Basileen., ad quos praesentes litterae pervenerint.

Volentes processus nostros *etc.* Dat. Avinione, V idus iunii, anno octavo.

In e. m. *eisdem in civ. et dioec. Constantien.*

In e. m. *eisdem in civ. et dioec. Augusten.*

Item in e. m. (m. m.) *archiepiscopo Salzeburgen. eiusque suffraganeis.*

Item in e. m. *episcopo Patavien.*

535.[a] Mandat religiosis Argentinae degentibus, ut in publicandis processibus, de quibus supra n. 535, obediant episcopo Argentinen. [1]

1324, iunii 9, Avinione.

Dilectis filiis religiosis Argentinen. civ. et dioec., exemptis et non exemptis.

Si diligenti studio perpendatis *etc.* Dat. ut supra *(n. 535).*

536. Mandat fratribus Ioanni de Ancona et Servodei de Penna s. Ioannis ord. Min., inquisitoribus haer. prav., ut exequantur sententias contra quosdam haereticos in marchia Ancon. (Fredericum filium Guidonis comitis de Monteferetro, Cerolum Conradi de Racaneto iam defunctum, aliosque) olim a Laurentio de Mondayno ord. Min., tunc cum Nicolao episcopo Anconitano in prov. marchiae Ancon. inquisitore haer. prav., latas. [2]

1324, iunii 10, Avinione.

Dil. filiis Ioanni de Ancona et Servodei de Penna s. Ioannis de ordine fratrum Min., in provincia marchiae Ancon. inquisitoribus haer. prav.

Velut pecus morbidum *etc.* Dat. Avinione, IV idus iunii, anno octavo.

537. Concedit ministro provinciali provinciae Neapolitan. ord. Min. facultatem recipiendi unum locum in castro seu villa Itri. [3]

1324, iunii 15, Avinione.

Dilectis filiis ministro provinciali et fratribus ordinis Minorum provinciae Neapolitan.

Ex munere coelestis gratiae illud ordini vestro et vobis donatum inesse conspicimus, quod ubique locorum, in quibus degitis, fideles populos doctrina verbi pariter et exempli [efficacia] ad salutis gratiam evocatis. Est igitur et esse debet nobis et apostolicae sedi cura sollicita, loca vestra per orbem terrarum longe lateque diffundere, ut, quanto ipsa diffusius propagantur, tanto per amplius, prout in gratiarum omnium largitore confidimus, maiorem semper operum vestrorum fragrantiam ad aedificationem Christi fidelium sentiamus. Hinc est, quod nos tuis, fili minister, devotis supplicationibus inclinati, recipiendi locum unum dumtaxat in castro seu villa Itri [4] Gaietanae dioec. ad nomen, opus et usum fratrum ordinis Minorum, dummodo huiusmodi castrum seu villa sit ad hoc sufficiens et etiam opportunum nec sit ibidem domus alicuius ordinis Mendicantium, ac construendi et aedificandi inibi capellam seu oratorium *etc.* concedimus facultatem. Datum Avinione, XVII [5] kalendas iulii, anno octavo.

538. Ministro generali ord. Min. concedit facultatem recipiendi duo loca in insula Sardiniae et unum in terris Pandulfi de Malatestis dioec. Pensauren. [6]

1324, iunii 15, Avinione.

Dilecto filio ministro generali et fratribus ordinis fratrum Minorum.

Ex munere coelestis gratiae *etc.* Hinc est, quod nos tuis, fili minister, devotis supplicationibus inclinati, recipiendi dumtaxat duo loca in insula Sardiniae et unum in terris dilecti filii nobilis viri Pandulphi de Malatestis Pensauren. dioecesis ad nomen, opus et usum fratrum ordinis Minorum, dummodo terrae et villae, in quibus loca huiusmodi recipi contigerit, sint ad hoc sufficientia et etiam opportuna, nec sit ibidem domus alicuius ordinis Mendicantium, ac construendi et aedificandi inibi capellas seu oratoria cum domibus et aliis necessariis officinis, habendi quoque hortum *etc.* concedimus facultatem. Datum ut supra *(n. 537).*

539. Ministro et aliis fratribus Min. provinciae Tusciae concedit facultatem transferendi locum suum in castro Monterii. [7]

1324, iunii 15, Avinione.

Dilectis filiis ministro provinciali et fratribus ordinis Minorum in partibus Tusciae constitutis.

Nuper pro parte vestra nobis oblata petitio continebat, quod locus vestri ordinis, quem multis annis iuxta castrum Monterii [8] Vulteranae dioecesis ordo ipse habuerat, propter ruinam montis, in quo locus ipse fundatus fuerat, dimissus est totaliter et desertus; quare pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut alium locum in dicto castro vel iuxta illud (in loco tamen seu situ idoneo) recipiendi vel locum primum inibi transferendi, praesertim cum commune et homines dicti castri nimia instantia hoc desiderent et affectent, vobis largiri licentiam dignaremur. Nos igitur vestris supplicationibus inclinati, recipiendi in dicto castro vel iuxta illud de novo unum locum dumtaxat ad nomen,

[1] Reg. Vat. t. 112, p. II, f. 71, ep. 882
[2] Reg. Vat. t. 112, p. II, f. 12, ep. 50.
[3] Reg. Vat. t. 77, ep. 1219, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XX, p. 2, n. 33.
[4] *Itri* in custodia s. Benedicti prov. Terrae laboris.
[5] Non: « XIII », sicut exhibet *Wadd.* l. c.
[6] Reg. Vat. t. 77, ep. 1221, apud *Wadd.* l. c. n. 34.
[7] Reg. Vat. t. 77, ep. 1224, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, p. 2, n. 32.
[8] *Montieri* in custodia Maritimana.

opus et usum fratrum ordinis eorumdem, dummodo castrum ipsum sit ad hoc sufficiens et etiam opportunum nec sit in ea domus alicuius ordinis Mendicantium, ac construendi aut aedificandi inibi capellam seu oratorium cum domibus et aliis necessariis officinis, habendi quoque hortum et coemeterium sine iuris praeiudicio parochialium ecclesiarum et cuiuslibet alterius alieni (constitutione fel. record. Bonifatii papae VIII, praedecessoris nostri super hoc in contrarium edita non obstante) plenam et liberam vobis tenore praesentium concedimus facultatem. Datum Avinione, XVII kalend. iulii, anno octavo.

540. Mandat praelatis infra nominatis, ut corpora quorundam nobilium apud fratres Praed. et Min. Tolosan. sepulta exhumari et ad monasterium de Gomerfonte ord. Cist. dioec. Rothomagen. transferri faciant. [1]

1324, iunii 19, Avinione.

Dilectis filiis .. abbati monasterii de Fley Belvacensis dioecesis et .. decano Ebroicensis ac .. praeposito Tholosanae ecclesiarum.

Significavit nobis dilectus filius nobilis vir Ioannes de Tria, dominus de Montiaco castro Belvacensis [2] dioecesis, senescallus Tholosanus, quod corpora defunctorum Ioannis de Tria militis in Praedicatorum et quondam Margaritae ipsius senescalli coniugis in Minorum Tholosan. [3] fratrum ordinum ecclesiis sive locis tradita sunt hactenus ecclesiasticae sepulturae, quodque praedicti defuncti in eorum ultimis voluntatibus ordinarunt, quod praedicta corpora ad monasterium de Gomerfonte ordinis Cisterciensis Rothomagensis dioecesis, ubi maiores de genere nobilium de Tria magnam devotionem semper habere et etiam ibi corpora sepeliri consueverunt, deberent asportari sive transferri pro tempore et ibi tradi ecclesiasticae sepulturae. Nos igitur ipsius nobilis in hac parte devotis et honestis supplicationibus inclinati, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus .... praedicta eorum corpora ad requisitionem praedicti nobilis de dictis ipsorum fratrum locis seu ecclesiis exhumari et deinde ad praefatum monasterium (inibi, ut praedicitur, tumulanda) transferri libere, praedictorum fratrum contradictione nequaquam obstante, auctoritate praesentium faciatis *etc.* Datum Avinione, XIII kalendas iulii, anno octavo.

541. Praeficit Paulinum de Venetiis ord. Min. ecclesiae Puteolan. in episcopum. [4]

1324, iunii 20, Avinione.

Dilecto filio Paulino electo Puteolan.

Inter cetera sollicitudinis nostrae studia *etc.* Nuper siquidem Puteolana [5] ecclesia pastoris solatio destituta (pro eo quod nos venerabilem fratrem nostrum Guillelmum Aversanum tunc Puteolanum episcopum, in illis partibus existentem, a vinculo, quo tenebatur eidem Puteolanae ecclesiae, cui tunc praeerat, de fratrum nostrorum consilio et apostolicae potestatis plenitudine absolventes, ipsum ad dictam Aversanam ecclesiam tunc vacantem duximus transferendum, [6] praeficiendo eum ipsi Aversanae ecclesiae in episcopum et pastorem), nos volentes eidem Puteolanae ecclesiae, ne dispendia prolixae vacationis incurreret, paterna sollicitudine praecavere *etc.*, post deliberationem, quam de praeficiendo Puteolan. ecclesiae personam utilem cum eisdem fratribus nostris habuimus diligentem, in te ordinis fratrum Minorum professorem, ordinem ipsum expresse professum, in sacerdotio constitutum, poenitentiarium nostrum, litterarum scientia praeditum, religionis zelo conspicuum, vitae munditia et morum honestate decorum, prudentia spiritualium et temporalium providentia, prout ex testimoniis fide dignis accepimus, insignitum, intuitum direximus nostrae mentis. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus ob huiusmodi tuorum meritorum considerationem accepta, eidem Puteolan. ecclesiae de ipsorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus teque ipsi Puteolan. ecclesiae in episcopum praeficimus et pastorem, curam et administrationem illius tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo *etc.* Datum Avinione, XII kal. iulii, anno octavo. [7]

542. Transfert Bernardum (ex ord. Min.) episcopum Corisopiten. ad ecclesiam Nemausen. [8]

1324, iunii 20, Avinione.

Ven. fratri Bernardo episcopo Nemausen.

Romana ecclesia *etc.* Nuper siquidem ecclesia

---

[1] Reg. Vat. t. 77, f. 303, ep. 1850.
[2] *Beauvais* in Gallia septentr. prope Rothomagum (*Rouen*).
[3] *Toulouse* in custodia cognomini ad prov. Aquitaniae pertin.
[4] Reg. Vat. t. 77, ep. 1345, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII n. 35; cfr. supra nn. 461 et 482.
[5] *Pozzuoli* prope Neapolim.
[6] Cfr. supra n. 532.
[7] In e. m. capitulo et vassallis eccl. Puteolan. ac clero et populo civitatis et dioecesis Puteolan., necnon Bertuldo archiepiscopo Neapolitan. et Roberto regi Siciliae. Aliis litteris die 1 iulii 1324 datis summus pontifex eidem Paulino, qui interim munus consecrationis per Bertrandum (de Turre ex ord. Min.) episcopum Tusculan. receperat, mandat, ut ad ecclesiam suam cum benedictionis apostolicae gratia se conferat (l. c. t. 77, ep. 1346), et die 13 aprilis 1325 ipsi indulget, ut, quamdiu exequendis negotiis a sede apost. sibi commissis insistit, non teneatur in sua ecclesia personaliter residere neque a quoquam super hoc debeat molestari (l. c. t. 113, f. 102-104, epp. 736-742, f. 176, ep. 934).
[8] Reg. Vat. t. 77, ep. 1264. Cfr. supra n. 470.

Nemausen.[1] per obitum bonae memoriae Armandi episcopi Nemausen., qui apud sedem apostolicam diem clausit extremum, solatio destituta pastoris, nos volentes regimini eiusdem ecclesiae, ne dispendia prolixae vacationis incurreret, personam utilem deputare, ... post deliberationem, quam de praeficiendo dictae Nemausen. ecclesiae personam utilem cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum in te tunc episcopo Corisopiten. noster animus requievit. Intendentes igitur tam dictae Nemausensi ecclesiae quam Dominico gregi eiusdem salubriter et utiliter providere, te a vinculo, quo tenebaris dictae Corisopitensi ecclesiae, cui ut praemittitur praeeras, de praedictorum fratrum consilio et apostolicae potestatis plenitudine absolventes, te ad praelibatam ecclesiam Nemausensem transferimus teque ipsi Nemausen. ecclesiae in episcopum praeficimus et pastorem, curam et administrationem illius tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo liberamque tibi dando licentiam ad eandem Nemausen. ecclesiam transeundi *etc.* Dat. Avinione, XII kal. iulii, anno octavo.[2]

543. Mandat archiepiscopis Colonien., Maguntin., Treveren. atque episcopo Spiren., necnon ministro et custodibus prov. Alamanniae superioris, ut Franciscum de Lutra, olim ord. Min., nunc ord. s. Ben. apostatam, capi faciant et ad curiam Rom. transmittant.[3]

1324, iunii 27, Avinione.

Ven. fratri archiepiscopo Colonien.

Pervenit nuper ad nostri apostolatus auditum, quod iniquitatis filius Franciscus de Lutra, qui olim de ordine fratrum Minorum ad ordinem s. Benedicti transiisse dinoscitur, iam inde impudenter et damnabiliter apostatans per prava erroris devia profugus evagatur. Ut ergo ipsius apostatantis insaniam reprimamus per debitam disciplinam, fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus, ubicunque ipsum in civitate, dioecesi seu provincia Colonien. reperiri contigerit, eum per te vel alium capias et sub fida custodia statim ad praesentiam nostram mittas. Contra[dictores] *etc.* Non obstantibus *etc.* Dat. Avinione, V kalendas iulii, anno octavo.

In e. m. (m. m.) *ven. fratribus .. episcopo Spiren., .. archiepiscopo Maguntin., .. archiepiscopo Treveren., dilectis filiis ..*[4] *ministro et custodibus provinciae Alamanniae superioris ceterisque ministris ac custodibus et guardianis ordinis Minorum.*

544. Mandat fratribus Minoribus (sicut ceteris personis ecclesiasticis saecularibus et regularibus), quod publicent sententiam in Ludovicum ducem Bavariae latam, qua ipse, in regem Rom. in discordia electus, omni iure ex hac electione proveniente privatus est, eo quod a sede apostolica nondum approbatus se regem ipsum gerebat.[5]

1324, iulii 15, Avinione.

Dilectis filiis .. generali necnon provincialibus ministris ac custodibus et guardianis fratrum ordinis Minorum vel eorum loca tenentibus.

Propter excessus varios et enormes, obstinatas inobedientias ac multiplices contumacias et contemptus execrabiles per magnificum virum Ludovicum ducem Bavariae contra Deum, nos et sanctam Romanam ecclesiam, utilitatem rei publicae ac in animae suae periculum et multorum scandalum perpetratos nuper de fratrum nostrorum consilio certos processus habuimus contra eum, privationis a iure, si quod sibi ex electione, quae de ipso in regem Romanorum promovendum in imperatorem olim in discordia celebrata fuisse dicitur, competebat, sententiam inter cetera continentes, quorum tenor de verbo in verbum sequitur in hunc modum: « Ioannes servus servorum Dei *etc.* *Ad perpetuam rei memoriam.* Sicut ad curam periti medici pertinet *etc.* Dat. Avinione, X kal. aprilis, anno octavo. » Quocirca discretioni vestrae in virtute obedientiae per apostolica scripta districte praecipiendo mandamus, quatenus vos vel singuli vestrum, ad quos praesentes pervenerint, in singulis civitatibus et locis insignibus, in quibus loca seu conventus habetis, processus et sententiam huiusmodi et omnia alia in eisdem contenta processibus in solemnibus praedicationibus vestris per vos et alios fratres ordinis vestri, quos super hiis duxeritis assumendos, fidelibus populis publicare solemniter et publice studeatis: nos de publicatione huiusmodi et aliis, quae super praedictis feceritis, per vestras litteras seu instrumenta publica principium et finem praesentium continentia reddituri nihilominus certiores. Dat. Avinione, idibus iulii, anno octavo.

545. Transfert Ioannem (de Tessenderia ex ord. Min.) episcopum Lodoven. ad ecclesiam Riven.[6]

1324, iulii 20, Avinione.

Ven. fratri Ioanni episcopo Riven.

Romani pontificis *etc.* Vacante siquidem nuper ecclesia Riven.[7] (per translationem per nos factam

---

[1] *Nîmes* in provincia eccl. Narbonensi.

[2] In e. m. capitulo et vassallis eccl. Nemausen., clero ac populo civ. et dioec. Nemausen., archiepiscopo Narbonen. tamquam metropolitae, Carolo regi Franciae.

[3] Reg. Vat. t. 112, f. 72, ep. 885, et f. 74, ep. 900. Cfr. supra n. 421, 459, 514.

[4] Henrico de Thalheim.

[5] Ex autographo in archivo status Lucern. (in Helvetia) asservato; bulla inserta invenitur i. c. apud *Martène* et *Durand*, Thes. II, 660-671.

[6] Reg. Vat. t. 77, ep. 1410. Cfr. supra n. 469.

[7] *Rieux* in partibus Tolosanis (Toulouse).

de venerabili fratre nostro Bertrando Caturcen. olim Riven. episcopo, tum apud sedem apostolicam constituto, ad ecclesiam Caturcen. tunc pastoris solatio destitutam), nos volentes eidem Riven. ecclesiae, ne prolixae vacationis exponeretur incommodis, utilem et approbatam praesidere personam, ... post deliberationem, quam ad deputandum eidem Riven. ecclesiae personam utilem ac etiam fructuosam, cuius industria in suis valeret iuribus conservari et etiam adaugeri, cum fratribus nostris habuimus diligentem, tandem attendentes tuarum multiplicium virtutum merita nobis et eisdem nostris fratribus non innota, quibus personam tuam Dominus decoravit, in te tunc Lodoven. episcopum convertimus aciem nostrae mentis teque a vinculo, quo tenebaris Lodoven. ecclesiae, cui praeeras, de fratrum nostrorum consilio et apostolicae potestatis plenitudine absolventes, te ad praedictam Riven. ecclesiam transferimus teque ipsi Riven. ecclesiae praeficimus [in] episcopum et pastorem, tibi curam et administrationem eiusdem Riven. ecclesiae tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo tibique liberam tribuendo licentiam ad eandem Riven. ecclesiam transeundi *etc.* Dat. Avinione, XIII kal. augusti, anno octavo. [1]

546. Transfert Simonem (ex ord. Min.) episcopum Pacen. ad ecclesiam Tuden. [2]

1324, iulii 20, Avinione.

Ven. fratri Simoni episcopo Tuden.

Romani pontificis *etc.* Nuper siquidem vacante Tuden. [3] ecclesia (per translationem per nos factam de venerabili fratre nostro Bernardo Lodovensi olim Tudensi episcopo, tunc et nunc in Romana curia existente, ad ecclesiam Lodoven. tunc pastoris regimine destitutam), nos volentes eidem Tuden. ecclesiae, ne prolixae vacationis exponeretur incommodis, de persona secundum cor nostrum idonea providere, cum nullus praeter nos hac vice *etc.*, post deliberationem, quam super hoc cum fratribus nostris habuimus diligentem, tandem attendentes tuarum multiplicium virtutum merita nobis et eisdem fratribus [cardinalibus] non ignota, quibus personam tuam Dominus decoravit, in te tunc Pacen. episcopum convertimus aciem nostrae mentis. Intendentes igitur tam gregi Dominico quam praedictae Tudensi ecclesiae salubriter providere ac sperantes, quod tu, qui ecclesiae Pacen. laudabiliter praefuisti, eandem Tudensem ecclesiam divina tibi propitiante clementia salubriter et utiliter gubernabis, te a vinculo, quo eidem Pacensi ecclesiae, cui praeeras, tenebaris, de dictorum fratrum nostrorum consilio et apostolicae potestatis plenitudine absolventes, te ad praedictam Tudensem ecclesiam transferimus teque ipsi Tudensi ecclesiae praeficimus in episcopum et pastorem, tibi curam et administrationem eiusdem Tudensis ecclesiae in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo tibique liberam tribuendo licentiam ad eandem Tudensem ecclesiam transeundi *etc.* Dat. Avinione, XIII kal. augusti, anno octavo. [4]

547. Iordanum de Alphario Tolosan. dioec., qui dudum ordinem fratrum Min. ad quorundam fratrum dicti ordinis inductionem ingressus et professus demum, eiusdem ordinis asperitates propter sui corporis fragilitatem et infirmitates assiduas sustinere non valens, ipsum dimisso habitu regulari dereliquit ac deinde, cupiens ad s. Benedicti ordinem se transferre, a Clemente V, ut in monasterio Grassen. ord. s. Ben. Carcassonen. dioec. deberet recipi in monachum et fratrem, certos quidem executores per apost. litteras impetravit, ab abbate vero ipsius mon. non receptus est, nunc in monasterio Montisolivi ord. s. Ben. dioec. Carcassonen. recipi iubet. [5]

1324, augusti 6, Avinione.

Ven. fratri .. episcopo Vasaten. et dilectis filiis .. abbati mon. Villaelongae et .. archidiacono Carcassonen.

Petitio dilecti filii Iordani *etc.* Dat. Avinione, VIII idus augusti, anno octavo.

548. Praeficit Bernardum Minoritam ecclesiae Nemausen. in episcopum. [6]

1324, augusti 23, Avinione.

Dilecto filio Bernardo electo Nemausen.

Inter cetera sollicitudinis nostrae studia *etc.* Dudum siquidem ecclesia Nemausen. per obitum bo. mem. Bernardi [7] episcopi Nemausen., qui nuper in partibus Lombardiae diem clausit extremum, [8] solatio destituta pastoris, nos vacatione huiusmodi

---

[1] In e. m. capitulo et universis vassallis eccl. Riven. clero et populo civ. ac dioec. Riven., Carolo regi Franciae, archiepiscopo Tolosano tamquam metropolitae.

[2] Reg. Vat. t. 77, ep. 1459; cfr. supra n. 139.

[3] *Tuy* in illa provincia regni Hispaniae, quae dicitur Galetia.

[4] In e. m. capitulo et vassallis ecclesiae Tuden., clero ac populo civ. et dioec. Tuden., Dionysio Portugalliae et Alfonso Castellae Legionisque regibus. - Aliis litteris die 3 dec. 1324 datis summus pontifex eidem Simoni episcopo concedit, ut de bonis mobilibus ecclesiae Pacen. (reservata de illis successori Pacensi episcopo congrua portione) libere disponere valeat, debita sua solvendo, familiam remunerando, pro animae suae salute eleemosynas et pro exequiis opportuna distribuendo, non obstante, quod ordinis Min. professor existit: proviso, quod ecclesiam Pacen. non dimittat debitis obligatam. Reg. Vat. t. 79, ep. 1715, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, p. 2, n. 39.

[5] Reg. Vat. t. 77, ep. 1481.

[6] Reg. Vat. t. 77, ep. 1779, apud *Wadd.* l. c., reg. pont. Io. XXII, n. 13.

[7] Ex ord. Min.; cfr. supra n. 542.

[8] Ubi una cum Bertrando (Poyet) S. R. E. card. et apost. sedis legato, fratre suo, ecclesiae Rom. insistebat obsequiis. Cfr. Reg. Vat. t. 111, f. 201, ep. 869.

fide dignis relatibus intellecta, cupientes regimini eiusdem ecclesiae personam utilem per nostrae sollicitudinis studium praesidere, provisionem ipsius ecclesiae ea vice dispositioni nostrae ac sedis apostolicae duximus specialiter reservandam *etc.* Et deinde de ipsius ecclesiae ordinatione celeri, ne prolixae vacationis subiaceret incommodis, mente vigili cogitantes et cupientes talem illi per nostrae providentiae studium praeesse pastorem, per quem posset dicta ecclesia utiliter dirigi et salubriter gubernari: post vigilem quam super hoc cum fratribus nostris habuimus diligentiam *etc.* ad te ordinem fratrum Minorum expresse professum, in sacerdotio constitutum, virum quidem litterarum scientia praeditum, religionis zelo ac morum honestate decorum, discretionis et consilii maturitate conspicuum, in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum, direximus aciem nostrae mentis. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua nobis et dictis fratribus ob huiusmodi tuorum exigentiam meritorum accepta praelibatae ecclesiae de eorundem fratrum consilio providemus teque ipsi Nemausen. ecclesiae in episcopum praeficimus et pastorem, curam et administrationem illius tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo *etc.* Datum Avinione, X kal. septembris, anno octavo. [1]

549. Concedit fratribus Min. Barchinonen. facultatem sepeliendi corpora mulierum, quae habitum s. Clarae susceperunt. [2]

1324, septembris 1, Avinione.

Dilecto filio guardiano et fratribus ordinis Minorum Barchinonen.

Carissimae in Christo filiae nostrae Elisendis reginae Aragonum illustris, [3] in hac parte nobis humiliter supplicantis, precibus inclinati, vobis praesentium auctoritate concedimus, quod, cum per dilectam in Christo filiam abbatissam seu conventum monasterii s. Damiani Barchinonen. ordinis sanctae Clarae vocati fueritis ad sepeliendum corpora mulierum, quae habitum susceperunt earundem, quare sunt intra dictum monasterium tumulanda et exequiarum seu sepulturae officium inibi celebrandum, illuc accedere et sepulturis interesse et exequiarum officium celebrare libere valeatis, dummodo in loco a iure permisso fiant huiusmodi sepulturae, constitutione ipsius monasterii vel ordinis praedicti seu alia quacumque contraria non obstante. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, kalendis septembris, anno octavo.

550. Clarissis Lectoren. concedit: *a*) ut habeant liberam sepulturam, *b*) ut fruantur privilegiis ordini Min. concessis, *c*) ne solvant quidquam de legatis sibi factis, *d*) ne solvant decimas de terris suis, *e*) ut possint succedere in bonis consanguineorum, *f*) ne solvant procurationes aut collectas, *g*) ut possint recipere usque ad 100 libras de male acquisitis et de redemptione votorum, *h*) ne solvant decimas de quibuscumque possessionibus suis neve tallias aut pedagia [4].

1324, septembris 1, Avinione.

Dilectis in Christo filiabus abbatissae et conventui monasterii sanctae Clarae extra muros Lectoren. [5] *ordinis eiusdem Sanctae.*

a) Devotionis vestrae precibus inclinati *etc. ut supra n. 492.* Datum Avinione, kalendis septembris, anno octavo.

b) Devotionis vestrae precibus inclinati *etc. ut supra n. 497.* Dat. ut supra.

c) Iustis petentium desideriis dignum est *etc. ut supra 493.* Dat. ut supra.

d) Pietatis opera, cuius observantiae vos pro Christi gloria deputastis, adeo vobis apostolicae sedis gratiam promerentur, ut ea, quae cum Deo et honestate possumus, vobis favore benevolo concedamus. Ea propter, dilectae in Christo filiae, vestris iustis postulationibus inclinati, ut de terris et possessionibus vestris, quas propriis sumptibus excoli facitis vel aliis conceditis excolendas, nulli decimas solvere teneamini, nec aliquis ad id vos coarctare valeat, nisi vos ad alium ordinem transferretis, auctoritate praesentium indulgemus. Nulli ergo *etc.* Datum ut supra.

e) Devotionis vestrae precibus inclinati, auctoritate vobis praesentium indulgemus, ut possessiones et alia bona mobilia et immobilia, quae liberas personas sororum vestrarum mundi relicta vanitate ad monasterium vestrum convolantium et professionem in eodem facientium iure successionis vel alio iusto titulo, si remansissent in saeculo, contigissent et libere potuissent aliis erogare, exceptis rebus feudalibus, exigere, petere ac retinere libere valeatis. Nulli ergo *etc.* Datum ut supra.

f) Paupertati vestrae, quam voluntarie propter Deum sustinetis, ac quieti paterna imposterum sollicitudine providere volentes, auctoritate vobis praesentium indulgemus, ut vos ad praestationem procurationum legatorum sedis apostolicae vel nunciorum ipsius aut exactionum vel collectarum seu

---

[1] Die 1 martii 1327 summus pontifex eidem Bernardo concedit licentiam testandi (l. c. t. 83, ep. 1042) et die 20 febr. 1328 prorogat ad alterum annum facultatem visitandi suam dioecesim per alterum praelatum (t. 114, p. II, f. 183). Ipse quoque moritur in partibus Italiae (ineunte anno 1331).

[2] Reg. Vat. t. 77, ep. 1613, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 24.

[3] Coniugis Iacobi regis Aragonum.

[4] Reg. Vat. t. 77, epp. 1947-1954, apud *Wadd.* l. c. n. 14-21.

[5] *Lectoure* in custodia Auxitan. prov. Aquitaniae.

subsidiorum quorumcumque minime teneamini, nec ad ea solvenda per litteras dictae sedis seu legatorum, rectorum vel nunciorum eiusdem, cuiuscumque tenoris existant aut cuiuscumque auctoritatis, compelli minime valeatis. Nos enim decernimus irritas et inanes interdicti, suspensionis et excommunicationis sententias, si quas propter hoc in vos vel in vestrum aliquas vel monasterium vestrum imposterum contigerit promulgari. Nulli ergo *etc.* Datum ut supra.

g) Necessitatibus vestris paterno compatientes affectu, quod de usuris, rapinis et aliis male acquisitis, si, quibus horum restitutio fieri debeat, inveniri non possint, necnon de redemptionibus votorum auctoritate dioecesani prius factis, Hierosolymitano dumtaxat excepto, usque ad summam centum librarum Turonen. parvorum recipere valeatis, auctoritate vobis praesentium indulgemus, si alias pro similium receptione non estis a nobis huiusmodi gratiam consecutae: ita quod voventes ad executionem votorum huiusmodi minime teneantur, sed alii ad restituendum residuum acquisitorum taliter, si quod defuerit, remaneant nihilominus obligati. Nulli ergo *etc.* Datum ut supra.

h) Laudabilis sacra vestra religio *etc.* Hinc est, quod nos pium et congruum reputantes, ut vos illa prosequamur gratia, quam vestris necessitatibus fore conspicimus opportunam, vobis auctoritate praesentium indulgemus, ut ad praestationem decimarum de quibuscumque possessionibus et aliis omnibus bonis vestris, quae in praesentiarum habetis et iusto modo praestante Domino acquisiveritis in futurum, vel ad contribuendum in procurationibus quorumcumque ordinariorum ac etiam legatorum et nunciorum sedis apostolicae et quibuslibet talliis et collectis et ad exhibendum pedagia, telonia et alias exactiones quibusvis regibus et principibus seu aliis personis saecularibus minime teneamini nec ad id compelli aliquatenus valeatis. Nulli ergo *etc.* Datum ut supra.

551. Archiepiscopos Tolosan., Auxitan., Burdegalen. constituit conservatores iurium et privilegiorum eiusdem monasterii Lectoren. [1]

1324, septembris 1, Avinione.

Ven. fratribus .. Tolosan. et .. Auxitan. ac .. Burdegalen. archiepiscopis. [2]

Inter opera pietatis *etc.* Cum itaque dilectae in Christo filiae .. abbatissa et conventus monasterii sanctae Clarae extra muros Lectorenses ordinis eiusdem sanctae, sicut ipsae nobis insinuare curarunt, a praelatis, [ecclesiarum] rectoribus et clero aliisque personis super bonis, iuribus et libertatibus earumdem contra indulta privilegiorum apostolicae sedis eis et earum ordini a dicta sede hactenus concessorum multipliciter molestentur et multiplicia gravamina inferantur: nos volentes eis super hoc, ut liberius valeant Domino famulari, de opportuno remedio providere, fraternitati vestrae per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel per alium seu alios eisdem abbatissae et conventui, monialibus et sororibus ipsius monasterii (praesentibus et futuris) efficacis defensionis praesidio assistentes non permittatis ipsas contra dictorum privilegiorum tenorem a praedictis vel quibuscunque aliis molestari nec eis aliqua gravamina vel iniurias irrogari: facientes ipsis de illatis sibi iniuriis, molestationibus et gravaminibus contra tenorem eundem (in illis videlicet, quae iudicialem requirunt indaginem, per viam iudicii, in aliis vero, prout qualitas ipsorum exegerit) iustitiae complementum: ita quod officium, potestas et iurisdictio perpetuata et ex nunc in antea censeatur, molestatores et iniuriatores huiusmodi necnon contradictores et rebelles, quandocunque et quotiescunque expedierit, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Non obstantibus *etc.* Dat Avinione, kalendis septembris, anno octavo.

552. Elargitur indulgentias singulis, qui Clarissis Lectoren. eleemosynas erogant earumque ecclesiam visitant [3].

1324, septembris 1, Avinione.

Universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis.

1) Quoniam, ut ait Apostolus *etc.* Cum igitur dilectae in Christo filiae abbatissa et conventus monialium monasterii sanctae Clarae extra muros Lectoren. ordinis eisdem sanctae subventionis vestrae indigeant relevari remediis, quae iugo non modicae paupertatis premuntur: universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur in Domino, in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatenus de bonis vobis a Deo collatis pias eleemosynas et grata eis caritatis subsidia erogetis, ut per subventionem vestram earum inopiae consulatur, et vos per haec et alia bona, quae Domino inspirante feceritis, ad aeternae possitis felicitatis gaudia pervenire. Datum Avinione, ut supra (n. 550).

2) Licet is *etc.* Cupientes igitur, ut ecclesia dilectarum in Christo filiarum abbatissae et conventus monasterii sanctae Clarae extra muros Lectoren. ordinis eiusdem sanctae congruis frequentetur ho-

---

[1] Reg. Vat. t. 77, f. 340, ep. 1957.
[2] *Toulouse, Auch, Bordeaux.*

[3] Reg. Vat. t. 77, ep. 1956 et 1957, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, p. 2, n. 22 et 23.

noribus, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui ad ipsam ecclesiam in singulis beatae Mariae Virginis, beatorum Ioannis Baptistae et Ioannis Evangelistae, sanctorum Blasii et Eutropii martyrum, sanctorum Francisci et Ludovici episcopi et Antonii confessorum, sanctarum Clarae et Agnetis ac Catharinae virginum et martyrum, ac undecim millium Virginum festivitatibus accesserint et per octo dies festivitates easdem immediate sequentes devote visitaverint annuatim, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, unum annum et quadraginta dies de iniuncta sibi poenitentia misericorditer relaxamus. Datum ut supra.

553. Mandat guardiano conventus de Valriaco, ut quasdam litteras ecclesiam Rom. contingentes, quas penes se habet, ad curiam Rom. apportet vel caute mittat. [1]

1324, octobris 4, Avinione.

Dilecto filio .. guardiano fratrum Minorum de Valriaco. [2]

Cum, sicut accepimus, nonnulla instrumenta seu litteras penes te habeas, quae nos et ecclesiam Romanam contingunt, super quibus dilectus filius Petrus de Blacosio, praesentium exhibitor, te specialius informabit, discretioni tuae tenore praesentium iniungimus et mandamus, quatenus cum eisdem instrumentis aut litteris ad nostram praesentiam te conferre aut per fidelem nuncium illa caute quantocius nobis mittere non postponas. Datum Avinione, IV nonas octobris, anno nono.

In e. m. *vicario nostro de Valriaco vel eius locumtenenti.* Datum ut supra.

554. Inhibet, ne quis constitutiones « Cum inter nonnullos » et « Ad conditorem » ab ipso editas quomodolibet impugnet. [3]

1324, novembris 10, Avinione.

Ad perpetuam rei memoriam.

Quia quorumdam mentes sic pater mendacii dicitur excaecasse, quod nostris constitutionibus, quarum una incipit: *Ad conditorem canonum*, alia vero: *Cum inter nonnullos*, utique tam cum fratribus nostris sanctae Romanae ecclesiae cardinalibus quam cum multis archiepiscopis, episcopis et aliis praelatis ecclesiarum nec non cum multis sacrae theologiae magistris ac utriusque iuris professoribus deliberatione praehabita diligenti digestis ac de praemissorum fratrum nostrorum consilio promulgatis, non absque multa temeritate plectibili nisi fuerunt detrahere et nituntur ac veritatem, quam continent, per falsas insanias offuscare: nos tam perniciosis ausibus, ne eorum doctrina pestifera simplicium animos labefacere ac in sui erroris devium deducere valeat, [obviare volentes] de eorumdem fratrum consilio decrevimus super hoc, ut sequitur, providere.

Ad impugnandum autem constitutiones praedictas subscripta ratione tam verbo quam scripto usi sunt publice, sicut fertur: « Illud, inquiunt, quod per clavem scientiae in fide ac moribus semel diffinierunt Romani pontifices, adeo immutabiliter perseverat, quod illud successori revocare non licet in dubium nec contrarium affirmare », licet de his, quae per clavem potestatis ordinaverint, asserant secus esse. In confirmatione et declaratione regulae fratrum ordinis Minorum Ho-

---

[1] Reg. Vat. t. 113. f. 61, ep. 470.

[2] *Valréas* in custodia Avinion. prov. Provinciae.

[3] Arch. Vat. Miscell. C fasc. 9 n. 3 (autogr.) et Arm. XXXI, 42, f. 52; Extravag. tit. XIV de verb. signif. cap. 5. — Ioannis XXII constitutio utraque, una *Ad conditorem canonum* et altera *Cum inter nonnullos* (cfr. supra nn. 486 et 518), oppugnatores sive coram sive occulto acriores nacta est eos fratres Minores, qui ex parte Ludovici Bavari fuerant. Qui quidem Ludovicus dux Bavariae, in discordia in Romanorum regem electus (cf. supra n. 545), quum rationem agendi, qua summus pontifex adversus ipsum utebatur, aegre ferret, bis appellando se defenderat: primo Norimbergae die 8 dec. 1323, secundo Sachsenhusii die 22 maii 1324. Eo ipso tempore, quod inter utramque appellationem interfuit, illam Minorum partem arctius cum Ludovico Bavaro iunctam esse, verba duarum istarum protestationum demonstrant. In priori enim quaedam dicit, quae Minoribus parum favent; conqueritur namque Ludovicus:

« Cum ad ipsius summi pontificis audientiam gravibus et frequentibus archiepiscoporum, episcoporum et nonnullorum inferioris gradus praelatorum querimoniis sit deductum et legitime propositum coram eo contra generalem ministrum, custodes, guardianos et fratres Minores ord. s. Franc., quod ipsi sint secretae confessionis proditores, et peteretur ab eo, ut hoc tamquam perniciosissimum in ecclesia sancta Dei, unde periclitabantur animae, aditus ad gratiam obstruitur et peccatorum remissio negligitur, iuxta debitum pastoralis officii emendaret: ipse tamquam tergiversando, dissimulando et celando morbum huiusmodi pestiferum et lethalem mortem animae perpetuam inferentem curare salutifero et debito medicamine non curavit, dictis fratribus (in hac parte sanctae Romanae ecclesiae et fidei catholicae inimicis) constituens se fautorem ».

At vero in altero documento Ioanni XXII haec obiiciuntur:

« Non sufficit autem sibi temporalis imperii iura attentare et subvertere et in coronam nostram ac fideles imperii tam nequiter desaevire, nisi etiam in ipsum dominum nostrum Iesum Christum, regem regum et dominum dominantium, principem regum terrae et eius sacratissimam matrem, quae eiusdem voti et status cum filio in observantia paupertatis vixit, et sanctum apostolorum collegium ipsorum denigrando vitam et actus insurgeret, et in doctrinam evangelicam de paupertate Christi altissima, in qua exemplaris perfectio exterioris vitae ipsorum de pleno et perfecto mundi contemptu tanquam in fundamento immobili est firmata. Quod fundamentum non solum sua mala vita et a mundi contemptu aliena conatur subvertere, sed haeretico dogmate et venenata doctrina in praedicationibus publicis et solemnibus et variis assertionibus affirmando asseruit, Christum et apostolos habuisse bona communia in communi eo modo, quo alia collegia habent. Quod dictum est notorie haereticum et prophanum contra evangelii sacrum textum. Innumera enim sunt dicta sanctorum prophetarum praedicantium Christi paupertatem altissimam, cuius renovator fuit principalis seraphicus vir Franciscus. Tota enim silva sacri evangelii quoad Christi ortum, incolatum, exitum

norii III, Gregorii IX, Innocentii IV, Alexandri IV et Nicolai III praedecessorum nostrorum summorum pontificum haec verba asserunt contineri: « Haec est regula evangelica Christi et apostolorum imitatrix, quae nihil in hoc mundo habet proprium vel commune, sed in rebus, quibus utuntur, habent simplicem facti usum », his adiicere praesumentes, praefatos summos pontifices ac multa concilia generalia per clavem scientiae diffinivisse, paupertatem Christi et apostolorum constitisse perfecte in expropriatione cuiuslibet dominii temporalis civilis et mundani et sustentationem eorum in solo et nudo usu facti etiam constitisse. Ex quibus nituntur concludere, non licuisse nec licere ipsorum successoribus circa praemissa aliquid immutare, ideoque, cum constitutio nostra praedicta *Cum inter nonnullos* contra diffinitiones praedictorum praedecessorum nostrorum, sicut asserunt, diffinierit, Christum et apostolos in his, quae habuerunt, habuisse non tantum simplicem usum facti sed ius faciendi de ipsis ea, quae eos fecisse scriptura sacra testatur (pertinacem assertionem dicentium, ipsos ius huiusmodi minime habuisse, cum actus illorum concludatur fuisse non iustus, quod de Christo nephas est dicere, haereticam declarando) et concludere satagunt, licet falso, nobis non licuisse declarare vel statuere supradicta. Item, quia constitutio *Ad conditorem canonum* contra diffinitiones praedictas fratres Minores asserit non posse habere in aliqua re simplicem usum facti, nituntur similiter concludere circa ipsam.

Quod autem in ratione praedicta praemittitur, videlicet quod illa, quae per clavem scientiae in fide et moribus sunt a Romanis pontificibus diffinita, ab eorum successoribus revocari non licet in dubium nec contrarium affirmari, licet secus sit, ut dicunt, in his, quae per clavem potestatis per summos pontifices ordinantur, prorsus esse contrarium veritati, patet ex subsequentibus evidenter. Primo quidem secundum illos, qui tenent, clavem spiritualem nequaquam esse scientiam sed ligandi atque solvendi potestatem, patet, assertores praedictos, ponendo clavem esse scientiam, erravisse. Pro quibus facit diffinitio « clavis », quae a doctoribus datur talis: « Clavis est spiritualis potestas ligandi atque solvendi, qua iudex ecclesiasticus dignos recipere et indignos excludere debet a regno »; item, quia claves, de quibus agimus, in collatione sacerdotalis ordinis conferuntur: constat autem, quod ordinato in sacerdotem scientia communiter non confertur; quare secundum illos videtur, quod scientia non sit clavis, sed potentia tantum ligandi atque solvendi debeat dici clavis. Adhuc secundum illos, qui ponunt unam clavem spiritualem esse scientiam, et secundum illos, qui auctoritatem discernendi inter lepram et lepram esse asserunt unam clavem et aliam ligandi atque solvendi potestatem, noscuntur evidenter errasse. Supponunt enim, per claves huiusmodi circa ea, quae fidei sunt, et alia posse per constitutionem aliqua diffiniri. Claves autem, quae in sacerdotali ordine conferuntur, ad talia minime se extendunt; alias sequeretur, quod circa praemissa possent constitutiones facere simplices sacerdotes, quod falsum est evi-

---

et dicta sanctorum doctorum et discipulorum ipsorum apostolorum usque ad haec tempora, omnia clamant, Christum scilicet et apostolos vixisse in altissima paupertate praedicta, quae consistit in nihil habendo civiliter in hoc mundo. Quod si quaeratur, quid vult dicere « altissima paupertas », de qua apostolus dicit: *altissima paupertas eorum etc.*, respondet Innocentius papa V: « Alta paupertas est, habere pauca propter Deum propria; altior, quae nulla habet propria, habet tamen in suo collegio in communi; altissima, quae nihil habet in hoc mundo in proprio nec in communi: et haec fuit Christi et apostolorum ». In hoc immobili fundamento almus Christi confessor Franciscus, pater eiusdem ordinis, ordinem fundavit: et sancta mater ecclesia regulam, quam Christo sibi revelante composuit, approbavit et confirmavit et per plures Romanos pontifices, videlicet Honorium III, Gregorium IX, Innocentium IV, Alexandrum IV, Innocentium V, Nicolaum III et IV et per diversos alios pontifices Romanos declaravit, omnibus una concordi voce dicentibus, quod haec est regula evangelica Christi et apostolorum imitativa, quae nihil habet in hoc mundo proprium vel commune; sed in rebus, quibus utebantur et utuntur, habebant et habent tantummodo simplicem facti usum. Et ut regula beati Francisci ostenderetur vere a Deo exiisse, et ut non oporteret professores ipsius timere, ne perirent penuria, ad subventionem paupertatis ipsius probata est multoties miraculose eidem totius mundi machina deservire, prout in vita ipsius per ecclesiam approbata plenius continetur. Et ut appareret evidenter praesentibus et futuris, regulam a beato Francisco editam et ab ecclesia confirmatam esse vere illam, quam Christus apostolos docuit et in se ipso exemplo firmavit, quoad hunc articulum eandem regulam in suo auctore Francisco dignatus est Iesus Christus bullare stigmatibus suae sacratissimae passionis. Unde et paucis elapsis diebus a conditione eiusdem regulae meruit stigmatibus insigniri, ut non praesumeret homo mortalis evertere bulla plumblea, quod immortalis Deus regnans in coelo suae passionis et crucis signaculis stabilivit. Et omnes Romani pontifices praedecessores istius et plura generalia concilia cum multa devotione et reverentia praedictae regulae continentiam et paupertatem altissimam, quae est in nihil habendo mundane in proprio vel in communi, multiplicibus rationibus confirmaverunt.

Hic autem oppressor pauperum vitae, Christi et apostolorum inimicus, praedicta omnia parvipendens ac volens Christi paupertatem altissimam de medio tollere et sub miris dolis et fraudibus et venenatis fallaciis ipsam totaliter annullare, duo nefanda statuta, in quibus haeresiarcha et haereticus perfectus cum aliis assertionibus alias factis notorie comprobatur et in Christi vitam blasphemus et sacris diffinitionibus sanctorum priorum pontificum praedictorum aperte contrariis promulgavit. Quae constitutiones ipsum sicut manifestum haereticum et de corpore ecclesiae praescissum incidisse in factum damnatum haereseos et per consequens ab omni statu praelationis depositum eiecerunt [effecerunt?]. Prima constitutio est promulgata per ipsum in Avinione VI idus decembris anno Domini millesimo tercentesimo vigesimo secundo, quae incipit *Ad conditorem canonum.* In cuius

denter. Si autem intendant claves istas extendere ad generalem potestatem attributam beato Petro eiusque successoribus in persona eiusdem in commissione officii pastoralis, per quam utique videtur ipsis omnia (commisisse et) concessisse, sine quibus pastoris universalis convenienter cura nequit seu officium expediri, adhuc clare patet, ipsos etiam errasse; dicunt enim alium effectum habere illa, quae per clavem scientiae, et alium illa, quae per clavem potentiae constituuntur seu diffiniuntur, supponentes alia per clavem scientiae et alia per clavem potentiae statui seu etiam diffiniri, quod evidenter est falsum. Per clavem enim scientiae sive per auctoritatem discernendi inter lepram et lepram, si ipsam dixerimus esse clavem, nihil aliud per illam illi, cui datur, tribuitur nisi auctoritas cognoscendi. Ei autem, cui datur auctoritas de re aliqua cognoscendi, potestas de illa diffiniendi non intelligitur esse data. Quare restat, quod ad convenienter statuendum aliquid seu diffiniendum utraque clavis, scilicet cognoscendi et diffiniendi, necessario requiratur, vel quod soli clavi potentiae statuere competit et etiam diffinire. Sed sicut lumen materiale clavigerum in usu clavis materialis dirigit, sic et scientia clavigerum spiritualis clavis potentiae in eius usu dirigit, et quasi quantum ad hoc obtinet scientia vicem lucis. Et hoc Salvator noster in promissione clavium facta beato Petro sensisse videtur expresse, cum post illam immediate subiunxerit: « Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis; et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in coelis », nulla de scientia habita mentione.

Quod autem subsequenter proponitur in ratione praedicta, videlicet quod in confirmatione et declaratione fratrum Minorum regulae nonnullorum praedecessorum nostrorum, videl. Honorii III, Gregorii IX, Innocentii IV, Alexandri IV et Nicolai III summ. pont., verba huiusmodi continentur: « Haec est regula evangelica Christi et apostolorum imitatrix, quae nihil in hoc mundo habet proprium vel commune, sed in rebus, quibus utuntur, habent simplicem usum facti », hiis adiicere praesumentes, praefatos summos pontifices ac nulla concilia generalia per clavem scientiae diffinivisse, paupertatem Christi et apostolorum constitisse perfecte in expropriatione cuiuslibet dominii temporalis, civilis et mundani, et sustentationem eorum in solo et nudo usu facti etiam constitisse: patet, quod prorsus obviat veritati. — Honorius quidem praefatam regulam absque declaratione aliqua confirmavit. In cuius confirmatione de praedictis mentio aliqua non habetur, ut liquere potest cuilibet confirmationem huiusmodi intuenti, nisi in quantum de vita evangelica habetur mentio in ipsa regula confirmata ibi, cum dicit: « haec est regula fratrum Minorum, videlicet domini nostri Iesu Christi sanctum evangelium observare, vivendo in obedientia sine proprio et in castitate ». Ex quibus verbis concludi non potest, quod per ipsum praedecessorem nostrum ea, quae ibi in verbis praedictis asseruntur, fuerint diffinita, imo potest concludi potius, quod vita evangelica, quam Christus et apostoli tenuerunt, habere

---

constitutionis textura quam viliter, quam inepte et irreverenter ad praedictum ordinem, professorem altissimae paupertatis, et quam haeretice contradicat constitutioni catholicae fel. rec. domini Nicolai III et declarationibus praedictorum pontificum, patet lucide perlegenti et in ipsa constitutione involvi et confundi multas sententias iuris et philosophiae, et nostrae fidei non tam sermonibus imperitis quam haereticis et insanis [oppositas vel contrarias?]. Et ex affectibus pravis et personarum defectibus insipienter et haeretice arguit contra statum religionis Minorum fratrum Christi imitatorum devotum, catholicum et sublimem, et in magnum opprobrium ipsius ordinis et contumeliam summi legislatoris Iesu Christi per cavillationes legum principum mundanorum nititur ipsius perfecta consilia, quae verbo docuit et exemplo firmavit, tanquam impossibilia denigrare, imo verius ut haereticus annullare: non attendens, quod omnis lex humana Christi consiliis est subiecta. Et hunc statum de simplici usu facti saepe vocavit et vocat in suis assertionibus mathematicum, hypocritalem et deceptorium, impossibilem ad servandum et nullum; et haeretice affirmat, quod talis expropriatio in communi, quam Christus et apostoli servaverunt et fratres Minores ipsorum imitatores observant, non est perfectior statu aliorum collegiorum habentium in communi, qui possunt pro his, quae habent, licite litigare. Qualis autem imprudentia et qualis haeresis est illud, quod in eadem constitutione allegat, quod dominium retentum per summos pontifices et patrimonio sanctae Romanae ecclesiae reservatum de rebus, in quibus pauperes evangelici solummodo simplicem facti usum habent, eidem ecclesiae extitit inutile et damnosum, quia nullum ex hoc consecuta est commodum temporale! Vere de officina haeresis Epicurii, qui nihil ponit de alia vita vel sperat, videtur emanare lamentum. Quod satis concludit, ipsum a se Dei evacuasse timorem et de supernis praemiis nihil sperare. Et nunc, ex quo talis est, non est mirum, si a se repulit tale dominium tanquam inutile, quod aurum non congregat nec argentum. Estne [id] inutile vero pastori et Christi vicario, sicut ipse se dicit, per cuius retentionem evangelici pauperes vivunt, per quorum ora ecclesiastici cantus Deo in divinis officiis ubilibet iubilantur, verbum Dei et veritas fidei per cuncta mundi climata seminantur et per fidelia consilia et hortamenta salubria et vitae sanctae exempla animae fidelium de faucibus daemonum eruuntur? Verum quia est animarum proditor et non pastor, praedicta damna reputat, et non lucra. Ut autem pateat, quomodo tam in ista constitutione *Ad conditorem* quam in alia *Cum inter nonnullos*, quam promulgavit II idus novembris, constitutionibus et diffinitionibus praedictorum pontificum, maxime domini Nicolai III evidentissime contradicat, attendendum est, quod praefatus dominus Nicolaus pro immobili fundamento perfectionis evangelicae quoad altissimam paupertatem dicit: « Dicimus, quod abdicatio proprietatis huiusmodi omnium rerum tam in speciali quam etiam in communi propter Deum meritoria est et sancta, quam etiam Christus viam perfectionis ostendens verbo docuit et exemplo firmavit, quam quoque primi fundatores ecclesiae, prout ab ipso fonte hauserant, in volentes perfecte vivere per

aliqua in communi non excludit, cum sine proprio vivere non exigat, quod sic viventes nihil habeant in communi. — In declarationibus quoque Gregorii, Innocentii et Alexandri praedictorum, qui eandem regulam absque confirmatione alia declaraverunt, similiter nulla prorsus fit mentio de praedictis, imo per eas evidenter ostenditur, eorum, quae licet habere ipsis fratribus, usum iuris ad ipsum ordinem pertinere. Gregorius quidem in sua declaratione quantum ad hoc inseruit, quae sequuntur: « Dicimus, quod nec in speciali nec in communi debent habere proprietatem, sed utensilium et librorum, rerum mobilium, quas licet habere, ordo usum habeat, et fratres, secundum quod generalis minister et provinciales ordinandum duxerint, hiis utantur ». — Innocentius autem et Alexander praefati in suis declarationibus sic dixerunt: « Dicimus insuper, quod, cum in ipsa regula contineatur expresse, quod fratres nihil sibi approprient nec domum nec locum nec aliquem rem, quod nec in communi nec in speciali debent proprietatem habere, sed locorum et domorum aut utensilium et librorum et eorum, quae licet habere, ordo usum habeat, et fratres, secundum quod generalis et provinciales ministri praedicti ordinis ordinandum duxerint, hiis utantur ». Cum enim dicatur in declarationibus supradictis, quod ordo usum habeat rerum praemissarum, ad usum iuris necesse est hoc referri. Facta quidem, quae singulorum sunt, personam veram exigunt et requirunt; ordo autem persona vera non est, sed repraesentativa et imaginaria potius est censenda: quare, quae facti sunt, sibi vere convenire nequeunt, licet ei possint congruere, quae sunt iuris. — Adhuc, licet declaratio Nicolai III praedicti contineat, quae sequuntur: « Hii sunt illius sanctae regulae professores, quae evangelico fundatur eloquio, vitae Christi roboratur exemplo, fundatorum militantis ecclesiae, apostolorum eius, sermonibus actibusque firmatur »; et post in eadem declaratione subiungit: « Dicimus, quod abdicatio proprietatis omnium rerum tam in speciali quam etiam in communi propter Deum meritoria est et sancta, quam et Christus viam perfectionis ostendens verbo docuit et exemplo firmavit, quam quoque primi fundatores militantis ecclesiae, prout ab ipso fonte hauserant, in volentes perfecte vivere per doctrinae ac vitae ipsorum alveos derivarunt »: ex verbis tamen praedictis nequaquam potest colligi, quod praefati praedecessoris nostri Nicolai intentio fuerit dicere, quod dicta regula quo ad omnia, quae continentur in ea, evangelico fundetur eloquio, vitae Christi roboretur exemplo, nec quod apostolorum vita et actibus sit firmata. Constat enim in dicta regula multa contineri, quae nec Christus docuit nec exemplo firmavit, utpote quod praecepit conditor regulae fratribus universis, ut nullo modo denarios vel pecuniam recipiant per se vel per interpositam personam, nec non et de multis contentis in dicta regula, quae utique nec Christus nec apostoli verbo docuerunt nec firmaverunt exemplo. Nec obstat, quod Christus portare pecuniam apostolis prohibuit et discipulis, dum ipsos ad praedicandum mitteret, quod tamen, antequam eos mitteret, ipsis fuisse non legimus interdictum, quodque post re-

doctrinae ac vitae ipsorum alveos derivarunt ». Et quod ista regula recte sit vita Christi et apostolorum quoad paupertatem, dicit in haec verba: « Hii sunt illius sanctae regulae professores, quae evangelico fundatur eloquio, vitae Christi roboratur exemplo, fundatorum militantis ecclesiae, apostolorum eius, sermonibus et actibus firmatur; haec est apud Deum et patrem munda et immaculata religio, quae descendens a Patre luminum per eius filium exemplariter et formaliter tradita et demum per Spiritum sanctum beato Francisco et eum sequentibus inspirata totius in se quasi continet testimonium Trinitatis ». Quae verba quantum distant a blasphemiis huius haeretici et blasphemi supra descriptis, cuilibet satis patet.

Dicit etiam idem Nicolaus infra: « Nam cum in rebus temporalibus sit considerare praecipuum proprietatem, possessionem, usumfructum, ius utendi et simplicem facti usum, et ultimo tanquam necessario egeat, licet primis carere possit vita mortalium, nulla prorsus potest esse professio, quae a se usum necessariae sustentationis excludat; verum condecens fuit ei professioni, quae sponte devovit Christum pauperem in tanta paupertate sectari, omnium abdicare dominium et rerum sibi concessarum necessario usu fore contentam ». In quibus verbis clare apparet, quod praedictus sacer pontifex Nicolaus et praedicti alii pontifices ipsum praecedentes in suis diffinitionibus et verbis praedictis per clavem scientiae tanquam veri summi pontifices aperte et expresse diffiniunt, paupertatem Christi et apostolorum perfecte consistere in expropriatione cuiuslibet temporalis dominii civilis atque mundani rerum omnium huius mundi, et sustentationem vitae ipsorum in solo et nudo consistere usu facti. Quo solo, ut asserunt et praecipue Nicolaus praefatus, indiget vita mortalium, licet iure utendi et usufructu et proprietate et dominio quolibet possit carere meritorie et perfecte: et tanto perfectius et Christo decentius, quanto magis per solum et nudum simplicem facti usum observatores paupertatis huiusmodi ab omni iure temporalium abstrahuntur. Decens autem fuit dominum nostrum Iesum Christum, qui coelestes divitias et rerum mundi contemptum venerat praedicare, perfecte in se relinquere mundi divitias, et ut perfectos imitatores suos doceret suis consiliis taliter relinquendas, quod solo usu necessario vitae mortali eorum summa perfectio esset contenta. Nec praedictis obstat, quod hic veritatis subversor dicit, in sola charitate perfectionem consistere, quia nos de illa paupertate loquimur, quae ex seraphico ardore divini amoris et summa appretiatione coelestium calcat omnia temporalia quasi lutum et hoc summum charitatis gradum in mente praesupponit et in conversatione extrinseca huius amoris ostendit incendium per contemptum omnium mundanorum.

Huic paupertati altissimae et perfectae hic haereticus manifestus perversis statutis et nefandis operibus se opponit; et nobis est fide dignorum veridica relatione relatum, quod hic in statum Christi et apostolorum impingens, qui paupertatem evangelicam suprascriptam in fratrum Minorum regula propagarunt, dixit coram magnis viris fide dignissimis de ordine supradicto, quod iam a magnis temporibus, forte a XL annis vel circa, conceperat, re-

ditum portaverint pecuniam, in plerisque locis evangelica veritas et apostolica dicta testantur. Praeterea Augustinus dicit expresse, quod illud non fuit praeceptum, sed potestas recipiendi necessaria ab hiis, quibus evangelium praedicabant, quam servare licuit vel etiam non servare. Sed et hoc idem praedecessor noster Nicolaus praedictus quoad tria principalia vota, scilicet in obedientia vivere et sine proprio et in castitate, ac alia, si qua evangelica reperiantur expressa in dicta regula, videtur intellexisse [et] dicere in declaratione praedicta, quod utique nostris declarationibus in nullo obviat supradictis.

Adhuc non apparet ipsum dixisse, sustentationem Christi et apostolorum eius in solo et nudo et simplici consistere usu facti, cum de usu facti simplici quoad Christum et apostolos nullam praefatus Nicolaus praedecessor noster in sua declaratione fecerit mentionem, imo sensisse satis videtur expresse, quod ius aliud a proprietate habuisse poterunt, cum de sola abdicatione proprietatis et non iuris alterius in praefata declaratione, quantum ad ipsos attinet, mentio habeatur. Adhuc idem Nicolaus praedecessor noster videtur sensisse, quod Christus et apostoli etiam quoad proprietatem habuerint aliquid in communi; cum enim in sua declaratione praedicta verba de abdicatione proprietatis dixisset, respondens obiectioni, quae sibi de loculis, quos Christus habuisse in evangelio legitur, poterat fieri, statim quae sequuntur subiunxit: « Nec his quisquam putet obsistere, quod interdum dicitur Christus loculos habuisse; nam sic ipse Christus, cuius perfecta sunt opera, in suis actibus viam perfectionis exercuit, quod interdum infirmorum imperfectionibus condescendens et viam perfectionis extolleret et infirmorum infirmas semitas non damnaret ». Sic et infirmorum personam Christum asserit in loculis suscepisse, alias impertinens de loculis fuisset obiectio, nisi intellexisset, Christum etiam quoad proprietatem loculos habuisse. Praeterea si diceretur, Christum in loculis tantummodo habuisse simplicem usum facti, frustra diceretur, quod in persona infirmorum ipsos Christus habuerit loculos, cum secundum eum perfectis etiam conveniat habere simplicem usum facti. Et si quaeratur, propter quos infirmos loculos istos habuit, Augustinus, cuius dictum insertum est in decretis (XII, q. I, *habebat Dominus loculos*), respondet dicens: « habebat Dominus loculos a fidelibus oblata conservans et suorum necessitatibus et aliis indigentibus tribuebat ». Unde patet, ipsum Augustinum de suis discipulis et aliis indigentibus hoc sensisse.

Nec hoc, scilicet habere in communi (etiam quoad proprietatem) aliqua, derogat iuxta dictum Gregorii IX praedicti altissimae paupertati, quia in quadam sua decretali de excess. praelat. (cap. *Nimis iniqua*) dicit expresse, fratres Praedicatores et Minores in altissima paupertate Christo pauperi famulari. Et tamen constat, ipsos Praedicatores habere in communi (etiam quoad proprietatem) aliqua, quod eorum regulae et statui non repugnat. Hoc etiam Alexander praedecessor noster praefatus in condemnatione libelli contra statum Praedicato-

---

gulam beati Francisci tanquam fantasticam et impossibilem ad servandum, et si Deus daret sibi potestatem, destruere et tollere ac Minorum ordini aliam dare, qua posset bona in communi possidere, sicut aliae religiones faciunt; praelatis maioribus dicti ordinis etiam suasit acute et efficaciter, sicut probari poterit loco et tempore manifeste, quod regulam novam reciperent, in qua habere possent aliqua in communi, et suam reiicerent tanquam ad servandum impossibilem et fatuam: quae tamen perfectionem evangelicam continet evidenter. Ex quo patet, quod sicut inveteratus haereticus et praecisus ab ecclesiae corpore et vera fide non potuit ad pontificatum assumi; et postquam ipsius manifesta est haeresis in constitutionibus promulgatis, incidit in factum damnatum haeresis et sub proprio et notorio scelere haeresis est ab omni statu deiectus.

Constitutio *Cum inter nonnullos* diffinit haereticum dicere, nihil Christum et eius apostolos habuisse in speciali et etiam in communi, cum nullus sanae mentis negaverit, ipsos habuisse necessaria vitae; sed in praedicationibus et sermonibus asseruit firmiter, quod ipsi habuerunt eodem modo, quo habent cetera collegia, quae bona possident in communi. Luce igitur clarius patet, quod diffinire voluit et intendit fore haereticum dicere: Christum et apostolos nihil possedisse in communi civiliter et mundane. Et sicut ostensum est supra, sicut impudens haereticus, Christi evangelium et sanctos prophetas et doctores antiquos sacrae scripturae et diffinitiones praedictorum summorum pontificum, ut blasphemus et sacrilegus, falsum continere et mentiri, dicit aperte. Quod etiam esse haereticum et vesanum, universitas fratrum Minorum in generali eorumdem capitulo Perusii congregato aperte sensit et sententiavit expresse, asserendo, quod dicere, Christum et apostolos nihil taliter habuisse in communi, non erat nec est haereticum, sed sanum, catholicum et fidele et per sanctos patres ac summos pontifices tanquam catholicum diffinitum, et contrarium reprobatum et tanquam reprobum excommunicationis et anathematis sententia innodatum. Et ordo fratrum Minorum sic istam veritatem asseruit, quod universis Christi fidelibus ipsam tenendam inviolabiliter tanquam omnino catholicam publicavit et nunciavit et ministrorum et magistrorum in sacra theologia, qui dicto capitulo praeerant, sigillis munivit ad maiorem rei certitudinem, prout etiam in eorum littera per mundum universum dispersa plenius et seriosius continetur. Quod enim per clavem scientiae per Romanos pontifices semel determinatum est in fide et moribus rectae vitae, est immutabile eoque ecclesia Romana est inerrabilis in fide et veritate, nec potest dare regulam falsam vel malam in recte vivendo, nec in recto iudicio veritatis ecclesia Romana potest sibi esse contraria; si enim in uno esset falsa vel sibi contraria, in omnibus vacillaret.

Et super hoc fundamento generale capitulum se in praedicta littera fundavit; nam quod semel per summos pontifices Dei vicarios per clavem scientiae est diffinitum esse de fidei veritate, non potest per successorem aliquem in dubium revocari vel eius, quod diffinitum est, contrarium affirmari, cum hoc agens manifeste haereticus sit censendus. Cuius veritatis origo et funda-

rum et Minorum editi videtur sensisse, in qua loquendo de dictis fratribus, quae sequuntur, adiunxit: « Cum insuper iidem fratres omnia propter Deum reliquerint, exilia vitae subsidia mendicantes, Christumque imitentur pauperem, perfectionem evangelicam amplexando, propter quod evidenter apparet, eos non solum in statu salvandorum existere, sed etiam perfectorum, et per suae religionis observantiam, quae quidem ipsius perfectionis evangelicae tenet formam, in aeternae retributionis praemio praecellentem gloriam promereri ». Ubi quidem expresse dicit, Praedicatores Christum pauperem imitari ipsosque perfectionem evangelicam amplexari et in statu existere perfectorum, quodque ipsorum religionis observantia perfectionis evangelicae tenet formam; et tamen constat, ipsos habere posse (etiam quoad proprietatem) aliqua iuxta eorum regulam in communi. — Nec obstat, quod dicunt Innocentium V praedecessorem nostrum dixisse: altam paupertatem esse habere pauca propria propter Deum; altiorem, quae nulla habet propria, habet tamen in communi; altissimam, quae nihil habet in hoc nec in proprio nec in communi. Dicimus quidem, quod non hoc dixit ut papa, sed ut frater Petrus de Tarentasia in quadam sua postilla. Quare dicta praemissorum summor. pontificum sunt ei merito praeferenda. Dicunt etiam, quod apostolus de tali altissima loquitur paupertate dicens: « Et altissima paupertas eorum abundavit in divitias simplicitatis eorum »; quod evidenter est falsum, quia ibi loquitur de paupertate Macedonum, qui in speciali temporalia obtinebant, de quibus apostolus asseruit, quod supra vires suas miserant eleemosynas sanctis.

Quod autem dicitur in declaratione Nicolai praedecessoris nostri praedicti contineri, quod fratres Minores in rebus, quae eis obveniunt, habent tantum simplicem facti usum, dicimus, quod, si ipse intellexerit simplicem facti usum denudatum omni iure, ita quod fratres seu ordo nullum habeat ius utendi, hoc est expresse contra declarationes Gregorii, Innocentii et Alexandri summorum pontificum praedictorum, in quibus expresse, quod talium bonorum ordo usum habeat, continetur: quod de usu iuris est intelligendum necessario, ut superius est probatum. Adhuc dicimus, quod hoc est impossibile, scilicet usum facti simplicem absque iure aliquo, quod nihil aliud quam ipsum uti proprie potest dici, posse in re aliqua etiam usu non consumptibili ab aliquo obtineri, prout in decretali *Ad conditorem canonum* est probatum, et Augustinus in XI lib. confessionum de actu tenet expresse. Praeterea, si simplex usus denudatus omni iure posset ab aliquo haberi, constat, quod actus huiusmodi esset reputandus non iustus, cum ille usus fuerit, cui ius non competebat utendi: usus autem non iustus ad perfectionem non pertinet nec aliquid perfectioni adiicit, sed sibi repugnare potius noscitur manifeste. Quod autem talem usum non iustum conditor canonis fratribus ipsis intellexerit reservare, probabile non videtur; imo quod de iusto intellexerit, ex eo potest evidentius apparere, quod in eadem ordinatione adiecit, quod illarum rerum dumtaxat in se et Romanam ecclesiam dominium

---

mentum est, quia fides catholica est de vero, perpetuo et immutabili fundamento; et ideo, quod semel est diffinitum verum esse in ipsa fide et moribus, verum est in aeternum et immutabile per quemcunque. Secus autem est in his, quae statuuntur per clavem potestatis; nam saepe, quod uno tempore expedit fieri, alio tempore expedit prohiberi. Constat autem, praedictos pontifices et concilia generalia secundum clavem scientiae contrarium apertissime diffinivisse, et libellum et dicta magistrorum asserentium, dictam paupertatem et vitam non esse paupertatem evangelicam et vitam apostolicam, sententialiter damnaverunt per suas litteras districtius inhibentes, ne quisquam praemissa vel aliquod praemissorum pertinaciter astruere vel quomodolibet defensare praesumat: statuentes, quod quicunque hoc praesumpserit attentare, tanquam contumax et ecclesiae Romanae rebellis et haereticus ab omnibus fidelibus habeatur, prout haec et plura alia circa hoc in determinationibus et declarationibus et litteris apostolicis super his confectis plenius continetur. Liquet igitur, quod, qui praedictis constitutionibus contraria facit, incidit in factum damnatum et se ipsum involvit damnatione haereseos. — Similiter in secundo articulo, ubi diffinivit haereticum dicere, quod non habuerint ius utendi illis rebus, quas eos habuisse sacra scriptura testatur, quia ex hoc concludit, ut dicit constitutio, usum eorum non iustum fuisse, fallax, subdolus et dolosus et ignorans perfectionem Christi vitae vel eam malitiose impugnans, semetipsum sic arguendo decipit et confundit. Nam, sicut dictum est, abdicatio omnis iuris in cuiuscunque rei proprietate vel in usu eius est sancta et meritoria propter Deum et a Christo in se ipso servata et apostolis imposita et ab ipsis sub voto consumpta. Nec propter hoc ullus usus facti ad sustentationem naturae in Christo et in apostolis convincitur esse non iustus, sicut hic vitae Christi contrarius concludit, sed tanto iustior et perfectior ac Deo acceptior et mundo exemplarior, quanto plenius renunciatum est omni iuri, per quod possit sic utens pro usu huiusmodi quomodolibet contendere et in iudicio litigare. Et sic patet manifestissime, quod in utraque constitutione convincitur esse haereticus manifestus.

Praeterea apparet manifeste, quod, quicunque dicit, hanc paupertatem altissimam, quae est lampas nostrae fidei et fundamentum, non praecellere vitam et professionem habentium in communi sive in proprio, necessario concludit, Christum non fuisse verum Christum nec Messiam illum, quem lex et prophetae promittunt. In aestimatione enim divitiarum sive communium sive propriarum est principale fundamentum et ianua singularis sectae Antichristi et totius erroris Iudaici et etiam sectae Saracenorum. Cum enim lex et prophetae in verborum superficie promittant tempore Christi sive Messiae et per ipsum dari eis regnum plenum divitiis et opulentia, inextimabile et universale dominium mundi, et hoc sub illis figuris metaphoricis magnificent miro modo, sicut quilibet videre potest in scripturis divinis et prophetis; si verum est, melius et divinius esset vivere in communibus divitiis sive propriis quam in altissima paupertate, prout constitutiones praedictae loquuntur, tunc

recipiebat, quarum usum facti licet habere fratribus seu ordini antedictis, subiungens, quod non rerum omnium usum habere debeant fratres praedicti. Quantum autem ad usum facti simplicem absque omni iure utendi attinet, nulla rerum potest censeri differentia quoad fratres; sic enim de facto uti possunt prohibitis ut permissis. Ex quo sequitur, quod usus facti, de quo ordinatio loquitur, de tali intelligi debeat, qui iustus sit et pro quo competat ius utendi. Et ipse videtur conditor canonis ex eo etiam sensisse hoc, quod in eadem ordinatione subiunxit, quod moderatus usus in expressis prius rebus ipsis fratribus est concessus.

Rursus impugnatores constitutionum huiusmodi asserere publice perhibentur, quod libellum et dicta magistrorum asserentium, dictam paupertatem et vitam ipsorum fratrum Minorum non esse evangelicam et apostolicam, summi pontifices damnaverunt, districtius per apostolicas litteras inhibentes, ne quisquam praemissa vel aliquod praemissorum contumaciter astruere vel quomodolibet praesumeret defensare: statuentes, quod praesumens contrarium tamquam contumax et ecclesiae Romanae rebellis atque haereticus habeatur. Ad quod dicimus, assertionem huiusmodi falsam esse; non enim continetur in sententia praedicta, quod contra faciens ut haereticus habeatur. Quae conclusio ad haec continet, quae sequuntur: « nos enim nihilominus auctoritate praesentium districtius inhibemus, ne quisquam praemissa vel aliquod praemissorum pertinaciter asserere vel quomodolibet defensare praesumat; quicunque vero hoc praesumpserit, tanquam contumax et ecclesiae Romanae rebellis ab omnibus fidelibus habeatur ». Non autem fuit adiectum, quod haereticus haberetur, ut patet in serie sententiae condemnationis praedictae.

Rursus asseruisse dicuntur publice huiusmodi assertores, quod abdicatio iuris in cuiuscunque rei proprietate et in eius usu est sancta et meritoria propter Deum et a Christo in se servata apostolisque imposita et ab ipsis sub voto assumpta, nec per hoc usus facti ad sustentationem naturae in Christo et apostolis convincitur esse non iustus, sed tanto iustior atque profecto perfectior et Deo acceptior et mundo exemplarior, quanto plenius renunciatum fuerit omni iuri, per quod potest sic utens pro usu huiusmodi quomodolibet contendere vel in iudicio litigare. Quae quidem assertio continet multa falsa, cum neque Christum expropriationem praedictam omnis iuris in cuiuscunque rei proprietate et in eius usu in se servasse nec etiam imposuisse apostolis nec sub voto ab ipsis fuisse receptam evangelica seu apostolica doceat historia, sed contrarium evidentius manifestat. Quod autem in praedicta assertione adiicitur, quod per abdicationem iuris praedicti videlicet proprietatis et eius usus usus facti ad sustentationem naturae in Christo et apostolis non convincitur esse non iustus, sed tanto iustior *etc.*, impossibilitatem includit et errorem dictum huiusmodi evidenter. Impossibile enim est actum humanum extrinsecum esse iustum, si exercens actum ipsum nullum ius habeat exercendi; imo non iustus, sed iniustus necessario convincitur talis usus. Item est absurdum et erroneum, quod actus

---

necessario sequitur, quod Christus ad litteram debuit talia ferre secum, quia illud, quod melius fuit, pro se habere debuit et dare Iudaeis, cum etiam tunc nulla ratio est, quare lex et prophetae in promissione divitiarum (et maxime illarum, quas promittit pro tempore adventus Christi sive Messiae) ad litteram non intelligantur de divitiis temporalibus, sicut littera sonat. Certum est autem Christum ad Iudaeos in abundantia divitiarum non venisse: ergo sequitur ex istis necessario, Christum non fuisse verum Christum nec verum Messiam. Et tunc apertissima est ianua ad concludendum, verum Christum et verum Messiam adhuc in plenitudine divitiarum ad Iudaeos venturum. Et per hanc viam paratur ianua et fundamentum sectae Antichristi, qui se verum Christum dicet et Messiam. Paratur etiam via ad errores Iudaeorum ac iudaizantium, qui dicunt, Christum non implesse prophetias eorum et promissiones eis factas per prophetas, scilicet, quod veniret in abundantia divitiarum Messias ipsorum. Et sic disponuntur ad errorem recipientium Antichristum, quem dicunt esse verum Christum et Messiam eorum, qui implebit promissiones eorum per prophetas factas, vivendo in multitudine divitiarum et abundantia.

Ex hoc etiam fundatur error legis Sarracenorum, qui felicitatem divitiarum et luxuriarum pro beatitudine aeterna ipsis promittunt, prout in lege eorum manifeste patet. Et e contrario, si dicamus, quod paupertas altissima sit verior et divinior, sicut in veritate est, totus Iudaeorum error et exspectatio vana funditus enervatur. Sequitur enim, quod, quicquid lex et prophetae promittunt eis de divitiis et opulentia regni Christi sive Messiae, intelligatur et intelligi debeat de spiritualibus divitiis et opulentiis et nullo modo de temporalibus. Et tunc habebunt necessario credere Christum fuisse verum Christum et verum Messiam, datorem felicitatis spiritualis, et verum regem et Deum summum. Et breviter, quicquid spirituale de Christo credimus, credere cogentur omnino, et totam scripturam veteris testamenti, quantum ad omnia dicta de Christo et Messia spiritualiter implenda, et non sonare aliud nisi spirituales divitias et glorias. Ex hoc etiam tolletur secta Sarracenorum legis et error, quae felicitates et divitias temporales repromittit. Sic patet, quod conclusio constitutionum praedictarum, quae concludunt contrarium, et quod felicior status et divinior est habere in proprio et in communi, sicut cetera collegia habent, quam altissima paupertas, quam profitentur huius sacrae regulae professores, est origo et fundamentum totale sectae Antichristi et erroris Iudaici et Sarracenici, ut superius est probatum.

Praeterea constitutio *Ad conditorem* expresse concludit errorem, quia [falsum id dicit], quod alii Romani pontifices antedicti per clavem scientiae declaraverunt, scilicet vitam non habentium in proprio nec in communi esse altissimam paupertatem et a Christo institutam atque servatam, ut in decretali *Exiit* et in diffinitionibus praedictorum pontificum apertius videtur: quia, si retentio dominii talium bonorum datorum pauperibus nihil retinentibus in communi facta per summum pontificem est inutilis, quare et receptio et donatio est

aliquis non habentis ius actum huiusmodi faciendi sit iustior et Deo acceptior quam habentis, cum includat actum iniustum iustiorem et acceptiorem Deo existere, quam sit iustus.

Ex praedictis autem inferre nituntur, ut fertur, quod dictorum summorum pontificum diffinitio, qua diffiniunt de paupertate Christi et apostolorum ac fratrum Minorum praedictorum regula, prout superius expresserunt, per nos non potuit immutari. Procul dubio falsum asserunt dicentes, praedecessores nostros diffinivisse talia, ut superius est probatum. Et adhuc sic loquentes, dum per talia constitutiones nostras impugnare satagunt, constitutiones illas, quibus se adiuvant, ostendunt, si eorum falsae assertiones verae existerent, fore invalidas, erroneas et infirmas. Si enim nobis non licuit contra constitutionem Nicolai III, in qua se fundant praecipue, statuere aliquid: certe nec sibi licuit contra statuta Gregorii, Innocentii et Alexandri praedictorum statuere aut aliquid declarare; quod tamen ipsum fecisse secundum eorum assertionem noscitur evidenter. Cum enim illi declaraverint, quod ordo Minorum habet usum earum rerum, quas licet eis habere, quod ad usum iuris est referendum necessario, ut superius est probatum, ipse vero secundum eos statuit, quod nec ordo nec fratres ius utendi habeant, sed tantum simplicem facti usum; et insuper ordinavit, decrevit et statuit, huiusmodi constitutionem et declarationem suam dumtaxat a fratribus ipsis praecise et inviolabiliter perpetuis temporibus observandam: constat non solum, quod contra declarationes praedictorum praedecessorum ordinaverit, sed ipsum illas quantum ad ea, quae sua declaratio continet, etiam revocasse. — Ipse quoque praedecessor noster in sua declaratione subiunxit, ad sedem apostolicam declarationem et ordinationem eorum et circa ea, quae ipse declaraverat, pertinere, sic dicens: « Si quid ambiguitatis in praedictis emerserit, hoc ad culmen sedis apostolicae deducatur, ut ex auctoritate apostolica in hoc manifestetur sua intentio, cui solum concessum est in his statuta condere et condita declarare ». Cuius tamen contrarium asserunt huiusmodi assertores. Adhuc patet, quod asserunt, esse falsum. Licet enim Innocentius III praedictus in generali concilio interdixisset novas religiones institui, tamen successores eius non obstante interdicto huiusmodi plures leguntur ordines confirmasse, qui etiam exceptis aliquibus postea per Gregorium X praedecessorem nostrum dissoluti certo modo fuerunt in concilio generali. Si igitur post interdictum generalis concilii licuit summis pontificibus non confirmatos ordines confirmare, et eorum successoribus sic confirmatos in totum dissolvere, non est mirum, si, quod declarat circa regulas ordinum solus summus pontifex vel ordinat, liceat eius successoribus declarare seu alias immutare. Patet autem, quod nec Honorii confirmatio nec Gregorii nec Alexandri nec Nicolai praedictorum declaratio facta fuerit in concilio generali, cum per nullum ipsorum fuerit generale concilium celebratum. Licet autem Innocentius IV cebebraverit concilium generale, tamen nec in illo nec auctoritate cuiuslibet concilii facta fuit ipsa declaratio praedicta. Nicolaus autem IV

---

nutilis ad perfectionis statum. Sed quod sit inutilis secundum hanc constitutionem, et sit utilis et perfecta secundum decretalem *Exiit* et secundum decretalem *Exivi* et etiam secundum Gregorium IX, Innocentium IV, Alexandrum IV, Innocentium V et Nicolaum III pontifices: sequitur igitur necessario contrarietas inter constitutiones et diffinitiones praedictorum [pontificum] et hanc constitutionem manifesta, quia haec constitutio dicit inutilem et alii perfectam dicunt donationem Deo factam. Dedicatio autem sui et suorum et receptio talis donationis est a lege divina, quae praecipit et consulit praeceptorum et consiliorum observantiam, et ita retentionem. Praeterea: quomodo potest ecclesia Romana ordinare, quod servi sive et filii non sibi acquirant, ut in decretali *Exiit* § *Ad haec;* ista autem constitutio tollit ius acquisitionis Christi et ecclesiae et per consequens tollit iura servitutis Dei et curam pauperum: ergo haeresim continet manifestam. — Praeterea haec constitutio dicit patientiam circa modum ipsum Romanae ecclesiae subsecutam, et sic patet contrarietas quantum ad statum. Nam Romana ecclesia per patientiam non tollit modum status, licet docuerit modum talem observandum. Sed quia constitutio *Ad conditorem canonum* manifeste in statum impingit, patet, quod primis pontificibus supradictis contradicit expresse: ergo verus haereticus est censendus.

Praeterea haec constitutio dicit, quod dicere, posse separari dominium in rebus usu consumptibilibus, est contrarium rationi et iuri. Sed manifestum est, quod omnes religiosi nihil habent in proprio, licet aliqui habeant in communi. Igitur etiam in his non separatur usus a dominio in talibus rebus. Ergo omnes essent proprietarii in alimentis et vestimentis et pecunia, et sic etiam Christus fuit proprietarius et apostoli secundum hoc. Et per consequens omnis vita monastica religiosa ficta et falsa est ista ratione. Doctrina etiam Christi est ficta *(Matth. XVIII): Si vis perfectus esse etc.* Et sic perfectio vitae evangelicae consisteret in habere in proprio, non in communi, licet pauca et vilia. Et sic totalis ratio principalis perfectionis vitae evangelicae esset circa usum pauperum et vilium, et nullo modo esset in abdicatione proprietatis, quod est contra diffinitiones pontificum praedictorum et contra decretalem *Exiit:* ergo conditor constitutionis *Ad conditorem* vere haereticus est censendus. — Praeterea dicit constitutio *Ad conditorem*, quod carentia talis dominii pauperiorem non facit non habentem nec habentem ditiorem: sed contrarium est, quia nec Nicolao et aliis pontificibus supradictis nec Christo et apostolis nec religiosis omnibus repugnaret in proprio talia habere; hoc autem est contra fidem catholicam et contra scripturas sacras et destrueret omnem religionem et ordinem aliqua habentem in communi. Nam habentes in communi nihil possunt habere in proprio, ut in decretali *Cum ad monasterium.* Ergo conditor constitutionis *Ad conditorem* verus et perfectus haereticus est censendus. — Praeterea in ipsa constitutione dicitur, quod specialis retentio Romanae ecclesiae nihil facit speciale ultra alios Mendicantes, qui habent in communi, quoad altissimam paupertatem, quae est non habere in communi. Et sic Romana ecclesia et omnes dicti pontifices et omnes sacrae

(III?) nec celebravit generale concilium nec aliquid circa dictam regulam declaravit; Gregorius vero X praedictus nec confirmavit nec declaravit praedictam regulam, sed in generali concilio, ubi cassati fuerunt nonnulli Mendicantium ordines, dictorum fratrum Praedicatorum et Minorum ordines non cassavit, sed asseruit approbandos, sic dicens: « Sane ad Praedicatorum et Minorum ordines, quos evidens ex eis utilitas ecclesiae universali proveniens perhibet approbatos, praesentem non patimur constitutionem extendi ».

Praeterea dicant nobis assertores praedicti, ubi legunt, quod ad fidem vel mores pertineat, Christum et apostolos non habuisse in his, quae habuerunt, nisi simplicem usum facti. Profecto directe hoc ad fidem non pertinet, cum de hoc articulus non sit aliquis, sub quo valeat comprehendi, ut patet ex symbolis, in quibus articuli fidei continentur, nec etiam reductive, quasi hoc sacra scriptura contineat, quo negato tota scriptura sacra redditur dubia et per consequens articuli fidei, qui habent per scripturam sacram probari, redderentur dubii et incerti: hoc enim in scriptura sacra non poterit sed contrarium reperiri. De fratribus autem Minoribus praedictis constat, quod de ipsorum paupertate ac simplici usu facti seu de dominio eorum, quae ipsis offeruntur, quod summus pontifex illud sibi et Romanae ecclesiae reservaverit vel potuerit reservare, nec quod illud reservatum successori abiicere non liceat, si hoc expedire viderit, seu quod procuratores constitutos authoritate summi pontificis pro negotiis ordinis praedicti successor revocare non valeat, in praedictis symbolis, evangeliis nec actibus apostolorum et epistolis mentio aliqua non habetur; unde non possunt ex praedictis concludere nisi falso, quin contra ordinata per summum pontificem circa talia liceat successoribus aliud ordinare, quod Nicolaus III supradictus in sua declaratione inseruit, ut superius plenius continetur.

Nos itaque, ne fabricatores mendaciorum huiusmodi ac etiam asserentes de tam pestifera, erronea et damnata doctrina (confutatione ac confusione utique omni digna) gloriari valeant et alios trahere in errorem, cum ausu nephando ac petulantia improba ausi defendere publice fuerint damnatam per constitutionem praedictam haeresim ac etiam approbare, videlicet quod Christus et eius apostoli in hiis, quae habuisse leguntur, tantum habuerint absque iure aliquo usum facti simplicem (ex quo, si verum esset, sequeretur, usum Christi fuisse non iustum, quod profecto blasphemiam continet et est catholicae fidei inimicum), cum hoc de pertinaci animositate ac erronea non sit dubium processisse, omnes et singulos, qui verbo ac scripto per se vel per alium seu alios talia publice praesumpserunt, ipsos quoque, qui eos instruxerunt in talibus et, ut praemissa facerent, docuerunt, in damnatam haeresim incidisse ac ut haereticos evitandos fore de fratrum nostrorum consilio declaramus. Si quis autem damnatas per constitutionem *Cum inter nonnullos* praedictam haereses vel ipsarum alteram deinceps scienter verbo vel scripto defendere vel approbare praesumpserit, de fratrum eorumdum con-

---

scripturae doctores in Christo et apostolis, qui habuerunt et docuerunt altissimam paupertatem, approbarent simulationes esse atque figmenta, quod dicere summum est haereticum. Ergo conditor constitutionis *Ad conditorem* haeresiarcha verus et perfectus haereticus est censendus. — Praeterea, si talis retentio specialiter facta addit aliquid supra alios Mendicantes habentes in communi, oportet necessario, quod per ecclesiam non habentibus in communi provideatur in necessariis, ut licite uti possint, quod fit per retentionem ortam ex hoc, quod tales perfecte dantes se Deo nihil in mundo retinent nec in proprio nec in communi, sed devote profitendo altissimam paupertatem, quam Christus verbo docuit et exemplo firmavit et eius apostoli servaverunt in se ipsis et aliis servandam tradiderunt. Constat autem, quod ecclesia se et sua dantes non potest abiicere nec debet, ergo contra praedicta statuens vere haeresiarcha et perfectus haereticus est censendus.

Praeterea constitutio dicit, quod non est honor Romanae ecclesiae, praedictum dominium reservare; sed hoc est expresse contra legem Dei, quia ecclesia debet pascere oves Christi *(Ioan. ult.)* et defendere contra quoscunque oppressores et impugnantes: ergo conditor huius constitutionis vere haeresiarcha et haereticus est censendus. Praeterea in dicta constitutione dicitur huiusmodi dominium esse perniciosum, et sic reputatur perniciosum, quod factum est et inventum per ipsum Christum et Romanam ecclesiam; nam dominus Gregorius IX, Innocentius IV, Alexander IV et Nicolaus III (in decretali *Exiit*) et Clemens V et plures alii Romani pontifices in declaratione hoc dominium sanctae Romanae ecclesiae fore declarant, non tamen propter hoc novum ius statuentes, sed, quod erat in veritate ab ipso iure divino, potius detegentes: ergo conditor constitutionis *Ad conditorem* vere haereticus est censendus, aut omnes supradicti pontifices haeretici fuerunt, quod nullatenus est sentiendum, sed de illo potius, qui contrarium statuit veritati et omnibus supradictis. Praeterea dicit constitutio supradicta, Romanam ecclesiam non plus debere velle in talibus, qui nihil retinent in communi, quam in aliis Mendicantibus habentibus in communi; quod est contra rationem voti et doni. Quanto enim plus Deo et ecclesiae datur, ecclesia ibi plus habet. Sed professores altissimae paupertatis plus dant, quia nihil sibi retinent nec in proprio nec in communi, quam alii Mendicantes sibi retinentes in communi: ergo ecclesia plus accipit. Nisi velimus dicere, quod non habere in communi nihil facit ad perfectionis statum: quod dictum esset contra Christum et apostolos, qui paupertatem altissimam servaverunt et servare docuerunt professores ipsius, et contra scripturas sacras; et tunc ecclesia diceretur approbare figmenta et destruere Christi iura, quod est omnino haereticum. Igitur conditor constitutionis *Ad conditorem* ex praedictis omnibus et singulis vere haereticus est censendus ».

Itaque haec de paupertate in ista appellatione secunda docentur, quae manifeste reiiciuntur per constitutionem *Quia quorundam* supra in textu relatam. Eruditorum hominum advertentiam haud effugit, quod illae sententiae magna ex parte

silio decernimus, ut tanquam haereticus ab omnibus evitetur. Adhuc, quia constitutionem *Ad conditorem canonum* supradictam insano ausu impugnare nisi sunt, sicut fertur, de eorumdem fratrum consilio inhibemus, ne quisquam contra diffinita et ordinata seu facta per ipsam verbo vel scripto scienter approbet aliquid vel defendat; si quis autem contra praesumpserit, tamquam contumax et rebellis Romanae ecclesiae ab omnibus habeatur. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, IV idus novembris, pontificatus nostri anno nono.

555. Ministro provinciali prov. Saxoniae ord. Min. concedit facultatem recipiendi duo loca in Pruscia et unum in civ. Revaliensi. [1]

1324, novembris 12, Avinione.

Ministro provinciali et universis fratribus ordinis Minorum Saxoniae.

Redemptor noster *etc.* Sicut audivimus, nunc processit, quod rex Lethwinorum [2], olim paganitatis tenebris involutus, sic est zelo catholicae fidei accensus, quod in terra sua duo loca ordini vestro obtulit, in quibus duas ecclesias erigi fecit pro fratribus vestri ordinis inibi perpetuo permansuris. Cum autem inter Saxoniam et regnum Lethwinorum, ad quos desideratis ob favorem et ampliationem fidei fratres vestri ordinis destinare, magna locorum distantia, cum distent per 15 dietas et amplius, existere dinoscatur sintque inter Saxoniam et regnum praedictum nonnulla loca adeo inhabitabilia, quod dictum regnum absque magnis discriminibus adire non potestis, nisi aliqua loca intermedia habeatis, nobis supplicastis, ut vobis recipiendi duo in Pruscia et unum locum in civitate Revaliensi concedere dignaremur. Nos itaque ob favorem fidei et profectum fidelium ac salutem, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, devotioni vestrae recipiendi ad habitandum pro fratribus vestri ordinis duo in Pruscia et unum loca in civitate Revalien. praedicta, dum tamen villae, loca seu castra, in quibus suscipietis loca praedicta, talia fuerint, quod duodecim fratres dicti ordinis in eis honeste valeant commorari, eaque perpetuis futuris temporibus retinendi ac in eorum singulis singulas ecclesias seu oratoria aedificandi sine iuris praeiudicio alieni (fel. rec. Bonifatii VIII praedecessoris nostri et qualibet alia constitutione contraria non obstante) plenam et liberam auctoritate praesentium concedimus facultatem. Nulli ergo *etc.* Dat. Avinione, II idus novembris, anno nono.

556. Leopoldo duci Austriae ad litteras, quas Raymundus Guilelmi ord. Min. sibi praesentaverat, respondet se concessisse ei indulgentiam pro ipso et sorore, Agnete regina Hungariae, petitam, super indulgentia autem generali concedenda exercitui ipsius utpote per Romanos pontifices nequaquam concedi consueta deliberare se plenius intendere, eumque monet, ut circa conflictum, quem contra ducem Bavariae habiturus est, suae et germanorum suorum securitati sic provideat, quod suam et ipsorum personas gravibus periculis non exponat. [3]

1324, novembris 14, Avinione.

Dilecto filio nobili viro Lipoldo duci Austriae.

Nobilitatis tuae litteras *etc.* Datum Avinione, XVIII kal. decembris, anno nono.

557. Universitati Paris. aliisque studiis generalibus quasdam constitutiones, quae ordinem Minorum respiciunt, transmittit, ut in scholis legantur. [4]

1324, novembris 21, Avinione.

Dilectis filiis doctoribus et scholaribus universis Parisius commorantibus.

Contra latratus nonnullorum, errores et insanias, qui os suum ponentes in coelum, lingua eorum transeunte falsidica super terram, detrahere nostris constitutionibus, quarum una incipit: *Ad conditorem canonum*, et alia est: *Cum inter nonnullos*, veritatemque catholicam quam continent obfuscare ausu sacrilego praesumpserunt, ut fertur, constitutionem quamdam, quae incipit: *Quia quorumdam*, cum fratribus nostris sanctae Romanae ecclesiae cardinalibus multisque aliis viris tam praelatis quam aliis in sacris et utriusque iuris litteris eruditis diligenti deliberatione praehabita et de eorundem fratrum consilio duximus promulgandam, quam vobis una cum aliis constitutionibus praedictis necnon et quadam alia per nos dudum edita materiam tangente praedictam, quae incipit: *Quia nonnunquam* [5], de quibus, quamvis diu ante editionem ultimae constitutionis huiusmodi promulgatae fuerint ac etiam publicatae, an tamen ad vos pervenerint, haesitamus, sub bulla nostra per latorem praesentium destinamus, universitati vestrae in virtute sanctae obedientiae districtius iniungentes, quatinus praefatas constitutiones legatis sicut ceteras decre-

---

ex Petri Ioannis Olivi scriptis (praesertim ex quaest. VIII) depromptae sunt (cfr. *Ehrle*, l. c. III, 540). Rem ita se habere, neque curiae Romanae tribunal ipseve Ioannes XXII dissimulasse videntur. Quo forsitan magis est effectum, ut istius Petri scripta denuo examinarentur. Certe, quod eius postilla super apocalypsim postea est damnata, haec causa fuit. Cfr. infra n. 600*a*. Sachsenhusianam Ludovici Bav. appellationem insuper ad Bonagratiae appellationem supra (not. ad n. 486) relatam respicere, demonstrat *K. Müller, Kampf Ludw. d. B. mit der röm. Curie* I, 360.

[1] Reg. Vat. t. 78, ep. 440.

[2] Vel Lithuanorum, quorum urbs capitalis erat *Wilna*.

[3] Reg. Vat. t. 113, f. 44, ep. 348.

[4] Reg. Vat. t. 113, f. 120, in *Chart. Univ. Paris.*, t. II, p. 276, n. 833. Cfr. infra 558, 564, 628.

[5] Cfr. supra nn. 486, 518, 554, 464.

tales in scolis. Dat. Avinione, XI kal. decembris, anno nono.

In eundem modum dil. filiis doctoribus et scholaribus Tolosae, Bononiae, in Urbe, Neapoli, Perusii, Oxoniae, .. commorantibus, necnon legato Lombardiae [1] *atque archiepiscopo Treveren.*

558. Ioanni de Arpadella destinat constitutiones supra n. 557 relatas eique mandat, ut ipsas doctoribus et scholaribus Parisien. praesentet et publicari atque in scholis legi faciat. [2]

1324, decembris 8, Avinione.

[Dil. filio] mag. Ioanni de Arpadella, decano Xanctonen. et capellano nostro.

Cum quasdam constitutiones nostras *etc.* Dat. Avinione, VI idus decembris, anno nono.

559. Ministro provinciae Bononien. ord. Min. facultatem concedit visitandi monasteria ord. s. Benedicti et s. Clarae Ferrarien. non obstante interdicto, cui ista civitas supposita est. [3]

1324, decembris 8, Avinione.

Dilecto filio .. ministro provinciali ordinis fratrum Minorum in Bononiensibus partibus constituto.

Nuper pro parte tua nobis oblata petitio continebat, quod, cum in civitate Ferrariensi sint duo monasteria monialium sancti Benedicti et sanctae Clarae ordinum, quorum correctio et visitatio ad te pertinere dinoscitur, tuque ad eandem civitatem ecclesiastico interdicto suppositam (processibus, poenis et prohibitionibus per nos auctoritate nostra factis et habitis obstantibus) accedere nequeas ad huiusmodi visitationis et correctionis officium exercendum absque licentia sedis apostolicae speciali, nobis fecisti humiliter supplicari, ut accedendi ad eandem civitatem pro huiusmodi officio exercendo tibi largiri licentiam de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur volentes tam votis tuis in hac parte annuere quam eorundem monasteriorum et personarum in ipsis degentium indemnitatibus praecavere, discretioni tuae, ut ad eandem civitatem pro huiusmodi correctionis et visitationis officio exercendo, associatis tibi duobus vel tribus fratribus eiusdem ordinis fratrum Minorum, semel in anno accedere valeas (huiusmodi processibus, poenis et prohibitionibus, quibus quo ad alia in nullo volumus derogari, nequaquam obstantibus), plenam et liberam ac eisdem fratribus tenore praesentium licentiam impartimur: praesentibus post biennium minime valituris. Nulli *etc.* Dat. Avinione, VI idus decembris, anno nono.

560. Indulget Sifrido de Egra monacho mon. Ebracen. (Ebrach) ord. Cist. dioec. Herbipolen., quod possit assumi ad dignitates sui ordinis, non obstante, quod de ordine fratrum Min., quem olim in minori constitutus aetate ingressus, tandem post professionem in eo factam sine sui superioris licentia, quam quidem postmodum obtinuit, exiverat. [4]

1324, decembris 17, Avinione.

Dil. filio Sifrido de Egra monacho mon. Ebracen. ord. Cist.

Religionis zelus *etc.* Dat. Avinione, XVI kal. ianuarii, anno nono.

561. Elargitur indulgentias visitantibus ecclesiam mon. s. Ludovici prope s. Audomarum dioec. Morinen. ord. s. Clarae. [5]

1324, decembris 18, Avinione.

Universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis.

Vitae perennis gloria *etc.* Cupientes igitur, ut ecclesia monasterii monialium sancti Ludovici prope s. Audomarum ordinis sanctae Clarae Morinen. dioec. [6] congruis honoribus frequentetur, nos de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus vere poenitentibus et confessis, qui ecclesiam ipsam in singulis beatae Virginis Mariae et eiusdem sancti Ludovici ac sanctae Clarae festivitatibus: centum, eis vero, qui per octo dies festivitates ipsas immediate sequentes devote visitaverint annuatim, quadraginta dies de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus. Datum Avinione, XV kal. ianuarii, anno nono.

562. Concedit custodi custodiae Barchinonensi prov. Aragoniae, quod possit recipere unum locum dictum *Inqua.* [7]

1325, ianuarii 1, Avinione.

Dilectis filiis custodi et fratribus ordinis Minorum Barchinonen.

Sincerae vestrae religionis, in qua virtutum Domino devotum et sedulum exhibetis obsequium, promeretur honestas, ut votis vestris in iis praesertim, quae divini cultus augmentum et fidelium animarum salutem respiciunt, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Hinc est, quod nos vestris supplicationibus inclinati, ut in villa, quae *Inqua* [8] vulgariter nuncupatur, Maioricarum dioec., unum locum ad opus, usum et nomen fratrum vestri ordinis recipere et in eo capellam seu oratorium ac

[1] Bertrando (Poyet) tit. S. Marcelli presb. card., postmodum episcopo Ostien.
[2] Reg. Vat. t. 113, f. 4, *Chart. Univ. Paris.* l. c. n. 834.
[3] Reg. Vat. t. 78, f. 266, ep. 782.
[4] Reg. Vat. t. 78, ep. 681.
[5] Reg. Vat. t. 78, ep. 553, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII n. 40.
[6] Cfr. supra n. 439.
[7] Reg. Vat. t. 78, ep. 530, apud *Wadd.* l. c. n. 41.
[8] Alias *Iviza* in insula cognomini.

domos cum aliis necessariis officinis aedificare et construere et ibidem inhabitare ac coemeterium etiam libere habere valeatis, sine praeiudicio parochialis ecclesiae dictae villae et iuris cuiuslibet alieni (constitutione fel. rec. Bonifatii papae VIII praedecessoris nostri super hoc in contrarium edita non obstante), dum tamen in dicto loco per vos recipiendo duodecim fratres dicti ordinis inibi commorantes honeste et congrue valeant sustentari, auctoritate vobis praesentium indulgemus. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, kal. ianuarii, anno nono.

563. Mandat rectori et thesaurario ducatus Spoletan., quod de regestris pont. Rom. antiquis, quae sunt Assisii apud fratres Minores deposita, sibi referant. [1]

1325, ianuarii 13, Avinione.

Eisdem [Ioanni de Amelio, rectori, et Petro de Maynade, thesaurario ducatus Spoletani].

Volentes de registris antiquis Romanorum pontificum praedecessorum nostrorum, quae sunt in thesauraria [fratrum Minorum] Assisii, ut scripsistis, habere certitudinem pleniorem, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel quilibet vestrum, quae et quot registra huiusmodi et quorum Romanorum pontificum sint ibidem, ac qualiter et quomodo possent ad Romanam curiam tute deferri, quotque scrumerii essent propter hoc necessarii, deliberatione et informatione per vos prius habitis super hiis, nos certiores quantocius efficere studeatis. Dat. [Avinione, idibus ianuarii, anno nono].

564. Vult, quod constitutiones supra n. 557 citatae non tantum a decretistis, sed etiam a theologis in scholis legantur. [2]

1325, ianuarii 18, Avinione.

Dilectis filiis rectori et universitati studii Parisiensis.

Cum certas constitutiones nostras, quarum una incipit: *Ad conditorem canonum*, et alia: *Cum inter nonnullos*, altera vero: *Quia quorundam*, et reliqua: *Quia nonnunquam*, legendas sicut ceteras decretales in scolis dudum vobis sub bulla nostra duxerimus transmittendas, placet nobis et volumus, quod non solum decretorum sed theologicae facultatis magistri etiam ibidem legentes de mane constitutiones easdem, quarum contenta facultates eorum tangere non modicum dinoscuntur, possint legere de mane vel in nonis seu alia hora, quae sibi videbitur opportuna, quibuscumque studii vestri Parisiensis seu aliis statutis et consuetudinibus contrariis (iuramento, confirmatione sedis apostolicae vel alia quacumque firmitate vallatis) nequaquam obstantibus aut aliis privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis, de quibus quorumque tenoribus de verbo ad verbum in praesentibus specialis et expressa mentio sit habenda. Datum Avinione, XV kal. februarii, anno nono. [3]

565. Regi Siciliae mittit constitutionem ab ipso factam contra adhaerentes illis, qui se Spirituales vocant. [4]

1325, februarii 4, Avinione.

[Carissimo filio] Roberto regi Siciliae illustri.

Constitutionem, fili carissime, non contra fratrum Minorum ordinem, sed contra nonnullos illis fratribus, qui se Spirituales nominant, adhaerentes eorumque doctrinam sequentes pestiferam, [qua] sanctam Romanam ecclesiam eiusque statuta falsis insaniis satagunt impugnare, nos excellentia regia noverit de fratrum nostrorum consilio edidisse, cuius tenorem regiae providentiae, ut eidem innotescat de illa plenius, in cedula mittimus praesentibus interclusum [5]. Dat. Avinione, II nonas februarii, anno nono.

566. Praeficit Gerardum Minoritam ecclesiae Hierapetren. in episcopum. [6]

1325, februarii 18, Avinione.

Dilecto filio Gerardo electo Girapetren.

Regimini universalis *etc.* Nuper siquidem vacante Girapetren. [7] ecclesia (pro eo, quod nos venerabilem fratrem Thomam Agyen. tunc Girapetren. episcopum, tunc et adhuc apud sedem apostolicam personaliter constitutum, a vinculo, quo tenebatur eidem Girapetren. ecclesiae, cui tunc praeerat, de fratrum nostrorum consilio et apostolicae potestatis plenitudine absolventes, ipsum ad Agyen. ecclesiam tunc vacantem duximus transferendum, praeficiendo eum ipsi Agyen. ecclesiae in episcopum et pastorem), nos volentes eidem Girapetren. ecclesiae, ne dispendia prolixae vacationis

[1] Reg. Vat. t. 113, f. 80, ep. 590, apud *Denifle-Ehrle* l. c., I, 288; cfr. supra n. 521 et 442. Die 23 oct. 1333 summus pontifex rectori ducatus Spoletan. mandat, ut inquirat et audiat rationes et excusationes communis Assis. super thesauro ecclesiae Romanae e sacristia s. Francisci Assis. ablato et interim interdictum, cui civitas Assis. subiecta est, relaxet (l. c. t. 106, ep. 281).

[2] Reg. Vat. t. 113, f. 124, ep. 839, in *Chart. Univ. Paris.*, t. II, p. 279, n. 836. Cfr. supra n. 557.

[3] Aliis litteris die 19 ian. 1325 datis summus pontifex mag. Ioanni de Arpadella iniungit, ut litteras supradictas universitati Parisien., si expedierit, praesentet. Cfr. *Chart. Univ. Paris.*, l. c. n. 837.

[4] Reg. Vat. t. 113, f. 58, ep. 445.

[5] Qui in registro non est transcriptus; idem tamen esse videtur ac ille, qui supra n. 302 aut 518 aut 554 relatus est.

[6] Reg. Vat. t. 79, ep. 1457; apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, p. 2, n. 42.

[7] Alias: Ierapetren. vel Hierapetren. *(Hierapetra)* in insula Creta.

incurreret, paterna sollicitudine praecavere, cum nullus praeter nos hac vice de ipsius ecclesiae Girapetren. ordinatione se intromittere potuerit, pro eo quod *etc.*, post deliberationem, quam de praeficiendo eidem Girapetren. ecclesiae personam utilem et etiam fructuosam cum eisdem fratribus nostris habuimus diligentem, ad te ordinis fratrum Minorum professorem et in sacerdotio constitutum, quem litterali scientia eruditum, morum ac vitae honestate decorum, in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum apud nos fide digna testimonia commendarunt, direximus oculos nostrae mentis. Quibus omnibus attenta meditatione pensatis, de persona tua praefatae Girapetren. ecclesiae de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo *etc.* Datum Avinione, idibus februarii, anno nono. [1]

567. Venutum (ex ord. Min., cfr. supra n. 136, 163, 435) in episcopatum Catacen. restituit. [2]

1325, martii 1, Avinione.

Venerabili fratri Venuto episcopo Catacen.

Dudum pro parte procuratoris generalis fratrum ordinis Minorum coram fel. rec. Clemente papa V praedecessore nostro proposito, quod olim ecclesia Catacen. per obitum bonae memoriae Iacobi episcopi Catacen. vacante ac a dilectis filiis capitulo eiusdem ecclesiae duabus in eadem ecclesia (una de te et reliqua de dilecto filio Gualtero tunc archidiacono, nunc decano eiusdem ecclesiae) electionibus in discordia celebratis, tu dictum Gualterum electioni de se factae renunciare coegeras per potentiam saecularem teque iterato eligi a praefatis capitulo eiusdem ecclesiae Catacen. temere procuraveras ac per litteras provincialis dicti ordinis, quae falso fabricatae fuerunt, ut dicebatur, te licentiam consentiendi electioni huiusmodi habere praetendens, electionem tuam huiusmodi per metropolitanum loci feceras confirmari et subsequenter tibi munus consecrationis impendi: idem praedecessor dilecto filio nostro Arnaldo sanctae Mariae in Porticu diacono cardinali commisit, ut de praemissis omnibus et quibusdam aliis se plenius informaret et huiusmodi informationem sibi referret. Per cuius informationem (te absente, non vocato) apud sedem apostolicam receptam et relationem ipsius sibi factam idem praedecessor motus te super praemissis, etiam super eo, quod dicebaris excommunicatus et sic ligatus divina officia celebrasse ac celebrare, temere te immiscuisse et immiscere eisdem, citari fecit, ut certo termino coram eo personaliter compareres, recepturus, quod iustitia suaderet. In quo termino, cum propter impotentiam tui corporis te a personali comparitione huiusmodi per procuratorem idoneum legitime excusasses, idem praedecessor venerabilibus fratribus nostris archiepiscopo Cusentin. et sancti Marci ac Militen. episcopis suis dedit litteris in mandatis, ut ipsi vel duo aut unus eorum (vocatis qui existerent evocandi) super contentis in citatione praedicta inquirerent diligentius veritatem, et quae invenirent, in scriptis redigi facientes ea sub eorum inclusa sigillis sibi fideliter destinarent, praefixo tibi certo termino competenti, quo legitime te apostolico conspectui praesentares, recepturus super praemissis, quod iustitia suaderet. — Demum vero eodem archiepiscopo Cusentin. super dicto negotio, de quo, ut dicebat, inquisiverat, praefato praedecessori per suas litteras referente, idem praedecessor praefato cardinali commisit huiusmodi negotium audiendum et etiam referendum. Coram quo per procuratorem dictorum fratrum quibusdam productis, et per procuratorem tuum nonnullis exceptionibus exhibitis contra ea, et aliquali habito in causa ipsa processu, tandem praefato praedecessore viam universae carnis ingresso nobisque ad apicem summi apostolatus assumptis, sicut per te fuit expositum coram nobis, praefati capitulum te episcopatu ac bonis omnibus ad episcopalem mensam Catacen. spectantibus spoliarunt dictumque Gualterum in Catacen. episcopum de facto eligere praesumpserunt; teque propterea ad sedem apostolicam recurrente, nos venerabili fratri nostro episcopo Maturanen. nostris dedimus litteris in mandatis, ut, si ei per evidentiam facti vel alias summarie et de plano sine strepitu et figura iudicii constaret, praefatos Catacen. capitulum dictum Gualterum in Catacen. episcopum elegisse teque dicto episcopatu et bonis omnibus ad dictam mensam spectantibus spoliasse, te plene restitueret et faceret ipsius episcopatus possessione gaudere (contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo), quodque dictos capitulum, ut per procuratorem, dictosque Gualterum et nonnullas alias personas eorumdem capituli, ut personaliter se apostolico conspectui certo termino praesentarent, super praemissis de iustitia responsuri, auctoritate apostolica citare deberet; dictusque episcopus Maturanen., iuxta dictarum nostrarum litterarum formam cognito de praemissis, te sententialiter restituit ad

[1] In e. m. capitulo et vassallis eccl. Girapetren. clero ac populo civ. et dioec. Girapetren., archiepiscopo Creten. tamquam metropolitae. Aliis litteris die 1 iunii 1325 datis summus pontifex eidem Gerardo indulget, ut munus consecrationis a quocumque maluerit antistite recipere valeat (l. c. t. 79, ep. 1458).

[2] Reg. Vat. t. 78, ep. 1101, apud *Wadd.* l. c. n. 45.

episcopatum praedictum, citando praefatos capitulum et personas iuxta earumdem nostrarum litterarum continentiam; cumque tu realiter propter potentiae saecularis obiectum ad dictum episcopatum plene restitui non valeres, ad sedem dictam iterum rediens a nobis humiliter postulasti, ut te ad episcopatum praedictum, quo spoliatus extiteras, plene restitui faceremus. — Verum pro parte fratrum dicti ordinis intrusio ac excommunicatio et apostasia et nonnulla alia contra te replicata et proposita coram nobis et fratribus nostris in consistorio extiterunt, nosque causam huiusmodi bon. mem. Berengario episcopo Portuen. commisimus audiendam et nobis postmodum referendam. Coram quo tam te quam Angelo Pulliscio canonico Catacen. pro se et procuratorio nomine dictorum capituli et aliorum canonicorum Catacen. personaliter citatorum, quorum procurator erat ad hoc specialiter constitutus, necnon procuratoribus dicti ordinis et capituli praedictorum comparentibus, exhibitis quoque, productis et factis hinc inde in eadem causa coram dicto episcopo Portuen., quae partes ipsae exhibere, producere et facere voluerunt, dum idem episcopus Portuen. intenderet ad faciendum nobis relationem huiusmodi, diem clausit extremum, nosque sibi venerabilem fratrem nostrum Petrum episcopum Praenestrin. in eadem causa subrogavimus auditorem. Coram quo te et procuratoribus comparentibus supradictis et per eum processibus super praemissis habitis recensitis, nobisque et dictis fratribus nostris super praemissis per eundem episcopum Praenestrin. facta relatione fideli: volumus et mandamus restituendum te fore ad plenam et pacificam possessionem praefati episcopatus Catacen. ac iurium eius, teque restituimus ad illa, decernentes tibi de fructibus medio tempore perceptis ex eo et qui percipi potuerunt vel eorum aestimatione de bonis huiusmodi tibi subtractis integram satisfactionem impendi, dantes tibi nihilominus licentiam ad dictam Catacen. ecclesiam redeundi. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, kal. martii, anno nono.

568. Confirmat fundationem et permutationem monasterii s. Andreae ord. s. Clarae Cracovien. [1]

1325, aprilis 4, Avinione.

Ad perpetuam rei memoriam.

Solet plerumque sedes apostolica circa illorum praesertim quietem et statum libenter intendere, qui mundanae dissolutionis relegatis illecebris sub paupertatis onere puritate fulgent regularis observantiae et sub obedientiae debito dignam et sedulam exhibent Domino servitutem. Nuper siquidem carissimi in Christo filii nostri Wladislaus rex et Heydwigis consors eius regina Poloniae illustres sua nobis insinuatione monstrarunt, quod ipsi dudum attendentes, quod dilectae in Christo filiae abbatissa et conventus monasterii sancti Andreae Cracovien. ordinis sanctae Clarae, quae sunt numero fere centum, ad quas propter religionis zelum et honestatem vitae, quibus pollere dicuntur, fervore afficiuntur intimae caritatis, in monasterio de Scala ordinis sanctae Clarae Cracovien. diocesis, in quo tunc temporis degebant, propter ineptitudinem loci, qui quam plurimis incommoditatibus expositus esse dignoscitur, non poterant commode iuxta status earum exigentiam commorari suaeque religionis officium exequi, prout ordo exegerit earumdem: et propterea dicti rex et regina pro suorum et progenitorum ipsorum remissione peccaminum abbatissae et conventui supradictis de congruenti et accommodo loco, in quo possint Altissimo devotius reddere vota sua, providere ab intimis cupientes, idem rex ecclesiam sancti Aegidii Cracovien., cuius erat patronus, et dilecti filii abbas et conventus monasterii Sececonien. ordinis sancti Benedicti dictae diocesis ecclesiam dicti monasterii sancti Andreae eiusdem loci vocabulo insignitam, tunc saecularem, ad eosdem abbatem et conventum tunc spectantem, cum omnibus areis ac iuribus et pertinentiis earundem ad invicem permutarunt. Demum vero, cedentibus libere personis in eisdem ecclesiis institutis, idem rex post permutationem huiusmodi praefatam ecclesiam sancti Andreae cum omnibus areis, iuribus et pertinentiis suis gratiose donavit abbatissae et conventui supradictis ibique de novo fundavit monasterium memoratum, ad quod dictae abbatissa et conventus post fundationem et donationem huiusmodi de monasterio de Scala praedicto se illico transtulerunt ibique degunt ad praesens, reddentes Altissimo in humilitatis spiritu vota sua, consensu venerabilis fratris nostri Nankeri episcopi et dilectorum filiorum capituli Cracovien. in his omnibus accedente, prout haec omnia in patentibus litteris episcopi et capituli ac abbatis et conventus ac regis praedictorum sigillis munitis plenius continentur. Quare rex et regina praefati nobis humiliter supplicarunt, ut permutationi, fundationi, translationi et consensui huiusmodi confirmationis nostrae robur adiicere dignaremur. Nos igitur, qui in divini cultus augmento et sacrae religionis observantia plurimum delectamur, attendentes, quod abbatissa et conventus praefatae in praedicto mo-

[1] Reg. Vat. t. 79, ep. 1512, apud *Wadd.* l. c. n. 44. — Die 2 maii 1325 summus pontifex episcopum s. Flori (*Saint Flour* in Gallia merid.) se informare iubet de fundatione monasterii Clariss. in parochia eccl. de Roysseto dioec. s. Flori per Isabellam de Ruthena vicecom. Carlaten. facta, quam, si ipsi monasterio redditus sufficienter sunt assignati, confirmet. Cfr. *Wadd.* l. c. n. 43.

nasterio sancti Andreae eo devotius poterunt perpetuum Domino reddere famulatum, quo quietius valebunt vivere in eodem, eorumdem regis et reginae devotis supplicationibus inclinati, permutationem, fundationem, translationem et consensum huiusmodi ratas et gratas habentes, illas (quibuslibet statutis et consuetudinibus ordinum et monasteriorum praedictorum contrariis, etiamsi essent auctoritate sedis apostolicae confirmata, nequaquam obstantibus) ex certa scientia confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnem defectum, si quis in eis quomodolibet extitisset, de apostolicae plenitudine potestatis. Nulli ergo *etc.* Dat. Avinione, II nonas aprilis, anno nono.

569. Custodem Barchinonen. ord. Min. ad curiam Rom. pro certis negotiis exequendis venire denuo iubet. [1]

1325, aprilis 9, Avinione.

[Dil. filio] Iohanni Peyroni custodi Barcilonensi.

Pridem dilectus filius A[rnaldus] sancti Eustachii diaconus cardinalis suas tibi direxit litteras de mandato nostro confectas, per quas tibi de eodem iniungebat mandato, ut pro certis negotiis exequendis, quae te supponimus non latere, ad nostram praesentiam te conferres. Sane, cum iussa huiusmodi non fueris executus, repetita vice tibi sub virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo mandamus, quatinus visis praesentibus una cum duobus vel tribus tui ordinis fratribus, quos ad praemissa exequenda aptos videris, ad nostram praesentiam, sublato ultioris morae dispendio, studeas te conferre. Datum Avinione, V idus aprilis, anno nono.

570. Committit archiepiscopo Arelaten., camerario suo, ut electionem novae abbatissae monasterii Clarissarum Avinion. confirmet. [2]

1325, aprilis 11, Avinione.

Venerabili fratri Gasberto archiepiscopo Arelatensi, camerario nostro.

Dilectae in Christo filiae conventus monasterii Avinionensis ordinis sanctae Clarae nobis fecerunt exponi, quod nuper eorum monasterio (pro eo, quod dilecta in Christo filia Alasia de Salvano, olim abbatissa eiusdem monasterii, dictae abbatiae ac ipsius administrationi et regimini in manibus tuis liberaliter renunciavit et cessit, tuque de mandato nostro verbotenus tibi facto renunciationem et cessionem huiusmodi recepisti) abbatissae regimine destituto, ipsae congregato conventu ad sonum campanulae, ut est moris, in capitulo suo convenientes in unum, vocatis omnibus et singulis dicti monasterii sororibus, quae voluerunt, debuerunt et potuerunt commode interesse, dilectam in Christo filiam Berengariam de Corrio eiusdem monasterii sororem et praedictum ordinem expresse professam per scrutinii formam in abbatissam eiusdem monasterii elegerunt ac electionem huiusmodi mox solempniter in eodem monasterio publicarunt, humiliter supplicantes, ut electionem ipsam facere dignaremur velut canonicam confirmari. Nos autem earum supplicationi, quantum cum Deo possumus, super praedictis annuere cupientes et de tuae circumspectionis industria plenam in Domino fiduciam obtinentes, fraternitati tuae per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus electionis praedictae viso decreto ipsiusque electionis ac eligentium et electae discussis meritis et servatis aliis, quae debent in talibus adhiberi, electionem ipsam, si eam canonicam esse repereris, auctoritate nostra studeas confirmare, eiusdem monasterii administrationem eidem abbatissae plenarie committendo sibique faciendo a suis subditis reverentiam debitam exhiberi, contradictores *etc.* Datum Avinione, III idus aprilis, anno nono.

571. Mandat Roberto regi Siciliae et Carolo duci Calabriae, illius primogenito, quod Beguinos rebelles et haereticos in suis terris capi et eorum ordinariis assignari faciant. [3]

1325, maii 10, Avinione.

Eidem regi [Siciliae].

Ad nostram nuper deducto notitiam, quod nonnulli Beguini, quorum secta (velut fidei catholicae inimica) damnata per ecclesiam Romanam extitit, de terris regni tui Siciliae ad terras Calabriae, ut ibidem errores suos disseminare valeant, aufugerunt, [4] excellentiam regiam deprecamur, quatinus pro divina et apostolicae sedis reverentia et [nostra] zeloque fidei orthodoxae quoscumque tales Beguinos rebelles et haereticos, ne suis erroribus possint fideles inficere, capi facias et suis assignari ordinariis pro demeritis puniendos: ita quod praeter perennis boni praemium dignis merearis in Domino laudibus commendari. Dat. Avinione, VI idus maii, anno nono.

In eundem modum (m. m.) Carolo duci Calabriae.

572. Mandat universis ecclesiae praelatis, ne religiosos, qui absque licentia suorum superiorum ad partes transma-

[1] Reg. Vat. t. 113, f. 36, ep. 298. Cfr. infra n. 574.
[2] Reg. Vat. t. 113, f. 141, ep. 911.
[3] Reg. Vat. t. 113, f. 59.
[4] Cfr supra n. 565.

rinas se transtulerunt, ad praedicationis officium vel divinorum celebrationem admittant. [1]

1325, maii 10, Avinione.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ad nostrum nuper relatio fidedigna perduxit auditum, quod nonnulli religionis gestantes habitum, sed a veritate religionis omnino vacui et modestia penitus alieni, ad partes quandoque infidelium se transferunt, in quibus pauci fideles respectu infidelium commorantur; et ut ibidem facilius decipere simplicium animos ac ipsos et alios in errores praecipitare seu retinere valeant, sub ovina veste ac humilitatis habitu lupinum animum occultantes doctrinas suas reprobas et erroneas, quibus fidelium mentes, quantum in eis est, corrumpere satagunt, in ipsis partibus periculose nimium spargere non omittunt, necnon et os suum ponentes in coelum, lingua eorum transeunte falsidica super terram, sanctae Romanae ecclesiae detrahere constitutionibus et alia multa a fide devia in suis sermonibus et secretis collocutionibus evomere insanis ausibus non verentur: ex quibus Deus offenditur, periculosa suscitantur scandola, paratur simplicibus laqueus, ipsique talium praesumptores de haeresi vehementer arguunt se suspectos, immo ex his vere fore haeretici comprobantur.

Nos itaque tantis obviare periculis paternae diligentiae studiis cupientes, universis et singulis religiosis cuiuscumque religionis, ordinis, status vel conditionis existant, de fratrum nostrorum consilio districtius auctoritate praesentium inhibemus, ne ipsorum aliquis absque superioris sui ordinis licentia sibi per ipsius litteras patentes concessa de cetero ad partes se transferant antedictas: superioribus ipsis nihilominus iniungentes, ne quibusvis sui ordinis fratribus, nisi dumtaxat viris litteratis, providis et expertis, huiusmodi licentiam impertiri praesumant, super quo eorum conscientias oneramus. Nos enim quoscumque scienter praesumentes contrarium quovis modo excommunicationis subiacere sententiae volumus et decernimus ipso facto, a quo nullus ab alio quam a Romano pontifice possit, nisi dumtaxat in mortis articulo, absolutionis beneficium obtinere. Ceterum universis ecclesiarum praelatis in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo praesentium tenore mandamus, quatenus nullos religiosos ad partes se transferentes praedictas, nisi per patentes superioris sui ordinis litteras de licentia speciali se illuc transferendi sibi concessa praelatis eisdem fecerint plenam fidem, in suis civitatibus et dioecesibus ac terris et locis aliis ad praedicationis officium vel divinorum celebrationem admittant, sed ipsos potius velut apostatas capiant seu capi faciant, eos carcerali custodiae, donec de dicta licentia modo praedicto sibi constiterit, detinendo. Et nihilominus eis, si quos religiosos approbare, quae sedes reprobavit apostolica vel quae aliter sint fidei obvia, in suis praedicationibus seu secretis collocutionibus dogmatizare constiterit, ut tales quibuscumque cessantibus privilegiis possint auctoritate apostolica licite capere et carcerali custodiae sicut suos possent subditos mancipare, licentiam impertimur. Et insuper tenore praesentium mandamus eisdem, ut de praemissis summarie, simpliciter et de plano ac sine strepitu iudicii et figura per se vel per alium seu alios se solerter et fideliter studeant informare, quosque de praedictis seu eorum aliquo repererint reos esse, iuxta statuta canonum in aliorum exemplum castigare poenis debitis non postponant. Non obstantibus *etc.* Datum Avinione, VI idus maii, anno nono.

573. Fabiano ord. Min., inquisitori haer. prav. in partibus Sclavoniae, concedit facultatem exercendi suum officium in quosdam Tergestinos, non obstante, quod contra ipsos iam episcopus Castellan. procedere iussus sit. [3]

1325, maii 10, Avinione.

Dilecto filio Fabiano de ordine fratrum Minorum, inquisitori haereticae pravitatis in provincia Sclavoniae auctoritate apostolica deputato.

Ad nostri apostolatus auditum *etc. (cfr. supra n. 534).* Cumque praefati canonici et alii super praedictis eorum complices et sequaces, quominus contra ipsos et eorum singulos, qui forsan de fide fore suspecti dicuntur, possis ex inquisitionis officio tibi commisso alias exigente iustitia procedere, nitantur, sicut accepimus, praetextu dictarum litterarum nostrarum praefato directarum episcopo se tueri, nos cupientes inquisitionis praedictae negotium ubique ad laudem divini nominis et exaltationem fidei catholicae prosperari, nequaquam nostrae intentionis extitisse vel existere, quod per dictas litteras vel alias quascunque negotium inquisitionis eiusdem impediatur quomodolibet, tenore praesentium declaramus. Datum Avinione, VI idus maii, anno nono.

574. Mandat Michaeli ministro generalis ord. Min., ut Ioannem Peyroni custodem Barchinonen. peractis comitiis

[1] Reg. Vat. t. 78, f. 1, ep. 3, de curia; *Bull. Rom.* ed. Taurin. t. IV, p. 310. Istas litteras praesertim contra Fraticellos sive Spirituales vel Beguinos, de quibus supra n. 571 sermo est, directas esse apparet.

[2] Similes litteras, incip. *Perduxit nuper,* summus pontifex iam 21 martii 1325 episcopo Marrochitano miserat. Cfr. Reg. Vat. t. 113, f. 133, ep. 885.

[3] Reg. Vat. t. 113, f. 141, ep. 912; cfr. infra n. 577.

generalibus (Lugdunum tempore Pentecostes convocatis) illico ad curiam Rom. remittat. [1]

1325, maii 20, Avinione.

Michaeli ordinis Minorum generali ministro.

Dilectum filium Iohannem Peyroni de ordine fratrum Minorum, provinciae [Aragoniae custodiae] Barchinonensis custodem, ad te ac eiusdem ordinis generale capitulum accedentem tuae benivolentiae propensius commendantes, discretioni tuae praesentium tenore mandamus, quatenus eundem Iohannem, cuius egemus praesentia, celeriter ad nos remittere non postponas. Datum Avinione, XIII kal. iunii, anno nono.

575. Concedit Gabrieli de Arimino, monacho mon. ss. Philippi et Iacobi dioec. Ravennat., quod possit assumi ad dignitates ordinis sui, non obstante, quod olim ordinem Minorum fuerit professus. [2]

1325, maii 28, Avinione.

Dilecto filio Gabrieli de Arimino, monacho mon. ss. Philippi et Iacobi ord. s. Ben. dioec. Ravennat.

Solet plerumque pia mater ecclesia *etc.* Dat. Avinione, V kal. iunii, anno decimo.

576. Denegat Ioanni de Monteolivo ord. Min. facultatem istum ordinem exeundi. [3]

1325, maii 31, Avinione.

Iohanni de Monteolivo de ordine fratrum Minorum.

Tenore tuae petitionis nobis exhibita diligenter inspecto et super contentis in ea consideratis circumstantiis universis, cum non reperiamus sedem apostolicam in similibus casibus dispensasse, decenter annuere tuis in hac parte desideriis non valemus nec, quod in gradu alio Deo famulari satagas, tuae saluti animae credimus expedire. Quocirca discretionem tuam duximus exhortandam, quatinus consideranter attendens, quod non inchoans sed perseverans in bonis operibus coronam gloriae promeretur, ei, qui tibi tantae devotionis donum tribuit, ad gratiarum actiones assurgens, sic eius assistente tibi gratia perseveranter et laudabiliter continues et perficias cursum tuum, quod post huiusmodi vitae labentis exitum tibi ianua perennis pateat gloriae et coeleste praemium merearis: sciturus, quod nos reperies in tuis opportunitatibus, quantum cum Deo poterimus, propitios et benignos. Datum Avinione, II kal. iunii, anno nono.

577. Monet Stephanum principem Bosniae, ut opem auxiliumque ferat fr. Fabiano ord. Min., inquisitori haer. prav. aliisque eiusdem instituti fratribus, quibus negotium fidei in partibus illis commissum est. [4]

1325, iunii 5, Avinione.

Dilecto filio nobili viro Stephano principi Bosnen.

Repetita frequenter multorum fide digna relatio nostrum et apostolicae sedis pulsavit auditum, quod (principe tenebrarum, humanae salutis aemulo nocendique cupido, procurante) magna haereticorum caterva de multis et variis partibus congregata ad principatum Bosnen. (sub fiducia inibi seminandi obscoenos errores tuteque ibidem morandi) confluxit, qui antiqui hostis imbuti versutia ac veneno suae falsitatis armati catholicorum animas sub simplicitatis simulatae fallacia (praetensa, sed falsa christiani nominis professione) corrumpunt, dum eorum sermo serpit ut cancer, humiliter irrepunt, sed latenter occidunt; et lupi rapaces interius existentes vestitum ovium exteriori simulatione demonstrant, quia non possent fallere veras et simplices Christi oves, nisi sub nomine christiano tegerent rabiem bestialem. Cum igitur praedictorum haereticorum nefanda, sed eliminanda seductio in praedicto principatu, sicut asseritur, iam multas animas labe resperserit seu infecerit haereticae pravitatis, ac propterea diligentiam tuam plurimum deceat et tibi expediat, cum omnis cautelae studio et provisionis acceleratae remedio de principatu praedicto pestem huiusmodi radicitus extirpari, ne passim vagari permissa ibi tantas adhuc Christi oves morbo eiusdem pravitatis inficiat et in vicinis provinciis periculosius dilatetur: nobilitatem tuam rogamus et hortamur attente in eodem domino Iesu Christo, tibi nihilominus per apostolica scripta districtius iniungentes, quatenus tu, qui, sicut fide digna relatione percepimus, fidelis es nobis et ecclesiae ac proponis esse cum Dei adiutorio, quantum in te est, haeresum oppugnator, ob omnipotentis Dei reverentiam et apostolicae sedis et nostram ac pro conservatione principatus praedicti et salute animarum (diligentius etiam attendendo, quod pro eo, quod dicti principatus regimini praesides, ad te praecipue pertinet, haereticos persequi supradictos, cum non absque nota grandis infamiae possis in dicta provincia labem non persequi supradictam) ad eliminandum et extirpandum exinde dictos haereticos opem praepares et impendas eiusdem provinciae statui opportunam ac piae sollicitudinis zelum contra eosdem haereticos, hostes saevissimos animarum, ad requisitionem dilecti filii Fabiani ordinis fratrum Minorum, inquisitoris haereticae pra-

[1] Reg. Vat. t. 113, fol. 36, ep. 300; cfr. supra n. 569 et *Wadd.* l. c. ad a. 1325 nn. 6 et 26.
[2] Reg. Vat. t. 79, ep. 1306.
[3] Reg. Vat. t. 123, f. 77, ep. 569.
[4] Reg. Vat. t. 78, ep. 5 de curia, apud *Wadd.* l. c. ad a. 1325, n. 2. Cfr. supra p. 49 not. 2 et infra n. 578 et 822.

vitatis in partibus illis auctoritate apostolica delegati, et aliorum inquisitorum auctoritate praedicta deputatorum in illis partibus et deputandorum in posterum, et eorum cuilibet viriliter assistendo, ut noxiis de principatu praedicto evulsis radicitus non solum, qui recti sunt, incolumes perseverent, sed etiam eorumdem haereticorum seductione decepti, confutatis et abiuratis erroribus, ad lumen verae fidei reducantur, tuque propterea tanto acceptiorem te divino conspectui repraesentes, quanto hoc opus fidei super omnia pietatis officia gratius divinae oculis maiestatis accedet. Ceterum praefatum inquisitorem et alios in iis, quae ad praedictae inquisitionis officium pertinent, super quibus favoris et auxilii tui partes fiducialiter duxerint requirendas, ob divinae et apostolicae sedis reverentiam atque nostram habeas propensius commendatos, teque eis propitium exhibeas ac benignum, ita quod favoris tui super praemissis assistente praesidio commissae eis inquisitionis officium contra respersos labe praedicta ad laudem Dei et pro salute fidelium in decretis sibi provinciis securius et efficacius valeant exercere. In praedictis autem sic impendas viriliter contra dictos haereticos opportunae sollicitudinis tuae partes, quod fructuosi laboris effectus te patenter ostendat fervidum fidei zelatorem, nec ex aliqua negligentia vel tepiditate remissa, quae est in tanto negotio plurimum exprobanda, possit contra te rationabiliter invehi, quod eosdem haereticos, dum ipsos non persequeris, ut teneris, quodammodo foveas et sustineas tolerando. Datum Avinione, nonis iunii, anno nono. [1]

578. Hortatur Carolum regem Hungariae, ut opem auxiliumque ferat praedictis Fabiano aliisque fratribus Min., quibus negotium fidei in partibus Bosniae commissum est. [2]

1325, iunii 5, Avinione.

Carissimo in Christo filio Carolo regi Hungariae illustri.

Frequenter, fili carissime, fide digna relatio apostolicae sedis pulsavit auditum, quod .... magna haereticorum caterva de multis et variis partibus congregata ad principatum Bosnen. in confinio Dalmatiae constitutum .... confluxit *etc. supra n.* 577 *usque* infecerit haereticae pravitatis, dictusque principatus tuae, sicut accepimus, sit ditioni subiectus, ac propterea deceat et expediat ..., serenitatem regiam rogamus et hortamur in eodem domino Iesu Christo, tibi nihilominus per apostolica scripta mandantes, quatenus ob reverentiam apostolicae sedis et nostram ac pro salute animarum ad eliminandum et extirpandum dictos haereticos de principatu praedicto opem praepares et impendas congruentem, regio culmini et eiusdem provinciae statui opportunam *etc. ut supra n.* 577 *usque ad* valeant exercere. Datum Avinione, nonis iunii, anno nono.

579. Dispensat cum Gentili de Sarnano, monacho eccl. Montis regalis (*Monreale*) ord. s. Ben., quod possit assumi ad dignitates sui ordinis, non obstante, quod ordinem Minorum olim fuerit professus. [3]

1325, iunii 21, Avinione.

Dilecto filio Gentili de Sarnano monacho eccl. Montisregalis ord. s. Ben.

Religionis zelus *etc.* Dat. Avinione, XI kal. iulii, anno nono.

580. Dispensat cum Poncio Goy, monacho mon. s. Victoris Massilien. ord. s. Ben., quod ad officia et dignitates sui ordinis assumi possit, non obstante, quod ordinem Min., quem olim fuit professus, exierit (de licentia tamen sui superioris). [4]

1325, iulii 1, Avinione.

Dil. filio Poncio Goy monacho mon. s. Victoris Massilien. ord. s. Ben.

Apostolicae sedis copiosa benignitas *etc.* Dat. Avinione, kal. iulii, anno nono.

581. Moderat aliqua statuta monasterii s. Corp. Chr. Neapolitan. ord. s. Clarae. [5]

1325, iulii 1, Avinione.

Dilectis in Christo filiabus abbatissae et conventui monasterii sororum sancti Corporis Christi Neapolitan. ordinis sanctae Clarae.

Intenta caritatis et pietatis operibus carissima in Christo filia nostra Sancia regina Siciliae illustris, per virtutum gradus desiderans iugi actione proficere, se sollicitam exhibet, ut monasterium vestrum, quod ipsa decoro plurimum opere et etiam sumptuoso construxit, tam in personis servitiis divinis obnoxiis de bono crescat in melius, quam Deo auctore regatur et proficiat salubribus regularibus institutis. Sane exhibita nobis pro parte eiusdem reginae petitio continebat, quod in statutis eiusdem monasterii auctoritate apostolica confirmatis, ad quorum observantiam sorores eiusdem monasterii adstringuntur, quaedam circa aetatem earum, quae recipi debent ibidem, et nonnulla alia continentur, quae noscuntur sedis apostolicae moderamine indigere. Quare pro parte ipsius reginae nobis extitit humiliter supplicatum, ut praedicta, quae pro parte

[1] Simili modo uxor quoque eiusdem principis, Elisabeth, a summo pontifice monetur.

[2] Reg. Vat. t. 78, ep. 7 de curia, apud *Wadd.* l. c. ad a. 1325, n. 3. Cfr. infra n. 670 et 822.

[3] Reg. Vat. t. 79, ep. 1571.

[4] Reg. Vat. t. 79, ep. 1620.

[5] Reg. Vat. t. 79, ep. 1903, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 46. Cfr. supra nn. 525-529 et infra n. 619.

sua nobis fuerunt exposita, seriatim benignius moderari auctoritate apostolica dignaremur.

Attendentes igitur supplicationem huiusmodi fore rationi consonam et etiam aequitati, eo quod certa aetas, quae secundum statuta praedicta requirebatur in sororibus recipiendis in monasterio supradicto, propter multitudinem diversarum volentium dictum monasterium introire, non potest commode observari, praesentium auctoritate concedimus, quod circa aetatem earumdem sororum recipiendarum in eo illud de cetero observetur, quod observari in aliis monasteriis eiusdem professionis et ordinis consuevit, dummodo talis consuetudo iure communi vel privilegio apostolico fulciatur. Volumus tamen, quod in receptione ipsarum ad professionem servetur aetas a iure taxata, quodque huiusmodi nostra concessio intelligatur dumtaxat de sororibus ingredientibus dictum monasterium ad novitiatum et probationem ordinis memorati.

Continebatur etiam in petitione praedicta, quod mulieres seu servitrices dicti monasterii, quae ad servitium sororum inibi inclusarum clausuram ingrediuntur monasterii memorati, vovent perpetuo clausuram huiusmodi non exire, ut reliquae sorores inibi commorantes, nec unquam clausuram egrediuntur eamdem, licet interius aliarum sororum ministerio et servitio sint intentae. Unde, ne forte voti disparitas zeli seu invidiae et scandali materiam generet inter eas, auctoritate praedicta concedimus, quod dictae servientes, quae infra clausuram dicti monasterii sunt receptae et recipientur imposterum et clausuram voverunt perpetuam vel vovebunt, nigrum velum ut ceterae post professionem emissam deferant vocemque in capitulo habeant, nec in his inter eas aliqua distinctio observetur.

Vobis etiam tam praesentibus quam futuris propter fragilitatem ac imbecillitatem sexus ac necessitates muliebrium corporum, et ut possitis in munditia corporis et mentis Deo servire, auctoritate apostolica indulgemus, ut quaelibet sororum eiusdem monasterii possit tres tunicas superiores habere ac illis uti, licet per dicta statuta vobis seu cuilibet dictarum sororum habere ultra duas tunicas superiores non liceret. — Volumus etiam et auctoritate praedicta concedimus, quod lectio statutorum praedictorum in capitulo, quae per eadem statuta in sexta feria fieri debebat, transferatur in alium diem hebdomadae non festivum, qui vobis occurrerit opportunus, pro eo quod sexta feria est dies dicata dominicae passioni, cuius meditationi vacare devotissime affectatis.

Ceterum, cum statutis contineatur eisdem, quod bona stabilia acquisita vel imposterum acquirenda monasterio supradicto nulla specie alienationis possint per aliquem etiam in melius permutari, nos suadentibus certis causis rationabilibus praesentium auctoritate concedimus, quod venerabilis frater noster archiepiscopus Neapolitan., cum aliqua ex bonis praedictis pro evidenti commodo eiusdem monasterii poterunt commutari, et de hoc sibi constiterit, possit vobis, si expedire viderit, super quo eius conscientiam oneramus, dicta bona in melius vel in commodius permutandi auctoritate nostra licentiam impertiri. — Praeterea, quamvis in dictis statutis contineatur, quod de toto ordine fratrum Minorum possit eligi guardianus monasterii vestri, excepto regno Siciliae, et hoc illo tempore, quo statuta huiusmodi fuerunt edita, rationabile apparebat, ex eo quod sorores, quae in primordio dicti monasterii receptae fuerunt ibidem, Provinciales erant et idioma illarum partium ignorabant, tamen, quia dictae sorores Provinciales propter conversationem diutinam perfecte dictum intelligunt idioma, et favente Deo quotidie crescit sororum numerus Latinarum, auctoritate praedicta concedimus, quod absolute sine exceptione dicti regni dictus guardianus institui possit et debeat de toto ordine, ea forma et modo servatis, quae in ordinatione seu statutis dicti monasterii seriosius continentur: non obstantibus praedictis statutis et ordinatione contrariis, confirmatione apostolica roboratis, per quae praemissis omnibus et singulis in nullo volumus derogari. In aliis vero contentis statuta et ordinationem praedicta volumus et decernimus in pleno, sicut prius, robore permanere. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, kal. iulii, anno nono.

582. Rectori Marchiae Anconitan. et inquisitoribus haer. prav. in ipsa Marchia constitutis (ex ord. Min.) mandat, ut sententiam contra Guidonem episcopum Aretin. latam sibi mittant. [1]

1325, iulii 18, Avinione.

Rectori Marchiae Anconitanae ac Ioanni de Ancona et Servodei de Penna ord. fr. Min., inquisitoribus haer. prav. in provincia dictae Marchiae auctoritate apostolica deputatis.

Volentes sententiam per vos, filii inquisitores, contra Guidonem episcopum Aretin. super fautoria haereticorum et idolatrarum prolatam nuper, ut accepimus, fideliter nobis mitti, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus sententiam huiusmodi de verbo ad verbum in formam publicam redactam vestrisque sigillis munitam nobis

[1] Reg. Vat. t. 131, f. 77, ep. 572; cfr. f. 167, ep. 1002.

destinare quantocius per fidelem nuntium studeatis. Dat. Avinione, XV kal. augusti, anno nono. [1]

583. Mandat praelatis infra nominatis, ut causam inter capitulum Corduben. et Clarissas Corduben. vertentem componant. [2]

1325, iulii 29, Avinione.

Dilectis filiis thesaurario et scholastico ecclesiae Giennen. ac priori fratrum ordinis Praedicatorum Corduben.

Significarunt nobis dilectae in Christo filiae abbatissa et conventus monasterii sanctae Clarae Corduben.[3] ordinis eiusdem sanctae, quod dudum fel. record. Bonifatius papa VIII praedecessor noster universis abbatissis et conventibus ordinis supradicti indulsit per privilegium speciale, quod ad praestationem decimarum de quibuscumque possessionibus, et aliis omnibus bonis earum, quae tunc habebant et iustis modis acquirerent in futurum, vel ad contribuendum in procurationibus quorumlibet ordinariorum minime tenerentur neque ad id a quoquam possent aliquatenus coarctari, et quod nos postmodum eisdem abbatissae et conventui duxerimus simile privilegium concedendum; [4] quodque, cum dilecti filii decanus et capitulum ecclesiae Corduben. post concessionem huiusmodi eas super quibusdam decimis quorumdam molendinorum et terrarum eis per clarae memoriae Alphonsum regem Castellae pia liberalitate collatarum coram vicario venerabilis fratris nostri episcopi Corduben. (non ex delegatione apostolica) traxissent in causam, idem vicarius cognitis eiusdem causae meritis et iuris ordine observato, vigore dictorum privilegiorum definitivam pro dictis abbatissa et conventu sententiam promulgavit, quae, cum nulla fuisset appellatione suspensa, in rem transiit iudicatam. Cumque post dictam sententiam fere triennium effluxisset, praefati decanus et capitulum causam sententialiter iam sopitam contra dictas abbatissam et conventum suscitare conantes, eas coram quodam eorum canonico, videlicet Francisco Aegidii archidiacono Bediogiae in eadem ecclesia, vicario episcopi memorati, super dictis decimis fecerunt ad iudicium evocari, petentes, dictam ecclesiam restitui in integrum adversus sententiam memoratam, asserentes sibi et dictae ecclesiae per piae memoriae Innocentium papam praedecessorem nostrum indultum fuisse, quod omnes moniales et ceteri religiosi de omnibus eis collatis teneantur decimam solvere ecclesiae et capitulo memoratis: de quo quidem privilegio eiusdem praedecessoris Innocentii, ut dicebant, tam in generali eiusdem Bonifatii universis abbatissis et conventibus dicti ordinis, quam in nostro speciali dictis abbatissae et conventui privilegiis concessis nulla mentio habebatur, propter quod dictus Franciscus pronunciavit, praefatos capitulum in integrum fore restituendos adversus sententiam memoratam. A qua restitutionis sententia pro parte dictarum abbatissae et conventus fuit ad nostram audientiam appellatum, quarum appellationi dictus Franciscus vicarius detulit reverenter et ad prosecutionem ipsius eis certum terminum assignavit, infra quem duae sorores dicti monasterii procuratrices dicti conventus ad sedem eamdem se humiliter contulerunt, nobis humiliter supplicantes, ut super hoc praefatis abbatissae et conventui de opportuno providere remedio dignaremur.

Quocirca discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus apud civitatem Corduben. de dictis privilegiis et valore dictorum bonorum curetis diligentius informari, tractantes inter partes praedictas, quod praefatae abbatissae et conventus de voluntate decani et capituli praedictorum dictas decimas pacifice teneant et quiete; et si partes easdem non potueritis super hoc forsan concordare, huiusmodi informationem fideliter in scriptis redactam nobis sub sigillis vestris destinare curetis, certum eisdem partibus peremptorium competentem terminum praefigentes, quo cum omnibus actis, iuribus et munimentis eorum apostolico se conspectui repraesentent, auditurae ordinationem nostram, quam super his dante Domino duxerimus faciendam, nostrisque super his beneplacitis pariturae. Diem vero praefixionis huiusmodi et formam, et quidquid inde feceritis, nobis per vestras litteras harum seriem continentes fideliter intimare curetis, non obstante *etc.* Datum Avinione, IV kalendas augusti, anno nono.

584. Concedit fratribus Min. Castri Xericii, ut se transferant ad alium locum infra vel extra istud castrum. [5]

1325, augusti 9, Avinione.

Dilectis filiis guardiano et fratribus ordinis

---

[1] Aliis litteris tertia die post datis summus pontifex praesulibus Florentin. et Senen. committit, quod administratori ecclesiae Aretin. (Bosoni, postmodum episcopo ipsius eccl.) vacantis per depositionem Guidonis episcopi ab inquisitoribus supradictis « de fautoria haereticorum » condemnati assistant; die autem 25 maii 1326 Ioannem s. Theodori diac. card. et apost. sedis in Thuscia et patrimonio s. Petri legatum de ipsa depositione certiorem reddit (l. c. t. 113, f. 167 et 344) et die 22 oct. 1326 eosdem inquisitores amplius procedere iubet contra Guidonem olim episcopum Aretin. (l. c. t. 114, ep. 42). Cfr. *Ughelli,* Italia sacra, I, 424.

[2] Reg. Vat. t. 79, ep. 1983, apud *Wadd.* l. c. n. 47.

[3] *Cordova* in custodia Hispalensi prov. Castellae.

[4] Cuius quidem privilegii litterae desiderantur. Cfr. infra n. 590.

[5] Reg. Vat. t. 79, ep. 2180, apud *Wadd.* l. c. n. 36.

Minorum loci siti extra Castrum Xericii Burgen. dioec.

Ad ordinem vestrum in firmamento militantis ecclesiae coruscantem et ad professores ipsius paternae gerentes caritatis affectum, libenter illa concedimus, quae sint dicto ordini eiusque professoribus opportuna. Exhibita siquidem nobis dilecti filii ministri generalis ordinis vestri petitio continebat, quod locus vester situs in regno Castellae extra castrum Xericii [1] Burgen. dioec. est in loco periculoso et dubio constitutus adeo, quod per locum illum transitum facientes malignorum patiuntur incursus: propter quod praefatus minister nobis humiliter supplicavit, ut vobis recipiendi locum alium tutiorem vosque ad illum magis securum et quieti vestrae accomodatum transferendi concedere licentiam dignaremur. Nos igitur, eiusdem ministri supplicationibus inclinati, vobis recipiendi locum alium magis vobis tutum ac congruum et honestum, consistentem intra vel extra castrum praedictum, vosque ad dictum locum, priori loco dimisso, transferendi et construendi in huiusmodi loco, quem de novo recipietis, oratorium cum officinis et aliis domibus opportunis ac ipsum inhabitandi (constitutione fel. rec. Bonifatii VIII praedecessoris nostri super hoc in contrarium edita non obstante) auctoritate praesentium plenam et specialem licentiam elargimur. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, V idus augusti, anno nono.

585. Concedit indulgentias visitantibus ecclesiam Clarissarum Meten. [2]

1325, augusti 9, Avinione.

Universis Christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Vitae perennis gloria *etc.* Cupientes igitur, ut ecclesia monasterii monialium sanctae Clarae Metensis [3] ordinis eiusdem sanctae a christifidelibus eo libentius congruis honoribus frequentetur, quo per hoc fideles ipsi potiori coelestis dono gratiae senserint se refectos: universitatem vestram rogamus et hortamur in Domino, in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatenus ad ecclesiam praefatam ipsius monasterii imploraturi vestrorum a Domino veniam peccatorum in humilitate spiritus accedatis; nos enim, ut christifideles ad merita quasi per praemia salubriter invitemus, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui ecclesiam ipsam in nativitatis Domini, Paschae, Ascensionis, Pentecostes, quatuorque beatae Mariae virginis gloriosae nec non in beati Ioannis Baptistae et sancti Francisci et eiusdem sanctae Clarae festivitatibus: centum, eis vero qui per octo dies festivitates ipsas immediate sequentes devote visitaverint annuatim, quadraginta dies de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus. Datum Avinione, V idus augusti, anno nono.

586. Concedit ministro provinciae Hiberniae facultatem recipiendi unum locum in villa de *Totmoy*. [4]

1325, augusti 13, Avinione.

Dilectis filiis ministro provinciali et fratribus ordinis Minorum in Hiberniae partibus constitutis.

Inter ecclesiasticos ordines in domo Domini militantes illud de benedictione coelesti ordini vestro et vobis ad laudes speciales adscribitur ac rerum efficax experientia magistra testatur, quod ubique locorum, in quibus degitis, fideles populos ad salutis gratiam evocatis, proficientes vobis per vitae virtutum merita et aliis nihilominus per exempla. Nos igitur, qui lucrifieri animas Christo cupimus et vestros ab hactenus sensimus et iugiter sentimus odores, libenter loca vestra in diversis orbis partibus propagamus, sperantes in illo, cui per decantationes laudum devotum impenditis holocaustum, quod, quanto latius loca ipsa diffundimus, tanto abundantius spiritualis odoris aromata de vestris bonis operibus sentiemus. Cum itaque dilectus filius nobilis vir Ioannes de Berminghem [5] de Hiberniae insula, comes de Louthe, sicut eius nobis exhibita petitio continebat, habens ad ordinem vestrum specialem devotionis affectum, ac diligenter considerans, quod in villa sua de Totemoye [6] Daren. dioec. propter religiosorum carentiam et distantiam ab eadem raro ibidem praedicatur seu proponitur verbum Dei, quodque vos mentes fidelium aedificabitis inibi verbo pariter et exemplo, unum locum ad opus, nomen et usum fratrum dicti ordinis in villa praedicta dare et concedere sit paratus et ad id nonnulla vobis caritatis subsidia impertiri: nos eiusdem Ioannis devotis in hac parte et vestris supplicationibus inclinati, ut huiusmodi locum in dicta villa recipere ac in eo aedificare et construere domos, capellam seu oratorium cum aliis necessariis officinis ac inibi habitare libere valeatis sine iuris praeiudicio parochialis ecclesiae dictae villae et iuris cuiuslibet alieni (constitutione fel. rec. Bonifatii papae VIII praedecessoris nostri

[1] *Castrogeriz* in custodia Burgensi prov. Castellae.
[2] Reg. Vat. t. 79, f. 325, ep. 2161.
[3] *Metz* in custodia Lotharingiae prov. Franciae.
[4] Reg. Vat. t. 79, ep. 1977, apud *Wadd.* l. c. n. 37.
[5] Sive *Birmingham*, alias *Mac-Feorais*.
[6] *Totmoy*, postmodum *Monasteroris*, sive *Mainistir-Feorais*, in cust. Dublin. *Wadd.* l. c. scribit Rotemoye, Lonche (Louthe), Breinghem (Berminghem)!

super hoc in contrarium edita non obstante), dum tamen villa praefata ad hoc sit idonea et in ea duodecim fratres dicti ordinis inibi commorantes honeste et congrue valeant sustentari, auctoritate vobis praesentium indulgemus. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, idibus augusti, anno nono.

587. Mandat generali et provincialibus ministris atque custodibus ord. Min., ut capiant Ubertinum de Casali apostatam. [1]

1325, septembris 16, Avinione.

Generali et aliis universis et singulis ministris ac custodibus et guardianis fratrum ordinis Minorum vel eorum vices gerentibus.

Cum Ubertinus de Casali olim de ordine vestro dudum de curia Romana, ubi causam suam prosequebatur super crimine haeresis, de quo vehementer delatus extiterat et deferebatur continue coram nobis, postquam in causa ipsa renunciatum extitit et conclusum, occulte et illicentiatus recesserit et nunc discurrit, ut accepimus, non absque multis periculis vagabundus per mundum, nos ... capiendi seu capi faciendi (etiam si per potestates et dominos temporales) praefatum Ubertinum, ubicunque reperiri poterit, captumque custodiendi seu faciendi, donec per nos ordinatum aliud super hoc extiterit, custodiri fideliter (invocato ad hoc, si necesse fuerit, auxilio brachii saecularis) vobis plenam concedimus facultatem. Volumus autem, quod nos et sedem apostolicam certiores efficere de hiis, quae super praemissis egeritis, quantocius studeatis. Datum Avinione, XVI kal. octobris, anno decimo.

588. Conquestis priore et capellanis plebis s. Mariae de Fagna dioec. Florentin., quod fratres Heremitae s. Aug. praetextu concessionis generalis a sede apostolica ipsis tributae in terra vocata de Scharperia dictae dioec. locum inter duo loca fratrum Minorum, quorum neuter locus ab eadem terra ultra unam leucam distare dicitur, consistentem receperunt et ibidem ecclesiam (vicario in spir. episcopi Florentin. gen. atque ipsis priore et capellanis minime requisitis) in eorundem prioris et capellanorum et suarum ecclesiarum, infra quarum parochias dicta terra posita est, grave praeiudicium construxerunt, guardiano fratrum Min. Florentin. mandat, ut, si est ita, praedictis fratribus prohibeat, ne in eodem loco deinceps remaneant. [2]

1325, septembris 17, Avinione.

Dilecto filio . . guardiano fratrum Minorum Florentin.

Sua nobis dilecti filii . . prior et capellani *etc.* Dat. Avinione, XV kal. octobris, anno decimo.

589. Mandat ministro generali ord. Min., ut ipsum summum pontificem certiorem reddat de iis, quae in causa fr. Petri Arnaldi lectoris in conventu Maioricen. sint acta. [3]

1325, octobris 7, Avinione.

Dilecto filio Michaeli ordinis fratrum Minorum generali ministro.

Exponente dudum coram nobis dilecto filio Petro Arnaldi tui ordinis, tunc lectore fratrum eiusdem ordinis Maioricis [4] commorantium, quod olim ipso coram certis custodibus ac gardianis et lectoribus eiusdem ordinis super certis articulis adversus eum obiectis, sicut asseritur, licet falso delato, actisque habitis super haec coram eis, quae per dilectum filium Arnaldum de Canellis tunc ministrum fratrum dicti ordinis provinciae Aragoniae asseruit in locis pluribus fuisse corrupta, postmodum per te coram triginta fratribus ipsius ordinis vel circa de omnibus custodiis dictae provinciae Aragoniae ad hoc vocatis specialiter in iudicio, actis eisdem productis et dicti Petri Arnaldi responsione super eisdem obiectis contra ipsum audita, tu et dictus Arnaldus de Canellis iudicastis et determinastis, quod ipse occasione obiectorum huiusmodi capi non demeruerat nec puniri, sicut captus extiterat et punitus. Nos autem volentes super hiis plenius informari, dilectis filiis Petro de Artarama, sacrae theologiae professori, ministro dictae provinciae Aragoniae, Iohanni Peyroni [5] Barchinonensi, Raymundo de Medis Valentiae, Eximino de Hospitali Navarrae fratrum ordinis praedicti custodibus, ac Garciae Martini, Garino Valentini et Iohanni de Monteforti, lectoribus de Turolio [6] Caesaraugustanae dioecesis conventuum fratrum ordinis supradicti, nostris certi tenoris litteris dedimus in mandatis, ut ipsi, quos dictus Petrus Arnaldi de praedictis, nec non [de eo,] quod dictus Arnaldus de Canellis et quidam consiliarii sui, per quos ipse captus extiterat et punitus, per nonnullos fratres praelibati ordinis ad hoc specialiter evocatos [7] fuerunt in tua praesentia iudicati fore poena talionis plectendi, scire asseruit plenius veritatem, nos per litteras suas eorum communitas sigillis de praemissis certificare curarent, ut certiorati per ipsos scire, quid agendum esset super negotio huiusmodi, valeremus. Sane cum adhuc iuxta tenorem mandati nostri huiusmodi de praedictis certificati nondum fuerimus per eosdem et super illis per te certiorari velimus, discretioni tuae per apostolica scripta in virtute obedientiae districtius praecipiendo mandamus, quatinus nos de praedictis omnibus per tuas litteras efficere studeas certiores, ut possimus in hac parte, quod

[1] Reg. Vat. t. 113, t. 208, ep. 1624. Cfr. supra n. 287 et not. ad n. 486 (p. 233).
[2] Reg. Vat. t. 113, f. 300, t. 81, ep. 1899. Cfr. infra n. 926.
[3] Reg. Vat. t. 113, f. 270, ep. 1599.
[4] *Mallorca* in cust. Barchinonensi prov. Aragoniae.
[5] Cfr. supra n. 574.
[6] *Teruel* in custodia Valentiae.
[7] *In registro:* evocatis.

expedire secundum Deum videbimus, ordinare. Dat. Avinione, nonis octobris, anno decimo.

590. Eximit Clarissas universas a praestandis decimis et a contribuendo in procurationibus. [1]

1325, octobris 14, Avinione.

Dilectis in Christo filiabus universis abbatissis et conventibus monialium inclusarum sive ordinis s. Clarae sive s. Damiani sive Minorissae dicantur.

Sacra vestra religio *etc.* Hinc est, quod nos pium et congruum reputantes, ut vos illa prosequamur gratia, quam vestris necessitatibus conspicimus opportunam, vobis universis et singulis ad instar fel. record. Bonifatii papae VIII praedecessoris nostri auctoritate praesentium indulgemus, ut ad praestationem decimarum de quibuscumque possessionibus et aliis omnibus bonis vestris, quae in praesentiarum habetis et iustis modis praestante Domino acquisiveritis in futurum, vel ad contribuendum in procurationibus quorumlibet ordinariorum et etiam legatorum et nunciorum sedis apostolicae minime teneamini nec ad id compelli aliquatenus valeatis. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, II idus octobris, anno decimo.

591. Committit episcopo Swerinen. (Schwerin) facultatem confirmandi fundationem mon. de Ribenitz ord. s. Clarae per Henricum dominum Magnopolitanum factam. [2]

1325, octobris 22, Avinione.

Venerabili fratri Ioanni episcopo Sverinen.

Devotorum studia, quae opera salutis inspiciunt, libenter apostolico favore prosequimur et gratiosum assensum eis atque benevolum impertimur.

Sane dilecti filii nobilis viri Henrici domini Magnopolen. [3] oblata nobis petitio continebat, quod ipse pro suae suorumque progenitorum remedio animarum, cupiens terrena pro caelestibus et transitoria pro aeternis felici commercio permutare, monasterium sanctae Clarae in Ribenitz [4] ordinis eiusdem sanctae tuae dioecesis de bonis sitis in fundo proprio de licentia tua noviter fundavit pariter et dotavit, institutis iam ibi abbatissa et monialibus impendentibus Domino famulatum. Propter quod Henricus idem nobis humiliter supplicavit, ut, quod pie super hoc actum esse dignoscitur, confirmare benignius ex certa scientia dignaremur, supplentes defectum, si quis in hac parte fuisset, de plenitudine apostolicae potestatis, ac pro augmento facultatum ipsius monasterii parochialem ecclesiam eiusdem loci de Ribenitz cum iuribus et pertinentiis suis, cuius idem Henricus tantum patronus existit, eidem monasterio ex nunc incorporantes, annectentes et perpetuo unientes: ita quod cedente parochialis ecclesiae praefatae rectore, qui nunc est, vel ea quovis alio modo vacante, liceat praefatis abbatissae et monialibus corporalem ipsius ecclesiae possessionem apprehendere per se ipsas, cuiuscumque assensu minime requisito, et ipsarum usibus applicare, reservata de illius proventibus perpetuo vicario inibi Domino servituro congrua portione, ex qua congrue valeat sustentari et episcopalia iura solvere aliaque incumbentia sibi onera supportare.

Nos igitur praefati nobilis supplicationibus inclinati et gerentes de tuae circumspectionis industria fiduciam in Domino specialem, confirmandi auctoritate apostolica, quod super hoc factum est, et supplendi omnem defectum, si quis fuerit in praemissis, fraternitati tuae plenam et liberam concedimus tenore praesentium atque committimus ex certa scientia potestatem, si (simpliciter, summarie et de plano, sine strepitu et figura iudicii) informatione habita super his tibi, frater, visum fuerit expedire. Volumus autem, quod de iure patronatus eiusdem ecclesiae suisque redditibus annuis, et utrum supportatis omnibus, quae ecclesiae praedictae incumbunt, aliquod commodum et quantum dictae abbatissae et moniales reportare valeant, rescribas nobis per tuas litteras vel instrumentum publicum particulariter et distincte. Datum Avinione, XI kal. novembris, anno decimo.

592. Praeficit Robertum Lepetit ord. Min., iam nullius ecclesiae episcopum, ecclesiae Enaghdunen. in episcopum. [5]

1325, novembris 8, Avinione.

Venerabili fratri Roberto episcopo Enaghdunen.

Ex suscepto servitutis officio *etc.* Olim siquidem quondam Guilberto, [6] qui pro episcopo Enaghdunen. se gerebat, exponente nobis, se fore per venerabilem fratrem nostrum Malachiam archiepiscopum Tuamen. episcopatu Enaghdunen. [7] ecclesiae indebite spoliatum, et petente se restitui ad eamdem; magistro vero Andrea Ioannis Giberti de Florentia, procuratore archiepiscopi supradicti, in nostra praesentia constituto, procuratorio nomine ipsius asserente, dictam ecclesiam Enaghdunen. non cathedralem sed parochialem existere ac archiepiscopali mensae Tuamen. canonice unitam fore, et propter hoc petita per Guilbertum supradictum fieri non

---

[1] Reg. Vat. t. 80, ep. 72, apud *Wadd.* l. c. n. 48. Cfr. huius op. t. IV, p. 401.

[2] Reg. Vat. t. 113, f. 288, apud *Wadd.* l. c. n. 49, ubi tamen perperam legitur: « Ribernil dioec. Svernien. » Cfr. infra n. 833.

[3] *Mecklenburg* in Germania septentrionali.

[4] *Ribenitz* in custodia Lubicen. prov. Saxoniae.

[5] Reg. Vat. t. 80, ep. 514, apud *Wadd.* l. c. n. 50.

[6] Ex ord. Min.

[7] *Annaghdown* in Hibernia.

debere: nos causam huiusmodi bon. mem. Petro tit. s. Stephani in Coelio monte presbytero cardinali, sanctae Romanae ecclesiae vicecancellario, de plano sine strepitu et figura iudicii audiendam commisimus et nobis postmodum referendam. Post multos vero processus inter partes easdem habitos in causa huiusmodi coram cardinali praedicto, cum dictus Guilbertus apud sedem apostolicam naturae debitum persolvisset, nos nolentes praedictam Enaghdunen. ecclesiam legitimo defensore carere, venerabilem fratrem nostrum Iacobum Coneren., tunc nullius ecclesiae, episcopum eidem Enaghdunen. ecclesiae de consilio fratrum nostrorum praefecimus in episcopum et pastorem, salvo in praemissis iure dictae ecclesiae Tuamen.; et deinde dictum Iacobum a vinculo, quo dictae Enaghdunen. ecclesiae tenebatur, de apostolicae potestatis plenitudine absolventes, ipsum ad ecclesiam Coneren. tunc vacantem de praedictorum fratrum consilio duximus transferendum ipsumque illi praefecimus in episcopum et pastorem. Postmodum autem eodem cardinale rebus humanis exempto, nos venerabili fratri nostro Petro episcopo Praenestino commisimus oraculo vivae vocis, ut de omnibus actis in eadem causa coram cardinali praefato habitis se diligentius informaret, ea nobis postmodum fideliter relaturus; cumque facta nobis per Praenestin. episcopum supradictum super praedictis relatione fideli per relationem eamdem nobis legitime constitisset, dictum Guilbertum tempore, quo spoliatus fuit per dictum archiepiscopum, fuisse in possessione (vel quasi) episcopatus Enaghdunen. praedicti, et ipsam Enaghdunen. ecclesiam fuisse dicto tempore in possessione status et dignitatis ecclesiae cathedralis: nos dictam Enaghdunen. ecclesiam ad possessionem (vel quasi) status et dignitatis cathedralis ecclesiae restituimus et etiam reintegramus iustitia exigente, quaestione proprietatis in eadem Enaghdunen. ecclesia parti utrilibet reservata.

Nolentes igitur, quod dicta Enaghdunen. ecclesia remaneat ulterius defensoris praesidio destituta, ac de utili provisione ipsius sollicite cogitantes, cum nullus praeter nos de ipsius ecclesiae Enaghdunen. ordinatione se intromittere possit ....,[1] post deliberationem, quam ad deputandum eidem ecclesiae personam idoneam habuimus cum eisdem fratribus diligentem, demum ad te ordinis fratrum Minorum, de religionis zelo, vitae munditia, litterarum scientia, prudentia spiritualium et providentia temporalium aliisque virtutum meritis fide dignorum testimonio commendatum, direximus oculos nostrae mentis, quamvis tu olim dicti ordinis fratrum Minorum existens ecclesiae Clonferten. tunc pastore carentis in episcopum in discordia electus, post appellationem ab huiusmodi electione tua ad sedem apostolicam interiectam, obtinueris in illis partibus electionem huiusmodi confirmari tibique munus consecrationis impendi et administrationi dictae Clonferten. ecclesiae in spiritualibus et temporalibus contra sanctiones canonicas nihilominus te ingesseris: super quibus tecum de uberioris dono gratiae auctoritate apostolica dispensamus, omnem inhabilitatis notam et infamiae maculam, quam propterea incurristi, de praedictae potestatis plenitudine penitus etiam abolendo. Attendentes itaque, quod sic consecratus nullius ecclesiae episcopus remansisti, et consideratis praedictis tuarum virtutum meritis, nolentes, quod indigentia rerum temporalium excellentiam pastoralis obnubilet dignitatis, de persona tua dictae Enaghdunen. ecclesiae de praedictorum fratrum consilio auctoritate praefata providemus teque illi in episcopum praeficimus et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, iure dictae Tuamen. ecclesiae super quaestione proprietatis praedictae in omnibus semper salvo, cui per huiusmodi provisionem nostram nullum volumus praeiudicium generari *etc.* Datum Avinione, VI idus novembris, anno decimo. [2]

593. Committit episcopo Abrincen., ut inquirat contra illos, qui in domo fratrum Min. villae Dinae quandam summam pecuniae ibi depositam rapuerunt. [3]

1325, novembris 21, Avinione.

Venerabili fratri .. episcopo Abrincensi.

Significarunt nobis dilecti filii Petrus de Soeriis et socii sui, mercatores burgenses de Manso Condomiensis dioecesis, quod dudum ipsi tunc in Britania existentes, mille octingentas et quinquaginta quinque libras Turonensium parvorum, quas cum magnis laboribus, sudoribus et periculis de vino et aliis mercimoniis suis acquisiverunt quasque, timentes commotionem guerrarum, pro maiori securitate ipsorum apud villam Dinae [4] Macloviensis dioecesis, sub dominio dilecti filii nobilis viri .. ducis Britaniae constitutam, penes dilectos filios fratres ordinis Minorum loci eiusdem villae in eorum dormitorio in quadam archa sub firma clausura ferrea duxerunt fiducialiter deponendas; quodque dicti mercatores post aliquos dies redeuntes ad locum dictorum fratrum, ubi fecerant depositum

[1] Propter ecclesiarum cathedr. reservationem generalem.
[2] In e. m. capitulo eccl. Enagd., clero ac populo civ. et dioec. Enagd., Eduardo regi Angliae.
[3] Reg. Vat. t. 80, f. 97, ep. 352.
[4] Rectius: Dinani *(Dinan)* in custodia Britaniae *(Bretagne)* in prov. Turoniae.

supradictum, invenerunt dictam archam fractam et vacuam et praedictam pecuniam ex ea subtractam nequiter extitisse, et quod eis propter hoc conquerentibus guardiano et fratribus dicti loci illi responderunt, se nescire dicti maleficii patratores. Quare praefati mercatores nobis humiliter supplicarunt, ut providere eis super hoc de opportuno remedio dignaremur. Nos igitur attendentes, huiusmodi furtum et maleficium in dicto loco commissum censendum sacrilegum et sacrilegos dicti maleficii patratores, ac propterea nolentes illud sub dissimulatione transire, fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus per te vel alium seu alios (simpliciter, summarie et de plano, sine strepitu et figura iudicii) de praemissis inquirere studeas diligentius veritatem, et quoscunque repereris in dicto sacrilegio culpabiles extitisse, eos ad restituendum dictam pecuniam mercatoribus praelibatis et satisfaciendum eis de expensis et damnis, quae praeterea incurrerunt, prout iustum fuerit, per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellas *etc.* Datum Avinione, XI kal. decembris, anno decimo.

594. Guilelmo episcopo Alben. (ex ord. Min.) concedit facultatem eligendi duos fratres Minores, quos nuntios mittat ad curiam Romanam. [1]

1325, novembris 22, Avinione.

Venerabili fratri Guilelmo Episcopo Albensi.

Cum nonnulla nobis super diversis negotiis habeas nunciare, quae per fratres ordinis Min. potes melius et securius ad notitiam nostram perferre, fraternitati tuae, ut, quotiens noveris opportunum, duos fratres eiusdem ordinis, de quibus tibi videbitur, assumere sine cuiusvis sui superioris licentia valeas et ad nostram praesentiam propter hoc destinare (quibuscunque privilegiis aut consuetudinibus seu statutis eiusdem ordinis contrariis, etiam si de illis esset in praesentibus de verbo ad verbum specialis et expressa mentio facienda, nequaquam obstantibus), licentiam et facultatem plenariam auctoritate praesentium elargimur. Datum Avinione, X kalendas octobris, anno decimo.

595. Bertrando (de Turre ex ord. Min.) episcopo Tusculan. concedit facultatem testandi. [2]

1325, novembris 22, Avinione.

(Ven. fratri) Bertrando episcopo Tusculan.

Cum nihil sit, quod magis hominibus debeatur, quam ut supremae voluntatis liber sit stilus et licitum, quod iterum non redit ad arbitrium: nos tuis supplicationibus inclinati, testandi, ordinandi et disponendi libere de omnibus bonis ad te pertinentibus, cuiuscunque quantitatis seu valoris fuerint, etiam si illa ex proventibus ecclesiasticis seu ecclesiis tibi commissis seu alias personae tuae vel tui cardinalatus intuitu, ratione aut contemplatione ad te pervenerunt et pervenient in futurum, plenam et liberam tibi concedimus tenore praesentium facultatem: proviso, quod libri, quos habebas eo tempore, quo de ordine fratrum Minorum, cuius professor existis, in archiepiscopum Salernitan. assumptus fuisti, post obitum tuum penes dictum ordinem debeant remanere. Nulli ergo *etc.* Dat. Avinione, X kal. octobris, anno decimo.

596. Ministro ceterisque fratribus provinciae Aquitaniae gratias agit de orationum suffragiis sibi in ipsorum capitulo impensis. [3]

1325, decembris 9, Avinione.

Heliae [4] *ordinis fratrum Minorum, provinciae Aquitaniae ministro, et diffinitoribus capituli eiusdem provinciae.*

Dum sub iniunctae nobis divinitus publicae servitutis obsequio immensa pastoralis officii mole deprimimur et sub divinae maiestatis timore continuo fragilitatis nostrae statum tenuem contemplamur, nequaquam procul dubio nos ipsi sufficimus, quin ad impetrandam in omnibus suae misericordiae gratiam alieno praesidio multipliciter egeamus. Merito igitur, filii, de orationum suffragiis in vestro capitulo celebrato nuperrime nobis impensis, prout ex litterarum vestrarum pagina fidedigna percepimus, devotionem vestram in Domino cum gratiarum actione multiplici commendamus. Datum Avinione, V idus decembris, anno decimo.

597. Mandat guardiano fratrum Min. Ratisbonen. quod Franciscum de Lutra olim ord. Min. arrestet et detineat vel ad curiam Rom. transmittat. [5]

1326, ianuarii 8, Avinione.

Dilecto filio .. guardiano fratrum Minorum Ratisponen. [6]

Fide digna relatione percepimus, quod Franciscus de Lutra olim tui ordinis, qui de monasterio s. Andreae ord. s. Ben. Avinionen. dioec., ad quod habitu praedicti ordinis s. Ben. recepto se transtulerat, dudum illicentiatus recessit, per diversa partium Alamanniae loca errores seminando pestiferos, quibus decipere simplicium animos et eos secum

[1] Reg. Vat. t. 113, f. 281, ep. 1662. Cfr. infra n. 612, 613, 890.
[2] Reg. Vat. t. 80, f. 17, ep. 16. Cfr. supra n. 406*a* et infra n. 1010.
[3] Reg. Vat. t. 113, f. 212, ep. 1236.
[4] De Nabinali; cfr. infra n. 765.
[5] Reg. Vat. t. 113, f. 292, ep. 1713. Cfr. supra n. 514 et 544.
[6] *Regensburg* in custodia Bavariae prov. Alamanniae superioris.

in praecipitium trahere satagit, quandoque publice et interdum occulte latitando more draconis graditur non absque multorum gravibus periculis et iacturis. Nos autem, periculis huiusmodi obviari congruis mediis cupientes, arrestandi et capiendi per te vel per alium seu alios praefatum Franciscum ac detinendi vel faciendi custodiri secure seu ad sedem apostolicam sub fida custodia transmittendi et invocandi, si necesse fuerit, super his auxilium brachii saecularis, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, discrectioni tuae plenariam concedimus auctoritate praesentium facultatem *etc.* Dat. Avinione, VI idus ianuarii, anno decimo.

598. Petrum Minoritam, lectorem in conventu Aversano, praeficit ecclesiae Calinen. in episcopum. [1]

1326, ianuarii 15, Avinione.

Dilecto filio Petro electo Calinensi.

Inter caetera sollicitudinis nostrae studia *etc.* Nuper siquidem ecclesiae Calinen. [2] per obitum bonae memoriae Ioannis episcopi Calinen., qui in partibus illis diem clausit extremum, solatio destituta pastoris, dilecti filii capitulum eiusdem ecclesiae (vocatis omnibus, qui voluerunt, debuerunt et potuerunt commode interesse) die ad eligendum praefixa, prout moris est, convenientes in unum, te ordinis fratrum Minorum professorem, lectorem fratrum dicti ordinis Aversan., in Calinen. episcopum per formam compromissi concorditer elegerunt: cui electioni, tibi praesentato decreto, quia sine tui superioris licentia, tunc et adhuc in remotis agentis, eidem electioni consentire non poteras, consensum ipsum minime praestitisti. Postmodum vero tam tu quam praefati capitulum pro huiusmodi consentiendi licentia obtinenda ad sedem apostolicam vel alium locum, ubi eiusdem superioris posset haberi praesentia, specialem nuncium, quanto citius fieri potuit, direxistis. Quo ad sedem accedente praefatam nobisque ex parte dictorum capituli et tua negotio electionis eiusdem exposito, quia ex plurium fratrum nostrorum sanctae Romanae ecclesiae cardinalium, qui de te plenam habebant notitiam, testimonio fide digno percepimus, quod tibi religionis zelus, litterarum scientia, vitae honestas, gravitas morum et alia multiplicia probitatum merita suffragantur, tum pro celeri provisione ipsius ecclesiae, ne propter prorogationem huiusmodi tui consensus et confirmationis eiusdem electionis a metropolitano dictae ecclesiae obtinendae dilationem praefata ecclesia, quod absit, dispendia prolixae vacationis incurreret, tum etiam propter huiusmodi virtutum et meritorum tuorum studia, dignum duximus de persona tua fore dictae ecclesiae providendum; considerantes quoque tam concordem dictorum capituli voluntatem, quam in huiusmodi electione de te habita habuisse dicuntur, et propter hoc firma ducti fiducia praesumimus veresimiliter et tenemus, quod dicta ecclesia per tuae circumspectionis industriam in suis poterit manuteneri iuribus ac etiam defensari, post vigilem, quam super provisione dictae ecclesiae facienda cum fratribus nostris habuimus diligentiam, in te noster animus requievit. Intendentes itaque tam gregi Dominico quam dictae Calinen. ecclesiae providere, te ipsi ecclesiae in episcopum praeficimus et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi tam in spiritualibus quam temporalibus plenarie committendo *etc.* Datum Avinione, XVIII kalendas februarii, anno decimo. [3]

599. Concedit indulgentias visitantibus capellam in hon. s. Ludovici episcopi (ex ord. Min.) in ecclesia Neapolitan. a Philippo principe Tarentino fundatam. [4]

1326, ianuarii 15, Avinione.

Universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis.

Sanctorum meritis inclyta gaudia *etc.* Cupientes igitur, ut cappella, quam dilectus filius nobilis vir Philippus princeps Tarentinus [5] in ecclesia Neapolitana ad honorem et gloriam beati Ludovici episcopi et confessoris et sub eius vocabulo pia devotione construxit, a christifidelibus congruis honoribus frequentetur, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui dictam cappellam in festo translationis eiusdem gloriosi confessoris: unum annum et quadraginta dies, eis vero, qui per eiusdem festivitatis octavas eamdem cappellam venerabiliter visitaverint annuatim, quadraginta dies singulis ipsarum octavarum diebus, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus. Datum Avinione, XVIII kalendas februarii, anno decimo.

---

[1] Reg. Vat. t. 80, ep. 569, apud *Wadd.* l. c. n. 51; cfr. supra n. 348.

[2] *Carinola* in provincia eccl. Capuan. *Wadd.* l. c. scribit minus recte: « Calvien. »; nam ecclesia Calven. *(Calvi Risorta)* est alia, in eadem quidem provincia sita.

[3] In e. m. capitulo eccl. Calinen., clero ac populo civ. et dioec. Calinen., archiepiscopo Capuan., Roberto regi Siciliae. Aliis litteris die 10 febr. 1326 datis summus pontifex eidem Petro indulget, ut munus consecrationis extra curiam Rom., a quocumque maluerit antistite, recipere valeat (l. c. ep. 570).

[4] Reg. Vat. t. 80, f. 225, ep. 588.

[5] Frater Roberti regis Siciliae et patruus s. Ludovici episc.

600. Elisendi reginae Aragonum concedit facultatem unum monasterium ord. s. Clarae infra provinciam Tarraconen. erigendi. [1]

1326, februarii 1, Avinione.

Charissimae in Christo filiae Elisendi reginae Aragonum illustri.

Insignis devotionis tuae commendantes affectum, quo mentem tuam ad pietatis opera dirigens locum, in quo virgines Deo dicatae virtutum Domino perpetui famulatus obsequia sub regulari observantia exhibentes accensis lampadibus se parent obviam ire sponso, fundare desideras pariter et dotare, petitionibus tuis, quantum cum Deo possumus, favorem benevolum impertimur. Sane petitio tua nobis exhibita continebat, quod tu ad laudem Dei et divini cultus augmentum quoddam monasterium sororum ordinis sanctae Clarae aedificare proponis infra Terracon. provinciam in loco per unam leucam saltem ab habitatione remoto, quem dilectus filius minister provincialis ordinis fratrum Minorum provinciae Aragoniae convenientem et aptum fore cognoverit ad praemissa. Nos igitur tuis supplicationibus inclinati, devotioni tuae fundandi infra dictam Terraconen. provinciam domum seu monasterium dictarum sororum dicti ordinis sanctae Clarae in loco convenienti, iuxta ipsius ministri provincialis arbitrium, cuius in hac parte conscientiam oneramus, Bonifatiana et quacumque constitutione contraria non obstante, liberam auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus facultatem: proviso, quod dicto monasterio de bonis tuis temporalibus taliter provideas, quod de eis duodecim moniales ad minus in dicto monasterio valeant commode sustentari. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, kal. februarii, anno decimo.

601. In publico consistorio assistentibus cardinalibus et praelatis necnon magistris in theologia atque utriusque iuris doctoribus illam postillam, quam frater Petrus Ioannis Olivi ord. Min. de Serinhano dioec. Biterren. supra librum Apocalypsis beati Ioannis fecerat, tanquam pestiferum et haereticum dogma contra unitatem ecclesiae catholicae et potestatem summi pontificis atque apostolicae sedis continentem reprobat et sententialiter condemnat. [2]

1326, februarii 8, Avinione.

---

[1] Reg. Vat. t. 80, ep. 803, *Wadd.* l. c. n. 52; cfr. infra n. 679.

[2] Excerpsimus ex « Floribus chronicarum », quas Bernardus Guidonis ord. Praed., celeberrimus ille haer. prav. inquisitor a. 1327 conscripsit. Qui Bernardus quoad tempus, quo id factum est, dicit: « a. MCCCXXV primo sabbato quadragesimae i. e. sexto idus februarii ». Ex quo apparet, annum supradictum secundum stylum gallicum intelligendum esse, secundum stylum Romanum autem esse a. MCCCXXVI. — Praeterea addit haec: « Ex qua postilla sumebat originem et fomentum secta quaedam pestifera illorum, qui Beguini sunt vulgariter appellati, qui se fratres pauperes de tertio ordine s. Francisci communiter nominabant ». Cfr. supra n. 483 atque *Ehrle* l. c. III, 456, et *Raynaldi* Ann. eccl. a. 1325, nn. 20-25. Hic continuator maximi illius operis a Baronio incepti l. c. brevibus verbis indicat sententiam, quam illis temporibus Franciscus episcopus Florentinus de quatuor articulis e scriptis Petri Ioannis Olivi desumptis Ioanne papa XXII iubente tulit (cfr. Arch. Vat. Armar. XXXI, 42, f. 79). Quartum articulum in extenso hic inserendum duximus. Quartus articulus, scribit ille episcopus, talis est: « Utrum catholice possit dici, quod beatus Franciscus sit evangelicae vitae et regulae sexto et septimo tempore propagandae revelator et summus post Christum et eius matrem observator? »

Circa istum articulum dico, quod in eo continentur aliqua, quae non carent scrupulo periculosi erroris. Promittit enim futura quasi certa, cum dicit, quod sit revelator evangelicae vitae vj et vij tempore propagandae, ad quod pertinet, quod de coniectura mentis dictum est in secundo articulo, et de divinatione ponit assertionem de incertis minus probabilem et non credibilem, cum supponat, quod apostoli minus quam beatus Franciscus vitam evangelicam et regulam observarint, quod ratio refugit et probabilis credulitas aspernatur. Ad quod facit, quod de perfectiori statu dictum est circa secundum articulum, ibi dum dicitur: *secundus error videtur implicari etc.* Et hiis possem esse contentus; sed ne videar fugere et velare, quibus praemisi, quod in dicto articulo continentur aliqua, quae non carent scrupulo perniciosi erroris, loquar veritatem secundum modicam intelligentiam meam, quum tacere peccatum est specialiter in tali casu. Et dico: per hoc enim, quod dicitur vita evangelica fore propaganda sexto et septimo tempore, clare satis innuitur, quod adhuc aliud evangelium sit futurum, quod est omnino erroneum et per ecclesiam tempore Alexandri IV iamdiu dampnatum tanquam haereticum. Sic enim sequeretur, quod lex Christi, quae per evangelium nobis exponitur, non esset perfecta et sic non posset homines introducere ad vitam aeternam, quod est manifeste erroneum et contra sacram scripturam, unde (Mathaei c. V) dicitur: *Qui autem fecerit et docuerit* (scilicet illa, quae Christus docebat et praedicabat, quae in evangeliis exponuntur et explicantur), *hic magnus vocabitur in regno coelorum.* Et in principio suae praedicationis Iohannes Baptista et etiam Christus docebant: *Poenitentiam agite; appropinquabit enim regnum coelorum* (Matth. c. III). Et beatus Iacobus in sua [epistola] canonica c. I dicit: *Qui autem perspexerit in legem perfectae libertatis et permanserit in ea, hic beatus in facto suo erit.* Et vocat *legem perfectae libertatis* legem evangelicam, quam tenendo et observando homines ad beatitudinem perducuntur. Non est ergo expectanda in sexto vel in septimo tempore propagatio vitae et regulae evangelicae, quia nullus status praesentis vitae est futurus perfectior quam evangelii iam divulgati, per quod homines ad finem omnis perfectionis scilicet ad aeternam beatitudinem perducuntur; et dicere contrarium omnino est haereticum.

Si autem aliquis dicat, quod per vitam regulae evangelicae sexto et septimo tempore propagandae intelligitur regula fratrum Minorum, quam beatus Franciscus edidit, non autem intelligitur per illam propagationem novae regulae novum evangelium futurum: dico, quod istud nihil videtur valere. Primo, quia, cum ipse dicat, quod beatus Franciscus est summus observator talis vitae post Christum et eius matrem, innuit per hoc, quod Christus et eius mater illam regulam, de qua loquitur, et vitam servaverunt; constat autem, quod non servaverunt regulam, quam beatus Franciscus edidit, quia nondum erat tempore Christi et matris eius: ergo non intelligit de illa. Item non potest dici, quod illa regula sit magis evangelica quam regula beati Augustini vel beati Benedicti; quia, sicut illa regula beati Francisci sic et iste beatus Augustinus et Benedictus docent servare praecepta et consilia evangelii: quantum ad praecepta scilicet, diligere Deum et proximum. Et *in hiis duobus praeceptis pendet omnis lex et prophetae,* sicut dicitur Matth. c. XXII. Unde regula beati Augustini sic incipit: « Ante omnia, fratres carissimi, diligatur Deus, deinde proximus, quia ista praecepta sunt principaliter nobis data; haec igitur sunt, quae ut observetis prae-

cipimus in monasterio constitutis ». Verba sunt regulae. Ex quibus patet, quod inducit ad servandum Christi praecepta. Quantum etiam ad consilia docent praedictae regulae servare tria principalia consilia sive vota, scilicet obedientiam, castitatem et paupertatem. Ad quae tria omnia alia consilia evangelii reducuntur. Clarum est enim, quod omnis regula religiosorum includit essentialiter illa tria (q. XII, c. 1: *Non dicatis*, et extra de statu monachorum *Cum ad mon.* in fine, cum similibus). Et aeque bene observantur illa tria consilia a multis religionibus et religiosis profitentibus regulam beati Augustini et Benedicti, sicut a profitentibus regulam beati Francisci. Et si dicitur, quod non est verum quantum ad paupertatem, quia alii religiosi habent bona temporalia in communi, professores autem regulae beati Francisci nichil habent penitus in communi, ideo magis assimilantur vitae et regulae evangelicae, et ideo regula beati Francisci magis potest dici evangelica propter observantiam maioris paupertatis: dicendum est, quod in hoc dicto implicatur unum expresse falsum et aliud haereticum. Clare enim falsum est dicere, quod professores regulae beati Francisci, scilicet fratres Minores, nichil penitus habeant in communi, cum universis pateat, quod ipsi habent domos, hortos, libros, vasa, vestes et multa alia, quae emunt, vendunt et conservant (et est expressum hodie in constitutione *Ad conditorem canonis*), sicut alii religiosi Mendicantes. Est etiam haereticum et dampnatum dicere, quod apostoli nichil penitus habuerint in communi, quia ex evangeliis et actibus apostolorum et epistolis in dictis sanctorum doctorum expresse colligitur, quod ipsi apostoli habuerunt aliqua in communi (et est hodie expressum in constitutione *Cum inter nonnullos* et in constitutione *Quia quorumdam*). Unde patet, quod propter haec regula beati Francisci non magis pertinet ad vitam evangelicam quam regula beati Augustini vel Benedicti. Et sic falsum et erroneum est dicere, quod propter illam regulam sit beatus Franciscus evangelicae vitae et regulae sexto et septimo tempore propagandae revelator, sicut dicit praemissus articulus. — Item nihil dicitur revelari, nisi quod est ignotum; sed vita et regula evangelica non erat ignota fidelibus ante beatum Franciscum, immo multi ante ipsum servaverant et tenuerant ac servabant et tenebant vitam et regulam evangelicam, sicut multi sancti patres et doctores religiosi, sicut beatus Basilius, qui fecit regulam, et beatus Benedictus et beatus Augustinus ac Martinus et Ieronymus et Gregorius, qui fuerunt omnes religiosi, et innumerabiles sancti monachi et canonici, de quibus dicere non est fas, quod ipsi ignoraverunt vitam et regulam evangelicam. Non ergo est verum nec sanum ac catholicum, ut videtur, dicere, talem vitam et regulam evangelicam sexto et septimo tempore propagandam.

Secundum, quod implicatur in illo articulo, videlicet quod beatus Franciscus fuit summus post Christum et eius matrem observator vitae et regulae evangelicae, est valde absurdum et erroneum. Cum enim perfectio vitae christianae consistat in observatione vitae et regulae evangelicae, sequitur, quod ille, qui est perfectior in tali observatione, sit perfectior in sanctitate. Ad hoc bene facit « De poenit. dist. IV *in domo* in fine ». Et sic beatus Franciscus erit perfectior post Christum et matrem eius omnibus sanctis novi testamenti, quod audire refugiunt aures piae. Quis enim fidelis praeferre audet unum confessorem sanctis apostolis, quibus proprio ore Christi dictum est Io. c. XV: *Ego vos elegi de mundo, ut eatis et fructum afferatis, et fructus vester maneat, ut, quodcunque petieritis patrem in nomine meo, det vobis;* et Matth. c. XIX eisdem a Christo dictum est: *Amen dico vobis, quod vos, qui reliquistis omnia et secuti estis me, in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suae, sedebitis et vos iudicantes xij tribus Israel;* et Matth. c. V dictum est eis: *Vos estis sal terrae;* et ibidem: *Vos estis lux mundi;* et Ephe. c. II vocantur *fundamentum ecclesiae*, ubi dicitur: *superaedificati super fundamentum apostolorum;* et apoc. c. XXI dicitur, quod numerus civitatis scilicet ecclesiae habebat *fundamenta xij et in ipsis xij nomina apostolorum;* et [in epist. ad] Roman. c. VIII dicitur, quod ipsi habuerunt *primitias spiritus*, ubi dicit glossa, quod habuerunt Spiritum sanctum tempore prius et ceteris habundantius. Nec valet, si dicatur, quod exprimendo Christum includit apostolos, ut tanquam in capite membra contineantur, quia excipiendo matrem excludit apostolos. Hiis enim testimoniis omni exceptione maioribus clare concluditur, apostolos fuisse maiores non solum beato Francisco confessore, sed etiam omnibus aliis sanctis novi testamenti. Et ideo reputo blasfemum, eis praeferre beatum Franciscum, cum ex evangelio habeamus, quod apostoli fuerunt a Christo electi ut eius speciales coiudices et assessores, ut eius commensales, ut lux mundi, ut sal vel sapientia omnis terrae, ut fundamenta ecclesiae, quorum nichil simile in sacra scriptura legimus de beato Francisco. Et si in gestis vel legenda eius legantur aliqua hiis similia vel maiora, credere talibus scripturis est pium, (s) et non de necessitate fidei vel salutis, sicut est de necessitate salutis et fidei credere, vera esse, quae leguntur in scripturis sacris de sanctis apostolis. Sed quid dicam! non solum apostolis, sed etiam martyribus nunquid praeferemus beatum Franciscum: Stephano, de quo legimus in actibus apostolorum (c. VII), quod *cum esset plenus Spiritu sancto, intuens in coelum vidit gloriam Dei et Ihesum stantem a dextris virtutis Dei etc.?* Nunquid oportet nos talia credere de Francisco, utique non videtur. Item Ioh. c. XV ore Christi dicitur, quod *maiorem caritatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Constat autem, quod secundum magnitudinem caritatis sunt sancti magni in meritis. Et cum martyres animam suam posuerint pro Christo per martyrium, quod non legimus de beato Francisco, evidenter concluditur, quod beatus Franciscus non solum non est maior, immo nec par sanctis martyribus. Et si dicatur, quod beatus Franciscus fuit martyr voluntate et desiderio, sed non fuerit martyr opere et effectu: dico, quod maius est, esse martyrem desiderio et opere, sicut fuit Stephanus, Laurentius, Vincentius et alii innumerabiles sancti, quam esse martyrem sola voluntate et desiderio: ceteris tamen paribus; unde nec in tali desiderio Franciscus praeeminet multis confessoribus, qui magno desiderio martyrium cupiebant. Et revera, licet beatus Franciscus sit confessor solempnis et almus, tamen ego non auderem eum praeferre, immo nec aequiparare Mariae Magdalenae, quae ore Christi in evangelio multipliciter commendatur, quia *optimam partem elegit* et quia *dilexit multum*, cuius vita per evangelium canonizatur et recitatur, utpote quod *lacrimis lavit et capillis tersit pedes Ihesu et caput eius unguento perfudit*, in quo fuit a Christo plurimum commendata, quae etiam Christum in passione non deseruit nec sepulcrum eius visitare nocte pertimuit et apostolorum apostola fuit, eis resurrectionem Domini nunciando. Quae omnia leguntur non tantum in legendis apocryphis, sed in ipsis evangeliis, quibus nemo christianus audet contradicere. Haec etiam Magdalena xxx annis in deserto pro poenitentia mansit, hominibus omnino incognita, angelorum dapibus nutrita et ab eis vij horis diei in aethera sublevata. Quis ergo beatum Franciscum tali sanctae audeat praeferre in meritis, utique nemo nisi temerarius et insanus, immo audeo dicere quod blasfemus. Nec dubito multos fuisse confessores non minoris meriti et sanctitatis quam beatum Franciscum nec etiam minoris utilitatis ecclesiae. Quis enim posset comparari de simplicibus confessoribus Ambrosio, Augustino, Gregorio, Ieronymo, qui Spiritu sancto pleni archana divinitatis et sacrorum eloquiorum nobis aperuerunt? Et quamvis beatus Franciscus magnam utilitatem attulerit ecclesiae instituendo fecundum ordinem et solempnem et regulam fratrum Minorum, tamen non minus solempnes et utiles fuerunt et sunt hodie ordines aliorum, utpote canonicorum instituti per Augustinum, monachorum nigrorum et alborum regulati per Benedictum, et etiam Praedicatorum fundati per Dominicum sub regula Augustini, et aliquorum aliorum, qui fundati in praedictis sanctorum regulis manent et persistunt absque scrupulo suae professionis et regulae inconcussi et ecclesiae Dei valde in fide pacifici atque grati. Sic ergo dico, quod licet beatissimus Franciscus sit magnus in coelis, tamen praeferre eum omnibus sanctis novi testamenti scilicet apostolis, martyribus, doctoribus et omnibus aliis confessoribus et virginibus est temerarium, insanum ac blasfemum; nec credo, quod sit catholice dictum nec eidem sancto gratum, maxime cum nulla auctoritate aut evidenti ratione fundetur. Unde eadem facultate contempnitur et refellitur

602. Nuntiis apost. sedis infra nominatis mandat, ut ad obtinenda illa 6000 fl. auri a Bernardo abbate mon. s. Benedicti dioec. Mantuan. apud sorores mon. s. Clarae de Venetiis olim deposita, quam summam ab Ademaro Targa decano Tullen. et apost. sedis nuntio nomine ecclesiae Rom. sequestratam Perusinus abbas mon. s. Cypriani ord. s. Ben. dioec. Mantuan. et Franciscus de Cremona supprior praedicti mon. s. Benedicti postmodum habuisse dicuntur, exacta diligentia procedant. [1]

1326, februarii 10, Avinione.

Dil. filiis Arnaldo de Roseto, Xanctonen., Petro Alrici, Mimaten. ecclesiarum canonicis, apost. sedis nuntiis.

Pridem ad nostram deducto notitiam *etc.* Dat. Avinione, IV idus februarii, anno decimo.

603. Raymundum (ex ord. Min.) episcopum Theatin. ad eccl. Aversan. vac. per obitum Guilelmi (ex ord. Min.) transfert. [2]

1326, februarii 21, Avinione.

Ven. fratri Raimundo episcopo Adversan.

Romani pontificis *etc.* Sane pridem ecclesia Adversana ecclesiae Rom. immediate subiecta per obitum bo. me. Guilelmi episcopi Adversan., qui in partibus illis diem clausit supremum, pastoris solatio destituta, nos .... provisionem eiusdem ecclesiae ea vice dispositioni nostrae duximus reservandum *etc.* Postmodum autem dilecti filii capitulum eiusdem ecclesiae, huiusmodi nostrae reservationis forsan ignari, dilectum filium Petrum de Moreriis canonicum Aquen. in Adversan. episcopum elegerunt. Quo siquidem Petro post assensum electioni huiusmodi ... praestitum ad sedem apostolicam personaliter accedente ... nos ... electionem huiusmodi decrevimus irritam et inanem ac ... demum consideratis tuarum multiplicibus virtutum meritis nobis et eisdem fratribus [cardinalibus] non innotis .., ad te tunc episcopum Theatin. convertimus aciem nostrae mentis ... et a vinculo, quo eidem ecclesiae Theatin., cui praeeras, tenebaris astrictus, te ... absolvimus ac te licet absentem ad praedictam Adversan. ecclesiam transferimus teque ipsi Adversan. ecclesiae praeficimus in episcopum et pastorem, tibi curam et administrationem ipsius in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo tibique liberam tribuendo licentiam ad eandem Adversan. ecclesiam transeundi *etc.* Dat. Avinione, IX kal. martii, anno decimo. [3]

604. Francisco de Montefalcone ord. Min., inquisitori haer. prav., concedit facultatem absolvendi rectorem ducatus Spoletan. a sententia excommunicationis, quam incurrit eo quod quaestionibus tormentorum exponebat fratrem Manentem ord. Praed. de haeresi suspectum. [4]

1326, martii 1, Avinione.

Dilecto filio Francisco de Montefalcone de ordine Minorum, inquisitori haer. prav.

Pro parte dilecti filii Ioannis de Amelio, archidiaconi Foroiulien., ducatus Spoletani rectoris *etc.* Dat. Avinione, kalendis martii, anno decimo.

605. Clarissarum monasteriis in Alamannia superiori sitis episcopos Argentin., Herbipolen., Ratisbonen. concedit conservatores. [5]

1326, aprilis 13, Avinione.

Ven. fratribus [Ioanni] Argentin. et [Wolframo] Herbipolen. ac [Nicolao] Ratisbonen. episcopis.

Inter opera pietatis *etc.* Dat. Avinione, idibus aprilis, anno decimo.

606. Commendat ministro generali ord. Min. fratrem Nicolaum de Regio ord. Min., utpote idoneum, ad legendas Parisiis sententias. [6]

1326, aprilis 19, Avinione.

[Dil. filio] Michaeli fratrum ordinis Minorum generali ministro.

Laudabilia testimonia, quae dilecto filio Nicolao de Regio [7] tui ordinis super sufficienti scientia ac aliis ipsius virtutum meritis perhibentur, merito nos inducunt, ut ad ea, quae sui profectus et honoris incrementa respiciunt, favorabiliter intendamus. Hinc est, quod nos ipsum Nicolaum, quem ad lecturam sententiarum in studio Parisiensi fore idoneum relatu fidedignorum audivimus, tuae prudentiae super hoc specialiter commendamus. Dat. Avinione, XIII kal. maii, anno decimo.

607. Indulget eidem ministro generali, ut vicariis per ipsum in certis locis et insulis, ubi provinciales ministri non existunt, deputatis, ac si essent ministri provinciales, concedat facultatem promovendi fratres idoneos ad visitationis, praedicationis, confessionis officia. [8]

1326, aprilis 30, Avinione.

Dilecto filio .. ministro generali ordinis fratrum Minorum.

Pium reputantes et congruum, ut pro fratrum

---

ac suspectum in fide habetur, quia nullo dicto vel auctoritate aut ratione probatur.

Et haec de quarto articulo ac tribus praemissis dicta sint per me facturam vestram Franciscum episcopum Florentinum omnibus et singulis vestrae sanctitatis examinationi et iudicio cum omni fidei firmitate subditis et submissis. — *Cfr. supra extrema verba adnotationis ad n. 554.*

[1] Reg. Vat. t. 113, f. 355, ep. 2078.

[2] Reg. Vat. t. 80, ep. 879. Cfr. Supra n. 419 et 532.

[3] In e. m. capitulo et vassallis eccl. Adversan., clero ac populo civ. et dioec. Adversan. Roberto regi Siciliae. Hic Raymundus, quum esset episcopus Theatin., unum castrum ad ipsam ecclesiam Theatin. pertinens alicui infeudavit et alterum vendidit. Quas infeudationem et venditionem Ioannes XXII paulo post Raymundi translationem ad eccl. Aversan. declaravit irritas (l. c. t. 82, ep. 441).

[4] Reg. Vat. t. 113, f. 325, ep. 1904.

[5] Reg. Vat. t. 80, f. 509, ep. 1795.

[6] Reg. Vat. I. 113, f. 360, ep. 2116; *Chart. univ. Paris.* t. II, p. 290, n. 851; cfr. infra n. 650.

[7] *Reggio* in Calabria.

[8] Reg. Vat. t. 81, f. 177, ep. 1000.

tui ordinis laboribus et periculosis discursibus evitandis, et ut animarum salus in hiis, quae suppliciter postulas, possit provenire facilius, petitionibus tuis, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Cum itaque in nonnullis locis, insulis et provinciis, in quibus fratres tui ordinis degunt nec ministri praeficiuntur eisdem, ad quae et quas absque gravi ordinis tui dispendio non posses personaliter te conferre, per ministros generales dicti ordinis, qui fuerint pro tempore, fratres idonei tui ordinis, in sacra pagina eruditi, vicarii fuerint ordinati et per te etiam ordinentur, qui in vicariis sibi commissis, utpote in tuae sollicitudinis partem assumpti, nonnulla in eis exercent, super quibus ad te absque multarum animarum periculo recurri faciliter non valeret: nos pro spirituali dictarum animarum profectu, tuis supplicationibus inclinati, quod dicti vicarii per te praesentialiter instituti et instituendi in posterum in quibuslibet vicariis ordinis supradicti, etiam si praedictas vicarias contingeret ampliari, possint fratres subditos ratione huiusmodi vicariatus officii eis commissi ad praedicationis et confessionis officia de ipsarum vicariarum aliquorum discretorum fratrum consilio promovere, tenore praesentium de speciali gratia plenam concedimus facultatem: proviso, quod dicti vicarii seu custodes in provinciis, locis et insulis supradictis, in quibus sunt vicariae huiusmodi constitutae, si in eis episcopi catholici fuerint ordinati, in adeundo eorum praesentiam et petendo ab eis licentiam pro idoneis fratribus dicti ordinis ad exercendum in eis confessionis officium eligendis et electis praesentandis eisdem constitutionem dudum super hoc editam a fel. record. Bonifatio papa VIII praedecessore nostro et in Viennensi concilio innovatam [1] inviolabiliter studeant observare. Per hoc autem non intendimus privilegiis concessis fratribus eiusdem ordinis in terris infidelium commorantibus in aliquo derogare. Datum Avinione, II kal. maii, anno decimo.

608. Committit archiepiscopo Auxitan., ut concedat Clarissis Lectoren. facultatem recipiendi unum monasterium in ipsa civitate Auxitana. [2]

1326, maii 15, Avinione.

Venerabili fratri archiepiscopo Auxitan. seu eius vicariis.

Significarunt nobis dilectae in Christo filiae abbatissa et conventus monasterii sororum sanctae Clarae extra muros civitatis Lectoren. ordinis eiusdem sanctae, quod dictum monasterium propter magnam multitudinem sororum degentium in eodem est plurimum oneratum et quod in civitate Auxitan., [3] quae est locus magnus, solemnis et fertilis, monasterium aliquod dicti ordinis non existit, quodque quam plures de melioribus civibus ac etiam populares civitatis ipsius cupiunt, quod in eadem civitate aut eius suburbiis pro sororibus dicti ordinis monasterium construatur; quare praefatae abbatissa et conventus nobis humiliter supplicarunt, ut recipiendi eis in dicta civitate seu eius suburbiis locum competentem ac construendi inibi monasterium cum oratorio, coemeterio et aliis officinis ac domibus opportunis licentiam concedere dignaremur. Quia igitur de facto huiusmodi et eius circumstantiis notitiam non habemus, discretioni vestrae, de qua plenam in Domino fiduciam gerimus, praesentium auctoritate committimus et mandamus, quatenus vos diligentius informantes, si sint in civitate praedicta personae aliquae, quae dictum locum pro dictis sororibus ibidem aedificare et dotare proponant, et quaecumque super his inveneritis, nobis per vestras litteras harum seriem continentes fideliter intimare curetis, ut vestra super his relatione plenius informati dictis abbatissae et conventui possimus iuste concedere vel negare licentiam supradictam. Datum Avinione, idibus maii, anno decimo.

609. Ministris et custodibus provinciarum Mediolanen. et Thusciae concedit facultatem absolvendi subditos, qui contra prohibitionem sedis apostolicae divina celebrabant et communicabant cum rebellibus S. R. E. [4]

1326, maii 16, Avinione.

Dilectis filiis .. ministris provincialibus et .. custodibus ordinis fratrum Minorum in provinciis Mediolanensi et Tusciae.

Ordinem vestrum sincera prosequentes in Domino caritate, cuilibet vestrum absolvendi iuxta formam ecclesiae singulos fratres ordinis vestri in sua provincia sive custodia constitutos, qui contra interdictum seu prohibitionem nostram seu apostolicae sedis in aliquibus civitatibus, locis seu terris praedictarum provinciarum vel alicuius earum divina officia celebrarunt aut quomodolibet immiscuerunt se divinis vel aliter cum rebellibus ecclesiae Romanae communicaverunt seu praestituerunt eisdem auxilium, consilium vel favorem, dummodo ad mandata ecclesiae veraciter redierint cum effectu, ab omnibus excommunicationis, suspensionis et interdicti sententiis et poenis aliis, quas ex causis huiusmodi incurrerunt, ac etiam dispensandi cum eis, qui praedictis ligati sententiis (non

---

[1] Cfr. supra n. 196*a*.
[2] Reg. Vat. t. 81, ep. 1450, apud *Wadd.* l. c. n. 53.
[3] *Auch* in Guasconia (cust. Auxitan. prov. Aquitaniae).
[4] Reg. Vat. t. 81, f. 355 ep. 2454.

tamen alias in contemptum clavium) celebrando divina officia huiusmodi vel se eis (ut praemittitur) immiscendo aut suscipiendo ordines irregularitatis maculam contraxerunt: recepto per vos ante omnia ab eorum quolibet iuramento, quod de cetero similia vel aliquod de praemissis aliquatenus non attemptet, ac etiam imposita sibi super hiis poenitentia salutari, plenam et liberam committimus auctoritate praesentium potestatem. Datum Avinione, XVII kalendas iunii, anno decimo. [1]

610. Nicolaum de Machilona Minoritam praeficit ecclesiae Scarpaten. in episcopum. [2]

1326, maii 26, Avinione.

Dilecto filio Nicolao de Machilona electo Scarpaten.

Summi dispositione rectoris *etc.* Ecclesia siquidem Scarpaten. [3] per obitum bon. mem. Nicolai episcopi Scarpaten., qui nuper in terra Venetiarum Castellan. dioecesis diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, nos huiusmodi vacatione ipsius ecclesiae fide dignis relatibus intellecta, cupientes eidem ecclesiae nostrae operationis ministerio secundum cor nostrum idoneam approbatamque praesidere personam, provisionem eiusdem ecclesiae ordinationi et dispositioni nostrae et sedis apostolicae ea vice duximus reservandam specialiter *etc.*, decernentes *etc.*; ac deinde de ipsius ecclesiae ordinatione celeri, de qua nullus praeter nos (post reservationem et decretum praedicta) se intromittere potuit, sollicite cogitantes et ad provisionem ipsius prosperam et felicem, ne longae vacationis subiaceret incommodis, paternae sollicitudinis studio intendentes, post deliberationem, quam de praeficiendo eidem ecclesiae personam idoneam, per quam posset praeservari a noxiis ac in suis manuteneri iuribus et etiam adaugeri, cum fratribus nostris habuimus vigilantem, demum ad te ordinis fratrum Minorum professorem, in sacerdotio constitutum, quem nobis et eisdem fratribus de litterarum scientia, honestate morum, vitae munditia, prudentia spiritualium, temporalium providentia fide digna testimonia commendarunt, quique scies et poteris dictam ecclesiam utiliter regere et salubriter gubernare, direximus oculos mentis nostrae. Quibus omnibus debita consideratione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus ob exigentiam huiusmodi meritorum tuorum accepta, de ipsorum fratrum consilio eidem ecclesiae Scarpaten. auctoritate apostolica providemus teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo *etc.* Datum Avinione, VII kalendas iunii, anno decimo. [4]

611. Episcopo Valentino committit, ut concedat facultatem fundandi unum monasterium Clarissarum in villa Xativa ex legatis a Laurina de Denteza vidua Rogerii de Lauria admirati relictis. [5]

1326, iunii 1, Avinione.

Venerabili fratri episcopo Valentin.

Significarunt nobis dilecti filii Iacobus Zaguardia et Aegidius Martinus Denteza, laici tuae dioecesis, executores testamenti seu ultimae voluntatis quondam Laurinae Denteza, relictae quondam Rogerii de Lauria admirati regnorum Siciliae et Aragoniae viduae, quod dicta Laurina in dicto testamento voluit et ordinavit, quod unum solemne monasterium sororum ordinis sanctae Clarae construi et aedificari ac de bonis suis dotari deberet in villa Xativa [6] dictae tuae dioecesis, sufficientibus eis de bonis praedictis dotibus assignatis. Quare praefati executores nobis humiliter supplicarunt, ut, cum ipsi parati sint eiusdem testatricis piam in hac parte exequi voluntatem, eis construendi dictum monasterium in villa praedicta concedere licentiam dignaremur. Nos igitur ipsorum supplicationibus inclinati ac de tuae circumspectionis industria plenam in Domino fiduciam obtinentes, fraternitati tuae praesentium auctoritate committimus et mandamus, quatenus eisdem executoribus construendi et aedificandi dictum monasterium cum ecclesia seu oratorio et aliis necessariis officinis in villa praefata, dummodo sufficientes redditus pro supportandis necessitatibus saltem duodecim sororum eiusdem ordinis inibi ponendarum ad praestandum Domino perpetuum famulatum iuxta tuae discretionis arbitrium studeant assignare, auctoritate nostra concedas licentiam specialem, quacumque constitutione contraria non obstante, iure parochialis ecclesiae et cuiuslibet alterius semper salvo. Datum Avinione, kalendis iunii, anno decimo.

612. Guilelmo episcopo Alben. (ex ord. Min.) concedit facultatem testandi. [7]

1326, iunii 6, Avinione.

Ven. fratri nostro Guilelmo episcopo Alben.

Quia praesentis vitae conditio *etc.* Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, ut de bonis mobili-

[1] Istam facultatem summus pontifex revocat die 5 ianuarii 1327 (l. c. t. 114, f. 86, ep. 347).

[2] Reg. Vat. t. 81, ep. 1624, apud *Wadd.* l. c. n. 54.

[3] *Karpathos* in maris Aegei insula cognomini.

[4] In e. m. clero ac populo civ. et dioec. Scarpaten. necnon patriarchae Constantinopol. Aliis litteris die 6 iunii 1326 datis summus pontifex eidem Nicolao indulget, ut munus consecrationis extra curiam Rom. a quocumque maluerit antistite recipere valeat (l. c. ep. 1678).

[5] Reg. Vat. t. 81, ep. 1702, apud *Wadd.* l. c. n. 55.

[6] *Xativa* in custodia Valentiae prov. Aragoniae.

[7] Reg. Vat. t. 81, ep. 1687. Cfr. infra n. 1049 et 1054.

bus eccl. Alben. ... necnon et de quibuscunque aliis bonis mobilibus a te per eamdem ecclesiam licite acquisitis pro decentibus et honestis expensis tui funeris et pro remuneratione illorum, qui tibi viventi servierunt, ... disponere ... valeas, non obstante, quod ordinis fratrum Min. professor existis, fraternitati tuae plenam et liberam auctoritate praesentium concedimus facultatem. Volumus tamen, quod in eorundem dispositione bonorum iuxta quantitatem residui erga dictam ecclesiam te liberalem exhibeas, prout conscientia tibi dictaverit et animae tuae saluti videris expedire. Dat. Avinione, VIII idus iunii, anno decimo. [1]

613. Elargitur indulgentias visitantibus capellam s. Ludovici episcopi in ecclesia fratrum Minorum de Civitella ab episcopo Alben. constructam. [2]

1326, iunii 6, Avinione.

Universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis.

Licet is *etc.* Cum itaque venerabilis frater noster Guillelmus episcopus Albensis, sicut pro parte sua fuit expositum coram nobis, quamdam cappellam ad honorem Dei et beati Ludovici in ecclesia fratrum ordinis Minorum de Civitella Aprutinae dioecesis noviter fundaverit seu construi fecerit: nos cupientes, ut cappella ipsa congruis frequentetur honoribus et fidelium eo libentius ad illam confluat multitudo, quo potiora ibidem salutis suae munera speraverit adipisci, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui in festo eiusdem beati Ludovici: sexaginta, illis vero, qui per octavas ipsius festivitatis dictam cappellam venerabiliter visitaverint annuatim, quadraginta dies de iniunctis eis poenitentiis relaxamus. Datum Avinione, VIII idus iunii, anno decimo.

614. Indulget fratribus ord. Theuton. domus Marburgensis, quod tempore interdicti in ipsius domus ecclesia, ubi corpus s. Elisabeth requiescit, ianuis apertis faciant celebrari divina. [3]

1326, iunii 7, Avinione.

Dilectis filiis .. commendatori et fratribus domus in Marburg ordinis beatae Mariae Theutonicorum Maguntinae dioecesis.

Sincerae devotionis affectus *etc.* Vestris itaque supplicationibus inclinati, ut, cum contingeret in civitate et districtu Maguntinis cessationem fieri divinorum vel civitatem seu dioecesim praedictas ecclesiastico interdicto supponi, possitis in ecclesia seu cappella dictae domus, in qua corpus sanctae Helisabet viduae [4] requiescit, videlicet in dedicationis eiusdem ecclesiae ac in obitus et translationis ipsius sanctae festivitatibus, ianuis apertis et pulsatis campanis, excommunicatis tamen et interdictis exclusis, divina officia solemniter facere celebrari, dummodo vos vel aliquis vestrum causam non dederitis huiusmodi interdicto nec id vobis vel alicui vestrum contingat specialiter interdici, auctoritate vobis praesentium indulgemus. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, VII idus iunii, anno decimo.

615. Hedvigi reginae Poloniae concedit facultatem visitandi monasteria Clarissarum et in ipsis comedendi ac pernoctandi. [5]

1326, iunii 9, Avinione.

Carissimae in Christo filiae Hedvigi[6] *Poloniae reginae illustri.*

Eximiae divotionis tuae sinceritas, per quam tibi apostolicae sedis benevolentiam vendicasti, digne mentem nostram excitat et inducit, ut petitiones tuas, quantum cum Deo possumus, ad exauditionis gratiam admittamus. Sane petitio tua nobis exhibita continebat, quod nos dudum tibi tuisque filiabus per nostras litteras duximus indulgere, quod monasteria monialium ordinis sanctae Clarae in regno tuo existentia intrare possetis, dummodo non comederitis nec pernoctaretis ibidem: non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus monasteriorum et ordinis praedictorum, prout in eisdem litteris plenius dicitur contineri. Nos igitur volentes te favore prosequi ampliori, tuis supplicationibus inclinati, quod, cum ad dicta monasteria vel aliquod eorumdem te devotionis seu recreationis causa pervenire contingerit, possis cum duabus matronis vel saltem unica infra monasteriorum ipsorum clausuram comedere semel in anno

---

[1] Aliis litteris eodem die datis summus pontifex isti Guilelmo episcopo concedit, quod confessor ipsi in mortis articulo possit conferre plenariam peccatorum absolutionem (l. c. ep. 1188); die 20 maii 1326 eidem ad litteras per ipsius fratrem germanum fr. Franciscum de Cauccella (Civitella?) ord. Min. sibi missas responderat, non expediens videri, suam ecclesiam modo dimittere (l. c. t. 346 cfr. 341). Die 23 ian. 1327 Ioannes XXII laudat ipsius industriam in custodiendis castris ecclesiae Asten. aliisque negotiis exequendis; ei autem, ne ad curiam Rom., sicut intendit, personaliter veniat, respectu momentanei status illarum partium dissuadet, licet grata sibi eius praesentia esset (l. c. t. 114, ep. 268, al. 291). Die 13 ian. 1328 idem summus pontifex ipsum cum aliis praelatis conservatorem treugarum inter regem Siciliae ex una et marchiones de Carreto, marchionem Saluzziarum, Philippum de Sabaudia, marchionem Montisferrati ex altera parte indictarum constituit et quinque diebus post episcopis Alben. atque Asten. committit, ut inquirant contra illos in loco Siffredi dioec. Taurinen. degentes, qui spoliaverunt nonnullos ad curiam Rom. accedentes (l. c. p. II, f. 86 et 87, cfr. 82 et 83).

[2] Reg. Vat. t. 81, f. 68, ep. 1689. Cfr. infra n. 1049 et 1053.

[3] Reg. Vat. t. 81, f. 517, ep. 2891.

[4] Olim uxoris et postmodum viduae relictae Ludovici lantgrafii Thuringiae, filiae Andreae regis Hungariae, patronae fratrum et sororum tertii ordinis s. Franc. Cfr. huius op. t. I, passim.

[5] Reg. Vat. t. 81, f. 157, ep. 1937. Cfr. supra n. 391 et 615.

[6] Filiae Boleslai ducis Poloniae maioris *(Kalisch)*.

dumtaxat et pernoctare (consuetudinibus ac statutis praedictis et quibuscumque constitutionibus contrariis nequaquam obstantibus), nobilitati tuae tenore praesentium indulgemus. Nulli *etc.* Datum Avinione, V idus iunii, anno decimo. [1]

616. Fratribus Raymundo Morini et Guillelmo Castellani ord. Min. concedit facultatem se transferendi ad alium ordinem Mendicantium. [2]

1326, iunii 13, Avinione.

a) *Dilecto filio Raymundo Morini ordinis fratrum Minorum.*

Super cunctos fideles *etc.* Pro parte siquidem tua humili nobis extitit insinuatione monstratum, quod tu olim post professionem a te in ordine tuo factam, antiqui hostis astutia seducente raptus et ductus animi levitate, huiusmodi ordine derelicto, habitu dictae professionis abiecto, reversus ad saeculum extitisti et in eo ac per illud fuisti per multa tempora, prout es, vagabundus; sed mentem tuam illustrante Domino, ne perires, corde iam contritus et humiliatus in spiritu, alicuius sacrae religionis ad caulam reduci desideras et in ea ulterius reddere Altissimo vota tua, credens ad captandum tibi salutis profectum et impetrandam divinae miserationis gratiam in ordine alio cum aequiori tuae mentis quiete virtutum Domino solvere pensum debitae servitutis. Quare fuit ex parte tua nobis humiliter supplicatum, ut te ab excommunicationis sententia, quam propter apostasiam huiusmodi nosceris incurrisse, iuxta ecclesiae formam absolvere tibique ad eumdem alium ordinem transeundi licentiam indulgere de miseranda sedis apostolicae clementia dignaremur. Nos itaque votis tuis in hac parte paternae provisionis remedio occurrere intendentes, tuis supplicationibus inclinati, te a dicta sententia misericorditer absolventes, tibi, ut ad alium ordinem Mendicantium dumtaxat per sedem approbatum eamdem transire ac in eo, postquam ad ipsum transieris, sedulum Deo famulatum impendere valeas (non obstantibus quibusdam constitutionibus canonicis ac statutis, consuetudinibus *etc.*), auctoritate praesentium licentiam concedimus de gratia speciali. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, idibus iunii, anno decimo.

b) In e. m. *dilecto filio Guillelmo Castellani de Castronovo ordinis fratrum Min.*

617. Petro de Via domino Calvineti indulget, ut possit construere monasterium Clarissarum in loco de Granayraco. [3]

1326, iunii 20, Avinione.

Dilecto filio nobili viro Petro de Via, domino Calvineti sancti Flori dioecesis. [4]

In iis, quae animarum salutem respiciunt, libenter apostolici favoris praesidium impertimur. Exhibita siquidem nobis tua petitio continebat, quod quondam Eustachius de Bellomarchesio, dominus tunc Calvineti sancti Flori dioecesis, ordinavit in suo ultimo testamento, monasterium sororum Minorissarum ordinis sanctae Clarae usque ad numerum duodecim in loco suo de Granayraco prope Petruciam Ruthenen. dioecesis sub certis modis et conditionibus, contentis et expressis in testamento praedicto, construi et fundari, legando sororibus ipsis centum libras Turonen. parvorum annui et perpetui redditus pro victu et necessariis earumdem et quingentas libras eiusdem monetae semel solvendas pro constructione monasterii antedicti, quodque tu, ad quem dictus locus de Granayraco cum alia terra, quam dictus Eustachius in illis partibus dum viveret obtinebat, noscitur pertinere, cupiens terrena in coelestia et transitoria in aeterna felici commercio commutare, intendis iuxta ordinationem testatoris eiusdem dictum monasterium construere et dotare. Nos igitur tuis supplicationibus inclinati, ut praefatum monasterium cum oratorio, coemeterio et aliis necessariis officinis, iuxta ipsius testatoris desiderium atque tuum, construere et dotare valeas in dicto loco, sine iuris praeiudicio alieni, tibi auctoritate praesentium liberam concedimus facultatem, iure tamen patronatus in eo tibi et haeredibus tuis in perpetuum reservato. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, XII kal. iulii, anno decimo.

618. Ad instantiam Sanciae reginae Siciliae moderat quaedam statuta monasterii s. Corp. Chr. Neapolitan. ord. s. Clarae, videlicet: *a*) de amotione guardiani ipsius monasterii, *b*) de eius electione, *c*) de alienandis bonis. [5]

1326, iulii 21, Avinione.

a) *Carissimae in Christo filiae Sanciae reginae Siciliae illustri.*

Clara tuae devotionis erga Deum et apostolicam sedem obsequia, per quae divinam et ipsius sedis gratiam vindicare tibi velut benedictionis filia niteris, nos inducunt, ut, quae a nobis suppliciter postulas, ad exauditionis gratiam favorabiliter admittamus. Porrecta siquidem nobis ex parte tua petitio continebat, quod in statutis monasterii sancti Corporis Christi de Neapoli ordinis sanctae Clarae, olim per te fundati, per nos ad tuae supplicationis instantiam auctoritate apostolica confirmatis, inter cetera continetur, quod guardianus eiusdem monasterii de consilio discretorum ordinis Minorum

[1] Cfr. infra n. 798 et *Wadd.* l. c. ad a. 1333 n. 22.
[2] Reg. Vat. t. 81, f. 98, ep. 1766 et 1767.
[3] Reg. Vat. t. 81, ep. 1796, apud *Wadd.* l. c. n. 56.
[4] De illo Petro de Via, qui nepos erat Ioan. XXII, agi videtur.
[5] Reg. Vat. t. 81, ep. 2306-2308, apud *Wadd.* l. c. n. 57-59; Cfr. supra n. 581.

per provincialem ministrum Terrae laboris dicti ordinis Minorum, quotiens expediat, valeat amoveri. Verum quia absolutam et largam dicti ministri licentiam moderari per apostolicae sedis providentiam postulasti, nos in hac parte tuis supplicationibus inclinati, volumus et auctoritate apostolica decernimus, ut, quando causa suberit amotionis guardiani praedicti, provincialis minister Terrae laboris non sic absolute et licenter amovere possit eumdem, sed alium probum virum eiusdem ordinis de consilio ipsorum discretorum fratrum ipsius provinciae vel maioris partis eorum ipsi guardiano debeat interim ad exercendum guardianatus officium subrogare, dictusque provincialis minister generali ministro dicti ordinis causam amotionis dicti guardiani debeat intimare, ut praelibatus minister generalis causa amotionis ipsius intellecta, prout expedire crediderit, libere guardianum possit absolvere praelibatum, dicta ordinatione dictorum statutorum contraria non obstante. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, XII kal. augusti, anno decimo.

b) *Eidem reginae.* Videmus, filia benedictionis et gratiae, quod in spiritualibus operibus eius, per quae studes Altissimo velut apis argumentosa servire, non capiunt somnum oculi mentis tuae, super quo tuam diligentiam in Domino commendamus. Exhibita siquidem nobis tua petitio continebat, quod in statutis monasterii sancti Corporis Christi de Neapoli ordinis sanctae Clarae, olim per te fundati, ad instantiam tuam per nos auctoritate apostolica confirmatis, inter cetera extitit ordinatum, quod in monasterio ipso posset eligi guardianus ordinis fratrum Minorum de quibuscunque partibus, regno Siciliae dumtaxat excepto; postmodum autem ex aliquibus causis aliis (forsan tunc temporis rationabilibus) suadentibus in contrarium innovatum fuit in statutis eiusdem, quod guardianus ipse sine exceptione aliqua posset eligi undecumque: quam etiam innovationem secundam nos ad tuae supplicationis instantiam eadem auctoritate duximus confirmandam. Deinde vero dictorum statutorum ordinatio prior quo ad guardiani eiusdem electionem, videlicet quod de dicto regno Siciliae guardianus eligi non valeret, quamvis satis iusta et rationabilis ac digesto consilio facta fuisset, et postmodum ordinationis secundae mutatio, quae innuit, quod guardianus sine exceptione aliqua undecunque posset eligi, ut praefertur, iuxta tuam et multorum opinionem in melius crederetur, tamen, quia humanum iudicium plerumque fallit et fallitur et per magistram rerum experientiam ad veritatis certitudinem pervenitur, reduci ad statum pristinum pro salubriori statu dicti monasterii ordinationem ipsam per apostolicae sedis providentiam postulasti. Nos itaque, qui vota tua, quae praesertim speramus de puritatis fonte procedere, libenter favore apostolico prosequimur, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, ordinationem statutorum ipsorum ad statum pristinum apostolica auctoritate reducimus, decernentes, ut guardianus eligi nequeat de eodem regno in monasterio praelibato, praedicta secunda ordinatione statutorum ipsorum in contrarium edita non obstante. Nulli ergo *etc.* Datum ut supra.

c) *Eidem reginae.*

Hoc habet in nobis, carissima in Christo filia, tuae devotionis sinceritas, qua nostram et apostolicae sedis benevolentiam tibi vendicas et favorem, ut supplicationibus tuis, quas inesse tibi cordi conspicimus, libenter et favorabiliter annuamus. Ex tenore siquidem tuae petitionis accepimus, quod in statutis monasterii sancti Corporis Christi de Neapoli ordinis sanctae Clarae, olim per te fundati, per nos ad instantiam tuam auctoritate apostolica confirmatis, inter cetera continetur, quod bona stabilia burgensatica ipsius monasterii nulla ratione vel causa alienari vel permutari possent seu in alium quoquomodo transferri; quodque postmodum nos ad tuae supplicationis instantiam archiepiscopo Neapolitano, qui tunc erat et qui pro tempore foret, quod abbatissa et conventus dicti monasterii alienare aut permutare possent aliqua ex bonis eisdem pro commodis monasterii praelibati, licentiam eis auctoritate apostolica impertiri valeret, plenam concessimus per alias litteras nostras facultatem. Verum, quia circa utilitatem et conservationem bonorum dicti monasterii iugiter es intenta et propter hoc cupis, ut asseris, ut in alienatione seu permutatione dictorum bonorum tua etiam licentia requiratur: nos tuis in hac parte supplicationibus annuentes, auctoritate praesentium ordinamus atque decernimus, ut alienatio seu permutatio bonorum ipsorum non aliter fieri valeat, quam de ipsius archiepiscopi et tua licentia in casibus et forma a iure permissis, quamdiu tu vitam duxeris in humanis, quacunque ordinatione dictorum statutorum contraria non obstante. Nulli ergo *etc.* Datum ut supra.

619. Rolando de Gregoris de Papia ord. Min. concedit facultatem eligendi unum fratrem sui ordinis, quocum veniat ad curiam Rom. [1]

1326, iulii 26, Avinione.

Dilecto filio Rolando de Gregoris de Papia [2] *ordinis fratrum Minorum.*

Cum pro certis negotiis te velimus habere prae-

[1] Reg. Vat. t. 113, f. 356, ep. 2082.

[2] *Pavia* in custodia cognomini prov. Ianuae.

sentem, veniendi ad praesentiam nostram et eligendi unum honestum socium ordinis tui ad tuam propterea comitivam hac vice plenam et liberam tibi licentiam impertimur. Datum Avinione, VII kalendas augusti, anno decimo.

620. Canonicatum eccl. Assisien., quem per privationem Neapoleonis Nerii, nepotis Mucii de Assisio, vacantem Mariano Nini de Montemellino clerico Perusin. contulerat, quando ille per ipsius Mariani ordinem fratrum Min. interim ingressi professionem religiosam vacaverit, suae dispositioni reservat. [1]

1326, augusti 1, Avinione.

Ad futuram rei memoriam.

Dudum quorundam relatibus intellecto *etc.* Dat. Avinione, kalendis augusti, anno decimo.

621. Praeficit Sinibaldum Minoritam dioecesi Auximanae in episcopum. [2]

1326, augusti 6, Avinione.

Dilecto filio Sinibaldo electo dioecesis Auximan.

Romani pontificis *etc.* Olim siquidem, dum ecclesia Auximana [3], eidem ecclesiae Romanae immediate subiecta, episcopatus titulo potiretur ac bonae memoriae Berardus, dioecesis Auximanae (tunc Auximanus) episcopus, ipsius ecclesiae Auximan. regimini praesideret, nos exigentibus gravibus et notoriis culpis atque demeritis universitatis et incolarum terrae (tunc civitatis) Auximan., qui maligno spiritu concitati adversus nos et Romanam ecclesiam furentibus et obstinatis animis patenter et manifeste rebellionis calcaneos erexerunt, nos et dictam Romanam ecclesiam provocando et afficiendo multimodis iniuriis et offensis, dictam terram (tunc, ut praemittitur, civitatem) de fratrum nostrorum consilio et de apostolicae plenitudine potestatis episcopalis dignitatis honore privavimus, iustitia exigente, ac voluimus et decrevimus de consilio et plenitudine antedictis, ut ex tunc idem Berardus, et qui successor in antea pro tempore sibi foret, Auximanae dioecesis episcopus vocaretur. Deinde vero praefato Berardo in partibus illis sublato de medio, nos attendentes, quod nullus praeter nos de provisione praefatae dioecesis, constitutae in terra spectante ad Romanam ecclesiam memoratam, de pontifice praeficiendo eidem se possit intromittere ista vice, pro eo quod nos diu .... reservavimus ....; cupientes quoque regimini praefatae dioecesis nostrae providentiae studio utilem et fructuosam praeesse personam: post deliberationem, quam cum eisdem fratribus super hoc attentam habuimus, demum in te ordinis fratrum Minorum, ordinem ipsum expresse professum et in sacerdotio constitutum, litterarum scientia praeditum, morum et vitae honestate decorum, in spiritualibus providum et temporalibus circumspectum et aliis multiplicibus virtutum donis coram nobis et dictis fratribus fide dignorum testimonio commendatum, convertimus oculos nostrae mentis. Quibus omnibus debita meditatione pensatis de persona tua de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica dictae dioecesi providemus teque sibi in episcopum praeficimus et pastorem, curam et administrationem eiusdem dioecesis tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo *etc.* Dat. Avinione, VIII idus augusti, anno decimo. [4]

622. Mandat Ioanni de Ancona ord. Min., inquisitori haer. prav., ut contra Iacobum episcopum Fanen. qui iam apud fr. Iacobum de Mondayno, ipsius in officio inquis. praedecessorem (interim defunctum), delatus est de fautoria haereticorum, procedat. [5]

1326, augusti 21, Avinione.

Dil. filio inquisitori haer. prav. in marchia nostra Anconitana constituto.

Accepimus, quod dudum *etc.* Dat. Avinione, XII kalendas septembris, anno decimo.

623. Hugolino abbati mon. s. Petri ord. s. Ben. et Matthaeo Ungari lectori ord. Min. Perusin. mandat, ut sibi mittant inquestam contra Petrum Mini de Florentia ord. Min. factam. [6]

1326, augusti 21, Avinione.

Dilecto filio Hugolino abbati monasterii sancti Petri et Mathaeo Ungari lectori fratrum ordinis Minorum Perusinorum.

Pervenit nuper ad nostri apostolatus auditum, quod Petrus Mini de Senis ordinis fratrum Minorum, dudum sui ordinis habitu non absque magna temeritate dimisso, per mundum vagabundus in animae suae periculum dictique ordinis et multorum aliorum perniciem instigante humani generis inimico discurrens, ad quosdam fratres, qui eiusdem ordinis fuerant, scismaticos et excommunicatos et a sede apostolica dictoque ordine reprobatos, in insula Siciliae commorantes seu latitantes se transtulit, diutius conversando cum illis aliosque diversos excessus, qui non possent brevi cedula comprehendi, si recitarentur per singula, nihilo-

[1] Reg. Vat. t. 81, f. 457, ep. 2737. Cfr. supra n. 442.
[2] Reg. Vat. t. 81, ep. 2770, apud *Wadd.* l. c. n. 60; cfr. infra n. 632.
[3] *Osimo* in marchia Anconitana.
[4] In e. m. clero ac populo dioec. Auximan. Die 26 ian. 1329 summus pontifex rectori marchiae Ancon. mandat, ut de castro Montisfano (*Monte Fano*), quod Sinibaldus ep. dioec. Auximan. ad suam ecclesiam pertinere praetendit, se informet et rescribat (Reg. Vat. t. 115, f. 36, ep. 230).
[5] Reg. Vat. t. 113, f. 315, ep. 1845. Cfr. infra n. 627.
[6] Reg. Vat. t. 113, f. 328, ep. 1924; cfr. supra p. 96 not. 6 et infra nn. 635 et 636.

minus committendo, ac deinde, postquam de carceribus nostris, quibus detentus suis demeritis exigentibus apud sedem praedictam fuerat, liberatus extitit, multa falsa et mendosa in detractionem sedis eiusdem labiis suis laxata licentia in diversis locis Thusciae protulit temerariis ausibus ac etiam divulgavit. Cum autem pro eiusdem Petri liberatione, qui eorum consideratione, quae contra sedem obloquendo praedictam dicebatur temerarie commisisse, captus in illis partibus carcerali custodia detinetur, nobis fuerit cum instantia supplicatum, discretioni vestrae per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus per vos vel alium seu alios super praedictis omnibus et singulis (summarie, simpliciter et de plano) veritatem diligentius inquirentes inquestam, et quicquid inde feceritis seu repereritis, nobis referre fideliter, ut ordinare valeamus, quod nobis expediens super hiis videbitur, studeatis. Datum Avinione, XII kalendas septembris, anno decimo.

624. Contra Gaufridum abbatem mon. s. Petri de Supradinam ord. s. Ben. dioec. Sagien., quem monachi ipsius monasterii dilapidationis bonorum eiusdem apud sedem apost. accusaverunt, inquiri iubet. [1]

1326, augusti 25, Avinione.

Dil. filiis .. priori Praed. de Argento dioec. Sagien. et guardiano Min. Sagien. fratrum ordinum.

Ad curam sedis apostolicae pertinet *etc.* Dat. Avinione, VIII kal. septembris, anno decimo.

625. Lamberto Minoritae, inquisitori haer. prav., mandat, ut procedat contra fautores haereticorum. [2]

1326, augusti 30, Avinione.

Dilecto filio Lamberto de ordine fratrum Minorum, inquisitori haereticae pravitatis.

Cum nonnulli de provincia nostra Romandiolae tam clerici quam laici, Deum et Romanam matrem ecclesiam offendere seque in praecipitium dampnationis et mortis immergere non verentes, adeo favere ac favisse dicuntur dampnatis haereticis (confoederationes, ligas et societates ineundo cum ipsis eosque receptando et sibi praestando multipliciter auxilia, consilia et favores), quod de labe haeresis se reddiderunt et reddunt vehementer suspectos, nos tam ipsorum quam multorum aliorum periculis ex praemissis imminentibus obviari salubriter cupientes, discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatinus contra fautores huiusmodi et alios quoslibet de crimine pravitatis haereticae culpabiles vel suspectos sic solerter secundum formam canonum ac privilegiorum concessorum inquisitionis officio praedicto procedere non postponas, quod inde debeat tua diligentia merito commendari. Datum Avinione, III kalendas septembris, anno decimo.

626. Punit duos fratres Minores Exoldunen., eo quod in contemptum pontificalis dignitatis certa quaedam enormia infra missarum et vesperarum solemnia attentarunt. [3]

1326, septembris 3, Avinione.

Ad futuram rei memoriam.

In praeeminenti sedis apostolicae specula quamquam immeriti, disponente Domino, constituti servamus vigilias diligentiae pastoralis et decorem domus Dei ac ecclesiae honestatem internae caritatis zelantes affectum libenter opem et operam impartimur partesque nostri officii adhibemus, ut decor et honestas praefati ubique firmiter observentur; unde contra eos, qui praesumptuosis ausibus decorem dedecorant et honestatem huiusmodi dehonestant, debemus et volumus manum apostolicae correctionis apponere ipsosque percellere virga congruae disciplinae, ut talibus praesumptoribus cedat in poenam ac similia attemptare volentibus ad terrorem. Dudum siquidem infestis admodum relatibus non absque vehementi admiratione percepto, quod mense maii proxime praeterito fratribus ordinis Minorum in villa Exoldunensi [4] Bituricensis dioecesis commorantibus de translatione beati Nicolai confessoris festum celebrantibus celebre, ad quod quamplures personae fuerant invitatae, quidam frater ipsius ordinis cum mitra, baculo pastorali, anulo et aliis pontificalibus insigniis missam conventualem et solemnem, .. guardiano conventus eiusdem villae aliisque praedictis fratribus (uno videlicet eorum tenente ad instar abbatis alium baculum pastoralem et decem aliis cappis indutis sericis) sibi assistentibus, celebrarat, et subsequenter in secundis eiusdem festi vesperis dicto fratre ibidem in pontificalibus vesperorum ipsorum officium prosequente quidam alius frater eiusdem ordinis indutus mulieris amictu, duas litteras bullatas portans in manibus, ad fratrem accesserat eundem in pontificalibus, ut praemittitur, celebrantem, dicens ei, quod ipsum faciebat summus pontifex cardinalem: nos venerabili fratri nostro Guillelmo archiepiscopo Bituricensi per nostras dedimus litteras in mandatis, ut per se vel per alium seu alios super praedictis et singulis (simpliciter et de plano et sine strepitu iudicii et

---

[1] Reg. Vat. t. 81, ep. 2466.
[2] Reg. Vat. t. 113, f. 331*a*, ep. 1946.
[3] Reg. Vat. t. 80, f. 9, ep. 50 de curia.
[4] *Issoudun* in custodia Bituricensi prov. Turoniae.

figura) inquireret veritatem et, si ei constaret per inquisitionem huiusmodi de praemissis, dictos tres fratres (illum videlicet, qui ut praefertur in pontificalibus celebrarat, et alium, qui sibi astiterat cum baculo pastorali, ac reliquum, qui ad dictum celebrantem cum amictu mulieris accesserat et portarat bullatas litteras supradictas ac verba protulerat, quae superius exprimuntur) mox sub fida custodia, ut decentius tamen posset, una cum inquisitione praedicta in formam publicam redigenda, quam inde faceret, ad sedem apostolicam destinaret, ad aliorum fratrum praedictorum, quos reperiret interfuisse praedictis, correctionem debitam processurus; contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo.

Postmodum autem dilecti filii .. abbas monasterii sanctae Mariae Exoldunensis et Helias de Buxo archipresbyter archipresbyteratus de Bonuo ac Raymundus de Cabanis sacrista ecclesiae de Columbariis, Bituricensis ac Pictavensis et Meldensis dioecesium, cappellani et officiales dicti archiepiscopi, quibus ipse arduis ecclesiae negotiis impeditus in negotio inquisitionis huiusmodi commiserat vices suas, donec eas ad se duceret revocandas, ad dictam villam et locum eorundem fratrum personaliter accesserunt et de praemissis et singulis inibi curaverunt iuxta formam praedictarum litterarum nostrarum diligenter inquirere veritatem et inquisitionem ipsam in formam publicam redactam fideliter praelibato archiepiscopo assignarunt, idemque archiepiscopus, quia per inquisitionem praefatam repererat evidenter, Ioannem Garnerii eidem celebranti in missa et vesperis antedictis ut abbatem (ut superius describitur) adstitisse nec non Ioannem Robineti eiusdem ordinis fuisse amictu muliebri vestitum ipsi secundorum vesperorum officium prosequenti duas sigillatas, quas sibi dicebat per summum pontificem missas, litteras in dictis secundis vesperis praesentasse sibique dixisse, quod eum faciebat idem summus pontifex cardinalem, praedictus archiepiscopus eosdem Ioannem Garnerii et Ioannem Robineti ad sedem praedictam una cum eadem inquisitione redacta ut praemittitur in formam publicam sub fida custodia transmittere procuravit.

Nos itaque dilectis filiis nostris Gaucelino tituli sanctorum Marcellini et Petri presbytero ac Bertrando sanctae Mariae in Aquiro et Arnaldo sancti Eustachii diaconis cardinalibus commisimus et mandavimus oraculo vivae vocis, ut Ioannem Garnerii et Ioannem Robineti super praedictis examinarent eosdem et quidquid invenirent super hiis, nobis referre curarent. Praedicti namque cardinales praefatos Ioannem Garnerii et Ioannem Robineti iuxta huiusmodi commissionem et mandatum nostra eis facta super praemissis examinarunt et audiverunt; et demum super praedictis relationem fecerunt plenariam et fidelem, per quas quidem inquisitionem et relationem praedictas nobis innotuit, Ioannem Garnerii ut abbatem tenentem baculum pastoralem praefato celebranti tunc in eodem festo in pontificalibus (prout superius designatur) in praedictis missa et vesperis astitisse, nec non Ioannem Robineti praefato in eisdem secundis vesperis cum mantello muliebri ad dictum secundorum vesperorum officium prosequentem tunc temporis accessisse sibique dixisse, quod dictus summus pontifex eundem secundorum vesperorum prosequentem cardinalem faciebat, quia se bene in statu pontificatus habuerat, sibique mittebat duas sigillatas litteras praelibatas.

In patratione siquidem praemissorum excessuum a recto regulae deliratur, dum a viris sacrae religioni deditis in tantae levitatis ludibrium prosilitur et forma ecclesiastica deformatur, dum pontificalis dignitatis auctoritas deducitur taliter in contemptum et hii, qui deberent in domo Domini verbo pariter et exemplo proficere ac virtutibus corruscare, tam prophanae vanitatis flatibus ventilantur, talia in devotis mentibus praesentium (dum agebantur sacra mysteria et celebrabantur divina officia) non sine fidelium scandalo npharie praesumendo: ex quibus intime tangimur et movemur. Ne igitur huiusmodi praesumptuosa temeritas in perniciem transeat aliorum, sed in committentibus puniatur ac etiam extinguatur, ne (quod absit) ceteri sumant audaciam similia committendi, auctoritate apostolica de fratrum nostrorum consilio eundem Ioannem Garnerii omnibus officiis, si qua in eodem habet ordine, perpetuo privamus ipsumque inhabilitamus et inhabilem reddimus ad quaevis officia in posterum obtinenda et alios actus legitimos exercendos et per unius anni continuum spatium a missarum celebrationibus ipsum suspendimus, quodque ipse per totum eundem annum ieiunare sexta feria et dumtaxat panem comedere et aquam bibere (sedendo, donec comederit et biberit, in superficie terrae coram sui conventus fratribus) teneatur, et quod per integrum annum huiusmodi in quolibet capitulo de manu illius, qui sibi praeerit, acutam seu rigidam et bene sensibilem recipiat disciplinam, ut huiusmodi ab eo commissum sine rubore et cum scandalo aliorum excessum defleat et deflendo patienter ad contritionis affectum eius animus efficaciter inducatur. Ordinamus quoque atque decernimus auctoritate praedicta, ut praedicto Ioanni Robineti caputium habitus dicti ordinis, quem defert, amoveatur omnino sicque huiusmodi detruncato habitu usque ad festum resurrectionis Domini proxime venturum maneat et incedat, nisi cum eo interim super hoc per sedem praedictam extiterit dispensatum, quodque per totum eundem annum dicta

feria sexta ieiunare, comedere, bibere ac sedere, prout de dicto Ioanne Garnerii praetangitur, teneatur et quod per eundem annum viginti vicibus in capitulo, sicut supra exprimitur, successive recipiat disciplinam similem. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, III nonas septembris, anno decimo.

In e. m. venerabili fratri Guillelmo archiepiscopo Bituricensi. Quae per providentiam sedis apostolicae ordinantur et praecipiuntur pro negotiorum meritis, qualitatibus temporum et conditionibus personarum, decet ac expedit auctoritate sedis ipsius debitis executionibus demandari. Dudum siquidem *etc. usque* recipiat disciplinam similem. Quocirca fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus per te vel per alium seu alios post receptionem praesentium, et cum dicti Ioannes Garnerii et Ioannes Robineti, quos ad praesentiam tuam duximus remittendos, ad te pervenerint, huiusmodi privationem, inhabilitationem, suspensionem, constitutionem et ordinationem nostras in conventu dictorum fratrum Minorum Exoldunensium auctoritate nostra solemniter publicare procures, faciens ea executioni mandari et per censuram ecclesiasticam, sublato appellationis obstaculo, inviolabiliter observari. Non obstante *etc.* Datum ut supra.

627. Declarat, se prosequi Ioannem de Ancona ord. Min., inquisitorem haer. prav., ut fidelem et devotum. [1]

1326, septembris 11, Avinione.

Iohanni de Ancona inquisitori haereticae pravitatis in marchia Anconitana.

Litteris tuis benigne receptis et earum serie plenius intellecta, talem, multis etiam testantibus, esse te credimus, qualem te in ipsis litteris describebas, quamvis contrarium nobis suggestum fuerit. Quibus suggestionibus, quas veritatis destitui supponimus fulcimento, nequaquam obstantibus, te prosequi ut fidelem proponimus et devotum. Datum Avinione, III idus septembris, anno undecimo.

628. Priori fratrum Praed. in prov. Hungariae committit, ut se informet de illis, qui nolunt observare constitutiones quasdam apostolicas de paupertate Christi in ordine Min. observandas. [2]

1326, octobris 1, Avinione.

Priori provinciali fratrum ordinis Praedicatorum in regno Ungariae constituto.

Perduxit nuper ad nostri apostolatus auditum infausti rumoris assertio, quod quidam filii diaboli, mendaciis inhaerere et a via veritatis discedere non verentes, quibusdam constitutionibus dudum a nobis magna et debita maturitate praemissa de consilio fratrum nostrorum ac multorum praelatorum et aliorum sacrae paginae quam utriusque iuris peritorum consilio editis (quarum una incipit: *Quia nonnunquam*, et alia: *Ad conditorem*, altera vero: *Cum inter nonnullos*, et alia: *Quia quorundam*) detrahere ac errores et haereses per constitutiones ipsas vel earum aliquas dampnatas sustinere, astruere ac dogmatizare contra fidem catholicam et constitutiones easdem in suarum et multorum aliorum animarum periculum in regno Ungariae moliantur. Cum autem huiusmodi temerariis et periculosis ausibus in fidei et fidelium dispendium redundantibus manifeste sit congruis remediis celeriter obviandum, discretioni tuae per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus per te ac alios tui ordinis fratres, quos ad hoc idoneos cognoveris, super praedictis (summarie, simpliciter et de plano) diligentius veritatem inquirens contra omnes et singulos, quos in praemissis et circa ea in dicto regno repereris deliquisse, cuiuscumque sint ordinis, conditionis, dignitatis et status, tanquam contra haereticos procedere ac ipsos iuxta sanctiones canonicas punire, ratione praevia, considerata delicti qualitate cuiuslibet non postponas; contradictores *etc.* non obst. *etc.*, nobis fideliter, quicquid in hac parte faciendum duxeris, rescripturus. Datum Avinione, kalendis octobris, anno undecimo. [3]

629. Dispensat cum Laurentio Roderici monacho ord. Cist., ita ut possit assumi ad dignitates sui ordinis citra tamen abbatialem, non obstante quod olim fuerit ord. Min. [4]

1326, octobris 5, Avinione.

Dilecto filio Laurentio Roderici monacho mon. s. Ioannis de Tarauca Cist. ord. Lamecen. dioec.

Romani pontificis praecellens auctoritas *etc.* Dat. Avinione, III nonas octobris, anno undecimo.

630. Declarat, fratres Min. de Peyra (Pera), suburbio civitatis Constantinopol., teneri ad canonicam portionem de funeralibus et legatis solvendam rectori ecclesiae s. Michaelis de Peyra. [5]

1326, octobris 6, Avinione.

Ad perpetuam rei memoriam.

Auctoritati iudiciariae praesidentes *etc.* Sane dudum inter dilectos filios Gualterium de Verano

[1] Reg. Vat. t. 114, f. 12, ep. 60; cfr. supra n. 622.
[2] Reg. Vat. t. 114, p. II, f. 56, ep. 944.
[3] Aliis litteris die 28 aug. 1326 datis Ioannes XXII Andreae priori provinciali fratrum ord. Erem. s. Augustini in Alamannia mandaverat, ut, cum nonnulli assererent ipsum summum pontificem praedictas constitutiones nullatenus edidisse, easdem sibi a curia Rom. recedenti assignatas in Pragen. et aliis decretae sibi provinciae partibus publicaret (l. c. t. 113, f. 248, ep. 1454).
[4] Reg. Vat. t. 82, ep. 108.
[5] Reg. Vat. t. 82, f. 215, ep. 527.

rectorem ecclesiae sancti Michaelis de Peyra (ministrum vulgariter nuncupatum) ex una parte, ac .. guardianum et fratres ordinis Minorum ipsius loci de Peyra Constantinopolitanae dioecesis, qui siquidem locus colitur a Latinis, super canonica portione funeralium et legatorum in morte seu mortis articulo debita ipsi ecclesiae ratione corporum defunctorum eiusdem ecclesiae parochianorum, qui apud dictos fratres elegerunt et eligunt pro tempore sepeliri, quam dicti guardianus et fratres contradicebant rectori solvere antedicto, praetendentes se ad solutionem portionis huiusmodi non teneri, ex altera [parte, exorta] materia quaestionis: nos in causa huiusmodi ad instantiam dicti rectoris dilectum filium magistrum Goccium de Arrimino canonicum Ravennatensem, cappellanum nostrum et auditorem causarum nostri palatii, [1] cum dictus rector ac dilecti filii .. procurator dicti ordinis nec non Petrus de Roma guardianus dictorum fratrum apud sedem apostolicam praesentes existerent, concessimus specialiter auditorem. Coram quo ipsarum partium et praedicto ipsius ordinis procuratoribus in iudicio comparentibus et pro parte ipsius rectoris quodam libello in eadem causa exhibito, parte altera non curante libellum aliquem exhibere, ac ex adverso nonnullis exceptionibus datis, cum ad aliquos alios actus inter partes easdem coram auditore processum fuisset, eodem huiusmodi negotio ex parte praefati rectoris in consistorio exposito coram nobis, dictis partibus in nostra et fratrum nostrorum praesentia constitutis: nos auditis et intellectis iuribus, rationibus et allegationibus partium praedictarum, attendentes, partem dicti rectoris super eadem portione iuxta constitutionem [*Super cathedram*] a fel. record. Bonifatio papa VIII praedecessore nostro super hoc editam et per piae memoriae Clementem papam V praedecessorem nostrum innovatam in concilio Viennensi fore de iure communi fundatam, et ex parte altera nihil extitisse propositum vel obiectum, per quod huiusmodi praefati rectoris eliderctur intentio in hac parte, suadente iustitia sententialiter declaramus, praedictos guardianum et fratres dicti loci de Peyra ad solvendum huiusmodi canonicam portionem de funeralibus et legatis eisdem praedicto rectori et successoribus suis rectoribus ecclesiae praelibatae ac satisfaciendum dicto rectori de ipsa portione pro praeterito et praesenti, sibique dum eidem ecclesiae praeerit et ex tunc eisdem successoribus perpetuis futuris temporibus iuxta dictae constitutionis et innovationis huiusmodi exigentiam existere obligatos, ipsosque guardianum et fratres de Peyra portionem ipsam debere solvere et de illa satisfacere, ut praefertur, rectori et successoribus memoratis. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, II nonas octobris, anno undecimo. [2]

631. Monaldum Minoritam ecclesiae Melfien. praeficit in episcopum. [3]

1326, octobris 6, Avinione.

Dilecto filio Monaldo [4] *electo Melfien.*

Apostolatus officium *etc.* Pridem siquidem ecclesia Melfien. [5] eidem Romanae ecclesiae immediate subiecta per obitum bon. mem. Alexandri episcopi Melfien., qui nuper apud sedem apostolicam debitum naturae persolvit, pastoris solatio destituta: nos attendentes, quod nullus praeter nos de ordinatione ipsius ecclesiae Melfien. se hac vice intromittere potest *etc.*, de praeficiendo eidem ecclesiae Melfien. personam utilem ac fructuosam, cuius scientia et virtute posset regi utiliter et feliciter gubernari, cogitare coepimus diligenter, et post deliberationem, quam cum fratribus nostris habuimus super hoc attentam, demum in te ordinis fratrum Minorum professorem, in sacerdotio constitutum, cui sacrae religionis zelus, vitae munditia, morum elegantia, litterarum scientia, circumspectionis industria et alia grandium virtutum merita, in te divinitus dispensata ac nobis et eisdem fratribus non ignota, suffragari noscuntur, aciem direximus nostrae mentis. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua, nobis et dictis fratribus ob huiusmodi tuorum exigentiam meritorum accepta, praedictae Melfien. ecclesiae de fratrum eorumdem consilio auctoritate apostolica providemus teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem eiusdem tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo *etc.* Datum Avinione, II nonas octobris, anno undecimo. [6]

---

[1] Qui a. 1335 in patriarcham Constantinopol. et a. 1338 in S. R. E. cardinalem promovetur.

[2] Aliis litteris eodem die datis summus pontifex praepositos ecclesiarum Ianuen. et s. Mariae in Vineis dioec. Ianuen. istius declarationis executores constituit.

[3] Reg. Vat. t. 82, ep. 84, apud *Wadd.* l. c. n. 63.

[4] De Monaldis Perusino, tunc ordinis Minor. procuratori generali; cfr. *Sbaraleae* Suppl. ad script. Min. n. 2934.

[5] *Melfi* infra Basilicatae fines.

[6] In e. m. capitulo et vassallis eccl. Melfien., clero ac populo civ. et eccl. Melfien., Roberto regi Siciliae. Die 13 oct. 1326 summus pontifex ipsum Monaldum iam episcopum consecratum Roberto regi ac Sanciae reginae Siciliae necnon (Carolo) duci Calabriae et (Philippo) principi Tarenti commendat (l. c. t. 114) eique die 13 apr. 1327 archiepiscopum Neapolitan. et episcopum s. Agathae concedit conservatores, die autem 1 aug. 1327 episcopis Rapollan. et Montis viridis mandat, ut revocent sequestrum quarumdam possessionum, quas Monaldus episcopus Melfien. ad se pertinere asserit, et faciant iustitiam partibus litigantibus (l. c. t. 83, ep. 1407 et t. 84 ep. 2618).

632. Indulget Sinibaldo electo dioecesis Auximan. ex ord. Minor., ut officium ministeriatus provinciae marchiae Anconitanae, quo hucusque fungebatur, interim retineat. [1]

1326, octobris 10, Avinione.

Sinibaldo electo dioecesis ecclesiae Auximanae olim cathedralis.

Cum ex eo, quod nos pridem de te, ministro provinciali fratrum ordinis Minorum provinciae marchiae Anconitanae, dioecesi ecclesiae Auximanae olim cathedralis tunc vacanti duximus de fratrum nostrorum providendum, te ibidem praeficiendo in episcopum et pastorem, in provinciali dictorum fratrum capitulo in eadem marchia in proximo celebrando sit minister provincialis successor tuus in huiusmodi ministeriatus officio, sicut accepimus, eligendus: nos, ne dictum officium remaneat interim destitutum, providere paternae solicitudinis studio cupientes et de tuae circumspectionis industria plenam in Domino fiduciam obtinentes, discretioni tuae usque ad dictum capitulum gerendi et exercendi dictum ministeriatus officium praefatumque tenendi capitulum (provisione nostra praedicta, etiam si esses interim in episcopum consecratus, ac quibuscumque dicti ordinis statutis et consuetudinibus contrariis, confirmatione sedis apostolicae vel alia quacunque firmitate vallatis, seu privilegiis et indulgentiis dictae sedis eidem ordini sub quacunque forma vel expressione verborum concessis, nequaquam obstantibus) plenam et liberam concedimus auctoritate praesentium facultatem, in virtute tibi sanctae obedientiae iniungentes, quatinus in eodem capitulo talem procures personam in ministrum fratrum dictae provinciae eligi et assumi, qui Deum timeat, eidem sit profuturus ordini, ac nobis et ecclesiae Romanae fidelis et devotus existat, nostrum et eiusdem ecclesiae honorem et commodum iugiter zelaturus. Datum Avinione, VI idus octobris, [anno undecimo].

633. Committit episcopo Elnen., ut inquirat super eo, quod fr. Guilelmus Nigri ord. Min. de Villafranca praedicaverit publice, nec Christum nec eius discipulos habuisse quicquam in proprio vel in communi. [2]

1326, octobris 10, Avinione.

Venerabili fratri [Berengario] episcopo Elnensi. [3]

Apostolicae servitutis studium *etc.* Nuper siquidem ad audientiam apostolatus nostri quorundam fidedignorum relatione producto, quod olim Guillelmus Nigri frater ordinis Minorum de Villafranca [4] Elnensis dioecesis, dum proponeret populo ad id audiendum congregato inibi verbum Dei, patenter inter cetera praedicavit, quod redemptor noster Iesus Christus nihil in proprio nec in communi habuit nec eius discipuli habuerunt, praemissa verba etiam post constitutiones nostras super hoc factas [5] nequiter et pertinaciter proferendo: nos igitur volentes de praedictis plenius scire veritatem, fraternitati tuae, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo mandamus, quatenus super praemissis (summarie et simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii) inquiras cum diligentia veritatem, et quidquid exinde inveneris, nobis particulariter et distincte per tuas litteras harum seriem continentes fideliter cures quantocius intimare, super hiis taliter te regendo, quod de aliqua desidia redargui nequeas, sed velut zelator catholicae fidei de diligentia merito valeas commendari. Datum Avinione, VI idus octobris, anno undecimo.

634. Archiepiscopo Salzeburgen. committit, *a*) quod confirmet monasterium ord. s. Clarae a Conrado de Auffenstein, marescalco ducatus Carinthiae, eiusque uxore Diemudi prope oppidum s. Viti suae dioecesis fundatum, *b*) quod fratribus Min. circa istud mon. eandem potestatem concedat, quam habent in aliis eiusdem ordinis monasteriis, *c*) quod moniales ipsius monasterii eximat a solutione decimae et aliarum id genus exactionum, *d*) quod ipsis monialibus concedat facultatem, tempore interdicti in sua ecclesia faciendi celebrari divina, *e*) quod decernat, ipsas omnibus privilegiis, indulgentiis et libertatibus ordinis s. Clarae concessis gaudere et potiri, *f*) quod praedicto Conrado tribuat licentiam, cum uxore et liberis atque duodecim puellis bis in anno ipsum monasterium intrandi. [6]

1326, novembris 4, Avinione.

Venerabili fratri [Friderico] archiepiscopo Salzeburgen.

In iis, quae animarum salutem et divini cultus augmentum respiciunt, libenter favorem benevolum impertimur. Sane petitio dilecti filii nobilis viri Conradi de Owenstain, [7] mariscalci ducatus Carinthiae, nobis nuper exhibita continebat, quod ipse olim (de salute propria cogitans cupiensque terrena in coelestia et transitoria in aeterna felici commercio commutare) prope oppidum sancti Viti [8] tuae dioecesis quoddam monasterium ordinis et sub invocatione sanctae Clarae ad Dei et beatae Virginis matris eius honorem et gloriam pro suscipiendis sororibus, quas inibi sub regulari dicti or-

---

[1] Reg. Vat. t. 114, f. 8, ep. 38; cfr. supra n. 619.
[2] Reg. Vat. t. 82, f. 1, ep. 3 de curia.
[3] *Elne*, quae sedes postmodum transfertur Perpinianum (*Perpignan*).
[4] *Villefranche* in custodia Narbonensi prov. Provinciae.
[5] Cfr. supra nn. 486, 518, 554, 628.
[6] Reg. Vat. t. 84, epp. 2990-2398 et 3045-3047, apud *Wadd.* l. c. nn. 64-69.
[7] *Auffenstein. Wadd.* l. c. scribit perperam: *Cunestain.*
[8] *Sankt Veit* prope *Klagenfurt.*

dinis habitu perpetuo Domino servituras deputare desiderat, cum oratorio et aliis necessariis officinis, de bonis propriis pro suae et parentum suorum animarum remedio, construxit pariter et dotavit. Quare dictus nobilis nobis humiliter supplicavit, ut, quod super hoc per ipsum pie factum est, apostolico fulcire praesidio dignaremur. Quia vero de praemissis notitiam non habemus, nos gerentes de tuae circumspectionis industria fiduciam in Domino specialem, dicti nobilis supplicationibus inclinati, fraternitati tuae, qui de praemissis et eorum circumstantiis notitiam habere poteris pleniorem, per apostolica scripta committimus ac mandamus, quatenus, si tibi constiterit, quod pro decenti numero sororum, quae ibidem sub praedicta regula praestabunt Domino famulatum, dos sufficiens eidem monasterio fuerit assignata, quod super hoc per eundem nobilem pie factum est, apostolica auctoritate confirmans, hac vice personas idoneas, quas idem nobilis duxerit nominandas, usque ad praedictum numerum condecentem, de quo tibi videbitur, quae dictum ordinem sanctae Clarae profiteantur et servent, in eodem monasterio recipias et instituas in sorores, praeficientes eis in abbatissam personam idoneam, eundem ordinem expresse professam, de religionis zelo et aliis virtutibus commendatam, per cuius circumspectionem providam et providentiam circumspectam dictum monasterium salubriter gubernetur: ad quam et eas, quae sibi in regimine praedicto successerint, una cum sororibus eiusdem monasterii creatio et receptio aliarum sororum in dicto monasterio deinceps debeat pertinere; electio vero abbatissae ipsius monasterii, cum de cetero imminebit, ad sorores ipsius monasterii pertineat celebranda per eas iuxta canonicas sanctiones. Dat. Avinione, II nonas novembris, anno undecimo.

b) *Eidem.*

Nuper pro parte dilecti filii nobilis viri Conradi de Ouwenstain mariscalci ducatus Carinthiae nobis exposito, quod ipse *etc. ut supra lit. a.*

Nos igitur, ut abbatissa et sorores praedictae in praefato monasterio eo liberius in tranquillitate mentium pacis famulentur auctori, quo plenius saluti suarum consultum fuerit animarum, dicti nobilis supplicationibus inclinati, fraternitati tuae praesentium tenore committimus et mandamus, quatenus, postquam praedicta in eisdem litteris tibi super hoc directis contenta fuerint efficaciter adimpleta, fratribus ordinis Minorum, quos ad spiritualia ministeria dicti monasterii pro tempore contigerit deputari, auctoritate nostra concedas, ut in dicto monasterio quo ad celebranda divina et ministranda eidem ecclesiastica sacramenta illam, quam eiusdem ordinis fratres habent per privilegia sedis apostolicae in aliis monasteriis dicti ordinis sanctae Clarae, habeant potestatem. Datum ut supra.

c) *Eidem.*

Nuper ex parte dilecti filii nobilis viri Conradi de Ouwestein *etc.* Nos igitur . . . fraternitati tuae praesentium tenore committimus et mandamus, quatenus, si monasteria, abbatissae et sorores aliae praedicti ordinis a praestatione quarumlibet procurationum, talliarum et collectarum facienda legatis et nuntiis sedis apostolicae et a solutione decimae ab eadem sede imponendae sunt per sedem ipsam exempta, praedictum monasterium, abbatissam et sorores eiusdem a praestatione et solutione huiusmodi eximere . . . praefata auctoritate procures. Dat. ut supra.

d) *Eidem.*

Nuper pro parte *etc.* Nos igitur fraternitati tuae . . . mandamus, quatenus eisdem abbatissae et sororibus, cum terra illa generali fuerit supposita interdicto, ianuis clausis, non pulsatis campanis, submissa voce, excommunicatis et interdictis exclusis, legendi et dicendi horas canonicas ac faciendi coram se missas per capellanum proprium celebrari, dummodo causam non dederint huiusmodi interdicto nec id eis contingat specialiter interdici, auctoritate apostolica licentiam largiaris. Dat. ut supra. [1]

e) *Eidem.*

Nuper ex parte *etc.* Nos igitur fraternitati tuae ... mandamus, quatenus auctoritate nostra decernas, ut monasterium, abbatissa et sorores praefatae omnibus privilegiis, indulgentiis et gratiis universis abbatissis et sororibus eiusdem ordinis ab eadem sede concessis et imposterum concedendis perpetuis futuris temporibus, sicut aliae abbatissae et sorores eiusdem ordinis, gaudeant et etiam potiantur. Dat. ut supra.

f) *Eidem.*

Nuper pro parte *etc.* Nos igitur ... fraternitati tuae ... mandamus, ut eidem nobili, uxori et liberis suis praesentibus et posteris, intrandi devotionis et consolationis causa claustrum et officinas eiusdem monasterii bis in anno cum duodeno puellarum numero, quibuscunque statutis et consuetudi-

[1] Eadem licentia ipsi quoque fundatori huius monasterii eiusque uxori conceditur.

nibus monasterii et ordinis praedictorum contrariis nequaquam obstantibus, dummodo abbatissae ipsius monasterii, quae pro tempore fuerit, ad id accedat assensus, ita tamen quod idem nobilis et uxor ac liberi et puellae ibi non comedant nec pernoctent, auctoritate apostolica liberam licentiam largiaris. Dat. ut supra. [1]

635. Committit abbati mon. s. Petri Perusin. et Petro de Prato ord. Min., ut se informent de excessibus a fr. Petro Mini ord. Min. commissis. [2]

1326, novembris 20, Avinione.

Ugolino abbati monasterii sancti Petri Perusini et Petro de Prato de ordine Minorum Perusin.

Pervenit nuper ad nostri apostolatus auditum, quod Petrus Mini de Senis ordinis fratrum Minorum dudum sui ordinis habitu non absque magna temeritate dimisso *etc. ut supra n. 623.*

Datum Avinione, XII kalendas decembris, anno undecimo.

636. Committit abbati s. Petri et lectori fratrum Min. Perusin., ut inquirant super quibusdam articulis a fr. Petro Mini ord. Min. assertis. [3]

1326, novembris 22, Avinione,

[*Dil. filiis Hugolino*] *abbati monasterii sancti Petri et* .. [4] *lectori fratrum Minorum Perusin.*

Pridem vobis nostras litteras, per quas inquiri mandavimus contra Petrum Mini de Senis ordinis fratrum Minorum, qui occasione quorundam excessuum per ipsum sicut asseritur commissorum detinetur in eis partibus carceri mancipatus, meminimus direxisse. Sane quia certi articuli nobis sunt traditi contra eum, volumus vobisque mandamus, quatinus super eisdem articulis, quos vobis praesentibus interclusos mittimus, forma litterarum praedictarum super aliis in omnibus observata, veritatem inquirere cum diligentia studeatis. Datum Avinione, X kalendas decembris, anno undecimo.

637. Monet Alfonsum regem Castellae et Leg., ut restituat Clarissis Salamantinis quaedam bona per suam curiam occupata. [5]

1326, novembris 26, Avinione.

Carissimo in Christo filio Alphonso regi Castellae et Legionis illustri.

Si ad examen debitae considerationis adduxeris, fili carissime, quam sit salubre quamque meritorium apud Deum, personas ecclesiasticas, regulares et saeculares, praecipue in terra tui dominii consistentes, conservare in bonis suis et iuribus, quinimo illa etiam eis ampliare: profecto hoc tuae sollicitudinis dignatio erga dilectas in Christo filias abbatissam et conventum monasterii sororum inclusarum Salamantin. [6] ordinis sanctae Clarae, dictae terrae incolas, eo attentius observabit et faciet efficacius observari, quo ipsae in divinis obsequiis exequendis, quibus sunt maiestati Altissimi dedicatae, fortius extiterint impeditae quove periculosius cogantur extra suae clausurae terminos evagari, dum in earum bonis et iuribus, quae pia eis devotione fidelium conferuntur et e quibus stipendia quotidiana vitae percipiunt, indebite molestantur. Habet quidem dictarum abbatissae et conventus humilis et devota insinuatio nostris auribus instillata, quod nonnulla bona immobilia, quae dicti fideles eidem monasterio in eorum ultimis voluntatibus legavere seu ab eisdem abbatissa et conventu iustis modis aliis sunt acquisita, de facto sunt pro parte regalis curiae occupata, in abbatissae, conventus et monasterii praedictorum non leve praeiudicium et iacturam. Accedat ergo ad tribunal tuae mentis regiae pietatis affectus et recensebit memoriter, quod plerumque malignitas incentorum fuco fucata mendacii sub fictae fidelitatis pallio averterunt damnabiliter corda regum, et ne dominica mandata custodiant, in illis lolium cupiditatis et avaritiae seminant virusque detractionis effundere non expavent. Quapropter eccellentiam regiam monemus et hortamur in Domino et obnixius deprecamur, quatenus pro divina et apostolicae sedis reverentia praefatas abbatissam et conventum regalis favoris et opportunae defensionis praesidio prosequens huiusmodi bona, ut praemittitur, occupata restitui facias monasterio praelibato, nec patiatur tuae mansuetudinis lenitas, ut dictis abbatissae et conventui super praemissis vel aliis bonis atque iuribus earumdem inferantur per cuiuspiam calumniam sive dolum iniuria vel gravamen: pro illius honore, qui te regnorum tuorum praedestinavit et constituit haereditarium successorem, praedictas abbatissam et conventum in bonis eiusdem libere succedere illaque pacifice possidere, si alias in eis iuris censura suffragatur eisdem, de regia clementia permittendo. Ista quippe praedictas abbatissam

[1] Aliis litteris eadem die datis summus pontifex praedicto nobili viro Conrado de Owenstein eiusque uxori plenariam peccatorum remissionem in articulo mortis a confessore suo ipsis impertiendam concedit et cum Nicolao ipsius Conradi filio illegitimo, de soluto genito et soluta, clerico Salzeburgen., dispensat, ut hoc natalium defectu non obstante ad omnes sacros ordines promoveri et beneficia ecclesiastica obtinere possit.

[2] Reg. Vat. t. 114, f. 23, ep. 137; cfr. supra n. 623 et infra n. 636.

[3] Reg. Vat. t. 114, f. 25, ep. 150.

[4] Matthaeo Ungari aut Petro de Prato. Cfr. supra nn. 623 et 635.

[5] Reg. Vat. t. 82, ep. 344, apud *Wadd.* l. c. n. 70.

[6] *Salamanca* in custodia cognomini prov. s. Iacobi.

et conventum tuas apud regem regum, per quem vivis et regnas, constituent sedulas oratrices, haec et alia pia opera, quae Domino inspirante feceris, tuae celsitudinis solium roborabunt tibique captabunt supernae miserationis et gratiae incrementum. Datum Avinione, VI kalendas decembris, anno undecimo. [1]

638. Iacobam natam Colae de Perusio, in monasterio s. Mariae Montislucidi ord. s. Clarae prope Perusium recipi iubet. [2]

1326, decembris 4, Avinione.

Dilectis filiis .. sancti Petri Perusini et .. sancti Archangeli supra lacum Perusinum monasteriorum abbatibus ac magistro Busolo de Parma canonico Tornacensi.

Cum dilecta in Christo filia Iacoba nata quondam Colae de Perusio, puella litterata Perusina, cupiat, sicut pro parte sua fuit propositum coram nobis, una cum dilectis in Christo filiabus .. abbatissa et conventu monasterii sanctae Mariae Montis lucidi prope Perusium ordinis sanctae Clarae in eodem monasterio sub regulari habitu Domino famulari: nos pium eius desiderium in hac parte favore benevolo prosequentes, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios eamdem Iacobam, si sit idonea et aliud sibi canonicum non obsistat, in dicto monasterio faciatis auctoritate nostra in monacham recipi et sororem sibique iuxta consuetudinem ipsius monasterii regularem habitum exhiberi ac eidem de communibus ipsius monasterii proventibus sicut uni ex aliis eiusdem monasterii monialibus integre provideri eamque sincera in Domino caritate tractari: non obstantibus quibuscunque *etc.* Datum Avinione, II nonas decembris, anno undecimo.

639. Petit salvum conductum pro gentibus fr. Bernardum Fusterii ord. Min. de haeresi suspectum ad curiam Rom. adducentibus. [3]

1326, decembris 5, Avinione.

Venerabilibus fratribus .. archiepiscopis et .. episcopis etc., ad quos praesentes litterae pervenerint.

Cum venerabilis frater noster .. episcopus Maioricensis Bernardum Fusterii de ordine fratrum Minorum, quem super crimine haeresis delatum et vehementer suspectum, ut accepimus, in civitate Maioricensi detinet suis carceribus mancipatum, per gentes suas adduci facere ad sedem apostolicam sub custodia secura proponat, universitatem vestram monemus, rogamus et hortamur attentius, quatinus gentes ipsas, dum per terras, districtus et loca vestra cum eodem captivo ad sedem veniendo praedictam transire contigerit, benigne recommendatas habentes nullam eis molestationem quomodolibet inferatis nec inferri ab aliis, quantum in vobis fuerit, quomodolibet permittatis, sed eis potius pro divina et apostolicae sedis reverentia de securo conductu, si egeant et illud a vobis petierint, prompte et liberaliter providere curetis: ita quod nos exinde debeamus merito devotionis vestrae promptitudinem in Domino commendare. Datum Avinione, nonis decembris, anno undecimo.

640. Populum Tudertinum super tumultu contra Franciscum Damiani ord. Min., inquisitorem haer. prav., suscitato arguit eidemque obedire iubet. [4]

1326, decembris 13, Avinione.

Dilectis filiis .. potestati, .. capitaneo, consilio, populo et communi Tudertinis, ecclesiae Romanae fidelibus.

Eo gravius, filii, contra vos paternae admirationis et iustae causam invectionis habemus, eoque saucius offensa noveritis intima cordis nostri, quo insanius excessisse dicimini contra Deum et apostolicam sanctam Romanam matrem ecclesiam, pro quibus tanquam fideles Christi et christianae fidei pugiles contra suos certamine publico debetis insurgere offensores. Nuper siquidem ad nostri apostolatus auditum fidedigna mira quam plurimum (licet infausta et infesta non minus) insinuatione pervenit, quod pridem dilectus filius Franciscus Damiani de ordine fratrum Minorum, inquisitor haereticae pravitatis, informatus fidedigne per testes, quod in civitate Tudertina utique inter agri dominici semina haeresis pestilens velut radix pestifera lolii pullulabat, declinavit ad civitatem ipsam habiturus de hoc per inquisitionis indaginem denunciationis propositae veritatem. Cum autem praedictus inquisitor Mucium Canistrarium concivem vestrum de ipsa haeretica pravitate suspectum fecisset ob hoc de peritorum consilio carceri mancipari, subito contra inquisitorem ipsum ut dicitur

[1] Aliis litteris eadem die datis summus pontifex episcopo Salamantin. mandat, ut ad restituendum compellat eos, qui bona mobilia (pecuniam, vasa argentea, pannos laneos, culcitras de pluma, instrumenta publica etc.), a Giroca vidua Guidonis Pelagii Salamantin., quae in quibusdam domibus infra monasterium praedictum existens ipsius abbatissam et sorores in sua ultima voluntate universales heredes omnium bonorum suorum instituit, relicta post eiusdem Girocae obitum ex istis domibus asportaverunt (l. c. ep. 743; cfr. 342).

[2] Reg. Vat. t. 84, f. 176, ep. 2466.

[3] Reg. Vat. t. 114, p. II, l. 2, f. 77, ep. 1074; cfr. infra n. 661.

[4] Reg. Vat. t. 114, f. 21, ep. 120. Cfr. infra not. ad n. 721*a* et ad n. 859.

adeo tumultum intrepidi populi suscitasti[s], quod praedictus inquisitor, videns sibi mortis imminere dispendium, se commisit fugae subsidio; idem vero captivus evasit ab huiusmodi carcere fugitivus. Unde, pro dolor, contigit tam salubre violari iudicium in publicam et dampnandam divinae maiestatis offensam, contemptum catholicae fidei, nostram et apostolicae sedis ac ecclesiae iniuriam, divino et humano iudicio execrandam. Nunquid igitur filii, si vera sunt talia, quamvis non credamus illa faciliter, aliqua vos potestis exceptione vel excusatione tueri, quin tantae fueritis offensionis actores, tam vulgaris infamiae aspergamini macula et tanquam defensores eiusdem pravitatis haereticae de ipsa reddatis haeresi vos suspectos. Profecto, nisi existens de talibus in contrarium veritas vos excuset, non sunt apud vos ista, quae profitetur in terris christiana religio, professio fidei orthodoxae deposcit, et ad cupienda prae ceteris ecclesiae triumphantis excelsa continue praedicat militantis ecclesiae disciplina. Quia vero, quantumcunque forsitan tenebrarum spiritus vos ad devium erroris huiusmodi perverso calle seduxerit, nos more pii patris cupientes vobis hereditariis carisque nostris ac ipsius ecclesiae subiectis et filiis adesse propitii vosque a periculis animarum et corporum desiderantes eripere, quibus vos tam improvide ob praemissa tamque dampnabiliter summisistis, universitatem vestram monemus praesentibus et hortamur attente, vobis nihilominus tam dominico quam paterno consilio suadentes, quatinus praemissis omnibus in consideratione deductis sic de tantis perniciosis excessibus Deo, nobis et eidem ecclesiae congruam faciatis emendam vobisque in posterum a similibus caveatis, assistentes viriliter et potenter, ut debetis ut viri catholici, inquisitori praedicto ad eius officium in civitate praedicta eiusque districtu secure ac laudabiliter exercendum, quod emendationis condignae suffragium vos purget a crimine, si quo in vestrum dampnum aliorumque perniciem videmini laborare. Circa quae illud demum exnunc vobis intimare providimus ex affectu, quod, si huiusmodi monitionibus et exhortationibus nostris obedire spreveritis, ex debito quo urgemur pastoralis officii vitare bono modo nequibimus, quin contra vos velut contra haereticos ac haereticorum defensores, fautores et receptatores eorum, in quantum suadebit iustitia, actore Domino procedamus. Datum Avinione, idibus decembris, anno undecimo.

641. De meritis fr. Hugolini ord. Min., inquisitoris haer. prav., ab Hugolino episcopo Parmen. commendati, inquiri iubet. [1]

1326, decembris 20, Avinione.

Dilecto filio Arnaldo de Roseto canonico Astensi, apostolicae sedis legato.

Cum ad promotionem dilecti filii Hugolini de sancto Marcho de ordine fratrum Minorum, inquisitoris haereticae pravitatis, tam venerabilis frater noster Hugolinus episcopus quam dilecti filii nonnulli alii cives Parmenses apud nos instanter preces suas effuderint, discretioni tuae mandamus, quatinus de sufficientiae meritis inquisitoris eiusdem nos per tuas litteras plenarie studeas informare. Datum [Avinione], XIII kalendas ianuarii, anno undecimo.

642. Revocat facultatem ministris et custodibus provinciarum Mediolanen. et Thusciae ord. Min. de subditis a quibusdam sententiis absolvendis factam. [2]

1327, ianuarii 5, Avinione.

Eidem legato [Thusciae, Ioanni s. Theodori diacono cardinali].

Dudum ministris provincialibus et custodibus fratrum ordinis Minorum in provinciis Mediolan. et Thusciae existentibus absolvendi iuxta formam ecclesiae singulos fratres ordinis praedicti in sua provincia seu custodia constitutos, qui contra interdictum et prohibitionem nostram seu sedis apostolicae in aliquibus civitatibus seu terris dictarum provinciarum seu alicuius earum divina officia celebrarant aut quomodolibet immiscuerant se divinis vel alias cum rebellibus ecclesiae Romanae communicaverant seu praestiterant eis auxilium, consilium et favorem, dummodo ad mandata ecclesiae veraciter et cum effectu redirent, ab omnibus excommunicationis, suspensionis et interdicti sententiis et poenis aliis, quas ex causis incurrerant huiusmodi, et etiam dispensandi cum eis, qui praedictis ligati sententiis (non tamen in contemptum clavium) celebrando divina officia vel se illis ut praefertur immiscendo aut suscipiendo ordines irregularitatis contraxerunt maculam, nos sub certa forma concessisse meminimus per nostras litteras facultatem. Sane, cum, sicut displicenter audivimus, aliqui concessa potestate huiusmodi non absque multis periculis et scandalis, quibus obviari salubriter cupimus, abutantur, nos litteras huiusmodi ex certa scientia tenore praesentium revocamus. Quocirca discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus revocationem ipsam in locis tuae legationis, de quibus tibi expedire videbitur, per te vel per alium seu alios studeas publicare, nos redditurus de hiis, quae super hiis quomodo-

[1] Reg. Vat. t. 114, f. 49, ep. 297.

[2] Reg. Vat. t. 114, fol. 56, ep. 347. Cfr. supra n. 609.

libet egeris, certiores. Dat. ut supra [nonis ianuarii, anno undecimo].

In e. m. [*Bertrando tit. s. Marcelli presb. card.*] *legato Lombardiae.*

643. Revocat quosdam processus ab officiali Burdegalen. contra fratres Praed. et Min. factos. [1]

1327, ianuarii 23, Avinione.

Ad futuram rei memoriam.

Illa sine cavillosae difficultatis obice nimiaeque dilationis obiectu apostolicae correctionis linea corrigit, prout debet, quae praesertim evidenter invenit per inferiores iudices minus provide attentata. Pro parte siquidem dilectorum filiorum prioris Praedicatorum et guardiani Minorum fratrum ordinum et eorumdem fratrum Burdegallen. fuit in consistorio propositum coram nobis, quod dilectus filius officialis Burdegallen. ad instantiam seu querelam dilectorum filiorum rectorum, capellanorum ac vicariorum perpetuorum parochialium ecclesiarum seu capellarum civitatis et suburbiorum Burdegallen. mendaciter imponens dictis fratribus, quod vilipendebant canonicas sanctiones, de facto, cum de iure nequiverit, in dictis et ipsorum prioris, guardiani et fratrum ecclesiis, dum celebrabantur missarum solemnia in eisdem, diebus dominicis et festivis mandavit et fecit dictis fratribus publice inhiberi, ne ipsi ex tunc confessiones parochianorum dictarum ecclesiarum audirent seu ipsos ad poenitentiae sacramentum et corpora eorum ad ecclesiasticam sepulturam admitterent absque parochialium rectorum ipsarum ecclesiarum seu capellarum licentia et assensu, et etiam in eisdem proponi ecclesiis, ne aliquis vel aliqua ex tunc ad eorundem fratrum vel alicuius eorum inductionem apud ipsos vel eorum ecclesias suam eligeret sepulturam (asserendo minus iuste, quod huiusmodi electio ad dictorum fratrum inductionem sic facta de iure foret irrita et inanis) nec eisdem fratribus vel alicui confiteretur eorum aut ab eis seu aliquo ipsorum reciperet praedictum poenitentiae sacramentum absque sui proprii rectoris parochialis licentia et assensu; alioquin contrafacientes in praemissis articulis necnon universos religiosos, cuiuscunque status vel conditionis existerent, qui antea induxissent vel inducerent aliquem vel aliquos ad vovendum, iurandum vel fide interposita seu alias promittendum, quod apud eorum ecclesias eligerent sepulturam vel iam electam minime immutarent, mandavit et fecit excommunicatos publice nunciari. Et licet praefati fratres de funeralibus, quae ratione corporum defunctorum [sibi obveniunt, et] de legatis seu relictis [ab] eisdem canonicam portionem dictis parochialibus rectoribus, prout debuerant, solvere curavissent et parati forent eam illis solvere in futurum, sicut fuit expositum coram nobis, ipse tamen officialis non attendens, quod nequibat contra eosdem talia exercere, dictos fratres similiter de facto publice moneri fecit, ut, si essent aliqui vel aliquis eorumdem, qui aliqua de funeralibus et legatis seu relictis praedictis haberent vel detinerent, quae ad dictos rectores seu vicarios aut ipsorum aliquem pertinerent, ea illis integre redderent vel de ipsis componerent amicabiliter cum eisdem; alioquin quoslibet dictorum fratrum detentorum funeralium seu relictorum eorundem ad dictos rectores seu vicarios spectantium, quos ex tunc excommunicabat, mandabat et fecit in eisdem ecclesiis excommunicatos publice nunciari.

Quamvis autem pro parte dictorum fratrum apostolica privilegia, quae dictos ordines et personas ipsorum a iurisdictione quorumlibet iudicum ordinariorum eximunt eosque soli sedi subiiciunt supradictae, quodque in pacifica possessione vel quasi libertatis et exemptionis huiusmodi existebant, coram officiali praedicto fuerint allegata, et quod de iure non poterat taliter ad praemissa procedere contra eos, sibique de privilegiis huiusmodi facta extitit ab eisdem priore et fratribus praedicatoribus, ut accepimus, plena fides: idem tamen officialis praedictus priorem, guardianum et fratres exaudire super allegatis huiusmodi non curavit; quoscunque insuper dictorum fratrum, qui clericis et laicis unctionis extremae vel eucharistiae sacramenta ministrare matrimoniave solemnizare, super hoc parochialis rectoris eorumdem licentia non obtenta, seu qui ab excommunicationis a canone, praeterquam in casibus expressis in iure vel per privilegia dictae sedis fratribus concessis eisdem, aut a sententiis per statuta provincialia promulgatis seu a poena vel a culpa absolvere praesumerent, mandavit et fecit excommunicatos publice nunciari, quamquam fratres ipsi, quod haec praesumpserint, confessi non fuerint nec convicti nec etiam evocati. Propter quae pro parte praedictorum prioris, guardiani et fratrum ad dictam sedem extitit appellatum. Quare fuit pro parte ipsorum prioris et guardiani et fratrum humiliter supplicatum, ut eis providere super praedictis tam ex debito iustitiae quam etiam de apostolica clementia dignaremur.

Nos igitur huiusmodi processu praefati officialis et aliis, quae tam ex parte dictorum fratrum quam etiam pro parte officialis, rectorum, capel-

[1] Reg. Vat. t. 83, ep. 1107, apud *Wadd.* l. c. n. 71. Cfr. infra n. 718*a*.

lanorum et vicariorum praedictorum coram nobis et fratribus nostris proposita et allegata fuerunt, auditis et etiam intellectis, quia comperimus eumdem processum perperam factum per officialem eumdem, ipsum, et quidquid sequutum fuit ex eo vel ob eum, de fratrum nostrorum praedictorum consilio auctoritate apostolica revocamus, cassamus, irritamus et nullius fore decernimus firmitatis. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, X kalendas februarii, anno undecimo.

644. Monasterio Clarissarum de Clarenthal duas parochias, unam per archiepiscopum Maguntin., alteram per archiepiscopum Treviren. incorporari iubet. [1]

1327, februarii 2, Avinione.

Ven. fratri .. archiepiscopo Maguntin.

Pia vota personarum humilium *etc.* Porrectae siquidem nobis pro parte dil. in Christo filiarum Alheydis abbatissae et sororum monasterii in Clarendal prope oppidum Wyssebahdin [2] ordinis s. Clarae tuae dioec. petitionis series continebat, quod Ludovicus de Bavaria, dum praedictum oppidum, quod nobilis viri Gerlaci comitis Nassawiae, eiusdem abbatissae fratris, esse dicitur, obsidet, per eius exercitum aedificia, segetes, res curiarum, molendinorum et domorum omnium dicti monasterii quasi totaliter destruxit et etiam devastavit, ita quod abbatissa et sorores praefatas monasterium ipsum exire et alibi aliquandiu morari oportuit, dictaque aedificia vix vel nunquam reaedificari et reformari poterunt de ipsius monasterii facultatibus sine adiutorio plurium aliorum, et quod pluribus aliis de causis et casibus infortunii dictae abbatissa et sorores in dicto monasterio paupertates et penurias sustinent infinitas nec valent de ipsius monasterii facultatibus commode sustentari; quare pro parte ipsarum nobis extitit humiliter supplicatum, ut, ne dictum monasterium maximis oneribus pereat praegravatum et ut personae in eodem monasterio pro tempore degentes melius sustentari valeant, parochialem ecclesiam in Erbinheim dictae tuae dioecesis, cuius ius patronatus ad dictum monasterium ex donatione seu collatione dicti comitis pertinet, pleno iure incorporare et annectere de benignitate apostolica dignaremur. Quia vero de praemissis notitiam non habemus, gerentes quoque de tuae circumspectionis industria fiduciam in Domino specialem ipsarumque abbatissae et sororum supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, si tempore donationis seu collationis huiusmodi ad dictum comitem ius patronatus in praefata parochiali ecclesia ut praefertur pertinebat, ecclesiam ipsam cum omnibus iuribus et pertinentiis suis eidem monasterio auctoritate nostra incorpores, unias et annectas *etc.* Dat. Avinione, IV nonas februarii, anno undecimo.

Ven. fratri .. archiepiscopo Treveren.

Pia vota personarum humilium *etc. usque:* quare pro parte ipsarum nobis extitit humiliter supplicatum, ut, ne dictum monasterium, quod a clarae memoriae Adolpho rege Romanorum, praedictorum abbatissae et comitis [Gerlaci] patre, ut dicta abbatissa asserit, in proprio solo suo constructum et dotatum existit, maximis oneribus pereat praegravatum ..., parochialem ecclesiam in Wizele tuae dioecesis, cuius iuspatronatus ad dictum monasterium ex donatione seu collatione nobilis viri Adolphi ducis Bavariae ac Rheni comitis palatini, filii quondam Mechtildis ducissae Bavariae, [3] dictae abbatissae sororis, quam praefatus Ludovicus de Bavaria usque ad eiusdem ducissae obitum extitit cum inimicitia, saevitia et odio, quibus poterat, persecutus, pertinet, pleno iure incorporare et annectere de benignitate apostolica dignaremur. Quia vero *etc.* quatenus, si tempore donationis et collationis huiusmodi ad dictum Adolphum ducem ius patronatus in praefata ecclesia ut praefertur pertinebat, *etc. ut supra.* Dat. Avinione, IV nonas februarii, anno undecimo.

645. Angelam filiam Betti magistri Venturae de Diruta dioec. Perusin. in monasterio Montis Christi dioec. Tudertin. ord. s. Clarae recipi iubet. [4]

1327, februarii 18, Avinione.

Dilectis filiis .. abbati monasterii sancti Petri Perusini et .. Spoletanae ac .. saecularis sancti Ioannis de Marsiano Perusinae dioecesis ecclesiarum prioribus.

Cupientibus vitam ducere regularem apostolicum debet adesse praesidium, ut eorum pium propositum possint in laudem divini nominis adimplere. Cum itaque dilecta in Christo filia Angela nata dilecti filii Betti magistri Venturae de Diruta, puella litterata Perusinae dioecesis, cupiat, sicut asserit, una cum dilectis in Christo filiabus .. abbatissa et conventu monasterii Montis Christi Tudertini ordinis sanctae Clarae sub regulari habitu virtutum Domino famulari: nos eius pium in hac parte propositum in Domino commendantes sibique volentes, ut illud implere valeat, favorem apostolicum exhibere, discretioni vestrae per apo-

[1] Reg. Vat. t. 83, ep. 1404, t. 84, ep. 2039.
[2] *Wissbaden*, cfr. supra n. 6.
[3] Coniugis quondam Rudolfi I ducis Bavariae, in ipso monasterio Clarendalen. sepultae, benefactricis fratrum Minorum in Heidelberg; cfr. *Wadd.* l. c. ad a. 1320 n. 9.
[4] Reg. Vat. t. 83, f. 184, ep. 1470.

stolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum eandem Angelam .... in dicto monasterio recipi faciatis in monacham et sororem *etc.* Datum Avinione, XII kal. martii, anno undecimo.

646. Mandat episcopis infranominatis, ut fratres Praed., Min., Erem. s. Aug. ad observandum interdictum, cui Bartholomaeus archiepiscopus Tranen. castrum de Barolo supposuit, compellant. [1]

1327, februarii 22, Avinione.

Venerabilibus fratribus .. Botontino et .. Tricaricensi ac .. Asculano [2] *episcopis.*

Querelam venerabilis fratris nostri Bartholomaei archiepiscopi Tranensis recepimus continentem, quod, licet ipse propter evidentem erga eum et suam Tranensem ecclesiam per clerum et populum castri de Barolo [3] Tranensis dioecesis rebellionem ipsum castrum eiusque salubria et continentia aedificia supposuisset exigente iustitia ecclesiastico interdicto, ac idem interdictum eisdem clero et populo ac religiosis quorumcunque ordinum (exemptis et non exemptis) loca, oratoria seu ecclesias inibi habentibus publicari et notificari fecisset: tamen Praedicatorum, Minorum et Heremitarum sancti Augustini ordinum fratres in dicto castro degentes, spreto interdicto praedicto, in suis oratoriis et ecclesiis divina officia celebrare (immo quantum in eis est prophanare) praesumunt in ecclesiae Tranensis et archiepiscopi praefatorum opprobrium graveque dispendium, animarum suarum periculum et scandalum plurimorum. Quare dictus archiepiscopus nobis humiliter supplicavit, ut providere sibi et dictae suae ecclesiae super hoc paterna sollicitudine dignaremur. Nos igitur, volentes praemissis periculis et scandalis obviare, fraternitati vestrae, quae de praemissis notitiam habere poterit pleniorem, per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, de praemissis omnibus et singulis (simpliciter, summarie et de plano) curetis vos diligentius informare et, si ita esse repereritis, eosdem fratres, quod praedictum interdictum observent, auctoritate nostra appellatione remota per censuram ecclesiasticam compellatis, non obstantibus *etc.* Datum Avinione, VIII kalendas martii, anno undecimo.

647. Indulget, quod Franciscus de Area clericus dioec. Vicentin. ingrediatur ordinem s. Ben., non obstante, quod olim fuerit frater Minor. [4]

1327, februarii 26, Avinione.

Dilecto filio Francisco de Area clerico Vicentinae dioecesis.

Personam tuam apud nos de probitatis meritis fidedigno testimonio commendatam sincera prosequentes in Domino caritate, illa tibi libenter concedimus, quae animae tuae saluti tuoque statui fore credimus opportuna. Petitio siquidem pro parte tua nobis exhibita continebat, quod tu olim in minori constitutus aetate fuisti ordinem fratrum Minorum ingressus, et cum ex certis causis non placeret tibi amicisque tuis, quod in eodem ordine permaneres, id maiores et alii fratres dicti ordinis ipsorum conventus, cum quibus degebas tunc temporis, advertentes, te, tunc legitimae ad hoc aetatis tuae tempore non completo, ad faciendam professionem in eodem ordine induxerunt, tuque ad inductionem ipsorum, antequam dictum tempus legitimum attingeres, professionem huiusmodi (non animo in dicto ordine remanendi, sed ad vitandum, quod inde tunc oriri potuisset, scandalum) emisisti, quodque tu post professionem huiusmodi ut praefertur emissam (et antequam constitutio felicis recordationis Bonifatii papae VIII praedecessoris nostri emanaret, in qua inter alia continetur, quod eo ipso, quod quis est in aetate legitima constitutus ac per annum in huiusmodi permanserit ordine, professionem fecisse intelligitur in eodem) per aliqua tempora, etiam postquam legitimam ad hoc aetatem exegeras, in dicto ordine remansisti, nulla solemni professione alia per te facta, ac tu postmodum propterea seu adhuc etiam existimans, te professionem aliquam non fecisse, dictum ordinem exivisti et postea tam in litterarum quam aliis clericalibus et honestis studiis es honeste ac continue conversatus et adhuc etiam conversaris, in nullo te reputans nexu dictae professionis astrictum et, si forsan astrictus existeres, non credis redire posse salubriter ad ordinem praelibatum. Quare pro parte tua nobis extitit humiliter supplicatum, ut providere tibi et tuo statui super hiis misericorditer dignaremur. Nos igitur volentes tecum misericorditer agere in hac parte, huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi, ut praemissis et quacumque alia constitutione in contrarium edita nequaquam obstantibus ordinem sancti Benedicti licite ingredi et in eo libere remanere valeas, auctoritate praesentium plenam et liberam concedimus facultatem. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, IV kalendas martii, anno undecimo.

648. Concedit conservatores ad observandam a religiosis Mendicantibus constitutionem *Super cathedram.* [5]

1327, februarii 28, Avinione.

Ven. fratribus .. Valven. et .. Aprutin. episco-

[1] Reg. Vat. t. 82, f. 364, ep. 931.
[2] *Bitonto, Tricarico, Ascoli Puglia.*
[3] *Barletta* in dioec. Tranen. (*Trani*).
[4] Reg. Vat. t. 83, f. 81, ep. 1202.
[5] Reg. Vat. t. 83, ep. 1039, apud *Wadd.* l. c. ad a. 1326 suppl. n. 1.

pis ac dil. filio priori s. Mariae de Civitella Theatin. dioec.

Frequentes hactenus immo innumerosae quodammodo de diversis mundi partibus venerabilium fratrum nostrorum episcoporum aliorumque superiorum praelatorum nec non dilectorum filiorum rectorum, curatorum et parochialium sacerdotum querelae contra dilectos fratres Praedicatorum et Minorum ordinum nostrum et sedis apostolicae excitarunt auditum et clamorosis insinuationibus excitare et fatigare non cessant, quod iidem fratres decretalem dudum editam a fel. record. Bonifatio papa VIII praedecessore nostro, quae incipit: *Super Cathedram,* ac per piae memoriae Clementem papam V praedecessorem nostrum in Viennensi concilio innovatam, temere observare non curant, sed ipsam transgredi non timent in eiusdem sedis contemptum, animarum suarum periculum et eorumdem et ecclesiarum parochialium gravamen. Intelleximus quoque, quod plerumque praefatis dictorum Praedicatorum et Minorum necnon Eremitarum sancti Augustini et Carmelitarum ordinum fratribus (a cuius ordinis dictorum Eremitarum personis idem praedecessor Bonifatius constitutionum praedictam, in qua tantum de ipsis Praedicatorum et Minorum cavebatur ordinibus, per omnia voluit integraliter et inconcusse servari, et ad quem praedictorum Carmelitarum fratrum ordinem nos subsequenter constitutionem eamdem quoad omnia in eis contenta duximus extendendum) a praedictis episcopis, praelatis, rectoribus, curatis et sacerdotibus contra tenorem constitutionis praedictae graves iniuriae ac molestiae in diversis partibus inferuntur.

Nuper pro parte venerabilis fratris nostri episcopi Theatin. et dilectorum filiorum capitulorum maioris Theatin. et aliarum ecclesiarum civ. et dioec. Theatin. necnon praelatorum conventuum, priorum, rectorum, curatorum, sacerdotum et vicariorum parochialium ac clericorum tam regularium quam saecularium civitatis et dioecesis praedictarum nobis extitit intimatum, quod praedicti eorumdem Praedicatorum, Minorum, Eremitarum et Carmelitarum ordinum fratres contra tenorem decretalis eiusdem multa eisdem et eorum singulis gravamina et iniurias inferunt et iacturas. Quia igitur parum esset iura condere, nisi, qui eadem tueatur, existat: nos volentes de fratrum nostrorum consilio decretalem praedictam *Super Cathedram* irrefragabiliter observari, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos seu alium vel alios, etiamsi sint extra loca, in quibus estis conservatores seu iudices deputati, tam eisdem episcopo, capitulis, prioribus, conventibus, rectoribus, curatis, sacerdotibus, vicariis ac clero civitatis et dioecesis praedictarum et eorum cuilibet adversus praedictos, quam e converso eisdem fratribus adversus episcopum, capitula, praelatos, priores, conventus, rectores, sacerdotes, vicarios ac clerum praefatos et singulos eorum efficacibus defensionibus praesidio assistentes ac facientes decretalem praedictam quoad omnia eius capitula, prout iacent, firmiter observari, non permittatis contra tenorem ipsius per memoratos fratres dictorum ordinum eisdem episcopo, capitulis, praelatis, prioribus, conventibus, rectoribus, curatis, sacerdotibus, vicariis, ac clero vel alicui seu aliquibus eorumdem, nec etiam per praedictos episcopum, capitula, praelatos, conventus, rectores, curatos, sacerdotes, vicarios ac clerum seu aliquem vel aliquos ipsorum eisdem fratribus gravamina ac iniurias irrogari: facturi ipsis hinc inde de quibuscumque iniuriis, molestationibus, gravaminibus et damnis vicissim illatis hactenus et etiam imposterum inferendis eisdem contra tenorem constitutionis eiusdem (in illis videlicet, quae iudicialem requirunt indaginem, summarie, simpliciter, et de plano, sine strepitu et figura iudicii; in aliis vero, prout qualitas ipsorum exigit) iustitiae complementum, molestatores maiores et minores huiusmodi necnon contradictores quoslibet et rebelles, quandocunque et quotiescunque expedierit, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Non obstantibus *etc.*

Ceterum iudicibus seu conservatoribus quibuscunque per litteras apostolicas sub quacunque alia quam praesenti verborum forma vel expressione confectas eisdem Praedicatorum, Minorum, Eremitarum et Carmelitarum ordinum fratribus seu ipsis ordinibus communiter vel divisim super damnis et iniuriis et aliis quibuscunque rebus seu negotiis alias deputatis et subdelegatis eorum, praesentibus et futuris, auctoritate praesentium districtius inhibemus, ne aliquem seu aliquos auctoritate litterarum ipsarum praetextu seu occasione quorumcunque damnorum vel iniuriarum seu gravaminum contra tenorem praedictae constitutionis *Super Cathedram* ipsis fratribus seu eorum ordinibus antedictis communiter vel divisim a quibuscunque personis illatorum hactenus et etiam inferendorum in posterum coram se alicubi deinceps ad iudicium vel alias quomodolibet vocare seu in causam aliquatenus trahere praesumant: inhibitionem huiusmodi non solum ad futura sed etiam ad quovis modo adhuc pendentia et iam coepta negotia volentes extendi ac decernentes praefatas litteras et processus earum auctoritate quomodocunque habitos et habendos ad damna, gravamina et iniurias huiusmodi, contra tenorem praedictae constitutionis illata et inferenda (ut dictum est) deinceps aliquatenus non extendi, ac etiam irritum et inane, si secus super praemissis per quoscunque scienter vel igno-

ranter contigerit attentari; vobis nihilominus iniungentes, ut inhibitionem nostram huiusmodi ad dictorum iudicum seu conservatorum et subdelegatorum notitiam, de quibus vobis expedire videbitur, deducere procuretis. Insuper volumus et auctoritate apostolica decernimus, quod quilibet vestrum prosequi valeat articulum etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento praepeditus canonico, quodque a data praesentium sit vobis et unicuique vestrum in praemissis omnibus et eorum singulis coeptis et non coeptis, praesentibus et futuris et praeteritis, licitum procedere, ac si praedicta omnia et singula coram vobis coepta fuissent et iurisdictio vestra et cuiuslibet vestrum in praedictis omnibus et singulis per citationem vel modum alium legitimum perpetuata extitisset, constitutione praedicta super conservatoribus et alia qualibet in contrarium edita non obstantibus. Datum Avinione, II kalendas martii, pontif. nostri anno undecimo. [1]

649. Episcopum Ruthenen. inquirere iubet de quodam loco olim fratrum de Sacco, quem Clarissae de Amiliano sibi concedi petunt. [2]

1327, martii 1, Avinione.

Venerabili fratri .. episcopo Ruthenensi.

Petitio dilectarum in Christo filiarum .. abbatissae et conventus monasterii de Amiliano [3] ordinis sanctae Clarae tuae dioecesis nobis exhibita continebat, quod ipsae, olim propter inundationes cuiusdam fluvii eis vicini submersionis periculum saepius formidantes, gravissima ipsius fluvii inundatione ultimo occurrente eas deserere necessario propterea oportuit locum monasterii supradicti. Quare pro parte ipsarum nobis fuit humiliter supplicatum, ut locum quondam fratrum ordinis de Sacco, alias dicti de Poenitentia, in loco praedicto de Amiliano situatum et a multis annis desertum, qui nonnisi unicam tantum domum et modicum spatium habet, ex eo quod multa alia olim ad domum ipsam pertinentia alienata seu distracta fuerunt in tales praesertim personas, a quibus per ipsas sine magna pecunia seu recompensatione alia recuperari non possent, et quae eiusdem ordinis de Poenitentia ultra sexaginta et dicti monasterii loca praefata ultra quadringentas libras Turonensium parvorum communi aestimatione non valent (prout nonnulli venerabiles fratres nostri episcopi et dilecti filii monasteriorum abbates nec non barones ac communitates illarum partium in eorum patentibus litteris nobis directis se super praemissis per fidedignas personas esse asserunt informatos), eisdem abbatissae et conventui concedere, et quod praedictum earum locum ad habitandum pro religiosis vel aliis propter inundationes praefatas inutilem vendere et alienare ac pretium eius in reparationem ipsius loci secundi convertere licite possent, auctoritate apostolica de speciali gratia (earum in hac parte necessitatibus occurrendo) misericorditer dignaremur. Nos itaque de praemissis notitiam non habentes, fraternitati tuae, qui de hiis habere poteris notitiam pleniorem, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus

[1] In e. m. die 22 febr. 1327 pro archiepiscopo, capitulo, clero Burdegalen. (l. c. ep. 1039ª); 22 maii 1327 pro archiepiscopo Neapolitan. (t. 84, ep. 2251); 4 iulii 1327 pro monachis de Savinhiaco dioec. Lugdun. (l. c. ep. 2216); 11 maii 1338 pro abbate et mon. Fuxen. ac de Villalonga (Appam. et Carcasson. dioec.) et praeposito eccl. Tholosan. (t. 87, ep. 2565); 30 oct. 1328 pro sacrista eccl. Auxitan. et rectore eccl. paroch. s. Iohannis Comitalis dioec. Auxitan. (t. 89, ep. 235); 6 nov. 1328 pro archiepiscopo, capitulo, clero Lugdunen. (l. c. ep. 261); 28 nov. 1328 pro rectoribus eccl. civ. et dioec. Colonien. (l. c. ep. 475); 1 mart. 1329 pro rectoribus eccl. civ. et dioec. Cracovien. (t. 90, ep. 1372); 20 maii 1329 pro capitulo eccl. Regen. (t. 91, ep. 2587); 11 sept. 1329 pro priore prioratus s. Iacobi villae de Murello dioec. Tholosan. (t. 96, ep. 3432); 6 febr. 1330 pro capitulo eccl. maj. ac rectoribus eccl. civ. et dioec. Florentin. (t. 96, ep. 3433); 20 febr. 1330 pro capitulo eccl. Perusin. (l. c. ep. 3435); 22 dec. 1330 pro episcopis Imolen., Ariminen., Bononien. eorumque clero (t. 99, ep. 1274; t. 100, epp. 365 et 376); 21 ian. 1331 pro episcopo Paderbornen. eiusque clero (t. 100, ep. 360); 22 feb. 1331 pro episcopo ac clero Mirapiscen. (t. 98, ep. 647); 15 mart. 1331 pro Ioanne de Pratis canonico eccl. Anicien. et abbate s. Petri de Turre in eadem eccl. (t. 100, ep. 364); 14 maii 1331 pro Petro episcopo Praenestin. ut archidiacono Xativae in eccl. Valentin. (t. 100, ep. 370): 29 iunii 1331 pro priore mon. s. Petri Anicien. et aliis prioribus ac rectoribus eccl. dioec. Anicien. (t. 100, ep. 378); 11 iulii 1331 pro episcopo et clero Vauren. (t. 100, ep. 379); 4 sept. 1331 pro rectoribus eccl. dioec. Barchinonen. (t. 100, ep. 383); 7 ian. 1332 pro rectore eccl. de Artesio dioec. Aquen. (t. 103, ep. 1248); 7 mart. 1332 pro sacrista eccl. Valentin. ac rectoribus eccl. Valentin. (t. 103, ep. 1251); 25 maii 1332 pro rectoribus eccl. Ferrarien. (t. 103, ep. 1269); 3 apr. 1332 pro capitulo eccl. Cracovien. et rectoribus aliarum eccl. civ. et dioec. Cracovien. (t. 101, ep. 758); 28 apr. 1332 pro clero civ. et dioec. Viterbien. (t. 101, ep. 888); 1 maii 1332 pro capitulo Vapincen. (t. 103, ep. 1254); 23 maii 1332 pro praeposito, decanis, rectoribus eccl. civ. et dioec. Bremen. (t. 103, ep. 1260); 26 sept. 1332 pro episcopo, capitulo, clero Lubicen. et Swerinen. (t. 104, epp. 1211 et 1212); 4 mart. 1333 pro praeposito et capitulo eccl. Nemausen. (t. 105, ep. 1023); 15 mart. 1333 pro priore et capitulo eccl. s. Flaviani de Monteflasconis (l. c. ep. 1024); 30 apr. 1333 pro rectore eccl. s. Mariae de villa Castellionis dioec. Gerunden. (l. c. ep. 1026); 31 aug. 1333 pro rectoribus eccl. civ. et dioec. Ilerden. (l. c. ep. 1037); 12 oct. 1333 pro rectoribus eccl. civ. et dioec. Laudunen. (t. 107, ep. 742); 9 nov. 1333 pro clero civ. et dioec. Pragen. (l. c. ep. 743); 9 dec. 1333 pro plebanis eccl. civ. et dioec. Magdeburgen. (t. 106, ep. 191); 13 dec. 1333 pro episcopo, capitulo, clero Anconitan. (l. c. ep. 214); 12 ian. 1334 pro rectoribus eccl. dioec. Tholosan. (t. 107, ep. 748); 24 apr. 1334 pro capitulo et clero civ. ac dioec. Asculan. (l. c. ep. 754); 16 iunii 1334 pro capitulo eccl. s. Michaelis castri novi de Arrio dioec. s. Papuli (l. c. ep. 756); 24 iunii 1334 pro decano et capitulo eccl. Brugen. dioec. Tornacen. (l. c. ep. 755); 3 iulii 1334 pro rectore eccl. s. Quintini de Nussia dioec. Colonien. (t. 106, ep. 806).

[2] Reg. Vat. t. 33, f. 31, ep. 1073; cfr. infra n. 663.

[3] *Amilly* in custodia Ruthenen. (*Rodez*) prov. Aquitaniae.

de valore et conditione dictorum locorum ac necessitate, quam super hiis habere praetendunt abbatissa et conventus praefatae, aliisque praedictorum circumstantiis plenarie te informans, quidquid per informationem huiusmodi inveneris, nobis per tuas litteras harum seriem continentes quantocius intimare procures, ut per huiusmodi tuam informationem instructi, quid super praemissis ordinare et facere expediat, consultius valeamus. Datum Avinione, kalendis martii, anno undecimo.

650. Nicolao de Regio ministro provinciae Calabriae ord. Min. concedit facultatem capiendi Fraticellos eumque rescribere iubet, ubi eos punire magis iuvabit. [1]

1327, martii 7, Avinione.

[Dil. filio] Nicolao de Regio de ordine fratrum Minorum provinciae Calabriae ministro.

Perducto nuper ad nostri apostolatus auditum, quod nonnulli profani viri, qui Fraticelli de paupere vita vulgariter nuncupantur, quorum sectam, ritum et statum ex illorum detestatione damnatos dudum publico et notorio nostrae constitutionis edicto cassavimus, de Siciliae insula in provincia Calabriae iam obrepunt non sine horrendo et timendo contagio christifidelium dictae provinciae inibi habitantes: nos cupientes morbo huiusmodi actore Domino salubriter obviare ac gerentes de tuae circumspectionis industria fiduciam in Domino specialem, discretioni tuae auctoritate nostra capiendi et arrestandi seu detinendi captivos (per te vel alium seu alios) Fraticellos eosdem, quos in dicta provincia reperiri contigerit, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, invocato ad id, si opus extiterit, auxilii brachii saecularis, non obstante *etc.*, plenam et liberam hac vice concedimus tenore praesentium facultatem. Dat. Avinione, nonis martii, [anno undecimo].

Eidem. Perducto nuper *etc.* Verum quia de personis et conditionibus Fraticellorum ipsorum notitiam in ipsis partibus habere poteris pleniorem, discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus, quid expediat potius, eos videlicet in eisdem puniri partibus aut istis, tam de hiis quam de ipsorum Fraticellorum nominibus et cognominibus ac in quibus locis eos arrestari et detineri contigerit, studeas nos per tuas litteras quantocius reddere certiores: sciturus, quod tam carissimo in Christo filio nostro Roberto regi Siciliae illustri quam dilectis filiis nobilibus praelibatae provinciae, quod tibi super praemissis assistant, dirigimus litteras opportunas. [2] Dat. Avinione, nonis martii, anno undecimo.

651. Ministrum generalem ord. Min. quosdam libros ad thesaurum ecclesiae Rom. in sacristia fratrum Min. Assisien. olim asservatum quidem pertinentes, dudum vero subtractos, restituere iubet. [3]

1327, martii 15, Avinione.

Dilecto filio Michaeli ordinis Minorum generali ministro.

Nuper ad notitiam nostram fidedigna relatione perducto, quod thesauro Romanae ecclesiae dudum subtracto apud Assisium plura volumina bibliae, quae fuerunt fel. record. Bonifatii papae VIII praedecessoris nostri, aliique libri et res pariter ad dilectos filios fratres ordinis tui in eadem civitate Assisii ac in Fabriano et locis degentes aliis pervenerunt, discretionem tuam rogamus et hortamur attente, per apostolica scripta tibi nihilominus iniungentes, quatinus dilectis filiis .. rectori et .. thesaurario ducatus Spoletani nostrae camerae nomine studeas per te vel alium seu alios volumina, libros et res huiusmodi quantocius integraliter assignare. Super quo, quicquid faciendum duxeris, nobis per tuas litteras rescribere non omittas. Datum Avinione, idibus martii, anno undecimo.

652. Ministro provinciae Aragoniae ord. Min. mandat, ut liberet fr. Guillelmum Morelli e carcere, in quo detinetur. [4]

1327, martii 21, Avinione.

Dilecto filio .. ministro ordinis fratrum Minorum in provincia Aragoniae.

Gravem pro parte dilecti filii Guillelmi Morelli fratris tui ordinis de te querimoniam percepimus continentem, quod tu pridem eundem Guillelmum pro eo, quod ipse quaedam specialia nobis per suas litteras nuntiavit, quae fuerunt postmodum in consistorio propalata, contra eum odii rancore concepto, quamvis propter illa ob reverentiam apostolicae sedis et nostram non debuisset gravari ab aliquo vel offendi, nihilominus tamen (non obstante, quod ipse ad nos et ad eandem sedem a te viva voce duxerit appellandum) ipsum in nostrum et ipsius sedis contemptum ac suppressionem veritatis eorum, quae nobis per dictas litteras intimarat, Barchinonae carcerali gravi custodiae mancipasti; ex quibus profecto, si vera sint, tanto contra te non sine vehementi admiratione animosius provocamur, quanto ea in nostrum et ipsius sedis contemptum redundare irreverentius contemplamur. Quocirca discretioni tuae in virtute sanctae obedientiae per apostolica scripta mandamus, quatenus eundem

[1] Reg. Vat. t. 114, p. II, f. 57, ep. 950, et f. 60, ep. 967.
[2] Quae in registro l. c. n. 968 proxime sequuntur.
[3] Reg. Vat. t. 114, f. 68, ep. 427.
[4] Reg. Vat. t. 83, f. 96, ep. 1239.

Guillelmum, si ex causa praemissa de mandato tuo captus sive detentus existat, absque tarditatis obstaculo a carcere liberes et pristinae restituas libertati; quodsi forsan eum ex quavis alia causa detineas arrestatum, volumus, quod illam nobis quantocius intimare procures, ut opportune possimus providere, ne ob detentionem ipsius diutinam inchoatis negotiis ullum proveniat detrimentum. Datum Avinione, XII kalendas aprilis, anno undecimo.

653. Eundem ministrum a gravaminibus et persecutionibus quorundam sui ordinis fratrum desistere iubet. [1]

1327, martii 21, Avinione.

Dilecto filio .. ministro ordinis fratrum Minorum in provincia Aragoniae.

Gravi nuper, quod admiranter referimus, insinuatione percepimus, quod nonnulli fratres tui ordinis in tua provincia constituti et maxime in custodia Barchinonae ex eo, quod contra quosdam, qui in fidei catholicae puritatem deliquerant, coram dilectis filiis inquisitoribus pravitatis haereticae in negotio fidei perhibuerunt testimonium veritati, gravibus et diversis tam per te quam per alios ex institutis dicti ordinis decretae tibi provinciae tibi subditos affliguntur ad praesens et per tuum immediatum in commisso tibi ministeriatus officio praedecessorem aliosque tunc sibi subditos fuerunt affecti persecutionibus ac variis gravaminibus et opprobriosis iniuriis sunt offensi hactenus et praesentialiter offenduntur, et quod huiusmodi persecutiones et gravamina ex eo hactenus sunt illata et adhuc inferuntur eisdem, ut ad inveniendam veritatem eorum, in quibus huiusmodi delinquentes commiserant, via penitus praecludatur. Nos igitur praemissa, si veritate nitantur, tanto fortius et abominabilius detestamur, quanto periculosius et damnabilius possent eidem fidei negotio gravia dispendia praeparare, discretioni tuae in virtute sanctae obedientiae per apostolica scripta districte praecipiendo mandamus, quatenus omnia huiusmodi gravamina occasione praemissa quibuscumque fratribus dicti tui ordinis tam per te quam dictum praedecessorem tuum quam alios quoscunque tibi vel eidem praedecessori tuo subditos hactenus illata cum effectu revoces et deinceps ab inferendis omnino desistas et alios praedictos subditos iubeas et facias desistere cum effectu, talem in his [te habiturus] sicque promptam obedientiam impensurus, quod deinceps contra te non supersit materia conquerendi nec oporteat per sedem apostolicam de alio contra te super hoc opportuno remedio provideri. Datum Avinione, XII kalendas aprilis, anno undecimo.

654. Michaelem Monachi ord. Min., inquisitorem haer. prav., quosdam de haeresi suspectos Ioanni de Prato ord. Praed., inquisitori haer. prav., restituere iubet. [2]

1327, martii 21, Avinione.

Michaeli Monachi de ordine fratrum Minorum, inquisitori haereticae pravitatis in partibus Provinciae auctoritate apostolica deputato. [3]

Ex insinuatione dilecti filii Iohannis de Prato ordinis fratrum Praedicatorum, inquisitoris haereticae pravitatis in partibus Carcassonen. auctoritate apostolica deputati, nuper accepimus, quod Petrus Trentanelli Bitterrensis dioecesis de crimine haeresis olim Carcassonae in sermone publico condempnatus et muro carcerali, quem fregisse temerariis ausibus postmodum et inde aufugisse dicitur, deputatus, necnon et Andrea eiusdem Petri filia, de crimine huiusmodi vehementer suspecta et etiam fugitiva, tuis mancipati carceribus detinentur. Cum autem negotio fidei expediat, quod praefati Petrus et Andrea, ut de aliis per ipsos ut fertur infectis ipsorumque fautoribus in eis partibus possit haberi certitudo plenior, inquisitori restituantur praedicto, nos, qui negotium huiusmodi ubique cupimus cooperante Domino prosperari, praefati inquisitoris in hac parte supplicationibus inclinati, discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatinus eidem inquisitori vel eius certo nuncio praedictos Petrum Trentanelli et Andream filiam eius restituere cessante difficultatis obstaculo non postponas. Datum Avinione, XII kalendas aprilis, anno undecimo.

655. Guilelmum Astre ord. Min., inquisitorem haer. prav., eidem Ioanni de Prato transumptum confessionis per quendam haereticum factae transmittere iubet. [4]

1327, martii 21, Avinione.

Guilelmo Astre ordinis fratrum Minorum, inquisitori haereticae pravitatis in partibus Provinciae auctoritate apostolica deputato.

Dilecti filii Iohannis de Prato ordinis fratrum Praedicatorum, inquisitoris haereticae pravitatis in partibus Carcassonen. auctoritate apostolica deputati, supplicationibus inclinati discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatinus transsumptum confessionis coram te factae per quondam Bernardum Martini presbyterum Narbonensem, olim sicut accepimus in eisdem partibus super crimine haeresis convictum et ad cruces deferendas publice

[1] Reg. Vat. t. 83, f. 96, ep. 1240.
[2] Reg. Vat. t. 114, f. 74, ep. 469.
[3] Cfr. supra n. 293 et infra n. 713.
[4] Reg. Vat. t. 114, f. 75 ep. 470. Cfr. infra n. 684.

condempnatum ac postea relapsum et etiam fugitivum, qui per te nuper apud sedem apostolicam de mandato nostro super hiis procedente relictus extitit exigente iustitia curiae saeculari, eidem inquisitori vel eius certo nuncio sub manu publica, ut per illam informari de fautoribus et complicibus dicti haeretici plenius valeat, cessante difficultatis obstaculo studeas assignare. Datum Avinione, XII kalendas aprilis, anno undecimo.

656. Committit episcopo Cabilonen., ut concedat Margaritae dominae de s. Cruce dioec. Lugdun. facultatem fundandi unum monasterium ord. s. Clarae. [1]

1327, martii 23, Avinione.

Venerabili fratri episcopo Cabilonen.

Piis desideriis devotorum gratum nos decet praestare consensum *etc.* Sane dilectae in Christo filiae nobilis mulieris Margaritae, dominae de sancta Cruce Lugdunen. dioec., petitio nobis exhibita continebat, quod ipsa .... pro suae ac progenitorum et successorum suorum animarum salute in fundo proprio sui patrimonii, videlicet in loco vocato « sancta Maria de Cabilone », in civitate Cabilonen. [2] monasterium sororum ordinis sanctae Clarae proponit de bonis propriis construi facere et dotare cum officinis necessariis iuxta suarum exigentiam facultatum. Quare praefata nobilis nobis humiliter supplicavit, ut sibi faciendi praemissa, et quod ipsa, postquam huiusmodi monasterium fundatum fuerit et dotatum, posset prima vice honestas sorores et idoneas in dicto monasterio deputare iuxta facultates assignandas eidem, includendas in eo iuxta dicti ordinis instituta, faceremus auctoritate apostolica licentiam liberam elargiri, et praefici eidem monasterio in abbatissam personam idoneam, quam dicta nobilis duceret nominandam.

Nos igitur piis votis eiusdem nobilis in hac parte favorabiliter annuere intendentes, gerentes quoque de tuae circumspectionis industria in his et aliis fiduciam in Domino specialem, fraternitati tuae per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus eidem nobili, dote sufficienti per eam prius eidem construendo monasterio assignata pro abbatissae et sororum instituendarum inibi sustentatione ac aliis omnibus supportandis, faciendi praemissa postulata per eam auctoritate apostolica licentiam largiaris, sine iuris praeiudicio alieni, et praeficias hac vice dumtaxat dicto monasterio, postquam constructum fuerit et dotatum, in abbatissam personam idoneam, quam eadem fundatrix tibi duxerit nominandam, faciens personam eamdem iuxta intituta benedici praedicta et sibi a suis subditis obediri humiliter et intendi, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, non obstante *etc.* Dat. Avinione, X kal. aprilis, anno undecimo.

657. Concedit Conrado de Criswitz ord. Min. licentiam se transferendi ad ord. s. Ben. [3]

1327, martii 29, Avinione.

Dilecto filio Conrado de Criswitz ordinis fratrum Minorum professori.

Inducunt nos religionis zelus et alia virtutum merita, super quibus te multipliciter commendari percepimus, ut in hiis, quae animae tuae saluti et personae tuae statui congruunt, salubriter consulamus. Ex tenore siquidem tuae petitionis nobis exhibitae nuper accepimus, quod tu olim ordinem fratrum Minorum, quem professus extiteras et in eo per longum tempus, quantum tibi ministrabat Dominus, fueras laudabiliter conversatus: cum ex pluribus certis causis in eadem petitione per te nobis expositis non posses in ordine praedicto, ut volebas, cum secura conscientia Domino famulari, a superiore tuo transeundi ad alium ordinem licentiam humiliter postulasti, causas ei quasdam super huiusmodi tibi danda licentia praetendendo; cumque idem superior hoc tibi concedere denegasset, tu nulla super hoc obtenta licentia, sed solum propria auctoritate, non tamen apostatandi animo, dictum ordinem exivisti et deinde ad apostolicam sedem veniens nobis humiliter supplicasti, ut tibi, ne tamquam ovis devia periculis exposita diutius evagares, in hac parte benigne consulere et de opportuno providere remedio misericorditer dignaremur. Nos igitur praedictis causis in dicta tua petitione contentis diligenter attentis, volentes votis tuis annuere misericorditer in hac parte, huiusmodi tuis supplicationibus inclinati, tibi, qui a dilecto filio Ioanne Taurini poenitentiario nostro ab excommunicationis sententia, quam propterea incurristi, auctoritate nostra fuisti absolutus, praemissis omnibus non obstantibus ad sancti Benedicti ordinem, in quo ad tuae animae salutem valeas Altissimo uberius famulari, liberam transeundi licentiam auctoritate praesentium elargimur. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, IV kalendas aprilis, anno undecimo.

658. Committit archiepiscopo Acheruntin., ut concedat Aquilinae de monte Solicola, dominae castri Gentiani,

---

[1] Reg. Vat. t. 83, ep. 1276; apud *Wadd.* l. c. n. 72. Vide infra ad 1 mart. 1331.

[2] *Châlons sur Saône* in cust. Lugdunensi prov. Burgundiae.

[3] Reg. Vat. t. 83, f. 131, ep. 1324.

licentiam ponendi in monasterio per ipsam fundato certum numerum monialium Clarissarum et fratrum Minorum. [1]

1327, aprilis 14, Avinione.

Venerabili fratri archiepiscopo Acheruntin.

Piis desideriis devotorum *etc.* Sane pro parte dilectae in Christo filiae nobilis mulieris Aquilinae de Montesolicola, dominae castri Gentiani tuae dioecesis, petitio continebat nobis exhibita, quod ipsa spiritu caritatis accensa quoddam monasterium cum oratorio in eodem castro in fundo proprio sub vocabulo sanctae Mariae Annunciatae de bonis propriis construi fecit, et in hoc tuum praestitisti consensum (iura archiepiscopalia tibi et successoribus tuis archiepiscopis Acheruntinis, qui erunt pro tempore, in dicto monasterio specialiter reservando), et quod dictum monasterium de bonis propriis competenter dotavit et vult in eo ponere moniales ordinis sanctae Clarae numero octo, servantes regulam ordinatam per fel. record. Innocentium papam IV praedecessorem nostrum, quae sancti Damiani ab aliquibus nuncupantur, et duos fratres Minores, qui earum confessiones audiant et eisdem monialibus divina celebrent in oratorio monasterii memorati, quibus necessaria de bonis eisdem ministrentur, cum sint sufficientia ad vitam fratrum et monialium praedictarum; et praefatae moniales per ministrum provincialem ordinis fratrum Minorum visitentur et corrigantur, prout est in aliis monasteriis similibus consuetum, iure quocumque debito ab aliis monasteriis, in quibus observatur eadem regula sanctae Clarae, dioecesano eorum tibi et successoribus tuis praedictis in eodem tantummodo reservato. Quare pro parte dictae nobilis nobis fuit humiliter supplicatum, ut sibi, quod moniales in eodem monasterio creandae et moraturae ordinari valeant, servantes dictam regulam sanctae Clarae, et quod privilegia libertatum et immunitatum dicto ordini sanctae Clarae a praedecessoribus nostris Romanis pontificibus concessa habeant, prout aliis monasteriis similibus est indultum, auctoritate apostolica concedere dignaremur. Nos igitur piis votis eiusdem nobilis clementer annuere intendentes ac gerentes de tuae probitatis industria in his et aliis fiduciam in Domino specialem, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, si est ita, tu, iuribus episcopalibus, quae competunt episcopis in aliis monasteriis monialium eiusdem ordinis sanctae Clarae, contentus existens, pro parte dictae nobilis postulata apostolica eidem auctoritate concedas et eidem monasterio auctoritate praedicta indulgeas, quod ipsum monasterium et personae degentes in eo nunc et imposterum semper gaudeant omnibus exemptionibus, privilegiis, libertatibus et immunitatibus, quibus alia monasteria sororum dicti ordinis sanctae Clarae perfrui dignoscuntur. Datum Avinione, XVIII kalendas maii, anno undecimo. [2]

659. Mandat guardiano fratrum Min. de Cuneo, ut fratrem Petrum de Rochaforti mittat ad curiam Romanam. [3]

1327, aprilis 17, Avinione.

[Dil. filio] .. guardiano fratrum Minorum de Cuneo [4] *Astensis dioecesis.*

Cum per dilectos filios Petrum Alrici archidiaconum Bononiensem et Arnaldum de Roseto canonicum Astensem, apostolicae sedis nuncios, vel alterum eorumdem mandatum alias tibi fuerit, sicut accepimus, et iniunctum, quod Petrum de Rochaforti ordinis Minorum ad nostram praesentiam destinares, idemque Petrus, te praemissa differente complere, fuerit nuper de mandato dilecti filii ministri et custodis fratrum praedicti ordinis earum partium in domo tui conventus, ut asseritur, carceri mancipatus: nos certis ex causis volentes, quod praedictus Petrus ad nostram praesentiam adducatur (quadam constitutione, quam dilectus filius .. minister generalis eiusdem ordinis, quod quicumque frater ordinis praelibati ad curiam Romanam sine sui vel provincialis licentia venerit, per procuratorem generalem praefati ordinis carceri mancipetur, fecisse dicitur, seu quacunque alia non obstante), discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus eundem Petrum ad eamdem destinare praesentiam non postponas, nos de causis, propter quas carceri praedictus Petrus extitit deputatus, redditurus nihilominus certiores. Datum Avinione, XV kalendas maii, [anno undecimo].

660. Concedit fratribus Minoribus castri de Casinis facultatem se transferendi ad alium locum (infra ipsum castrum). [5]

1327, aprilis 20, Avinione.

Dilectis filiis guardiano et conventui ordinis Minorum castri de Casinis [6] *Aquen. dioecesis.*

Ad ea, quae vestrae tranquillitatis et pacis augmentum respiciunt, sollicitis studiis attendentes, ex certis causis, quae ad id animum nostrum induxerunt, quod locum castri de Casinis Aquen. dioec., in quo nunc degitis, dimittere ac infra castrum ipsum alium locum, sine parochialis eccle-

[1] Reg. Vat. t. 83, ep. 1434, apud *Wadd.* l. c. n. 75.

[2] Aliis litteris eadem die datis summus pontifex ipsi dominae Aquilinae concedit plenariam peccatorum remissionem in articulo mortis a confessore sibi impertiendam. L. c. ep. 1434.a

[3] Reg. Vat. t. 114, f. 37, ep. 218.

[4] *Cuneo* in custodia Albingana prov. Ianuen.

[5] Reg. Vat. t. 83, ep. 1456, apud *Wadd.* l. c. n. 74.

[6] *Cassine,* tum in custodia Montisferrati prov. Ianuen.

siae et cuiuslibet alterius iuris praeiudicio alieni, recipere valeatis (fel. rec. Bonifatii papae VIII praedecessoris nostri et qualibet alia constitutione contraria non obstante), plenam et specialem auctoritate apostolica vobis licentiam impartimur. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, XII kalendas maii, anno undecimo.

661. Mandat officiali Massilien., quod fr. Bernardum Fusterii ord. Min., qui a civ. Maioricensi ad curiam Rom. deducendus Massiliae applicuit, ad ipsam curiam caute adduci faciat. [1]

1327, aprilis 21, Avinione.

[Dil. filio] .. officiali Massiliensi.

Cum dilecti filii Raymundus Basseti domicellus, familiaris venerabilis fratris nostri Guidonis episcopi Maioricensis, et Guillelmus Columbi, civis Maioricensis, Bernardum Fusterii de ordine fratrum Minorum super certis delatum criminibus ad sedem apostolicam de mandato praedicti episcopi adducentes apud Massiliam ut accepimus applicuerint: volumus et discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatinus praedictum Bernardum Fusterii ab eisdem Raymundo et Guillelmo recipiens et custodiens diligenter ipsum ad dictam sedem prudenter et caute adducere sub secura et fida custodia quantocius non postponas. Datum Avinione, XI kalendas maii, [anno undecimo].

662. Committit priori Praed. et guardiano Min. fratrum de Montepessulano, ut inquirant de iis, quae contra Berengarium priorem prioratus de Fabricis ord. can. s. Aug. dioec. Magalonen. a priorissa aliisque monialibus mon. s. Mariae de Rippa eiusd. ord. et dioec. proposita sunt. [2]

1327, aprilis 24, Avinione.

Dil. filiis .. priori Praed. et .. guardiano Min. fratrum ordinum de Montepessulano [3] *Magalonen. dioec.*

Ad compescendos ausus scelestos *etc.* Dat. Avinione, VIII kal. maii, anno undecimo.

663. Clarissis de Amiliano concedit facultatem se transferendi ad illum locum intra villam de Amiliano, quae olim fuit fratrum Saccorum sive de Poenitentia. [4]

1327, maii 1, Avinione.

Ad perpetuam rei memoriam.

Quia personas religiosas eo maiori prosequi favore debemus, quo devotiori placere Domino student famulatu, libenter eis illa sollicitudine paterna concedimus, per quae ipsarum religio laudabile suscipere valeat auctore Domino incrementum. Sane oblata nobis pro parte dilectarum filiarum abbatissae et conventus monasterii de Amiliano ordinis sanctae Clarae Ruthenen. dioec. petitio continebat, quod *etc. ut supra* (*m. m.*) *n. 649.*

Nos itaque, de valore et conditione dictorum locorum ac necessitate earum et aliis supradictis plenius informati, huiusmodi periculis, quantum cum Deo possumus, occurrere earumdemque abbatissae et conventus necessitatibus benigne in hac parte providere volentes, ipsarum supplicationibus inclinati, locum praefatum dicti ordinis quondam de Poenitentia cum eius oratorio, coemeterio, domibus, officinis, horto ac omnibus bonis, iuribus et pertinentiis suis eisdem abbatissae et conventui auctoritate praedicta in perpetuum de speciali gratia concedimus ac donamus, transferendi quoque se ex nunc ad dictum locum de Poenitentia et apprehendendi auctoritate propria possessionem corporalem ipsius et degendi perpetuis futuris temporibus in eodem, et dictum primum locum earum cum eius iuribus et pertinentiis vendendi et alienandi ac pretium, quod eas ex ipso priori loco continget recipere, in reparationem et utilitatem praefati alterius secundi loci licite convertendi (fel. rec. Bonifatii papae VIII praedecessoris nostri et quacumque alia constitutione contraria non obstante), exhumandi etiam cum honestate debita de dicti primi loci coemeterio ossa et corpora defunctorum ibi sepultorum eaque ad dicti secundi loci coemeterium transferendi inibi tumulanda, eidem abbatissae et conventui tenore praesentium plenam et liberam licentiam impartimur: ecclesia tamen seu oratorio ac coemeterio dicti loci prioris cum decem cannis terrae quadratis ab eadem ecclesia seu oratorio vel coemeterio mensurandis dumtaxat exceptis, quam quidem ecclesiam seu oratorium cum coemeterio ac decem cannis terrae [quadratis] prioratui ecclesiae de Amiliano ordinis sancti Benedicti dictae dioec., in cuius parochia praedictus prior locus situatus esse dignoscitur, auctoritate eadem in perpetuum tenore praesentium concedimus, connectimus et unimus; volentes, quod prior prioratus eiusdem possit corporalem possessionem dictorum ecclesiae seu oratorii et coemeterii cum cannis praedictis per se vel alium seu alios post translationem huiusmodi auctoritate propria libere apprehendere et licite retinere, cuiusquam licentia minime requisita: ita tamen, quod ipse prior, qui est et erit pro tempore, dicti prioratus huiusmodi ecclesiam seu oratorium ac coemeterium dicti loci prioris manutenere decenter ac singulis diebus dominicis et festivis praecipuis in eadem ecclesia seu oratorio dicti loci prioris per sacerdotem idoneum

[1] Reg. Vat. t. 114, f. 75, ep. 471; cfr. supra n. 639.
[2] Reg. Vat. t. 83, ep. 1767; cfr. 1813.
[3] *Montpellier* in custodia cognomini prov. Provinciae.
[4] Reg. Vat. t. 83, ep. 1719, apud *Wadd.* l. c. n. 76.

missam celebrari facere perpetuo teneatur, ad quorum observantiam per ordinarium loci volumus priorem, qui est et erit pro tempore, prioratus praedicti, si opus fuerit, per censuram ecclesiasticam, appellatione cessante, praefata auctoritate compelli *etc.* Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, kalendis maii, anno undecimo.

664. Lucae de Castello ord. Min. administrationem ecclesiae Cuman. committit. [1]

1327, maii 25, Avinione.

Lucae de Castello de ordine fratrum Minorum, administratori ecclesiae Cuman. in spiritualibus et temporalibus auctoritate apostolica deputato.

Dudum de statu ecclesiae Cumanae [2] sollicite cogitantes et intendentes, cum eam primo vacare contingeret, talem eidem personam praefici per apostolicae sedis providentiam circumspectam, quae posset eidem praeesse utiliter ecclesiae et prodesse, ipsius provisionem ecclesiae dispositioni nostrae et sedis eiusdem ea vice duximus specialiter reservandam, decernentes irritum et inane, si secus per quoscunque scienter vel ignoranter super his contingeret attentari. Sane cum eadem ecclesia per obitum bonae memoriae Leonis [3] episcopi Cuman. vacet ad praesens et diu vacaverit nullusque praeter nos possit seu potuerit de provisione ipsius ecclesiae se hac vice intromittere, obstantibus reservatione et decreto praedictis, [4] nos praecavere dictae ecclesiae indemnitati cupientes et de tuae circumspectionis industria plenam in Domino fiduciam obtinentes, te administratorem ipsius ecclesiae in spiritualibus et temporalibus auctoritate apostolica usque ad nostrum et apostolicae sedis beneplacitum deputamus, et faciendi, ordinandi, mandandi, gerendi, exercendi, exequendi omnia et singula, quae ad huiusmodi administrationis officium pertinere noscuntur, alienatione bonorum immobilium eiusdem ecclesiae tibi penitus interdicta, nec non contradictores et rebelles quoslibet per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendi, plenam et liberam tibi concedimus tenore praesentium facultatem. Datum Avinione, VIII kal. iunii, anno undecimo.

665. Concedit guardiano fratrum Min. Xanctonen. facultatem absolvendi Radulfum comitem Augi super eo, quod votum de liminibus s. Iacobi visitandis infra tempus certum non complevit, prorogato ei ad id faciendum termino usque ad biennium. [5]

1327, maii 31, Avinione.

Dil. filio .. guardiano fratrum ord. Minorum Xanctonen.

Dilecti filii nobilis viri Radulfi comitis Augi *etc.* Dat. Avinione, II kal. iunii, anno undecimo.

666. Committit Ioanni s. Theodori diac. card. et apost. sedis legato, ut concedat fratribus Min. licentiam recipiendi locum in castro de Montevarchio dioec. Faesulan. [6]

1327, iunii 6, Avinione.

Dilecto filio Ioanni sancti Theodori diacono cardinali, apostolicae sedis legato.

Tua et dilecti filii magnifici viri Caroli, carissimi in Christo filii nostri Roberti regis Siciliae illustris primogeniti, ducis Calabriae, supplex habet instantia per litteras nobis facta, ut dilectis filiis communi castri de Montevarchi [7] Faesulanae dioec. auctoritate nostra aedificandi de novo eorum sumptibus et expensis in territorio eiusdem castri ad divinum cultum locum fratribus ordinis Minorum, qui pro tempore inibi degerent, deputandum, dioecesani reservato super hoc beneplacito et assensu, facultatem plenariam benigne concedere dignaremur. Nos autem huiusmodi supplicationibus inclinati ac gerentes in his et aliis de tuae circumspectionis industria plenam in Domino fiduciam specialem, discretioni tuae per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus (habilitate praedicti loci, et an religiosi alii dicti vel alterius ordinis propinqui vel remoti existant, et aliis, quae circa haec attendenda fuerint, diligenter attentis) facias super his, quod secundum Deum videris expedire. Datum Avinione, VIII idus iunii, anno undecimo.

667. Michaelem ministrum generalem ord. Min. Avinionem ad curiam Rom. venire iubet. [8]

1327, iunii 8, Avinione.

Michaeli ministro generali ordinis Minorum.

Cum pro certis negotiis ordinem tuum contingentibus tua sit nobis praesentia opportuna, discretioni tuae in virtute sanctae obedientiae per apostolica scripta mandamus, quatenus infra unius mensis spatium a die praesentationis praesentium

---

[1] Reg. Vat. t. 114, epp. 206-208 al. 224-226 (cfr. p. II f. 127); apud *Wadd.* l. c. n. 77. Cfr. infra n. 745.

[2] *Como* in Italia superiore.

[3] Cognom. « Lambertenghi » ord. Min., qui a. 1293 promotus die 10 iulii 1325 obiit.

[4] Nihilominus a capitulo ecclesiae Cuman. Valerianus Rusca (fautor Ludovici Bavari) in suum electus est episcopum, qui tamen postmodum cedere debebat.

[5] Reg. Vat. t. 84, ep. 2155.

[6] Reg. Vat. t. 84, ep. 2582, apud *Wadd.* l. c. n. 78.

[7] *Montevarchi* (inter Florentiam et Aretium), qui quidem locus in « provinciali » ord. Min. non invenitur. Cfr. tamen *Wadd.* l. c. ad a. 1327 n. 17.

[8] Reg. Vat. t. 114, ep. 4, cfr. ep. 3, apud *Wadd.* l. c. ad a. 1327 n. 7. — Has litteras summus pontifex suo in Urbe vicario, Angelo episcopo Viterbien., misit tradendas ipsi ministro gene-

computandum te nostro conspectui studeas praesentare. Datum Avinione, VI idus iunii, anno undecimo.

668. Revocat officium inquisitionis fratribus Praed. in Sclavonia et Bosnia ab ipso concessum, utpote iam antea fratribus Min. commissum. [1]

1327, iulii 1, Avinione.

Dilectis filiis priori provinciali, ac universis fratribus ordinis Praedicatorum in regno Ungariae et provincia Sclavoniae constitutis.

Querelam dilecti filii Fabiani ordinis Minorum fratrum, inquisitoris haereticae pravitatis in provincia Sclavoniae et principatu Bosnen. auctoritate apostolica specialiter deputati, recepimus continentem, quod, licet fel. record. Nicolaus papa IV per suas litteras speciales fratribus dicti ordinis Minorum in dicto principatu Bosnen. officium inquisitionis pravitatis praedictae duxerit committendum, prout in dictis litteris plenius continetur, ac deinde piae memoriae Bonifatius papa VIII praedecessor noster dilecto filio ministro provinciali ordinis fratrum Minorum in administratione provinciae Sclavoniae commiserit et praecipiendo mandaverit per suas litteras speciales, ut de consilio aliquorum fratrum dicti ordinis eligeret duos de fratribus dicti ordinis Minorum suae administrationis idoneos ad huiusmodi officium exequendum, qui in partibus Serviae, Rassiae, Dalmatiae, Croatiae, Bosnae atque Istriae et in archiepiscopatibus Duracen., Antibaren., Ragusin., Spalaten. et Iadren. et dioecesibus suis dictae provinciae Sclavoniae inquisitionis officium super labe praedicta debeant exercere, et a longis temporibus citra fratres dicti ordinis Minorum eiusdem provinciae exercuerunt huiusmodi inquisitionis officium in partibus memoratis iuxta formam eis ab apostolica sede concessam, nullusque alicuius alterius religionis in eisdem partibus huiusmodi inquisitionis officium hactenus consueverit exercere: tamen dilectus filius Matthias de Zagrabia ordinis fratrum Praedicatorum, nulla de praedictis litteris seu privilegiis huiusmodi super inquisitionis officio dictis fratribus ordinis Minorum a sede praefata concessis habita mentione, per suppressionem veritatis huiusmodi quasdam litteras ad te, fili prior, a nobis impetravit, per quas tibi duximus committendum, quod aliquos de fratribus dicti ordinis Praedicatorum eligas, qui in regno Hungariae inquisitionis officium praedictae pravitatis exerceant et valeant exercere crucemque contra omnes Transilvanos, Bosnenses et Sclavonicos, qui haeretici fuerint, in praedicto regno Hungariae praedicent et valeant praedicare; ac insuper per alias nostras litteras carissimo in Christo filio nostro Carolo Hungariae regi illustri ac venerabilibus fratribus nostris Strigonien. et Colocen. archiepiscopis eorumque suffraganeis et aliis ecclesiarum praelatis in regno Hungariae constitutis necnon comiti Salomoni de Brasso et nonnullis aliis nobilibus Hungariae et Sclavoniae dedimus in mandatis, quod eisdem inquisitoribus ordinis fratrum Praedicatorum in hiis auxilium, consilium et favorem impendant. Cum itaque nostrae intentionis non fuerit nec existat, inquisitionis officium labis praedictae, per sedem eandem dudum concessum eisdem fratribus ordinis Minorum in partibus supradictis, dictis fratribus ordinis Praedicatorum committere vel per litteras nostras praedictis inquisitoribus dicti ordinis Minorum super dicto officio in praefatis provinciis seu partibus in aliquo derogare: ne dictarum litterarum nostrarum praetextu dictum officium, quod absit, valeat impediri, tibi ac universis et singulis fratribus ordinis vestri praedictae inquisitionis officium in dictis provinciis seu partibus, quae in dictis privilegiis seu litteris apostolicis dictis fratribus Minoribus concessis specialiter exprimuntur, interdicimus exercendum, vobis auctoritate apostolica districtius inhibentes, ne de praedicto officio in provinciis et partibus supradictis, in dictis privilegiis seu litteris dictorum fratrum Minorum expressis, vos intromittere praesumatis; quinimmo quoad provincias et partes praedictas praefatas litteras nostras super dicto officio tibi, praefate prior, vel aliis quibuscumque directas revocamus, cassamus et irritamus et nullius existere decernimus firmitatis. Datum Avinione, kalendis iulii, anno undecimo.

669. Monet Carolum regem Hungariae, quod Fabianum ord. Min., inquisitorem haer. prav. in Sclavonia et Bosnia, in exequendo isto officio manuteneat et defendat. [2]

1327, iulii 1, Avinione.

Carissimo in Christo filio Carolo Hungariae regi illustri.

In illis, fili carissime, quae ad exaltationem

rali, qui tunc temporis in Urbe commorabatur. Ex quo tempore constitutio *Ad conditorem canonum* data est (cfr. supra n. 486), raro Michaelis ministri generalis ord. Min. fit mentio. Is a. 1325 tempore Pentecostis Lugduni capitulum generale celebravit ibique praecepit, ut nemo fratrum Minorum de sancta Romana ecclesia, de summo pontifice ipso, de eius circa paupertatis controversiam sententia disputando censeret nisi cum debita moderatione ac reverentia. Morem quoque gessit summi pontificis consiliis, eo quod aliquos ministros provinciales dubiae in re paupertatis famae loco amovit. Ipse tamen minister generalis magis magisque suspectus erat summo pontifici duabus ex rebus, nempe dubius videbatur in causa paupertatis atque in causa inter Ludovicum Bavarum et Ioannem XXII agitata. Quare ab ipso summo pontifice ad sedem apostolicam se conferre iussus est. Cfr. infra nn. 687 et 701.

[1] Reg. Vat. t. 82, ep. 31, de curia, apud *Wadd.* ad a. 1326 n. 4. Cfr. huius op, t. IV, p. 238 et 474.

[2] Reg. Vat. t. 82, ep. 32 de curia, *Wadd.* ad a. 1326 n. 5.

catholicae fidei et exterminationem haereticae pravitatis respiciunt, celsitudinem tuam eo libentius salubriusque requirimus, quo experientia certa didicimus, quod tu, velut gloriosus athleta Domini intrepidusque pugil ecclesiae ac orthodoxae religionis zelator assiduus, ad exterminandum labem pravitatis eiusdem de regni tui finibus et conterendum inimicos crucis et fidei vota tua semper feliciter direxisti. Sane querelam dilecti filii Fabiani ordinis fratrum Minorum, inquisitoris haereticae pravitatis in provincia Sclavoniae et principatu Bosnen. *etc. ut supra n. 668 usque ad* decernimus firmitatis. Quocirca serenitatem regiam rogamus, monemus et hortamur in Domino, in remissionem peccaminum tibi nihilominus iniungentes, quatenus (non obstantibus praedictis litteris, quas praefatus Matthias ad celsitudinem regiam et alios praenominatos super praemissis ut praedicitur impetravit) dictum Fabianum in eiusdem inquisitionis officio in regno tuo et aliis provinciis, quae in privilegiis apostolicis fratribus dicti ordinis Minorum concessis specialiter exprimuntur, pro divina et apostolicae sedis reverentia atque nostra manuteneas et defendas, et aliis fratribus dicti ordinis Minorum ad dictum officium deputatis vel in posterum deputandis in his et aliis consilium et auxilium ac favorem taliter impendas, quod ipsi praedictum officium tute exequi valeant labemque praedictam de dictis regnis et provinciis profugare, tuque proinde a divina clementia praemium aeternae retributionis et a nobis gratiarum consequi valeas uberes actiones. Datum Avinione, kalendis iulii, anno undecimo.

In e. m. venerabilibus fratribus Strigonien. et Colocen. archiepiscopis et suffraganeis et aliis ecclesiarum praelatis in regno Hungariae ac provincia Sclavoniae constitutis.

670. Regratiatur Carolo regi Hungariae, quod fr. Fabianum aliosque fratres Min., quibus officium inquisitionis in Sclavonia et Bosnia commissum est, benigne recepit. [1]

1327, augusti 12, Avinione.

Carissimo in Christo filio Carolo regi Hungariae illustri.

Dudum, filii carissime, ad audientiam apostolatus nostri fide digna relatione deducto, quod *etc. ut supra n. 578:* celsitudinem tuam per litteras nostras rogandam et exhortandam duximus in eodem Domino Iesu Christo *etc. etc.* Cum itaque, sicut eiusdem Fabiani inquisitoris relatione didicimus, serenitatis tuae grata sinceritas eumdem ob eiusdem sedis reverentiam atque nostram gratiose excepit et benigne in iis, quae fidei favorem respiciunt, pertractavit, celsitudini tuae super his gratis affectibus gratiarum referimus actiones, magnitudinem regiam iterato rogantes, ut eidem Fabiano et aliis inquisitoribus supradictis auctoritate apostolica in illis partibus deputatis et in posterum deputandis in omnibus, quae eiusdem fidei promotionem respiciunt, et favorem praestes auxilii et consilii tui opem, prout tam favorabili pioque negotio videris expedire: ita quod inquisitores praedicti regii favoris fulti praesidio huiusmodi inquisitionis officium contra respersos labe praedicta ad laudem Dei et pro salute fidelium in decretis sibi provinciis securius et efficacius valeant exercere. Datum Avinione, II idus augusti, anno undecimo.

671. Praeficit Landulfum Caracciolo ord. Min. ecclesiae Stabien. in episcopum. [2]

1327, augusti 21, Avinione.

Dilecto filio Landulpho Carazulo electo Stabien.

Militanti ecclesiae *etc.* Dudum siquidem bo. mem. Petro episcopo Stabien. regimini Stabien. [3] ecclesiae praesidente, nos .... provisionem faciendam eidem ecclesiae de pastore .... dispositioni nostrae et sedis apostolicae ea vice duximus specialiter reservandam *etc.* Postmodum vero dicta ecclesia per obitum eiusdem Petri, qui dudum in partibus illis viam fuit universae carnis ingressus, pastoris solatio destituta: nos volentes eidem Stabien. ecclesiae .... paterna sollicitudine praecavere, post deliberationem, quam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum in te ordinis fratrum Minorum ordinem ipsum expresse professum et in sacerdotio constitutum, sacrae theologiae magistrum, virum utique morum et vitae honestate decorum, in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum aliorumque virtutum titulis, prout testimonio fide dignorum accepimus, insignitum, direximus oculos nostrae mentis. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, intendentes tam dictae Stabien. ecclesiae quam dominico gregi eiusdem salubriter et utiliter providere, de persona tua, nobis dictisque fratribus ob exigentiam tuorum meritorum accepta, eidem Stabien. ecclesiae de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus teque ipsi ecclesiae in episcopum praeficimus et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo *etc.* Datum Avinione, XII kal. septembris, anno undecimo. [4]

[1] Reg. Vat. t. 82, ep. 34 de curia, *Wadd.* ad a. 1326 n. 8.

[2] Reg. Vat. t. 84, ep. 2934, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 61, ubi tamen perperam scriptum est « Carallulo » pro « Carazulo » et « Scabien. » pro « Stabien. »

[3] *Castellamare* prope Neapolim.

[4] In e. m. capitulo et vassallis eccl. Stabien., clero ac populo civ. et dioec. Stabien., archiepiscopo Surrentin., Roberto regi Siciliae. Die 23 ian. 1328 iste Landulfus a summo pontifice obti-

672. Concedit indulgentias visitantibus capellam in hon. s. Ludovici episcopi in ecclesia fratrum Min. Barchinonen. constructam. [1]

1327, augusti 31, Avinione.

Universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis.

Perennis vitae gloria *etc.* Cum itaque venerabilis frater noster Ioannes [2] archiepiscopus Toletanus quandam capellam in honorem beati Ludovici episcopi et confessoris, avunculi sui, in ecclesia fratrum ordinis Minorum Barchinonen. per eumdem sanctum consecrata construi fecerit: nos cupientes, ut erga dictam capellam fidelium devotio augeatur et ad eam fideles Christi spiritualibus allecti muneribus in iubilo mentis frequenter accedant, dona divinae gratiae percepturi, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui in festo eiusdem beati Ludovici: centum, eis vero, qui infra ipsius festivitatis octavas ad dictam capellam devote accesserint annuatim, quadraginta dies de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus. Datum Avinione, II kal. septembris, anno undecimo.

673. Concedit Raymundo Guilelmi ord. Min. licentiam se transferendi ad ord. s. Ben. et quidem ad mon. s. Eugendi Iuren. dioec. Lugdunen. [3]

1327, augusti 31, Avinione.

Dilecto filio Raymundo Guillelmi ordinis fratrum Minorum.

Oblata nobis tuae petitionis series continebat, quod tu ex certis rationabilibus causis per te nobis expositis ad monasterium sancti Eugendi Iurensis ordinis sancti Benedicti Lugdunensis dioecesis, ubi sancta viget religio ac bene tenetur et floret regularis observantiae disciplina, de ordine fratrum Minorum, quem professus fuisti et permansisti diutius in eodem, desideras te transferre. Nos igitur, tuis supplicationibus inclinati, ut de dicto ordine fratrum Minorum ad praefatum monasterium sancti Eugendi Iurensis cum omnibus libris tuis, emptis de eleemosynis tibi a parentibus propriis seu amicis et devotis tuis pia liberalitate collatis seu concessis, libere valeas te transferre (cuiuscumque superioris tui eiusdem ordinis Minorum licentia non petita) ibique in scientia theologiae, in qua laudabiliter sicut accepimus profecisti, legendo et docendo te reddere valeas aliis fructuosum (non obstantibus quibuscumque constitutionibus praedecessorum nostrorum Romanorum pontificum in contrarium editis vel privilegiis eidem ordini Minorum ab apostolica sede concessis et quibuslibet aliis statutis et consuetudinibus eiusdem ordinis contrariis, etiam eiusdem sedis confirmatione vallatis), tibi auctoritate praesentium facultatem et specialem licentiam impertimur. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, II kalendas septembris, anno undecimo. [4]

674. Concedit Alberto de Bellovidere ord. Min. licentiam se transferendi ad ord. s. Ben. et quidem ad mon. Saviniacen. dioec. Lugdunen. [5]

1327, augusti 31, Avinione.

Dilecto filio Alberto de Bellovidere ordinis fratrum Minorum

Oblata nobis petitionis tuae series continebat, quod tu ex certis rationabilibus causis per te nobis expositis ad monasterium Saviniacense ordinis sancti Benedicti Lugdunensis dioecesis, ubi *etc. ut supra n. 673 usque* desideras te transferre. Nos igitur ...., ut ad praefatum monasterium Saviniacense cum omnibus libris tuis ... valeas te transferre, cuiuscumque superioris tui eiusdem ordinis Minorum licentia non petita, non obstantibus *etc.* tibi auctoritate praesentium facultatem et specialem licentiam impertimur. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, II kalendas septembris, anno undecimo. [6]

675. Concedit Nicolao de Butigellis ord. Min. facultatem adeundi curiam Romanam. [7]

1327, septembris 1, Avinione.

Dilecto filio Nicolao de Butigellis de Papia de ordine fratrum Minorum.

Cum ex certis causis rationabilibus velimus ad nostram praesentiam te venturum, ut assumpto collega tui ordinis, de quo tibi videbitur idoneo, absque cuiusvis tui superioris licentia possis hac vice ad eandem praesentiam personaliter te conferre, tibi ac collegae ipsi, quem elegeris, specialem licen-

---

net facultatem recipiendi munus consecrationis a quocumque autistite. Cfr. infra n. 931.

[1] Reg. Vat. t. 84, ep. 2791, apud *Wadd.* l. c. n. 62.

[2] Filius Iacobi regis Aragoniae eiusque uxoris Blancae, sororis s. Ludovici, qui die 17 aug. 1328 fit patriarcha Alexandrinus et administrator eccl. Terraconen. Cfr. supra n. 261 et *Wadd.* l, c. ad a. 1327, n. 21.

[3] Reg. Vat. t. 84, f. 247, ep. 2657. Cfr. supra n. 556.

[4] Aliis litteris eodem die datis summus pontifex priori s. Saturnini Vivarien. dioec., decano Viennen., Raymundo de Chameyraco canonico Salernitan. mandat, ut ipsum Raymundum Guilelmi in supradicto monasterio s. Eugendi recipi faciant (l. c. ep. 2658).

[5] Reg. Vat. t. 84, f. 257, ep. 2683.

[6] Aliis litteris eodem die datis summus pontifex priori sancti Saturnini Vivariensis dioecesis et decano Viennensi ac magistro Raymundo de Chameyraco scriptori litt. apost., canonico Salernitano, mandat, ut ipsum Albertum in praefato monasterio Saviniacensi faciant recipi in monachum et fratrem (l. c. ep. 2684).

[7] Reg. Vat. t. 114, f. 129, n. 1373. Cfr. infra n. 691.

tiam tenore praesentium elargimur. Datum Avivione, XI kalendas octobris, anno duodecimo.

676. Transfert Guillelmum (ex ord. Min.) episcopum Sagonen. ad ecclesiam Tergestin. [1]

1327, septembris 25, Avinione.

Venerabili fratri Guillelmo episcopo Tergestin.

Romani Pontificis *etc.* Dudum siquidem ecclesia Tergestin. per obitum bon. mem. Rodulphi episcopi Tergestin., qui debitum in ipsis partibus naturae persolvit, pastoris solatio destituta, duas in ea electiones, unam videlicet de dilectis filiis Iusto archidiacono Tergestin. et aliam de Guidone de Villalta canonico Aquilegien., per dilectos filios capitulum eiusdem ecclesiae contigit in discordia celebrari: ac inter eosdem archidiaconum et canonicum super ipsis electionibus coram venerabili fratre nostro patriarcha Aquilegien., loci metropolitano, auctoritate metropolitica materia quaestionis exorta et negotio huiusmodi post nonnullos processus coram eodem patriarcha in illo habitos per appellationem dicti Iusti ad sedem apostolicam legitime devoluto, ipsoque negotio coram nobis exposito, nos causam appellationis huiusmodi et negotii principalis bonae memoriae Berengario episcopo Portuen. primo et, eo sublato de medio, Petro tituli sancti Stephani in Coelio monte presbytero, tunc viventibus, et postea dilectis filiis nostris Ioanni sancti Theodori ac demum Galhardo sanctae Luciae in Silice diaconis cardinalibus ex certis causis duximus committendam. Coram quibus successive praefato archidiacono dictum negotium prosequente, in contumaciam eiusdem canonici, qui pro ipsius negotii prosecutione ad dictam sedem personaliter venire vel [procuratorem] mittere iuxta iuris exigentiam non curavit, diversi processus habiti extiterunt. Interim autem coram dicto Ioanne pendente negotio antedicto, volentes dictam ecclesiam a dispendiis, quae incurreret ex vacatione huiusmodi, praeservare, praefatam ecclesiam bonae memoriae Gregorio Feltren. et Bellunen. episcopo ex causa legitima duximus committendam usque ad beneplacitum dictae sedis, curam et administrationem ipsius plenam et liberam sibi tam in spiritualibus quam in temporalibus committendo; [2] quas cum ipse aliquandiu exercuisset, rebus extitit humanis exemptus, dictusque archidiaconus medio tempore sine licentia nostra de curia Romana recessit, nondum finito negotio memorato.

Nos igitur attendentes, quod tam dictus canonicus pro eo, quod ad dictam sedem non venit nec misit, omni iure, si quod ei par electionem huiusmodi suam competebat, si qua fuerat, eo ipso privatus existit, quam electio praedicta ipsius archidiaconi ex eo, quod ipse sine dicta licentia de curia ipsa recessit huiusmodi negotio non finito, prout superius est expressum, de iure ipso facto est viribus, si quas habebat, penitus vacuata, ac volentes, ne praedicta ecclesia detrimenta ob ulteriorem eius vacationem incurreret, ut sub umbra sui sponsi proprii gubernetur et laetetur, post deliberationem, quam cum fratribus nostris super hoc habuimus diligentem, in te tunc episcopum Sagonen. consideratis virtutum meritis et donis etiam gratiarum, quibus personam tuam divina bonitas, prout testimoniis fide dignis accepimus, insignivit, intentum direximus nostrae mentis, speque concepta in Domino, quod tu, qui ecclesiae Sagonen. diu laudabiliter praefuisti, eamdem ecclesiam Tergestinam utiliter et salubriter gubernabis, te a vinculo, quo eidem ecclesiae Sagonen., cui tunc praeeras, de dictorum fratrum consilio et apostolicae potestatis plenitudine absolventes, te ad dictam ecclesiam Tergestinam de plenitudine et consilio praedictis transferimus teque ipsi praeficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem illius tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus committendo liberamque tibi tribuendo licentiam ad eamdem Tergestinam ecclesiam transeundi *etc.* Datum Avinione, VII kalendas octobris, anno duodecimo. [3]

677. Concedit Petro Moreti ord. Min. facultatem se transferendi ad ord. s. Ben. [4]

1327, septembris 30, Avinione.

[Dil. filio] Fratri Petro Moreti monacho Vabrensi ordinis sancti Benedicti.

Verbum attendentes apostoli, qui cum infirmantibus se asserit infirmari, patientibus humane compatimur et ad concedendum ea sibi, per quae suam ad Dominum custodire fortitudinem valent, piis affectibus inclinamus. Sane nobis exponere curavisti, quod propter debilitates varias et infirmitates proprii corporis, quibus frequentius molestaris, et propter alias etiam rationabiles causas nobis explicitas de ordine fratrum Minorum, quem ab olim fuisti professus, pro maiori tuae personae quiete, et ut commodius obsequium praestare possis Altissimo, ad ordinem sancti Benedicti desideras te transferre. Nos itaque intendentes pii patris more laudabili ad salutem fidelium animarum et provide, ut mentis tuae tranquillitas animaeque profectus

[1] Reg Vat. t. 85, ep. 186, apud *Wadd.* l. c. n. 80. Cfr. supra n. 489.

[2] Die 5 iulii 1324. Cfr. Reg. Vat. t. 77, ep. 1506.

[3] In e. m. capitulo et vassallis ecclesiae Tergestin., clero ac populo civ. et dioec. Tergestin., patriarchae Aquilegen.

[4] Reg. Vat. t. 114, f. 189, ep. 1790.

actore Domino producantur, tuis in hac parte desideriis annuentes, te ad dictum ordinem sancti Benedicti auctoritate apostolica transferentes, ab omni subiectione, iurisdictione, obligatione, iugo et obedientia regulae dicti ordinis fratrum Minorum et omnium praelatorum ipsius auctoritate apostolica prorsus absolvimus et exnunc fore decernimus perpetuo absolutum: praecipientes omnibus et singulis fratribus, praelatis, officialibus et aliis quibuscunque ordinis fratrum Minorum praedicti, ne de te contra absolutionem nostram huiusmodi se aliquatenus intromittant, teque nihilominus auctoritate praedicta instituimus in monachum monasterii Vabrensis [1] eiusdem ordinis sancti Benedicti tibique auctoritate praedicta de monacatu dicti monasterii providemus; dantes venerabili fratri nostro Bertrando [2] episcopo Tusculano tenore praesentium in mandatis, ut ipse tibi habitum eiusdem ordinis sancti Benedicti apud dictam sedem assignet et a te in manibus suis professionem eiusdem ordinis recipiat secundum observantiam ipsius monasterii consuetam, quam etiam in manibus dicti monasterii episcopi, cum ab eo requisitus extiteris, facere nihilominus tenearis; eadem auctoritate praedicta nihilominus decernentes, quod ex praedicta translatione ad dictum ordinem sancti Benedicti, susceptione habitus et professione ipsius nulla te comitetur infamia vel aliquod tibi quoad habere vocem vel locum in capitulo seu quamcumque promotionem tuam vel statum honorabilem aut adeptionem dignitatis (citra tamen episcopalem), infra dictum monasterium vel extra, obstaculum quomodolibet generetur, ac si nunquam fuisses in ordine Minorum praelibato vel in eo professionem aliquam non fecisses: non obstantibus *etc.* Dat. Avinione, II kalendas octobris, anno duodecimo.

678. Margaritae ducissae Bavariae concedit facultatem ingrediendi monasteria Clarissarum. [3]

1327, octobris 11, Avinione.

Dilectae in Christo filiae nobili mulieri Margaretae ducissae Bavariae.

Devotionis tuae *etc.* Dat. Avinione, V idus octobris, anno duodecimo.

679. Concedit Clarissis monasterii de Petraalba ord. s. Clarae a rege et regina Aragoniae nuper fundati, quod possint gaudere privilegiis exemptionis et immunitatis ipsi ordini s. Clarae concessis. [4]

1327, octobris 18, Avinione.

Dilectis in Christo filiabus abbatissae et conventui monasterii s. Mariae de Petra alba ord. s. Clarae Barchinonen. dioc.

Religionis observantia, cui vos, mundanis relegatis illecebris per semitas incedendo virtutum, pro Christi gloria deputastis, nos excitat et inducit, ut ea, quae cum Deo et honeste possumus, vobis favore benevolo concedamus. Ut igitur eo libentius et quietius divinis vacetis operibus, quo spiritualibus fueritis privilegiis eiusdem sedis communitae, carissimorum in Christo filiorum nostrorum Iacobi regis et Elisendis reginae Aragonum illustrium, qui monasterium vestrum de novo fundasse et dotasse dicuntur, ac vestris supplicationibus inclinati, omnia privilegia exemptionis et immunitatis aliis sororibus dicti ordinis concessa ad vos et dictum monasterium extendentes, volumus et auctoritate apostolica decernimus, quod illis uti possitis, ac si in eis de monasterio ipso expressa mentio haberetur. Nulli ergo *etc.* Dat. Avinione, XV kal. novembris, anno duodecimo.

679ᵃ. Eisdem Clarissis concedit plenariam peccatorum remissionem a confessore suo semel in articulo mortis ipsis impertiendam. [5]

1327, octobris 18, Avinione.

Eisdem. Religionis observantia *etc.*, *ut supra n. 379 usque* concedamus, per quae, sicut pie desideratis, conscientiae pacem et salutem animae Deo propitio consequi valeatis. Hinc est, quod nos vestris supplicationibus inclinati, ut confessor seu confessores vestri, quem vel quos duxeritis eligendos, semel in mortis articulo omnium peccatorum, de quibus corde contritae et ore confessae fueritis, eam plenam remissionem, quam Romani pontifices consueverunt interdum per speciale privilegium aliquibus impertiri, vobis et vestrarum cuilibet, quae in eodem monasterio degitis ad praesens, quatenus claves ecclesiae se extendunt et gratum in oculis divinae maiestatis extiterit, auctoritate apostolica concedere valeant, devotioni vestrae tenore praesentium indulgemus: sic tamen, quod idem confessor seu confessores de iis, de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda, eam vobis per vos, si supervixeritis, vel per alios, si tunc foras transie-

[1] *Vabre*, cui praesidebat episcopus ecclesiae Vabren., quae erat regularis, nunc autem unita est cum Rutenensi.

[2] De Turre ex ord. Min. In registro perperam scriptum est « Berengario ». Bertrandi quidem antecessori in sede Tusculana nomen erat Berengarius, sed is iam a. 1323 obierat.

[3] Reg. Vat. t. 85, ep. 359. Ista Margarita erat uxor Henrici XIV ducis Bavariae inferioris atque filia Ioannis regis et Elisabeth reginae Bohemiae, ad cuius preces summus pontifex facultatem supradictam concessit.

[4] Reg. Vat. t. 85, ep. 140, apud *Wadd.* l. c. n. 82. Cfr. supra n. 600.

[5] Reg. Vat. t. 85, ep. 143, *Wadd.* l. c. n. 81.

ritis, faciendam iniungat seu iniungant, quam vos vel illi teneamini facere, ut praefertur. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, XV kalendas novembris, anno duodecimo.

680. Mandat guardiano fratrum Min. Barchinonen., ut ad idem monasterium certis quibusdam festivitatibus mittat quatuor sui ordinis fratres. [1]

1327, octobris 18, Avinione.

Dilecto filio guardiano fratrum ord. Min. Barchinonen.

Attendentes puram et sinceram devotionem carissimorum in Christo filiorum nostrorum Iacobi regis et Elisendis reginae Aragonum illustrium, quam habent ad monasterium monialium sanctae Mariae de Petra-alba ordinis sanctae Clarae Barchinonen. dioec. per eos, ut asseritur, de novo fundatum pariter et dotatum, ac ad augendum ibidem cultum divinum, prout tenemur, intentis desideriis aspirantes: discretionem tuam rogamus, monemus et hortamur attente, tibi nihilominus per apostolica scripta mandantes, quatenus ob divinam ac nostram et ipsorum regis et reginae reverentiam, qui nobis super hoc supplicarunt, et ut divinum officium ibidem solemnius celebretur, in quatuor beatae Mariae ac sancti Francisci et eiusdem sanctae Clarae et aliorum sanctorum, sub quorum vocabulo in ecclesia eiusdem monasterii altaria erecta sunt et erigentur imposterum, festivitatibus quatuor fratres ordinis Minorum ad monasterium praefatum, quod per unam leucam modicam dumtaxat a civitate Barchinonen. distare dicitur, mittere studeas, cum per ipsius monasterii abbatissam, quae erit pro tempore, fueris requisitus. Datum Avinione, XV kalendas novembris, anno duodecimo.

681. Elargitur indulgentias visitantibus ecclesiam ipsius monasterii de Petra alba. [2]

1327, octobris 18, Avinione.

Universis Christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Dum praecelsa meritorum insignia, quibus regina coelorum *etc.* Cupientes igitur, ut ecclesia monasterii sanctae Mariae de Petra-alba ordinis sanctae Clarae Barchinonen. dioecesis, quod per carissimos in Christo filios nostros Iacobum regem et Elisendem reginam Aragonum illustres de novo fundatum dicitur et dotatum, congruis honoribus frequentetur, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui devote eamdem ecclesiam in quatuor ipsius beatae Virginis ac sancti Francisci et eiusdem sanctae Clarae festivitatibus: centum, illis vero qui per octavas dictarum festivitatum ecclesiam ipsam devote annuatim visitaverint, singulis videlicet ipsarum festivitatum et octavarum diebus, quadraginta dies de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus. Datum Avinione, XV kalendas novembris, anno duodecimo.

682. Ludovicum ducem Bavariae et in Rom. regem discorditer electum propter excessus contra sedem apostolicam commissos, inter quos ea, quae contra constitutiones *Cum inter nonnullos* et *Quia quorundam* verbis et scriptis proferebat, non ultimum obtinent locum, omnibus honoribus et dignitatibus ac iuribus exuit. [3]

1327, octobris 23, Avinione.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dudum volentes certis dubiis, quae inter nonnullos viros vertebantur scholasticos, finem dare, de fratrum nostrorum consilio duximus declarandum, quod pertinaciter affirmare, quod redemptori nostro et domino Iesu Christo eiusque apostolis in iis, quae ipsos habuisse scriptura sacra testatur, nequaquam ius utendi seu consumendi competierit, nec illa vendendi seu donandi ius habuerint aut ex ipsis alia acquirendi (quae tamen ipsos de praemissis fecisse scriptura sacra testatur seu ipsos potuisse facere supponit aperte, cum talis assertio ipsorum et usum et gesta evidenter includeret in praemissis non iusta, quod utique de usu, gestis seu factis redemptoris nostri Dei filii sentire nefas est, scripturae sacrae contrarium et doctrinae catholicae inimicum), assertionem ipsam pertinacem de fratrum eorumdem consilio deinceps erroneam fore censendam et haereticam duximus declarandum; ac subsequenter, cum ad notitiam nostram fama publica perduxisset, quod nonnullorum mentes dicebatur pater mendacii adeo excaecasse, quod ausu nefando ac petulantia improba ausi fuerant defendere publice damnatam per constitutionem praedictam haeresim ac etiam approbare, videlicet quod Christus et eius apostoli in iis, quae habuisse leguntur, tantum habuerunt absque iure aliquo sim-

---

[1] Reg. Vat. t. 85, ep. 142, apud *Wadd.* l. c. n. 84.
[2] Reg. Vat. t. 85, ep. 141, apud *Wadd.* l. c. n. 83.
[3] Arch. Vat. Arm. XXXI, 42, f. 75; cfr. *Rayn.* Ann. eccl. ad a. 1327, n. 19. — Mirum paulisper fuerit, quod haec bulla Marsilii Paduani quidem et Ioannis Iandunensis, non vero illorum fratrum Minorum meminit, qui Ludovicum Bavarum, ut bullis *Cum inter nonnullos* et *Ad conditorum canonum* atque ipsi constitutioni *Quia quorundam* se opponeret (cfr. supra n. 554), sunt adhortati. Marsilius et Ioannes illius utique libelli « erroribus pleni ac variis haeresibus non vacui », qui *Defensor pacis* inscribitur, auctores exstiterant, non vero ex ordine Minorum erant neque inter eos, qui de paupertate controvertebant. Res forte eo explicatur, quod illi Minoritae tum sicut hodie parum fuerunt comperti.

plicem usum facti (ex quo, si verum esset, sequeretur, usum Christi fuisse non iustum, quod profecto blasphemiam continet et est catholicae fidei inimicum), cum hoc de pertinaci animositate ac erronea non esset dubium processisse, omnes et singulos, qui verbo et scripto per se vel alium seu alios talia praesumpserant publice, ipsos quoque, qui eos instruxerant in talibus et ut praemissa facerent docuerunt, in damnatam incidisse haeresim ac evitandos fore ut haereticos, de fratrum nostrorum consilio per nostram constitutionem aliam, quae incipit: « Quia quorumdam », duximus declarandos, prout in eisdem constitutionibus plenius continetur.

Sane cum fama publica nec non et insinuatio tam verbalis quam litteralis plurium sublimiumque personarum ad nostrum perduxisset auditum, quod Ludovicus de Bavaria, in discordia dudum in regem Romanorum ut dicebatur electus, velut in reprobum sensum datus, contra praedictam declarationem temere praesumpserat, facta mentione expressa de constitutione praedicta *Cum inter [nonnullos]*, contrarium asserere publice ac in eius praesentia per alios, ut plures in sui erroris devium traheret, facere publicari et, ut sua insania in plurium notitiam perveniret, libellum quendam, sigillo suo in eodem appenso, inter alia multa falsa et erronea praedictam continentem haeresim, videlicet quod Christo et apostolis in rebus, quas habuerant, nullum ius competiit sed tantummodo usus facti (insuper adiecto, quod dicere contrarium haereticum est censendum, prout etiam nos et plures ex fratribus nostris in diversis libellis praedicti Ludovici eius sigillo pendenti sigillatis vidimus contineri), per certos nuntios ad diversas civitates et principes Alamanniae et Italiae et aliarum partium nec non et ad tyrannos et haereticos partium praedictarum curaverat transmittere, libellum ipsum affigi faciens in locis publicis et exponi publice, ut haberet de tanta et tali infamia plures testes, ex quibus evidentius apparebat, ipsum asseruisse pertinaciter esse catholicum, quod dicta constitutio haereticum iudicavit, ac fore haereticum, quod dicta constitutio catholicum declaravit, praecipue cum in eodem affirmaret libello, se credere ea esse vera; et quod insuper cumulans mala malis duos viros nequam, perditionis filios et maledictionis alumnos, quorum unus Marsilium de Padua et alter Iohannem de Ianduno se faciunt nominari, quique ad eundem Ludovicum, quem suis demeritis exigentibus velut haereticorum fautorem et persecutorem sanctae Romanae ecclesiae ac plurium atrocium aliorum excessuum patratorem de fratrum ipsorum consilio privaveramus iure, si quod sibi ex electione praedicta fuerat acquisitum, gressus suos propere dirigentes, sibi librum quendam erroribus plenum ac variis haeresibus non vacuum, [1] sicut multorum fide dignorum catholicorum habebat assertio, praesentarant, quos errores et haereses in terra ipsius Ludovici et in eius praesentia docere saepius praesumpserant publice, sicut habebat insinuatio eorumdem, licet nonnulli viri catholici sacris litteris eruditi eidem Ludovico dicerent, doctrinam illam haereticam ipsosque Marsilium et Iohannem fore veluti haereticos puniendos periculosumque sibi fore, tales ad suam familiaritatem admittere aut in terris suae ditioni subditis sustinere, ipse tamen, non acquiescens eorum salutaribus monitis vel credens illorum haereses, ipsos in suos familiares retinuerat, errores praedictos ac haereses publice dogmatizare permittens; adhuc quod diversis ligatus excommunicationum sententiis in locis interdictis divina faciebat, etiam nonnumquam contra rectorum ecclesiarum et religiosorum voluntatem et beneplacitum, excommunicatis et interdictis praesentibus celebrari, immo quantum in eo erat potius profanari, ex quibus evidenter praesumebatur, immo convincebatur potius, clavium ecclesiae sanctae Dei evidenter contemptor existere ac labe respersus haereticae pravitatis: nos attendentes, quod iuxta doctrinam apostoli peccantes publice sunt publice arguendi ac utilitati publicae expedire, peccata nocentium deduci in publicam notionem, cum ad ipsum non esset tutus accessus, per quem nostra posset ad eum redargutio per nuntios ac litteras pervenire, excessus ipsos multitudini tum astantium fidelium non absque dolore ingenti animi referendos duximus, ut sic saltem ad eius notitiam nostra posset circa excessus ipsos reprehensio pervenire. *Etc. etc.*
Dat. Avinione, X kal. novembris, anno duodecimo.

683. Indulget Elisabethae, reginae Portugalliae, quod iuxta monasterium prope Colimbriam a se constructum condere possit unum hospitale. [2]

1327, octobris 27, Avinione.

Carissimae in Christo filiae Elisabethae Portugalliae illustri. [3]

Ferventis devotionis affectus et fidei puritas, quibus erga Deum et Romanam ecclesiam splendere dignosceris, nos inducunt, ut illa tibi favore benevolo concedamus, per quae, sicut pie desideras, salutem animae Deo propitio consequi merearis. Sane petitio tua nobis exhibita continebat,

---

[1] Cui, ut iam diximus, titulus est: *Defensor pacis.*

[2] Reg. Vat. t. 86, ep. 1700, apud *Wadd.* l. c., ad a. 1327 n. 20. Cfr. supra nn. 401 et 499.

[3] Viduae relictae Dionysii reg. Port., 7 ian. 1325 defuncti; ipsam reginam 4 iulii 1336 obiisse et postmodum sanctorum catalogo adscriptam esse nemo ignorat.

quod tu olim, cupiens terrena in coelestia et transitoria in aeterna felici commercio commutare, ad honorem beatae Clarae virginis quoddam monasterium monialium Ordinis eiusdem sanctae prope civitatem Colimbrien. construi fecisti et de bonis proprii ample dotasti, illudque per magnum et latum spatium muro vallasti atque infra murum et vallum huiusmodi domos, in quibus tu cum tua familia valeas commorari, aedificari mandasti; quodque nihilominus tu quoddam hospitale pro alimentandis pauperibus iuxta domos huiusmodi construere et proprio facultatibus dotare intendis: quare nobis humiliter supplicasti, ut tibi construendi hospitale praedictum in dicto loco licentiam largiremur. Nos itaque huiusmodi tuum laudabile propositum in Domino commendantes ac volentes, quantum cum Deo possumus, votis tuis annuere, in hac parte tuis supplicationibus inclinati, ut praedictum hospitale et iuxta illud cappellam, in qua altaria in honorem beatae Clarae et Elisabethae erigantur ac unus vel duo perpetui cappellani instituantur ibidem Domino servituri, per te et successores tuos loci dioecesano in posterum praesentandi, qui possint pauperibus dicti hospitalis et familiaribus tuis sacramenta ecclesiastica ministrare, construere valeas, dote sufficienti pro praemissis omnibus eisdem hospitali et capellae iuxta eiusdem dioecesani arbitrium per te primitus assignata, devotioni tuae tenore praesentium indulgemus: volentes insuper et auctoritate apostolica nihilominus concedentes, quod idem dioecesanus in loco opportuno coemeterium benedicere possit, in quo praefati hospitalis pauperes et familiares tui praedicti, cum eos pro tempore mori contigerit, valeant sepeliri; iure parochialis ecclesiae et cuiuslibet alterius in omnibus semper salvo. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, VI kalendas novembris, anno duodecimo.

684. Confirmat Guilelmum Astre ord. Min. in officio inquisitionis in comitatu Venaissino etc. prohibetque, ne a superioribus suis absque licentia sedis apost. possit amoveri. [1]

1327, octobris 27, Avinione.

Dilecto filio Guillelmo Astre ordinis fratrum Minorum, inquisitori haereticae pravitatis in Venaysino necnon Provinciae et Forcalquerii comitatibus et civitate Avenionensi omnibusque terris et locis infra Arelaten., Aquen., Ebredunen. et Viennen. provinciarum terminos constitutis auctoritate apostolica deputato.

In inquisitionis officio contra pestem pravitatis haereticae, ad quod fuisti auctoritate apostolica deputatus et ad huiusmodi opus Dominicum exercendum electus per dilectum filium ministrum provincialem ordinis fratrum Minorum in administratione Provinciae, de cuius administratione existis, in Venaysino necnon in Provinciae et Forcalquerii comitatibus et civitate Avenionensi omnibusque terris et locis infra Arelaten., Aquen., Ebredunen. et Viennen. provinciarum terminos constitutis, habentem super hoc a sede apostolica plenariam potestatem, ad Dei gloriam et augmentum fidei sic te laudabiliter gessisse percepimus, quod plurimum utile reputamus, ut eidem officio sollicitudinis et diligentiae tuae partes in praenominatis comitatibus, civitate, terris et locis velut vir expertus et providus debeas adhibere. Licet igitur, sicut accepimus, dilectus filius Michael generalis minister ordinis fratrum Minorum duxerit ordinandum, quod inquisitores pravitatis eiusdem, qui forent auctoritate praedicta ex parte dicti ordinis in provincia Provinciae deputati, non dimitterentur ultra quinquennium in inquisitionis officio praelibato, nos tamen, fervorem tuae devotionis et fidei tuamque diligentiam ad dictum officium attendentes, dilecto filio Petro de Prato dicti ordinis Minorum generali procuratori in Romana curia ordinis memorati mandavimus oraculo vivae vocis tempore provincialis capituli dicti ordinis in dicta provincia Provinciae apud Massiliam proxime celebrati, ut denunciaret ex parte nostra ministro provinciali ac definitoribus dicti capituli, ne tu amoveris ab eodem inquisitionis officio absque nostra licentia speciali, tuque ratione nostri mandati facti ante finem dicti quinquennii eiusque auctoritate suffultus post finitum dictum quinquennium praefatum exercuisti officium, sicut prius. Ut igitur eo tutius possis officium huiusmodi exercere, quo per nos fueris certiori auctoritate munitus, discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus non obstante lapsu dicti quinquennii seu quavis ordinatione vel constitutione generalis ministri praefati dictum officium exerceas, sicut prius, usque ad sedis apostolicae beneplacitum voluntatis. Ac insuper, quamvis dictis generali vel provinciali ministris aut eorum vicariis in provinciis, in quibus habent a sede praedicta eligendi inquisitorem vel inquisitores labis haereticae potestatem, ipsos amovendi vel alium vel alios loco ipsius vel ipsorum substituendi sit ab ipsa sede data potestas, nos tamen in favorem fidei pro eo, quod tuae sollicitudinis studium eiusdem fidei negotio plurimum utile reputamus, amotionem et absolutionem tuam in dicto officio nobis et sedi praedictae tantummodo reservamus. Per hoc tamen non intendimus potestatem tuam exten-

[1] Reg. Vat. t. 86, ep. 1686, apud *Wadd.* l. c. ad a. 1327 n. 5. Cfr. supra n. 655 et infra n. 922, 936, 984.

dere ad locum vel ad loca aliqua, ad quae se non extenderet potestas per dictum ministrum provincialem vel alium praelatum secundum formam privilegiorum apostolicorum tibi concessa in officio praelibato. Datum Avinione, VI kalendas novembris, anno duodecimo.

685. Mandat curatori monasterii de Longocampo ord. s. Clarae, ut mulierem honestam a Ioanna regina Franciae et Navarrae ad visitandas quasdam moniales missam permittat intrare ipsum monasterium. [1]

1327, novembris 1, Avinione.

Dilecto filio .. curam gerenti monasterii sororum de Longocampo ordinis s. Clarae Parisien. dioecesis.

Praeclara carissimae in Christo filiae Iohannae reginae Franciae et Navarrae illustris merita devotionis exposcunt, ut ipsius piis votis et desideriis, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Sane cum praefata regina quasdam sorores monasterii de Longocampo ord. s. Clarae Parisien. dioecesis, quas affectu specialis dilectionis et caritatis prosequitur, cupiat interdum sicut accepimus facere visitari, nos eiusdem reginae supplicationibus inclinati, quatenus mulierem honestam, quociens voluerit, ad easdem sorores causa visitationis destinare valeat ipsaque mulier ad ipsas sorores praedictas (non obstantibus ordinis et monasterii praedictorum privilegiis, statutis, aut consuetudinibus contrariis) admittatur, dummodo ibidem non comedat nec pernoctet, tam praedictae reginae ipsi quam aliis, quorum interest, tenore praesentium indulgentes, discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus mulierem huiusmodi a praedicta regina propter hoc destinandam ad sorores ipsas causa visitandi intrare permittas. Dat. Avinione, kalendis novembris, anno duodecimo.

686. Excusat se erga Ioannam comitissam Hannoniae *(Hainaut)*, quod ipsius desiderio reliquias s. Ludovici episcopi, avunculi, habendi nondum satisfecit. [2]

1327, novembris 2, Avinione.

[Dilectae in Christo filiae] Ioannae comitissae Hannoniae. [3]

Quia propter occupationes varias occurrentes tuae nobilitatis desideriis, quae circa habendas reliquias beati Ludovici tui avunculi laudabiliter provocantur, nequit ad praesens satisfieri, tua circumspectio nos habeat quaesumus excusatos, scitura, filia, quod cito super hoc tibi satisfacere curabimus Domino concedente *etc.* [4] Dat. Avinione, IV nonas novembris, anno duodecimo.

687. Michaeli ministro generali ord. Min. scribit, se eius nuntios recepisse ipsiusque adventum praestolari. [5].

1327, novembris 8, Avinione.

Michaeli ordinis fratrum Minorum generali ministro.

Dilectos filios Iohannem Fidansolae et Humilem Beneauditi tui ordinis [de Perusio] nuper ad nostram praesentiam venientes, tuas pro nobis litteras praesentantes, benigne recepimus et, quae pro parte tua coram nobis voluerunt exponere dictaeque continebant litterae, intelleximus diligenter. Cumque ipsi asseruerint inter cetera, te iuxta mandatum nostrum esse in itinere ad sedem apostolicam veniendi, ideo tuam de proximo praesentiam praestolamur. Datum Avinione, VI idus [nov]embris, [6] anno duodecimo.

688. Capellam s. Ludovici episcopi Viennae dioec. Patavien. per Elisabeth uxorem Friderici ducis Austriae constructam visitantibus elargitur indulgentias. [7]

1327, novembris 12, Avinione.

Universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis.

Vitae perennis gloria *etc.* Cupientes igitur, ut capella in honorem beati Ludovici episcopi et confessoris in Wienna [8] Pataviensis dioecesis per dilectam in Christo filiam nobilem mulierem Elizabetam, [9] uxorem dilecti filii nobilis viri Friderici Austriae et Stiriae ducis, fundata congruis honoribus frequentetur, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui in festivitatibus eiusdem sancti: centum, eis vero, qui per festivitatum sancti praedicti octavas [10] capellam ipsam devote visitaverint annuatim, quadraginta dies singulis ipsarum festivitatum et octavarum diebus, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus. Datum Avinione, II idus novembris, anno duodecimo.

---

[1] Reg. Vat. n. 114, f. 179, n. 1735.

[2] Reg. Vat. t. 114, ep. 1672.

[3] Filiae Caroli comitis Valesii (*Valois*) et Margaritae, sororis s. Ludovici ep.

[4] Insuper eam hortatur, ut et ipsa in devotione erga Deum persistat et sedulo vigilet laborare, ut Guilelmus comes Hannoniae, vir eius, Deo et ecclesiae Rom. placere et offensam ipsius vitare studeat.

[5] Reg. Vat. t. 114, f. 125, ep. 1328; cfr. supra n. 667.

[6] Nisi legendum sit: [sept]embris. Ministrum generalem die 1 decembris 1327 Avinione advenisse constat.

[7] Reg. Vat. t. 87, f. 117, ep. 3302.

[8] *Wien*, quae civitas nunc est ipsa sedes archiepiscopalis et caput imperii Austriaci.

[9] Filiam Iacobi II regis Aragoniae et Blancae uxoris, quae erat soror s. Ludovici ep. et conf. Cfr. *Salvadori* « Die Minoritenkirche [zu Wien] » p. 40.

[10] *In registro:* ottabas.

689. Alexandrum Minoritam, poenitentiarium apostolicum, ecclesiae Nucerin. praeficit in episcopum. [1]

1327, novembris 17, Avinione.

Dilecto filio Alexandro [2] *electo Nucerino.*

Ad exequendum pastoralis officii debitum *etc.* Olim siquidem ex certis rationabilibus causis, quae ad id animum nostrum induxerunt, provisiones omnium ecclesiarum cathedralium in terris ad nos et ad Romanam ecclesiam spectantibus consistentium, tunc vacantium et vacaturarum in antea, ordinationi et dispositioni nostrae et dictae sedis apostolicae usque ad nostrum et ipsius sedis beneplacitum tunc duximus reservandas, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attentari. Postmodum vero Nucerina [3] ecclesia, eidem Romanae ecclesiae immediate subiecta et in terra spectante immediate ad dictam Romanam ecclesiam constituta, per obitum bon. mem. Ioannis episcopi Nucerin., qui in partibus illis diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, nos ad provisionem ipsius Nucerin. ecclesiae celerem, de qua nullus praeter nos se intromittere potest, reservatione et decreto praedictis obstantibus, paternis et sollicitis studiis intendentes ac cupientes talem eidem ecclesiae praeesse personam, quae curet et possit eamdem praeservare a noxiis et adversis ac in suis manutenere iuribus et etiam augmentare: post deliberationem, quam super his cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te ordinis fratrum Minorum professorem, poenitentiarium nostrum, quem litterarum scientia praeditum, conversationis et morum honestate decorum et discretionis et consilii maturitate dotatum, in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum aliisque virtutum meritis multipliciter novimus insignitum, direximus oculos nostrae mentis. Quibus omnibus attenta meditatione pensatis de persona tua nobis et eisdem fratribus ob huiusmodi tuorum exigentiam meritorum accepta, praefatae Nucerinae ecclesiae de ipsorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesiae Nucerin. tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo *etc.* Datum Avinione, XV kalendas decembris, anno duodecimo. [4]

690. Committit episcopo Vratislavien., quod dispenset cum Anna de Fürstenberg sorore monasterii Strehlensis ord. s. Clarae, ut non obstante defectu aetatis possit eligi in ipsius mon. abbatissam. [5]

1327, novembris 21, Avinione.

Venerabili fratri episcopo Vratislaviensi.

Oblatae nobis pro parte dilectarum in Christo filiarum sororum monasterii Strelinensis [6] ordinis sanctae Clarae tuae dioecesis petitionis series continebat, quod monasterium ipsum nunc abbatissae regimine destitutum per nonnullos illarum partium nobiles et potentes diversis et gravibus gravatur offensis, molestatur iniuriis et opprimitur violentiis et rapinis, quodque ipsae diligentius intendentes, quod dilecta in Christo filia Anna de Vorstenberg [7], soror dicti monasterii ordinem ipsum expresse professa, pro eo quod est de nobilibus orta natabilibus et non solum fratres sed et nonnullos alios in illis partibus eidem monasterio contiguis et vicinis habet consanguineos nobiles et potentes, quorum ope, consilio et favore dictum monasterium posset a praedictis oppressionibus et iniuriis liberari, et quod alias dicta Anna utpote religionis observantia, maturitate morum et aliis virtutibus redimita, provida et etiam circumspecta, regimini dicti monasterii esset plurimum opportuna, desiderant eam in suam et dicti monasterii eligere abbatissam. Sed quia dicta Anna defectum patitur in aetate, cum nondum eiusdem aetatis tricesimum annum compleverit, licet in vicesimo sexto eiusdem aetatis anno constituta existat, illam eligere nequeunt dispensatione super hoc apostolica non obtenta. Quare pro parte ipsarum fuit nobis humiliter supplicatum, ut propter evidentem utilitatem et urgentem necessitatem dicti monasterii cum eadem Anna, quod defectu praedicto nequaquam obstante licite possit in abbatissam dicti monasterii eligi et assumi, dispensare misericorditer curaremus. De tuae igitur circumspectionis industria plenam in Domino fiduciam obtinentes, fraternitati tuae per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, si diligenter attenta quo ad illa, quae officium abbatissae respiciunt, sufficientia eiusdem Annae pro-

---

[1] Reg. Vat. t. 85, ep. 341, apud *Wadd.* l. c. ad a. 1327, n. 16, et reg. pont. Io. XXII, p. 2, n. 86.

[2] Cognom. « Venciolo », Perusino, qui a. 1363 fama sanctitatis obit Saxoferrati ibique apud fratres Min. sepelitur.

[3] *Nocera* in Umbria.

[4] In e. m. capitulo et vassallis ecclesiae Nucerin. atque clero et populo civ. et dioec. Nucerin. — Die 11 apr. 1328 summus pontifex eidem Alexandro conservatores constituit episcopos Anconitan., Cortonen., Eugubin., atque facultatem concedit contrahendi mutuum usque ad summam 2000 flor. auri (l. c. t. 86, epp. 1648 et 1649). Die autem 1 dec. 1331 thesaurario ducatus Spoletan. praedicit, ne Alexandrum ep. Nucerin. super restitutione cuiusdam quantitatis bladi aut vini amplius molestet (l. c. t. 103, ep. 1509).

[5] Reg. Vat. t. 86, f. 22, ep. 1062.

[6] *Strehlen* in Silesia. Ibi quoque erat locus fr. Min. pertinens ad custodiam Vratislav. prov. Saxoniae. Cfr. supra p. 17, not. 4.

[7] Sive: Fürstenberg.

babiliter reperias, promotionem ipsius esse dicto monasterio profuturam, cum ea, quod praedicto aetatis defectu nequaquam obstante possit in abbatissam dicti monasterii eligi vel assumi quacumque constitutione contraria non obstante, auctoritate apostolica studeas dispensare. Datum Avinione, XI kalendas decembris, anno duodecimo.

691. Concedit Nicolao de Papia ord. Min. licentiam accedendi ad Bertrandum electum Ostien. (olim tit. s. Marcelli presb. card.), apostolicae sedis in Lombardia legatum, et inde ad curiam Rom. redeundi. [1]

1327, decembris 21, Avinione.

Dilecto filio Nicolao de Papia ordinis fratrum Minorum.

Cum pro quibusdam negotiis ecclesiam Romanam tangentibus ad dilecti filii nostri Bertrandi olim tituli sancti Marcelli presbyteri cardinalis, electi Ostiensis et Velletrensis, apostolicae sedis legati praesentiam habeas te conferre, nos assumendi unum tui ordinis socium, quem duxeris super hoc eligendum, et ad legatum accedendi praedictum ac inde ad nostram praesentiam absque cuiusvis alterius tui superioris licentia redeundi specialem licentiam tibi tenore praesentium elargimur. Datum [Avinione], XII kalendas ianuarii, anno duodecimo.

692. Concedit eidem Nicolao licentiam visitandi sepulchrum Dominicum. [2]

1327, decembris 21, Avinione.

Eidem Nicolao.

Tuae devotionis sinceritas promeretur, ut votis tuis, quibus tuae saluti animae consulatur, favorabiliter annuamus. Sane cum in votis geras, sicut asseris, sepulcrum Dominicum et terram illam, quam Salvator noster sua illustravit corporali praesentia, visitare, nos tuis in hac parte supplicationibus inclinati, ut cum bono tui ordinis socio, tibi per superiorem tuum mediatum vel immediatum super hoc deputando, ac uno famulo ad terram praedictam accedere dictumque visitare sepulcrum, quibuscumque sedis apostolicae constitutionibus seu prohibitionibus contrariis nequaquam obstantibus, valeas, auctoritate tibi praesentium indulgemus. Datum [Avinione], XII kalendas ianuarii, anno duodecimo.

693. Concedit Clarissis Sistaricen., *a*) quod de terris et possessionibus suis non teneantur solvere decimas, *b*) quod non teneantur solvere procurationes et alia id genus subsidia, *c*) quod possint heredes esse, *d*) quod possint gaudere privilegiis fratribus Minoribus concessis, *e*) quod habeant liberam sepulturam. [3]

1327, decembris 23, Avinione.

a) *Dilectis in Christo filiabus abbatissae et conventui monasterii sanctae Clarae Sistaricen.* [4] *ordinis sancti Damiani.*

Pietatis opera, cuius observantiae vos pro Christi gloria deputastis, adeo vobis apostolicae sedis gratiam promerentur, ut ea, quae cum Deo et honestate possumus, vobis favore benevolo concedamus. Ea propter, dilectae in Christo filiae, vestris iustis supplicationibus inclinati, ut de terris et possessionibus vestris, quas propriis sumptibus excoli facitis vel aliis conceditis excolendas, nulli decimas solvere teneamini nec aliquis ad id vos coarctare valeat, nisi vos ad alium ordinem transieritis, auctoritate praesentium indulgemus. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, X kal. ianuarii, anno duodecimo.

b) *Eisdem.*

Paupertati vestrae, quam voluntarie propter Deum sustinetis, paterna in posterum sollicitudine providere volentes, auctoritate vobis praesentium indulgemus, ut vos ad praestationem procurationum legatorum sedis apostolicae vel nuntiorum ipsius aut exactionum vel collectarum seu subsidiorum quorumcumque minime teneamini nec ad ea solvenda per litteras dictae sedis seu legatorum, rectorum vel nunciorum eiusdem, cuiuscumque tenoris existant, aut cuiuscunque auctoritate compelli minime valeatis. Nos enim decernimus irritas et inanes interdicti, suspensionis et excommunicationis sententias, si quas propter hoc in vos vel in vestrum aliquas aut monasterium vestrum imposterum contigerit promulgari. Nulli ergo *etc.* Datum ut supra.

c) *Eisdem.*

Devotionis vestrae precibus inclinati, auctoritate vobis praesentium indulgemus, ut possessiones et alia bona mobilia et immobilia, quae liberas personas sororum vestrarum mundi relicta vanitate ad monasterium vestrum convolantium et professionem facientium in eodem iure successionis vel alio iusto titulo, si remansissent in saeculo, contigissent et libere potuissent aliis erogare, exceptis rebus feudalibus, exigere, petere ac retinere libere valeatis. Nulli ergo *etc.* Datum ut supra.

d) *Eisdem.*

Devotionis vestrae precibus inclinati, ut privilegiis et indulgentiis ordini fratrum Minorum ab

[1] Reg. Vat. t. 114, p. II, f. 86, ep. 1130. Cfr. supra n. 675.
[2] Reg. Vat. t. 114, p. II, f. 86, ep. 1131.
[3] Reg. Vat. t. 85, ep. 813-417, apud *Wadd.* l. c. nn. 87-91.
[4] *Sisteron* in custodia cognomini prov. Provinciae.

apostolica sede concessis, competentibus vobis, uti possitis, auctoritate vobis praesentium indulgemus. Nulli ergo *etc.* Datum ut supra.

e) *Eisdem.*

Devotionis vestrae precibus inclinati, sepulturam ecclesiae vestrae, sine alieni iuris praeiudicio, liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extremae voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, dummodo excommunicati vel interdicti aut publice usurarii non fuerint, nullus obsistat: salvis tamen canonica iustitia et parochiali iure illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Nulli ergo *etc.* Datum ut supra.

694. Claram natam Iacobi Waltbodonis dioec. Maguntin. in monasterio de Clarenthal ord. s. Clarae recipi iubet. [1]

1328, ianuarii 17, Avinione.

Dil. filiis praepositis s. Severini et s. Mariae ad gradus Colonien. ac mag. de La Mayrola canonico Mediolanen. ecclesiarum.

Prudentum virginum *etc.* Cum itaque dilecta in Christo filia Clara nata dilecti filii Iacobi Valtbodonis, puella litterata, Maguntin. dioec., cupiat, sicut accepimus, unacum dilectis in Christo filiabus.. abbatissa et conventu monasterii Clarental ordinis s. Clarae dictae dioec. sub regulari habitu virtutum Domino famulari, nos ... discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus ... eandem Claram ... auctoritate nostra in dicto monasterio recipi faciatis *etc.* Dat. Avinione, XVI kal. februarii, anno duodecimo.

695. Committit priori Praed. et guardiano Min. fratrum Meten., ut recipiant ab Ademaro, electo Meten., resignationem canonicatus et praebendae, quas ille in ecclesia Meten. habebat. [2]

1328, ianuarii 21, Avinione.

Dil. filiis .. priori Praed. et .. guardiano Minorum ordinum fratrum Meten.

Cum dilectus filius Ademarus electus Meten. *etc.* Dat. Avinione, XII kal. februarii, anno duodecimo.

695. Abbatem mon. s. Petri in causa Petri Mini Senensis ord. Min. iubet celeriter facere iustitiae complementum. [3]

1328, ianuarii 25, Avinione.

Dilecto filio Hugolino abbati monasterii sancti Petri Perusini ordinis sancti Benedicti.

Discretioni tuae per apostolica scripta praecipiendo mandamus, quatinus super nogotio Petri Mini Senensis de ordine fratrum Minorum procedens iuxta formam aliarum litterarum nostrarum tibi et dilecto filio Iohanni de Amelio archidiacono Foroiuliensi, ducatus Spoletani rectori, alias super hoc directarum, ac si tibi soli specialiter et expresse directae fuissent, facias celeris et expeditae iustitiae complementum. Datum Avinione, VIII kalendas februarii, anno duodecimo. [4]

696. Concedit Roberto de Pontiaco ius patronatus in capella s. Ludovici conf. a Guilelmo ipsius patre in ecclesia b. Mariae de Pontiaco constructa. [5]

1328, ianuarii 26, Avinione.

Dilecto filio Roberto de Pontiaco militi Meldensis diocesis.

In hiis, quae salutem animarum respiciunt, libenter apostolici favoris praesidium impertimur. Exhibita siquidem nobis tua petitio continebat, quod dudum quondam Guillelmus de Pontiaco pater tuus, gerens ad beatum Ludovicum confessorem specialis devotionis affectum, quamdam capellam in ecclesia beatae Mariae de Pontiaco Meldensis diocesis ad honorem Dei sub vocabulo eiusdem sancti confessoris construxit, quodque tu continuato devotionis affectu intendis eidem capellae dotem de bonis propriis pro sustentatione unius presbyteri, qui in dicta capella ad honorem Dei et eiusdem beatissimi confessoris ac pro tuae et parentum tuorum animarum remedio divina officia celebret, assignare. Nos igitur tuis supplicationibus inclinati, quod tu et heredes ac successores tui in dicta capella, dote prius per te sufficienti pro praedictis et aliis oneribus eidem capellae iuxta diocesani arbitrium assignata, ius patronatus in perpetuum habeatis, quacumque constitutione seu consuetudine contraria non obstante, auctoritate apostolica tenore praesentium tibi dictisque heredibus et successoribus de speciali gratia duximus concedendum. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, VII kalendas februarii, anno duodecimo.

697. Archiepiscopo Bremensi mandat, quatenus fratrum ordinum Praedicatorum ac Heremitarum s. Augustini prioribus et Minorum custodibus et guardianis in marchionatu Brandeburgensi consistentibus ad suam praesentiam evocatis factaque ipsis fide de processibus apostolicis sibi

---

[1] Reg. Vat. t. 86, ep. 1128.

[2] Reg. Vat. t. 114, f. 165, ep. 1642. Cf. f. 172, ep. 1681.

[3] Reg. Vat. n. 114 f. 135, ep. 1423; cfr. supra n. 623.

[4] Aliis litteris eodem diem datis (l. c. f. 141, ep. 1466) summus pontifex « regiminibus, consilio et communi Senensibus » haec scribit: « Pro liberatione Petri Mini de ordine fratrum Minorum missas nobis litteras vestras benignitate recepimus consueta. Quem salva pace scribentium nos profecto capi non fecimus, sed, quia captivus idem dicebatur in multis deliquisse criminibus, per superiorem suum in ordine praedicto extitit captivatus. Verum quamvis dilecto filio Hugolino abbati monasterii sancti Petri Perusini ordinis sancti Benedicti suum commisimus in hac parte negotium, nihilominus tamen adhuc sibi mandavimus vestro intuitu, quod illud celeriter studeat expedire. Datum Avinione, XIII kalendas februarii, anno duodecimo ».

[5] Reg. Vat. t. 88, f. 121, ep. 3311.

a summo pontifice destinatis et ostenso insuper, qualiter terrae ipsius marchionatus interdicto subiaceant ecclesiastico, eis ex parte pontificis praecipiat, ut per suos et cuiuslibet ipsorum subditos in eisdem terris, per Ludovicum primogenitum Ludovici olim Bavariae ducis ac fautores, complices et valitores eiusdem occupatis, commorantes interdictum praedictum faciant extunc inviolabiliter observari. [1]

1328, ianuarii 31, Avinione.

[Ven. fratri Burcardo] archiepiscopo Bremen.

Super observatione interdicti *etc.* Dat. Avinione, II kal. februarii, anno duodecimo.

698. Scribit Rudolfo duci Saxoniae et Henrico domino Magnopolensi (*Mecklenburg*), se ipsorum litteras per Theodoricum ord. Min., custodem custodiae Lubicensis prov. Saxoniae, eorum nuntium, recepisse eosque laudat ob devotionis affectum erga Rom. ecclesiam. [2]

1328, februarii 13, Avinione.

. . . . *Rodolfo duci Saxoniae.*

Veniens nuper ad nostram praesentiam *etc.* Dat. Avinione, idibus februarii, anno duodecimo.

In e. m. *nobili viro Henrico domino Magnopolen.*

699. Clarissas mon. Vallisgloriae in suis iuribus et possessionibus defendi iubet. [3]

1328, februarii 22, Avinione.

Dil. filio .. rectori ducatus Spoletan.

Sua nobis dilectae in Christo filiae abbatissa et conventus mon. Vallis gloriae ord. s. Clarae Spoletan. dioc. gravi conquestione monstrarunt, quod dilecti filii Ioannes abbas mon. s. Silvestri de monte Subasio ord. s. Ben. et Iacobus de Spello miles eiusdem Spoletan. dioc. easdem abbatissam et conventum in suis et eiusdem monasterii iuribus, bonis et possessionibus molestare et inquietare ac perturbare per se suosque complices et fautores multipliciter non verentur, bladum, vinum et alia bona ipsarum occupando, diripiendo et vastando nequiter in earum grave praeiudicium et iacturam; quare nobis humiliter supplicarunt, ut providere sibi super hoc de opportuno remedio dignaremur. Nos autem easdem abbatissam et conventum sic in tranquillitate confoveri volentes et pace, quod turbatione semota possint liberis mentibus Domino famulari, discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus eas in suis et eiusdem sui monasterii bonis, iuribus et possessionibus ab omni violentia et oppressione indebita tam praedictorum abbatis et militis quam aliorum quorumcumque defendens non permittas eas a praedictis abbate et milite vel ab aliis quibuscunque indebite molestari seu eis dampna vel iniurias irrogari *etc.* Dat. Avinione, VIII kal. martii, anno duodecimo.

700. Rationes inquisitionis in partibus Venetis per fr. Bonamiunctam ord. Min. gestae exigi iubet. [4]

1328, martii 7, Avinione.

Dilecto filio Beltrando Rotundi canonico Variensi, apostolicae sedis nuncio.

Cum dilectus filius Bonaiuncta de ordine fratrum Minorum, inquisitor haereticae pravitatis in partibus Venetiarum auctoritate apostolica deputatus, nonnulla bona ex officio inquisitionis haereticae pravitatis percepisse dicatur, discretioni tuae, de qua fiduciam in Domino gerimus specialem, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus rationes eiusdem inquisitoris super et de praedictis audias et examines diligenter bonaque huiusmodi, quae ad nos et cameram nostram pertinere noveris, exigas et recipias ab eodem, praefatam cameram inde particulariter et distincte redditurus nihilominus certiorem: super quibus necnon praefatum inquisitorem ad hoc per censuram ecclesiasticam appellatione postposita, si necesse fuerit, compellendi ac ipsum de his, quae de praedictis tibi assignaverit, quitandi et absolvendi (confectis tamen super assignatione ipsa duobus consimilibus publicis instrumentis, quorum altero penes eundem inquisitorem dimisso reliquum ad praefatam mittas cameram) plenam tibi concedimus auctoritate praesentium facultatem. Datum Avinione, nonis martii, anno duodecimo. [5]

---

[1] Reg. Vat. t. 114, f. 172, ep. 1682.

[2] Reg. Vat. t. 114, f. 172, ep. 1687.

[3] Reg. Vat. t. 114, f. 136, ep. 1424.

[4] Reg. Vat. n. 114, f. 119, n. 1313.

[5] Aliis litteris eadem die datis (l. c. ep. 1314) summus pontifex ipsi inquisitori praedicto hac de re scribit eumque monet, ut praedicto nuncio rationes reddat legitimas dictaque bona assignare procuret. — Die 26 ian. 1328 inquisitoribus in partibus Apuliae idem s. p. litteras destinaverat (l. c. t. 87, f. 222, ep. 2594), quas, cum nesciamus, num isti inquisitores fuerint fratres Minores, hic referendas duximus. Tenor ipsarum litterarum hic est: « Dilectis filiis inquisitoribus haereticae pravitatis in partibus Apuliae per sedem apostolicam deputatis. Petitio dilecti filii Bartholomei electi Tranensis nobis exhibita continebat, quod iudaei existentes in civitate Tranensi sunt subditi mensae suae archiepiscopali Tranensi, ex quibus dicta mensa consuevit hactenus, quando erant in maiori numero, ampla emolumenta percipere et habere. Verum vos tot gravamina retroacto tempore intulistis et continue infertis eisdem, quod valde pauci inibi remanserunt, et illi, qui ibidem supersunt, tanta premuntur inopia, quod valde tenuis profectus potest deinceps ex dictis iudaeis succedere dictae mensae; quodque etiam similem oppressionem infertis neophytis, qui ex plebe dictorum iudaeorum ad fidem catholicam inibi sunt conversi, plus ab eis temporalia lucra quaerentes quam aliquam aedificationem facere spiritualem. Quare idem electus nobis humiliter supplicavit, ut, cum ipse, prout ad suum spectat officium, dictos iudaeos sibi subditos et neophytos ex dictis iudaeis ut premittitur conversos ad fidem vel imposterum convertendos corrigere, ubi fuerint corrigendi, paratus existat, providere adversus praedicta vestra gravamina de oportuno

701. De verbis a quibusdam Minoritis in detractionem honoris sedis apostolicae fideique orthodoxae detrimentum prolatis inquiri iubet. [1]

1328, martii 7, Avinione.

Venerabili fratri .. [2] *episcopo Astensi, apost. sedis legato.*

Ex iniunctae nobis servitutis officio tenemur esse solliciti, ut excessus delinquentium, ne in aliorum invalescant perniciem, exigente iustitia corrigantur. Nuper siquidem ad nostri pervenit apostolatus auditum, quod Guidotus de Baxiano minister provinciae sancti Antonii et Nicolinus de Venetiis de ordine fratrum Minorum, a sui modestia et puritate degenerantes ordinis, in detractionem honoris sedis apostolicae fideique catholicae detrimentum nonnulla execranda et detestanda verba proferre pollutis labiis, non absque Dei et eiusdem sedis contemptu et blasfemia, praesumpserunt nec hiis contenti excessus atroces contra Deum et Romanam ecclesiam fidemque catholicam et in favorem haereticorum et rebellium, divina et sedis memoratae calcata reverentia, quos propter eorum detestationem inserere praesentibus omittimus, nequiter commiserunt. Volentes itaque, an praemissis suffragetur veritas, plenius informari, fraternitati tuae per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus vocatis prius dictis Guidoto et Nicolino super praedictis, quae in certis articulis, quos tibi cum praesentibus mittimus, plenius describuntur, te summarie simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura iudicii solerter et fideliter studeas informare: informationem et ea, quae super praedictis repereris, sub tuo inclusa sigillo nobis quantocius transmissurus. Datum Avinione, nonis martii, anno duodecimo.

702. Fratres Praed. et Min. ad observandum processus et sententias a se latas compelli iubet. [3]

1328, martii 14, Avinione.

Bertrando Rotundi canonico Vivariensi, apostolicae sedis nuncio.

Tua insinuatione nuper percepimus, quod nonnulli priores et gardiani et fratres Praedicatorum et Minorum ordinum Lombardiae ac Venetiarum aliarumque vicinarum partium, ad quas te dudum pro certis nostris et ecclesiae Romanae negotiis duximus ... destinandum, processus tuos, quos in dictis negotiis contra diversas personas habere auctoritate dictarum litterarum nostrarum tibi directarum contigit, ac litteras et mandata exequi et observare irreverenter et contumaciter contradicunt necnon et in ecclesiis et locis ecclesiastico suppositis interdicto celebrare divina dampnabiliter et ad sepulturam ecclesiasticam excommunicatorum defunctorum corpora in suis ecclesiis et locis admittere contra sanctiones ecclesiasticas in contemptum clavium suarumque animarum salutis dispendium non verentur: super hoc, et ne teneantur quorumcunque delegatorum seu subdelegatorum a sede apostolica mandata exequi, asserentes se eiusdem sedis privilegiis communitos. Et insuper quarundam religiosarum mulierum monasteria, quae sub regulis et custodiis ipsorum reguntur, quominus persolvant ea, in quibus pro decimis vel aliis nostrae tenentur camerae, praetextu privilegiorum suorum, quae se dicunt habere super hoc, defendere moliuntur. Nos autem nolentes propter praemissa negotiorum tibi commissorum executionem quomodolibet impediri, ut non obstantibus quibuscumque privilegiis dictis ordinibus vel eorum alteri aut personis vel locis earumdem sub quacunque forma vel expressione verborum ab eadem sede concessis .... priores, ministros, custodes et gardianos et alias quascumque personas singulares et conventus ordinum praedictorum ad observandum et exequendum processus et litteras supradictos per te habitos et habendos per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellere ac adversus transgressores et contradictores in hac parte procedere, sicut videris expedire, valeas, plenam tibi concedimus auctoritate praesentium facultatem. Rursus volumus et discretioni tuae committimus et mandamus, quatinus, nisi fratres praefati vel moniales monasteriorum praedictorum de privilegiis, quibus asserunt se ac eadem monasteria non teneri ad decimas et alia, quae pro camera memorata petuntur ab ipsis praestanda et solvenda, certo per te sibi super hiis praefigendo peremptorio termino tibi fecerint plenam fidem, moniales ipsas ad solutionem illorum iuxta datam tibi alias super hoc potestatem (non obstantibus quibuscunque privilegiis contrariis, de quibus quorumque totis tenoribus esset in praesentibus litteris de verbo ad verbum mentio facienda) compellere monitione praevia non ommittas, nobis, quicquid super praedictis egeris, rescripturus. Datum Avinione, II idus martii, anno duodecimo.

---

remedio dignaremur. Nos itaque eiusdem electi supplicationibus inclinati vobis, quod usque ad biennium a data praesentium computandum contra iudaeos seu neophytos praedictos aut eorum aliquos, eodem electo seu officiali aut vicario suo minime requisito, nisi cum praefato electo aut cum altero ex eisdem officiali seu vicario, si voluerint interesse, nullatenus procedatis, auctoritate praesentium districtius inhibemus. Nulli *etc.* Datum Avinione, VII kalendas februarii, anno duodecimo ».

[1] Reg. Vat. t. 114, f. 89, ep. 1147.

[2] Arnaldo de Roseto, olim canonico Xanctonen. (cfr. supra n. 602).

[3] Reg. Vat. t. 115, f. 120, ep. 1317.

703. Albertum de Sicardis ord. Min. ecclesiae Callen. praeficit in episcopum. [1]

1328, martii 14, Avinione.

Dilecto filio Alberto de Sicardis, electo Callen. [2]

Suscepti cura regiminis assidua *etc.* Sane dudum contra Sperantiam et quosdam alios tunc nominatim expressos olim comites de monte Feretro, ecclesiae Romanae hostes publicos et rebelles, necnon contra quosvis alios tam clericos et laicos complices, adiutores, valitores, sequaces et fautores eorum, ipsis in hac parte quomodolibet adhaerentes et dantes eisdem contra dictam ecclesiam auxilium, consilium et favorem, certos processus fecimus et sententias duximus proferendas, ac nihilominus, si dicti clerici sententias ipsas per certi temporis spatium in eisdem processibus et sententiis expressum, postquam ipsis publicatae fuissent, sustinerent, eos ex tunc omnibus beneficiis ecclesiasticis (cum cura vel sine cura) et dignitatibus, etiamsi pontificales existerent, auctoritate apostolica sententiando privavimus ipsosque huiusmodi privationis sententiam incurrere voluimus eo ipso. Deinde vero venerabili fratri nostri Amelio episcopo Castren., tunc abbati monasterii sancti Saturnini Tolosan. et marchiae Anconitanae rectori, per nostras inter alia dedimus litteras in mandatis, ut per se vel per alium seu alios contra eosdem clericos, qui post huiusmodi spatium et publicationem processuum et sententiarum praefatorum contrarium facere praesumpserint, quique notorii non existerent, inquisita summarie de plano sine strepitu et figura iudicii veritate, omnes et singulos clericos praelibatos, quos fuisse seu fore tales per inquisitionem huiusmodi reperiret, omnibus beneficiis dignitatibusque supradictis, etiamsi dignitates ipsae pontificales existerent (ut praefertur), a nobis (ut praemittitur) privatos esse publice et solemniter nunciaret. Ad ipsius vero Amelii subsequenter audientiam deducto, quod Petrus tunc episcopus Callen. post spatium et publicationem praedictae sententiae Sperantiae et aliorum olim comitum praefatorum complex, adiutor, valitor, sequax et fautor fuerat ipsisque adhaeserat et eis praestiterat auxilium, consilium vel favorem ad invadendum, occupandum et tenendum tyrannice certas civitates et loca illarum partium tunc nominatim expressa, eidem ecclesiae immediate subiecta, in rebellione publica contra nos et ecclesiam antedictam: idem Amelius contra dictum Petrum, ad hoc et singulos alios actus iudiciarios legitime et peremptorie vocatum, fecit super his diligenter inquiri. Et quia per inquisitionem huiusmodi rite habitam invenit ipsum (post spatium et publicationem praefata) praemissa nequiter patravisse ac fore culpabilem super iis, dictum Petrum auctoritate litterarum earumdem episcopali dignitate et pontificali eo ipso a nobis per processus eosdem esse privatum sententialiter declaravit et solemniter ac publice nuntiavit: et huiusmodi processus ipsius Amelii nulla provocatione suspensus in rem transiit iudicatam. [3] – Interim autem ante huiusmodi processum dicti Amelii nos ex certis rationabilibus causis provisionem omnium cathedralium ecclesiarum in terris ecclesiae praefatae immediate subiectis consistentium, tunc vacantium et vacaturarum in antea ubicunque et quomodocunque, dispositioni nostrae ac sedis apostolicae usque ad nostrum et ipsius sedis beneplacitum duximus reservandam, decernendo ex tunc irritum et inane, si secus super his per quoscunque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contingeret attentari. Attendentes igitur, quod nullus praeter nos de ordinatione Callen. ecclesiae ad eamdem ecclesiam Romanam nullo medio pertinentis et in terra dictae Romanae ecclesiae consistentis, per privationem huiusmodi vacantis, se intromittere potest, reservatione ac decreto huiusmodi obsistentibus, de praeficiendo eidem ecclesiae Callen. personam utilem cogitare coepimus diligenter, et post deliberationem, quam cum fratribus nostris super hoc attentam habuimus, demum ad te ordinis fratrum Minorum professorem, in sacerdotio constitutum, cui religionis zelus, vitae ac morum honestas, litterarum scientia et alia virtutum merita, prout ex testimoniis fide dignis accepimus, laudabiliter suffragantur, intuitum direximus mentis nostrae. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua praefatae Callen. ecclesiae de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus teque ipsi ecclesiae praeficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem eiusdem ecclesiae Callen. tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo *etc.* Datum Avinione, II idus martii, anno duodecimo. [4]

---

[1] Reg. Vat. t. 86, ep. 1559, apud *Wadd.* l. c. n. 102.

[2] *Cagli* in marchia Anconitana.

[3] Istum Petrum postmodum (saltem annis 1335-1350) Avinione moratum esse, probatur plurimis documentis.

[4] In e. m. capitulo eccl. Callen. necnon clero ac populo civ. et dioec. Callen. Die 27 iulii 1328 summus pontifex eidem electo indulget, quod munus consecrationis extra curiam Rom. a quocunque maluerit antistite recipere possit (l. c. t. 86, ep. 1578). Ineunte anno 1342 moritur, dum ecclesiae Callensi adhuc praeest.

704. Antonium Minoritam ecclesiae Sagonen. praeficit in episcopum. [1]

1328, martii 20, Avinione.

Venerabili fratri Antonio episcopo Sagonen.

Pastoralis officii debitum *etc.* Nuper siquidem vacante ecclesia Sagonen. [2] (pro eo quod nos venerabilem fratrem nostrum Guillelmum Tergestinum tunc Sagonen. episcopum, apud sedem apostolicam constitutum, a vinculo, quo ipsi Sagonen. ecclesiae, cui praeerat, tenebatur, de fratrum nostrorum consilio et apostolicae potestatis plenitudine absolventes, ipsum ad Tergestinam ecclesiam tunc vacantem duximus transferendum, praeficiendo eum illi in episcopum et pastorem) nos volentes eidem Sagonen. ecclesiae, ne dispendia prolixae vacationis incurreret, paterna sollicitudine providere *etc.*, post deliberationem, quam de praeficiendo ipsi ecclesiae Sagonen. personam utilem ac etiam fructuosam habuimus cum eisdem fratribus diligentem, demum ad te ordinem fratrum Minorum expresse professum, virum utique de religionis zelo, litterarum scientia, prudentia spiritualium et providentia temporalium aliisque virtutum meritis nobis fide dignis testimoniis commendatum, direximus oculos nostrae mentis. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua ipsi Sagonen. ecclesiae de fratrum eorumdem consilio auctoritate apostolica duximus providendum teque illi in episcopum praefecimus et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesiae Sagonen. tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, tibique fecimus postmodum per venerabilem fratrem nostrum Gaucelinum episcopum Albanen. munus consecrationis impendi *etc.* Datum Avinione, XIII kalendas aprilis, anno duodecimo. [3]

705. In negotio inquisitionis contra abbatem monasterii s. Iacobi Biterren. procedi iubet. [4]

1328, martii 23, Avinione.

Dil. filiis .. sacristae Lodoven. ac priori Praed. et guardiano Min. fratrum Biterren.

Dudum significantibus nobis *etc.* Dat. Avinione, X kal. aprilis, anno duodecimo.

706. Committit Bertrando electo Ostien. (antea tit. s. Marcelli presb. card.), apost. sedis legato, ut capitulum generale fratrum Min. Bononiae proxime celebrandum moderaturis assistat ipsosque praesidentes sex diebus post monet, ut legato eiusque consiliis morem gerant. [5]

1328, aprilis 23 et 29, Avinione.

a) *Dilecto filio Bertrando electo Ostiensi, apostolicae sedis legato.*

Cum ex eo, quod dilecti filii Michaelis ordinis

---

[1] Reg. Vat. t. 87, ep. 2094, apud *Wadd.* l. c. n. 93.

[2] *Sagona* in insula Corsica; cfr. supra n. 676.

[3] In e. m. clero ac populo civ. et dioec. Sagonen., vassallis eccl. Sagonen., archiepiscopo Pisan. Die 24 apr. 1331 summus pontifex mensae episcopali Sagonen. quasdam ecclesias incorporat (Reg. Vat. t. 99, ep. 1255).

[4] Reg. Vat. t. 86, ep. 1650.

[5] Reg. Vat. t. 114, p. II, f. 95 et 103; apud *Wadd.* l. c. ad a. 1328 n. 15 et 16. — Quae litterae utraeque magis intelliguntur collatis illis, quibus Michael ord. Min. minister generalis die 13 aprilis 1328 in domo fratrum Minorum Avinionen. (coram fratribus Francisco de Aesculo, in s. theol. doctore et lectore tunc in ipso conventu fr. Min. Avin., Guilelmo Ocham de Anglia, in s. pag. magistro, Bonagratia de Pergamo, iuris utriusque perito, Lanfranco de eadem terra, notario, Guidone de Pupio notario) protestando atque appellando conqueritur, se a summo pontifice die 9 aprilis 1328 in audientia habita iniuste esse tractatum. Cuius documenti (cfr. cod. bibl. Vat. t. 4009, f. 13 et 14, ed. *Baluze* l. c. III, 238) haec sunt verba: « Ego frater Michael de Caesena ordinis fratrum Minorum minister generalis et servus, meo proprio nomine et etiam nomine et vice capituli generalis ac totius ordinis fratrum Minorum et singulorum fratrum ipsius ordinis ac omnium mihi adhaerentium et adhaerere volentium, dico, propono et protestor coram vobis religiosis et honestis viris, quod dominus Ioannes, qui se Ioannem papam XXII appellat, vocavit me ad suam praesentiam per quasdam litteras [*supra n. 667 relatas*]. Quibus litteris receptis, cum essem corporali infirmitate gravatus, me excusavi ratione dictae infirmitatis, et ipsam excusationem eidem domino Ioanni transmisi et de ea sibi fidem feci per litteras et testimonia vicarii domini episcopi Interamnensis et plurium aliorum fide dignorum et etiam per litteras illustrissimi principis et domini domini Roberti Dei gratia Hierusalem et Siciliae regis, qui de ipsa mea infirmitate certificatus fuerat per medicum suum, quem ad me visitandum in dicta infirmitate transmiserat. Qua excusatione rationabili intellecta per ipsum dominum Ioannem mihi mandavit et mandari et insinuari fecit, quod habebat me rationabiliter excusatum, et quod non fuerat suae intentionis nec volebat, quod supra posse laborarem in veniendo ad eum, sed cum commode possem ad eum assumpta corporis sanitate venirem (*cfr. supra n. 687*). Postea ego corporali sanitate aliqualiter assumpta studui pro posse ad ipsius domini Ioannis praesentiam festinare. Et cum multis periculis propriae personae 2 die mensis dec. anno Domini MCCCXXVII ad ipsum veni et me coram eo personaliter praesentavi, et ipse me pacifice ac benigne recepit, audivit et pertractavit; et postea expressit et specificavit mihi causam, quare me vocaverat ad suam praesentiam, dicens, quod me vocaverat ex eo, quod ipse intellexerat, quod aliquae provinciae dicti ordinis propter malum regimen ipsarum provinciarum ministrorum detrimenta et pericula gravia patiebantur: quodque ipse mihi hoc non imputabat nec imputandum esse censebat pro eo, quod ego per me non habebam potestatem praevidendi provinciis de ministris. Et specialiter ipse dominus Ioannes tunc mihi nominavit provincias sancti Francisci et Aragoniae, in quibus huiusmodi pericula et detrimenta esse dicebat, et mandavit ac commisit mihi, quod ministros dictarum duarum provinciarum absolverem et eisdem de ministris idoneis et sufficientibus providerem. Et sic pacifice et quiete de ipsius domini Ioannis voluntate remansi in Avinione a dicta die 2 mensis decembris usque ad diem 8 mensis aprilis, de nullo crimine denunciatus vel etiam accusatus. Et postea ipse dominus Ioannes vocavit me ad suam praesentiam die 9 ipsius mensis aprilis; et cum fui in eius praesentia constitutus et essent ibi praesentes dominus frater Bertrandus de Turre cardinalis et fratres Raymundus de Lados procurator generalis dicti ordinis, Petrus de Prato minister provinciae sancti Francisci et Laurentius de Coalchano baccalarius conventus Avinionensis ordinis praedicti, ipse dominus Ioannes in praedictorum praesentia dixit et asseruit me fautorem haereticorum et specialiter increpavit me de quadam littera capituli generalis facta Perusii [*cfr. supra not. ad n. 486*], increpans me et ipsum capitulum

fratrum Minorum generalis ministri praesentia nobis existat pro certis negotiis opportuna, idem minister in generali ordinis capitulo Bononiae in instanti festo Pentecostes (dante Domino) celebrando personaliter nequeat interesse, nosque intensis desideriis affectemus, quod dictum capitulum ad Dei laudem et ecclesiae sanctae suae praedictique honorem ordinis et statum prosperum celebretur, fraternitati tuae, de qua fiduciam in Domino gerimus specialem, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus illis, quos praefatus minister iuxta sui constitutiones ordinis vicarios ordinabit aut per easdem constitutiones extiterint ordinati, ut praemissa promptius exequi valeant, assistas vice nostra favoribus et auxiliis opportunis, eisdem in virtute sanctae obedientiae districtius iniungendo, ut favore prorsus et odio relegatis praedicta vigilantibus studiis exequantur. Quod si forsitan ipsos indispositos senseris ad eadem, ipsis adiungendo alium vel alios seu etiam subrogando sic cures sedulo super his providere, quod dictum capitulum ad laudem divini nominis et ecclesiae sanctae Dei ac dicti ordinis honorem et commodum celebretur. Super quibus omnibus et ea tangentibus tibi plenam et liberam auctoritate praesentium concedimus facultatem: contradictores quoslibet et rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, non obstantibus quibuscunque privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis eidem ordini aut personis ipsius generaliter vel specialiter sub quacunque forma vel expressione verborum ab apostolica sede concessis, etiamsi de illis esset in praesentibus specialis et expressa ac de verbo ad verbum mentio facienda, quae quoad hoc nulli volumus suffragari, aut si eis vel eorum aliquibus communiter vel divisim ab eadem sede sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Avinione, IX kalendas maii, anno duodecimo.

b) *Praesidentibus et aliis ordinis Minorum fratribus in generali eiusdem ordinis capitulo Bononiae celebrando in proximo congregandis.*

Cum ex eo, quod dilecti filii Michaelis ..... celebretur, venerabili fratri episcopo Ostiensi, apostolicae sedis legato, ut vobis assistat vice nostra

---

generale, quod pendente quaestione in curia per ipsum proposita praesumpseram una cum capitulo generali eam determinare: quam litteram capituli generalis frequenter dixit fuisse et esse haereticam, sicut de huiusmodi increpatione et assertione sive dicto constat etiam per litteras manu propria dicti procuratoris scriptas et subscriptionibus ac testimoniis dictorum fratrum roboratas. Et cum eidem domino Ioanni dicerem constanter, quod dicta littera dicti generalis capituli non erat haeretica, sed catholica, cum certum sit, quod assertio ipsius generalis capituli in ipsa littera contenta in sententia eadem est penitus cum determinatione domini Nicolai papae III posita in decretali (extra de verbor. signif. cap. *Exiit* § *porro*); unde, si esset haeretica, sequeretur, quod ipse dominus Nicolaus papa, qui talem determinationem fecit, fuisset haereticus. Tunc ipse dominus Ioannes praecepit mihi sub poena excommunicationis, privationis officii mei et inhabilitationis ad quodcunque officium et beneficium, quod non exirem de Romana curia sine sua licentia ....

Attendens igitur, quod ipse dominus Ioannes per dictam suam assertionem, qua dixit frequenter dictam litteram capituli generalis fuisse haereticam, me et totum ordinem, capitulum generale et omnes professores et observatores dictae regulae, quae fundata est in dicta veritate per universalem ecclesiam determinata et diffinita, de haeresi et doctrina haeretica redarguit nobisque crimen haeresis imposuit et imponit; et quod, licet diceretur ipsum dominum Ioannem iam dudum ante praedictam assertionem et increpationem tria statuta fecisse et per mundum publice divulgasse, quorum primum incipit *Ad conditorem*, secundum *Cum inter nonnullos*, tertium *Quia quorundam*, per quae dictam determinationem ecclesiae et confessionem capituli generalis iudicasse haereticas videbatur, tamen mihi nondum pro certo innotuit, quod ipse dominus Ioannes firmiter crederet, assereret et teneret, ipsas ecclesiae determinationem et dictam litteram generalis capituli fore haereticas: sed per dictam suam assertionem et increpationem pro certo innotuit. Insuper attendens, quod ipse dominus Ioannes dictam determinationem in dicta decretali *Exiit* contentam dicendo haereticam se ipsum proprio iudicio de haeresi iudicat et condemnat, prout ex pluribus gestis, approbatis et statutis ac ordinatis per ipsum ostenditur evidenter: et primo ex eo, quod tempore generalis concilii Viennensis dominus Clemens V sacro approbante concilio fecit declarationem et decretalem solemnem, quae incipit *Exivi de Paradiso*, quam ipse dominus Ioannes postmodum approbavit et eam in septimo libro poni et inseri fecit ac mandavit, quod omnes ipsa decretali utantur tam in iudiciis quam in scholis, ut patet in prooemio, quod ipse dominus Ioannes super ipsum librum septimum ordinavit, in qua declaratione domini Clementis V inter cetera determinatio facta per dominum Nicolaum III et posita in dicta decretali *Exiit* approbatur et nominatim abdicatio proprietatis et dominii omnium rerum tam in speciali quam in communi, quam fratres dicti ordinis profitentur, tanquam caelestis vitae forma et salutaris doctrina et tanquam paupertas altissima ad perfectionem deducens et solo Deo contenta approbatur et multipliciter commendatur: ex quibus sequitur manifeste, quod, si ipse dominus Ioannes illud, quod tam solemniter approbavit, nunc haereticum asserit, se ipsum de haeresi proprio iudicio iudicat et condemnat; secundo ex eo, quod postmodum coram ipso domino Ioanne suborta materia altercationis et disputationis super dictis regula et declarationibus ipse dominus Ioannes post longam et multam examinationem et deliberationem praehabitam de consilio collegii dominorum cardinalium pronunciavit et dixit, saepedictas declarationes dominorum Nicolai III et Clementis V salubriter editas, solidas quidem, claras et lucidas multaque maturitate digestas et dictam religionem sanctam de die in diem, de virtute in virtutem ad perfectionem tendere, terrena despiciendo et caelestia complectendo, prout haec et alia in constitutione sive declaratione ipsius domini Ioannis, quae incipit *Quorundam exigit*, plenius continentur; item in quadam alia constitutione facta per ipsum dominum Ioannem, quae incipit *Gloriosam*, pronunciavit sive asseruit, dictum ordinem fratrum Minorum ab ipso suae fundationis exordio dicti almi confessoris beati Francisci regulari traditione et apostolicae sedis confirmatione fore in vita et doctrina Christi et ecclesiae ipsius indissolubili quadam textura connexum, fide clarum, spe validum, charitate profusum, humilitate placidum, obeditione devotum,

super his opportunis auxiliis et favoribus, damus per nostras alias litteras in mandatis. Et licet prudentiam vestram ad ea in eodem capitulo exequenda, quae ad laudem divini nominis et ecclesiae sanctae Dei dictique ordinis honorem et commodum respiciunt, supponamus indubie satis doctam, quia tamen iuxta illum poeticum: « Non nocet emisso subdere calcar equo » sollicitare sollicitos et attentos attentiores reddere saepe prodest, providentiam vestram rogamus, monemus et hortamur in Domino, quatenus odio et favore prorsus abiectis circa praemissa sitis solliciti et intenti praefato legato eiusque consiliis et persuasionibus salubribus efficaciter intendentes, ut extirpatis vitiis et plantatis et auctis virtutibus cuncta in ordine praedicto succedant prospera et vos in conspectu maiestatis divinae acceptiores efficiamini ac nostram et apostolicae sedis benedictionem et gratiam uberius acquiratis. Porro, quia nostri Salvatoris informamur exemplo, ut in fluctuationibus imminentibus pelagi mundi huius ad divinum auxilium recurramus, precibus vestris adiicimus devote et humiliter implorantes, ut pro nobis ac statu ecclesiae, quam flante spiritu procellarum agitari praesentialiter sic nostis, apud eum, qui mari et ventis imperat et quiescunt cuique cum voluerit subest posse, preces devotissimas in humilitate spiritus effundatis, idemque per eumdem ordinem fieri salubriter ordinetis, ut ipse insurgentis huiusmodi fremitus tempestatis quiescere faciens nubilum turbinis in auram transferat prosperam et tranquillam infirmitatemque nostram sua praesenti virtute sic fulciat et sustentet, quod commissum nobis desuper apostolicae servitutis officium iuxta suum beneplacitum exequentes mereamur una cum grege nobis credito post huiusmodi vitae labentis miseriam ad quietis perennis beatitudinem misericorditer pervenire. Datum Avinione, III kalendis maii, anno duodecimo.

707. Hortatur Monaldum episcopum Melfien. (ex ord. Min.), ut scribat saepius de iis, quae occurrunt in illis partibus (maxime, ut videtur, in causa Fraticellorum) eumque Philippo principi Tarenti ac Ioanni principi Achaiae commendat. [1]

1328, aprilis 28, Avinione.

[Ven. fratri] Monaldo episcopo Melfiensi.

Intellectis plenius *etc.* Datum [Avinione], IV [kalendas maii, anno duodecimo].

---

velut singulare iubar sanctitatis exemplo ac doctrinae verbo per universum orbem claruisse et ecclesiastico decori multum utilitatis et inclytae alacritatis plurimum invexisse; ex quibus clare patet, quod nunc saepedictam determinationem in saepedicta decretali *Exiit* § *porro* positam asserendo esse haereticam se ipsum condemnat et proprio iudio multipliciter de haeresi iudicat; sequeretur etiam ex hoc, quod, ex quo dominus Nicolaus III fecit dictam determinationem, fuisset haereticus manifestus et quod gesta per eum fuissent nulla et nullius valoris et momenti, et quod domini Bonifatius VIII et Clemens V, ex quo talem determinationem approbaverunt, fuissent haeretici et quod gesta per eos non tenuissent et quod cardinales facti per ipsos summos pontifices, qui consenserunt in ipsam determinationem, non fuissent veri nec legitimi cardinales, et quod ipse dominus Ioannes electus ab ipsis nunquam fuisset verus papa: quam ob rem ego praefatus frater Michael dicti ordinis fratrum Minorum generalis minister, sentiens me gravatum et dictum generale capitulum et omnes et singulos fratres dicti ordinis et ipsum totum ordinem ac etiam universalem ecclesiam ex praedictis increpatione et assertione ac praecepto factis per ipsum dominum Ioannem et ex omnibus aliis gestis, statutis et ordinatis per ipsum dominum Ioannem in diminutionem sive derogationem aut praeiudicium vel infamiam praedictarum confessionum et declarationum saepedicti capituli generalis et declarationum dominorum Nicolai III et Clementis V et cuiuscunque seu alicuius earum enormiter aggravatum, et ex probabilibus et similibus coniecturis et rationabilibus causis timens inposterum per ipsum dominum Ioannem fortius aggravari, protestor coram religiosis vobis et honestis personis, quod ego praefatus Michael iusto metu ductus (tali videlicet, qui possit cadere in constantem virum) non sum ausus, hanc appellationem et provocationem coram ipso domino Ioanne facere sive interponere nec eam sibi porrigere et praesentare; unde nunc coram vobis religiosis et honestis viris personaliter constitutus de isto metu iusto protestor et in vestra praesentia praedictas increpationem, assertionem et attestationem ad dictum praeceptum factum per dominum Ioannem et omnia alia gesta et facta per ipsum in mei ac dicti capituli ac ordinis et fratrum praeiudicium, iniuriam et gravamen et in derogationem dictarum declarationum dominorum Nicolai III et Clementis V et quodlibet eorum, et omnia et singula, quae sequerentur ex praedictis vel eorum occasione fierent, fuisse et esse et censeri debere nulla, nullius valoris et momenti, et quatenus de facto processerunt, sive facta et gesta sunt, ab eis omnibus et singulis, quae sequuta fuissent vel sequerentur ex ipsis, in his scriptis dicto nomine coram vobis ad sedem apostolicam provoco et appello et, si et in quantum iura postulant et requirunt, apostolos instanter et iterum cum instantia peto; et subiicio me et dicta mea et praedictos ordinem et fratres et omnes et singulos mihi adhaerentes et adhaere volentes correctioni, protectioni et defensioni sedis apostolicae et sanctae matris ecclesiae; protestans insuper, quod si de cetero coram praefato domino Ioanne me praesentarem, quod ex dicto metu iusto ductus hoc faciam, et quod mihi dicto nomine per hoc nullum praeiudicium generetur sive afferatur, cum iustus metus de iure me excuset; et quod per aliquam praesentationem vel aliquem actum, quem de cetero facerem post appellationem huiusmodi, non intendo ab huiusmodi protestatione, provocatione et appellatione ac libello aliquatenus recedere, sed eidem volo efficaciter semper inhaerere ».

Res quum ita essent, summus pontifex Michaelem de Caesena ministrum generalem vetuit, ne capitulum generale a fratribus Minoribus Bononiae circa festum Pentecostis a. 1328 celebrandum adiret. Cui capitulo vicarios ipsius ministri generalis iussit praesidere eisque assistere Bertrandum (cognom. Poyeti) S. R. E. cardinalem et sedis apostolicae in Lombardia legatum, iis quae supra retulimus mandatis instructum. Enimvero Ioannes XXII consilio ducebatur, ut cardinali suadente alius Minorum frater Michaeli de Caesena a capitulo subrogaretur minister generalis. Sed Michael maiore auctoritate tum adhuc pollebat, quam quod per fratres capitulares supremo ordinis ministerio privaretur. Res igitur Bononiae actae ei erant secundae. Nihilominus melius sibi consulendum esse duxit ipse Michael eo, ut unacum fratribus Guilelmo de Okam et Bonagratia de Pergamo Avinione aufugeret. Cfr. infra nn. 711-714.

[1] Reg. Vat. t. 114, f. 222, ep. 2018. Cfr. supra n. 631 et infra nn. 886 et 948.

[Carissimo filio] Philippo principi Tarentino. Venerabilem fratrem nostrum Monaldum *etc.* Datum IV [kalendas maii, anno duodecimo].

In e. m. *Iohanni principi Achayae.*

708. Fratribus Min. de castro Mirandae licentiam concedi iubet ampliandi locum suum a Martha comitissa Astariacen. fundatum. [1]

1328, maii 25, Avinione.

Dilectis filiis .. priori sancti Orienti et .. de Baldiaco Auxitan. ac Bernardo de Abrossano Pampilonen. archidiaconis ecclesiarum.

Significavit nobis dilectus filius nobilis vir Bernardus comes Astariaci, quod locus ordinis fratrum Minorum, quem quondam Martha eiusdem comitis uxor olim, dum viveret, de salute propria invigilans, in fundo proprio in castro Mirandae Auxitan. dioecesis fundavit, adeo arctus existit, quod fratres eiusdem ordinis habitantes in eo non habent sufficientem aream seu spatium pro horto et ad aedificandum in loco ipso eis necessarias officinas, quinimo per dilectum filium priorem prioratus dicti castri Cistercien. ordinis et nonnullos alios impediuntur multipliciter, quo minus fratres ipsi acquirant et valeant obtinere ampliationem et dilatationem eiusdem loci eis necessariam ad praemissa. Quare dictus comes pro parte ipsorum fratrum nobis humiliter supplicavit, ut circa huiusmodi ampliationem dicti loci providere eis paterna diligentia dignaremur. Nos itaque de praemissis notitiam non habentes, discretioni vestrae per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vocatis dictis priore et aliis, qui fuerint evocandi, nisi prior seu alii praelibati aliquam iustam causam allegaverint atque de ea docuerint coram vobis, quare fratres ipsi emere vel recipere seu acquirere locum seu loca, per quae ampliare dictum locum eorum possint, non debeant, vos saepefatis fratribus acquirendi, emendi et obtinendi licite ad ampliationem et dilatationem huiusmodi locum seu loca, quae eis ad hoc sufficiant, quibuscunque constitutionibus contrariis nequaquam obstantibus, plenam et liberam facultatem auctoritate apostolica concedatis, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, non obstantibus *etc.* Datum Avinione, VIII kalendas iunii, anno duodecimo.

709. Philippo VI regi Franciae concedit facultatem intrandi quaecumque monasteria cum octo fratribus Praed. et Min. aliaque decenti hominum mulierumve comitiva. [2]

1328, maii 25, Avinione.

[Carissimo filio] Philippo [VI] regi Franciae illustri. [3]

Ex tuae devotionis meritis pervenire conspicitur, ut apostolicae sedis benignitas consueta personam tuam in hiis, quae commode postulat, favorabiliter prosequens tibi se reddat ad gratiam liberalem. Hinc est, quod nos tuis supplicationibus inclinati auctoritate tibi praesentium indulgemus, ut monasteria monialium, cuiuscumque ordinis fuerint, cum octo fratribus Praedicatorum et Minorum ordinum ac honesta et decenti hominum et mulierum comitiva ingredi valeas, dummodo tu et iidem fratres ac homines et mulieres in monasteriis ipsis nequaquam edatis vel aliquatenus pernoctetis, non obstantibus contrariis ordinum eorundem monasteriorum consuetudinibus vel statutis. Nulli *etc.* Datum Avinione, VIII kalendas iunii, anno duodecimo. [4]

710. Ad instantiam priorissae et conventus mon. s. Saturnini Tolosan., ord. can. s. Aug., quas b. m. Vitalis (de Furno ex ord. Min.) episcopus Albanen. [5] universales heredes ultimo suo testamento, quod quidem a quibusdam iurisperitis invalidum habetur, instituit, compatiens ipsarum monialium paupertati necnon guardianum et fratres Minores Tolosan., prout in hac parte tanguntur, aliosque legatarios respiciens oculo pietatis, circa ultimam ipsius Vitalis episcopi Albanen. voluntatem haec ordinat: « In primis videlicet, quod quingenti floreni auri, qui legati fuerunt per eundem episcopum in huiusmodi sua ultima voluntate sive ordinatione pro emendis per easdem priorissam et conventum redditibus bladi censualis, tradendis dictis guardiano et fratribus Tholosanis...., pro reparatione ecclesiae suae assignentur manualiter et tradantur dictaeque priorissa et conventus ab huiusm. emptione et traditione dicti bladi ex nunc sint penitus liberae et totaliter absolutae. Insuper cum idem episcopus deputaverit.... expendi tria millia florenorum auri pro dilatando loco dictarum priorissae et conventus et pro nova ipsarum ecclesia construenda, volumus et etiam ordinamus quod dicta tria millia florenorum.... dictae priorissae et conventui assignentur manualiter et tradantur: ita tamen, quod de ipsis tribus millibus florenorum emantur possessiones seu redditus annui ad opus dictarum priorissae et conventus *etc.* Ordinamus etiam, volumus et mandamus, quod omnia iocalia, ornamenta et paramenta, consistentia in auro seu argento, albo vel deaurato, necnon pannis purpureis (cum pernis seu sine pernis) seu sericis aut lineis et cortinis quibuscunque et tapetis, quae praefatus episcopus in dicta sua ultima voluntate seu ordinatione voluit penes easdem priorissam et conventum perpetuo esse ad cultum et usum divinum,..... dictis priorissae et conventui seu procuratori earum assignentur manualiter et tradantur et sint et remaneant libere apud eas. Praeterea cum idem episcopus.... voluerit accipi quingentos florenos auri de huiusmodi bonis suis pro emendis domibus, ubi dicta

[1] Reg. Vat. t. 88, ep. 3408, apud *Wadd.* l. c. n. 54.
[2] Reg. Vat. t. 86, f. 367, ep. 1962.
[3] Caroli comitis Valesii *(Valois)*, qui erat tertiogenitus Philippi III regis Franciae, filio et successori Caroli IV regis Fr., qui 1 febr. 1328 filiis non relictis obiit.
[4] Aliis litteris die 6 iunii 1328 datis summus pontifex eiusdem regis uxori, Ioannae filiae Roberti II ducis Burgundiae, similem facultatem concedit (l. c. ep. 1997).
[5] Qui die 23 dec. 1312 in presb. card. (tit. s. Martini in mont.) prom. et a. 1321 ad eccl. Albanen. transl. die 16 aug. 1327 obiit.

nova ecclesia construatur, ordinamus, volumus et mandamus, quod dicti quingenti floreni.... eisdem priorissae et conventui seu procuratori ipsarum assignentur manualiter et tradantur. Similiter, cum idem episcopus.... mille florenos de dictis bonis suis voluerit accipi pro una capella fundanda et dotanda hoc modo, videlicet quod de ipsis mille florenis emerentur censuales possessiones bladi et vini, de quibus ipsae priorissa et conventus dare tenerentur capellano inibi deputando (in pecunia vel in aliis rebus) et duobus confessoribus suis fratribus ordinis Minorum in pecunia certas annis singulis in certis terminis quantitates, et bladum et vinum, quae de residuo mille florenorum ipsorum emi poterant, penes dictas priorissam et conventum pro earum necessitatibus romanerent; ordinamus, volumus et mandamus, quod.... dicti mille floreni eisdem priorissae et conventui vel earum procuratori assignentur manualiter et tradantur et remaneant apud eas: ita tamen, quod dictae priorissa et conventus unum capellanum, qui pro anima dicti defuncti in eadem ecclesia continue celebret, tenere perpetuis temporibus teneantur. Praeterea, licet dictus episcopus in huiusmodi sua ultima voluntate voluisset seu etiam ordinasset, quod Guillelmus Astre et Guillelmus Vicecomitis ordinis Minorum, consiliarii et executores sui, vel alter ipsorum peterent a ven. fratre nostro Petro episcopo Portuensi, camerario collegii cardinalium S. R. E.... omnia, quae sibi debebantur ratione censuum vel reddituum seu communium servitiorum usque ad diem obitus sui, et illa pro ipsius anima erogarent: ordinamus tamen, volumus et mandamus, quod totam pecuniam dicto episcopo Albanensi per dictum camerarium eiusdem collegii de praedictis debitam idem camerarius vel successor ipsius in huiusmodi officio camerariatus dicti collegii praelibatis priorissae et conventui seu procuratori earum tradant integraliter et assignent exceptis mille florenis, quos tradent dicto Guillelmo Astre per eum distribuendos pro defuncti anima supradicti. Ordinamus etiam, volumus et mandamus, quod bladum censuale, quod est in Manso sanctarum puellarum et in Castronovo de Arrio et in aliis locis adiacentibus s. Papuli diocesis, alias per dictum episcopum Albanensem ipsis priorissae et conventui datum, penes ipsas priorissam et conventum remaneat libere atque pure. Praeterea, quia dilectus filius Bernardus Raynerii dicti ordinis fratrum Minorum per eundem episcopum Albanensem fuit super ministrandis et faciendis expensis opportunis ad constructionem ipsius ecclesiae deputatus, ordinamus, volumus et mandamus, quod idem Bernardus teneatur... de pecunia per eum recepta et soluta pro causa praemissa reddere finalem et debitam rationem, et pecuniam, si qua inveniatur seu esse debeat residua apud eum, idem Bernardus tradat dictis priorissae et conventui in constructionem dictae ecclesiae convertendam, ipsaeque priorissa et conventus de receptis et solutis per rationem huiusmodi seu assignatis per eundem Bernardum eisdem ipsum absolvere debeant et quitare. Declaramus insuper, volumus et mandamus, quod praefatae priorissa et conventus ab omnibus aliis in dicto instrumento eiusdem testamenti seu ultimae voluntatis dicti Vitalis episcopi contentis et scriptis ex nunc sint liberae penitus et quietae: ita quod super illis vel eorum aliquo vel ex quacunque alia ratione vel causa contenta vel expressa in testamento praedicto (praeterquam super hiis, quae supra vel infra per nos ordinata existunt) nichil habeant facere, expedire, tractare vel agere ammodo cum guardiano et fratribus Minoribus memoratis, vel dicti guardianus et fratres Minores cum priorissa et conventu praefatis, et quod dictae priorissa et conventus sint contentae de praemissis, ita quod nichil plus petere possint in et de bonis, quae quondam fuerunt dicti Vitalis episcopi, quam prout est superius ordinatum. Eisdem quoque priorissae et conventui auctoritate apostolica perpetuo interdicimus omnem venditionem, distractionem seu alienationem quamcumque (sub quovis alienationis genere, specie seu colore) iocalium, ornamentorum seu paramentorum, possessionum et reddituum praedictorum seu alicuius vel aliquorum ex illis.... Volumus insuper et mandamus, quod solutio legatorum et emendarum et relictorum per dictum Vitalem episcopum Albanensem, quae omnia facta erant per executores et consiliarios per eum ad hoc specialiter deputatos, tam in curia Romana quam in partibus Tholosanis, quae ascendunt, sicut asserunt executores praefati, ad summam 19922 floren. auri, sit firma et stabilis pro salute animae episcopi memorati, nec ipsis legatariis aliqua moveri possit controversia super eis, etiam si appareat, dictum testamentum aliquatenus non valere ». [1]

1328, maii 28, Avinione.

Ad perpetuam rei memoriam.

Inter universa opera divinae placita voluntati *etc.* Dat. Avinione, V kal. iunii, anno duodecimo.

711. Michaelem de Caesena ministrum gen. ord. Min. et Bonagratiam de Pergamo fratrem ord. Min., adhaerentes haereticis, qui absque licentia sedis apost. a curia Rom. regressi sunt, necnon mag. Guilelmum Occam eiusdem ord. Min., super crimine haeresis delatum, capi iubet. [2]

1328, maii 28, Avinione.

Ven. fratribus archiepiscopis, ... et aliis personis ecclesiasticis saecularibus et regularibus necnon nobilibus viris ducibus, principibus ... et communitatibus et universitatibus civitatum, ... ad quos praesentes litterae pervenerint.

Cum Michael de Caesena, olim ordinis fratrum Minorum generalis minister, et Bonagratia eiusdem ordinis super fautoria haereticorum et aliis gravibus et enormibus criminibus et excessibus tam contra Romanam ecclesiam quam ordinem praedictum per eos ut dicebatur commissis dudum coram nobis delati fuissent, nos de criminibus et excessibus huiusmodi volentes inquirere plenius veritatem, eisdem ac eorum cuilibet sub excommunicationis et aliis poenis gravibus, quas eos incurrere volu[i]mus ipso facto, si nostrae inhibitioni praesumerent contraire, duxerimus districtius inhibendum, ne de Romana curia recedere quoquomodo praesumerent absque licentia nostra speciali; praefatique Michael et Bonagratia, tamquam sibi male conscii seque reddentes de fautoria haereticorum et aliis criminibus, super quibus ut praemittitur delati fuerant, suspectos vehementer imo convictos potius, occulte de curia recesserint supradicta: universitatem vestram monemus, rogamus, requirimus attentius et hortamur, quatenus dilectos filios Geraldum de Strata et Petrum Natalis, clericos Lemovicen. et Narbonen. dioec., exhibitores prae-

[1] Reg. Vat. t. 88, f. 183, ep. 3491. Supra n. 290 facultas testandi domino Vitali card. concessa exhibetur.

[2] Reg. Vat. t. 114, p. II, f. 123, ep. 1332; cfr. supra p. 343 not. ad n. 706 versus finem.

sentium, et eorum quemlibet, quos ad capiendum praedictos Michaelem et Bonagratiam specialiter destinamus, pro nostra et apostolicae sedis reverentia benigne recommendatos habentes, praefatos Michaelem et Bonagratiam et eorum quemlibet, ubicumque reperti (etiamsi in locis sacris et religiosis) fuerint, ad requisitionem praedictorum Geraldi et Petri et cuiuslibet eorum capiatis et tute custodiatis seu, si secure possit fieri, ad dictam curiam sub fida custodia expensis nostrae camerae transmittatis, vos super praedictis taliter habituri, quod praeter divinae retributionis praemium nostram et apostolicae sedis benedictionem et gratiam valeatis uberius promereri. Dat. Avinione, V kal. iunii, anno duodecimo. [1]

Eisdem. Cum Guilelmus Okam de ordine fratrum Minorum, qui super crimine haeresis in curia Romana delatus extiterat, pendente inquisitionis negotio in eadem curia contra ipsum, tamquam sibi male conscius inde nuper occulte absque licentia nostra recesserit, se de dicto crimine reddendo convictum: universitatem *etc. ut supra.* Dat. ut supra.

712. Regem Franciae aliosque reges et principes de fuga Michaelis de Caesena certiores reddit. [2]

1328, maii 28 (vel circa), Avinione.

.... *Philippo regi Franciae.*

Ad regalem notitiam providimus deducendum, quod, dum anno praeterito Michael tunc ordinis Minorum generalis minister moram traheret *etc. ut infra n. 714.* Dat. Avinione.... [3] anno duodecimo.

713. Mandat Michaeli Monachi ord. Min., inquisitori haer. prav., quod petat bona Michaelis de Caesena de haeresi condemnati. [4]

1328, iunii 1, Avinione.

[Dil. filio] Michaeli Monachi de ord. fratrum Min., inquisitori haer. prav. in partibus Provinciae auctoritate apost. deputato.

Cum Michael de Caesena olim ordinis fratrum Min. generalis minister, cui delato super diversis articulis fautoriam et defensionem haereticorum ac haeresim tangentibus, de quibus asserebatur esse culpabilis, per nos sub excommunicationis, depositionis ab officio ac inhabilitatis ad quaecunque dignitates et beneficia ecclesiastica poenis et sententiis (quas ipsum, si mandato et inhibitioni nostris contraire praesumeret, incurrere voluimus ipso facto), ne de civitate Avinion. absque nostra licentia recedere praesumeret, dudum duximus inhibendum, et Bonagratia de ordine ipso, qui post inhibitionem, ne de curia Rom. recederet, per nos eidem delato etiam super nonnullis criminibus et excessibus factam ad sancta Dei evangelia iuraverat, se sine nostra licentia de dicta curia non recessurum, tamquam sibi male conscii furtive ac de nocte de civitate dicta et curia nostra recesserint fugitivi, per consequens de praemissis eisdem ut praefertur expositis vehementer suspectos seu convictos se reddentes; et sicut accepimus nonnulla bona ipsorum, quorum aliqua nos et Romanam ecclesiam dicuntur contingere, tam penes te quam penes conventum fratrum dicti ordinis Massilien. et nonnullas alias eiusdem conventus singulares personas esse dicantur: discretioni tuae per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus praedictis conventu et singularibus eiusdem personis ad tuam praesentiam evocatis, per te quoque sibi praemissis expositis, ipsis et eorum singulis sub excommunicationis et depositionis a quibuscunque officiis et inhabilitatis ad quascumque dignitates et beneficia ecclesiastica poenis et sententiis, quas ipsos et eorum singulos effectualiter non parentes incurrere volumus ipso facto, praecipias ex parte nostra districtius et cogas, ut bona praedicta, quae ipsi vel aliqui eorum habuerunt aut sciverunt, quaecunque aut in quibuscunque rebus sive plicatis aut duplicatis consistant, tibi revelent integraliter et tradant, tuque ipsa ad manum tuam recipiens necnon illa, quae tecum fuerint, ven. fratri .. Vigintimilien. episcopo et dilecto filio Gasberto de Lauduno canonico Turonen. et eorum cuilibet, quos illuc propterea destinamus specialiter, studeas assignare: similes poenas et sententias eo ipso, nisi praemissa compleveris, incursurus *etc.* Dat. Avinione, kalendis iunii, anno duodecimo.

714. Privat Michaelem de Caesena officio ministri generalis ord. Min. [5]

1328, iunii 6, Avinione.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dudum ad nostri apostolatus auditum fide digna

---

[1] In e. m. nobili viro Conrado Spinulae regni Siciliae amirato die 29 maii 1328 (l. c. f. 222, ep. 2023).

[2] Reg. Vat. t. 114, f. 198, ep. 1874.

[3] In registro valde mutilus est textus harum litterarum, quae, si non iam hac die 28 maii 1328 datae sunt, certe paucis diebus post emanaverunt (cfr. infra n. 715). Eodem quoque tempore hac de re summus pontifex scripsit Eduardo regi Angliae, Alfonso regi Aragonum, Iacobo regi Maioricarum, aliisque principibus (l. c. epp. 2124, 2136-2138).

[4] Reg. Vat. t. 114, f. 152.

[5] Cfr. Anal. Francisc. t. II, p. 141. — Michael de Caesena, etsi per summum pontificem officio privatus, hebdomadis quinque post superioribus fratribusque ord. Min. universis, ac si esset verus minister generalis, hasce dedit litteras et quidem Pisis,

relatione perducto, quod Michael de Caesena, tunc ordinis fratrum Minorum generalis minister, anno videlicet praeterito per totam quadragesimam et amplius in Urbe moram trahens, nonnulla nefanda cunctis catholicis contra nos et ecclesiam sanctam Dei subdole in favorem haereticorum et rebellium eiusdem ecclesiae procurabat, nos volentes obviare praemissis salubrius, eumdem Michaelem, quod infra certum sibi praefixum terminum coram nobis compareret personaliter, per nostras certi tenoris litteras duximus evocandum. Ipse autem, receptis litteris huiusmodi, se confingens infirmum et impetratis tam a carissimo in Christo filio nostro Roberto, rege Siciliae illustri, quam a dilectis filiis communi Perusino et quibusdam aliis excusatoriis super hoc ad nos litteris (suppressa, sicut postmodum evidenter claruit, veritate), comparere (tamquam sibi de praemissis male conscius) in praefixo termino non curavit. Sed eodem diu elapso termino, per terras rebellium ecclesiae transeundo, ad nostram veniens praesentiam et in nostra curia residens, cum diabolico exagitatus spiritu nesciret a suis pravis et damnandis conceptibus desistere, nedum praemissa continuare nefanda, sed peiora et horribiliora prioribus (eisdem adhaerendo nihilominus haereticis et rebellibus ac praestando contra nos et ipsam ecclesiam auxilia, consilia et favores, fratresque praedicti ordinis sui pravi propositi et operum damnabilium sectatores favendo, exaltando et ad status eiusdem ordinis promovendo, et alios zelatores honoris Dei et ecclesiae multipliciter deprimendo) committere continue, sicut fama seu verius infamia publica pluriumque bonorum virorum supradicti ordinis et aliorum fide dignorum insinuatione et assertione percepimus, non expavit. Cumque huiusmodi detestanda in divinae maiestatis offensam et ecclesiae offensionem enormem et fidei praeterire silentio salva conscientia nequiremus, eidem Michaeli ad nostram propter hoc praesentiam tunc specialiter evocato (praesentibusque venerabili fratre nostro Bertrando episcopo Tusculano et dilectis filiis Raymundo de Lados procuratore generali et Petro de Prato ministro provinciae sancti Francisci ac Laurentio de Coalh[an]o baccalaureo conventus fratrum Avenionensium praelibati ordinis) praemissa curavimus

---

quo Avinione aufugerat: « Universis ministris, custodibus, guardianis et eorum vicariis ac ceteris fratribus ordinis fratrum Minorum frater Michael eiusdem ordinis minister generalis et servus salutem et pacem in Domino sempiternam. Iuris divini et humani legibus admonemur, Romano pontifici, nisi contraria Deo iubeat aut a fide sanctae Romanae ecclesiae deviet, obedire. At ubi contraria Deo vel contra id, quod per sanctam Romanam ecclesiam et eam sequentes sanctos patres est in fide vel moribus definitum, aliquid iubet, mandat, decernit, non est ei obediendum. Sane, licet sancta Romana ecclesia catholica et apostolica pluries definierit, quod abdicatio proprietatis omnium rerum tam in speciali quam etiam in communi propter Deum meritoria est et sancta, quam et Christus viam perfectionis ostendens verbo docuit et exemplo firmavit, quamque primi fundatores militantis ecclesiae, prout ab ipso fonte hauserant, in volentes perfecte vivere per doctrinae ac vitae ipsorum alveos derivarunt, quam quoque abdicationem proprietatis omnium rerum tam in speciali quam in communi almus Christi confessor sanctus Franciscus in sua regula per sedem apostolicam pluries approbata et ceteri ipsius regulae professores (volentes Christi et apostolorum eius sequi vestigia) servare Domino promiserunt, prout multi Romani pontifices declaraverunt et damnaverunt contrarium asserentes, prout in pluribus rescriptis sedis apostolicae continentur; et demum ad omnem viam praedictae veritatis adversariis praecludendam sedes apostolica solemnem ediderit decretalem, quam in libro sexto decretalium (sub tit. de verborum signif. cap. *Exiit qui seminat*) inseruit, in qua dictam fidei catholicae veritatem, quam sancta Romana tenet ecclesia, apertissime diffinivit (quae diffinitio et determinatio dudum est ab universali ecclesia catholica recepta et etiam novissime per decretalem, quae incipit *Exivi de Paradiso*, in Viennensi concilio editam et in septimo libro per dominum Ioannem, qui se papam XXII appellat, positam approbata); imo etiam dominus Ioannes in quadam sua declaratione iuxta initium sui pontificatus super regulam et statum fratrum Minorum edita per eumdem, quae incipit *Quorundam exigit*, dictam veritatem approbaverit (pronunciando et asserendo in ipsa sua declaratione dictas decretales *Exiit qui seminat* et *Exivi de Paradiso* salubriter editas, solidas, lucidas, multa maturitate digestas); et etiam in alia ipsius domini Ioannis ordinatione contra adversantes communitati fratrum ordinis Minorum edita per eumdem, quae incipit *Gloriosam ecclesiam*, pronunciaverit, dictum ordinem ab ipso suae fundationis exordio almi confessoris beati Francisci regulari traditione et apostolicae sedis auctoritate atque confirmatione indissolubili quadam textura ecclesiae catholicae connexum, fide clarum, spe validum, charitate profusum, humilitate placidum, obeditione devotum, velut singulare iubar sanctitatis, exemplo atque doctrinae verbo per universum mundum claruisse et ecclesiastico decori multum utilitatis et inclytae alacritatis multum invexisse: et adversantes statui dicti ordinis velut haereticos damnaverit, tamen postmodum operante humani generis inimico, qui se in angelum lucis transfigurans hactenus semper visus est et nunc hiis novissimis et periculosis temporibus nititur fortius in sancta Dei ecclesia divisiones, discordias, scandala et errores pro viribus quotidie seminare, praefatus d. Ioannes multa fecit et dixit in dictae veritatis praeiudicium et demum die IX mensis aprilis, quae fuit sabbato in albis proxime praeterito, me et pluribus aliis fide dignis personis in eius praesentia constitutis, pronunciavit et asseruit pluries frequenter, litteram, quam olim totum capitulum generale ordinis saepedicti apud Perusium congregatum fecit sive composuit et universis Christi fidelibus destinavit, fore haereticam, sicut constat per documenta et assertiones eorum, qui praesentes fuerunt ipsi pronunciamento et suis subscriptionibus roborarunt: in qua littera dictum generale capitulum praedictae determinationi sanctae Romanae ecclesiae firmiter et totaliter inhaerendo concorditer et unanimiter dicebat et fatebatur, non esse haereticum, sed sanum, catholicum et fidele, dicere et asserere, quod in dicta decretali *Exiit* de paupertate Christi et apostolorum eius, ut praedicitur, continetur. Et quia in continenti post dictum pronunciamentum eidem domino Ioanni in faciem restiti, dicens inter cetera eidem, quod ex tali pronunciamento sequebatur aperte, quod papa, quia in dicta decretali *Exiit* praedicta determinavit, fuisset haereticus, ipse non obstante huiusmodi contradictione in eadem sententia et assertione sua haereticali perseverans, ex huiusmodi resistentia adversus me commotus, me in sua curia arrestavit, mandans mihi,

explicare, praedicentes eidem, quod super illis intendebamus plenius inquirere veritatem. Et quia brevis mora temporis nequaquam ad hoc sufficere videbatur, nos eidem Michaeli, quem, licet propter praemissa posset rationabiliter carceris mancipari custodiae, tractare propter honorem ordinis mitius voluimus, sub excommunicationis et depositionis ab officio et inhabilitationis ad quoscumque ordines, honores et dignitates, gradus et status ecclesiasticos poenis et sententiis, quas omnes et singulas ipsum incurrere voluimus ipso facto, si nostrae inhibitioni non pareret effectualiter, districtius duximus inhibendum, ne de civitate Avinionensi, ubi cum nostra curia residemus, recedere absque nostra speciali licentia quomodolibet attentaret.

Postmodum vero praefatus Michael, audita intrusione, quae de quodam praedicti sui ordinis [1] per illum iniquitatis filium, Ludovicum de Bavaria, Dei et ecclesiae eiusdem manifestum persecutorem et hostem ac de haeresi sententialiter condemnatum, patrata in Urbe praedicta dicitur, ad quam ipse Michael pro persona sua nequiter aspirasse dicitur ac etiam aspirare, intellectoque, quod quaedam armata galea, quam ipse sibi per dictum Ludovicum mitti procuraverat (sicut patronus eiusdem galeae affirmavit) postmodum ad portum de Aquismortuis applicarat, praedictis inhibitione ac poenis et sententiis in contemptum deductis, nocturno tempore latenter et furtive de civitate praedicta recessit et associatis sibi quibusdam iniquitatis suae complicibus (inter quos erant duo nequam viri, videlicet Bonagratia de ordine praedicto, qui suis excessibus et delictis exigentibus in eadem curia arrestatus ad sancta Dei evangelia iuraverat, se de ipsa curia minime sine nostra speciali licentia recessurum; et quidam Anglicus vocatus Gulielmus Occham ordinis praelibati, contra quem ratione multarum opinionum erronearum et haereticarum, quas ipse scripserat et dogmatizaverat, pendebat in eadem curia inquisitio auctoritate nostra diu est iam incepta — et propter hoc erat, ne absque nostra licentia de curia memorata recederet, arrestatus) ad portum supradictum deveniens seque reddens cum dictis complicibus fugitivum, primo quandam navim seu concham ac deinde galeam supradictam conscendit.

---

quod de eius curia non recederem absque eius licentia speciali. De qua arrestatione mandavit et fecit fieri publicum instrumentum, intendens me cogere ad abiurandum praedicta, sicut relatione fide digna cognovi, signis etiam multorum, quae fecit, hoc attestantibus manifeste. Ego vero attendens, quia, si praecepto et pronunciamento huiusmodi paruissem, viderer per consequens consentire, quod ecclesia Romana, quae praedictam determinationem fecit, fuisset haeretica et quod beatus Franciscus, quem sancta Romana ecclesia catalogo sanctorum adscripsit, qui regulam in dicta sua veritate fundavit, et totus ordo, qui in dictam litteram et determinationem consensit, et alii fratres ordinis ipsius, qui in professione huiusmodi veritatis catholicae finierunt dies suos, fuissent haeretici; et considerans, quod dictum pronunciamentum in articulum fidei « In unam sanctam catholicam et apostolicam ecclesiam » enormiter impingebat (sub quo fidei articulo continetur, quod Romana ecclesia non potest errare in fide, quia Christus rogavit pro ea, ut non deficeret fides eius), et quod ipse ex dicto suo pronunciamento haeresim sanctae Romanae ecclesiae, quae praedictam ordinationem fecit et veritatem a centum annis citra firmiter tenuit et docuit, imponebat, et quod ipse dominus Ioannes sibi contrarius existebat pronunciando haereticum, quod alias fuerat per eum, ut praedicitur, approbatum, et quod ex indignatione ipsius contra me, odio et invidia sic manifestis, quod etiam magni de curia vix nihil loqui audebant, quantumcunque zelatores ordinis et personae meae, mihi mortis periculum imminebat propter eius in multis crudelitatem expertam; nec non ex causis aliis rationabilibus zelo fidei catholicae et status dicti ordinis, cui praesum licet indignus, et urgente conscientia motus: de peritorum consilio a praedicto prenunciamento manifestam haeresim continente ad sanctam Romanam catholicam et apostolicam ecclesiam appellavi. Quam appellationem feci et interposui in dicta curia infra tempus a iure statutum de peritorum consilio, ut praedicitur. Et quia, si in curia dicti domini Ioannis dictam appellationem publicare aut prosequi voluissem, timebam ex dictis et ex verisimilibus coniecturis mihi mortis periculum imminere, ut superius est iam dictum, de magnorum virorum et notabilium personarum consilio de dicta curia recessi: quin imo ad recessum me compulit et coegit. Siquidem a IX annis ordinem nostrum et meam personam indesinenter et atrociter persecutus multifarie nos videbatur omnes inducere ad mutandum statum, quem vovimus nobisque tradidit almus Christi confessor Franciscus. Nec ad hanc persecutionem tam diuturnam devitandam valuit patientia et obedientia ordinis: sed quanto humilius suis parebamus mandatis, quanto reverentius ordo se gerebat ad ipsum, tanto acriores iniurias et infamias publicas inferebat. Nec ad hoc similiter profuit instantia regum, dominorum, praesulum et aliorum magnorum et notabilium personarum, qui sui gratia super hoc scripserunt negotio sibi litteras efficaces; sed semper, ut dictum est, ad maiores molestias dire processit. Propterea nullus prudens et iustitia praeditus debet contra me aut ordinem aliqualiter commoveri, sed potius compati et admirari non modicum, quia nos sine causa tanto tempore tot molestiis pressit, et nos angustias huiusmodi tam diu potuimus aequanimiter tolerare. Accessi autem ad locum, ubi ipsam appellationem tuto possem publicare et prosequi, prout requirunt canonicae sanctiones. Cuius appellationis tenorem et formam intendo tam vobis quam ceteris fratribus aliis nostri ordinis destinare, ut ubilibet publicetur et omnes cognoscant, quod dicto domino Ioanni in haeresi manifesta deprehenso et etiam per imperatorem cum consensu Romani cleri et populi deposito non esset obediendum, et quod obedire foret animam suam damnare et haereticum se confiteri. Quare exhortor et persuadeo vobis, quod praedicti haeretici mandatis sive praeceptis in nullo obediatis, cum sit omni authoritate et potestate privatus, prout iura dicunt et canonicae sanctiones. Tenorem vero huius litterae faciatis per omnia loca fratrum vestrarum provinciarum et custodiarum celeriter publicare, ut zelus et fervor sanctorum patrum, qui suum statum diligunt, fortius accendatur atque clament ad Deum et beatum Franciscum, ut ordinem suum liberet et conservet semper in servitio et amore; ac etiam ceteris personis extrinsecis, cum opportunum et expediens videatur, [ipsum tenorem communicetis,] ut me et ordinem et fratres habeant ligitime et rationabiliter excusatos. Valete in Domino et orate pro me. Datum Pisis, nona die iulii anno Domini MCCCXXVIII ». Cfr. infra n. 716.

[1] Scilicet Petro de Corvaria, de quo cfr. not. ad n. 721*a*.

Nos autem eorumdem Michaelis et complicum fuga non absque magnae admirationis et turbationis materia intellecta, venerabilem fratrem nostrum Petrum episcopum Portuensem pro ipsis revocandis a deviis huiusmodi ad dictum portum una cum nonnullis aliis duximus destinandum. Qui quamvis eos moneri, prout melius potuit, fecerit, requiri ac citari nihilominus, ut ad curiam memoratam redirent seque coram nobis praesentarent personaliter, facturi super praedictis, quod iustitia suaderet, praefatus Michael tamquam obstinatus, in malum et reprobum sensum datus, pro se suisque complicibus pertinaciter ac irreverenter respondit, se ad nostram nullatenus praesentiam, sed ad dictos intrusum et Ludovicum potius accessurum. Nos etiam eundem Michaelem in audientia nostra publice citari super praedictis fecimus et evocari, Cumque praedictus Michael et complices de civitate Avinionensi praedicta, ubi cum nostra curia residemus, absque nostra licentia recesserint nec requisiti et citati sicut praemittitur redire voluerint, contumaces et fugitivos ac hostes Dei et ecclesiae fideique catholicae, praesertim cum ad haereticos, rebelles et schismaticos ire sicut praefertur disposuerint, se manifeste reddentes: nos cum fratribus nostris deliberatione super his diligenti praehabita, de ipsorum consilio praefatos Michaelem, Bonagratiam et Gulielmum reputamus merito contumaces ipsosque ratione contumaciae huiusmodi excommunicationis sententia innodamus. Et insuper dictum Michaelem praedictas excommunicationis, depositionis et inhabilitatis poenas et sententias. per nos contra eum promulgatas, incurrisse ac ipsum excommunicatum et depositum ab officio ac inhabilem ad quoscunque honores, dignitates, gradus et status ecclesiasticos ac quaevis beneficia ecclesiastica obtinenda existere, de dictorum fratrum consilio declaramus: tam contra ipsum quam dictos complices et eorum fautores eisque adhaerentes super praedictis et ea contingentibus (si, quando et quoties nobis videbitur) nos processuros praedicentes.

Ut autem processus noster ad communem omnium notitiam deducatur, chartas sive membranas, processum continentes eumdem, in maioris ecclesiae Avinionensis affigi vel appendi ostiis faciemus, quae processum ipsum suo quasi sonoro praeconio et patulo iudicio publicabunt, ita quod praenominati Michael et complices sui et alii, quorum interest, nullam possint excusationem praetendere vel ignorantiam allegare, quod ad eos processus huiusmodi non pervenerit, vel ignoraverint eundem, cum non sit verisimile, remanere incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus fuit publicatum. Datum Avinione, VIII idus iunii, pontificatus nostri anno duodecimo.

715. Regem Franciae, qui pro Michaele de Caesena supplicavit, certiorem reddit de processibus contra ipsum habitis eumque rogat, ne aures accommodet supplicantibus pro eo. [1]

1328, iunii 9, Avinione.

[Philippo VI] Regi Franciae.

Litteras regiae celsitudinis inter cetera continentes, quod fratrum Minorum ordinem commendatum haberemus favorabiliter et ministro ipsius ordinis generali, cum senex et aegrotativus diceretur existere, accedendi ad suum exequendum officium saltem in partibus Franciae vellemus licentiam concedere, benignitate recepimus consueta et earum intelleximus tenorem diligenter. Sane , fili carissime, ordinem praedictum habemus et habebamus non minus precum regiarum intuitu commendatum. Sed sicut nuper magnificentiae regiae scripsimus seriose (si tamen litterae ad eam pervenerint, ignoramus), Michael de Caesena olim praedicti ordinis minister generalis .... de civitate praedicta Avinionensi sibi associatis suae iniquitatis complicibus, inter quos sunt duo nequam viri, videlicet Bonagratia .... et quidam Anglicus vocatus Guilelmus de Okam ...., tempore nocturno et latenter recedere versus dictum portum [de Aquis mortuis] gressus dirigens non expavit .... Rogamus itaque serenitatem regiam attente et in Domino exhortamur, quatenus ... circa ea eiusdem Michaelis aut sequacium et fautorum suorum vel aliquorum pro ipsis intercedentium dolosis suggestionibus et falsis assertionibus .... non accomodet aures suas. Dat. Avinione, V idus iunii, anno duodecimo.

716. Committit Bertrando (de Turre ex ord. Min.) episcopo Tusculan. vicariatum ministeriatus generalis ord. Min. monetque ministros provinciales, custodes, guardianos ceterosque fratres Min., ut ei obediant. [2]

1328, iunii 13, Avinione.

[Ven. fratri] Bertrando episcopo Tusculan.

Ad nostri apostolatus auditum dudum fidedigna relatione perducto *etc. ut supra n. 714 usque* fecimus et evocari. Cum autem tam praefatus Michael quam praedicti complices non comparerent, cumque praemissa sint adeo notoria, quod nulla possunt ratione celari, nos eosdem Michaelem et complices eius de fratrum nostrorum consilio reputavimus contumaces dictumque Michaelem excommunicationis, depositionis et inhabilitatis ad

[1] Reg. Vat. t. 114, f. 197, cfr. 108 et 228, ac supra n. 712.

[2] Reg. Vat. t. 114, f. 188, ep. 1788.

quoscumque honores, dignitates et status ecclesiasticas [poenas] et sententias per nos contra ipsum ut praefertur promulgatas declaravimus incurrisse atque Michaelem et complices propter contumaciam excommunicationis sententia duximus [innodandos].

Sane, quia eodem Michaele sic etiam officio ministeriatus ordinis Minorum privato, sicut superius est expressum, praefatum ordinem non decet nec expedit gubernatore carere, nos ordini praelibato [inter dilectionis nostrae] brachia constituto providere super hoc sollicitudinis studio cupientes et attendentes, quod per te, frater, qui ordinem ipsum fuisti professus et administrationes diversas in eodem, antequam ad pontificalem dignitatem et honorem cardinalatus vocatus extitisses, gessisti statumque ipsius ordinis et personarum conditiones plene cognoscis, ordo ipse poterit melius dirigi ac etiam gubernari: nos cum fratribus nostris deliberatione praehabita... et diligenti et de consilio eorumdem administrationem generalem eiusdem ordinis ac vicariatum ministeriatus generalis ipsius, donec de ministro generali fuerit ordini praelibato provisum, auctoritate apostolica et de apostolicae potestatis plenitudine tuae providentiae committimus tibique concedimus facultatem statuendi, ordinandi, mandandi, corrigendi, reformandi [cunctamque iurisdictionem] per te vel alium seu alios, de quibus tibi videtur, plenarie in eodem ordine exercendi ac etiam ordinandi omnia et singula, qua reformationi, ... conservationi et bono statui eiusdem ordinis cognoveris expedire; nec non contradictores quoslibet et rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendi, non obstantibus *etc.* Quocirca fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatinus onus administrationis et curae vicariatus huiusmodi [pro] eiusdem sedis reverentia zeloque [religionis] suscipiens reverenter, sic ad [ordinis praedicti] vicariatum huiusmodi gere[ndum te praestes vigila]nter, quod ex tua gubernatione [felicia] incrementa tibi divina [gratia opitulante] recipiat, tuque praeter perennis mercedem gloriae mercedem, quam inde mereberis, sedis eiusdem gratiam merearis. Datum [Avinione], idibus iunii, anno duodecimo.

Universis et singulis ministris provincialibus, prioribus, gardianis et fratribus ordinis Minorum ubicumque consistentibus.

Dudum *etc. ut supra.* Quocirca universitati vestrae in virtute sanctae obedientiae per apostolica scripta mandamus, quatinus eidem episcopo tanquam administratori et dicti ministeriatus vicario ac illi vel illis, quem vel quos ipse super praedictis, quando et quotiens et in quibus eidem videbitur expedire, deputaverit, pareatis et efficaciter intendatis: alioquin sententias sive poenas, quas ipse per se vel per alium seu alios rite tulerit seu statuerit in rebelles, faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Dat. *ut supra.*

717. Bertrando electo Ostien. et Ioanni s. Theodori diacono cardinali, apost. sedis legatis in Lombardia et Tuscia, nec non rectoribus dominii sedis apost. in Italia mandat, ut exhibeant inquisitoribus haer. prav. quasdam litteras Bertrandi episcopi Tusculan. et ordinis Min. vicarii. [1]

1328, iunii 15, Avinione.

Bertrando electo Ostiensi et Velletrensi, apostolicae sedis [in Lombardia] legato.

Cum venerabilis frater noster B[ertrandus] episcopus Tusculanus, quem administratorem generalem et vicarium ministeriatus generalis ordinis fratrum Minorum pridem auctoritate apostolica duximus deputandum, [2] eiusdem ordinis ministris et inquisitoribus haereticae pravitatis in eis partibus consistentibus nonnullas dirigat litteras, quas tibi cum praesentibus mittimus, et ipsarum tenores continet cedula presentibus inclusa: volumus tuaeque fraternitati mandamus, quatinus eas, quibus diriguntur, faciens e vestigio praesentari, ut contenta in illis solerti diligentia exequantur, sic efficaces opem et operam studeas adhibere, quod tua debeat circumspectio merito commendari, rescripturus fideliter, quicquid actum extiterit in hac parte. Datum Avinione, XVII kalendas iulii, anno duodecimo.

In e. m. *Iohanni s. Theodori diacono cardinali, apostolicae sedis legato.* [3]

In e. m. *Roberto de Albarupe rectori patrimonii s. Petri.*

In e. m. *Raimundo episcopo Casinen., rectori Campaniae et Maritimae.*

In e. m. *Ioanni de Amelio rectori ducatus Spoletani.*

In e. m. *Fulconi de Popio vicerectori marchiae Anconitanae.*

In e. m. *[Aimerico] archiepiscopo Ravennaten., rectori Romandiolae.*

---

[1] Reg. Vat. t. 114, f. 102, ep. 1242.

[2] Cfr. supra n. 716.

[3] In Tusciae et vicinis partibus. — Eidem legato summus pontifex die 4 iulii 1328 committit, quod Lando Bichi civi Eugubino petenti absolutionem a processibus contra ipsum per inquisitores haer. prav. in partibus Tusciae, fratres scil. Antonium de Aretio et Grimaldum de Prato ord. Min., factis concedat, quod iustum sibi viderit aequumve (l. c. t. 87, ep. 2264).

718. Processus habitos contra Michaelem de Caesena, Bonagratiam de Pergamo, Guilelmum Occam, de haeresi vehementer suspectos, publicari iubet. [1]

1328, iunii 20, Avinione.

[*Aycardo*] *Archiepiscopo Mediolanen. eiusque suffraganeis.*

Pridem contra Michaelem de Caesena, olim fratrum ordinis Minorum generalem ministrum, et Bonagratiam ac Guilelmum Okam Anglicum, eiusdem ordinis fratres, de Romana curia fugitivos, excommunicatos ac de haeresis et scismatis criminibus vehementer suspectos, exigente iustitia processimus in hunc modum: « Ioannes *etc.* Ad futuram rei memoriam. Dudum ad nostri apostolatus auditum » *etc. ut supra n. 714.* Volentes itaque processum praedictum et contenta in eo, ne fratres dicti Minorum ordinis fideles et alii per astutias ac fraudes et calliditates dictorum Michaelis et eius complicum circumveniri valeant, in eis partibus publicari, fraternitati vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus per vos vel alium seu alios in ecclesiis et locis vestrarum civitatis et diocesis, de quibus vobis videbitur, ac in sermonibus fratrum praedicti ordinis et aliorum religiosorum publicis praedictum processum et contenta in eo solemniter singulis diebus dominicis ac festivis publicetis, exponendo ea nihilominus, ut clarius intelligantur ab omnibus, in vulgari; ministros, custodes, guardianos et alios fratres dicti Minorum ordinis (sub excommunicationis in personas et interdicti in ecclesias, conventus et loca ipsorum nec non depositionis ab officiis et inhabilitatis ad quoscunque honores, dignitates, gradus et status ecclesiasticos poenis et sententiis, quas non obstantibus quibuscunque privilegiis apostolicis sibi et ordini suo sub quacunque forma vel expressione verborum concessis, quae quoad haec nulli volumus suffragari, eos, qui contra monitionem, requi-

[1] Reg. Vat. t. 114, p. II, f. 124 et 125, epp. 1336 et 1337. — Inter miscellanea arch. Vat. (sign. C, fasc. 2) complura habentur documenta, quorum auctores scripto testantur, illos processus solemniter esse proclamatos. Inter haec testimonia significamus illas proclamationes, quae (si primam quae sequitur excipias) in ipsorum fratrum Minorum ecclesiis aut conventibus sunt factae. Publicati siquidem sunt isti processus mensibus augusti vel septembris a. 1328 in his locis: 1) in ecclesia maiori Assisiensi ex mandato Theobaldi ep. Assisien. per Guidonem priorem ipsius ecclesiae; 2) in ecclesia s. Francisci de Assisio ex mandato fratris Francisci Ioli Ugucini per fr. Ioannem magistri Ioannis praesentibus fratribus Castellano de Bononia et Simone Lolli de Assisio; 3) in ecclesia s. Mariae Angelorum Assis. ex mandato fr. Ioannis Ugucii guardiani ipsius loci per fr. Stephanum mag. Simonis de Assisio; 4) in ecclesia s. Clarae Assis. ex mandato fr. Philippi custodis conventus s. Francisci Assis. per Munaldum guard. ipsius conventus s. Clarae praesentibus fratribus Ioanne Thomassini, Andrea Pucii, Massolo Bertae de Assisio, Raynaldo de Castello, Bono de Florentia; 5) in ecclesia s. Crispoliti de Bitonio dioec. Assis. ex mandato Ioannis de Bitonio guard. dicti loci; 6) in ecclesia s. Andreae de Spello ex mandato Petri Nutoli guardiani loci fratrum Min. de Spello per fr. Franciscum Raynaldi; 7) in ecclesia fr. Min. Fulginaten. per fr. Angelum de Cannaria; 8) in ecclesia fr. Min. Spoletan. per fr. Petrum Stephanucii praesentibus fratribus Stephano de Apulia, Petro domini Pauli, Neapoleone domini Ursi; 9) in loco capricornii fr. Min. Eugubin. per fr. Franciscum Bonaepatriae custodem Eugubinum praesentibus fratribus Donatucio de Cisterna, Sabatello Ricci, Baldello Mathiae, Ciuffulo Aighinae; 10) in loco Gualdi dioec. Nucerin. per eumdem fr. Franciscum Bonaepatriae praesentibus fratribus Lemosina magistri Leonardi vicario, Petro Bartolucii, Galgano Avolcroni, Ciccolo Mathiae, Angelucio Acti; 11) in ecclesia loci de Fracta filiorum Uberti dioec. Eugubin. per fr. Bartolum de Lodoris de Castello de mandato fr. Conradi guardiani ipsius loci de Fracta et postmodum ibidem per fr. Andream de Civitate Castelli guardianum loci siti iuxta castrum filiorum Uberti; 12) in loco de Montone per fr. Ioannem Munaldi de Castello de mandato fr. Petri Bruzzoli guardiani ipsius loci; 13) in loco de Amelia per fr. Latinum Magistri guardianum ipsius loci praesentibus fratribus Angelo Farmarii bacallario in theol., Ioanne magistri Petri de Amelia, Alexandro de Tuderto, Angelo de Basseulis; 14) in ecclesia s. Illuminati prope castrum Alviani per fr. Alexandrum de Tuderto coram fratribus Francisco guardiano, Bartholomaeo de Monticulis, Petro dicto Abbas, Philipello laico de Tuderto, Iacopo laico de Farneta; 15) in refectorio loci Canalis per fr. Iacobum custodem Tudertinum praesentibus fratribus ipsius loci Ioanne Bonavolglae, Andrea de Collevaleza, Angelo Mannis, Blasio de Tuderto; 16) in ecclesia fr. Min. de Stronconio per fr. Angelum custodem Narniensem praesentibus fratribus Gentili guardiano, Benedicto de Amelia, Nonucio de Spoleto, Petro de Pedeluco; 17) in capitulo conventus fr. Min. Interamnen. per eundem custodem praesentibus fratribus Nicolao Lucae guardiano, Nicolao Camerae lectore, Sapito, Odone, Angelo Ioannis, Franciscucio Nicolai de Interamna, Bartholomaeo de Regno; 18) in capitulo conventus fr. Min. Narnien. per eundem custodem praesentibus fratribus Aegidio vicario, Ioanne de Carbio bacallario, Paulo et Mathia de Narnia, Ioanne de s. Gemino; 19) in ecclesia fr. Min. de Nursia per supradictum fr. Franciscum Bonaepatriae cust. Eugub. praesentibus fratribus magistro Petro Ioannis, Mathiolo Masscoli, Lolo Bartholucii de Nursia; 20) in ecclesia s. Mariae de Rumita de terris Arnulforum per fr. Geminellum de s. Gemino de mandato fr. Iacobi custodis Tudertini praesentibus fratribus Francisco de Collaçono, Simone de Podio, Tebalducio de Aquasparta; 21) in loco s. Francisci de Visso per fr. Venantium de Visso de mandato fr. Ioannis custodis Montanorum praesentibus fratribus Saviolo Francisci, Puccio Servito, Cambio Sponis, Angeleno Riccumani, Monichello Benvenuti et postmodum ibidem per fr. Franciscum guardianum ipsius loci de Visso; 22) in loco s. Francisci de Arquata per fr. Ioannucium Sapiti de Monteflorum praesentibus fratribus Ioanne Raymundi Petri et Ioannucio Andreae; 23) in loco de Valle per fr. Iacobum guardianum ipsius loci; 24) in loco de Cassia per fr. Antonium de Arquata guardianum ipsius loci; 25) in loco de Burgo Cerreti per fr. Paulum de Cassia conventualem ipsius loci de mandato fr. Ioannis custodis Montanorum praesente fr. Luca de Mevali guardiano eiusdem loci; 26) in ecclesia s. Francisci de Monteregali par fr. Ioannem de Monteleone praesentibus fratribus Gualterio de Monteregali aliisque; 27) in loco de Ocosio per fr. Ioannem de Cassia guardianum ipsius loci; 28) in loco de Gonessa per guardianum ipsius loci praesentibus fratribus Francisco lectore aliisque; 29) in ecclesia s. Mariae de Piperno per fratrem Raynaldum de Setia lectorem conventus s. Laurentii de Piperno praesente Georgio vicario gen. episcopi Terracin. — Hic Pipernensis conventus pertinebat ad provinciam Romanam, ceteri ad prov. s. Francisci.

sitionem, inhibitionem huiusmodi aliter attemptare praesumpserint, incurrere volumus ipso facto) moneatis efficaciter et requiratis, eisdem nihilominus districtius inhibendo, ne eumdem Michaelem excommunicatum et depositum ab officio ministeriatus generalis ordinis praedicti et inhabilem ad quoscunque honores, dignitates et status ecclesiasticos ut praefertur habeant, reputent seu teneant pro ministro nec ei pareant vel obediant aut praestent per se vel alium publice vel occulte auxilium, consilium vel favorem, sed potius venerabili fratri nostro Bertrando episcopo Tusculano, quem administratorem generalem eiusdem ordinis, quousque aliter fuerit eidem ordini de generali ministro provisum, dudum de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica constituimus, in omnibus, quae ad officium generalis ministri praelibati ordinis pertinent, pareant et intendant, ac tandem eundem Michaelem quam dictos complices velut excommunicatos ac de haeresis et scismatis suspectos criminibus studeant evitare: ad hoc idem fideles, clerum et populum, sollicitis exhortationibus inducendo faciendoque super hiis instrumenta confici publica principium et finem praesentium continentia, quae nobis transmittere fideliter non tardetis. Dat. Avinione, XII kal. iulii, anno duodecimo.

In e. m. fuit scriptum *legatis Tusciae et Lombardiae ac officialibus terrarum ecclesiae* [*Romanae*] *necnon diversis praelatis*... diversis temporibus mutatis verbis decenter, sicut extitit opportunum *(cf. n. 717)*.

718ª. Archiepiscopum ac clerum Burdegalen. monet, ut fratribus Praedicatoribus et Min. sint favorabiles. [1]

1328, iunii 28, Avinione.

Venerabili fratri archiepiscopo Burdegalen. et dilectis filiis maioris et s. Severini capitulis necnon curatis et rectoribus parochialium ecclesiarum civitatis et suburbiorum Burdegalen.

Gravem dilectorum filiorum Praedicatorum et Minorum fratrum ordinum Burdegallen. querelam non absque admiratione recepimus continentem, quod vos, filii curati et rectores, iam per annum et amplius in ecclesiis vestris, vosque maioris et sancti Severini ecclesiarum Burdegallen. canonici in aliqua processione communi non permisistis nec permittitis eosdem fratres Praedicatores et Minores proponere verbum Dei, propter quod tam civitas Burdegallen., dolens et deflens subtractum sibi solitum pabulum verbi vitae, necnon dilectus filius senescallus Vasconiae, quam etiam dicti fratres, ne verbum Dei in praeiudicium populi civitatis eiusdem et suarum etiam periculum animarum sine causa diutius maneat alligatum, ad nos super hoc humiliter recurrentes, nobis pia precum instantia supplicarunt, ut eis in praemissis consulere paterna sollicitudine curaremus. Nos igitur fel. rec. Bonifatii papae VIII praedecessoris nostri in hac parte vestigiis inhaerentes, vos universos et singulos praesentium tenore rogamus et exhortamur attente, vobis nihilominus districte praecipiendo mandantes, quatenus, pro divina et apostolicae sedis reverentia atque nostra, praedictos ordines et professores eorum habentes affectu benevolo commendatos, fratribus ipsis non vos difficiles, graves, duros aut asperos, sed potius favorabiles, propitios et benignos, piaque munificentia liberales [exhibere] studeatis [eosque] iuxta constitutionem eamdem tamquam cooperatores vestros idoneos et laborum vestrorum participes prompta benignitate recipere et affectuose admittere minime omittatis, ut proinde vobis aeternae beatitudinis praemium augeatur et animarum salutis incrementa felicia procurentur. Nec vos lateat, quod, si secus a vobis agi fortasse contingeret in hac parte, nos dissimulare seu praeterire, salva conscientia non possemus, quin contra vos tanquam transgressores constitutionis eiusdem et exhortationum, ac iussionum nostrarum temerarios contemptores debite procederemus, prout contemptus et temeritatis huiusmodi qualitas postularet. Datum Avinione, IV kalendas iulii, anno duodecimo.

719. Monet Accursium ord. Min., prav. haer. in Tuscia inquisitorem, ut in coeptis perseveret intrepide et constanter. [2]

1328, iulii 1, Avinione.

Accursio [3] *de ordine fratrum Minorum, inquisitori haereticae pravitatis in Tuscia.*

Licet hoc tua nobis discretio suggerat verisimiliter supponendum, fidedignis tamen intellecto relatibus, quod erroribus usquequaque scismaticis, quos in ipsis partibus (nequitiae spiritu hoste humani generis inspirante) « spirans ventus ab aquilone » disseminat, prout inquisitoris immo tyronis et pugilis catholicae fidei requirit officium, verbo et opere te opponis, te, fili, qua mereris laude in Domino plurimum commendamus, prudentiam tuam paternis suasionibus excitantes, ut perseveres in coeptis tam intrepide quam constanter, cum id tibi apud Deum et apostolicam sedem rationabiliter sperare possis [fore] ad meritum, et consideratio praemii minuat vim flagelli. Datum Avinione, kalendis iulii, anno duodecimo.

---

[1] Reg. Vat. t. 87, ep. 2008; apud *Wadd.* l. c. n. 95. Cfr. supra n. 643.

[2] Reg. Vat. t. 114, f. 141, ep. 1472.

[3] Cognom. « Bonfantini »; cfr. infra n. 831.

720. Mandat priori Praed. Carcassonen., ut recipiat fr. Thomam de Brancetona ab ordine Min. ad ord. Praed. se transferentem. [1]

1328, iulii 11, Avinione.

Priori fratrum ordinis Praedicatorum Carcassonensium.

Cum nos certis causis rationabilibus, quae ad hoc nostrum animum induxerunt, dilecti fili Thomae de Brancetona ordinem fratrum Minorum professi supplicationibus inclinati eidem se ad ordinem fratrum Praedicatorum licentiam concesserimus transferendi, discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus (non obstante privilegio eidem ordini fratrum Minorum, sicut asseritur, ab apostolica sede concesso, quod fratres ipsius ordinis ad dictum Praedicatorum ordinem nequeant se transferre) praefatum Thomam ad Praedicatorum ordinem recipias supradictum, eidem eiusdem ordinis habitum tribuens ipsumque faciens debita in Domino caritate tractari. Datum Avinione, V nonas iulii, anno duodecimo.

721. Regi Franciae, qui scriptis affectum, quem gerit ad ecclesiae sanctae Dei summique pontificis prosperum statum, expressit adiungens, quantum sibi « ecclesiae turbatio ipsamque turbantium facta reprobra sint odibilia et molesta, et specialiter illius viri nequam Michaelis olim ordinis Minorum generalis ministri », respondet, se illas litteras laetanter recepisse, eumque monet, ut et ipse in sententia persistat et alios, maxime Robertum regem Siciliae, ad idem sentiendum inducat. [2]

1328, iulii 30, Avinione.

.... *Philippo regi Franciae.*

Laetanter litteras recepimus regias *etc.* Dat. Avinione, III kal. augusti, anno duodecimo.

721ª. Simili modo respondet reginae Franciae, quae ipsi scripserat, se factum Michaelis ignorasse. [3]

1328, iulii 30, Avinione.

[Ioannae] reginae Franciae.

Litteras regias sincerae caritatis affectum, quem ad ecclesiam sanctam Dei geris ac nos, filia carissima, exprimentes laeta manu recepimus hiis diebus. Ex quarum serie percepimus evidenter, gratum tuis affectibus accessisse, quod factum illius nequam viri Michaelis olim ministri generalis ordinis Minorum per nostras tuae celsitudini litteras curavimus intimare, quia, cum hiis diebus praeteritis ipsum per litteras nobis recommendasti regias, ipsum prorsus fore talis propositi ignorabas: hoc subiuncto, quod

---

[1] Reg. Vat. t. 114, f. 198, ep. 1866. Cfr. fragmentum appellationis Michaelis de Caesena Pisanae maioris infra in annotatione ad constitutionem *Quia vir reprobus* d. d. 16 nov. 1329 relatum.

[2] Reg. Vat. t. 114, f. 201, ep. 1383. Textus huius epistolae in registro valde mutilus est.

[3] Reg. Vat. t. 114, f. 201, ep. 1886. — De Petro de Corvaria, de quo versus finem harum litterarum sermo est, sicut iam supra (p. 348 not. 1) erat, haec annotamus. Ludovicus Bavarus (cfr. supra not. ad n. 554), quum Ioannes papa XXII difficilem de eo in Romanorum imperatorem coronando se praeberet, die 17 ian. 1328 in ipsa Urbe per Iacobum Sciarram de Columna, hominem laicum ac populi Romani personam gerentem, imperatoris coronam sibi imposuit. Paulo post (die 18 apr. 1328) Ioannem papam XXII munere non iam fungi debere proclamavit eiusque loco per clerum populumque Romanum die 12 maii 1328 illum Petrum Raynalduccium de Corvaria (dioec. Reatin.) novum veluti summum pontificem eligi iussit. Electoribus plane illegitimis consensit Petrus atque deinceps Nicolaum papam V se nuncupavit. Quadraginta quidem annis ante (uxore relicta) ordinem Minorum ingressus munere demum confessarii et praedicatoris Romae functus esse dicitur. Antipapa factus ut collegium cardinalium die 15 maii 1328 sibi adscisceret, novos cardinales sex creavit iste Nicolaus, videlicet: 1) Iacobum (Alberti de Prato dioec. Pistorien.), qui antea episcopus Castellanus a Ioanne XXII depositus erat, episcopum Ostiensem et Velletrensem instituit; 2) Franciscum abbatem monasterii cuiusdam in Germania siti episcopum renuntiavit Albanensem; 3) Bonifatium de Donoratico ex ord. Praed., qui fuit episcopus Chironensis, S. R. E. episcopum cardinalem (forte Portuensem) creavit; 4) Nicolaum de Fabriano ord. Er. s. Aug. tunc presbyterum cardinalem tit. s. Eusebii fecit, ineunte autem mense septembris a. 1328, quum ille Franciscus ep. Alban. morte matura abreptus esset, episcopum Alban. nominavit; 5) Petrum cognom. Orrhigi al. Oringhium seu rectius Henrici (Bobonis), patria Romanum, cum titulo s. Petri ad vincula collegio adscripsit; 6) Ioannem Arlottum, qui basilicae principis apostolorum de Urbe canonicus erat, in diaconum s. Nicolai de carcere Tulliano promovit. Praeterea circa mensem sept. a. 1328 Pandulfum Capocii militis, quem ipse Nicolaus V tribus mensibus ante episcopum Viterbiensem creaverat, ad ecclesiam Tusculanam transtulit et eodem circiter tempore Paulo de Viterbio ord. Min., quantum e bulla Ioannis XXII die 9 dec. 1331 data coniicere licet, dignitatem cardinalitiam contulit. Denique die 19 ian. 1329 Ioannem e vicecomitibus Mediolanensibus, qui ecclesiae Mediolanensis canonicus erat, in diaconum s. Eustachii promovit.

Idem antipapa (a medio mense maii 1328 ad initium mensis martii 1329) complures episcopos novos ordinavit, quorum alii e clero saeculari, alii e clero regulari adsciti sunt. Et ad illum quidem clerum pertinebant: Pandulfus Capocii, quem diximus, Henricus Frederici de Babenberch (Bamberg) ep. Caminen., Gotifredus Spinulae ep. Albingan., Ioannes Lanfrancus archiep. Pisan.; ordinem Min. professi erant: Andalus de Auria (Doria) ep. Naulen., Dondinus ep. Cremonen., Theodericus de Burgheim Teutonicus ep. Vercellen., Vitalis de Urbino ep. Firman., Nicolaus de Alviano ep. Amelien., Mansuetus ep. Aretin., Berengarius de Mari archiep. Ianuen.; ex ord. Er. s. Aug. promoti sunt: Thomas de Rocca de Mathelica ep. Senogallien., Andreas ep. Racanaten., Conradus Teutonicus ep. Auximan., Ioannes de Sodagis ep. Pistorien., Orlandus ep. primo Civitatis Castelli et deinde Vulteran.; ordini denique Praedicatorum nomen dederat Rochigianus ep. Lucan. (Francisco ab ipso antipapa in epum. Lucan. prius promoto ad ecclesiam patriarch. Hierosol. translato).

Neque defuerunt episcopi ante schisma exortum rite consecrati, qui ad tempus partes Nicolai V sequerentur. Ita ad eum transierunt ille Gerardus ep. Alerien. ex ord. Er. s. Aug., qui coronationi Ludovici Bavari in Urbe adstitit, et ex ordine Minorum Laurentius ep. Arianen. (cfr. supra n. 389), qui Vitalem modo dictum consecravit, Percevallus ep. Nebien., Vincentius ep. Sagonen.

Praeter quos inter fratres Minores (ne dicamus de ceteris ordinibus religiosis) alii existerunt haud pauci, qui pontificem intrusum sectarentur. Ita ille Ioannes de Riseley Anglicus, qui ab eo facultatem obtinuit transeundi ad ordinem s. Ben.; ita ille Guilelmus Griffolini de Aretio, qui iam pridem ad ordinem s. Ben. transierat et in monasterio ss. Trin. de Alpibus dioec. Aretin. receptus erat; ita Iacobus de Blanco provinciae Ianuensi adscrip-

ex nunc in antea tam ipse quam sequaces eiusdem, immo quaecumque persona alia, etiamsi existeret proprie frater tuus, qui contra honorem sanctae matris ecclesiae seu nostrum vellet aliqua attemptare, ad te frustra recurrerent et ad carissimum in Christo filium nostrum Philippum regem Franciae illustrem, virum tuum, quantum tua possibilitas sustineret. Super quo, filia carissima, tuum propositum, utique Deo gratum tibique honorificum, plurimum in Domino commendantes, benevolentiae regiae gratiarum excolimus actiones.

Et quia in eadem littera recommendationem ordinis adiecit regia celsitudo precesque fudit, ut pacem in dicto ordine ponere curaremus, ad hoc, ut alias respondimus, respondemus, quod personas dignas honoris pariter et favoris tenemus in dicto ordine multas esse. Quas cum earum probitatis obtentu tum etiam precum regiarum intuitu habere proponimus et intendimus propensius commendatas. Nec excessus olim rectoris earum fatui sequaciumque suorum adhuc et plurium aliorum, si cum eis concurrerent, a dilectione nos dicti ordinis retraherent nec contra illum turbare nos poterunt Domino concedente, cum non deceat alium ex alterius odio praegravari poenaque suos actores tenere debeat nec sit ad alios extendenda. Pro pace autem dicti ordinis nos sicut unus de praedecessoribus nostris utiliter credimus laborasse. Et si veritatem fratres vellent agnoscere, quanto periculo dictus ordo subiacebat tempore, quo assumpti ad statum huiusmodi fuimus, credimus, quod nequaquam in dubium revocarent, quod, ex quo coepit ipsorum ordo, nullus efficacius quam nos pro statu eorum pacifico laboravit; nec adhuc recusamus laborem, immo parati sumus prompte assumere, quotiens opus erit. Sed quia stultorum infinitus est numerus nec dubium, quin in eodem [ordine] sint multi fatui et qui non ponderant, quae loquuntur, ipsos superiores eorum deberent corrigere; aliter oportebit, quod ab aliis non absque aliqua nota ordinis corrigantur. Iam oportuit contra multos velut de haeresi et scismate valde suspectos inquisitores haereticae pravitatis et ordinarios extendere manus suas.

Postremo, licet indubie supponamus, quod iniuriae in Urbe illatae Redemptori nostro sanctaeque ecclesiae catholicae hiis diebus, filii nostri carissimi Philippi regis Franciae illustris, viri tui, cor saucient easque desideret vindicare; quia tamen interdum prodest « emisso subdere calcar equo », circumspectionem regiam, ut ad praemissa loco opportuno et tempore iuxta tibi datam a Deo prudentiam ipsum aliosque principes, de quibus expedire videris, ad exequendum praemissa sedule studeas excitare. Et quia, filia carissima, sicut habet multorum opinio, si litterae regiae dirigantur Romanis et aliis communitatibus illarum partium, ne viris reprobis Bavaro et eius idolo, Petro videlicet de Corvaria, quem in papam immo apostaticum potius sublimavit, in

---

tus; ita fratres paene omnes, qui conventus Viterbiensem, Tudertinum, Savonensem, Albinganensem, Cortonensem, Monacensem (in Bavaria) constituebant; ita alii.

Alia facinora, quae Petrus de Corvaria nomine Nicolai V fecit, hic referre lubet. Litteris die 27 maii 1328 datis monet universos Christifideles, quatenus « Iacobum de Caturco » ab apostolatus officio, cui in Dei offensam et sanctae matris ecclesiae obprobrium indignus et immerito praesidebat, propter manifestos haeresis errores et alios nefarios et enormes excessus suos iusto iudicio depositum nec papam nominent nec in papatu foveant auxilio, consilio vel favore: scituri, quod ipse (Nicolaus V) omnes et singulos contrarium asserentes vel facientes necnon se ipsum minus recte creatum dicentes ipsique obedire negligentes tamquam haereticos puniendos decrevit. Aliis litteris eodem die 27 maii 1328 datis omnibus et singulis manifestat, quod ipse (serenissimi principis Ludovici Romanorum imperatoris semper augusti sententiae, per quam omnes et singuli « Iacobo de Caturco » se papam asserenti obedientes et adhaerentes tamquam haeretici sunt damnati ac etiam omnibus et singulis beneficiis et feudis et bonis omnibus sunt privati, velut iustae et rationabili adhaerere et ipsam omnimode confirmare volens) omnes clericos et beneficiatos ac religiosos, cuiuscunque ordinis existant, dicto Iacobo adhaerentes omnibus et singulis beneficiis ecclesiasticis et feudis ac bonis omnibus privavit et privat auctoritate apostolica eaque tamquam vacantia apud sedem apostolicam collationi et dispositioni suae et dictae sedis specialiter reservat. — Litteris denique 14 sept. 1328 datis Emanueli Sementis de Albigana ord. Praed. mandat, ut (tamquam inquisitor haer. prav.) contra « damnatae memoriae Iacobi de Caturco » per seren. princ. Ludovicum Rom. imper. semper aug., ecclesiae s. catholicae et christianae fidei pugilem, ac clerum populumque Rom. omni dignitate omnique pontificatus honore nuper rite privati et depositi fautores et sequaces, contra quos ipse processu temporis divina disponente clementia licet immeritus ad apostolatus apicem assumptus sententiam privationis et depositionis protulit generalem, procedat. Cfr. litteras gratiae et executorias Nicolai antipapae V in reg. arch. Vat. n. 118 relatas. Earum argumenta publicavimus a. 1893 in t. IV (N. S.) p. 123-212 operis periodici, cui titulus est: *Archivalische Zeitschrift*. Alia quaedam *de Nicolao antipapa V eiusque hierarchia* a. 1891 in folio periodico *Historisches Jahrbuch*, t. XII, p. 277-308 collegimus.

Fortunam diuturnam non habuit ille Nicolaus V, sed eadem fere adversa, quae eius patronus Ludovicus Bavarus subiit, ipse est perpessus. Ineunte enim mense augusti a. 1328 iste Ludovicus Urbem relinquere coactus per Viterbium primo Tudertum petiit, tum ex eo loco Viterbium reversus denuo per Cornetum Pisas die 21 sept. 1328 est regressus. Nicolaus pedissequus eadem itinera per Tudertum ad civitatem Viterbiensem fecit ibique inter fratres Minores degens ad medium mensem decembris a. 1328 remansit. Tum ipse quoque profectus die 3 ian. a. 1329 Pisas pervenit, ubi facinora schismatica repetens Ioannem XXII pontificatus munere esse privatum denuo proclamavit.

At poena imminebat. Ludovico Bavaro, civitate Pisana mense aprilis a. 1329 relicta, in Germaniam reversuro Nicolaus antipapa omni auctoritate omnique praesidio mox ita est destitutus, ut ad Bonifatium comitem de Donoratico Pisanum confugiens in secreto delitesceret. Quum vero de refugio ipso Ioannes XXII certior factus Bonifatium comitem eum tradere sibi iussisset, miser ille antipapa aliud agere non iam potuit, nisi ut coram papa veniam peteret eiusque in fidem se dederet. Id fecit. Cfr. infra nn. 843, 854, 859-861.

aliquo pareant seu intendant ipsosque in suis civitatibus et locis non recipiant nec inibi morari permittant ipsisque non praebeant auxilium vel favorem, ... necnon devotis, quod in devotione ecclesiae persistant immobiles, erunt plurimum opportunae, precibus nostris adiicimus, ut apud regem ipsum, cui super hoc etiam scribimus, [intercedas], quod praemissa, quae possunt fieri... pendio benivole, prout expedire [viderit, exequa]tur. Dat. ut supra *[n. 721]*.

722. Bonifatio Perdicis ord. Min. concedit facultatem visitandi sepulchrum Dominicum. [1]

1328, augusti 9, Avinione.

Bonifatio [Perdicis] de ordine Minorum, familiari nostro.

Cum zelo devotionis accensus sepulcrum Dominicum et loca terrae sanctae alia, quae salvator noster dominus Ihesus Christus sua illustravit corporali praesentia, visitare proponens nobis humiliter duxeris supplicandum, ut concedere tibi super hoc licentiam dignaremur: nos tuis supplicationibus inclinati, volentes te tuis meritis exigentibus, nobis familiari experientia non ignotis, in tuae devotionis proposito confovere, ut cum duobus tui ordinis fratribus, quos superior tuus in ordine tibi duxerit assignandos, duobusque famulis tibi et eisdem fratribus obsequentibus sepulcrum et alia loca praedicta (non obstantibus quibuscumque constitutionibus et prohibitionibus apostolicae sedis contrariis) hac vice valeas visitare, specialem tibi pro te dictisque fratribus et famulis licentiam auctoritate praesentium impartimur: volentes nihilominus, quod, si vestrum aliquem infirmitate vel impedimento aliquo, postquam iter arripueritis, contingeret detineri, alii pro visitatione complenda huiusmodi possint peragere iter suum. Datum Avinione, V idus augusti, anno duodecimo. [2]

723. Mandat abbati mon. s. Petri Perusin. et rectori ducatus Spoletan., ut thesaurum ecclesiae de loco fratrum Min. Assisien. Perusium et deinde ad curiam Rom. transmittant. [3]

1328, augusti 11, Avinione.

Dil. filis ... abbati mon. s. Petri Perusini et Ioanni de Amelio archidiacono Foroiuliensi, ducatus Spoletani rectori.

Circa solertem et tutam thesauri ecclesiae Romanae, qui in civitate Assisien. [4] conservatur, custodiam opportunas adhiberi cautelas, ne per aliquos eiusdem in ecclesiae dispendium subtrahi vel consumi valeat, cupientes, discretioni vestrae per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus thesaurum praedictum per vos primitus particulariter et distincte conscriptum, indeque confectis publicis instrumentis, ad civitatem Perusinam [per] vos in ecclesia cathedrali dicti loci vel alibi, ubi securius in eadem civitate fieri poterit, deponendum, nostro et ecclesiae Romanae nomine caute, prudenter et provide transferatis, facientes tam super conscriptione quam depositione dicti thesauri duplicia consimilia publica instrumenta, quae penes illos, apud quos dictum thesaurum deposueritis, remaneant, et totidem ad nostram cameram per vos fideliter transmittantur. Dat. Avinione, III idus augusti, anno duodecimo.

Eisdem. Circa solertem... transferatis, facturi et dilectos filios commune Perusinum, si poteritis commode, inducturi, quod ipsi thesauri custodiam in et supra se recipiant antedictam: facientes nihilominus tam super conscriptione *etc. ut supra.* Dat. ut supra.

Eisdem. Super conscribendo, transferendo et deponendo thesaurum Romanae ecclesiae, qui apud Assisium conservatur, duplices vobis litteras, sicut in eis contineri videbitis, destinamus: discretioni vestrae mandantes, quatinus dictarum litterarum visis tenoribus et deliberatione habita super hoc diligenti illis utamini, de quibus vobis expediens videbitur, reliquas subticendo et nobis quantocius remittendo et rescribendo fideliter, quicquid in hac parte duxeritis faciendum. Dat. ut supra.

724. Respondet ad litteras a Bartolotto ministro prov. Ianuen. ord. Min. sibi missas eumque monet, ut in fide ac devotione erga ipsum S. P. et ecclesiam Rom. persistat; insuper facultatem ei concedit quosdam fratres Min., qui haereticis adhaerebant, ad misericordiam matris ecclesiae quidem recipiendi, Savonenses vero, qui interdictum ecclesiasticum non observabant, corrigendi. [5]

1328, augusti 20, Avinione.

Bartholoto ministro provinciali fratrum ordinis Minorum provinciae Ianuensis.

Missas nobis prudentiae tuae litteras ac dilectos filios Antonium [6] de Valentia Ianuensium et Thomam de Castronovo Astensium fratrum ordinis Minorum lectores, litterarum exhibitores ipsarum, nuper ad nostram praesentiam venientes benigne recepimus

---

[1] Reg. Vat. t. 114, f. 156, ep. 1586.

[2] Aliis litteris eodem die datis summus pontifex ipsum fr. Bonifatium Hugoni regi Cypri commendat, ut eum favore prosequatur benivolo (l. c. ep. 1587). Eamdem licentiam visitandi sepulchrum Dominicum singulis annis ipso die 9 augusti 1328 concedit ministro provinciae Terrae sanctae ord. Min. cum duobus aliis fratribus probatae vitae et expertae scientiae atque uno famulo (l. c. ep. 1588).

[3] Reg. Vat. t. 114, f. 136, cfr. *Theiner*, cod. dipl. s. sedis, I, 559.

[4] Apud fratres Minores. Cfr. supra n. 563.

[5] Reg. Vat. t. 114, f. 127, ep. 1361, f. 123, ep. 1330, 1331.

[6] De Aribandis sive Aribaldis (cfr. infra n. 1039*a*).

et, quae dicti lectores sub commissa sibi per easdem litteras credentia pro parte tua et capituli provincialis hiis diebus praeteritis celebrati nobis curaverunt exponere dictaeque litterae continebant, intelleximus diligenter. Super quibus Deo ac nobis et apostolicae sedi gratis admodum et acceptis tuam et fratrum tui ordinis, qui in eodem interfuerunt capitulo, devotionem, fidem et constantiam, quibus vos erga nos et Romanam ecclesiam clarere patenter ostenditis, plurimum in Domino commendantes, tuam prudentiam attentius exhortamur, quatinus in praemissis persistere inviolabiliter studeas et fratres tui ministeriatus in hiis, ne a rectis semitis declinent, quod absit, in devium, cures vigilantibus studiis confovere. Et ecce, fili, quod dictorum lectorum supplicationibus super correctione ac reductione fratrum delinquentium nobis porrectis favorabiliter, cum de te plenam gerimus fiduciam, annuimus, sicut in litteris confectis super hoc plenius poteris intueri. Datum [Avinione], XIII kalendas septembris, anno duodecimo.

Eidem. Cum, sicut intelleximus, aliqui Minorum ordinis fratres in tuo ministeriatu Ianuensis provinciae consistentes, qui nonnullos excessus contra nos et Romanam ecclesiam hiis diebus perpetrare praeteritis in suae propriae salutis et famae dispendium praesumpserunt, haereticis, scismaticis ac rebellibus Dei et ipsius ecclesiae dampnandis et temerariis ausibus adhaerendo, a talibus abstinere constanter proponant de cetero et velint agere poenitentiam de commissis, nostram et eiusdem Romanae ecclesiae misericordiam super hiis humiliter implorantes: nos illius vestigia, qui non in perditione morientium sed in conversione peccatorum laetatur, immitari quantum possumus cupientes, dictos fratres super et de praedictis, cum et de consilio venerabilium fratrum nostrorum Arnaldi Astensis et Guilelmi [1] Albensis episcoporum, hac vice corrigendi et alia faciendi, quae circa hoc fuerint oportuna, plenam discretioni tuae concedimus tenore praesentium facultatem. Datum Avinione, XIII kalendas septembris, anno duodecimo.

Eidem. Infestae relationis assertio perduxit nuper ad nostri apostolatus auditum, quod nonnulli Minorum ordinis fratres Saonenses (illius viri perfidi Michaelis de Caesena, olim dicti ordinis generalis ministri, tunc et nunc de Romana curia fugitivi, excommunicati et ab officio ministeriatus praedicti privati ac ad quoscunque honores, status, gradus et beneficia ecclesiastica eius enormibus excessibus et gravibus culpis exigentibus inhabilis redditi et indigni, mandatis parentes iniquis ac inductionibus et persuasionibus ipsius dampnandis et perniciosis in sui ordinis opprobrium ac ecclesiae universalis scandalum et animarum suarum dispendium adhaerentes) interdictum, cui subiacebat sicut adhuc subiacere noscitur certis causis rationabilibus civitas Saonensis, violare temerariis ausibus, nervum disrumpendo disciplinae ecclesiasticae, praesumpserunt, ad nonnulla horrenda sua impudica ausu nefando laxantes labia et excessus alios varios, quos honestatis gratia subticendos ad praesens vidimus, nequiter committentes. Quorum quidem ratione excessuum certum processum ad ipsos revocandos a devio et ad callem veritatis et iustitiae reducendos pridem habuimus contra eos. Sane cum ipsi poenitentia ducti et ad cor reversi, prout accepimus, ad observationem interdicti praedicti et unitatem redire ecclesiae desiderent et affectent, in nostra et ecclesiae Romanae vera obedientia de cetero permansuri ac acturi et completuri satisfactionem et poenitentiam de commissis: nos, qui licet insufficientibus meritis vices illius in terris gerimus, cui proprium est misereri et parcere, sequi volentes (quantum possumus) divinae miserationis exemplum, discretioni tuae, ut dictos fratres et eorum singulos, qui circa praemissa quomodolibet deliquerint, de et super praedictis auctoritate nostra corrigere ac punire ipsosque ad sinum sanctae matris ecclesiae reducere ac ab excommunicationis et aliis spiritualibus sententiis, in quas ratione praemissorum incurrerint, absolvere iuxta formam ecclesiae, super irregularitate, quam inde contraxerint, nihilominus dispensando, valeas (ita tamen, quod interdictum praedictum per fratres praedictos, quousque per nos vel auctoritate nostra suspensum vel relaxatum [non] extiterit, inviolabiliter observetur), facultatem plenariam tenore praesentium tibi largimur; hac autem potestate te usque ad kalendas octobris proximo futuri uti volumus et non ultra. Datum Avinione, XIII kal. septembris, anno duodecimo.

725. Ioanninum Macharelli de Assisio, qui olim ab ordine Min. ad ordinem s. Ben. se transtulerat et quocum die 26 apr. 1328 dispensatum erat, quod hoc non obstante ad dignitates sui ordinis assumi posset, a monasterio s. Eutitii de valle Spoletana ad mon. s. Silvestri de Nonantula dioec. Mutinen. transfert. [2]

1328, augusti 25, Avinione.

Dil. filio Ioannino Macharelli de Assisio, monacho mon. s. Silvestri de Nonantula ord. s. Ben. Mutinen. dioc.

Religionis zelus *etc.* Dat. Avinione, VIII kal. septembris, anno duodecimo.

[1] Ex ord. Min. Cfr. infra nn. 747, 757-759.

[2] Reg. Vat. t. 88, ep. 3646, cfr. t. 87, ep. 2851.

726. Philippum regem Franciae certiorem reddit de iis, quae novissime in Urbe acciderant, praesertim de discessu Ludovici Bavari et Petri de Corbaria. [1]

1328, augusti 28, Avinione.

Philippo regi Franciae.

Post plures nonnullorum mercatorum quam aliorum missas de partibus Urbis litteras continentes, quod divina providentia pro ecclesia sancta sua ibidem dignata est hiis diebus praeteritis operari, die data praesentium litteras dilecti filii nostri Ioannis s. Theodori diaconi cardinalis, apostolicae sedis legati, recepimus, quibus inter cetera continetur, quod die quarta praesentis mensis augusti Ludovico de Bavaria excommunicato, scismatico et haeretico Urbem cum ignominia et dispendiis plurimis exeunte dilecti filii nobiles viri Stephanus de Columpna miles et Bertuldus de filiis Ursi Urbem intraverunt eandem, per quorum solertem industriam Romanus populus, se peccasse considerans et cognoscens, pacificatus et humiliatus extitit et eosdem nobiles pro nobis et s. Dei ecclesia constituit senatores. Et interim praefatus legatus ad Urbem praedictam dirigens gressus suos illam intravit die dominica immediate sequenti *[i. e. 7 aug.]* et a Romanis clamantibus: « vivant sancta mater ecclesia et sanctissimus pater papa Ioannes ac .. cardinalis legatus, et moriantur Bavarus et Petrus de Corvaria haeretici et Paterini ac alii proditores » cum gloria et honore devote ac honorifice fuit receptus ibique moratur pacifice alloquendo populum et ad devotionem Dei ac nostram et ecclesiae iugiter exhortando. Dictique nobiles suum exercent senatoriae officium facto per eos in eadem Urbe generali parlamento, in quo inter alias reformationes ibidem factas processus, privilegia et alia quaecunque facta et ordinata per dictos Bavarum et P. de Corvaria revocarunt, praeconizato etiam per Urbem eandem publice, quod omnia talia coram dictis senatoribus infra certum super hoc praefixum terminum portarentur, quodque in omnibus contractibus factis illo tempore tempus pontificatus nostri sicut hactenus poneretur. Praeterea sanctum sudarium Iesu Christi, quod in ecclesia beatae Mariae Rotundae de Urbe cum magno tremore per Romanos aliquos servabatur, praefatus legatus cum devotione magna cleri et populi astantium et sequentium ad basilicam principis apostolorum de Urbe reportavit in vigilia festi beati Laurentii proxime praeteriti *[i. e. die 9 aug.]*, et in loco solito honorabiliter collocavit. Et quia tenemus indubie, te, fili carissime, de prosperitate ecclesiae matris tuae velut devotus ipsius filius et princeps christianissimus ac errantium et ab ea deviantium conversione et reductione ad ipsam plenis et devotis affectibus consolari, praemissa tuae celsitudini, ut nobiscum in Domino congaudeas et inde nostro gratiarum actiones offeras Salvatori, serie praesentium intimamus. Haec autem nuntiare magnificentiae regiae usque ad diem dati, quo ad nos praedictae litterae pervenerunt, distulimus, de praemissis a fide dignioribus certiores effici praestolantes. Dat. Avinione, V kal. septembris, anno duodecimo. [2]

727. Concedit Clarissis Nemausen. eadem privilegia, quibus fruuntur Clarissae Avinionenses. [3]

1328, septembris 1, Avinione.

Abbatissae et conventui monasterii sanctae Clarae Nemausensis ordinis eiusdem sanctae.

Speciosus forma et plenus gratia, fons virtutum et ablutio vitiorum, sanctae sponsus ecclesiae, dominus Ihesus Christus inter cetera sanctitatis insignia praecipue diligit castitatem, ut sibi virgini nato de virgine ac immaculato agno sponsae caelibes famulentur. Haec est virtus, qua mentes divino munere insignitae spiritualibus angelis immitatione conversationis aequantur. Haec est virtus, per quam gloriosa sterilitas sancta fecundatur in sobole et prodit ex illa fecunditas replens curiam paradisi. Dignum igitur et congruum arbitramur, ut vos, quae ad prudentes virgines ab incipientis vitae primordiis praeparantes vos accensis lampadibus obviam ire sponso sumsistis oleum virginitatis in vasis et florem mundi eiusque oblectamina contempnentes elegistis in paupertate vitae desponsari dicto domino Ihesu Christo, apostolica sedes eo amplioribus gratiis et oportunis favoribus prosequatur, quo quietius et liberius praemissa ad laudem divini nominis implere poteritis potioribus libertatibus communitae. Hinc est, quod nos vestris devotis supplicationibus inclinati, ut omnibus privilegiis dilectis in Christo filiabus ... abbatissae et conventui monasterii sanctae Clarae Avinionensis eiusdem sanctae sive sancti Damiani ordinum a praefata sede concessis gaudere et uti libere valeatis, vobis auctoritate praesentium de speciali gratia indulgemus. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, kalendis septembris, anno duodecimo.

728. Bertrando ep. Ostien. et apost. sedis legato mandat, ut fratres Minores Ravennatenses et Foroliviensis, qui

---

[1] Reg. Vat. t. 114, f. 202, ep. 1899.

[2] In e. m. Ioannae reginae Franciae; Philippo regi Navarrae; Carolo comiti Alençonii, regis Franciae germano; Ludovico duci Borbonesii; Roberto de Atrebato, comiti Bellimontis; Ioanni Cerchamont, dicti regis cancellario.

[3] Reg. Vat. t. 87, f. 308, ep. 2801; cfr. infra n. 740.

mandante Michaele de Caesena interdictum violaverunt, poenis gravibus ad id observandum cogat. [1]

1328, septembris 5, Avinione.

Bertrando episcopo Ostiensi, apostolicae sedis [in Lombardia] legato.

Ad nostri apostolatus auditum dudum multorum fidedigna relatione perducto, quod Michael de Caesena ordinis fratrum Minorum tunc generalis minister tam Romae, ubi per totam quadragesimam tunc praeteritam et ultra moram traxerat, quam in aliis Italiae partibus multa commiserat, pluresque factiones cum haereticis et hostibus sanctae Romanae ecclesiae manifestis inierat et inire sategebat continue, prout eius facta detestabilia subsecuta postmodum manifestant, multaque alia tam in ordine quam extra non erubescebat committere, quae in divinae maiestatis offensam, nostrum et apostolicae sedis contemptum, fidelium et devotorum ecclesiae iacturam notabilem ac in haereticorum et hostium praedictorum favorem non modicum redundabant. Nos ipsum propterea per nostras certi tenoris litteras ad nostram duximus praesentiam evocandum ipsoque demum coram nobis personaliter constituto in venerabilis fratris nostri Ber[trandi] episcopi Tusculani et quarundam aliarum notabilium personarum praefati ordinis praesentia causam suae praedictae vocationis sibi duximus exponendam, insinuantes eidem, quod de praemissis volebamus informari plenius et inquirere veritatem. Et licet enormitas requireret excessuum praedictorum, ut tradi deberet idem Michael custodiae carcerali, nos tamen honori ordinis praedicti deferre volentes, iniuncto sibi sub virtute sanctae obedientiae et sub poena excommunicationis et depositionis a ministeriatu suo et inhabilitatis perpetuae ad quodlibet officium et beneficium ecclesiasticum obtinendum, quod de Romana curia nullo modo recedere praesumeret absque nostra licentia speciali, quas poenas et earum quamlibet ipsum incurrere voluimus, si contrafaceret, ipso facto, eum pristinae reliquimus libertati. Verum ipse tanquam male sibi conscius de praemissis, spretis praeceptis nostris et poenis superius annotatis, ad fugam ignominiosam transiliens impudenter cum quibusdam suis in hac parte complicibus furtive ac sine nostra licentia de curia memorata recessit: sicque poenas eum incurrisse praedictas non existit dubium, sicut et nos postea de fratrum nostrorum consilio sententialiter duximus declarandum.

Adhuc, cum Ravennas et Forliviensis civitates certis ex causis et iustis sub interdicto ecclesiastico, sicut accepimus, tenerentur interdictumque huiusmodi tam per cathedrales quam per alias saeculares ecclesias et conventus religiosorum civitatum ipsarum reverenter, ut debebat, et inviolabiliter servaretur, praefatus Michael post fugam praedictam ad civitatem Pisanam (quae a Castrucio Geri de Interminellis haereticorum fautore ac super crimine haeresis, de qua se convictum reddiderat, sententiam expectante aliisque inimicis et rebellibus ecclesiae detinebatur tyrannice) se personaliter transferens et ibi cum eisdem rebellibus moram trahens, velut datus in sensum reprobum et venundatus, ut malum faciat, in tantam prorupit insaniam, quod fratrum Minorum Ravennatensium et Forolivien. custodibus, gardianis et conventibus per suas dedit litteras in mandatis, ut interdictum praedictum nullo modo ulterius observarent, talia interserens in praedictis litteris et affirmans, per quae procul dubio manifestum haereticum et scismaticum se ostendit. Fratres vero conventuum praedictorum, praefatum Michaelem sequentes ad praecipitium seque criminibus variis et poenis gravibus involventes, mandatum huiusmodi tam iuri quam rationi obvium litterasque tam amentis tamque reprobi hominis, sicut intelleximus, exequentes apertis ecclesiarum suarum ianuis, pulsatis campanis, alta voce divina celebrantes (immo potius, quantum in eis est, profanantes) officia, interdictum violare huiusmodi temere praesumpserunt. Ex quibus, si veritate nitantur, non est dubium, ipsos excommunicationis et alias poenas varias inflictas per sacros canones contra committentes talia incurrisse. Ne autem tam facti dampnandi perversitas ceteris absque correctione debita transeat in exemplum, fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatinus, si per famam vel infamiam publicam vel alias (summarie, simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura iudicii) tibi constiterit de praemissis, per te vel alium seu alios per publici propositionem edicti in loco seu locis publicis, de quibus sit verisimiliter praesumptio, quod ad eorum possit notitiam pervenire, proponendi et affigendi vel alias, prout circumspectioni tuae videbitur expedire, tam conventus praedictos eorumque singulos quam singulares personas eorum et quosvis alios, qui praemissis consenserunt aut praestiterunt quomodolibet consilium, auxilium vel favorem, quos a deviis revocari hiusmodi et reduci ad veritatis semitam affectamus, exhortari ex parte nostra et monere ac eis et eorum singulis in virtute sanctae obedientiae ac sub poena privationis omnium tam exemptionis quam aliorum privilegiorum eis per se-

[1] Reg. Vat. t. 115, f. 7, ep. 43, cfr. infra n. 747.

dem apostolicam indultorum sive circa praedicandi officium vel confessiones audiendi aut ad sepulturam illorum corpora recipiendi, qui apud eos elegerint sepeliri, sive circa quaecunque alia dicto ordini seu personis eiusdem sub quacunque forma verborum indulta, necnon et sub poenis omnibus, quae contra committentes talia seu eis dantes circa illa auxilium, consilium vel favorem per sacros infliguntur canones vel ordinantur infligi (quas omnes et singulas tam conventus locorum praedictorum in perpetuum quam singulares personas conventuum eorundem et alias, quae, ut praemissa violatio interdicti fieret, consenserunt seu dederunt auxilium, consilium vel favorem, si monitis et mandatis huiusmodi non paruerint, incurrere volumus ipso facto) districtius iniungere non postponas, ut infra certum terminum, quem eis super hoc iuxta tuae discretionis arbitrium duxeris praefigendum, efficaciter et realiter ad observantiam praefati redeant interdicti illudque observent inviolabiliter, donec per sedem apostolicam vel illum seu illos, qui potestatem illud suspendendi seu relaxandi habuerint, aliud fuerit ordinatum, ac de illius violatione ceterisque per ipsos circa praemissa commissis excessibus nobis et eidem sedi satisfactionem exhibeant competentem. Alioquin conventus praedictos civitatum earundem ac fratres omnes et singulos, qui praefatis non paruerint exhortationibus, monitionibus et mandatis, exnunc, prout extunc, privamus ac privatos denunciamus (per teque denunciari volumus) omnibus exemptionis et aliis quibuscunque privilegiis, gratiis, libertatibus et immunitatibus dicto ordini eiusque professoribus per sedem apostolicam sub quacunque forma verborum concessis, eosque incidisse in omnes poenas contra committentes praemissa vel aliquod eorundem inflictas per sacros canones seu ordinatas infligi pronunciamus similiter et etiam declaramus. Per dilationem autem huiusmodi non intendimus ipsis licentiam aliqualiter impertiri, exercendi aliqua interim, quae ipsis per interdictum huiusmodi interdicta noscuntur. Ceterum ad publicationem et executionem privationum et poenarum huiusmodi, si in eas inciderint, quando, quotiens et ubi tibi videbitur, per te ac alium vel alios procedere non omittas: nos et sedem praedictam per instrumenta publica seriem praesentium continentia, quae inde fieri volumus, reddituri nihilominus certiores. Datum Avinione, nonis septembris, anno tertiodecimo.

729. Bernardum de Podiocertoso ordinis Praedicatorum, inquisitorem haereticae pravitatis in Aragonia, ab inquisitione contra quosdam fratres Minores inchoata interim desistere iubet. [1]

1328, septembris 5, Avinione.

Bernardo de Podiocertoso de ordine fratrum Praedicatorum, inquisitori haereticae pravitatis in partibus regni Aragonum auctoritate apostolica deputato.

Volentes, ut ab inquisitione, quam contra quosdam fratres Minores earum partium inchoasse diceris, te certis ex causis desistere, quousque a nobis aliud receperis in mandatis, discretioni tuae tenore praesentium mandamus, quatinus de causis et occasionibus, quibus contra fratres eosdem procedere inceperas, ac de processu per te super hoc habito nos efficere quantocius studeas certiores. Datum [Avinione], nonis septembris, anno tertiodecimo.

730. Transfert Raymundum ep. Vigintimilien. (ex ord. Min.) ad eccl. Vencien. (*Vence* in Provincia) [2]

1328, septembris 6, Avinione.

Venerabili fratri Raymundo episcopo Vencien.

Angit nos *etc.* Nuper siquidem vacante Venciensi ecclesia (pro eo quod nos venerabilem fratrem nostrum Falconem Tholonensem tunc Venciensem episcopum licet absentem a vinculo, quo tenebatur eidem ecclesiae Venciensi, cui tunc praeerat, de fratrum nostrorum consilio et apostolicae potestatis plenitudine absolventes ipsum ad Tholonensem ecclesiam tunc vacantem duximus transferendum, praeficiendo eum dictae Tholonensi ecclesiae in episcopum et pastorem) nos volentes eidem Venciensi ecclesiae, ne dispendia prolixae vacationis incurreret, paterna sollicitudine praecavere, cum nullus praeter nos *etc.*, post deliberationem, quam super hiis cum eisdem fratribus habuimus diligentem, demum ad te tunc Vigintimiliensem episcopum, consideratis grandium virtutum meritis, quibus personam tuam Dominus insignivit, et quod tu, qui eidem Vigintimiliensi ecclesiae hactenus laudabiliter praefuisti, dictam Venciensem ecclesiam scies et poteris salubriter gubernare, direximus oculos nostrae mentis. Intendentes itaque tam gregi Dominico quam eidem Venciensi ecclesiae utiliter providere, te a vinculo, quo tenebaris praefatae ecclesiae Vigintimiliensi, cui tunc praeeras, de dictorum fratrum consilio et apostolicae potestatis plenitudine absolventes, te ad praedictam Venciensem ecclesiam transferimus teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesiae Venciensis tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo liberamque tibi dando licentiam ad praefa-

[1] Reg. Vat. t. 115, fol. 168, ep. 969, cfr. infra n. 748.

[2] Reg. Vatic. t. 89, f. 39, ep. 94. Cfr. supra n. 412.

tam Venciensem ecclesiam transeundi *etc.* Datum Avinione, VIII idus septembr., anno tertiodecimo.[1]

731. Rectori ducatus Spoletan. mandat, ut contra Petrum Gloti Calciatae ord. Min. publice contra constitutionem *Cum inter nonnullos* praedicantem procedat.[2]

1328, septembris 20, Avinione.

Iohanni de Amelio rectori Spoletano.

Cum tibi per nostras litteras dudum dederimus in mandatis, ut adversus Petrum Calciate tuis detentum carceribus, qui contra constitutiones nostras et specialiter illam, quae incipit: *Cum inter nonnullos*, publice praesumpserat praedicare, in praedicatione ipsa pertinaciter persistendo, multaque alia dixerat et dicebat, per quae manifestus haereticus apparebat, procedere iuxta sanctiones canonicas procurares, tuque, quid super praedictis egeris, nobis intimare postmodum non curaveris, de quo miramur non immerito plurimum et turbamur, praesertim cum nonnulli te fautorem et illius ac similium receptatorem existere nobis per suas litteras intimaverint, tibi districte praecipimus et mandamus, quatinus sic in exhibenda iustitia et insinuatione nobis facienda super hoc te reddere studeas sollicitum et attentum, quod per subsequentem diligentiam praetacta negligentia et ex eadem contra te suborta suspicio debeat aboleri: sciturus, quod, si in praemissis negligens fueris vel remissus, nos inultam tam plectibilem non intendimus negligentiam praeterire. Datum Avinione, XII kalendas octobris, anno tertiodecimo.

732. Contra Michaelem de Caesena et vicarios ord. Min. ab ipso institutos generales procedi iubet.[3]

1328, septembris 20, Avinione.

Bertrando episcopo Ostien., apost. sedis legato.

Pervenit nuper ad nostri apostolatus auditum, quod, licet nos dudum Michaeli de Caesena olim ordinis Minorum generali ministro ......, ne de Romana curia sine nostra speciali licentia recederet, sub excommunicationis ac privationis et depositionis .... poenis et sententiis .... duxerimus districtius inhibendum ac deinde, quia ipse .... de curia praedicta latenter, furtive ac ignominiose recessit, nos ipsum de fratrum nostrorum consilio declaraverimus praedictas poenas et sententias incurrisse ... : ipse tamen .... se dicti ministeriatus officio, a quo privatus et depositus erat, ... immiscendo quendam vocatum Azolinum de ordine praedicto, nepotem suum, de facto et ut sua insania in ampliorem multorum notitiam deveniret, vicarium praesumpsit constituere in partibus Lombardiae. Qui quidem Azolinus, Dei et ecclesiae retroiecta reverentia et sui ordinis honestate calcata, huiusmodi vicariatus officium praesumptuose et dampnandis ausibus nititur exercere, quodque Haudederus de Bertonorio, inquisitor haer. prav. dudum in Romandiola deputatus, et Amissinus de Caesena nonnullique alii eiusdem ordinis fratres .... praefatis Michaeli et Azolino adhaerere super praedictis et obedire praesumpserunt hactenus et praesumunt. Cum autem non deceat nec expediat, praesumptuosos et perniciosos excessus huiusmodi absque correctione debita praeterire, fraternitati tuae per apostolica scripta committimus et mandamus, quod praefatum Azolinum, ut praesumptum vicariatus officium huiusmodi dimittat omnino realiter et effectualiter, se nullatenus per se vel alium seu alios ulterius intromissurus de illo, dictosque Haudederum et Amissinum ac alios quoscumque praedicti ordinis fratres, ne dicto Azolino adhaereant vel obediant in praemissis, per publici propositionem edicti proponendi et affigendi in loco seu locis publicis, de quibus tibi videbitur, vel alias, prout expedire cognoveris, per te vel alium seu alios moneas efficaciter et inducas necnon praefatos Azolinum, Haudederum et Amissinum et quosvis alios eiusdem ordinis fratres eidem Azolino super praedictis adhaerentes vel obedientes (quos nos, nisi dictus Azolinus ab exercitio dicti praesumpti officii et dicti fratres ab ipsius adhaesione et obedientia infra certum terminum per te sibi super hoc praefigendum destiterint, talia vel similia numquam de cetero commissuri, exnunc prout extunc tamquam scismaticos ac haereticorum et scismaticorum fautores et ecclesiae Romanae rebelles excommunicationis innodamus sententia et omnibus tam exemptionis quam aliis quibuscunque privilegiis ...... ordini praefato .... ab apostolica sede concessis privamus .....) in ecclesiis et locis tuae legationis .... publice studeas nuntiare, ad poenas alias contra ipsos et eorum singulos per te, prout eorum proterva contumacia exegerit et tibi expedire videbitur, infligendas nihilominus processurus. Et insuper praefatos Azolinum et adhaerentes sibi super praedictis capi facias et fideliter custodiri subdendos, prout aequitas rationis suaserit, ecclesiasticae disciplinae; invocato ad hoc, si necesse fuerit, auxilio brachii saecularis, contradictores *etc.* Dat. Avinione, XII kal. septembris, anno tertiodecimo.

In e. m. (m. m.) *rectori ducatus Spoletani.*

In e. m. (m. m.) *marchiae Ancon. vicerectori.*

---

[1] In e. m. capitulo eccl. Vencien., clero ac populo civ. et dioec. Vencien., archiepiscopo Ebredunen. Cfr. infra n. 1051.

[2] Reg. Vat. t. 115, f. 44, ep. 287; cfr. infra n. 734.

[3] Reg. Vat. t. 115, f. 6, ep. 41.

733. Ministro provinciali Lombardiae ord. Min. facultatem mittendi duos fratres ad praedicandum in civ. Ferrarien. concedi iubet. [1]

1328, septembris 20, Avinione.

Bertrando episcopo Ostiensi, apostolicae sedis legato.

De tuae circumspectionis industria gerentes in Domino fiduciam specialem, ut dilecto filio .. ministro fratrum ordinis Minorum provinciae Lombardiae duos fratres sui ordinis, viros utique probatae fidelitatis et vitae ac litteratura et morum maturitate suffultos et in sacerdotio constitutos, mittendi ad civitatem Ferrariensem ad praedicandum verbum Dei ac ipsos ad observationem inviolabilem interdicti ecclesiastici, cui dicta civitas subiacere noscitur, inducendum valeas, si hoc expedire videris, quibuscumque processibus nostris contrariis nequaquam obstantibus, licentiam impertiri, fraternitati tuae facultatem plenariam tenore praesentium elargimur. Datum Avinione, XII kalendas octobris, anno tertiodecimo. [2]

734. Contra religiosos et saeculares, qui interdictum, cui Urbs subiacebat, violabant et de sede apost. in favorem Ludovici Bav. et Petri de Corbaria obloquebantur, procedi iubet. [3]

1328, septembris 20, Avinione.

Iohanni s. Theodori diacono cardinali, apost. sedis legato.

Ad nostri apostolatus auditum *etc.* Dat. [Avinione] XII kalendas octobris, anno tertiodecimo.

735. Episcopum Spoletanum et rectorem ducatus Spoletani contra Petrum Gloti de Calciata procedere iubet. [4]

1328, septembris 24, Avinione.

Episcopo Spoletano et Iohanni de Amelio ducatus Spoletani rectori.

Cum, sicut accepimus, Petrus Gloti dictus de Calciata, qui ab ordine fratrum Minorum apostatasse dicitur et de crimine haeresis existere multipliciter irretitus, in tua, frater episcope, civitate vel diocesi nostris teneatur carceribus mancipatus, nos de ipso, qui ut asseritur in suis pessimis haeresibus et erroribus perdurans pertinaciter resilire ab illis et ad unitatem ecclesiae redire recusat, [volentes] exhiberi iustitiae complementum, discretioni vestrae per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus ea solerti adhibita in hac parte diligentia, quae debet in negotio fidei adhiberi, inquisitiones, quae contra ipsum super dictis haeresibus et erroribus aliisque scismatis et haeresis crimina tangentibus, de quibus respersus fore dicitur, factae fuerint, in statu, quo eas repereritis, resumentes easque complentes, si qua forsan restarent de illis complenda, seu de novo adversus eum veritatem, sicut vobis expedientius videbitur, super praedictis et eorum singulis inquirentes ad correctionem et punitionem eiusdem haeretici secundum sanctiones canonicas sic solerter et fideliter procedatis, quod inde possit et debeat vestra circumspectio merito commendari: nobis, quicquid super hiis feceritis, quantocius rescripturi. Datum Avinione, VIII kalendas octobris, anno tertiodecimo.

736. Vicerectorem marchiae Anconitanae fratribus Ioanni de Ancona et Servodei ord. Min., inquisitoribus haer. prav., de bonis haereticorum confiscatis providere iubet. [5]

1328, septembris 26, Avinione.

Fulconi de Popia marchiae [Anconit.] vicerectori.

Cum dilecti filii Iohannes de Anchona et Servusdei de Penna sancti Iohannis de ordine fratrum Minorum, inquisitores haereticae pravitatis in marchia Anchonitana, cuius vicerector existis, auctoritate apostolica deputati, qui propter executionem sui officii se multis laboribus et periculis exposuerunt hactenus et ea subire continue, sicut accepimus, solerter et fideliter non omittunt, de insufficienti provisione super suis necessariis graviter conqueruntur: nos volentes eis decenter super hiis provideri, discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatinus de confiscationibus bonorum de haeresi damnatorum factis et faciendis in marchia supradicta sufficientem provisionem eis et eorum cuilibet pro suis praedictis necessariis studeas assignare: nos inde redditurus quantocius nihilominus certiores. Datum Avinione, VI kalendas octobris, anno tertiodecimo.

737. Matthaeum de Castropetri ord. Min. praeficit ecclesiae Balneoregien in episcopum. [6]

1328, octobris 5, Avinione.

Dilecto filio Matthaeo de Castropetri [7] *electo Balneoregien.*

Nuper siquidem ecclesiae Balneoregien., [8] eidem ecclesiae Romanae immediate subiecta, vacante (pro eo, quod nos dilectum filium Tramum Urbevetan.

---

[1] Reg. Vat. t. 115, f. 6, ep. 42.

[2] Aliis litteris d. d. 23 maii 1329 summus pontifex committit eidem legato, quod suspenso interdicto, de quo supra est sermo, permittat incolis vicinis communicare cum Ferrariensibus (l. c. f. 11, ep. 65).

[3] Reg. Vat. t. 115, f. 3, ep. 18.

[4] Reg. Vat. t. 115, f. 41, ep. 269; cfr. supra n. 731.

[5] Reg. Vat. t. 115, f. 29, ep. 190.

[6] Reg. Vat. t. 89, ep. 791, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 96.

[7] Qui idem esse videtur atque ille Matthaeus de Castropetri ord. Min., qui iam a. 1297 a capitulo Balneoreg. in suum quidem episcopum electus, tum vero a summo pont. non admissus erat. Die 23 Dec. 1342 transfertur ad ecclesiam Acerrarum.

[8] *Bagnorea* inter *Viterbo* et *Orvieto*, quo de loco s. Bonaventura oriundus erat.

tum Balneoregien. electum, in illis partibus existentem, a vinculo, quo ipsi Balneoregien. ecclesiae, cui praeerat, tenebatur, de fratrum nostrorum consilio et apostolicae plenitudine potestatis absolventes, ipsum ad Urbevetanam ecclesiam tunc vacantem duximus transferendum, praeficiendo eum illi in episcopum et pastorem) nos praecavere volentes, ne dicta Balneoregien. ecclesiae prolixae vacationis exponeretur incommodis, cum nullus praeter nos *etc.*, post deliberationem, quam de praeficiendo eidem ecclesiae Balneoregien. personam utilem ac etiam fructuosam habuimus cum eisdem fratribus diligentem, demum ad te ordinis fratrum Minorum professorem, in sacerdotio constitutum, de religionis zelo, vitae munditia, honestate morum, aliisque virtutum meritis nobis et fratribus nostris eisdem ex fide dignorum testimoniis multipliciter commendatum, direximus oculos nostrae mentis. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, intendentes tam dictae Balneoregien. ecclesiae quam Dominico gregi eius utiliter et salubriter providere, de persona tua ipsi Balneoregien. ecclesiae de ipsorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus teque illi in episcopum praeficimus et pastorem, curam et administrationam ipsius Balneoregien. ecclesiae tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo *etc.* Datum Avinione, III nonas octobris, anno tertiodecimo. [1]

738. Ioannem Minoritam praeficit ecclesiae Ayacien. in episcopum. [2]

1328, octobris 17, Avinione.

Venerabili fratri Ioanni episcopo Ayacien.

Summi dispositione rectoris *etc.* Ecclesiae siquidem Ayacien[3] iamdudum sui pastoris regimine destituta, nos intendentes dictae ecclesiae Ayacien. idoneam praesidere personam, cuius industria, scientia et virtute praefata ecclesia posset feliciter gubernari, post deliberationem, quam super hoc cum fratribus nostris habuimus diligentem, tandem in te ordinis fratrum Minorum professorem, in sacerdotio constitutum, cui litterarum scientiam, vitae munditiam, morum elegantiam, aliaque dona virtutum tibi desuper concessarum ex fide dignis testimoniis suffragari percepimus, intuitum direximus nostrae mentis. Quibus omnibus paterna deliberatione pensatis, de persona tua nobis et eisdem fratribus ob exigentiam tuorum meritorum accepta Ayacien. ecclesiae eidem de fratrum ipsorum consilio providemus teque illi necnon omnibus et singulis Armenis et Latinis degentibus in civitate et dioecesi Ayacien. praeficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesiae tam in spiritualibus quam in temporalibus committendo plenarie, tibique postmodum fecimus per venerabilem fratrem nostrum Bertrandum episcopum Tusculanum munus consecrationis impendi *etc.* Datum Avinione, XVI kalendas novembris, anno tertiodecimo. [4]

739. Ioannem de Ancona ord. Min. praeficit ecclesiae Senogalien. in episcopum. [5]

1328, novembris 7, Avinione.

Dilecto filio Iohanni de Ancona electo Senogaliensi.

Licet continuata supervenientium negotiorum instantia *etc.* Nuper siquidem ecclesia Senogaliensi[6] eidem ecclesiae Romanae immediate subiecta vacante (pro eo, quod nos venerabilem fratrem nostrum Fredericum Ariminensem tunc Senogaliensem episcopum, in illis partibus existentem, a vinculo, quo ipsi ecclesiae Senogaliensi, cui tunc praeerat, tenebatur, de fratrum nostrorum consilio et apostolicae potestatis plenitudine absolventes, ipsum ad Ariminensem ecclesiam tunc vacantem duximus transferendum, praeficiendo eum illi in episcopum et pastorem; ac deinde eidem Senogaliensi ecclesiae sic vacanti de persona dilecti filii Iohannis de sancta Victoria ordinis Heremitarum sancti Augustini de consilio fratrum eorumdem providimus, qui huiusmodi provisioni nostrae renuit consentire) nos igitur praecavere volentes, ne dicta ecclesia Senogaliensis prolixioris vacationis exponeretur incommodis, cum nullus praeter nos *etc.*, post deliberationem, quam de praeficiendo eidem Senogaliensi ecclesiae personam utilem ac etiam fructuosam habuimus cum eisdem fratribus diligentem, demum ad te ordinis fratrum Minorum professorem, sacrae theologiae doctorem et in sacerdotio constitutum, [7] de religionis zelo, vitae munditia, honestate morum aliisque virtutum meritis, nobis et fratribus nostris ex fidedignorum testimoniis multipliciter commendatum, direximus oculos nostrae mentis. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, intendentes tam dictae ecclesiae Senogaliensi quam Dominico gregi eius utiliter ac salubriter providere, de persona tua nobis

[1] In e. m. capitulo eccl. Balneoreg. necnon clero ac populo civ. et dioec. Balneoreg.

[2] Reg. Vat. t. 89, ep. 272, apud *Wadd.* l. c. n. 97.

[3] *Ajassi* in Armenia minori, cui hucusque nullus episcopus praefuisse videtur. Sunt, qui perperam scribunt, illum Ioannem fuisse episcopum ecclesiae Adiacien. (*Ajaccio*) in ins. Corsica.

[4] In e. m. clero ac populo civ. et dioec. Ayacien., « catholico » Armenorum, Leoni regi Armeniae.

[5] Reg. Vat. t. 89, f. 173, ep. 431; cfr. infra n. 962.

[6] *Sinigaglia* in Romandiola.

[7] Inquisitorem quoque haer. prav. in marchia Ancon. (cfr. supra n. 736 et infra n. 762 et 763).

et fratribus ipsis accepta, ipsi ecclesiae Senogaliensi de praedictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi in episcopum praeficimus et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo *etc.* Datum Avinione, VII idus novembris, anno tertiodecimo. [1]

740. Ad Clarissas Nemausen. privilegia Clarissis Avinion. concessa extendit eaque exemplari iubet. [2]

1328, novembris 20, Avinione.

Dilectis in Christo filiabus abbatissae et conventui monasterii sanctae Clarae Nemausen. ordinis eiusdem sanctae.

Annuere consuevit sedes apostolica piis votis et honestis petentium desideriis precibusque favorem benevolum impertiri. Sane nuper, ut omnibus privilegiis dilectis in Christo filiabus abbatissae et conventui monasterii sanctae Clarae Avinion. ordinis eiusdem sanctae sive sancti Damiani ab apostolica sede concessis gaudere et uti libere valeretis, vobis auctoritate apostolica per nostras certi tenoris litteras duximus indulgendum. Verum, quia vobis valde difficile redderetur, quotiens indigeretis privilegiis supradictis, ad easdem abbatissam et conventum habere recursum, tria a fel. rec. Alexandro IV et unum ab Urbano IV praedecessoribus nostris Romanis pontificibus privilegia eisdem abbatissae et conventui concessa, plumbeis ipsorum praedecessorum bullis munita, pro parte vestra nobis exhibita, ad vestrae supplicationis instantiam inspeximus diligenter ipsorumque tenores de verbo ad verbum (nihil addendo vel remoto, quod mutare posset substantiae veritatem) vestris precibus inclinati praesentibus adnotari fecimus ad cautelam et transcripta ipsorum bullae nostrae appensione muniri ad perpetuam memoriam futurorum. Tenores autem privilegiorum ipsorum tales sunt *ut supra p. 122, not. 2.*

Ceterum, ut huiusmodi privilegiorum ipsorum tenores seu transcripta omnimodam rei seu facti certitudinem faciant sic inserta, apostolica auctoritate decernimus, ut per se sola exhibita illam vim et eundem vigorem habeant per omnia in iudicio et extra iudicium, quem originalia privilegiorum ipsorum obtinerent, et quod eis adhibeatur fides, sicut originalibus adhiberetur eisdem. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, XII kalendas decembris, anno tertiodecimo.

741. Rectorem ducatus Spoletani inquirere iubet contra fratres Min., qui receptis processibus adversus Michaelem de Caesena factis eidem adhuc adhaerent. [3]

1328, novembris 28, Avinione.

Iohanni de Amelio ducatus Spoletani rectori.

Ad nostri apostolatus pervenit auditum, quod (licet nos dudum contra Michaelem de Caesena, olim fratrum ordinis Minorum generalem Ministrum, certum processum habuerimus, per quem ipsum suis culpis gravibus ac enormibus excessibus exigentibus excommunicationis innodavimus sententia et etiam declaravimus innodatum, ipsumque ab officio ministeriatus ordinis praelibati privavimus et ad gradus, honores et status ac beneficia quaecunque ecclesiastica obtinenda reddidimus inhabilem et indignum, ac deinde processum eundem et contenta in eo, ne fratres dicti ordinis et fideles alii per astutias, fraudes et calliditates dicti Michaelis eiusque complicum circumveniri valerent quomodolibet, per te mandaverimus in locis decretae tibi provinciae, de quibus tibi videretur expediens, publicari ac moneri ministros, custodes, guardianos et alios fratres ordinis praelibati sub excommunicationis in personas et interdicti in ecclesias et loca ipsorum necnon depositionis ab officiis et inhabilitatis ad quoscunque honores, dignitates, gradus et status ecclesiasticos poenis et sententiis, quae non obstantibus quibuscunque privilegiis apostolicis sibi vel ordini sub quacunque forma vel expressione verborum concessis, quae quo ad hoc nulli voluimus suffragari, eos, qui contra monitionem huiusmodi aliquid attemptare praesumerent, incurrere voluimus ipso facto, ut nulli dictum Michaelem excommunicatum ac inhabilem ad honores, gradus et beneficia ecclesiastica redditum ut praefertur haberent, reputarent seu tenerent pro ministro nec eidem parerent vel obedirent nec praestarent per se vel alium, publice vel occulte, auxilium, consilium vel favorem, sed eum potius ac ipsius complices velut excommunicatos ac de haeresis et scismatis suspectos criminibus evitarent, tuque processum eundem iuxta mandatum nostrum huiusmodi publicaveris et monitionem praedictam feceris, sicut per instrumenta inde facta publica plene liquet) aliqui tamen praedicti ordinis fratres, velut in sensum dati reprobum, poenas et sententias non metuentes sed eas deducentes potius damnabiliter in contemptum, praefatis Michaeli et complicibus adhaeserunt et adhaerere ac praestare auxilium, consilium et favorem praesumpserunt hactenus et praesumunt, eidem ut ministro praefati ordinis suisque complicibus, non sine magna temeritatis audacia, intendendo et obe-

[1] In e. m. capitulo ac vassallis eccl. Senogalien. necnon clero ac populo civ. et dioec. Senogalien. De intruso in sedem Senog. cfr. infra n. 755 et 763.

[2] Reg. Vat. t. 89, ep. 336, apud *Wadd.* l. c. reg. Io. XXII, n. 99; cfr. supra n. 727.

[3] Reg. Vat. t. 115, f. 41, ep. 272; cfr. supra n. 718.

diendo aliaque horrenda et execrabilia circa haec in suarum animarum salutis dispendium multipliciter committendo. Nos autem nolentes excessus sic enormes et perniciosos huiusmodi relinquere, si praemissis suffragetur veritas, incorrectos, discretioni tuae per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus ad inquirendum super praemissis summarie, simpliciter et de plano procedens omnes illos et singulos, quos in praemissis et circa ea veniendo temere contra monitionem huiusmodi repereris in praedicta provincia deliquisse, in poenas et sententias incidisse praedictos nominatim et singulariter declarare studeas ac etiam nunciare, ulterius contra eos iuxta sanctiones canonicas, praemissis omnibus non obstantibus, processurus nosque redditurus de hiis, quae in hac parte egeris, quomodolibet certiores. Datum Avinione, IV kalendas decembris, anno tertiodecimo.

741[a]. Episcopum Burgen. monet, ut communitati castri de Ordealibus concedat facultatem aedificandi monasterium ordinis s. Clarae. [1]

1328, decembris 1, Avinione.

Venerabili fratri episcopo Burgen. [2]

Nuper dilecti filii commune castri de Ordealibus tuae dioecesis nobis significare curarunt, quod dictum castrum situm est supra mare et quod ex navali commercio eorumdem victus et subsidia habere noscuntur, ita quod aliquando viri ac merces et cetera, quae ad ipsorum sustentationem pertinent, dum vehuntur per innumera pericula, quae ibidem frequenter accidunt, submerguntur, periclitantur et penitus amittuntur; ex quo provenit, quod in dicto castro multae nobiles tam viduae quam pupillae, virgines et orphanae, orbatae parentibus et bonis temporalibus destitutae, pie respicientes huiusmodi temporalia existere transitoria et caduca, si haberent locum aptum ad serviendum Deo sub voto sanctae obedientiae, voluntarie se offerrent: propter quod praefati commune et eorum singuli in dicto castro morantes, unanimiter zelo fidei et devotionis accensi, ad divini cultus augmentum, ut per hoc utilitati et necessitati eorum et etiam conscientiae valeat provideri, quoddam monasterium ordinis sanctae Clarae pro virginibus, viduis, pupillis et orphanis et aliis supradictis in loco decenti et honesto ad exercendum divinum cultum aedificare proponunt et eis providere de necessariis omnibus, ut regularis observantia in eodem monasterio perpetuo valeat relucere. Quare dicti commune nobis humiliter supplicarunt, ut, cum olim in dicto castro quoddam monasterium dicti ordinis constructum fuerit de licentia bonae memoriae Mathaei sanctae Mariae in Porticu diaconi cardinalis, tunc auctoritate apostolica ipsius ordinis protectoris [3], quamvis illud, ut asserunt, ex quodam infortunio, quod eidem castro tunc temporis accidit, inter alia extiterit ignis incendio concrematum, construendi huiusmodi monasterium dicti ordinis intra vel extra muros dicti castri concedere licentiam dignaremur.

De tuae igitur circumspectionis industria plenam in Domino fiduciam obtinentes, dictorum communis in hac parte supplicationibus inclinati, fraternitati tuae, qui de praemissis et eorum circumstantiis habere poteris notitiam pleniorem, per apostolica scripta mandamus, quatenus praefatis communi construendi et aedificandi intra vel extra muros dicti castri huiusmodi monasterium dicti ordinis cum cappella seu oratorio ac domibus et aliis necessariis officinis concedas auctoritate nostra, si hoc expedire videris, plenam et liberam facultatem. Datum Avinione, kalendis decembris, anno tertio decimo.

742. Episcopum et abbatem mon. s. Petri Perusinos contra fratrem Humilem, custodem ord. Min. in provincia s. Francisci, adhaerentem Michaeli de Caesena procedere iubet. [4]

1328, decembris 2, Avinione.

Episcopo Perusino et abbati monasterii sancti Petri Perusini.

Etsi grave gerat sedes apostolica quorumlibet transgressorum excessus, illis tamen provocatur vehementius, qui a personis religionem professis, a quibus honorari deberet mandatorum observantia, committuntur. Nuper siquidem fama seu infamia potius publica referente ad nostri apostolatus pervenit auditum, quod, licet *etc. ut supra n. 741,* tamen Humilis, custos fratrum eiusdem ordinis in provincia sancti Francisci, ad illicita et inconsulta dilapsus, tam in capitulo suo dudum celebrato Perusii quam in locis diversis aliis multa contra tenorem processus et monitionis praedictorum adhaerendo dicto Michaeli ac in ipsius suorumque complicum necnon rebellium, haereticorum ac scismaticorum commendationem et favorem diffamationemque ac detractionem praedicti processus et contentorum in ipso dixisse, procurasse ac fecisse (non sine suspicione vehementi haeresis et scismatis criminum) dicitur in divinae maiestatis offensam, apostolicae sedis contumeliam et contemptum suique ordinis opprobrium et salutis propriae detrimentum. Nolentes itaque, sicut etiam nec de-

---

[1] Reg. Vat. t. 89, ep. 359; apud *Wadd.* l. c. n. 98.
[2] *Burgos* in Hispania.
[3] Cfr. huius op. t. IV, p. 18.
[4] Reg. Vat. t. 115, f. 52, ep. 275; cfr. supra n. 687.

bemus, excessus huiusmodi relinquere, si eis suffragetur veritas, incorrectos, discretioni vestrae per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus super praedictis et ea tangentibus (summarie, simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura iudicii) veritatem diligentius inquirentes praefatum Humilem, si eum culpabilem repereritis in hac parte, excommunicationis, depositionis et inhabilitatis poenas declaretis incurrisse praedictas, ipsumque alias iuxta sanctiones canonicas (etiam ad degradationem, si hoc delicti qualitas exegerit, procedendo) taliter corrigere ac punire, non obstantibus supradictis, studeatis, quod talia vel similia non attemptet de cetero ac aliis eius exemplo perterritis merito praecludatur aditus in similibus delinquendi: nobis, quicquid inde feceritis, fideliter rescripturi. Datum Avinione, IV nonas decembris, anno terciodecimo.

743. Rodulfum Minoritam praeficit ecclesiae Dunen. in episcopum. [1]

1328, decembris 12, Avinione.

Venerabili fratri Rodulpho episcopo Dunen.

Dum ad universas orbis ecclesias *etc.* Dudum siquidem bonae memoriae Thoma episcopo Dunen. tunc regimini Dunen. ecclesiae praesidente *etc.* nos intendentes eidem ecclesiae, cum eam vacare contingeret, personam idoneam per apostolicae sedis providentiam praesidere, provisionem ipsius ecclesiae ea vice, quam cito eam vacare contingeret, dispositioni nostrae et sedis praedictae duximus reservandam *etc.* Postmodum autem dicto Thoma episcopo in illis partibus viam universae carnis ingresso, nos vacatione huiusmodi fide dignis relatibus intellecta de provisione ipsius ecclesiae, ne prolixae vacationis incommodis exposita remaneret, sollicite cogitantes, post vigilem quam ad praeficiendum eidem ecclesiae (de qua nullus praeter nos hac vice disponere potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis) idoneam approbatamque personam adhibuimus diligentiam, demum ad te ordinis fratrum Minorum professorem, in sacerdotio constitutum, de religionis zelo, litterarum scientia, spiritualium providentia, aliisque virtutum meritis nobis et fratribus nostris ex fide dignorum testimonio multipliciter commendatum, direximus oculos nostrae mentis. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, intendentes tam dictae ecclesiae Dunen. quam Dominico gregi eius utiliter et salubriter providere, de persona tua ipsi ecclesiae Dunen. de praedictorum fratrum consilio auctoritate apostolica duximus providendum, teque illi in episcopum praefecimus et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, tibique postmodum fecimus per venerabilem fratrem nostrum Bertrandum episcopum Tusculanum munus consecrationis impendi *etc.* Datum Avinione, II idus decembris, anno tertiodecimo. [2]

744. Archiepiscopum Arboren. contra schismaticos et haereticos in insula Sardiniae insurgentes procedere iubet. [3]

1328, decembris 20, Avinione.

Archiepiscopo Arborensi vel eius vicario.

Praecipuum quod officio nostri apostolatus incumbit *etc.* Sane ad aures nostras horribili et nefanda quam plurimum insinuatione pervenit, quod tam in terra Saxariensi quam in aliis insulae Sardiniae partibus quidam ex haereticali contagio insurrexerunt scismatici et pravissimi catholicae fidei detractores infectis mentibus, cordibus corruptis ac pollutis (immo verius putridis) labiis multa publice loquentes obscoena, dampnabilia nihilominus et blasfema iactantes, in Dei, nostrum et apostolicae sedis obprobrium, grave scisma et scandalum universalis ecclesiae, fidei christianae dispendium et suarum periculum animarum. Super quibus iuxta nostri ministerii debitum cupientes, quantum cum Deo possumus, opportuno remedio providere, ac gerentes in hiis et aliis de tuae circumspectionis industria fiduciam in Domino pleniorem, discretioni tuae per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus de praemissis (simpliciter, summarie et de plano sine strepitu et figura iudicii) per te vel alium seu alios, opportuna informatione recepta, quos de hiis per informationem ipsam inveneris esse culpabiles vel nocentes, cuiuscumque status, ordinis aut conditionis extiterint, sic iuxta sacrorum instituta canonum et alias exigente iustitia corrigere ac punire procures, quod in poena suos agnoscant errores et culpas, eos taliter excessisse poeniteat et reliquis formidine territis iustitiae debito satisfiat: contradictores *etc.*, non obstantibus *etc.* Datum [Avinione], XIII kalendas ianuarii, anno tertiodecimo.

---

[1] Reg. Vat. t. 89, ep. 676, apud *Wadd.* l. c. n. 108; cfr. infra n. 832.

[2] In e. m. capitulo ac vassallis eccl. Dunen., clero ac populo civ. et dioec. Dunen., archiepiscopo Armachan., Eduardo regi Angliae. Capitulum Dunen. successorem Thomae episcopi elegit Ioannem de Ballinconningham reetorem eccl. de Ardwyn dioec. Dunen., qui a metropolitano confirmationem quoque et munus consecrationis obtinuit, sed obsistente provisione apostolica episcopus nullius eccl. existebat, usquedum die 5 ian. 1330 a Ioanne XXII ecclesiae Corkagen. praeficitur in episcopum.

[3] Reg. Vat. t. 115, f. 138, ep. 286. — Haec bulla, quamquam ordinem Minorum non respicit directe, nihilominus hic referenda est visa. Aliis litteris eodem die datis (l. c. ep. 825) summus pontifex eundem archiepiscopum contra illos nequitiae filios, tam clericos quam laicos, qui in terra Saxariensi ac in aliis terris et locis insulae Sardiniae manifestas usuras exercent, procedere iubet.

745. Excusat se erga Lucam de Castello ord. Min., administratorem eccl. Cuman., quod loco eius alium in ipsius praefecerit episcopum. [1]

1328, decembris 21, Avinione.

Lucae de Castello ordinis fratrum Minorum.

Miraris forsitan et tanquam oblivioni datus de nostro ulterius favore non speras, dum Cumanae ecclesiae, cuius administrator eras abhactenus, de alio [2] quam de te, fili, providimus iam pastore. Verum scienter hoc procul dubio fecimus, cum malitia turbati status eiusdem ecclesiae ac personae tuae conditione pensatis nec administratio tua sibi proficeret nec ipsa tibi nunc ecclesia fluctuans expediret; nihilominus tanquam in nostra memoria residens indubie teneas, quod, cum facultas opportuna se offeret, prout tibi per operis patebit indicium, te habebimus tuis suadentibus meritis commendatum. Datum Avinione, XII kalendas ianuarii, anno tertiodecimo. [3]

746. Minum ministrum provincialem Thusciae, qui ab adhaesione Michaelis de Caesena recessit, habet de ista adhaesione excusatum monetque eum, ut bene agat. [4]

1328, decembris 21, Avinione.

Mino ministro fratrum Minorum in provincia Tusciae.

Super eo, quod dicebaris ab hactenus Michaelis de Caesena olim generalis ministri fratrum ordinis tui latentem et fugitivum praescivisse recessum de Curia, sibique multipliciter adhaesisse in ipsis partibus et astitisse post fugam, quandam subscriptionem (?) praeterea et quaedam alia in contemptum ac praeiudicium nostrum et apostolicae sedis illicite ac plectibiliter attemptasse, quamquam de illis coniecturae quam plurimae habendum nobis suggererent te suspectum, quia tamen super hiis plura in contrarium postea fecisse asseris, quae nobis taliter suggesta fuerunt detestanda, teque nobis alias super eis fidedigni nonnulli humilitate devota et devotione humili, quam praetendisse videntur, per eorum litteras excusarunt: nos sperantes, quod erga sanctam Romanam ecclesiam dictamque sedem in laudibus et continuis actibus devotionis et fidei, quam tibi mater ipsa fidelitas et religionis tuae professio persuadent, evidentius comproberis, habere te volumus super appositis excusatum, discretionem tuam nihilominus paternis affectibus exhortantes, ut ad laudabilia eiusdem devotionis et fidei opera sic nitaris et perseveres in eis, quod in hac parte nulla te nota infamiae maculet, ac praeter divinae retributionis praemium apud nos et praefatam sedem digna proficias tibi laude. Datum [Avinione], XII kalendas ianuarii, anno tertiodecimo.

747. Aggravat processus contra fratres Minores Saonenses Michaeli de Caesena adhaerentes habitos. [5]

1328, decembris 23, Avinione.

Ad futuram rei memoriam.

Ad nostri apostolatus audientiam dudum multorum fidedigna relatione perducto, quod filius ille gehennae Michael de Caesena, olim fratrum ordinis Minorum generalis minister, tam in Urbe, ubi per totam quadragesimam tunc praeteritam et amplius moram traxerat, quam in nonnullis Italiae partibus horribilia multa et factiones detestandas diversas cum haereticis et hostibus ecclesiae sanctae Dei fecerat et inierat et inire continue, sicut abhominanda facta sua subsecuta postmodum manifestarunt evidentius, satagebat, aliaque nonnulla tam in ordine quam extra non erubescebat committere, quae in divinae maiestatis offensam, nostram et apostolicae sedis contumeliam ac fidelium et devotorum ecclesiae iacturam notabilem dictorumque haereticorum et hostium favorem non modicum redundabant: nos hiis obviare cupientes salubriter, praefatum Michaelem propter hoc ad nostram praesentiam duximus per nostras certi tenoris litteras evocandum. Demum vero ipso in nostra praesentia constituto, nos (venerabili fratre nostro Bertrando episcopo Tusculano et quibusdam aliis personis notabilibus ordinis eiusdem praesentibus) eidem causam suae vocationis exposuimus et sibi, quod de praemissis volebamus veritatem inquirere, duximus intimandum, ipsum nihilominus, quamvis suis exigentibus iuste posset et deberet carcerali mancipari custodiae, libertati suae propter honorem dicti ordinis relinquentes, iniuncto tamen eidem per nos sub virtute sanctae obedientiae ac excommunicationis et depositionis a ministeriato suo et inhabilitatis perpetuae ad quodlibet officium et beneficium ecclesiasticum obtinendum poenis et sententiis, quas ipsum, si contra faceret, incurrere voluimus ipso facto, ne de Romana curia recedere quomodolibet praesumeret absque nostra licentia speciali: ipse vero, tanquam male sibi de praedictis conscius (mandatis, inhibitionibus et poenis praedictis contemptis) dampnabiliter se furtive, latenter ac de nocte cum quibusdam suis complicibus reddidit de dicta curia fugitivum, poenas incurrendo praedictas, sicut etiam eas per nos postmodum declaratus de fratrum nostrorum consilio extitit incurrisse.

---

[1] Reg. Vat. t. 115, f. 28, ep. 175; cfr. supra n. 664.

[2] Scil. Benedicto de Asnago ord. Praed., mag. theol., litteris die 8 dec. 1328 datis (cfr. Reg. Vat. t. 89, ep. 588).

[3] A Clemente VI die 31 martii 1343 ille Lucas, tum poenitentiarius apostolicus, ecclesiae Lauden. *(Lodi)* praeficitur in episcopum.

[4] Reg. Vat. t. 115, f. 30, ep. 254.

[5] Reg. Vat. t. 115, f. 78, ea. 471; cfr. supra n. 728.

Rursus idem Michael post fugam huiusmodi ad Pisanam civitatem, quae per rebelles et inimicos Dei et ecclesiae tyrannice detinebatur, sicut adhuc detinetur, se conferens et ibi cum dictis inimicis et rebellibus moram trahens, custodi, gardiano et conventui praedicti ordinis Minorum Saonensium per suas non absque multa insania dedit litteras in mandatis, ut interdictum, cui civitas Saonensis certis ex causis auctoritate apostolica subiacebat, sicut adhuc noscitur subiacere, quodque tam per cathedralem quam per alias religiosorum et saecularium dictae civitatis ecclesias et personas ecclesiasticas fuerat usque tunc reverenter et debite observatum, nullatenus ulterius observarent, talia in eisdem litteris interserens et affirmans, per quae manifestum haereticum et scismaticum se ostendit. Cum itaque fratres et conventus praedicti Saonenses, caeci caecum sequentes ad praecipitium seque gravibus poenis et criminibus involvere non verentes, litteris et mandatis tam iniquis ac iuri et rationi obviis et a tam reprobo et insani homine contra Deum et sanctam suam ecclesiam emanatis paruissent dampnabiliter (celebrando alta voce seu potius, quantum in eis erat, profanando divina officia, campana pulsata, ecclesiaeque suae apertis ianuis) interdictum huiusmodi, sicut fama seu infamia praedicabat publica et rei notoriabat evidentia, temere violassent, in excommunicationis et varias poenas alias inflictas contra tales a canonibus incurrendo: nos, licet tunc possemus acrius super tam gravibus et enormibus excessibus procedere contra eos, more tamen patris benivoli conversionem eorum a tam periculosis deviis ad veritatis semitam expectantes, ipsos et eorum singulos ac fautores et praestantes eisdem in praemissis auxilium, consilium vel favorem monuimus et in Domino fuimus exhortati, eisque nihilominus et eorum singulis sub virtute sanctae obedientiae ac sub poenis privationis omnium privilegiorum eis per sedem apostolicam concessorum sive circa praedicandi officium vel confessiones audiendi aut ad sepulturam recipiendi eorum corpora, qui apud eos eligerent sepeliri, sive circa quaecunque alia eidem ordini sub quacunque forma verborum indulta, nec non et sub poenis omnibus, quae contra committentes talia seu eis circa illa praestantes auxilium, consilium vel favorem a canonibus infliguntur seu ordinantur infligi (quas omnes et singulas tam conventum loci praedicti in perpetuum et singulares personas eiusdem conventus et alias, quae, ut praedicta fieret interdicti violatio, consenserunt seu dederunt auxilium, consilium vel favorem, si praedictis monitionibus et mandatis non parerent, incurrere voluimus ipso facto) districtius duximus iniungendum, ut infra festum assumptionis beatae Mariae Virginis dominae nostrae tunc proximo instans efficaciter et reverenter ad praedicti observationem interdicti redirent illudque observarent inviolabiliter, donec per sedem apostolicam foret aliud super hoc ordinatum, ac de illius violatione et ceteris per ipsos in praedictis commissis excessibus nobis satisfactionem congruam exhiberent: alioquin conventum civitatis eiusdem Saonensis et fratres omnes et singulos praelibati ordinis, qui praefatis nostris non parerent exhortationibus, monitis et mandatis, ex tunc privavimus et privatos denunciavimus omnibus et singulis privilegiis, gratiis, libertatibus et immunitatibus quibuscumque dicto ordini eiusque professoribus per sedem eandem sub quacunque forma verborum concessis eosque incidisse in omnes poenas contra committentes praemissa vel aliquod praemissorum inflictas per sacros canones seu ordinatas infligi pronuntiandum duximus et etiam declarandum; nec nostrae intentionis extitit per dilationem praedictam licentiam aliquam fratribus praedictis super aliquibus concedere, quae ipsis agere interdicto durante praedicto huiusmodi non liceret. Et ut idem processus noster super praedictis habitus ad communem omnium deduceretur notitiam, cartas sive membranas processum continentes eundem ostiis seu superliminaribus Avinionensis ecclesiae appendi fecimus et affigi.

Sane quia, licet aliqui fratres singulares conventus Saonensis praedicti ordinis, ab eodem recedentes conventu et a devio divertentes praedicto, ad nostra et ecclesiae humiliter redierint gremium et mandata, conventus tamen et reliqui fratres ipsius, tanquam in malum obstinati et in profundum peccatorum demersi, perdurantes in suis praedictis erroribus dictoque Michaeli et aliis haereticis et scismaticis eorumque fautoribus et sequacibus dampnabiliter adhaerentes et praestantes auxilium, consilium et favorem, infra dictum terminum vel etiam postea parere non curaverunt praedictis exhortationibus salubribus, monitionibus et mandatis, sed praemissis, per quae sibi perditionis adimebatur laqueus et via parabatur salutis, obdurantes, tanquam in sensum dati reprobum, aures suas, praedictos detestandos excessus continuare illisque deteriores et horribiliores adiicere praesumpserunt hactenus in suae dampnationis cumulum et praesumpserunt: nos nolentes, sicut etiam nec debemus, quod tam detestanda facinora in domini et salvatoris nostri Iesu Christi obprobrium, ecclesiae suae sanctam contumeliam et contemptum ac fidei et fidelium grande scandalum per conventum et fratres praedictos commissa in succedentia temporum saecula transeant sine recordatione punitionis debitae, praedictum conventum et fratres, qui ad obedientiam nostram et ecclesiae ac gremium et mandata redire hactenus non curarunt, omnibus privilegiis per sedem praedictam apostolicam eisdem indultis, sive circa praedicandi officium vel confes-

siones audiendi aut ad sepulturam recipiendi corpora illorum, qui apud eos elegerint sepeliri, sive circa quaecunque alia eidem ordini sub quacunque forma verborum indulta fore privatos ac irregularitatis et alias praedictas poenas et sententias incurrisse pronuntiamus ac etiam declaramus, eosque privamus nihilominus dictis privilegiis, gratiis, libertatibus et immunitatibus ad cautelam; universis fidelibus, clericis et laicis, cuiuscunque conditionis, status, ordinis vel dignitatis existant, mandantes tenore praesentium et sub excommunicationis poena, quam contrarium facientes incurrere volumus ipso facto, districtius inhibentes, ne ad conventum ac fratres inobedientes praedictos pro sepulturis, confessionibus et praedicationibus aut aliis supradictis recurrere seu [eis] adhaerere vel ipsos adire quoquomodo praesumant. Ut autem processus noster huiusmodi ad eorumdem conventus et fratrum ac aliorum omnium, quos tangit seu tangere poterit in futurum, communem notitiam deducatur, cartas sive membranas processum continentes eundem ostiis seu superliminaribus Avinionensis ecclesiae appendi fecimus et affigi, ut nullam possint excusationem praetendere, quod ad eos non pervenerit vel quod ignorarint eundem, cum non sit verisimile quoad ipsos remanere incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. Datum Avinione, X kalendas ianuarii, anno tertiodecimo.

748. Priori provinciali Aragoniae ord. Praed., inquisitori haer. prav., mandat, ne guardianum fratrum Min. Caesaraugustan. amplius molestet. [1]

1328, decembris 29, Avinione.

Priori provinciali fratrum ordinis Praedicatorum provinciae Caesaraugustanae, inquisitori haereticae pravitatis.

Cum ex eo, quod contra gardianum fratrum ordinis Minorum Caesaraugustanorum, quem praedicasse dampnatam per constitutiones nostras [2] haeresim et in eam asseris incidisse, procedere rigide incepisti, possent in eius partibus scandala, sicut accepimus, suscitari, maxime quia praefatus gardianus se dixisse ac praedicasse diffitetur praemissa et, si ea dixit forsitan, se non sic intellexisse, sicut imponuntur eidem, sed se potius credere firmiter et tenere asserit, quae declarata et determinata sunt per constitutiones easdem, anathematizando contrarium ac esse erroneum et haereticum asserendo, et praemissa se offert publice praedicare: discretioni tuae praesentium tenore mandamus, quatinus oblata huiusmodi recipiens et admittens, postquam idem gardianus ea dixerit et publice praedicaverit, sicut offert, eum occasione huiusmodi absque speciali mandato nostro alio de cetero non molestes. Datum [Avinione], IV kalendas ianuarii, anno tertiodecimo.

749. Scribit Alfonso regi Aragonum, se mandasse eidem priori provinciali, ne ulterius procedat contra guardianum supradictum. [3]

1328, decembris 29, Avinione.

Alfonso Regi Aragonum illustri.

Litteris dudum receptis regiis, quibus praecaveri regia providentia petiit scandalis, quae pro eo formidabat in eis partibus suscitari, quod .. prior provincialis fratrum ordinis Praedicatorum earum partium, inquisitor haereticae pravitatis, contra gardianum fratrum Minorum Caesaraugustanorum, quem in haeresim per constitutiones nostras dampnatam incidisse asserebat, procedens eum crudeliter persequebatur et dure, licet idem gardianus diffiteretur dixisse, quae dictus prior imponebat eidem, seque paratum offerret publice praedicare, quod ea non dixerat, et si forsan aliqua dixerat, ea non intellexerat, ut opponebatur eidem, sed potius credit et tenet, quae declarata et determinata sunt per constitutiones praedictas, anathematizando contrarium ac erroneum et haereticum asserendo: regali excellentiae meminimus rescripsisse, quod nos, qui ubique ac praesertim in regno tuo intra nostra praecordia iugiter recumbenti scandala cupimus evitari, supersederi protunc mandavimus a praemissis; nunc autem, licet aliud fieri contra praedictum gardianum rigor iustitiae suaderet, volentes mitius agere consideratione regia in hac parte, volumus et eidem priori per alias litteras nostras mandamus, ut praedicta, quae offert dictus gardianus super praedictis, recipiat et eis per ipsum gardianum completis eundem de cetero absque mandato nostro alio speciali occasione huiusmodi non molestet. Datum [Avinione], IV kalendas ianuarii, anno tertiodecimo.

750. Dispensat cum Georgio Cepulla de Albingano, monacho mon s. Petri de Bergolio ord. s. Ben. Aquen. dioec., ita ut non obstante, quod professus fuerit ord. Min., quem de sui superioris licentia exivit, ad ordinem s. Ben. se transferens possit assumi ad omnes sui ordinis dignitates praeter abbatialem. [4]

1329, ianuarii 2, Avinione.

Dilecto filio Georgio Cepulla de Albingano, monacho mon. s. Petri de Bergolio ord. s. Ben. Aquen. dioc.

Religionis zelus *etc.* Dat. Avinione, IV nonas ianuarii, anno tertiodecimo.

---

[1] Reg. Vat. t. 115, f. 171, ep. 983; cfr. supra n. 729 et infra n. 749.
[2] Cfr. supra n. 557.
[3] Reg. Vat. t. 115, f. 171, ep. 982; cfr. supra nn. 729 et 748.
[4] Reg. Vat. t. 92, ep. 3180.

751. Ministrum provincialem prov. Castellae inquirere iubet contra Stephanum Salamantinum, olim ministrum prov. s. Iacobi, qui oblocutus est in sedem apostolicam. [1]

1329, ianuarii 13, Avinione.

Ministro fratrum ordinis Minorum provinciae Castellae.

Quamvis moleste sint sedi apostolicae quorumlibet insolentiae transgressorum, illis tamen non immerito vehementius provocatur, quae a personis religiosis, per quas deberet honorari praeceptorum observantia, committuntur. Sane dudum ad nostri apostolatus auditum fidedignae assertionis relatione pervenit, quod Stephanus Salamantinus ordinis fratrum Minorum, olim eorundem fratrum provinciae sancti Iacobi minister, adversus sedem apostolicam et coetum fratrum nostrorum sanctae Romanae ecclesiae cardinalium temerariis et praesumptuosis ausibus obloquendo varias proferre labiis suis pollutis blasfemias non expavit, nonnulla detestanda alia etiam verbo et facto in detractionem honoris et reverentiae dictae sedis ac favorem haereticorum et scismaticorum eorumque fautorum et defensorum tractando nequiter ac etiam committendo: propter quae venerabilis frater noster Bertrandus episcopus Tusculanus, dictorum fratrum generalis vicarius auctoritate apostolica deputatus, praefatum Stephanum ab officio dicto ministeriatus suspendens et alium subrogans loco sui, eundem Stephanum citari mandavit peremptorie, ut infra certum sibi super hoc praefixum terminum se super praemissis excusaturus, si posset, coram nobis et eodem episcopo apud sedem apostolicam personaliter compareret. Cum autem idem Stephanus ratione infirmitatis sui corporis a comparitione coram nobis et eodem episcopo se nitatur, ut accepimus, excusare, nos nolentes, quod propter hoc tot horrenda facinora, quot ipse contra nos et eandem sedem commisisse dicitur, remaneant, si relatibus suffragetur veritas, incorrecta, discretioni tuae per apostolica scripta in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo mandamus, quatenus viso tenore cuiusdam informationis alias factae super hoc, cuius transumptum in aliis nostris litteris interclusum tibi loco articulorum mittimus, tam cum personis praedicti Minorum quam aliorum ordinum et aliis saecularibus, de quibus tibi videbitur, super praedictis et ea tangentibus ac quibusvis aliis per eum contra dictam sedem eiusque honorem commissis (summarie, simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura iudicii) diligentius veritatem inquirens, si praelibatum Stephanum, de cuius persona te ante omnia tenere volumus, ne fugam quaerere valeat, securum et cautum, de hiis, quae continentur in informatione praedicta, et aliis supradictis per inquisitionem tuam huiusmodi culpabilem repereris et nocentem, eundem sic corrigere studeas et punire, quod talia vel similia non praesumat attemptare de cetero ipsiusque correctio ceteris praesumptoribus transeat in exemplum: nos de omnibus et singulis, quae circa praedicta repereris et quomodolibet egeris, redditurus per instrumenta publica inde conficienda nihilominus certiores. Datum [Avinione], idibus ianuarii, anno tertiodecimo.

752. Destinat eidem ministro provinciali transumptum cuiusdam informationis contra praedictum Stephanum. [2]

1329, ianuarii 13, Avinione.

Ministro fratrum Minorum provinciae Castellae.

Ut in negotio inquisitionis contra Stephanum Salamantinum ordinis fratrum Minorum tibi per alias nostras litteras commisso melius et certius procedere valeas iuxta traditam per easdem litteras tibi formam, ecce quod tibi transumptum cuiusdam informationis adversus ipsum Stephanum factae super detestandis blasfemiis et excessibus, verbis et factis, per eum contra sedem apostolicam eiusque honorem et reverentiam commissis, ut dicitur, inclusum praesentibus destinamus. Datum Avinione, idibus ianuarii, anno tertiodecimo. [3]

753. Dispensat cum Guidone de Macy monacho mon. s. Dionysii Parisien. dioec., ita ut non obstante, quod fuerit professus ord. Min., quem sui superioris obtenta licentia exivit ad ordinem s. Ben. se transferens, vocem in capitulo habere et beneficium vel officium sui ordinis licite obtinere valeat. [4]

1329, ianuarii 15, Avinione.

Dilecto filio Guidoni de Macy monacho mon. s. Dionysii in Francia ord. s. Ben.

Apostolicae sedis copiosa benignitas *etc.* Datum Avinione, XVIII kal. februarii, anno tertiodecimo.

---

[1] Reg. Vat. t. 115, f. 150, ep. 887.

[2] Reg. Vat. t. 115, f. 150, ep. 893; cfr. supra n. 751.

[3] Die 22 ian. 1329 scribit summus pontifex Valasco viceministro provinciae s. Iacobi, se gratas habere et ratas illas tallias, quae ad prosequendum utilius contra Stephanum Salamantinum olim fratrum ord. Min. provinciae s. Iacobi ministrum, sedis apostolicae ac eius honoris et reverentiae blasphemum, temerarium et nequissimum ut asseritur detractorem, negotium inchoatum sunt ordinatae, eumque hortatur, quatenus easdem exigere et in usus praedictos ad honorem Dei et ecclesiae prudenter et provide dispensare procuret (l. c. ep. 894).

[4] Reg. Vat. t. 90, ep. 1784.

754. Bertrando ep. Ostien. et sedis apost. legato committit, ut procedat contra Franciscum de Tergesto, ministrum prov. Sclavoniae ord. Min. depositum. [1]

1329, ianuarii 15, Avinione.

Bertrando episcopo Ostiensi, apostolicae sedis legato. [2]

Ad apostolicae sedis audientiam nuper fidedigna relatione pervenit, quod, licet Franciscus de Tergesto ordinis fratrum Minorum tam in capitulo dicti ordinis generalis dudum Bononiae celebrato quam etiam ex superabundanti postmodum per venerabilem fratrem nostrum Bertrandum episcopum Tusculanum, administratorem generalem ordinis praelibati auctoritate apostolica deputatum, ab officio ministeriatus fratrum dicti ordinis provinciae Sclavoniae, quod tunc gerebat, amotus fuerit certis causis rationabilibus et privatus, ipse tamen Franciscus praetextu litterarum Michaelis de Caesena (olim dicti ordinis generalis ministri de Romana curia fugitivi, excommunicati ac de haeresis et scismatis criminibus vehementer suspecti et ab eodem ministeriatus generalis officio privati auctoritate apostolica suis demeritis exigentibus et ad quoscunque honores, gradus et status ecclesiasticos inhabilis redditi et indigni) haereses et errores enormes et pessimos continentium, quas sibi post privationem huiusmodi dicitur destinasse, se dicto officio ministeriatus in eadem provincia Sclavonia ingessisse ac ingerere (tanquam in sensum datus reprobum) dicitur et litteras diversas, in quibus se vocabat ministrum fratrum dictae provinciae, haeresibus et erroribus non vacuas, nonnullis conventibus et fratribus praedicti ordinis destinasse, tam propter praemissa quam alia horrenda, quae committere non expavit, se fautorem, sequacem et complicem dicti Michaelis manifeste reddendo. Nolentes itaque praemissa, sicut etiam nec debemus, relinquere, si eis suffragetur veritas, incorrecta, fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatinus, si per summariam informationem super hoc faciendam tibi constiterit de praedictis, eundem Franciscum capi faciens et fideliter custodiri ad ipsius correctionem et punitionem procedere secundum sanctiones canonicas non omittas: non obstantibus exemptionis *etc.* Contradictores *etc.* Datum Avinione, XVIII kalendas februarii, anno tertiodecimo.

755. Contra Thomam de Rocca de Mathelica ordinis Eremitarum s. Augustini in Senogalien., Conradum Teutonicum ordinis Eremitarum s. Augustini in Auximan., Vitalem de Urbino ord. Min. in Firman. ecclesias intrusos procedi iubet. [3]

1329, ianuarii 15, Avinione.

Universis episcopis per marchiam Anconitanam constitutis et Fulconi de Popio thesaurario ecclesiae Andegavensis, marchiae praedictae rectori.

Ad audientiam nostri apostolatus nuper assertio infestae relationis perduxit, quod perditionis et iniquitatis alumpni Thomas de Rocca de Mathelica Heremitarum sancti Augustini in ecclesia Senogaliensi et Vitalis de Urbino Minorum in Firmana ac Conradus Theothonicus eiusdem Heremitarum ordinum in Auximana olim cathedralibus ecclesiis per manus haereticorum et scismaticorum intrusi et alii nonnulli complices et fautores ipsorum personas ecclesiasticas Senogaliensis, Urbinatis et olim Firmanae et Auximanae civitatum et dioecesium ad respondendum et parendum eisdem intrusis scismaticis et haereticis inducere et compellere non sine divinae maiestatis offensa et sedis apostolicae contumelia suarumque animarum dispendiis moliuntur. Nos igitur huiusmodi dampnatis obviari conatibus et ipsarum personarum ecclesiasticarum, quae in nostra et ecclesiae Romanae devotione persistunt, praecaveri super hiis indempnitatibus cupientes, discretioni vestrae per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus vos et quilibet vestrum in solidum per vos vel alium seu alios adversus eosdem scismaticos et haereticos eorumque fautores et complices (cuiuscumque sint conditionis, ordinis, dignitatis aut status, etiam si pontificali vel quavis alia dignitate praefulgeant) iuxta sanctiones canonicas procedentes omnibus et singulis personis ecclesiasticis supradictis exemptis et non exemptis, religiosis et saecularibus, cuiuscunque sint conditionis aut status, iniungatis districtius sub excommunicationis et poenis aliis adversus fautores et defensores haereticorum et scismaticorum inflictis, quas eos, si secus fecerint, incurrere volumus ipso facto, inhibeatis expresse, ne praedictis intrusis aut quibusvis aliis eorum nomine vel mandato pareant quomodolibet vel intendant nec sibi de quibuscunque iuribus ad ecclesias praedictas spectantibus respondeant quoquomodo, sed eos potius tanquam haereticos et scismaticos, quantum in eis fuerit, evitare procurent, praelatis et administratoribus ecclesiarum praedictarum ipsarumque dioecesium catholicis et per nos creatis et deputatis ibidem parendo et intendendo ac de iuribus respondendo praedictis. Illos vero, qui dictis intrusis haereticis et scismaticis aut eorum alicui

[1] Reg. Vat. t. 115, f. 9, ep. 52.
[2] In Lombardia.
[3] Reg. Vat. t. 115, f. 32, ep. 209; cfr. infra n. 763 et supra not. ad n. 721 *a*.

vel alii seu aliis eorum nomine vel mandato parendo, intendendo, obediendo seu impendendo tacite vel expresse, publice vel occulte, per se vel alium seu alios auxilium, consilium vel favorem, sive de praedictis vel aliis quibuscunque iuribus eis respondendo contra mandatum et inhibitionem huiusmodi aut beneficia seu officia ecclesiastica recipiendo ab ipsis vel eorum aliquo, praesumpserint aliquid attemptare, in poenas declaretis incidisse praedictos, contra ipsos tamquam contra fautores et defensores haereticorum et scismaticorum tam ad executionem poenarum ipsarum quam alias, prout excessus eorum exegerit, secundum sanctiones canonicas, summarie simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura iudicii nihilominus processuri: non obstantibus *etc.* Et insuper, ut illos de praemissis culpabiles vel suspectos, de quibus vobis videbitur, citare peremptorie valeatis, ut infra certum competentem per vos sibi praefigendum terminum sub excommunicationis ac privationis beneficiorum suorum ecclesiasticorum quorumcumque (etiam dignitatum, personatuum et officiorum, cum cura vel sine cura) et inhabilitatis ad illa vel alia imposterum obtinenda poenis et sententiis apostolico conspectui personaliter se praesentent, super praedictis pro meritis recepturi ac responsuri et facturi, quod iustitia suadebit, vobis et vestrum cuilibet in solidum plenam concedimus tenore praesentium facultatem. Diem autem *etc.* Datum Avinione, XVIII kalendas februarii, anno tertiodecimo.

756. Mandat episcopo Florentino (simulque administratori eccl. Firmanae) et rectori marchiae Anconitanae, ut procedant contra nonnullos religiosos tam Mendicantium quam aliorum ordinum in marchia Anconitana, qui cum Ludovico Bavaro et Petro de Corbaria ac Michaele de Caesena tractatus inire illicitos et sedi apostolicae ipsiusque honori et reverentiae detestandis oblocutionibus detrahere atque excessus alios enormes committere contra Deum et sedem praedictam suis horrendis facinoribus non verentur. [1]

1329, ianuarii 15, Avinione.

Francisco episcopo Florentino [2] *et Fulconi de Popio, thesaurario eccl. Andegaven., marchiae Anconitanae rectori.*

Pervenit nuper ad nostri apostolatus auditum *etc.* Dat. Avinione, XVIII kal. februarii, anno tertiodecimo.

757. Mandat episcopo Saonen., ut contra fratres Min. Saonenses et Albinganenses interdictum ecclesiasticum violantes procedat. [3]

1329, ianuarii 15, Avinione.

Federico episcopo Saonen.

Cum nonnulli fratres ordinis Minorum in Saonen. et Albinganen. civitatibus et dioecesibus commorantes violando interdictum ecclesiasticum, cui praedicta Saonensis civitas subiacere certis causis noscitur, et Michaeli de Caesena olim dicti ordinis generali ministro.... adhaerendo et alia nefanda et horribilia nequiter committendo Deum ac nos et sedem apostolicam graviter offenderint, diversas excommunicationis et alias poenas et sententias tam a nobis quam per iura contra tales inflictas incurrere dampnabiliter non verentes seque reddentes dictis criminibus vehementer suspectos: fraternitati tuae, de qua fiduciam in Domino gerimus specialem, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus adversus omnes et singulos eiusdem ordinis fratres earumdem civitatum et dioecesium, quos (summarie, simpliciter et de plano) culpabiles de praedictis repereris vel suspectos, non obstantibus *etc.*, tam per executionem poenarum praedictarum ac captionem et detentionem personarum earundem quam alias secundum sanctiones canonicas procedere studeas diligenter; invocato ad hoc, si necesse fuerit, auxilio brachii saecularis; contradictores *etc.* Dat. Avinione, XVIII kal. februarii, anno tertiodecimo.

758. Eidem episcopo concedit facultatem fratres Min. Saonen. ad gremium Ecclesiae redire volentes admittendi et absolvendi. [4]

1329, ianuarii 15, Avinione.

Eidem episcopo.

Cum nonnulli fratres *etc. ut supra (n. 757) usque* non verentes, et ipsorum aliqui necnon et aliae personae dictarum civitatum et dioecesium ecclesiasticae, quae violasse similiter interdictum huiusmodi asseruntur, cupiant, sicut accepimus, retrahere a devio huiusmodi pedes suos et redire cum humilitate ac satisfactione debitis ad eiusdem ecclesiae gremium et mandata et praedictum interdictum de cetero tenaciter observare: nos illius, quantum possumus, cui proprium est miserere et parcere, vestigia imitantes, fraternitati tuae, de qua fiduciam in Domino gerimus specialem, illos ex eisdem fratribus et personis aliis ecclesiasticis, qui poenitentia ducti ad eiusdem ecclesiae redire voluerint gremium et mandata interdictumque observare praedictum, adhaesione tamen et fautoria dicti Michaelis ac sequacium et fautorum suorum per dictos fratres penitus abiuratis, recipiendi ad nostram et eiusdem ecclesiae obedientiam et eos a praedictis excommunicationis sententiis iuxta formam ecclesiae absolvendi et dispensandi cum eis super irregularitate, quam ex praemissis celebrando

[1] Reg. Vat. t. 115, f. 33, ep. 210.
[2] De quo cfr. supra p. 297 not. 3.
[3] Reg. Vat. t. 115, f. 8, ep. 45. Cfr. supra n. 747 et infra n. 758.
[4] Reg. Vat. t. 115, f. 8, ep. 46.

divina et immiscendo se illis dictis ligati sententiis (non tamen in contemptum clavium) contraxerunt, necnon et eos restituendi ad statum [pristinum] plenam usque ad tres menses a data praesentium computandos concedimus auctoritate praesentium facultatem: adiecto tamen specialiter et expresse, quod, si contingeret eos, quibus de absolutionis et dispensationis ac restitutionis gratia duxeris auctoritate praesentium providendum, ad violationem interdicti praedicti aut adhaesionem rebellium nostrorum et eiusdem ecclesiae seu scismaticorum et haereticorum aut fautorum ipsorum redire (quod absit), in easdem poenas et sententias, quibus innodati essent ante absolutionis, dispensationis et restitutionis praedictarum concessionem, relabantur et subiaceant ipso facto. Dat. ut supra.

759. Clarissis Claromonten. concedit, quod non trahi possint in iudicium extra civitatem Claromonten. [1]

1329, ianuarii 21, Avinione.

Dilectis in Christo filiabus... abbatissae et conventui monasterii sanctae Clarae Claromontensis, ordinis eiusdem sanctae.

Sacra vestra religio *etc.* Ut igitur eo libentius quo quietius vacare divinis operibus valeatis, devotioni vestrae tenore praesentium indulgemus, ut vos vel vestrum aliquae extra civitatem Claromontensem per literas apostolicas iam impetratas, per quas nondum ad citationem partium sit processum, seu etiam impetrandas, cuiuscumque tenoris existant, dummodo infra civitatem ipsam paratae sitis, de vobis conquerentibus coram competenti iudice iustitiae plenitudinem exhibere, conveniri minime valeatis, nisi in litteris ipsis de indulto huiusmodi plena et expressa mentio habeatur. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, XII kalendas februarii, anno tertiodecimo.

760. Elisabeth comitissae Iuliacen. (viduae Gerardi com. Iul.) concedit, quod semel in anno possit ingredi monasteria ord. s. Clarae aliarumque monialium inclusarum in civ. vel dioec. Colonien. existentia. [2]

1329, ianuarii 24, Avinione.

Dilectae in Christo filiae nobili mulieri Elisabeth comitissae Iuliacen.

Exigit tuae devotionis integritas *etc.* Dat. Avinione, IX kal. februarii, anno tertiodecimo. [3]

761. Dispensat cum Bernardo de Ponte monacho prioratus de Tornaco ord. Clun. dioec. Nemausen., ita ut non obstante, quod professus fuerit ord. Min., quem, cum eius asperitatem propter debilem complexionem absque sui corporis incommodo sustinere non posset, exivit, a ministro ordinis obtenta licentia ordinem s. Ben. intrans, vocem in capitulo habere et beneficia atque officia sui ordinis obtinere valeat. [4]

1329, ianuarii 24, Avinione.

Dilecto filio Bernardo de Ponte monacho prioratus de Tornaco Clun. ord. Nemausen. dioec.

Religionis zelus *etc.* Dat. Avinione, IX kal. februarii, anno tertiodecimo.

762. Ioanni ep. Senogalien. (ord. Min.), qui antea erat inquisitor haer. prav., committit, ut hoc officium etiam in dignitate episcopali constitutus exerceat. [5]

1329, ianuarii 25, Avinione.

Ioanni episcopo Senogalensi.

Ut negotium inquisitionis haereticae pravitatis, quod in marchia Anchonitana pridem, antequam per nos fuisses ad dignitatem episcopalem assumptus, gerebas, non remaneat destitutum, volumus, quod [hoc officium] in provincia dictae marchiae usque ad nostrum beneplacitum exerceas, super quo tuae fraternitati facultatem plenam tenore praesentium concedimus sicut ante. Datum Avinione, VIII kalendas februarii, anno tertiodecimo. [6]

763. Eidem episcopo et inquisitori haer. prav. mandat, ut contra illos intrusos (cfr. n. 755) procedat. [7]

1329, ianuarii 25, Avinione.

Eidem inquisitori haereticae pravitatis in marchia Anchonitana auctoritate apostolica deputato.

Ad nostri apostolatus auditum nuper infestae relationis assertione pervenit, quod perditionis et iniquitatis alumpni Thomas de Rocca de Mathelica Heremitarum sancti Augustini in tua Senogaliensi et Vitalis de Urbino Minorum in Firmana ac Conradus Theuthonicus eiusdem Heremitarum ordinum in Auximana olim cathedralibus ecclesiis per manus haereticorum et scismaticorum intrusi et alii nonnulli complices et fautores ipsorum personas ecclesiasticas et saeculares Senogaliensis, Urbinatis et olim Firmanae ac Auximanae civitatum et dioecesium ad respondendum et parendum eisdem intrusis scismaticis et haereticis inducere et compellere nonnullaeque dictarum personarum sibi pa-

---

[1] Reg. Vat. t. 89, f. 323, ep. 852; cfr. infra n. 799.
[2] Reg. Vat. t. 90, ep. 1653.
[3] Aliis litteris eodem die datis summus pontifex eandem facultatem concedit Ricardi ducissae Bavariae (uxori Ottonis ducis Bav. infer., filiae Guilelmi com. Iul.) et Ioannae comitissae Iuliacen. (uxori Guilelmi com. Iul.). Cfr. Reg. Vat. t. 90, epp. 1674 et 1675.
[4] Reg. Vat. t. 90, ep. 1300.
[5] Reg. Vat. t. 115, f. 33, ep. 211; cfr. supra n. 739.
[6] Aliis litteris eodem die datis eundem Ioannem necnon ecclesiam et negotia ipsius commendat rectori marchiae Ancon., nobili viro Tano de Esio (*Iesi*), communi Ancon., cui communi sicut aliis civitatibus finitimis insuper mandat, ut assistant rectori marchiae Anconitanae in repellendo illum hostem Dei et ecclesiae (sc. Ioannem comitem de Claromonte), quem Bavarus ad eandem marchiam misit (l. c. epp. 228, 229, 234; cfr. infra n. 807).
[7] Reg. Vat. t. 115, f. 33, ep. 212.

rere seu intendere (non sine Dei offensa, fidei laesione catholicae ac sedis apostolicae contumelia suarumque animarum dispendiis) moliuntur. Nos autem huiusmodi dampnatis haereticorum et scismaticorum obviari conatibus ac fidei et fidelium in hac parte praecaveri periculis cupientes, fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus adversus eosdem intrusos, scimaticos et haereticos, nec non tam ipsorum quam aliorum gehennae filiorum Ludovici de Bavaria, Petri de Corvaria, haereticorum et scismaticorum, et Michaelis de Caesena olim ordinis praedicti fratrum Minorum generalis ministri de Romana curia fugitivi, excommunicati et ab officio dicti ministeriatus depositi ac de scismatis et haeresis criminibus vehementer suspecti, fautores, complices, receptatores et defensores (cuiuscunque sint conditionis, ordinis, dignitatis et status, etiam si pontificali vel quavis alia praemineant dignitate), prout tibi ex officio inquisitionis haereticae pravitatis, quod in marchia Anchonitana gerere auctoritate apostolica dinosceris, competit, procedere (summarie, simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura iudicii) studeas diligenter, invocato ad hoc, si necesse fuerit, auxilio brachii saecularis: non obstantibus exemptionis *etc.* Per hoc autem, quominus tam ordinaria quam litterarum nostrarum aliarum venerabilibus fratribus nostris episcopis per marchiam constitutis praedictam et dilecto filio rectori eiusdem marchiae directarum auctoritate tam contra dictos intrusos quam eos, qui eis vel eorum alicui aut alii vel aliis eorum nomine seu mandato parerent, obedirent, faverent vel adhaererent aut de quibuscunque iuribus ad ecclesias et dioeceses pertinentes praedictas quomodolibet responderent, procedere (si, quando et quotiens tibi videbitur) valeas, tibi vel aliis praedictis adimere non intendimus potestatem; nostrae tamen intentionis et voluntatis existit, quod contra dictos haereticos et scismaticos eorumque fautores, complices, receptatores et defensores ac eis obedientes et adhaerentes per te dictosque episcopos et rectorem procedi valeat communiter vel divisim, et si procedatur divisim, vobis invicem teneamini, sicut iura praecipiunt, communicare processus. Datum [Avinione,] VIII kalendas februarii, anno tertiodecimo. [1]

764. Concedit indulgentias capellam in hon. b. Ludovici conf. in ecclesia B. M. V. de Pontiaco dioec. Melden. constructam visitantibus. [2]

1329, ianuarii 26, Avinione.

Universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis.

Vitae perhennis gloria *etc.* Cupientes igitur, ut capella beati Ludovici confessoris, quam quondam Guillelmus de Pontiaco ad honorem Dei et eiusdem sancti confessoris in ecclesia beatae Mariae de Pontiaco Meldensis dioecesis dudum construxit, congruis honoribus frequentetur, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui praedictam capellam in ipsius sanctissimi confessoris ac dedicationis eiusdem capellae festivitatibus: sexaginta, eis vero, qui per octo dies festivitates ipsas immediate sequentes devote visitaverint annuatim, singulis videlicet ipsarum festivitatum et octabarum diebus, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, quadraginta dies de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus. Datum Avinione, VII kalendas februarii, anno tertiodecimo.

765. Eliae de Nabinali ord. Min. mandat, ut Franciscum de Aesculo ord. Min. errores in Francia disseminantem capi faciat. [3]

1329, februarii 6, Avinione.

Helyae de Nabinali de ordine fratrum Minorum. [4]

Cum venerabilis frater noster Bertrandus episcopus Tusculanus, administrator ordinis fratrum Minorum generalis auctoritate apostolica deputatus, percepto nuper, quod Franciscus de Esculo [5] de ordine praedicto, fautor Michaelis de Caesena olim praelibati ordinis generalis ministri, ad civitatem Parisiensem et partes alias Franciae pro disseminandis pessimis erroribus et (quantum posset) cordibus fidelium religiosorum et aliorum ac praesertim carissimorum in Christo filiorum nostrorum .. regis et .. reginae Franciae illustrium aliorumque principum et magnatum a devotione ecclesiae subvertendis se iactaverat accessurum, dilectis filiis .. ministro, .. custodi et .. gardiano fratrum dicti ordinis Parisiensium ac .. confessori dictae reginae, ut praemissis, si dictus forsan Franciscus ea in partibus praedictis attemptare praesumit, quomodolibet obviantes eundem Franciscum capiant seu capi procurent ad sedem apostolicam sub fida custodia transmittendum, diversas clausas litteras,

[1] Die 7 martii summus pontifex rectorem marchiae Ancon. contra praedictos intrusos et eis adhaerentes denuo procedere iubet ipsique die 11 martii 1329 concedit facultatem absolvendi illos, qui ab ista adhaesione recedere et ad devotionem s. matris ecclesiae redire desiderant (l. c. f. 34, epp. 215 et 216).

[2] Reg. Vat. t. 90, f. 23, ep. 1061. Cfr. supra n. 696.

[3] Reg. Vat. t. 115, f. 119, ep. 700; cfr. *Chartul. Univ. Paris.* t. II, n. 886, et infra n. 908 et 909.

[4] Tunc Parisiis studenti, antea ministro prov. Aquitaniae, postmodum archiepiscopo Nicosien., patriarchae Hierosol., S. R. E. cardinali.

[5] Cfr. not. ad nn. 706, 795, 820, 910.

quas dilecto filio Geraldo de Campimulo cantori ecclesiae Parisiensis mittimus, providerit destinandas: discretionem tuam, de qua fiduciam in Domino gerimus specialem, rogamus et hortamur attente, quatinus eidem cantori super praemissis assistens, ut illi, quibus dictae litterae diriguntur, ipsorumque singuli circa executionem contentorum in eisdem litteris adhibeant diligentiam operosam, sic tuae sollicitudinis studium interponas, quod praeter perennis mercedis praemium nostram et eiusdem sedis gratiam uberius merearis: nobis, quae super praedictis acta quomodolibet fuerint, fideliter rescripturus. Datum Avinione, VIII idus februarii, anno tertiodecimo.

766. Inhibet episcopo Cracoviensi, ne molestet Clarissas Cracovienses contra privilegia ordini ipsarum praesertim de decimis non solvendis concessa. [1]

1329, februarii 11, Avinione.

Venerabili fratri Ioanni episcopo Cracovien.

Oblatae nobis pro parte dilectarum in Christo filiarum abbatissae et conventus monasterii sancti Andreae Cracovien. ordinis sanctae Clarae petitionis series continebat, quod tu ipsas super decimis quorundum novalium ad monasterium ipsum spectantium de facto molestas contra tenorem privilegiorum ipsis et eidem ordini per sedem apostolicam concessorum, propter quod eadem abbatissa et conventus eo minus circa divina obsequia, ad quae se spretis mundialibus dedicarunt, possunt intendere, quo [magis] ipsae in earum iuribus indebite perturbantur. Quocirca fraternitatem tuam rogamus et in Domino attentius exhortamur tibique per apostolica scripta mandamus, quatenus abbatissam et conventum easdem super dictis decimis contra tenorem privilegiorum huiusmodi aliqualiter non molestes. Datum Avinione, III idus februarii, anno tertiodecimo.

767. Contra fautores et sequaces Bavari, Petri de Corbaria, Michaelis de Caesena procedi eosque capi iubet. [2]

1329, februarii 11, Avinione.

Guilelmo de la Sala, rectori ecclesiae de Ostangiis Lemovicen. dioec. [3]

Auditui nostri apostolatus nuper innotuit, quod nonnulli perditionis alumpni, fautores et complices filiorum sathanae Ludovici de Bavaria, Petri de Corvaria et Michaelis de Caesena haereticorum et scismaticorum, ad nonnullas partes pro variis detestandis haeresibus et erroribus.... disseminandis et non sine magnis fidei et fidelium periculis et scandalis in eisdem partibus divulgandis .... se conferre dampnatis et praesumptuosis ausibus moliuntur. Nos autem eorum in hac parte tam periculosis et perversis conatibus obviari salubriter cupientes, discretioni tuae per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus quoscunque tales religiosos et saeculares, exemptos et non exemptos, investigare et perquirere diligenter ac ipsos et eorum singulos per te ubicunque repertos.... capere, carcerali mancipare custodiae ac ad apostolicam sedem mittere seu adducere sub fida custodia non postponas *etc.* Dat. Avinione, III idus februarii, anno tertiodecimo.

768. Episcopum Cortonen. monet, ut sit sollicitus in publicandis processibus contra illos, qui impugnant constitutionem *Cum inter nonnullos* aliasque similes, et contra Michaelem de Caesena habitis. [4]

1329, februarii 28, Avinione.

Raynerio episcopo Cortonensi.

Fraternitatis tuae litteris solita benignitate receptis et intellectis plenarie singulis, quae illarum series continebat, circa ea diligentiam tuae devotionis impensam dignis duximus in Domino laudibus commendandam. Et quia nonnullos Dei et ecclesiae sanctae suae maledicos seu blasfemos, ut scripsisti, capere intendebas, dictam fraternitatem tuam sollicitam reddimus et attentam, tibi nihilominus iniungentes, ut, si captivos ex eis habeas aliquos vel capere valeas, contra ipsos tanquam scismaticos et haereticos procedere non omittas: sciturus, quod processus contra mordentes constitutiones nostras et adversus dampnationis filium Michaelem de Caesena olim generalem ministrum ordinis fratrum Minorum per nos habitos tibi per latorem praesentium destinamus, quibus inspectis circa publicationem et executionem dictorum processuum et alia, quae Dei negotium et honorem ac favorem ecclesiae praedictae respiciunt, iuxta exhibitam per te nobis de tua sinceritate fiduciam et gratiam tibi datam a Domino sic te habeas diligenter, quod praeter divinae retributionis praemium tibi procures et tuis apud nos et apostolicam sedem favoris et gratiae incrementum. Datum [Avinione,] II kalendas marcii, anno tertiodecimo. [5]

---

[1] Reg. Vat. t. 92, ep. 3365, apud *Wadd.* l. c. n. 101; cfr. supra n. 568.

[2] Reg. Vat. t. 115, f. 104, ep. 598.

[3] Qui nuntius sedis apost. ad certas partes Italiae missus esse videtur.

[4] Reg. Vat. t. 115, f. 37, ep. 237.

[5] Aliis litteris eodem die datis summus pontifex commendat fratres Praedicatores et Eremitas s. Aug. necnon commune Cortonen. ac nominatim nobiles Raynerium et Hugucionem de industria et constantia, quibus episcopo Cortonen. procedenti contra nonnullos scismaticos unanimiter et inconcussibiliter adstiterunt (l. c. epp. 238 et 239); die autem 7 iunii 1329 eidem episcopo ac priori domus fratrum Praed. Corton. mandat, ut procedant contra quascunque personas Bavaro et Petro de Corvaria adhaerentes (l. c. f. 26, ep. 165). De conventu fratrum Min. Corton. cfr. infra nn. 780 et 802.

769. Mandat abbati mon. s. Petri Perusin., ut se informet, quibus de causis Ioannes Fedanzolae ord. Min., inquisitor haer. prav., ab hoc officio sit amotus. [1]

1329, martii 1, Avinione.

Abbati monasteri sancti Petri Perusini.

De causis vel occasionibus, propter quas dilectus filius Iohannes Fedanzolae de ordine fratrum Minorum ab officio inquisitionis haereticae pravitatis, quod in eis gerebat partibus, amotus fuisse pridem dicitur, informari volentes, discretioni tuae per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus solerter et diligenter super hiis te informans nobis, quicquid inde repereris, referre fideliter absque morae dispendio non postponas. Datum Avinione, kalendis martii, anno tertiodecimo.

770. Episcopo Lincolnien. aliisque mandat, ut Ioannem Beneyt presbyterum olim ord. Min., quem ex certis rationabilibus causis ipso summo pontifici expositis est egressus, in monachum mon. s. Mariae in Kirkestead ord. Cist. dioec. Lincoln. recipi faciant. [2]

1329, martii 6, Avinione.

Ven. fratri episcopo Lincolnien.

Cum dilectus filius Ioannes Beneyt *etc.* Dat. Avinione, II nonas martii, anno tertiodecimo.

771. Confirmat quasdam ordinationes a Bertrando ep. Tusculano et ordinis Min. vic. gen. circa officiales custodiae Ianuen. provinciae Ianuen. factas. [3]

1329, martii 7, Avinione.

Dilectis filiis universis fratribus ordinis Minorum de custodia Ianuen.

Iustis petentium desideriis dignum est nos facilem praebere consensum et vota, quae a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Exhibita siquidem nobis pro parte vestra petitio continebat, quod venerabilis frater noster Bertrandus episcopus Tusculanus, ordinis fratrum Minorum auctoritate apostolica vicarius generalis, ad ea, quae pacem et tranquillitatem eiusdem ordinis respiciunt, gerens sollicitudinem diligentem, statuit et observandum inviolabiliter ordinavit, quod de cetero nullus frater eiusdem ordinis in custodia Ianuen. vel pro ipsa custodia ad officium ipsius ordinis, utpote custodiariae, guardianiae, lectoriae, visitationis monasteriorum ordinis santae Clarae, vel quodvis aliud eiusdem ordinis officium valeat promoveri, nisi prius ab omnibus vel a maiori parte discretorum eiusdem custodiae Ianuen. electorum ad provinciale capitulum pro tempore celebrandum et quatuor discretis Ianuen. conventus, quos ad hoc dictae custodiae custos et guardianus Ianuen., qui pro tempore fuerint, duxerint assumendos, ad officium huiusmodi exercendum fuerit nominatus, nullusque possit ad haec de cetero nominari, nisi de ipsa custodia fuerit oriundus vel ab omnibus discretis dictae custodiae seu a maiori parte dictorum discretorum ad capitulum electorum fuerit admissus: nonnulla alia circa dictam custodiam ordinando, quae videntur iuri et iustitiae convenire, ministri et capituli generalium dicti ordinis auctoritate in omnibus semper salva, prout in litteris inde confectis eiusdem episcopi et vicarii sigillo munitis, quarum tenorem de verbo ad verbum praesentibus inseri fecimus, plenius continetur. Nos igitur vestris supplicationibus inclinati, ordinationem huiusmodi usque ad beneplacitum apostolicae sedis auctoritate apostolica confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus, ita quod nulli alii, etiam minister, qui erit pro tempore, et capitulum eiusdem ordinis generale, illam infringere valeant vel in aliquo immutare sine sedis eiusdem licentia speciali. Tenor autem dictarum litterarum talis est: « Frater Bertrandus, miseratione divina episcopus Tusculanus et ordinis fratrum Minorum auctoritate apostolica vicarius generalis, dilectis in Christo fratribus custodiae Ianuen. eiusdem ordinis salutem et pacem in Domino sempiternam. Sicut ad ea, quae pacem et tranquillitatem ordinis respiciunt universi, iuge votum et commissi nobis officii nos cura sollicitat, sic curae nobis est, universa, quae in singulis membris eius scandala generant, adducunt gravamina et allatura, quod absit, quandoque pericula formidantur, quantum nobis possibile est, removere. Tunc enim huius sacrae religionis obsequia Deo proculdubio fiunt grata, cum in ea nutritur caritas, indivisa unitas conservatur, retinetur plena concordia et pax integra confovetur, cum illa, quae vulnerant caritatem, unitatem dividunt, faciunt concordiam dissonare, pacem efficiunt impacatam et pervertunt iniquitate sua iustitiam, solerti studio procul a fratrum actibus relegantur. Ea propter tenore praesentium statuimus et observandum inviolabiliter ordinamus, quod de cetero nullus frater in custodia Ianuen. vel pro ipsa custodia ad officium ipsius ordinis, puta custodiariae, guardianiae, lectoriae, visitationis monasteriorum ordinis sanctae Clarae vel quodvis aliud eiusdem ordinis officium valeat promoveri, nisi prius ab omnibus vel a maiori parte discretorum eiusdem custodiae Ianuen. electorum ad provinciale capitulum pro tempore celebrandum, sed et quatuor nihilominus discretis Ianuen. conventus, quos

[1] Reg. Vat. t. 115, f. 43, ep. 278; cfr. supra n. 687.
[2] Reg. Vat. t. 92, ep. 3420.
[3] Reg. Vat. t. 90, ep. 1121, apud *Wadd.* l. c. reg. Io. XXII n. 102.

ad hoc dictae custodiae custos et guardianus Ianuenses, qui pro tempore fuerint, duxerint assumendos ad officium huiusmodi exercendum, fuerit nominatus, nullusque possit ad hoc de cetero nominari, nisi de ipsa custodia fuerit oriundus vel ab omnibus discretis dictae custodiae seu a maiori parte praedictorum discretorum ad capitulum electorum fuerit admissus. Praeterea cum custodia Ianuen. non sit maior fratrum numero et valore qualibet alia custodia provinciae Ianuen. [1] nec aliis custodiis in amplioribus honoribus praeferatur, iustum fore conspicitur, quod ipsa custodia plus ceteris custodiis provinciae memoratae in omnibus non gravetur: ita, cum dicta provincia Ianuen. sex dumtaxat custodias habere noscatur, dicta custodia Ianuen. in oneribus et expensis per ipsam provinciam supportandis contribuere teneatur de cetero tantummodo sextam partem in pecunia vel libris iuxta aestimationem taxandis. Ad haec, cum iustitia unicuique, quae sua sunt, tribuat: libros et quaevis alia, quae nunc pertinent de cetero ad dictam custodiam vel aliquem fratrum ipsius custodiae pertinebunt, tam praelatus quam subditus ex alia custodia qualibet, ad quos libri vel alia huiusmodi bona devenerint, praefatae Ianuen. custodiae restituere teneantur, ministri et capituli generalium dicti ordinis auctoritate in omnibus semper salva. In quorum omnium testimonium efficax et fidem indubiam praesentes litteras, statuta et ordinationes continentes praedicta sigilli nostri fecimus appensione muniri. Datum Avinione, anno domini MCCCXXIX XVI die mensis februarii, indictionis XII, pontificatus sanctissimi patris et domini nostri Ioannis divina providentia papae XXII anno XIII. » Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, nonis martii, anno tertiodecimo.

772. Mandat Senensibus, ut processus contra haereticos (praesertim Ludovicum Bavarum et Petrum de Corbaria) habitos publicent atque observent necnon exemplum Florentinorum sequentes stratas et passus, quibus itur Pisas et Luccam, quae civitates occupatae erant a Bavaro eiusque sequacibus, faciant claudi, neve participent cum iis, qui obediunt ipsis Bavaro et Petro de Corbaria. [2]

1329, martii 7, Avinione.

Communi Senen. [3]

Cum sicut non credimus *etc.* Dat. [Avinione], nonis martii, anno tertiodecimo.

773. Archiepiscopis et episcopis in Alamania constitutis mandat, ut Michaelem de Caesena, Bonagratiam de Pergamo, Guilelmum de Okam ord. Min., ubicunque reperti fuerint, capiant carceralique mancipent custodiae. [4]

1329, martii 7, Avinione.

Archiepiscopo Colonien. eiusque suffraganeis.

Sicut vestram credimus prudentiam non latere, nos dudum, postquam Michael de Caesena olim ordinis fratrum Minorum generalis minister..... et duo nequam complices sui, videlicet Bonagratia de ordine praedicto.... et quidam Anglicus vocatus Guilelmus Okam ordinis praelibati..., se ad fugae ignominiam converterunt, ad Ludovicum de Bavaria et Petrum de Corbario haereticos et scismaticos manifestos eorumque complices et sequaces aliosque rebelles Dei et eiusdem ecclesiae dirigendo infelices propere gressus suos, nos, contra ipsos, qui ab huiusmodi revocari devio quamvis moniti super hoc noluerunt, exigente iustitia procedentes, ipsos Michaelem, Bonagratiam et Guilelmum... reputavimus merito contumaces ipsosque ratione contumaciae huiusmodi duximus excommunicationis vinculo innodandos, eumdem Michaelem .... depositionis et inhabilitationis poenas et sententias incurrisse nihilominus declarando ..... Cum autem praedicti Michael, Bonagratia et Guilelmus, qui post fugam praedictam cum eisdem haereticis, scismaticis et rebellibus .... extiterunt continue ..... conversati multaque scripta erronea et haereticalia contra constitutiones et declarationes sedis apostolicae [5] ..... quam alias etiam adversus veritatem catholicam edidisse et dogmatizasse noscuntur, per quae se reddiderunt de haeresis et scismatis criminibus patenter et manifeste convictos, vel ex ipsis aliquis ad eas partes cum quibusdam aliis suis in hac parte complicibus se conferre vel aliquos ex ipsorum complicibus destinare dicantur: nos .... fraternitati vestrae per apostolica scripta in virtute sanctae obedientiae districtius iniungendo mandamus, quatenus praefatos Michaelem, Bonagratiam et Guilelmum ..... ac quosdam alios suos in hac parte complices, sequaces et fautores vel dogmatizatores contra constitutiones praedictas, tamquam de dictis criminibus vehementer suspectos, ubicunque reperti fuerint, capiatis ipsosque carcerali mancipetis custodiae ac de ipsis exhibere curetis iuxta sanctiones canonicas iustitiae complementum; in-

---

[1] Custodia Ianuen. eo tempore habebat 7 conventus, reliquae quinque custodiae nonnisi 26.

[2] Reg. Vat. t. 115, f. 40, ep. 257.

[3] In e. m. scribit summus pontifex eodem die communibus Vulteran., s. Geminiani, Collis et Valliscelsae ex una et episcopis Senen. ac Vulteran. ex altera parte (l c. epp. 258 et 259), episcopo autem Pistorien. concedit in commendam omnia bona Iacobi Alberti de Prato olim episcopi Castellan., per Petrum de Corbaria in pseudo-cardinalem (episcopum Ostien.) promoti (l. c. f. 43, ep. 279; cfr. supra not. ad n. 271 *a*).

[4] Reg. Vat. t. 115, f. 86, ep. 498; cfr. n. 783.

[5] De paupertate; cf. supra nn. 557, 758.

vocato *etc.*, non obstantibus *etc.* Dat. Avinione, nonis martii, anno tertiodecimo.

In e. m. *Maguntin.*, *Treveren.*, *Magdeburgen.*, *Bremen.*, *Salzeburgen. archiepiscopis et suffraganeis.*

774. Commendat Naulenses, eo quod Andalum de Auria ex ord. Min. per Petrum de Corbaria in eccl. Naulen. intrusum repulerunt et obediunt Theodisco (de Spinulis ex ord. Praed.) vero episcopo Naulen. [1]

1329, martii 15, Avinione.

Communi Naulen.

Laetanter his diebus audivimus *etc.* Dat. [Avinione,] idibus martii, anno tertiodecimo.

775. Mittit regi Franciae sententiam in causa matrimonii a Petro de Corvaria olim contracti latam eumque de recessu Ludovici a Pisis certiorem reddit. [2]

1329, martii 17, Avinione.

Regi Franciae.

Nuper dilecto filio mag. Ioanni Aufimae cantori eccl. Constantien., clerico regio, a nostra praesentia recedenti et ad regiam accedenti quidam processus habitus coram ven. fratre nostro Ioanne episcopo Reatino auctoritate ordinaria cognoscente super matrimonio illius scismatici et haeresiarchae Petri de Corvaria et cuiusdam mulieris eundem P. in suum virum legitimum vendicantis, quem ad regalis providentiae notitiam devenisse supponimus, extitit assignatus. Nunc autem missa nobis diffinitiva sententia per praefatum episcopum super eodem matrimonio promulgata illius transsumptum dilecto filio .. nobili viro Bertrando de Mier, familiari nostro, mittimus regiae magnificentiae, si audire seriem dictae sententiae voluerit, exhibendum. [3] Ceterum nonnullae litterae de partibus Italiae ad Romanam pervenerunt curiam noviter continentes, quod Ludovicus de Bavaria haereticus et scismaticus de Pisis recedere disponebat, quibusdam dicentibus, quod ad Canem de Scala et tyrannos alios erat pro habendo cum ipsis colloquio accessurus, aliis vero opinantibus, quod versus Mediolanum intendebat gressus suos dirigere, inde in Alamanniam reversurus; certitudo tamen alia in eadem curia super hiis non habetur. Dat Avinione, XVI kal. aprilis, anno tertiodecimo.

776. Aegidiae abbatissae mon. s. Clarae Cusentin. (*Cosenza* in Calabria) concedit remissionem peccatorum plenariam in articulo mortis a confessore sibi impertiendam. [4]

1329, martii 18, Avinione.

Dilectae in Christo filiae Egidiae abbatissae monasterii sanctae Clarae Cusentini ordinis eiusdem sanctae.

Sacrae religionis observantia *etc.* Hinc est, quod nos tuis supplicationibus inclinati, ut confessor tuus, quem duxeris eligendum, omnium peccatorum tuorum, de quibus contrita et ore confessa extiteris, eam plenam remissionem, quam Romani pontifices consueverunt interdum per speciale privilegium personis aliquibus impertiri, tibi, quatenus claves ecclesiae se extendunt et gratum in oculis divinae maiestatis extiterit, semel tantum in mortis articulo, auctoritate apostolica concedere valeat, devotioni tuae tenore praesentium indulgemus: sic tamen, quod idem confessor de hiis, de quibus alteri fuerit satisfactio impendenda, eam tibi per te, si supervixeris, vel per heredes tuos, si tunc forte transieris, faciendam iniungat, quam tu vel illi facere teneamini, ut praefertur. Et ne, quod absit, propter huiusmodi gratiam reddaris proclivior ad illicita imposterum committenda, volumus, quod si ex confidentia remissionis huiusmodi aliqua forte committeres, quo ad illa praedicta remissio tibi nullatenus suffragetur. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, XV kalendas aprilis, anno tertiodecimo.

777. Ioannem Minoritam praeficit ecclesiae Bisacien. in episcopum. [5]

1329, martii 20, Avinione.

Venerabili fratri Ioanni episcopo Bisacien.

Inter cetera *etc.* Dudum siquidem ecclesia Bisacien. [6] per obitum bon. mem. Iacobi eiscopi Bisacien. pastoris solatio destituta dilecti filii capitulum ipsius ecclesiae vocatis omnibus, qui debuerunt, voluerunt et potuerunt commode interesse, die ad eligendum praefixa, ut moris est, pro futuri substitutione pastoris convenientes in unum, te ordinem fratrum Minorum expresse professum et in sacerdotio constitutum in ipsius ecclesiae episcopum per formam compromissi concorditer elegerunt, tuque, quantocitius commode potuisti, tui superioris super hoc obtenta licentia, electioni huiusmodi consensisti et petiisti a venerabili fratre nostro archiepiscopo Consan., metropolitano tuo, electionem huiusmodi confirmari: qui in huiusmodi electionis

---

[1] Reg. Vat. t. 115, f. 28, ep. 182; cfr. supra not. ad n. 721 *a*.
[2] Reg. Vat. t. 115, f. 118, ep. 698. Supra p. 353 not. 3 iam diximus, istum Petrum relicta uxore ordini Min. nomen dedisse.
[3] Hac quoque de re summus pontifex aliis litteris eodem die datis Ioannae reginae Franciae scripsit (l. c. ep. 688).
[4] Aliis litteris eodem die datis summus pontifex hanc ipsam gratiam concedit Constantiae moniali eiusdem monasterii, filiae nobilis viri Rogerii comitis Cortiliani eiusque uxoris Agnetis, necnon ipsis eiusdem monialis parentibus (Reg. Vat. t. 92, f. 227, epp. 3416-3419).
[5] Reg. Vat. t. 91 ep. 2075; apud *Wadd.* l. c. n. 103.
[6] *Bisaccia* in partibus Neapol.

procedens negotio omni iure, quod tibi competebat in electione praedicta, per suam definitivam sententiam declaravit et decrevit te fore privatum, a qua quidem sententia pro parte tua fuit ad sedem apostolicam appellatum. Huiusmodi autem electionis et appellationis negotio nobis exposito tu timens, ne praedicta ecclesia propter litigiorum anfractus dispendiosae vacationis remaneret exposita detrimentis, omni iuri, quod tibi ex electione praedicta competebat, in manibus dilecti filii nostri Anibaldi tituli sancti Laurentii in Lucina presbyteri cardinalis, cessionem huiusmodi de mandato nostro facto sibi vivae vocis oraculo admittentis, libere et pure cessisti. Nos igitur de provisione ipsius ecclesiae, ne prolixioris vacationis remaneret exposita detrimentis, sollicite cogitantes, cum nullus praeter nos hac vice de provisione ipsius ecclesiae Bisacien. se intromittere possit, pro eo quod *etc.*, post deliberationem, quam de praeficiendo ipsi ecclesiae personam utilem ac etiam fructuosam habuimus cum nostris fratribus diligentem, demum ad te, litterarum scientia praeditum aliisque virtutum meritis, quae tibi ex fide dignis testimoniis suffragari noscuntur, multipliciter insignitum, dereximus oculos nostrae mentis. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, considerando etiam praefatorum capituli unanimem voluntatem, quam in electione praedicta habuisse noscuntur, de persona tua ipsi Bisacien. ecclesiae auctoritate apostolica de ipsorum fratrum consilio duximus providendum teque illi in episcopum praefecimus et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, et postmodum per venerabilem fratrem nostrum Petrum episcopum Portuen. tibi fecimus munus consecrationis impendi *etc.* Datum Avinione, XIII kalendas aprilis, anno tertiodecimo.[1]

778. Rectori ducatus Spoletan. mandat, ut Alvarum (Pelagii) ord. Min., si vitat opiniones erroneas, bene tractet.[2]

1329, martii, 23 Avinione.

Rectori Spoleti et thesaurario [Andegaven.].

Si dilectus filius Alvarus de ordine fratrum Minorum in devotione nostra et ecclesiae Romanae persistens se ad obsequia et beneplacita nostra et ecclesiae memoratae, sicut litterarum tuarum nobis transmissarum habebat series, se impendit, opiniones vitando erroneas ac veris et catholicis approbatis per sedem apostolicam adhaerendo, volumus, quod ipsum, cui super hoc scribimus, favorabiliter et benivole prosequaris. Datum [Avinione], X kalendas aprilis, anno tertiodecimo.

779. Commendat eundem fr. Alvarum, eo quod Michaelem de Caesena sequi contemnens ad ea, quae ecclesiae Romanae honorem respiciunt et fidei catholicae veritatem concernunt, se impendit.[3]

1329, martii 23, Avinione.

Dilecto filio Alvaro de ordine Minorum.

Licet dudum de te sinistra nobis relata fuissent,[4] postmodum tamen gratis affectibus intellecto, illa nequaquam veritate fulciri, quinimo illum perditionis filium Michaelem de Caesena olim ordinis fratrum Minorum ministrum generalem ab officio ministeriatus depositum, excommunicatum et diversis poenis aliis innodatum, suosque fautores et complices aliosque rebelles Dei et ecclesiae sequi contemnens, prudenter ad ea, quae nostrum et ecclesiae Romanae honorem respiciunt et fidei veritatem concernunt catholicae, per praedicationes et veras doctrinas alias devotis operibus te impendis, inde tuam prudentiam plurimum in Domino commendantes eam attentius exhortamur, quatenus in hiis sic constanter et laudabiliter perseveres, quod divinam ac nostram et apostolicae sedis gratiam uberius merearis. Datum Avinione, X kal. aprilis, anno tertiodecimo.

780. Episcopo Cortonensi committit, quod ab ecclesia conventus fratrum Min. Corton., quem modo expulsis fratribus scismaticis alii devoti incolunt, interdictum relaxet.[5]

1329, martii 23, Avinione.

[Ven. fratri Raynerio] episcopo Cortonensi.

Cum, sicut ex relatione dilectorum filiorum Raynerii capitanei, Ugucionis vexilliferi et militum populi civitatis Cortonensis nuper accepimus, ecclesia fratrum ordinis Minorum civitatis eiusdem, pro eo quod fratres ibidem degentes contra tenorem processuum per nos dudum contra Michaelem de Caesena olim eiusdem ordinis generalem ministrum eiusque complices et fautores ac adhaerentes eidem editorum, excommunicationis et interdicti et alias poenas et sententias continentium, eidem Michaeli in suarum animarum perniciem et contemptum sedis apostolicae adhaerebant, fuerit auctoritate eorundem processuum ecclesiastico supposita interdicto, dictique fratres, quia per eosdem

[1] In. e. m. capitulo et vassallis eccl. Bisacien., clero ac populo civ. et dioec. Bisacien., archiepiscopo Consan., Roberto regi Siciliae.

[2] Reg. Vat. t. 115, f. 45. ep. 290.

[3] Reg. Vat. t. 115, f. 45, ep. 291, apud *Wadd.* Ann. Min. ad a. 1329, n. 9.

[4] Videlicet, quod Michaeli de Caesena adhaerere dicebatur, vel etiam, quod iste Alvarus, tunc Assisii degens, in libro illo celeberrimo « De planctu Ecclesiae » in quosdam abusus in curia Romana gliscentes acrius invexit. Cfr. infra n. 985 et *Sbar.* Suppl. ad script. trium ord. Min. p. 30 n. 134.

[5] Reg. Vat. t. 115, f. 37, ep. 235; cfr. supra n. 802.

capitaneum, vexilliferum et milites caritative pluries moniti ab adhaesione huiusmodi desistere non curarunt, de eadem civitate expulsi fuerunt violenter, et tandem alii eiusdem ordinis fratres, orthodoxae fidei zelatores et ecclesiae Romanae devoti, in eadem civitate loco aliorum fuerint subrogati: nos attendentes, non fore consentaneum rationi innocentes cum nocentibus ad paria iudicari, ac de circumspectione tua plenam in hiis et aliis in Domino fiduciam obtinentes, fraternitati tuae per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus, si est ita, interdictum, cui praedicta fratrum Minorum ecclesia subesse dinoscitur, auctoritate nostra iuxta formam ecclesiae studeas relaxare. Datum Avinione, X kalendas aprilis, anno tertiodecimo.

781. Episcopum Tholonen. aliosque exequi iubet sententiam pro rectore ecclesiae s. Michaelis de Peyra (Pera) dioec. Constantinop. contra fratres Min. in eodem loco degentes super portione canonica latam. [1]

1329, martii 31, Avinione.

Ven. fratri episcopo Tholonen. et dilectis filiis .. maioris Ianuen. et .. s. Mariae in vineis Ianuen. praepositis ecclesiarum.

Significavit nobis dilectus filius Gualterius rector ecclesiae s. Michaelis loci de Peyra Constantinopolitan. dioc., quod causa, quae inter ipsum et dilectos filios .. guardianum et conventum fratrum ord. Min., eiusdem loci dudum super canonica portione, quam sibi idem rector ab eisdem guardiano et fratribus asserebat deberi, diu extitit ventilata, per nostram fuit diffinitivam sententiam terminata, per quam iidem guardianus et fratres ad solvendum eandem canonicam portionem sibi ac suae ecclesiae pro praeterito et futuris temporibus condempnati fuerunt, venerabili fratre nostro Petro nunc Aurasicen. tunc Tholonen. episcopo, eius proprio nomine non expresso, ac vobis, filii praepositi, eidem rectori super praemissis per nostras certi tenoris litteras executoribus deputatis, quodque item Petrus episcopus solus in huiusmodi executionis procedens negotio, prout ex forma litterarum poterat earumdem, processus suos contra guardianum et fratres praedictos fecit excommunicationis, suspensionis et interdicti sententias continentes, prout in huiusmodi executionibus est fieri consuetum, et quod iidem processus fuerunt iisdem guardiano et fratribus legitime publicati, quodque praefati guardianus et fratres eosdem sententias et processus non sine temeritate nimia contempnentes eis minime parere curarunt. Quare idem rector nobis humiliter supplicavit, ut, cum in dicto loco de Peyra non sint alii praeter dilectos filios fratres ordinis Praedicatorum, per quos posset praefata sententia executioni debitae demandari, providere sibi et eidem ecclesiae paterna sollicitudine dignaremur. Quare discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quod vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios, etiam si fratres eiusdem ordinis Praedicatorum existunt, praefatam sententiam auctoritate nostra executioni debitae demandare curetis, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, non obstantibus *etc.* Dat. Avinione, II kal. aprilis, anno tertiodecimo.

782. Mandat archiepiscopo Terraconen. eiusque suffraganeis, ut monasterio s. Mariae de Petraalba ord. s. Clarae dioec. Barchinonen. unam vel duas ecclesias incorporent. [2]

1329, aprilis 1, Avinione.

Venerabilibus fratribus archiepiscopo Terraconen. et eius suffraganeis.

Pietas exigit *etc.* Nos itaque dilectarum in Christo filiarum abbatissae et conventus monasterii sanctae Mariae de Petraalba ordinis sanctae Clarae Barchinonen. dioec. necessitatibus desiderantes, quantum cum Deo possumus, subveniri, ut exinde quietius et liberius valeant virtutum Domino famulari, ipsarum abbatissae et conventus devotis supplicationibus inclinati, fraternitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente, vos in Domino obsecrantes, quatenus ob divinam ac nostram et apostolicae sedis reverentiam, unum aut duo vel plura beneficia ecclesiastica, cum cura vel sine cura, ad vestram collationem seu provisionem vel quamvis aliam dispositionem pertinens seu pertinentia, communiter vel divisim, cuius seu quorum fructus, redditus et proventus summam ducentarum librarum Turonensium parvorum secundum taxationem decimae valorem annuum non excedant, vos una cum vestris capitulis praefato monasterio in perpetuum unire et annectere procuretis. Datum Avinione, kalendis aprilis, anno tertiodecimo.

783. Rudolfum iun. marchionem de Baden aliosque nobiles monet, ut sic faciant custodiri passus terrarum suarum, ut Michael de Caesena, Guilelmus Okam, Bonagratia de Pergamo transeuntes capi possint. [3]

1329, aprilis 2, Avinione.

Rodulpho iuniori marchioni de Baden.

Eam de tua, fili, sinceritate fiduciam in Domino gerimus, quod tanquam vir catholicus et de-

[1] Reg. Vat. t. 90, ep. 1889. Cfr. supra n. 630.

[2] Reg. Vat. t. 92, ep. 3029, apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 104; cfr. supra n. 679-681.

[3] Reg. Vat. t. 115, f. 97, ep. 555; cfr. supra n. 773 et infra n. 793. Illi fugitivi nihilominus integri intactique Monachium, caput Bavariae superioris, pervenerunt.

votus Romanae ecclesiae matri tuae abhominans iniurias, quae sibi ab haereticis et scismaticis eorumque fautoribus inferuntur. Sane nobilitatis tuae prudentiam credimus non latere, qualiter nos dudum contra Michaelem de Caesena olim ordinis fratrum Minorum generalem ministrum ac Bonagratiam et Guilelmum Okam eiusdem ordinis, complices suos, de Romana curia fugitivos, exigente iustitia procedentes, praefatum Michaelem ab officio ministeriatus dicti ordinis deposuimus, ac tam ipsum quam dictos complices excomunicationis et aliis diversis poenis innodavimus, sicut in processibus nostris confectis super hoc plenius continetur. Cumque Michael et complices supradicti, qui adhaerendo Ludovico de Bavaria et Petro de Corvaria haereticis et scismaticis manifestis se vehementer suspectos de huiusmodi haeresis et scismatis criminibus reddiderunt, sint per terras tuae ditioni subiectas, sicut habet quorundam assertio, in proximo transituri, eandem nobilitatem tuam rogamus et in Domino attentius exhortamur, quatinus pro divina et apostolicae sedis reverentia zeloque fidei orthodoxae passus et transitus terrarum ipsarum sic velis facere solerter et fideliter custodiri, quod, si praefatus Michael eiusque complices aut fautores praedicti vel eorum aliqui perinde transierint, per te capi possint [1] nobis et sedis praedictae ad expensas nostrae camerae sub fida custodia transmittendi. Per hoc enim gratum Deo praestabis obsequium, teque zelatorem fidei catholicae patenter ostendes fervidum, ac nostram et sedis eiusdem benedictionem et gratiam promereberis ampliorem. Datum [Avinione, IV nonas aprilis, anno tertiodecimo].

I. e. m. *Roperto comiti palatino Reni, duci Bavariae; Ulrico comiti de Wirtenberg; ... dicto dem Hofwart de Sterrenvels militi; Gerlaco et Henrico comitibus de Nassawe; episcopo Argentinen.; episcopo Lingonen., administratori eccl. Basileen.*

784. Monet archiepiscopos et episcopos Angliae et praesertim episcopum Lincolnien., ut Guilelmum de Okam eiusque sequaces capiant et de eis faciant iustitiae complementum. [2]

1329, aprilis 5, Avinione.

Archiepiscopis et episcopis per regnum Angliae constitutis.

Sicut vestram credimus prudentiam non latere, nos dudum, postquam Michael de Caesena olim ordinis Minorum generalis minister ..... et duo nequam complices sui, videlicet Bonagratia de dicto ordine .... et quidam Anglicus vocatus Guilelmus Okam ordinis praelibati, contra quem ratione multarum opinionum erronearum et haereticalium, quas ipse scripserat et dogmatizaverat, pendebat inquisitio auctoritate nostra, iam erat diu, in eadem curia inchoata ...., latente et furtive nocturno tempore .... se ad fugae ignominiam converterunt, ad Ludovicum de Bavaria et Petrum de Corbaria haereticos et scismaticos manifestos eorumque complices et sequaces aliosque rebelles Dei et eiusdem ecclesiae dirigendo infelices propere gressus suos: nos contra ipsos, qui ab huiusmodi revocari devio quamvis moniti super hoc noluerunt, exigente iustitia procedentes, ipsos Michaelem, Bonagratiam et Guilelmum, deliberatione cum fratribus nostris praehabita et de ipsorum consilio reputavimus merito contumaces ipsosque ratione contumaciae huiusmodi duximus excommunicationis vinculo innodandos, ... sicut in processibus nostris super hiis solemniter habitis plenius continetur. Cum autem dictus Guilelmus (qui post fugam praedictam cum eisdem scismaticis, haereticis et rebellibus, eis adhaerendo et favendo ipsorumque haereses et errores una cum aliis suis complicibus dampnabiliter fulciendo, extitit continue, sicut habet fama seu potius infamia publica, conversatus multaque scripta erronea et haereticalia contra constitutiones et declarationes sedis apostolicae, cum magna et matura deliberatione fratrum praedictorum ac praelatorum et aliorum multorum tam sacrae scripturae quam iuris utriusque peritorum, in eadem curia tunc praesentium, editas et factas, quam alias etiam adversus veritatem catholicam edidisse ac dogmatizasse noscitur, per quae se reddidit de haeresis et scismatis criminibus patenter et manifeste convictum) ad partes regni Angliae una cum quibusdam suis aliis in hac parte complicibus se conferre dicatur: nos periculis, quae fidelibus earum partium ex dicti Guilelmi haeretici et scismatici conversatione ipsiusque dogmatizationibus et inductionibus venenosis possent contingere, cupientes salubriter obviari, fraternitati vestrae per apostolica scripta in virtute sanctae obedientiae districtius iniungendo mandamus, quatinus praefatum Guilelmum velut de criminibus supradictis convictum et alios quoslibet suos in hac parte complices, sequaces et fautores vel dogmatizatores contra constitutiones et declarationes praedictas, tanquam de ipsis criminibus vehementer suspectos, ubicunque reperti fuerint, capiatis ipsosque carcerali mancipetis custodiae ac de ipsis exhibere curetis iuxta sanctiones canonicas iustitiae complementum, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, non obstantibus quibuscumque privilegiis *etc.*: vos super praedictis

[1] *In registro* capiatis *loco* per te capi possint.

[2] Reg. Vat. t. 115, f. 131, ep. 782.

et ea tangentibus sic solerter et fideliter tanquam defensores et zelatores fidei catholicae fervidi habituri, quod praeter mercedis aeternae praemium, quod inde merebimini, nostram et eiusdem sedis gratiam vobis uberius acquiratis. Datum Avinione, nonis aprilis, anno tertiodecimo.

I. e. m. *episcopo Lincolniensi*, verbis competenter aptatis. [1]

785. Henricum de Chamayo ord. Praed., inquisitorem haer. prav., in processu contra fr. Bartholomaeum Brugniera ord. Min. instituto iustitiae complementum exhibere iubet. [2]

1329, aprilis 5, Avinione.

Henrico de Chamayo ordinis fratrum Praedicatorum, inquisitori haereticae pravitatis in partibus Carcassonae auctoritate apostolica deputato.

Nuper tuas litteras recepimus in haec verba: « Sanctissimo ac beatissimo in Christo patri ac domino domino Iohanni divina providentia sacrosanctae Romanae ac universalis ecclesiae summo pontifici devotus et humilis sanctitatis vestrae filius, frater Henricus de Chamayo, inquisitor Carcassonensis indignus, cum sui et officii recommendatione humili et devota pedum oscula beatorum. Sanctitati vestrae praesentibus innotescat, quod hoc mense februarii denunciato michi, quod quidam frater Minor de conventu Albiensi, [3] nomine frater Bartholomaeus Brugniera, isto anno in festo sancti Antonii quondam de ordine eorundem [4] in dicto conventu Albiae, duos fratres nostri ordinis existentes ibidem traxit ad angulum sui capituli, verba proferens, quae sequuntur: « Loquamur de istis papis », et addens: – « in veritate, modo missam de beato Antonio celebravi; sed dum fui in canone, in passu, in quo dicitur orandum pro papa nostro, occurrit memoriae meae de illo papa, qui est in Lombardia, [5] et steti in dicto passu dubitans et haesitans per quamdam pausam, pro quo de istis papis orare deberem; et finaliter cogitavi, quod unus ipsorum iniuste sibi regimen ecclesiae usurpabat, et idcirco michi placuit ac determinavi me, ut oratio mea curreret pro illo, qui iuste regimen ecclesiae obtinebat, quicumque esset ille »; et non determinavit se verbo, pro quo oraret. Et post dicta verba dixit dictus Minor nostris fratribus supradictis: « vos alii habetis malum tempus cum illo papa de Lombardia, et fratres nostri bonum; sed cum isto papa, qui est in Avinione, est penitus e converso ». Quibus verbis per dictum Minorem prolatis fratres nostri ab ipso Minore quasi attoniti recesserunt. Ego autem occasione denunciationis huiusmodi michi factae mandavi pro duobus nostris fratribus antedictis, quibus accersitis et cum diligentia examinatis secundum stilum officii consuetum inveni per depositiones eorundem omnia, quae michi denunciata fuerant, esse vera; super quibus discretorum ac peritorum consilio convocato petivi, si et qualiter esset in facto huiusmodi procedendum. Qui omnes unanimiter responderunt, verba dicti Minoris esse gravissima et haeresim sapientia manifeste, pensata conditione dicentis et recollectione ac sedatione mentis, quae in actu dicendi missam solet haberi etiam a sacerdote simplici et saeculari. Quapropter dictum Minorem per quendam honestum notarium iuratum nostrum ad mei praesentiam evocavi. Qui sponte et gratis et sine scandalo veniens cum .. custode Albiae, dicto notario subsequente, dum essent iuxta Carcassonam, scripsit michi ipse custos et notarius praefatus, ut michi placeret, quod dicti Minores ad conventum suum descenderent Carcassonensem; quibus in hoc propter ordinis reverentiam condescendi, et tunc per dictum notarium, [6] antequam ipse et dicti fratres intrarent Carcassonam, accepto iuramento a custode et fratre Bartholomaeo Minoribus supradictis, quod post prandium vel in crastino bene mane ad mei praesentiam convenirent, dicti fratres ad conventum proprium diverterunt. Post prandium vero ipse custos, assumptis secum .. gardeano et .. lectore Carcasson. cum alio fratre suo, dimisso in conventu suo fratre Bartholomaeo praedicto, venerunt ad me petentes, quod permitterem ipsum custodem punire ob causam huiusmodi dictum fratrem, quia iam ipse custos ut dicebat inceperat inquirere de praemissis; quibus respondi, quod omnino volebam habere ac audire dictum fratrem, quia visa eius contritione et confessione humili honori eorum condescenderem, quantum possem. Qui promiserunt michi dictum fratrem Bartholomaeum adducere in crastinum summo mane ad scandalum evitandum. Qui in crastino non tenentes promissum, immo iuramenta praefato notario praestita etiam violantes, nec venerunt nec dictum fratrem Bartholomaeum miserunt. Eapropter duos iurisperitos solemnes viros valde et iuratos officii ad dictum custodem cum

[1] Aliis litteris eodem die datis summus pontifex Itherio de Conquoreto canonico Saresberiensi, sedis apostolicae in partibus Angliae nuntio, et Petro de Preyssaco rectori eccl. de Trussiaco superbo dioec. Autissiod. litteras, quas supra retulimus, mittit praedictis praelatis praesentandas, atque Angliae regem monet, ut eisdem praelatis in capiendo fr. Guilelmo de Okam assistat (l. c. f. 132, ep. 785, et f. 134, ep. 797).

[2] Reg. Vat. t. 115, f. 119, n. 706; cfr. infra litteras die 16 sept. 1330 datas.

[3] *Albi* in custodia cognomini prov. Aquitaniae.

[4] Non de ipsius die natali (13 iunii), sed de die translationis (16 februarii) agi apparet.

[5] Scilicet de Nicolao antipapa eo tempore Pisis degente.

[6] *In registro:* tunc dictus notarius.

praefato notario destinavi, deprecaturos eundem, quod pacta servaret. Qui custos cum fratribus multis respondit se in nullo michi teneri quomodolibet obedire, quapropter dictus notarius citavit dictum fratrem Bartholomaeum cum instrumento publico, ut coram me in crastino compareret. Qui comparere eodem crastino non curavit, et ideo ipsum posui in contumacia et defectu, salvis eius legitimis excusationibus, si haberet. Sed tunc in antea deliberatione praehabita dictum .. officialem Carcassonensem rogavi, quod in domo sua praedictis custodi et gardeano mandaret et ipsos induceret, quantum posset, ad restituendum michi dictum fratrem Bartholomaeum, qui apud eos latitabat; et ipsi venire ad dicti officialis praesentiam noluerunt. Quibus peractis iterum consilio convocato conclusum fuit, quod contra dictum fratrem Bartholomaeum per citationem ad realem captionem suam procedere poteram et debebam propter fugae periculum, quod iudicio omnium imminebat; et idcirco cum litteris patentibus dicto notario imposui et iniunxi, ut dictum fratrem delatum in dicto conventu fratrum aut alibi, ubicumque reperiret, caperet et ad me adduci faceret, invocato, si opus esset, auxilio curiae saecularis. Qui quidem notarius cum sex vel circa personis secreti consilii ad dictum conventum Minorum accedens et gardeanum dicti conventus et ipsum custodem cum instantia, reverenter tamen, requirens, quod dictum fratrem delatum in meo existentem arresto sibi redderent, ad me postmodum deducendum. Et responso per eosdem fratres, quod non facerent propter exemptionis privilegium, quod habebant, petitoque per dictum notarium fidem sibi fieri de privilegio antedicto, vel quod michi illud ostenderent, protestando de obediendo eidem privilegio, prout existeret rationis, persistentibus dictis fratribus in prima responsione negativa; tandem dicto notario comminante dicto custodi, quod, nisi dictum fratrem delatum restitueret, ipsum ad hoc compelleret per brachium saeculare: praedictis omnibus sic peractis, gardeanus et custos praefati dictum delatum de quadam camera extrahentes dicto notario tradiderunt, per quem notarium ad murum [1] est adductus, prout est alias consuetum. Ego autem ad dictum fratrem Bartholomaeum accedens et ipsum diligenter examinans, inveni per eius confessionem praemissa delata et testificata simpliciter esse vera; dixit tamen, quod, quicquid ante dixerit, semper credidit, vos esse verum papam; et addidit ipse frater Bartholomaeus, quod illa verba, quae dixerat illis fratribus, videlicet quod fratres sui habent bonum tempus in Lombardia cum illo papa; [2] dixit etiam, quod in electione ipsius papae Italici fuerunt LXX praelati; item confessus est, quod audivit frequenter a multis fratribus Minoribus de Albia, quorum nomina vero non habet in promptu, quod optabant vobis, quod Deus daret tantum facere alias, quod de factis eorum non curaretis; et ipsemet hoc optabat, causam huiusmodi assignans, quia per statutum sanctitatis vestrae [3] eiusdem ordinis procuratores perdiderant, ut dicebant; insuper, quia vix aut nunquam sanctitas vestra aliquod faciebat edictum, in quo singulariter non pungeretis eosdem. Item credit et tenet, ut dixit, quod multi fratres suae provinciae, de quorum nominibus non recolit, credunt processus sanctitatis vestrae contra Michaelem quondam ministrum eorum generalem esse indebitos et iniustos; sed dicit se opinionem huiusmodi non tenere. Multa alia confitetur, quae non tanti ponderis, sicut puto; ista tamen pure et humiliter confitetur, petens veniam de commissis. Custos etiam praefatus ad me postmodum cum magna humilitate veniens, ut exterius apparebat, recognovit, qualiter defecerat in veniendo contra iuramentum proprium et non tenendo michi promissum in tuendo et defendendo dictum delatum et per consequens impediendo inquisitionis officium, petens ista sibi misericorditer indulgeri. Quare sanctitatem vestram supplico, quatinus michi intimare dignetur, si circa dictum fratrem Bartholomaeum, qui in muro nostro in bonis vinculis detinetur, post confessionem huiusmodi debeam aliquid immutare aut eidem carcerem relaxare; insuper, utrum contra dictum custodem et fratres alios Minores, qui meum, ut praedicitur, impedire [attentarunt] processum, debeam procedere: praesertim cum visa humilitate praefati custodis ipsum a sententia excommunicationis absolverim, [4] quam incurrerat occasione fautoriae supradictae, hoc adiecto, quod circa ipsum et alios suos complices in hoc facto procederem, [5] prout et quantum sanctitas vestra duceret intimandum. Personam vestram sanctissimam conservet Altissimus diu et feliciter in regimine suae sanctae ecclesiae militantis et post huius vitae exitum perducat ad gloriam triumphantis. Datum Carcassonae dominica in sexagesima ». [6] Nos autem praemissis in eisdem contentis litteris diligentius intellectis, processum tuum velut mature ac provide habitum commendantes et attendentes, quod tu de praemissis plenius poteris informari, discretioni tuae, de qua fiduciam in Domino gerimus specialem, mandamus,

---

[1] Ubi carceres inquisitionis erant; cfr. supra not. 3 ad n. 372 (p. 173).

[2] Hic aliqua verba deesse videntur; fortasse addenda sunt haec: « non erant adeo seria ».

[3] Incip. *Ad conditorem canonum;* cfr. supra n. 486.

[4] *In registro:* absolutum.

[5] *In registro:* absolvere.

[6] Die 25 febr. 1329.

quatinus super praedictis et ea tangentibus, prout tibi ex officio inquisitionis competit, iuxta canonicas sanctiones et privilegia officio concessa praedicto exhibere procures (matura deliberatione praevia, solum Deum habendo prae oculis) iustitiae complementum. Datum [Avinione,] nonis aprilis, anno tertiodecimo.

786. Excommunicat solemniter (in coena Domini) Michaelem de Caesena olim ministrum generalem ord. Min. [1]

1329, aprilis 20 (in coena Domini), Avinione.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ad nostri apostolatus auditum *etc. ut supra n. 716 usque* duximus innodandos. Sane quia praefatus Michael hiis non contentus, venenum, quod corde occultum diu tenuerat, evomere publice velut in sensum datus reprobum non formidans, ad civitatem Pisanam, quae per eundem Ludovicum de Bavaria (iure, si quod sibi ex electione discordi, quae de ipso in regem Romanorum facta dicebatur fuisse, quomodolibet competebat, iustitia exigente privatum) tyrannice tenebatur, non expavit dirigere gressus suos, ubi cum eisdem Ludovico et Petro de Corbario haereticis, scismaticis et rebellibus conversans continue ipsosque in suis haeresibus, erroribus et dampnatis scismatibus fulciens ac praestans eisdem adversus Deum et ecclesiam ipsam veritatemque catholicam auxilia, consilia et favores, nonnulla erronea et haereticalia contra constitutiones et declarationes sedis apostolicae, praesertim contra illam, quae incipit *Cum inter*, scribere ac dogmatizare in diversis locis publice, sicut fama seu potius infamia publica notoriat ac per eadem scripta et quorundam etiam depositiones testium receptorum super hoc nobis et eisdem fratribus constitit evidenter, praesumpsit, pertinaciter asserendo catholica, quae dicta constitutio haeretica, et haeretica, quae constitutio eadem catholica declaravit, [2] per quae utique se reddidit de dictis haeresis et scismatis aliisque diversis criminibus respersum, immo etiam ut haeresiarcham manifeste convictum, satagens per suas falsas, erroneas et haereticales doctrinas et dogmatizationes huiusmodi, quas verbis et scriptis inculcare suis dampnandis molitur conatibus, fideles a sua fidelitate pervertere ac animos decipere simplicium secumque ducere in praecipitium dampnationis et mortis: nos (itaque), ne vir tam reprobus glorietur ulterius, suae pravitatis opera absque condignis demeritorum stipendiis praeteriri nolentes ac, ne in sui erroris devium, ad quod tota sua ferri videtur intentio, plures trahat, tantis malis et periculis occurrere salubriter cupientes (cum praemissa adeo sint notoria tam per facti evidentiam quam per plures ipsius litteras ad partes diversas directas, quarum aliquae ad nostras et fratrum nostrorum praedictorum manus etiam pervenerunt, quod non possunt tergiversatione aliqua occultari), de fratrum eorundem consilio, auctoritate Dei omnipotentis ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius et nostra, praefatum Michaelem fautorem haereticorum et manifestum haereticum et haeresiarcham et schismaticum declaramus ipsumque ut haereticorum fautorem et manifestum haereticum et haeresiarcham ac schismaticum sententialiter condemnamus, privantes eundem officiis, dignitatibus et honoribus quibuscumque vel privatum potius declarantes; ipsumque ab omni gradu deponimus et privilegio nudamus ecclesiastico ac eum inhabilem ad praemissa reddimus et quodlibet praedictorum, poenis omnibus et sententiis spiritualibus et temporalibus, quibus divino et ecclesiastico iure haereticorum fautores et haeretici et haeresiarchae ac schismatici existunt obnoxii, plectentes eundem et velut talem eum fore obnoxium eadem sententia declarantes. Praeterea universis patriarchis, archiepiscopis et episcopis aliisque personis ecclesiasticis quibuscumque (in virtute sanctae obedientiae ac sub excommunicationis et suspensionis ab officiis et beneficiis, quas non parendo eos incurrere volumus ipso facto, necnon privationis, depositionis et inhabilitatis praelationum, dignitatum, officiorum et beneficiorum ecclesiasticorum poenis et sententiis) et insuper omnibus et singulis civitatibus, terris et locis ac universitatibus, communitatibus et personis aliis singularibus quibuscumque, cuiuscumque conditionis aut status existant, etiamsi imperiali, regali vel alia quacunque praemineant dignitate, (sub excommunicationis in personas singulares et interdicti in civitates, terras, loca eorumque communitates et universitates, quas, nisi mandatis et monitionibus nostris cum effectu paruerint, ipso facto incurrant, necnon privationis privilegiorum quorumcumque apostolicorum et imperialium ac feudorum et bonorum, quae ab eadem Romana ecclesia vel quibusvis aliis ecclesiis vel imperio obtinent, poenis et sententiis) mandamus et inhibemus expresse, ne praedictum Michaelem haereticorum fautorem, haereticum et scismaticum receptent, defendant, sibi adhaereant, obediant, faveant quomodolibet seu intendant aut

[1] Ex autographo inter miscell. arch. Vat. (C, fasc. 62) asservato; cfr. *Rayn.* Ann. eccl. ad a. 1329 n. 21. *Wadd.* huius solemnis excommunicationis non facit mentionem.

[2] His verbis summus pontifex praecipue significat illam Michaelis appellationem Pisanam, quam referemus infra not. ad n. 820.

praestent per se vel alium seu alios, publice vel occulte, directe vel indirecte, auxilium, consilium vel favorem, sed eum potius velut haereticorum fautorem et scismaticum et haereticum et, quantum in eo est, sanctae Dei ecclesiae fideique catholicae corruptorem abiiciant, abhorreant, persequantur et, si poterunt, capiant et fideliter custodiant subdendum ecclesiasticae disciplinae: a quibus quidem poenis et sententiis per alium quam Romanum pontificem nullum posse volumus, nisi dumtaxat in mortis articulo, quomodolibet eos liberari, eisdem et eorum singulis apertius praedicentes, quod ad inflictionem, publicationem, executionem et aggravationem dictarum poenarum coniunctim vel divisim, prout excessuum cuiuslibet enormitas exegerit et expedire videbimus, absque citatione atque monitione alia, si, quando et quotiens opportunum cognoverimus, procedemus; non obstantibus quibuscumque privilegiis *etc.* Ut autem processus huiusmodi ad eiusdem Michaelis et aliorum, quorum interest, communem notitiam deducatur, cartas sive membranas processum continentes eundem in maioris ecclesiae Avinionen. appendi et affigi ostiis seu superliminaribus faciemus, quae ipsum processum suo quasi sonoro praeconio et patulo indicio publicabunt: ita quod idem Michael et alii, quos processus ipse contingere dignoscitur, nullam possint excusationem praetendere, quod ad eos non pervenerit vel quod ignorarint eundem, cum non sit verisimile, quo ad ipsos remanere incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. Datum Avinione, XII kalendas maii, anno tertiodecimo. [1]

787. Rogerium Minoritam praeficit ecclesiae Bivinen. in episcopum. [2]

1329, maii 1, Avinione.

Venerabili fratri Rogerio episcopo Bivinen.

Superni dispositione consilii *etc.* Dudum siquidem b. m. Rostagno episcopo Bivinen. [3] ecclesiae praesidente, nos, cupientes eidem ecclesiae, cum eam quovis modo et ubicumque vacare contingeret, per apostolicae sedis providentiam idoneam providere personam, provisionem ipsius ecclesiae ea vice dispositioni nostrae et sedis eiusdem duximus specialiter reservandam, decernendo ex tunc *etc.* Deinde vero praefata ecclesia per obitum eiusdem Rostagni, qui in partibus illis diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta, attendentes, quod nullus praeter nos hac vice de ipsius ecclesiae ordinatione se intromittere potest, reservatione ac decreto huiusmodi obsistentibus, ad provisionem ipsius Bivinen. ecclesiae, ne prolixae vacationis exponeretur incommodis, coepimus intendere diligenter; et demum post deliberationem, quam ad deputandum eidem ecclesiae personam utilem ac etiam fructuosam, cuius industria dicta ecclesia in suis valeret iuribus adaugeri ac etiam defensari, cum fratribus nostris habuimus diligentem, ad te ordinis fratrum Minorum professorem, in sacerdotio constitutum, religionis zelo et vitae ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum et temporalibus circumspectum, ac aliis virtutum donis, prout fidedignorum habet assertio, multipliciter insignitum, convertimus aciem nostrae mentis. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus ob huiusmodi tuorum exigentiam meritorum accepta, de ipsorum fratrum consilio eidem ecclesiae auctoritate apostolica duximus providendum, teque ipsi praefecimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesiae tibi tam in spiritualibus, quam in temporalibus committendo, et postmodum per venerabilem fratrem nostrum Gaucelinum episcopum Albanen. tibi fecimus munus consecrationis impendi *etc.* Dat. Avinione, kalendis maii, anno tertiodecimo. [4]

788. Reginae Franciae respondet ad litteras, quibus sibi ordinem Min. commendavit et capitulum ipsius ord. ge-

[1] Eodem die et eodem solemni modo summus pontifex Ludovicum quoque Bavarum et Petrum de Corvaria excommunicat. Cfr. infra n. 789. - Die 22 martii 1329 Bertrandus ep. Ostien. et apost. sedis in Lombardia legatus obtinuit facultatem capiendi et incarcerandi singulos complices et sequaces Ludovici Bavari ac Petri de Corvaria; item Angelus ep. Castellan. iustitiam facere est iussus de Ioanne presbytero Veneto eorundem sequace. Die 8 aprilis 1329 Burcardus ep. Bremen. monitus est, ut publicaret processus contra Bavarum et Michaelem de Caesena factos. Die autem 6 maii 1329 suspenditur interdictum, cui subiacebant civitates Mediolan., Papien., Novarien., Lauden., Vercellen. et Pergamen., quia ad ecclesiae unitatem reductae se opponunt Bavaro et Petro de Corvaria; item die 15 maii 1329 praedictus cardinalis legatus Mediolanensibus, qui ab eodem Bavaro impugnantur, subvenire iubetur atque 13 iunii 1329 ipsi committitur, ut absolutionis Ravennatibus et aliis Romandiolae incolis ab excessibus contra ecclesiam commissis impendendae modum significet et formam. Die denique 17 iunii 1329 episcopus Florentinus, qui 5 maii 1329 facultatem absolvendi Paulum abbatem mon. s. Savini Pisan. aliquamdiu Bavaro et Petro de Corv. adhaerentem obtinuit, dispersos et vagos Petri de Corvaria asseclas capere iubetur. Cfr. reg. Vat. t. 115 f. 10, ep. 59; f. 29, ep. 183; f. 26, ep. 163; f. 18, ep. 120 et 121; f. 25, ep. 161; f. 40, ep. 264.

[2] Reg. Vat. t. 90, ep. 1813, apud *Wadd.* l. c. ad a. 1329 n. 17 et reg. Io. XXII n. 105.

[3] *Bovino* in provincia eccl. Beneventan.

[4] In e. m. capitulo et vassallis ecclesiae Bivinen., clero ac populo civ. et dioec. Bivinen., archiepiscopo Beneventano, Roberto regi Siciliae.

nerale prorogandum petivit, eique nova de Ludovico Bavaro, Petro de Corvaria, Michaele de Caesena communicat. [1]

1329, maii 5, Avinione.

Ioannae reginae Franciae illustri.

Laeta manu receptis litteris regiis, nobis per dilectum filium Remigium de s. Margarita civem Lugdunensem novissime praesentatis, ipsarum nobis innotuit series sincerum affectum, quem ad nos statumque nostrum pacificum ac fratrum ordinis Minorum statum prosperum gerit regia celsitudo. Et quia res est solliciti plena timoris amor, licet alias eumdem ordinem regia circumspectio nobis duxerit commendandum, nosque intentionem nostram per nostras sibi duxerimus litteras explicandam; quia tamen lingua tertia contrarium eius, quod scripsimus, non est verita seminare, recommendationem eiusdem ordinis iterat et de hiis, quae profert lingua tertia, an veritati consonent, per nos postulat edoceri. Profecto, filia carissima, responsionem, quam tibi super praemissis per nostras fecimus litteras, oblivio de nostra memoria non delevit; et ut de affectione, quam ad eundem ordinem gerimus, sollicitudini regiae satisfiat, indubie volumus excellentiam regiam obtinere, quod ex tunc affectus noster ad eumdem ordinem auctus est merito, non mutatus. Ex tunc enim, non obstante quod ille Petrus de Corvaria, reputatione frater eiusdem ordinis, cathedram beati Petri praesumptuose nimium tentavit occupare seque summum pontificem a suis sequacibus fecerit nominari, Michael quoque olim eorum minister [unacum] nonnullis suis sequacibus a nostra et sedis apostolicae obedientia se velut schismaticus et haereticus duxerit subtrahendum, ministrisque dicti ordinis et aliis fratribus Petrus et Michael supradicti sub poenis gravibus per suas litteras duxerint iniungendum, ut venerabili fratri nostro Bertrando episcopo Tusculano, quem dicto [ordini], quousque de ministro ordinatum foret, vicarium dedimus, in aliquo non parerent nec nostras seu eiusdem vicarii sententias excommunicationis vel alias nullatenus observarent, sed interdicta per nos posita violarent: ordo tamen praedictus generaliter ubique, paucis exceptis personis vilibus, quae fere omnes propter eorum delicta dudum carceri adiudicati fuerant vel erant praesentialiter iudicandi, adeo prompte et plene nostris et dicti vicarii paruere mandatis, sicut unquam summo pontifici vel suo vero ministro paruit dictus ordo. Interdicta quoque nostra servaverunt, ubi potuerunt, fratres dicti ordinis; ubi vero non potuerunt, fugientes de locis illis se ad loca, ubi servare poterant, transtulerunt. Contra fautores quoque Petri et Michaelis tam inquisitores haereticae pravitatis eiusdem ordinis quam ministri et alii, ad quos poterat pertinere, diversos processus fecerunt et sententias protulerunt; ac in praesenti omnes ministri et fratres alii pro generali ministro eligendo spretis mortis periculis, quod erat incredibile, properant versus Parisius gressus suos. Nunquid per haec, filia carissima, meruit dictus ordo, sed et promeruit merito gratiae et favoris augmentum. Quod autem de prorogando capitulo dictae litterae continebant, cum iam ministri omnes Italiae et fratres alii pro generali capitulo opportune transissent Alpes et versus Parisius cum omni festinatione dirigerent gressus suos, non potuimus exaudire, pro certo tenentes, carissima filia, quod, qui tibi talia suaserunt, aut haec fecerunt dolosa suggestione seducti vel quia ordinem non diligunt vel modum nesciunt diligendi. Expedit equidem ordini supradicto, ut potius regatur per generalem ministrum, qui possit loca visitare, prout expediens viderit, quam per vicarium, cui hoc forsitan non licebit. Volumus autem indubie, filia carissima, te tenere, quod generale capitulum in instanti festo Pentecostes celebrandum fuit per praecedens generale capitulum iuxta statuta eiusdem ordinis ordinatum. Licet enim de triennio in triennium fit generale capitulum in dicto ordine celebrandum, hoc locum habet, cum superest generalis minister; sed si interim morte generalis minister esse desierit vel alias ministeriatus officio sit privatus, sicut fuit praesenti tempore, in instanti festo Pentecostes est generale capitulum celebrandum.

Ut autem de hiis, quae ad Dei honorem et exaltationem fidei est in partibus Italiae Salvatoris nostri clementia hiis diebus praeteritis operata et continuo operari non cessat, regalis excellentia notitiam habeat pleniorem, ad gaudium et exultationem animi tui deducimus, quae secuntur. In primis enim inter partem gentis dicti Bavari et civitates Lucanam Pistoriamque ex una parte ac ipsum Bavarum ex alia vertiginis immisit spiritum, sicque gens illa Bavari una cum parte civium civitatum supradictarum rebellarunt contra dictum Bavarum et capto illo, quem pro rectore Bavarus dimiserat in civitate Lucana, occupaverunt civitatem praedictam et eam contra Bavarum detinent occupatam; cives autem Pistorienses coacta gente Bavari per se regunt civitatem praedictam. Mediolanum insuper fere cum omnibus aliis civitatibus Lombardiae, quae sibi obedire consueverant, rebellarunt, sicque in campis ipsum oportet persistere, cum civitates ipsum prorsus renuant recipere et sibi in aliquo

[1] Reg. Vat. t. 115, f. 124, ep. 737, apud *Wadd.* l. c. ad a. 1329 n. 2; cfr. *Rayn.* Ann. eccl. ad a. 1329, n. 69, et supra n. 721 *a*.

obedire. Synagogam quoque malignantium et operantium detestabilia et iniqua etiam, Petri videlicet de Corvaria et ministrorum ipsius, etiam Dominus dissipavit; praecepto quidem dicto Petro et suis sequacibus per Pisananos, quod eandem civitatem exirent, furtive festinarunt recedere quasi nullo eorum alio expectato; quomodo autem dictus [Petrus] se gerit, communiter ignoratur. Populus autem Romanus hiis diebus proxime praeteritis in manu legati nostri Tusciae in Urbe praesentis, praesente populo congregato, per suos syndicos necnon et nobiles, qui tunc in dicta civitate aderant, per se ipsos iuramentum fidelitatis, reverentiae et obedientiae praecipue contra Bavarum et Petrum praedictos et eorum sequaces corporaliter praestiterunt, recognoscentes se circa ea, quae fecerunt circa Petrum et Bavarum praedictos, errasse graviter, eaque, quatenus de facto processerant, quantum ad eos pertinere poterat, revocarunt. Vir autem ille scismaticus et haereticus Michael de Caesena una cum Bona - immo verius Mala - gratia, suo complice, de Pisis exiverunt cum Bavaro ac cum eo pervenerunt usque Cremonam et creditur, quod ab eo se debeant separare. Ut autem de statu nostro, de quo benevolentia regia se sollicitam reddit, tuis desideriis satisfiat, noscat regalis clementia, nos Dei misericordia hominis exterioris sospitate perfrui, licet interior propter multa mala, quae cernit committi continue, quibus non potest occurrere, nimium praegravetur; sed spei nostrae anchoram in illum ponentes, qui ventis et mari imperat et quiescunt, eius spectamus misericordiam, ut non mundo reddat secundum sua perversa opera, sed secundum multitudinem miserationum suarum ipsum in viam suorum dirigat mandatorum: desiderantes continue, utriusque regalis excellentiae habeas sospitatem, quam ille dignetur concedere, cui, cum voluerit, subest posse. Datum Avinione, III nonas maii, anno tertiodecimo. [1]

789. Petro archiepiscopo Caesaraugustan. mittit processus de Iovis in coena Domini factos contra Ludovicum de Bavaria et Petrum de Corvaria ac Michaelem de Caesena olim ordinis Minorum generalem ministrum necnon et quosdam nobiles Romanos, per quos processus de fratrum suorum [cardinalium] consilio ipsos haereticos declarandos duxit et ut haereticos condempnandos. [2]

1329, maii 7, Avinione.

Petro archiepiscopo Caesaraugustano.

Benigne receptis fraternitatis tuae litteris *etc.* Dat. [Avinione, nonis maii, anno tertiodecimo].

790. Patriarchae Constantinopolitano ac Patracensi, Cretensi, Thebano, Corinthiensi et Atheniensi archiepiscopis mandat, ut illos, quos Petrus de Corbaria ad partes Romaniae ad seducendos earundem partium fideles destinaverat, capiant et ad sedem apostolicam transmittant. [3]

1329, maii 7, Avinione.

Patriarchae Constantinopolitan. ac Patracen., Creten., Theban., Corinthien. et Athenien. archiepiscopis.

Ad apostolatus auditum nuper infestae relationis assertione pervenit, quod ille filius sathanae Petrus de Corbaria, haeresiarcha et scismaticus, homo utique reprobus, qui dudum uxore sua legitima, quam in facie ecclesiae desponsarat cuique pluribus annis cohabitarat publice in saeculo, absque ipsius uxoris voluntate dimissa ordinem fratrum Minorum intravit, in quo vitam ducens, sicut habet assertio multorum veridica, inhonestam propter horrendos et detestandos excessus per ipsum commissos poenis gravibus per eundem ordinem fuit subiectus, quas velut rebellis et inobediens ordini praedicto deduxit dampnabiliter in contemptum, et tandem, tamquam in profundum malorum demersus, suscitando in ecclesia Dei scisma nefandissimum, se fecit et facit Nicolaum papam V in divinae maiestatis contumeliam totiusque fidelium coetus opprobrium et scandalum abusive et derisorie per suos sequaces dampnatos et complices nominari, ad partes Romaniae, in quibus catholicae fidei viget cultus, quosdam suarum nequitiarum complices et fautores, quos episcopos nominat, ad seducendos fideles earundem partium ipsosque in suorum errorum, haeresium et scismatum trahendos praecipitium occupandosque ibidem proventus ecclesiasticos molitur ausibus nefandissimis destinare. Nos autem .. fraternitati vestrae per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, si quos tales per eumdem P. haeresiarcham et scismaticum destinatos vel ipsius fautores, sequaces et complices aut contra constitutiones et declarationes nostras [4] dogmatizantes haeresim dampnatam per eas in vestris civitatibus, dioecesibus et provinciis repereritis (super quo adhibere curetis, sicut ad vestrum pastorale pertinet officium, diligentiam studiosam), eos capiatis et ad sedem apostolicam sub fida custodia, si commode fieri valeat, transmittatis, alioquin contra ipsos et eorum singulos.... ad correctionem et punitionem ipsorum iuxta sanctiones canonicas procedatis, invocato *etc.*, non obstantibus *etc.*, nos et sedem praedictam certifica[tu]ri nihilominus de

[1] *Waddingus omisit haec verba:* Ut autem de hiis *usque:* desiderantes continue, *quorum loco scribit:* Ceterum desideramus, filia carissima, continue.

[2] Reg. Vat. t. 115, f. 174, ep. 1001; cfr. supra n. 786. Dubium non est, quin isti processus ad singulos antistites orbis catholici sint missi.

[3] Reg. Vat. t. 115, f. 66, ep. 414.

[4] Praesertim de paupertate editas.

hiis, quae quomodolibet gesseritis in hac parte. Dat. [Avinione,] nonis maii, anno tertiodecimo.

791. Confirmat quasdam destitutiones et institutiones ministrorum provincialium aliorumque officialium ord. Min. a Bertrando ep. Tusculano et ord. Min. vicario generali factas. [1]

1329, maii 15, Avinione.

Venerabili fratri Bertrando episcopo Tusculano.

Ad sacrum ordinem fratrum Minorum in [h]orto plantatum ecclesiae praecipuum gerentes dilectionis affectum, libenter hiis, quae ipsius profectum ac tranquillitatem respiciunt, apostolici favoris praesidium impertimur. Cum itaque, sicut oblatae nobis petitionis tuae series continebat, tu dudum vicarius generalis totius eiusdem ordinis auctoritate apostolica constitutus huiusmodi vicariatus exercens officium, sicut adhuc exerces auctoritate praedicta, nonnullas destitutiones et institutiones ministrorum necnon et institutiones aliarum personarum ad generale capitulum dicti ordinis pertinentes fecisse noscaris, prout tibi pro conditione locorum et salubritate status dicti ordinis expediens visum fuit, nos pro bono et pacifico statu ordinis supradicti, et ut electio futuri ministri generalis et alia in proximo generali capitulo dicti ordinis celebrando tractanda melius auctore Domino prosperentur, omnes destitutiones et institutiones praedictas auctoritate apostolica confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, idibus maii, anno tertiodecimo.

792. Certa quaedam privilegia per imperatores universitati civium Argentin. concessa et ab Innocentio papa IV confirmata examinari eaque, si sint vera, confirmari iubet. [2]

1329, maii 18, Avinione.

Bertholdo electo Argentin. ac .. priori Praedicatorum et .. guardiano Minorum fratrum ordinum Argentinen. [3]

Exhibita nobis *etc.* Dat. Avinione, XV kal. iunii, anno tertiodecimo.

---

[1] Reg. Vat. t. 90, f. 298, ep. 1814; cfr. infra n. 795. Ad has litteras referenda sunt, quae legimus apud *Baluze,* Miscell. ed. *Mansi,* t. III, p. 314 (Cod. Vat. lat. n. 4008, f. 89, et n. 4010, f. 108). « Subsequenter supradictus dominus Bertrandus cardinalis, ordinis vicarius generalis per saepedictum dominum Ioannem, ut dictum est, institutus, asserens praefatum fratrem Michaelem generalem ministrum per memoratum dominum Ioannem legitime ab officio absolutum, de mandato praelibati domini Ioannis mandavit omnibus ministris et custodibus, quibus incumbit ex regula electio generalis, et aliis, qui debebant dicto capitulo interesse, per suas literas speciales, ut in proximo Pentecoste, quod fuerit anno Domini 1329, pro generali capitulo celebrando et novo generali ministro eligendo, Parisius se conferrent. Praenominatus autem frater Michael generalis minister, volens praedictae ordinationi et mandato sive futurae electioni pro posse obviare, pro eo quod tale capitulum sive electio manifeste foret in praeiudicium ac iustitiae notabile detrimentum ac ecclesiae toti et ordini scissuram et scandalum non modicum generaret, maxime cum dictus dominus Ioannes esset, ut asserebat in suis litteris, haereticus manifestus, praecepit omnibus ministris, custodibus et aliis per suas literas speciales, ut nullo modo Parisiis aut alibi convenirent pro generali capitulo celebrando. Praedictarum vero literarum tenor noscitur esse talis: « *Universis fratribus ordinis Minorum praesentes litteras inspecturis frater Michael eiusdem ordinis generalis minister et servus salutem et pacem in Domino sempiternam.* Cum secundum regulam nostram ordinatio generalis capituli quo ad locum et tempus ad generalem ministrum pertineat, quae ordinatio propter mei absentiam et alia impedimenta praestita circa ipsum capitulum, quod in Pentecoste praecedenti Bononiae fuerat celebratum, non potuit suo tempore nunciari, votis illustrissimae dominae reginae Franciae satisfacere cupiens, locum sequentis capituli generalis assigno Parisius, iuxta preces fratrum congregatorum Bononiae in Pentecoste praedicta et aliorum fratrum magistrorum et discretorum solemnium accedente consilio et assensu, ad capitulum anno tertio a praecedenti Pentecoste iam dicto iuxta terminum regulae ac morem ordinis in festo consimili statuto celebrandum, praecipiens per obedientiam salutarem fratribus omnibus, qui secundum regulam et ordinis instituta debent ad generale capitulum proficisci, quatenus ad locum Parisius praedictum et praeordinato tempore studiose ac sollicite studeant convenire. Verum quia relatione digna fide percepi, quod per illum, qui de facto praesidet in Avinione, seu per fratrem Bertrandum de Turre gerentem, ut asserit, vices eius, ministris omnibus et discretis provinciarum mandatur, quod in Pentecoste proxime sequenti debeant Parisiis ad generale capitulum congregari: volens praedictae ordinationi obviare pro posse, pro eo quod tale capitulum, si capitulum dici possit, manifeste foret in praeiudicium et (iustitiae) notabile detrimentum ac ecclesiae toti et ordini scissuram et scandalum non modicum generaret (cum supradictus Iacobus de Caturco manifeste in pluribus articulis haereticus sit probatus, propter quod serenissimus dominus Ludovicus Dei gratia Romanorum imperator et semper augustus cum consensu Romani cleri et populi solemniter declaravit ipsum Iacobum omni auctoritate et potestate privatum iuxta canonicas sanctiones, ut etiam per appellationem contra eum nomine meo interpositam et per scripturam authenticam depositionem ipsam continentem clarius demonstratur), praecipio firmiter et districte per obedientiam salutarem ministris, custodibus et discretis ac aliis fratribus nostri ordinis quibuscumque, quod ad praedictum locum vel quemcunque alium pro generali capitulo celebrando ante praedictum tempus per me ordinatum accedere non praesumant; et si, quod absit, aliquis contrarium fecerit, ipso facto tanquam inobediens et sui destructor ordinis omni actu legitimo et officiis ordinis sit privatus, ad quae restitui non possit nisi per generalem ministrum vel per illum, cui duceret specialiter committendum; et quia parendo mandatis dicti domini Iacobi de Caturco damnati haeretici atque depositi seu alterius vices eius gerentis in fautoriae crimen et poenas a iuro taxatas manifeste incurrit, concedo cuicunque personae tam saeculari quam regulari, quod fratres inobedientes huiusmodi et mandatis praedicti Iacobi haeretici vel eius vicariorum, officialium vel nunciorum obsequentes capere possit et carcerali custodia detinere, nec a detentione vel incarceratione praedictis absque generalis ministri consensu valeant liberari. Et ad haec implenda fideliter omnes fratres et singuli nostri ordinis dent per obedientiam operam efficacem. Valete in Domino, et orate pro me. Datum Pisis, VI kal. decembris, anno Domini 1328 ».

[2] Reg. Vat. t. 115, f. 87, ep. 500.

[3] *Strassburg* in cust. Alsatiae prov. Alamanniae super.

793. Mandat Benedicto ep. Cuman., quod, si Michaelem de Caesena fugitivum aliosque ipsius complices forte ceperit, iustitiae de eis faciat complementum. [1]

1329, maii 20, Avinione.

Benedicto episcopo Cumano.

Cum de tuae circumspectionis industria zeloque ferventi, quem ad Deum et Romanam ecclesiam ac fidem catholicam habere dinosceris, geramus fiduciam in Domino specialem, fraternitati tuae tenore praesentium committimus et mandamus, quatinus, si Michaelem de Caesena olim ordinis fratrum Minorum generalem ministrum, de Romana curia fugitivum, haereticum et scismaticum ac de haeresi sententialiter condempnatum, aut aliquos ipsius complices et sequaces vel alios, qui in dampnatas per constitutiones vel processus nostros haereses incidissent, te capere vel eos tibi quomodolibet assignari contingat (super quo adhibere studeas diligentiam operosam), de ipsis tanquam haereticis et eorum singulis, nisi ad sedem apostolicam possent secure transmitti, exhibeas (matura deliberatione praehabita) iustitiae complementum: nos redditurus de hiis, quae in hac parte quomodolibet gesseris, certiores. Datum Avinione, XIII kalendas iunii, anno tertiodecimo.

794. Petit securum conductum pro fratre Henrico de Signoreto de Pisis ord. Min. ad certas quasdam Italiae partes destinato. [2]

1329, maii 24, Avinione.

Venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis et episcopis etc., ad quos praesentes litterae pervenerint.

Cum dilectus filius Henricus Signoreto de Pisis ordinis fratrum Minorum, exhibitor praesentium, ad certas partes Italiae pro quibusdam negotiis expediendis de beneplacito nostro accedat, ad nostram praesentiam in proximo reversurus, universitatem vestram rogamus, monemus et in Domino attentius exhortamur, quatinus eumdem Henricum, cum per terras et loca vestra transitum fecerit, benigne recommendatum habentes nullam eidem molestationem vel iniuriam inferatis nec ab aliis, quantum in vobis fuerit, permittatis inferri, sed ei potius de securo conducto in eundo, morando et redeundo sic libere providere curetis, quod ipse de vobis grata referre valeat et nos devotionem vestram debeamus propter hoc merito commendare: praesentibus per duos menses tantummodo valituris. Datum Avinione, IX kalendas iunii, anno tertiodecimo.

795. Definitores capituli generalis ord. Min. ceterosque fratres in ipso capitulo Parisiis congregatos monet, ut bene se gerant in eligendo ministro generali et in aliis ibidem agendis. [3]

1329, maii 25, Avinione.

Definitoribus capituli generalis ordinis fratrum Minorum et ceteris fratribus eiusdem ordinis Parisiis in ipso generali capitulo congregatis.

Nostis, filii dilectissimi, quomodo satanas, ut sicut triticum vos cribraret, vos expetivit pericu-

---

[1] Reg. Vat. t. 115, f. 27, ep. 170. Cf. supra n. 783.

[2] Reg. Vat. t. 115, f. 76, ep. 459; cfr. infra n. 816.

[3] Reg. Vat. t. 115, f. 124, ep. 738; apud *Wadd.* l. c. ad a. 1329, n. 5 (cfr. ibi n. 6 litteras Sanciae reginae Siciliae ad idem generale capitulum missas), atque supra n. 791 et infra n. 797. De hoc capitulo generali et electione fr. Geraldi Odonis in ministrum generalem ord. Min. ab ipso facta apud *Baluze* l. c. p. 315 (cod. Vat. n. 4010 f. 108) legimus haec: « Praedicta littera *(cfr. supra not. ad n. 791)* non obstante et praecepto ac poenis in ea contentis non obstantibus plures ministri, custodes et discreti alii iverunt Parisios et 10 die iunii, quae fuit vigilia Pentecostes a. MCCCXXIX, fr. Geraldum Oddonis de provincia Aquitaniae, magistrum in s. pagina, in generalem ministrum ordinis Min. elegerunt. Quanta oppositio oritur ex praedictis, cum praefatus dominus Ioannes non obstantibus supradictis appellationibus per praefatum Michaelem legitime interiectis eum ab officio generalis ministri absolverit et alium generalem eligi mandaverit! Dubitatum est a pluribus, utrum absolutio seu depositio facta per saepedictum dominum Ioannem seu per dictum capitulum Parisiis congregatum de dicto fr. Michaele et electio facta de Geraldo de iure habuerint roboris firmitatem et cui istorum dictorum sit obediendum a fratribus tamquam legitimo generali. Ideo infra scripti magistri in s. pagina una cum fr. Bonagratia de Pergamo in utroque iure perito super dicto dubio removendo allegationes fecerunt formam huiusmodi continentes: *Allegationes religiosorum virorum fratrum Henrici de Talhe[i]m, Francisci de Appiniano dicti de Esculo, Guilhelmi de Occham, in sacra pagina magistrorum, et fratris Bonagratiae de Pergamo.* Ut clareat evidenter omnibus, quod processus facti per dominum Iacobum de Caturco, qui se Ioannem papam XXII appellat, contra religiosum virum fratrem Michaelem generalem ministrum ordinis Minorum, et quidquid actum fuit per congregationem illam, quae de ipsius domini Ioannis mandato sive auctoritate dicitur facta fuisse Parisiis in loco fratrum Minorum de mense iunii anno Domini 1329 tam in deponendo dictum fratrem Michaelem ab officio generalis ministerii quam in eligendo fr. Geraldum in ministrum dicti ordinis quam in aliis gestis per eos, nullius fuerint et sunt roboris et momenti, incipiendum est a veritate facti, quia ex facto ius oritur (ff. ad legem Aquil. l. *Si ex plagis* § *In clivo)*. Facti igitur series talis est. Verum est, quod dictus dominus Iacobus mandavit dicto fratri Michaeli generali ministro ordinis Minorum quasdam litteras sub bulla sua, quarum litterarum tenor talis est *(cfr. supra n. 667)*: « Ioannes *etc.* Dil. filio Michaeli generali ministro ordinis fratrum Min. salutem et apostolicam benedictionem. Cum propter aliqua negotia tuum ordinem contingentia tua sit nobis praesentia opportuna, mandamus tibi in virtute obedientiae, quatenus infra mensem a praesentatione praesentium computandum studeas te nostro conspectui personaliter praesentare. Dat. Avinione sexto idus iunii pontificatus nostri anno undecimo ». Ex qua littera luculenter apparet, quod ipse dominus Ioannes non vocavit ipsum fratrem Michaelem ad suam praesentiam pro aliquo crimine, quod diceret ipsum vel diceretur per aliquem commisisse; ac per consequens falsum fore, quod dictus dominus Ioannes in processu depositionis per eum contra dictum fr. Michaelem promulgato fingit dicens *(cfr. supra n. 714)*: « Cum fide digna relatione ad nostram perductum fuerit audientiam, quod Michael de Caesena per totam quadragesimam in Urbe moram trahens non-

lose nimium his diebus; sed ne fides vestra deficeret, quinimo ut quibusvis spretis periculis persisteretis in ea intrepidi, domini Iesu Christi salvatoris nostri clementia, nonnullis a vobis eiectis spurcitiis, misericorditer impetravit. Profecto, filii, si hanc attente consideretis gratiam, ipsam de vestra memoria ingratitudinis mater oblivio non delebit nec in vobis cessabit iugis pro tanto beneficio gratia-

---

nulla nefanda contra nos et ecclesiam sanctae Dei subdole in favorem haereticorum et rebellium eiusdem ecclesiae procurabat, nos, ut valeremus praemissis salubriter obviare, eundem Michaelem, quod infra certum praefixum terminum coram nobis personaliter compareret, per nostras litteras duximus evocandum »; falsum est enim nec usquam poterit veraciter reperiri, quod ipse dominus Ioannes ex praedicta causa per ipsum in dicto processu suo conficta vocaverit ipsum fr. Michaelem ad suam praesentiam nec per aliquas alias litteras nisi per praedictas, quarum tenor superius est insertus. Qui frater Michael generalis minister tempore receptionis dictarum litterarum erat et post multum tempus fuit corporali infirmitate detentus, prout constat eidem domino Ioanni per testimonia vicarii tunc episcopi Interamnensis et plurium aliorum fide dignorum redacta in publica documenta et etiam per litteras illustris domini Roberti regis Siciliae, qui de ipsa infirmitate certificatus fuerat per medicum suum, quem de Neapoli usque Tudertum ad ipsum generalem ministrum visitandum transmisit. Qua excusatione rationabili intellecta et admissa idem dominus Ioannes praefato generali ministro per suas litteras sub bulla sua insinuando mandavit, quod ipsum habebat super eo, quod infra terminum dictarum litterarum ad eum non venerat, rationabiliter excusatum *(cfr. supra n. 687)*, et per litteras fratris Petri de Prato tunc procuratoris ordinis Minorum in Romana curia eidem generali ministro mandavit, quod ipsum habebat excusatum quodque non fuerat suae intentionis nec volebat, quod supra posse suum laboraret in veniendo ad eum, sed cum commode posset assumpta corporis valetudine veniret, adiiciens, quod nolebat, quod terminus in dictis suis litteris ordinatus eidem fratri Michaeli praeiudicaret, nec per talem terminum volebat, quod ipse generalis minister se exponeret alicui periculo personali, sicut ex dictis litteris deprehenditur evidenter. Ex quibus clare patet falsum esse et impie confictum illud, quod ipse dominus Ioannes in dicto processu exprimit dicens, quod ipse Michael se fingebat infirmum quodque suppressa veritate procuravit a rege Roberto litteras excusatorias, praetextu infirmitatis huiusmodi, quam fingebat.

Qui fr. Michael gen. min. (nondum plene informatus de statutis haereticalibus editis per dictum dominum Ioannem [*cfr. supra nn. 557*] et de haeresibus in ipsis statutis super quibusdam cavillationibus iuris sophisticis involutis, et ipsius domini Ioannis tyrannidem, nisi coram eo comparuisset, merito perhorrescens), corporali valetudine aliqualiter reassumpta ad ipsius domini Ioannis praesentiam personaliter accessit et pervenit prima die mensis decembris anno Domini 1327. Et ipse dominus Ioannes dictum fratrem Michaelem in prima praesentatione sive visitatione curialiter recepit, in secunda vero, cum ipsum existentem in curia sua ad se vocavit, ut cum eo de his, pro quibus eum prius per dictas suas litteras ad curiam vocaverat, loqueretur, ipsum fratrem Michaelem benigne et charitative tractavit, commendando ipsum et gesta per ipsum, adiiciens, quod ideo eum ad curiam et ad suam praesentiam vocaverat, quia intellexerat, quod aliquae provinciae dicti ordinis propter pravum regimen ministrorum ipsarum provinciarum detrimenta et gravia pericula patiebantur, quodque ipse hoc non imputabat nec imputandum esse censebat eidem generali ministro pro eo, quod ipse generalis non habebat potestatem per se providendi provinciis de ministris; et eidem generali specificavit et expressit provincias s. Francisci et Aragoniae, in quibus provinciis huiusmodi detrimenta et pericula fore dicebat. Unde et ipse dominus Ioannes, volens dictis periculis ut dixit remedium adhibere, mandavit et commisit eidem generali ministro, quod ministros ipsarum provinciarum absolveret et quod eisdem provinciis de ministris idoneis et sufficientibus provideret. Et sic idem generalis minister de voluntate dicti domini Ioannis in Avinione remansit a prima die decembris usque ad diem IX aprilis sequentis: ita quod nihil aliud eidem dixit, quod dictum ordinem vel personam illius generalis ministri contingeret quoquo modo, nec ipsum generalem redarguit de aliquo crimine vel defectu; nec dixit nec apparuit, quod ipse generalis minister foret de aliquo crimine sibi delatus vel accusatus; nec est verisimile vel credendum, quod, si ipse generalis fuisset accusatus vel denunciatus aut ad ipsius domini Ioannis notitiam quomodolibet pervenisset, quod ipse frater Michael tractasset vel fecisset aliqua contra ipsum dominum Ioannem vel ecclesiam aut in rebellium eius favorem, quod ipse dominus Ioannes rem tam gravem et sibi molestam tam longo tempore tacuisset (Arg. extra de frigi. et malefi. cap. 1). Ex quibus liquet, falsum fore et impie confictum illud, quod dictus dominus Ioannes in dicto processu suo per eum facto contra ipsum fratrem Michaelem confingit dicens: « Quod ipse frater Michael in curia residens nedum praemissa continuare non destitit, sed peiora et horribiliora prioribus cumulavit, eisdem adhaerendo haereticis et rebellibus et praestando contra nos et ipsam ecclesiam auxilium, consilium et favorem, et fratres suorum operum damnabilium sectatores fovendo et exaltando ».

Postea vero dicta die IX april. a. Domini 1328 idem dominus Ioannes ad suam praesentiam vocavit dictum fratrem Michaelem generalem ministrum, praesentibus fratribus Raymundo de Lados procuratore dicti ordinis in curia et Petro de Prato ministro tunc provinciae s. Francisci ac Laurentio de Coalhano bacallario in conventu fratrum de Avinione, et eum fortiter increpavit, ex eo quod ipse et generale capitulum dicti ordinis olim Perusii congregatum determinaverat *(cfr. supra not. ad n. 486)* non fore haereticum, sed sanum, catholicum et fidele asserere, Christum et apostolos viam perfectionis ostendentes non habuisse aliquid iure proprietatis et dominii in speciali nec in communi, sicut in decretali *Exiit qui seminat* § *Porro* diffinitur expresse, quam determinationem [definitores] generalis capituli antedicti in quandam authenticam litteram roboratam sigillis ipsius generalis ministri et multorum ministrorum, magistrorum ac bacallariorum dicti ordinis ac subscriptionibus redegerunt. Quam litteram capituli antedicti idem dominus Ioannes frequenter asseruit fuisse haereticam, sicut de increpatione et assertione huiusmodi factis per dictum dominum Ioannem in litteris per dictum procuratorem ordinis propria manu scriptis et subscriptionibus dictorum fratrum Petri et Laurentii ac procuratoris plenius continetur. Et quia dictus generalis minister restitit eidem domino Ioanni in faciem dicens, quod dicta determinatio capituli non erat haeretica, sed catholica, quia sic sequeretur, quod determinatio ecclesiae posita in dicta decretali foret haeretica, et quod ille papa, qui ipsam determinationem fecit, fuisset haereticus: ideo idem dominus I. sibi mandavit sub poena excommunicationis et privationis sui officii, quod ipse generalis minister non exiret de curia sua sine licentia ipsius domini Ioannis speciali. A quibus dictis et factis per ipsum dominum Ioannem contra dictam capituli et s. Romanae ecclesiae fidem catholicam et in subversionem et haereticationem dicti capituli et totius ordinis et professionis regulae s. Francisci ac vitae evangelicae et apostolicae et in ipsius generalis ministri enorme praeiudicium et gravamen idem generalis minister suo et dicti ordinis nomine infra X dies ad s. Romanam ecclesiam de peritorum consilio et secundum iuris formam in scriptis solemniter appellavit *(cfr. supra not. ad n. 714)*. Et cognita intentione perversa et iniqua dicti domini Ioannis, quam adversus fidem, quam s. Romana tenet ecclesia, et totius dicti ordinis professionem conceperat, cum peritis

rum actio nec vox laudis. Sane quia in praesenti capitulo imminet de ministro generali creando tractatus, sinceritatem vestram hortamur in Domino et rogamus attente, quatenus attendentes, quod integritas praesidentium salus sit subditorum, quantisque periculis perversum caput vestrum religionem vestram exposuerit, ad memoriam revocantes [et] ad illum, qui plene novit, quid sit in homine,

---

existentibus in curia praedicta de dictis statutis per dictum dominum Ioannem contra fidem catholicam et in dicti ordinis subversionem et totalem-destructionem editis et de haeresibus contentis in ipsis statutis se caute et secrete plenius informavit. Dictus vero dominus Ioannes nullius defectus in dicto generali ministro causam inveniens, quare eum in sua curia retineret et ad capitulum generale tunc proxime Bononiae celebrandum accedere non permitteret, nisi quia ipse minister nolebat immutationem status et professionis fratrum dicti ordinis et, quod dicta littera et determinatio capituli foret haeretica, consentire, et intendens fratres congregandos in futuro proximo capitulo generali Bononiae celebrando ad suam voluntatem et ad eligendum alium ministrum generalem, qui suis votis per omnia consentiret, per vias exquisitas inducere, et credens sibi fore necessarium ad hoc suum propositum exequendum eum retinere in sua curia, ne possit hoc suum propositum impedire, fratribus in dicto capitulo congregandis ultimo misit litteras suas infrascripti tenoris *(cfr. supra n. 706)*. Ex qua littera et etiam ex aliis praedictis litteris et gestis per dictum dominum Ioannem clare patet, quod non ex criminibus aliquibus perpetratis per dictum fratrem Michaelem detinuit ipsum in curia, sed solum ex eo, quod videbat praesentiam dicti generalis ministri sibi fore necessariam pro certis negotiis, ac per consequens falsum esse, quod ipse dominus Ioannes in dicto suo processu a patre mendacii promulgato asserit dicens, quod ipse in curia existens adeo horribilia contra ipsum Ioannem et ecclesiam et in favorem haereticorum commiserat, quod propter ipsa crimina poterat rationabiliter carcerali custodiae mancipari.

Postquam fratres in dicto festo Pentecostes Bononiae congregati et totum capitulum ibi congregatum praefatum fratrem Michaelem tanquam sufficientem et idoneum generalem ministrum approbaverunt, et quia in regula b. Francisci dicitur, quod in capitulo Pentecostes provinciales ministri teneantur semper insimul convenire, ubicumque a generali ministro fuerit constitutum et hoc semel in tribus annis vel ad alium terminum maiorem vel minorem, prout a generali ministro fuerit ordinatum: ideo praedicti fratres in dicto capitulo Bononiae congregati ordinationem futuri generalis capituli in arbitrio et voluntate dicti fratris Michaelis generalis ministri iuxta formam dictae regulae dimiserunt; rogaverunt tamen dictum generalem ministrum per litteras a dicto capitulo missas sibi, quod placeret eidem statuere, quod capitulum generale futurum celebraretur Parisiis. Qui generalis minister voluntati dicti capituli condescendens et etiam ad preces et instantiam dominae reginae Franciae statuit et ordinavit, quod futurum proximum capitulum generale celebraretur Parisiis ad tres annos tunc proxime venientes secundum regulam antedictam.

Postea vero dictus generalis minister provide attendens sibi mortis periculum imminere, si in dicta curia Avinionen., post dictam appellationem per eum contra dictum dominum Ioannem interpositam diutius remansisset, et volens ire ad loca tuta, ubi secure posset dictam suam appellationem publicare et prosequi et etiam innovare: die iovis in sero, quae fuit 26 dies mensis maii, statim post dictum capitulum in dicto festo Bononiae celebratum, recessit de dicta curia Avinionen., dictae suae oppositioni firmiter inhaerendo. Cumque ad praefati domini Ioannis notitiam pervenisset de recessu dicti generalis et sociorum eius, et quod ipse appellaverat contra eum, ipsum et socios fecit hostiliter persequi, ut eos capere posset; et cum domino Iesu Christo, cuius negotium et fidem agebant, faciente ipsius domini Ioannis manus mirabiliter evasissent: ipse videns se suo desiderio privatum, ipsis generali et sociis adhuc existentibus in itinere eundi ad civitatem Pisanam pro appellatione praedicta publicanda et pro viribus prosequenda, dictum generalem ministrum ex praedictis per eum confectis causis falsissimis superius explicatis ab officio dicti generalis ministerii de facto, cum de iure non posset, post et contra dictam appellationem praedictam absolvit, omni iuris et iudiciorum ordine praetermisso, ad culmen etiam suorum mendaciorum in dicto processu suo adiiciens, quod ipse Michael recesserat de Avinione in galea quadam sibi procurata per Ludovicum de Bavaria, et quod ipse Michael, antequam ad suam praesentiam accessisset, conspiraverat, ut ad papatum per ipsum Ludovicum promoveretur. Quod patet omnino falsum; si enim ad hoc aspirasset, ad ipsius domini Ioannis praesentiam non accessisset. Ex quibus clare patet, quod dictus processus per dictum dominum Ioannem contra dictum fratrem Michaelem generalem ministrum factus fundatus est in mendaciis et falsitatibus manifestis. — Et ex eodem ruinoso fundamento idem dominus Ioannem de facto, cum de iure non posset, dominum Bertrandum de Turre vicarium generalem dicti ordinis constituit. Qui dominus Bertrandus ordinationem per dictum generalem ministrum de voluntate dicti capituli generalis secundum formam regulae supradictae stabilitam immutavit de facto, cum de iure non posset, ac statuit, quod in festo Pentecostes tunc proxime futuro Parisiis fratres ad capitulum ad eligendum alium generalem ministrum dicti ordinis convenirent; et attendens, quod ministri per electionem in capitulis provincialibus secundum formam regulae et generalis concilii Viennensis solemniter instituti in dictum fratrem Michaelem consenserant et consentiebant, et quod votis suis non assentirent, adinvenit fratres, qui in omnibus his, quae dominus Ioannes dixerat et fecerat, et eius voluntati per omnia consentirent, quos de facto in ministros et custodes instituit ac legitime institutos de facto, cum de iure non posset, destituit et privavit. Et considerans, quod huiusmodi institutio et destitutio ministrorum nullam habebat roboris firmitatem, impetravit a praefato domino Ioanne litteras confirmationis dictarum institutionum et destitutionum sub infrascripto tenore *(cfr. supra n. 791)*.

Postea vero dicti fratres per dictum dominum Bertrandum de facto et contra formam praedictae regulae ac concilii generalis in ministros et custodes perperam instituti cum paucis aliis ministris congregaverunt se Parisiis in loco fratrum Minorum, et antequam ad electionem fratris Geraldi Odonis procederent, fecerunt protestationem suam, de qua fecerunt fieri publicum instrumentum, cuius instrumenti verba sunt talia: « Noverint universi praesens instrumentum inspecturi, quod anno Domini 1329, indictione XII, die X mensis iunii Parisiis in loco fratrum Minorum, ubi tunc tenebatur generale capitulum eorumdem, religiosi viri frater Ioannes minister Romanus, frater Pastor minister Provinciae et ceteri fratres ordinis fratrum Minorum, ad quos secundum regulam ipsorum institutio et destitutio ministri generalis ordinis noscitur pertinere, considerantes, quod sanctissimus pater dominus Ioannes divina providentia papa XXII praedictum fratrem Michaelem de Çaesena olim generalem ministrum eiusdem ordinis ex suis demeritis iuste et rite depositum iudicaverat ab officio generalis ministerii atque tanquam contumacem et inobedientem excommunicaverat et inhabilitaverat ad quaecunque officia et beneficia intra et extra ordinem supradictum: quia frater Michael salutis suae immemor adhuc se audet dicere generalem et de facto abutitur officio supradicto, idcirco praedicti ministri et custodes, asserentes praedictum fratrem Michaelem legitime fuisse absolutum et depositum et poenas alias incurrisse, nihilominus ex abundanti et ad cautelam et ad eius malitiam convincendam et etiam insaniam detegendam, qua se

cuiusque oculis nihil latet, convertentes oculos mentis vestrae, illum devotis pulsetis instanter precibus, quod sic in electione huiusmodi affectus vestros dirigat et illuminet intellectus, ut ad gerendum praedicti ministeriatus officium per electionem unanimem et concordem illum assumatis, qui honori tanto et oneri congruat et qui non solum sit utilis ordini sed et orbi, quique ex tanta digni-

---

audet erigere, ut abutatur dicto officio contra voluntatem et praeceptum dicti domini papae et etiam contra totius ordinis voluntatem, qui ipsum reputat iuste depositum a praedicto domino nostro papa; nihilominus supradicti ministri et custodes auctoritate regulae et potestate ex eorum regula eis data ipsum deposuerunt et amoverunt, quantum in eis est, ab officio memorato, inhibentes eidem, ne deinceps se audeat gerere pro generali ministro, ac etiam praecipientes eidem auctoritate praedicta, ut sigillum officii, libros et res alias ad ordinem pertinentes reddat et restituat ac mittat generali ministro, qui hodie eligetur ». Haec verba dicti instrumenti confecti dicta die. — Qua die etiam dictum fr. Geraldum Odonis in suum ministrum elegerunt, postquam dicti fratres Geraldus et sui sequaces approbaverunt processus factos per dictum dominum Ioannem contra praefatum fratrem Michaelem et alios, qui dictae appellationi interpositae per dictum fr. Michaelem adhaeserunt, et mandaverunt, quod nullus ipsis fratribus vel eorum alicui seu eis adhaerentibus praestaret auxilium, consilium vel favorem, et etiam approbaverunt gesta et facta per dominum Ioannem et Bertrandum. — Ex praedictis autem pro parte dictae congregationis opponitur, quod dictus fr. Michael non debet haberi pro generali ministro dicti ordinis, sed dictus frater Geraldus, quia, ut ipsi dicunt, frater Michael iuste et legitime depositus fuit: primo per dictum dominum Ioannem, quem asserunt esse papam verum et legitimum, et gesta et facta per eum valida et iusta fuisse et esse; secundo, quia, ut dicunt, etiam ex abundanti et ad cautelam ex potestate eis data per regulam b. Francisci ipsum fr. Michaelem deposuerunt ab officio generalis ministerii. Pro parte etiam eorum allegatur, quod appellatio interposita per dictum fr. Michaelem suo nomine et dicti ordinis non tenet, quia ut dicitur papa superiorem non habet et ideo a gestis per eum appellari non potest, quare de eius gestis nullus iudicare potest (XI, 9 ult. cap. *Cuncta per mundum* cum similibus).

Quaeritur igitur, utrum dicti processus facti tam per dictum dominum Ioannem quam per dictam congregationem tam circa depositionem dicti fratris Michaelis quam circa electionem dicti fratris Geraldi quam circa praedicta alia et eorum occasione sint censendi nulli et nullius valoris et momenti. Et ad evidentiam praedictorum, ut dilucidius haec materia omnibus pateat, cum quaeritur de gestis per papam, utrum teneant, distinguendum est secundum iura: quia aut quaeritur de gestis per papam circa ius ecclesiasticum mere positivum aut de gestis per eum circa fidem et bonos mores sive tangentibus ius divinum. In primo casu, cum quaeritur de gestis per eum tangentibus mere ius positivum ecclesiasticum, distinguendum est, quia aut quaeritur de potestate absoluta aut de potestate ordinata. Cum agitur de gestis per eum circa ius ecclesiasticum mere positivum ex potestate absoluta, ut puta, quia ex certa scientia et de plenitudine potestatis causa cognita volens tollere ius tale positivum sive derogare eidem habita mentione de ipso iure: tunc tenent gesta per eum, quia potest tale ius tollere sive eidem derogare, quia legibus solutus est (ff. de legibus l. *Princeps*). Et sic locum habet, quod dicitur, quod papa potest supra ius positivum dispensare et illud tollere (extra de concessione praebendarum cap. *Proposuit*) et privilegium in praeiudicium aliorum dare (XII, q. 2, cap. *Bonae rei*) et sententiam invalidam confirmare (III, q. 6, cap. *Hoc quippe*, et notatur IX, q. 2, cap. *Nullus*). Et sub hoc intellectu dicitur, quod papa omnes iudicat et ipse a nemine iudicatur; et sic loquuntur iura (IX, q. ult. cap. *Episcopo* et cap. *Patet* et cap. *Nemo* et cap. *Aliorum* et cap. *Facta* et XL di. cap. *Si papa*). Et quod non appellatur ab eo, quia superiorem non habet, et sic loquitur cap. *Cuncta* (IX, q. ult.) superius allegatum, et quod non subiacet conciliis (extra de electione cap. *Significasti*). Et hac potestate absoluta, quae plenitudo dicitur potestatis, non intelligitur papa uti, nisi, ut praedictum est, expressam de hoc faciat mentionem, quod ius velit tollere et eidem ex certa scientia derogare (extra de officio et potestate cap. *Ex parte tua* in textu et in glossa). — Si vero agitur de gestis per papam ex potestate ordinata, ex qua semper intendit et vult procedere et debet iura servare, tunc non tenent gesta sive facta per eum contra ius. Unde, si rescriptum vel mandatum aut processus sui emanarent contra ius, non tenent nec est ei obediendum, ut expresse habetur et notatur extra de aetate et qualitate ordinandorum (cap. *Eam te* in textu et glossa) et extra de rescriptis (cap. *Si quando* in textu et glossa et cap. *Cum adeo* XXV, q. 2, cap. *Ut damnosa* et cap. *Rescripta* et cap. de precibus Imperatorum off. l. *Quoties* et l. *Rescripta*). Et secundum hanc potestatem nusquam per suum mandatum vel rescriptum intendit nec potest iuri alteri derogare (extra de officio et potestate iudicum deleg. cap. *Super eo*, et ff. *Ne quod in loco publico fiat* 1 § *Si quis a principe*, et XXV, q. 2, cap. *De ecclesiasticis* in textu et glossa). Unde non licet papae praedium ecclesiae alienare (XII, q. 2, cap. *Non liceat*), quia, licet legibus sit solutus, tamen secundum iura agere debet (ff. de legibus l. *Princeps* et cap. de legibus l. *Digna vox*, et XCIX di. § *Ecce*); et ibi notatur, ex eo quod papa facit vel concedit aliquid contra ius, praesumitur per obreptionem obtentum, ut notatur extra de translatione episcoporum cap. ult. in glossa (super verbo *Cum postulatio*). Et a sententia sive rescripto principis per obreptionem emanante appellari sive provocari potest, quia non adversus principem, sed adversus obreptionem intelligitur provocatum (ff. quando appellatio fit et intra quae tempora l. 1 primo responso et II, q. 6, cap. *Biduum* circa finem), et vel ipse debet suum errorem revocare vel eius successor (XXXV, q. 9, § *His ita respondetur*, et cap. *Quod quis* et cap. *Veniam* et cap. *Sententiam* et cap. *Gregorii*). — Et de hac duplice potestate papae absoluta et ordinata notat Hostiensis in apparatu extra de excessibus praelatorum cap. *Sicut uni*.

In secundo vero casu, cum quaeritur de gestis per papam circa fidem vel bonos mores sive ius divinum: in his subiacet papa legi divinae et statutis sanctorum, quia non potest ex aliqua potestate contra ea facere, sed, quod determinatum est a lege divina sive a sanctis patribus, tenetur firmiter observare et inviolabiliter custodire (ut patet expresse XXV, q. 1: « Sunt quidam dicentes, Romano pontifici semper licuisse novas condere leges, quod nos non solum non negamus, sed etiam valde affirmamus. Sciendum tamen summopere est, quod novas leges condere potest, unde evangelistae aliquid nequaquam dixerunt; ubi vero aperte Dominus vel eius apostoli et eos sequentes sancti patres sententialiter aliquid diffinierunt, ibi non novam legem Romanus pontifex dare potest, sed potius, quod praedicatum est, usque ad animam et sanguinem confirmare debet. Si enim, quod docuerunt apostoli et prophetae, destruere (quod absit) niteretur, non sententiam dare sed magis errare convinceretur ». Haec ibi). Et etiam contra statuta patrum condere aliquid vel mutare, nec huius quidem sedis potest auctoritas (« apud nos non in convulsis codicibus vivit antiquitas, cui decreta patrum sanxere reverentiam » cap. *Omne* et cap. *Prima salus* et cap. *Satagendum*; ibi). Quibus etiam nos subditos esse sacrae scripturae praecipiunt, nec in his papa potest suorum praedecessorum statuta destruere (XXV, q. 2, cap. « Si ea destruerem, quae antecessores nostri statuerunt, non constructor sed eversor iuste comprobarer », et in cap. *Imputato*). Et in his papa subiacet con-

tate se noverit, velit et valeat reverendum reddere ac ex humili ministerio gratiosum. Et quia iuxta prophetarum *[Ps. 110]* encomium « magna opera Domini in concilio iustorum », nos, haec intentis optantes desideriis in hac salutari congregatione vestri capituli generalis impleri, vestram prudentiam exhortamur, quatenus ad ea, quae Dei sunt, salutem animarum vestrarum respiciunt, religio-

---

ciliis, unde, quod semel synodus pro veritate catholica et apostolica promulgavit, non potest retractare (XXIV, q. 1, cap. *Maiores*); et quod papa in hiis subiaceat conciliis nec contra ordinata in conciliis possit facere, probatur XV di. cap. *Sicut sancti* (in textu et glossa) et cap. *Sancta Romana*. Unde papa non possit statuere vel dispensare, quod religiosi, qui voverunt vivere sine proprio, haberent proprium (extra de statu monach. cap. *Cum ad monasterium* in fine), nec contra statum universalis ecclesiae (XXV, q. 1, cap. *Memor* et XXV, q. 1, cap. *Quae ad perpetuam* in textu et glossa et XIX, di. § *Hoc autem*). Immo si papa aliquid contra hoc statueret, foret sicut haereticus ab omnibus catholicis repudiandus (XIX di. cap. *Anastasius*), ubi glossa or. super verbo *Concilio* dicit sic: « Videtur ergo, quod papa tenetur requirere concilium episcoporum; quod verum est, ubi de fide agitur, et tunc synodus maior est papa, sicut maior est Orbis Urbe » (XCIII di. cap. *Legimus*). Immo si papa recedit a fide sive facit contra fidem catholicam, est depositus (XL di. *Si papa* in textu et glossa) et minor est quocunque catholico. Unde non potest aliquem catholicum excommunicare, cum quilibet catholicus eo sit superior, nec etiam aliquem haereticum, quia aequalis est sibi (ut probatur XXIV, q. 1, § *Si autem* circa finem et in cap. *Acacius*, et ibi notatur plene in glossa).

His igitur ad evidentiam dicendorum praemissis, pluribus rationibus ostenditur evidenter, quod sententia depositionis sive amotionis ab officio generalis ministerii et ceteri processus per dictum dominum Ioannem contra praefatum fratrem Michaelem prolati ac institutio dicti vicarii ordinis facta per ipsum dominum Ioannem et omnia gesta per dictam congregationem fratrum tam in deponendo ipsum fratrem Michaelem quam in eligendo praefatum fratrem Geraldum in generalem ministrum et ceteris aliis nullius fuerunt et sunt roboris et momenti. Prima ratio sic sumitur. Certum est, quod mandatum sive sententia et processus papae etiam legitimi et catholici ex falsis causis (sive tacita veritate et expressa falsitate) prolati non habent roboris firmitatem (ut probatur extra de rescriptis cap. *Si quando* in textu et glossa et cap. *Cum adeo*, et de sent. et re iudi. cap. *Cum olim*, et XXXV, q. 9, cap. *Veniam* in textu et glossa et ff. de natalibus restituendis l. 2, et extra de procura. cap. *In nostra*), nec litteris papae, quae veritate tacita processerunt, est obediendum (extra de aetate et qualitate ordinand. cap. *Eam te* in textu et glossa); sed dicti processus facti per dictum dominum Ioannem tam in deponendo sive amovendo dictum fratrem Michaelem ab officio generalis ministerii et eum diffamando quam in constituendo praefatum dominum Bertrandum de Turre vicarium dicti ordinis, ut superius est ostensum, fuerunt ex falsis causis (sive tacita veritate et expressa falsitate) et etiam ex abrupto sine causae cognitione prolati et in maximum praeiudicium et gravamen dictae universitatis fratrum Minorum, quae in capitulo generali Bononiae celebrato dictum fratrem Michaelem generalem ministrum tanquam sufficientem et idoneum approbavit et confirmavit, etiam post illa, quae in dicto processu dicti Ioannis falso asseruntur ipsum generalem ministrum in favorem haereticorum perpetrasse et propter huiusmodi favorem ipsum ad curiam vocatum; maxime enim derogatur et praeiudicatur dictae universitati fratrum, cum infertur, quod ipsa universitas hominem a fide dignis delatum de crimine haeresis et citatum sive praeventum pro tali crimine, sicut dicitur in dicto processu, approbavit et confirmavit in suum generalem ministrum, et sententia lata in praeiudicium universitatis, quae fungitur vice minoris (C. de iure rei publicae l. *Rem publicam*), ex falsis allegationibus nulla est (cap. *Si ex falsis alleg.* per totum et ibi notatur). Ergo huiusmodi depositio sive amotio a dicto officio generalis ministerii et constitutio dicti vicarii nullam habuerunt roboris firmitatem, etiam si ipse fuisset verus et catholicus papa, et per consequens, quicquid secutum est ex eis vel ob id, scilicet mutatio praedicti termini de capitulo generali ad formam regulae praedictae Parisiis celebrando et ordinatio facta per dictum dominum Bertrandum se dicentem vicarium dicti ordinis, quod ministri et custodes se congregarent Parisiis in proximo futuro capitulo Pentecostes ad alium generalem ministrum eligendum, et institutio et destitutio ministrorum, custodum et aliarum personarum facta per dictum dominum Bertrandum; nam, quicquid factum est per surreptionem, non valet (extra de offi. vica. cap. *Tua nobis* in textu et glossa). Et si principale non tenet, nec, quae sequuntur ex eo, tenent (extra de fid. insti. cap. *Inter dilectos* et cap. de legi. l. *Non dubium* et ff. de regulis iur. l. *Cum principaliter* cum similibus).

Secunda ratio sic sumitur. Certum est, quod in regula beati Francisci per sanctam Romanam ecclesiam approbata et confirmata, ad cuius observantiam universi fratres dicti ordinis ex voto suae professionis inviolabiliter astringuntur, statuitur et dicitur *(cap. 8)* in haec verba: « Universi fratres unum de fratribus istius religionis teneantur semper habere in generalem ministrum et servum totius fraternitatis, et ei teneantur firmiter obedire; quo decedente electio successoris fiat a ministris provincialibus et custodibus in capitulo Pentecostes, in quo provinciales ministri teneantur semper insimul convenire, ubicumque a generali ministro fuerit constitutum: et hoc semel in tribus annis vel ad alium terminum maiorem vel minorem, sicut a praedicto ministro generali fuerit constitutum. Et si aliquo tempore appareret universitati ministrorum provincialium et custodum, praedictum ministrum non esse sufficientem ad servitium et communem utilitatem fratrum, teneantur fratres praedicti, quibus electio data est, in nomine Domini sibi alium eligere in custodem ». Haec verba dictae regulae. Et sanctae Romanae ecclesiae concilium generale in decretali *Exivi de Paradiso* in libro VII decretalium inserta, verba dictae regulae declarans, diffinit *(cfr. supra p. 85)* in haec verba: « Nos volentes, ipsos posse clare et secure procedere in omnibus factis suis, declaramus, statuimus et etiam ordinamus hac constitutione in perpetuum valitura, ut, cum alicui provinciae de ministro fuerit providendum, ipsius ministri electio penes capitulum provinciale resideat, quam idem capitulum sequenti die, qua fuerit congregatum, facere teneatur; ipsius autem electionis confirmatio ad ministrum pertineat generalem », et infra: « Ceterum, si capitulum memoratum die praedicta ministrum eligere praetermittat, ex tunc ministri provincialis provisio ad generalem ministrum libere devolvatur »; et infra: « In destitutione vero dictorum ministrorum provincialium servari volumus, quod super hoc in dicto ordine fuit hactenus observatum. Ceterum, si contingeret eosdem ministros generali ministro carere, per vicarium ordinis fiat super hoc, quod fuerat faciendum per eumdem ministrum, usquequo provisum fuerit de generali ministro. Porro, si quid de huiusmodi provinciali ministro secus forte attentari contingerit, illud ipso facto sit irritum et inane ». Haec verba dicti concilii generalis ecclesiae sacrosanctae. Ex quibus verbis clare patet, quod electio provincialis ministri pertinet ad provinciale capitulum et confirmatio ad generalem ministrum et quod aliquis vicarius dicti ordinis, quantumcumque canonice et legitime constitutus, non potest in aliqua provincia aliquem ministrum instituere sive eidem provinciae de provinciali ministro providere, nisi cum duo copulative concurrunt, scilicet quod provinciale capitulum negligit eligere ministrum provincialem et ordo caret generali ministro. Et cum hactenus in dicto ordine fuerit obser-

nem fovent et eius decorem observant, adeo sint corda vestra concordia et opera manifesta, quod interius vestrae religionis veritas et exterius famae integritas conserventur. Verum quia, ubi disciplina contemnitur, necesse est, ut religio naufragetur, vobis sano consilio suademus, ut circa illam observandam curetis vigilantiae studium adhibere, quam tamen sic discretionis moderetur aequalitas, ne vel

---

vatum, quod ministri provinciales solummodo per generalem ministrum cum discretorum fratrum consilio et causa cognita et probata ab ipsorum officio destituuntur et amoventur, et cum etiam per decretalem *Exiit qui seminat* in libro VI insertam per dictum generale concilium approbatam constet, quod custodes illi, qui ad generale capitulum trasmittuntur et electioni generalis ministri intersunt, ab aliis custodibus eligantur, patet secundum formam iuris et dicti generalis concilii, quod vicarius dicti ordinis nullam habet potestatem deponendi sive amovendi provinciales ministros vel constituendi custodes ituros ad capitulum generale ordinis antedicti. Certum est etiam, quod, si quis a papa etiam catholico et legitimo impetravit litteras tali iuri sive concilio generali contrarias, non valent tales litterae, nisi de ipso iure sive concilio in ipso rescripto fiat specialis mentio (ut expresse patet extra de causis monachorum cap. *Ex parte tua* in textu et glossa ordinaria et extra de rescriptis cap. *Nonnulli* et in praeallegato cap. *Eam te* extra de aetate et qualitate ordinandorum). Unde, si aliqui religiosi vel alii impetrant litteras a papa super confirmatione prioratus sive alterius administrationis in religione, non tenent tales litterae et praesumuntur subreptitiae (ut expresse patet extra de confirmatione utili vel inutili cap. *Ad vitam* et cap. *Porrecta* in textu et glossa). Sed constat, quod dictus dominus Bertrandus se vicarium asserens ordinis antedicti pro libito voluntatis contra formam iuris et concilii instituit et creavit ministros provinciales et custodes, qui in dicta congregatione fuerunt, et absque aliqua causa legitima probata ministros rite et secundum formam dictae regulae et dicti concilii generalis electos et confirmatos destituit et absolvit; et quod illi, qui fuerunt in dicta congregatione imo verius conspiratione facta Parisiis, fuerunt pro maiori parte per dictum dominum Bertrandum dicentem se vicarium ministri provinciales et custodes creati. Nam cum sint solummodo 34 ministri in toto ordine, de ministris legitime electis et institutis, qui erant in officio ministri tempore capituli generalis Bononiae celebrati, viginti defuerunt in congregatione ordinata et facta Parisiis in festo Pentecostes inmediate sequenti per dominum Bertrandum, qui se vicarium ordinis auctoritate Iacobi de Caturco asserebat, scilicet minister Angliae, Hiberniae, Daciae, Alamaniae superioris, Saxoniae, Turoniae, Provinciae, Aquitaniae, Castellae, Aragoniae, Terrae Sanctae, Siciliae, Calabriae, Terrae laboris, Apuliae, Pennensis, s. Francisci, Marchiae [Anconitanae], Sclavoniae et Mediolanensis; et idem etiam creditur de multis aliis. De quattuordecim autem residuis ministris quattuor fuerunt per fratrem Michaelem generalem ministrum absoluti ex causis legitimis et cum magno consilio, scilicet ministri Ianuae, sancti Antonii, Bononiensis et Tusciae. Et sciendum, quod de his, quos frater Bertrandus instituit de facto, plurics sunt notorie et publice infames et de gravissimis criminibus accusati et confessi, sicut acta ordinis clare demonstrant: propter quod praedictus frater Michael gen. minister eos absolverat ab officiis ordinis, in quibus erant, et secundum eorum demerita aliis etiam poenis gravibus punierat; et hos tales promovit dictus dominus Bertrandus, ut ad quaecunque sibi grata praeberent assensum. Et ipse dominus Bertrandus impetravit a dicto domino Ioanne confirmationem dictarum institutionum et destitutionum ministrorum provincialium et custodum per eum contra formam dicti generalis concilii et iuris perperam attentatarum, nulla de dicto concilio nec de iure eligendi provinciales ministros pertinente ad capitula provincialia nec de iure institutionis dictorum custodum in ipsis litteris habita mentione. Ergo, quicquid factum fuit per dictam congregationem tam circa depositionem dicti fratris Michaelis quam circa electionem dicti fratris Geraldi quam circa alia nullius fuit roboris prorsus atque momenti, cum nec ipsa depositio nec ipsa electio nec cetera fuerint facta a maiori parte universitatis ministrorum et custodum rite et secundum regulam beati Francisci et formam dicti concilii generalis institutorum. - Nec in generali commissione vicariatus venire potest talis amotio et destitutio et collatio administrationis huiusmodi (extra de offi. vica. cap. *Licet*, cap. *Cum in generali* libro XVI) nec in generali commissione etiam facta per papam catholicum et legitimum venit nec venire potest, ut talis commissarius sive delegatus a papa possit aliquos suo iure contra concilia sive iura privare, quia contra iura dispensare et contra concilia agere solummodo est sedi apostolicae reservatum, cum ex certa scientia et de iure ipso sive concilio habita mentione expresse dispensat (IX, q. 3. *Per principalem* et extra de concessione praeben. cap. *Proposuit*). Unde talia in generali commissione non veniunt (extra de officio legati cap. *Quod translationem*, et XVII di. cap. *Huic sedi* in textu et glossa). Et licet papa generaliter committat alicui quaestionem aliquam terminandam appellatione remota, tamen non est suae intentionis nec intelligi debet aliquid in tali commissione venire, per quod iuri alterius praeiudicium generetur (extra de officio et potestate iudicis delegati cap. *Super eo* in textu et glossa et de officio ordinarii cap. *Licet* et extra de decimis cap. *Ex multiplici* et de rescrip. cap. *Ad aures*). Impetrando etiam confirmationem institutionum et destitutionum factarum ipse dominus Bertrandus per consequens fateri videtur, se non potuisse tales institutiones et destitutiones facere (extra de offi. et potest. iudi. dele. *Cum super abbatia*).

Tertia ratio sic sumitur. In dicto instrumento depositionis, si sic dici potest, per dictam congregationem de dicto fr. Michaele factae dicitur sic: « Praedicti ministri et custodes, asserentes praedictum fratrem Michaelem legitime fuisse depositum a praefato domino Ioanne, nihilominus ex abundanti et ad cautelam et ad eius malitiam convincendam, qua se audet erigere, ut abutatur dicto officio contra voluntatem et praeceptum dicti domini papae et contra totius ordinis voluntatem, qui ipsum reputat iusto depositum a praedicto domino papa, ex potestate ex eorum regula eis data et ipsum deposuerunt et amoverunt, quantum in eis est, ab officio memorato ». Ex quo patet, quod ipsi quasi iudices, scilicet ex potestate, quam sibi asserunt per regulam traditam, deposuerunt eundem tanquam abutentem dicto officio. Ex quibus verbis sic arguitur: certum est, quod, ubi plures habentes iurisdictionem sive potestatem aliquam deponendi vel amovendi ab officio procedunt ad ipsam depositionem vel amotionem cum non habentibus aliquam potestatem sive iurisdictionem, quicquid per eos agitur, nullius est momenti (ut probatur expresse extra de offic. et potest. iud. deleg. cap. *Cum super abbatia*). Sed dato sine praeiudicio, quod illi, qui fuerunt in dicta congregatione, fuissent pro maiori parte rite et secundum formam regulae et dicti concilii in ministros et custodes instituti, quod falsum est, tamen constat, quod ad dictam depositionem processerunt cum illis, qui nullam habebant auctoritatem neque potestatem deponendi, quia fuerunt tantum per dictum dominum Bertrandum contra formam dicti concilii, ut dictum est superius, instituti: ergo dicta depositio nullius fuit roboris vel momenti. - Praeterea constat ex praedictis, quod dicta depositio fuit in falso fundata et ex falso promulgata, cum dicatur in ea, quod ipsum deponunt ab officio memorata pro eo, quia, ut dicunt, abutitur dicto officio contra voluntatem dicti ordinis, qui ipsum reputat iuste depositum a praedicto papa, et quia fuit iuste depositus. Quorum quodlibet ex praedictis et infrascriptis convincitur esse falsum. Constat autem. quod illud, quod ex falsa causa gestum et in falso fundatum,

nimia remissio nutritiva sit criminum vel impia districtio parricida virtutum. Et quia cum paucis unio in congregatione dissolvitur, necesse est, quod totus ordo multitudinis confundatur, suggerimus vobis propensius et hortamur in Domino, ut circumspectio vestra unitatem spiritus in pacis vinculo curet vigilanti studio observare. Ad haec, quia favor praelatorum tam spiritualiter quam tem-

---

non habet roboris firmitatem, ut in iuribus superius in prima ratione allegatis probatur et ostenditur evidenter. Cum ergo pateat ex praedictis, quod depositio, quam dicta congregatio asserit per dictum dominum Ioannem iuste factam et etiam se fecisse ex auctoritate et potestate, quam dicit sibi a regula traditam, nullius fuerit momenti: per consequens sequitur, quod electio per ipsam congregationem attentata de dicto fratre Geraldo nullius fuit momenti, quia non potest aliquis eligi vel institui in locum eius, qui non est legitime destitutus (extra de renunciat. cap. ult. in textu et glossa). - Quarta ratio sic sumitur. Certum est, quod circa electionem generalis ministri faciendam est tradita certa forma per sedem apostolicam, videlicet quod fiat a ministris et custodibus legitime electis in provincialibus capitulis et confirmatis per generalem ministrum et quod fiat in capitulo in festo Pentecostes et in loco et in tempore constituto a generali ministro, salvo tamen, quod, si aliquo tempore appareret universitati ministrorum provincialium et custodum, generalem ministrum non esse sufficientem ad servitium et communem utilitatem fratrum, teneantur praedicti fratres, quibus electio data est, alium sibi eligere in custodem. Et constat, quod apparuit universitati ministrorum provincialium et custodum, generalem ministrum esse sufficientem, et ipsum Bononiae confirmaverunt et ordinarunt cum beneplacito ipsius, quod futurum generale capitulum ad triennium tunc proxime futurum celebraretur Parisiis; et dictus generalis constituit, quod ad ipsum terminum triennii ipsum capitulum celebraretur Parisiis, ut supra dictum est. Et certum est, quod hanc formam traditam a sede apostolica et regula ac concilio nullus potest immutare, nisi solus papa verus et catholicus, cum ex certa scientia, habita mentione expressa de regulae statuto et concilio generali, formam huiusmodi mutaret; alias etiam immutatio facta per papam non habita mentione expressa de regula ac concilio non teneret, ut in praealleg. cap. extra de cap. monach. cap. *Ex parte* in textu et glossa et de confirmatione utili vel inutili cap. *Porrecta* et superius in secunda ratione est ostensum. Unde dictus dominus Bertrandus non potuit hanc formam immutare, quia a forma data per sedem apostolicam nullus inferior potest recedere et, quicquid contra formam datam a canone fit, nullius est momenti (extra de electione cap. *Quia propter* et cap. de iure fisci l. *Certa forma* l. *X* cum similibus). Cum igitur ipse dominus Bertrandus hanc formam immutaverit, quia mandavit, quod capitulum celebraretur in festo Pentecostes tunc sequenti, et novos ministros de facto et minus legitime et contra formam dicti concilii generalis instituit et legitime institutos destituit de facto ac mandavit et ordinavit, dictam congregationem fieri ad hunc finem sive effectum, scilicet ut novum generalem eligerent, cum assereret dictum fratrem Michaelem iam depositum per dictum dominum Ioannem, unde secundum ipsius domini Bertrandi ordinationem et mandatum non permittebatur in potestate dictae congregationis videre, utrum dictus frater Michael esset sufficiens ad servitium et communem utilitatem fratrum, et eum amovere, si necessitas indicabat eisdem, quod alium eligerent ipso habito pro deposito iuste ab officio generalis ministerii; et cum etiam illi, qui fuerunt in dicta congregatione, non venerint nec intenderint ad hunc finem et effectum, ut, si appareret eis, quod dictus generalis non esset sufficiens, de alio providerent, sed ad hunc finem et effectum, ut ipso praecise habito pro deposito iuste alium eligerent, sicut patet manifeste ex verbis eorum in dicto instrumento positis, sequitur manifeste, quod dictum capitulum regulae non potuit in eis sibi locum aliqualiter vindicare: et quicquid actum fuit per eos tam in deponendo dictum fratrem Michaelem quam in eligendo dictum fratrem Geraldum, nullius fuit momenti.

Quinta ratio sic sumitur. Certum est de iure, quod electio, quae fit ab universitate (capitulo sive collegio) exclusis sive contemptis illis, qui dictae electioni debent interesse, nullius est momenti; et intelliguntur excludi sive repelli, vel cum repelluntur vel cum non vocantur (sicut expresse probatur LXIII di. cap. *Obeuntibus* in textu et glossa or. extra de arbitris *Cum olim* de electione cap. *Venerabilem*); vocandi enim sunt absentes quantumcumque remoti, si vocari commode possunt (extra de electione cap. *Quod sicut* et notatur VII q. 1 cap. *Factus est* in glossa). Secundum etiam statuta et consuetudinem dicti ordinis approbatam vacante ordinis generali ministro per ministrum provincialem ad hoc deputatum vel vicarium mandatum est omnibus ministris, quibus mandari potest, ut conveniant in festo Pentecostes in capitulo generali in loco, ubi ordinatum fuerat per generalem ministrum capitulum celebrari. Sed constat, quod dictus dominus Bertrandus vel minister provincialis aliquis nusquam vocaverunt illos ministros, qui interesse debebant electioni generalis ministri, si qua de iure facienda fuisset, imo ipse dominus Bertrandus de facto ipsos exclusit, eos absentes et non citatos nec vocatos absque causa legitima contra iura et canonicas sanctiones et consuetudines approbatas dicti ordinis de facto privando sive destituendo et alios minus idoneos in locum eorum de facto, cum de iure non posset, instituendo. Ergo dicta electio facta de dicto Geraldo per dictam congregationem nullius fuit momenti. — Igitur sine praeiudicio praesupposito hoc falso, quod dictus dominus Ioannes fuisset et esset verus et catholicus papa et pro vero et catholico papa habendus, tamen adhuc in hoc casu ex praedictis quinque rationibus probatur et ostenditur evidenter, quod depositio facta de dicto fratre Michaele et electio facta de dicto fratre Geraldo nullius fuit momenti.

Sexta ratio sic sumitur. Certum est, quod papa in his, quae pertinent ad fidem catholicam, subest conciliis, ut patet per iura superius allegata (XV di. *Sicut Sancti* in textu et glossa et XIX di. *Anastasius* in textu et glossa super verbo *concilio*, et per id, quod legitur et notatur XL di. *Si papa*). Et, si papa deviat a fide catholica, minor est quocunque catholico (XXIV, q. § *Item cum Dominus* et in cap. *Acacius* in glossa or. plene traditur et notatur). Unde patet, quod, ubi dicitur, papam contra fidem fuisse et in fidei catholicae praeiudicium aliquem seu aliquos gravasse, potest per ipsos gravatos ab eo provocari et appellari, ut superius est probatum, et concilium generale habet de tali appellatione in dubio cognoscere et diffinire. Et certum est, quod per appellationem interpositam eximitur appellans a potestate et iurisdictione illius, a quo appellavit (ut patet per id, quod legitur et notatur extra de appellationibus cap. *Proposuit* in textu et glossa), et appellatione pendente non potest in praeiudicium appellantis aliquid innovari (II q. 6, cap. *Appellatione*, et ff. nil innovari appellatione pendente l. 1); et is, ad quem appellatum est, habet de tali appellatione cognoscere, et non is, a quo appellatum est (extra de appellati. cap. *Ut debitus* et cap. *Cum speciali*). Si enim is, a quo appellatur, possit de tali appellatione cognoscere in causa, papa ius sibi diceret, quod esse non potest (XXIII q. 4, cap. *Inter querelas*, et q. 5, cap. *de occidendis*, et IV q. 4, cap. 1, et cap. *Ne quid in causa papa iudicet vel ius sibi dicat* per totum). Sed constat, quod praefatus generalis minister suo et dicti ordinis nomine appellavit a dicto domino Ioanne, ex eo, quod praefatus dominus Ioannes pronunciavit et asseruit pluries, determinationem et assertionem fidei catholicae fuisse haereticam, quam totum capitulum dicti ordinis olim apud Perusium congregatum fecit et per patentes literas universis christifidelibus destinavit, firmiter asserens, quod

poraliter vobis noscitur multipliciter opportunus, curate in praesenti ordinare capitulo, ut fratres vestri ordinis summopere vitent scandalizare praelatos nec in sermonibus seu colloquiis ipsis praesumant detrahere, sed sic ad eos se habeant humiliter et devote, quod ipsorum per haec promereantur merito exuberantem gratiam et favorem. Porro quia, licet, sicut vestra prudentia non

---

Christus et apostoli viam perfectionis ostendentes iure proprietatis non habuerunt aliquid in speciali, nec in communi, prout sancta Romana ecclesia in decretali *Exiit qui seminat* § *Porro* profitetur; et quia dictus minister generalis praefato domino Ioanni zelo fidei et ordinis in faciem contradixit, ipse dictum generalem ministrum in sua curia detinuit et arrestavit et eidem graviter comminatus fuit: de qua appellatione facta et interposita Avinione infra X dies a tempore dicti gravaminis sibi et toti ordini praedicto illati factum fuit publicum instrumentum. Et constat, quod post et contra dictam appellationem et ea pendente dictum fratrem Michaelem ab officio generalis ministerii de facto amovit sive deposuit et absolvit et dictum dominum Bertrandum vicarium dicti ordinis constituit, qui eius auctoritate mandavit, quod dicta congregatio fieret Parisiis in termino supradicto et quod per ipsam congregationem procederetur ad electionem alterius ministri generalis, et quod fratres, qui iverunt Parisios, principaliter et per se ex dicto mandato moti et dictae depositioni et absolutioni factae totaliter inhaerendo et se in ipsis fundando ipsum fr. Michaelem deposuerunt et ad electionem dicti fr. Geraldi processerunt. Quod etiam aperte patet, cum dicunt in instrumento: « nihilominus ad cautelam et ad eius convincendam malitiam, qua se audet erigere, ut abutatur officio contra voluntatem et praeceptum domini nostri papae et contra totius ordinis voluntatem, qui ipsum reputat iuste esse depositum a domino nostro papa, ex potestate ex eorum regula eis data ipsum deposuerunt ». Ergo quicquid factum fuit tam per ipsum dominum Ioannem et praefatum dominum Bertrandum quam per dictam congregationem post et contra dictam appellationem, et quicquid ex eo vel ob id factum est in dicti appellantis praeiudicium, nullius fuit momenti. - Septima ratio sic sumitur. Certum est, quod omnis haereticus est omni potestate et ministratione privatus (XXIV, q. 1 *Didicimus omnes* et in § *Si ergo* et in § *Si autem* et in § *His authoritatibus* et in § *Item cum dominus*, ibi liquido constat) et est ipse iure damnatus et excommunicatus per sententiam sacri concilii generalis (extra de haereticis cap. 1 *Excommunicamus itaque* et 2 *Excommunicamus* et cap. *Ad abolendam*) et omni actu legitimo privatus (cap. de haereticis 1. *Manichaeos* et in dicto cap. *Excommunicamus itaque*): unde quicquid agit haereticus tanquam praelatus sive per modum iurisdictionis et potestatis, nullius est momenti (VII, q. 1 cap. *Factus* et cap. *Novatianus*); et ideo omnis sententia depositionis vel damnationis per eum vel eius auctoritate prolata et omnis commissio per eum facta et omne mandatum per eum et eius auctoritate factum nullius sunt momenti, sicut omnis ordinatio et electio facta de haeretici mandato et eius auctoritate vel vice nullius est momenti (extra de scismaticis cap. 1); et quod sequitur ab eo vel ob id, quod factum est contra legem, nullius est momenti (C. de legibus l. *Non dubium*). Gesta enim per illum sive illos vel eorum auctoritate, qui non habent de iure potestatem sive iurisdictionem, nullius sunt valoris ipso iure (extra de officio vicar. cap. *Tua nobis* in textu et glossa, cap. *Si a non competente iudice* l. ult. et per totum, et *XI*, q. 11, cap. penult.). Sed constat, quod praefatus dominus Ioannes, ex quo tria statuta haereticalia fecit et per mundum publice promulgavit (quorum primum incipit: *Ad conditorem canonum*, secundum: *Cum inter nonnullos*, tertium: *Quia quorundam*), in quibus doctrinam evangelicae et apostolicae perfectionis, quam Christus et apostoli verbo et exemplo docuerunt et sancta Romana ecclesia tenet et firmiter docet esse tenendam, iudicavit haereticam et haereses contentas in ipsis statutis haereticalibus post appellationes tam pro parte dicti ordinis quam per regem Romanorum contra huiusmodi haereses interiectas publice et notorie ac pertinaciter defendit, fuit et est censendus haereticus notorius et manifestus (extra de verbor. sign. cap. *Super quibusdam*) et ipso facto fuit excommunicatus (ut legitur et notatur expresse XXIV, q. 1, cap. *Acacius* in textu et glossa) et damnatus: ita quod nullo modo fuit sibi obediendum (XIX di. cap. *Anastasius* 2), et quod gessit, non tenuit; et omnes sibi consentientes in huiusmodi haeresi sunt haeretici, ut legitur et notatur 25, q. 1, cap. *Quae ad perpetuam*. Et etiam evidenter et plenissime ostenditur et probatur per iura et rationes introductas in appellatione contra dictum dominum Iohannem per dictum generalem ministrum interposita et in aliis allegationibus super his factis. Et etiam constat, quod ipse dominus Ioannes dudum est declaratus, denunciatus et publicatus haereticus per sententiam latam per dominum imperatorem de consensu cleri et populi Romani. Et constat, quod ipse dominus Iohannes haereticus manifestus post et contra dictam appellationem, damnationem et publicationem dictum fr. Michaelem generalem ministrum ab officio generalis ministerii de facto deposuit sive amovit et dictum dominum Bertrandum vicarium instituit; et quod ipse dominus Bertrandus auctoritate commissionis vicariatus sibi factae per dictum haereticum manifestum mandavit, quod dicta congregatio fratrum fieret Parisiis in termino supradicto ad hunc effectum, ut ipsi fratres alium generalem ministrum eligerent in locum dicti fratris Michaelis, quem asserebat in suis litteris iuste et rite per dictum dominum Ioannem depositum sive privatum officio generalis ministerii; et quod illi fratres propter dictum mandatum auctoritate haeretici factum Parisiis se congregarunt, alias hoc non facturi nisi ex ordinatione praedicta; et quod ipsi fratres, qui se ibidem congregaverunt, principaliter per se ex dicta ordinatione et depositione moti et dictae depositioni sive privationi factae per dictum haereticum et ipsius processibus et commissioni vicariatus totaliter inhaerendo et in ipsis ut praedictum est se fundando ad dictam electionem fratris Geraldi de facto processerunt. Ergo necessario sequitur, quod dicta depositio facta de dicto fratre Michaele et dicta commissio vicariatus et mandatum factum per eum, quod fratres convenirent Parisiis, et ipsa congregatio, et quicquid factum fuit per ipsam congregationem tam in deponendo de facto dictum fratrem Michaelem, ex eo quod abutebatur dicto officio contra voluntatem et praeceptum dicti domini Ioannis, quam in eligendo dictum fratrem Geraldum quam in aliis et quicquid sequutum fuit ex eis vel ob id, nullius fuerint roboris vel momenti.

Octava ratio sic sumitur. Certum est, quod omnes fautores et defensores haereticorum et eis adhaerentes et praebentes auxilium, consilium et favorem sunt ipso iure et facto excommunicati et omni officio et beneficio ac dignitate et actu legitimo privati. Unde nec eligere nec eligi possunt (extra de haer. cap. *Excommunicamus* § *Credentes* et cap. *Sicut ait* et e lib. 6 cap. *Quicumque* et de sent. excomm. cap. *Solet* in fine); nec tales excommunicati possunt aliquem deponere (XXIV q. 1 *Audivimus* et § *Si autem* et extra de sent. et re iudic. cap. *Ad probandum*). Sed constat, quod isti fratres iverunt ad dictam congregationem et eam fecerunt de mandato dicti haeretici (scientes, iam per dictum generalem ministrum appellantem nomine totius ordinis fore appellatum contra eum tanquam contra haereticum manifestum et ipsum dominum Ioannem fore haereticum publicatum et denunciatum pro tribus dictis haereticalibus statutis per eum per mundum publice divulgatis) sive de mandato dicti domini Bertrandi commissarii ipsius haeretici asserentis ipsum generalem per ipsum haereticum fuisse depositum, et quod ipsam congregationem fecerunt etiam contra mandatum et praeceptum obedientiae dicti generalis mandantis eis per obedientiam salutarem

ignorat, hostis pacis et aemuli caritatis nequitia contra nos et ecclesiam adeo gravis suscitavit fremitum tempestatis, quod pene Petri navicula videbatur submergi, illius tamen pietas, qui in sui ascensione in persona apostolorum suae promisit ecclesiae, quod usque ad finem saeculi secum esset, imperasse videbatur tempestatis praedictae fluctibus, ut quiescant: devote petimus et humiliter sup-

---

quod ad ipsum mandatum haeretici sive eius commissarii nullatenus convenirent (*cfr. supra not. ad n. 791*). Et constat quod ipsi pseudo-fratres, qui in dicta congregatione fuerunt, gesta, facta et statuta per dictum haereticum approbaverunt et gesta et facta per ipsum generalem ministrum in favorem et defensionem fidei catholicae et professionis et regulae b. Francisci et ad impugnationem haeresum et errorum dicti haeretici reprobaverunt et etiam una cum dicto fratre Geraldo pronunciaverunt de facto, dictum generalem ministrum et socios et sibi adhaerentes incurrisse poenas processuum, quos dictus haereticus fecit contra ipsos generalem et socios et sibi adhaerentes, ut superius est ostensum: ex quibus manifeste convincitur, eos fuisse fautores, et defensores haeretici et haereticae pravitatis et eidem totaliter in suis erroribus adhaesisse, et ob hoc ipso iure et facto eos excommunicatos et omni actu legitimo et iure electionis activae et passivae privatos. Unde concluditur, quod, quicquid factum fuit per ipsam congregationem imo verius conspirationem tam in deponendo dictum generalem quam in eligendo dictum fr. Gerardum quam in aliis per eos gestis, nullius fuit omnino roboris et momenti et quod ipse frater Geraldus nullo modo dici potest generalis minister ordinis b. Francisci et quod a veris fratribus b. Francisci non potest eidem tanquam ministro generali ordinis b. Francisci absque animarum periculo obediri.

Ex praedictis igitur patet, quod non obstat illud, quod pro parte dictae congregationis imo verius conspirationis opponitur, scilicet quod ipsi ex abundanti et ad cautelam ex potestate, quam dicunt se habuisse ex dicta regula, deposuerunt et deponere debuerunt dictum fratrem Michaelem ab officio generalis ministerii et elegerunt et eligere potuerunt dictum fratrem Geraldum in generalem ministrum, prout asserunt et affirmant. Et vero non obstat: primo, quia, ut dictum est, auctoritate et de mandato dicti haeretici congregatio facta fuit; unde non potuit dici capitulum generale, imo nullum fuit, et quicquid sequutum fuit ex eo, ut superius est probatum. Secundo, quia ad hunc effectum et finem mandatum fuit eis, quod se congregarent Parisiis, et ipsi se congregaverunt ad hoc, ut ministrum generalem eligerent in locum iam depositi et amoti; unde non habuerunt potestatem videndi nec cognoscendi, utrum dictus frater Michael esset sufficiens ad communem utilitatem et servitium fratrum, et sic amoverent eum, sicut requiritur ex verbis dictae regulae, cum conceditur universitati ministrorum habenti generalem ministrum, quod possint alium eligere, si ille, qui est minister, eis aliquo tempore insufficiens ad servitium et communem utilitatem fratrum videatur. Tertio, quod ipsi fuerunt fautores et defensores haeretici et haereticae pravitatis, adhaerentes eidem et gestis per eum et eum in suis haeresibus defendentes et foventes, unde fuerunt excommunicati: ergo nullus eorum potuit eligere nec eligi, imo omnes fuerunt active et passive privati electione, ut superius est probatum. Quarto, quod hoc falso sine praeiudicio supposito, quod dictus dominus Ioannes non possit dici haereticus, antequam esset per concilium generale de appellatione et contentis in ea causis definitum, tamen constat, quod generalis minister et sibi adhaerentes et ordo, quorum nomine appellavit, pendente ipsa appellatione fuerunt exempti a potestate et iurisdictione dicti domini Ioannis et cuiuslibet commissarii sui, ut superius est probatum. Unde non habent auctoritatem et potestatem pendente appellatione deponendi dictum generalem nec mandandi, quod capitulum generale congregaretur ad alium ministrum eligendum; et ideo dicta electio nulla fuit, quia attentata fuit de mandato nullam iurisdictionem habentis talia faciendi: et quia ipsa depositio et electio fuerunt post et contra dictam appellationem et in praeiudicium appellationis et appellantis attentatae. Quinto, quia ipsa depositio, quam dicunt se fecisse auctoritate dictae regulae, fuit facta ex falsa et erronea causa expressa in eo, cum dicant, quod deponunt eum ex potestate eis ex regula tradita, ex eo quod abutitur officio generalis ministri contra voluntatem et praeceptum domini nostri papae et contra totius ordinis voluntatem, qui ipsum reputat iuste depositum a praedicto domino papa: unde talis depositio, quae errorem intolerabilem continet, nulla est (XXIV, q. 1, § *Hiis auctoritatibus*). Sexto, quia dato, quod praedicta cessarent, constat tamen manifeste, quod in dicta congregatione non fuit maior pars ministrorum secundum formam regulae ac dicti concilii generalis institutorum, sed illi, qui ibi fuerunt, pro maiori parte fuerunt de facto instituti sive creati ministri per dictum dominum Bertrandum nullam habentem auctoritatem sive potestatem hoc faciendi et contra dictum concilium generale decernens irritum et inane, quicquid fit contra illud, ut superius est probatum. Septimo, quia, esto quod ibi fuisset maior pars legitimorum ministrorum, tamen non fuerunt vocati, sed exclusi et privati illi, qui debebant interesse de iure et qui erant legitime instituti. Unde non potuit dici capitulum, quia non fuit legitime convocatum nec congregatum, ut superius est probatum, ex eo quod fecerunt ipsam electionem contra prohibitionem sui superioris. Octavo, quia, cum depositio, si rite facta est, praesupponat, quod antea esset generalis minister, et quod ipse generalis minister antea mandasset per obedientiam omnibus ministris dicti ordinis, quod non convenirent nec irent ad capitulum ad terminum triennii per eum de voluntate generalis capituli celebrati Bononiae secundum regulam constitutum; et cum ipsi eorum superiorem asserant praefatum dominum Ioannem et per dictum dominum Ioannem sive eius auctoritate per dictum dominum Bertrandum, quem dicunt vicarium, praecise mandatum fuisset eis pure et simpliciter, quod novum ministrum eligerent in locum dicti fratris Michaelis depositi: sequitur, quod deponendo eum in omnem eventum fecerunt contra formam mandati superioris; electio autem facta contra mandatum sive interdictum superioris nulla est, ut patet per id, quod legitur et notatur extra de electionibus cap. ult. in glossa or. in fine glossae. Item fecerunt contra formam capituli regulae, ex quo capitulo dicunt se eum potuisse deponere, quia ipsum capitulum, ex quo dicunt se ipsum potuisse deponere, universitati ministrorum legitime institutorum habenti ministrum generalem concedit sub conditione scilicet, si viderint eum esse insufficientem ad servitium et communem utilitatem fratrum, ut possint alium eligere: at ipsi expresse asserunt, eum legitime fuisse depositum per dictum dominum Ioannem; sed quia, ut dicunt, abutitur dicto officio contra voluntatem et praeceptum praefati domini Ioannis et etiam voluntatem totius ordinis, qui ipsum reputat iuste depositum, ideo eum deponunt. Unde tam ex dicto quam ex causa dicti ipsorum patet, quod ipse non erat minister, et quod ordo carebat ministro secundum eorum confessionem et assertionem; et ideo non pertinebat ad eos videre, an esset insufficiens minister ad communem utilitatem et servitium fratrum, et sic dictum capitulum regulae in dicto casu non poterat sibi locum aliquem vendicare, quia minister, qui non est, absolvi sive deponi non potest, ut probatur per id, quod legitur et notatur extra de desponsatione impuberum cap. *Ad dissolvendum;* sicut et collegio, quod non est, privilegium dari non potest (extra de ecclesiae aedifi. cap. *Audientiam*); et testamentum, quod non est, rumpi non potest (ff. de iniusto, rupto et irrito testamento l. *Nam et si sub conditione*); nec ante iuris ratio quam persona quaerenda est (ff. de iure locum l. *Quidam referant* § 1). Et sic prius debuit haberi sive quaeri minister, quem deponere et amovere possent, quam quaereretur, utrum de iure eum amovere seu deponere possent.

plicamus, ut in eodem capitulo ordinetis, ut fratres vestri ordinis de tantis ecclesiae sanctae Dei impensis beneficiis gratias devote referant precesque fundant humiles et devotas, ut eius, cuius perfecta sunt opera omnia, sic fluctibus praemissae tempestatis imperet, quod fiat ex commotione tranquillitas, et auram huius futura procella mitescat turbinis et sileant fluctus eius, nosque, cui tanti oneris imposuit sarcinam, non patiatur ipsius mole opprimi, sed potius operi manuum suarum dexteram porrigat, debilitatem nostram suo robore fulciat suaque virtute sustentet, ac nobis scire, posse et velle tribuat, quod sic in commissi nobis executione regiminis suum beneplacitum exequamur, quod aeternae retributionis gloriam cum grege nobis credito de suae benignitatis gratia consequamur. Datum Avinione, VIII kalendas iunii, anno tertiodecimo.

796. Concedit Nicolao Ricio de Thoro ministro provinciali prov. s. Angeli ord. Min. indulgentiam plenariam in articulo mortis sibi impertiendam. [1]

1329, maii 26, Avinione.

Dilecto filio Nicolao dicto Ricio de Thoro ministro provinciali fratrum ordinis Minorum provinciae s. Angeli.

Provenit ex tuae devotionis affectu, quo nos et Romanam ecclesiam revereris, ut petitiones tuas, illas praesertim, quae animae tuae salutis incrementa respiciunt, ad exauditionis gratiam promptis affectibus admittamus. Hinc est, quod nos tuis devotis supplicationibus inclinati, ut confessor tuus idoneus, quem duxeris eligendum, omnium peccatorum, de quibus fueris corde contritus et ore confessus, eam plenam remissionem, quam Romani pontifices per speciale privilegium consueverunt aliquibus impertiri, tibi, quatenus claves ecclesiae se extendunt et gratum in oculis divinae maiestatis extiterit, semel in mortis articulo concedere valeat, devotioni tuae auctoritate praesentium indulgemus: sic tamen, quod idem confessor de hiis, de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda, eam tibi per te, si supervixeris, vel per alios, si tunc forte transieris, faciendam iniungat, quam tu vel illi facere teneamini, ut praefertur. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, VII kalendas iunii, anno tertiodecimo.

797. Cantori Parisiensi scribit de comburendis per episcopum et theologos Parisienses certis quibusdam litteris, de processibus contra Ioannem de Ianduno et Marsilium de Padua necnon Ludovicum Bavarum et Petrum de Corvaria habitis, de litteris praesentandis definitoribus aliisque fratribus Min. in capitulo generalis Parisiis congregatis. [2]

1329, maii 30, Avinione.

Geraldo de Campimulo cantori Parisiensi.

Tam venerabilis fratris nostri Hugonis episcopi et dilectorum filiorum .. capituli Parisiensis quam tuis benigne receptis litteris earumque tenoribus diligentius intellectis, praefatis episcopo et capitulo iuxta formam, quam cedula continet praesentibus interclusa, scribimus ac tuam quam adhibuisti super praedictis diligentiam plurimum in Domino commendamus, tuam prudentiam exhortantes, quatinus, ut processus, qui per eosdem episcopum et capitulum contra culpabiles et suspectos de illarum appellatione litterarum, sicut ipsorum ac tuae continebant litterae, sunt incepti, usque ad finem et effectum procedant debitos, studiosam adhibere sollicitudinem non postponas. Rursus deliberationem de comburendo Parisius publice litteras illas per eosdem episcopum et capitulum ac doctores sacrae scripturae habitam approbantes, volumus, quod originales litterae (transsumptis retentis sub manu publica et sigillis eiusdem Parisiensis et alicuius alterius episcopi communitis), cum nos similes litteras et sub eisdem sigillis penes nos habeamus, ante Parisiensem ecclesiam in platea publice (publicatis tamen prius tribus processibus, quos tibi mittimus) comburantur, ad quae procedi modo qui sequitur volumus. Primo quidem processus contra illos pessimos haereticos Iohannem de Ienduno et Marcilium de Padua dudum factus (non obstante, si forsan alias publicatus extiterit, ut de ipso recensior memoria habeatur), secundo processus adversus Ludovicum de Bavaria, et subsequenter alius contra Petrum de Corvaria noviter habiti [3] solemniter, immediate unus post alium, publicentur. Qua publicatione praemissa praedictarum litterarum immediate combustio subsequatur. Super quibus omnibus necnon, ut litterae clausae directae praefato episcopo et universitati Parisiensis studii nobis destinentur e vestigio, adhibere diligentiam sedulam non omittas. Praeterea cum dilectis filiis diffinitoribus capituli generalis ordinis fratrum Minorum et fra-

[1] Reg. Vat. t. 92, f. 180, ep. 3290.

[2] Reg. Vat. t. 115, f. 153, ep. 744; cfr. *Chart. Univers. Paris.* t. II, p. 326, n. 891. Litterae quaedam apertae Ludovici Bav., Nicolai antipapae (Petri de Corvaria), Michaelis de Caesena olim min. gen. ord. Min. erant Parisios directae et clam de nocte in valvis cathedralis, fratrum Minorum, fratrum Praedicatorum ecclesiarum affixae, « in quibus multae blasphemiae de domino papa Ioanne falso inserebantur ». Sed clausae quoque litterae ab eisdem viris episcopo Parisien. et universitati studii Paris. missae sunt, quae, cum essent suspectae, summo pontifici transmissae sunt. Ad ipsum autem similes litterae iam directae erant. Combustio illarum litterarum per episcopum Parisien. solemniter fiebat die festo Pentec. (11 iunii) 1329. Post ipsarum concremationem Henricus de Semons, mag. theol. et min. prov. Franciae ord. Min., surrexisse et ex parte capituli generalis Parisiis illis diebus celebrati processus papae, de quibus in bulla supra relata sermo est, approbasse dicitur.

[3] In coena Domini (die 20 apr.) 1329; cfr. supra n. 786.

tribus in eodem capitulo Parisius congregatis clausas nostras per te sibi praesentandas litteras dirigamus, [1] volumus, ut habita deliberatione cum fratribus, de quibus tibi videbitur, super modo praesentationis huiusmodi praesentes easdem, rescripturus nobis singulariter et certitudinaliter, quae circa praemissa omnia ordinata fuerint quomodolibet sive gesta. Processum autem contra perfidum Michaelem olim dicti ordinis Minorum ministrum tibi breviter intendimus dante Domino destinare. Dat. Avinione, III kal. iunii, anno tertiodecimo. [2]

798. Hedwigi reginae Poloniae facultatem semel in anno in monasterio s. Clarae in antiquo Sandecz pernoctandi concedit. [3]

1329, iunii 12, Avinione.

Carissimae in Christo filiae Hedwigi reginae Poloniae illustri.

Eximiae devotionis sinceritas, quam ad nos et Romanam ecclesiam habere dinosceris, promeretur, ut ea, quae suppliciter a nobis postulas, tibi, quantum cum Deo possumus, affectu benivolo concedamus. Hinc est, quod nos tuis supplicationibus inclinati, ut in monasterio monialium ordinis sanctae Clarae sito in antiquo Sandecz Cracoviensis dioecesis, associatis tibi duabus honestis provectae aetatis matronis, quas ad hoc duxeris eligendas, semel in anno libere valeas pernoctare (quibuscunque privilegiis, indulgentiis, constitutionibus, statutis et consuetudinibus monasterii et ordinis praedictorum contrariis nequaquam obstantibus), devotioni tuae auctoritate praesentium indulgemus. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, II idus iunii, anno tertiodecimo.

799. Mandat officiali Claromontensi, ut in causa inter abbatissam mon. s. Clarae Claromonten. et custodem Alverniae ord. Min. vertente inquirat et referat. [4]

1329, iunii 20, Avinione.

Dilecto filio .. officiali Claromontensi.

Dudum proposito in consistorio coram nobis pro parte dilectae in Christo filiae Catherinae de Ulmo dicentis se abbatissam monasterii s. Clarae Claromontensis ordinis eiusdem Sanctae, quod, licet ipsa ad regimen dicti monasterii canonice assumpta fuisset illudque gessisset et gereret fideliter et solerter, tamen dilectus filius Iohannes de Tornio, gerens se pro custode fratrum ordinis Minorum custodiae Alverniae, in qua custodia monasterium praedictum existit (asserens, quod praedicta Catherina per dilectum filium Richardum de Uses ministrum provincialem fratrum dicti ordinis Minorum provinciae Burgundiae, de qua provincia secundum instituta dicti ordinis Minorum monasterium et custodia praedicta esse et praedicto ministro ratione sui officii subesse dicuntur, prout id fieri posse dicebat ex privilegio sedis apostolicae speciali, ab huiusmodi regimine dicti monasterii fuerat absoluta), eandem Catherinam sigillo, quo tanquam abbatissa praedicti monasterii utebatur, dictoque regimine spoliarat ac mandarat monialibus et conventui praedicti monasterii, ne eidem Catherinae tanquam abbatissae monasterii praedicti parerent, ac procurarat et fecerat, quominus dicta Catherina in eodem monasterio tanquam abbatissa, prout consueverat, administrare valeret, et quod ex facto ipsius Iohannis eadem Catherina eiecta erat a monasterio et regimine antedictis, propter quae pro parte ipsius Catherinae fuerat ad sedem apostolicam appellatum, et quod dictus Iohannes ante et post appellationem huiusmodi nonnullas alias tunc expressas sibi iniurias irrogarat – eodem Iohanne in contrarium asserente, videlicet quod ipsa Catherina huiusmodi regimen sponte resignarat in manibus ipsius Iohannis resignationem huiusmodi recipientis, prout ex potestate ab eodem ministro sibi in hac parte concessa se posse et id eidem ministro ex dictis privilegiis competere asserebat, et nichilominus per ipsum ministrum rite et iuste ab huiusmodi regimine propter nonnullos ab ea commissos excessus fuerat absoluta: nos causam appellationis huiusmodi et negotii principalis dilecto filio nostro Bertrando sanctae Mariae in Aquiro diacono cardinali audiendam commisimus et nobis postmodum referendam. Coram quo comparentibus in iudicio Iohanne et Catherina praedictis (quolibet videlicet pro parte sua) et per eandem Catherinam pro parte sua quadam summaria petitione exhibita (eodem Iohanne non curante pro se petitionem aliquam exhibere) ac de calumpnia et veritate dicenda in ipsius cardinalis praesentia a dictis partibus in causa huiusmodi praestito iuramento, formatis quo-

---

[1] Cfr. supra n. 791.

[2] Die 13 iulii 1329 summus pontifex scribit Hugoni episcopo Parisiensi et universitati magistrorum et scolarium studii Parisiensis: « Litteras quasdam clausas vobis directas ianuis Parisiensis affixas ecclesiae hiis diebus, quas nobis nuncius vester una cum litteris vestris aliis, clausis similiter, praesentavit, benigne recepimus, devotionem et fidelitatem, quas ad nos et sanctam Romanam ecclesiam vos in praemissis ostendistis gerere, plurimum in Domino commendantes, scientes, quod praefatae litterae vobis directae erant cuiusdam fratris Minoris fatui, qui se vocat Gerardum Rostagni de Ianua, prophani illius Michaelis de Caesena haeretici et scismatici sequacis et fautoris, quique [dicto Michaeli] in fuga, quam fecit de loco curiae nostrae, affuit (sicut ipse fatetur in eisdem litteris) auxiliis et consiliis oportunis ». Cfr. *Chart. Univ. Paris.* t. II, pag. 330, n. 895.

[3] Reg. Vat. t. 91, f. 51, ep. 2128. Cfr. supra n. 568. *Wadd.* ad a. 1333 n. 22 scribit, istam reginam viduam factam in ipso mon. ant. Sand. se recepisse ibique pie obiisse.

[4] Reg. Vat. t. 90, f. 115, ep. 1317. Cfr. supra n. 759 et infra n. 972.

que et traditis quibusdam positionibus et articulis, hinc et inde ad positiones ipsas responsionibus subsecutis, et nonnullis apostolicis et aliis autenticis litteris, instrumentis publicis, actis, iuribus et munimentis in huiusmodi causa pro parte dicti Iohannis productis et datis quibusdam exceptionibus contra ea coram praefato cardinali, in singulis terminis ad singulos actus huiusmodi eisdem partibus peremptorie assignatis, et super hiis omnibus per eundem cardinalem nobis in eodem consistorio facta relatione fideli: quia per ea, quae apud sedem ipsam et coram eodem cardinali in huiusmodi causa sunt exhibita, non potest de ipsius causae meritis apud eandem sedem plene liquere, discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus testes, litteras et instrumenta, quae dictus Iohannes super eisdem suis articulis, quos praefatus cardinalis una cum interrogatoriis partis alterius, cum eadem Catherina super dictis suis articulis remissionem habere non curet, tibi sub sigillo suo transmittit inclusos, coram te duxerit producenda infra duos menses post praesentationem praesentium, prudenter recipere ac testes ipsos secundum eadem interrogatoria diligenter examinare procures, litteras et instrumenta praedicta transcribi fideliter faciendo. Si vero ulterutra partium praedictarum testes alterius voluerit reprobare, tu testes, qui super huiusmodi reprobatione producti fuerint, coram te infra unius mensis spatium praedictos duos menses inmediate sequentis sapienter recipias et secundum interrogatoria a partibus exhibenda, si ea exhibere voluerint, alioquin iuxta datam tibi a Deo prudentiam, cum diligentia eosdem examines, depositiones omnium testium praedictorum fideliter in scriptis redactas una cum articulis et interrogatoriis supradictis ac transumptis litterarum et instrumentorum praedictorum sub tuo sigillo inclusas ad nostram praesentiam transmissurus ac significaturus nobis, quae et quanta fides sit eisdem instrumentis et litteris adhibenda – praefixo eisdem partibus termino peremptorio competenti, quo per se vel procuratores idoneos cum omnibus actis, iuribus et munimentis suis huiusmodi causam contingentibus apostolico se conspectui repraesentent, iustam dante Domino sententiam recepturae. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiastica appellatione remota compellas veritati testimonium perhibere; diem vero huiusmodi praefixionis et formam, et quicquid super hiis duxeris faciendum, nobis per tuas litteras harum seriem continentes fideliter intimare procures. Datum Avinione, XII kalendas iulii, anno tertiodecimo.

800. Ordinat, quod superiores locales fratrum Praed. et Min. atque aliorum ordinum Mendicantium infra regnum Sardiniae et Corsicae existentium amodo sint subiecti superioribus suorum ordinum provincialibus in Aragonia et Catalonia ordinatis. [1]

1329, iunii 30, Avinione.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ad illa sollicitudinis apostolicae studium libenter impendimus et partes diligentiae nostrae sollicite adhibemus, ex quibus in regnis fidelium quietis bonum proveniat et pacis tranquillitas et securitas conservetur. Cum igitur carissimus in Christo filius noster Alphonsus Aragonum et Sardiniae ac Corsicae rex illustris pro pacifico et securo statu huiusmodi regnorum suorum prudenti ductus consilio desideret, ut superiores fratrum Praedicatorum et Minorum ac Mendicantium ordinum per sedem apostolicam approbatorum infra dictum regnum Sardiniae et Corsicae existentium subiiciantur ordinum suorum superioribus, qui pro tempore in Aragonia et Catalonia ordinantur: nos eiusdem regis supplicationibus inclinati, volumus et apostolica auctoritate decernimus, quod superiores dictorum fratrum Praedicatorum et Minorum ac aliorum ordinum Mendicantium, videlicet conventuales priores ac custodes et guardiani ordinum praedictorum, qui sunt et erunt pro tempore in regno Sardiniae et Corsicae praelibato, superioribus ipsorum ordinum, videlicet prioribus provincialibus Praedicatorum et ministris provincialibus Minorum fratrum ordinum nec non aliis prioribus provincialibus seu praelatis, quocunque nomine censeantur, aliorum ordinum Mendicantium in Aragonia et Catalonia consistentibus, qui sunt et erunt pro tempore, sint subiecti, eos a subiectione aliorum quorumcumque superiorum suorum ordinum praedictorum extra dictas provincias Aragoniae et Cataloniae consistentium auctoritate praedicta totaliter eximentes. Volumus tamen, quod praesens exemptio ad magistrum et ministrum vel priorem seu priores generales ordinum praedictorum nullatenus extendatur, sed eis sint subditi sicut prius. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, II kalendas iulii, anno tertiodecimo.

---

[1] Reg. Vat. t. 91, ep. 2298; apud *Wadd.* l. c. reg. Io. XXII, n. 106. In « provinciali » ord. Min. illis temporibus conscripto habetur nonnisi vicariatus Sardiniae cum quinque his locis: Villa ecclesiarum (*Iglesias*), Algerio (*Alghero*), Castro castri (*Cagliari*), Arestano (*Orestano*), Xassaro (*Sassari*); praeter hunc vicar. exhibitur a Barth. Pisano in libro *Conformitatum* c. a. 1380 conscripto vicariatus Corsicae cum locis Nuncia (*Nonza*), Biguglia (*Bigoglia*), Avenzolascha (*Avenzolasca*), Alisano (*Alisano*), Ernano (*Ornano*), et Montis rasi (*Monte raso*) in insula Sardiniae.

801. Henricum de Appoldia (*Apolda* in Germania) ecclesiae titulari Lavacen. (*Lavaca* in Graecia) in episcopum praeficit. [1]

1329, iulii 3, Avinione.

Dilecto filio Henrico de Appoldia electo Lavacen.

Summi dispositione rectoris *etc.* Ecclesia siquidem Lavacen. per obitum bo. mem. Ioannis episcopi Lavacen., qui nuper extra Romanam curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, nos, intendentes per apostolicae sedis providentiam dictae Lavacen. ecclesiae idoneam praesidere personam, cuius industria, scientia et virtute praefata ecclesia possit feliciter gubernari, post deliberationem, quam super hoc cum fratribus nostris habuimus diligentem, tandem in te ordinis fratrum Minorum professorem, in sacerdotio constitutum, cui litterarum scientiam, vitae munditiam, morum elegantiam aliaque dona virtutum tibi desuper concessarum ex fide dignis testimoniis suffragari percepimus, intentum direximus nostrae mentis. Quibus omnibus paterna deliberatione pensatis, de persona tua nobis et eisdem fratribus ob exigentiam tuorum meritorum accepta eidem Lavacen. ecclesiae de fratrum nostrorum consilio et apostolicae potestatis plenitudine providemus teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo *etc.* Datum Avinione, V nonas iulii, anno tertiodecimo. [2]

802. Episcopo Cortonen. concedit facultatem absolvendi fratres Minores redeuntes ad devotionem ecclesiae Romanae. [3]

1329, iulii 7, Avinione.

Raynerio episcopo Cortonensi.

Auditui nostri apostolatus innotuit, quod nonnulli fratres ord. Minorum tuarum civitatis et dioecesis Cortonensium, qui viro perfido Michaeli de Caesena, olim dicti ordinis nunc vero fraudis et erroris ministro haeretico et de haeresi sententialiter condempnato, suisque complicibus et sequacibus ducti caeca insania contra nos et Romanam ecclesiam dampnabiliter adhaeserunt, nunc saniori usi consilio suos humiliter recognoscentes errores et culpas ad gremium sanctae matris ecclesiae nostramque devotionem redire desiderant, absolutionis beneficium a poenis et sententiis, quas incurrisse noscuntur, propter hoc suppliciter postulando. Nos autem illius (licet insufficientibus meritis) vices gerentes in terris, qui non iustos sed peccatores vocare ad poenitentiam se venisse testatur, volentes eisdem fratribus, si vera sit eorum contritio, pietatis et misericordiae ianuam aperire, fraternitati tuae, de qua fiduciam in Domino gerimus specialem, fratres eosdem, qui relicto penitus huiusmodi erroris invio ad gremium eiusdem ecclesiae ac devotionem et obedientiam nostram cordibus contritis et humiliatis redire voluerint, recipiendi ad devotionem eandem eisque pro commissis in hac parte, prout animarum ipsorum saluti expedire cognoveris et tibi videbitur, salutares poenitentias iniungendi ac de absolutionis beneficio a praedictis poenis auctoritate nostra iuxta formam ecclesiae providendi necnon super irregularitate propter praemissa contracta cum eisdem misericorditer dispensandi (adiecto tamen specialiter et expresse, quod, si de cetero ad adhaesionem dicti haeretici aut sequacium et complicum suorum redirent aut eis praestarent quomodolibet auxilium, consilium vel favorem, relabantur in easdem poenas et sententias ipso facto) hac vice plenam concedimus tenore praesentium facultatem. Volumus autem, quod super receptionibus, absolutionibus et dispensationibus huiusmodi confici facias publica instrumenta, praesentium tenorem continentia, illa nobis e vestigio fideliter transmissurus. Datum Avinione, nonis iulii, anno tertiodecimo.

803. Guillelmo ep. Alben. (ex ord. Min.) et Arnaldo ep. Asten., ad litteras per fr. Franciscum de Cancella, fratrem germanum illius episcopi Alben., sibi missas respondet eosque hortatur, quod super statu partium Pedemont. pacifico sollicite studeant. [4]

1329, iulii 21, Avinione.

Asten. et Alben. episcopis.

Benigne recepimus fraternitatis vestrae litteras *etc.* Dat. [Avinione], XII kal. augusti, anno tertiodecimo. [5]

804. Hortatur christianos in Perside et in Indiis degentes, ut Guilelmum de Zigiis ep. Taurisien. et Iordanum Catalani ep. Columben. ex ord. Praed. una cum aliis fratribus Praed. et Min. ad ipsos venientes benigne recipiant et eorum sacris instructionibus intendant. [6]

1328, augusti 21, Avinione.

Universis christianis in imperio Persidis constitutis.

Votis zelamus ardentibus et summis desideriis affectamus, ut cunctis mortalibus, quos Dei filius Iesus Christus suo sanguine pretioso redemit, et coelestis gratiae radius illucescat et salus votiva

---

[1] Reg. Vat. t. 92, ep. 3202, apud *Gams* l. c. n. 107.

[2] Aliis litteris eodem die datis (l. c.) summus pontifex istum Henricum archiepiscopo Neopatren. metropolitano suo commendat. Qui quidem Henricus non in suo episcopatu residebat, sed suffraganeum archiepiscopi Maguntin. agebat.

[3] Reg. Vat. t. 115, f. 26, ep. 167; cfr. supra n. 780.

[4] Reg. Vat. t. 115, f. 21, ep. 130.

[5] In ipso reg. tomo 115 quamplures aliae litterae ad eosdem episcopos in hac causa a summo pontifice directae inveniuntur.

[6] Reg. Vat. t. 92, ep. 3078; cfr. infra n. 811, 812, 818.

proveniat animarum, ut hostis antiqui (semper quaerentis, ut noceat) elusa nequitia supernae beatitudinis gloria, quam non sufficit capere intellectus humanus quamque Salvator noster se diligentibus repromittit, in suavitatis fecundae dulcedine perfruantur; hoc etiam profundius perpeti cura revolvimus, hoc sitimus ardentius, hoc in solidae charitatis ardore crebris orationibus postulamus, ut inter omnes, quos regeneravit unda baptismatis, cesset [s]cissurae divisio, errorum nebulae fidei claritatem non maculent et mentales oculos in Christo credentium et colentium nomen eius detestabilis scismatis inimicatio et temeratae fidei perfidia non obducat, sed una sancta catholica et universalis Romana ecclesia nulla scismatum scissura divisa in unitate fidei orthodoxae sub uno pastore et unius ovilis intemerata et solida unione ad conquirendam eiusdem beatitudinis gloriam felicibus prosperetur eventibus et gratis successibus fecundetur. Ideoque universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente in domino Iesu Christo, per ipsius aspersionem pretiosi sanguinis obsecrantes, quatenus venerabilem fratrem nostrum Guilelmum de Zigiis [1] episcopum Taurisien., quem nuper ad episcopalis dignitatis apicem auctoritate apostolica duximus promovendum quemque ad partes ipsas velut fructuosum futurum et utilem, ut speramus, ad messem nationum ipsarum partium in horrea Dominica inferendam, ad dictas partes providimus personaliter destinandum, necnon dilectos filios fratres Praedicatorum et Minorum ordinum in dictis partibus commorantes vel illuc venientes ob reverentiam nostram et sedis apostolicae habere velitis propensius commendatos eosque benigne recipientes et caritative tractantes sacris instructionibus, quas in doctrina catholicae fidei vobis facient, vestrarum mentium aures devotius impendatis animosque vestros, quorumlibet schismatum pulsis erroribus, unitati catholicae fidei et sanctorum patrum auctoritatibus in omnibus cooptetis; quoniam id est summe et immense universali gregi fidelium profuturum, si ubique locorum in cunctis fidelibus, qui gaudent nomine christiano, unus Deus, una fides, unum baptisma, una totius mundi confessione vobis concordibus teneatur. Datum Avinione, XII kal. septembris, anno tertiodecimo. [2]

805. Treugas inter episcopum Valentin. et Dien. ex una atque Ademarum de Pictavis ex altera parte initas observari iubet. [3]

1329, augusti 23, Avinione.

[Venerabili fratri] episcopo Tricastrin. et dilecto filio .. guardiano fratrum ord. Min. de Montilio Ademari Valentin. dioc.

Dudum ven. frater noster Guilelmus episcopus Valentin. et Dien. *etc.* Datum Avinione, X kal. septembris, anno tertiodecimo.

806. Commendat diligentiam mag. Itherii, canonici Saresberien. et sedis apost. nuncii, contra certos quosdam fratres Minores errores et haereses praedicantes adhibitam. [4]

1329, augusti 24, Avinione.

Mag. Itherio de Concoreto, apost. sedis nuncio.

Operosam diligentiam, quam adhibere circa captionem illorum, qui praedicare praesumebant in Anglia errores et haereses pessimos, dampnatos per constitutiones et declarationes sedis apostolicae, curavisti, plurimum in Domino commendantes, super eis ad sedem transmittendis praedictam diversas litteras nostras, sicut in eis contineri videbis plenius, destinamus et nihilominus carissimis in Christo filiis nostris Eduardo regi et Isabelli reginae Angliae illustribus scribimus iuxta formam, quam cedula continet praesentibus interclusa: quare praedictis litteris vel illis, de quibus tibi videbitur expedire, utendo et uti per illos, quibus diriguntur, similiter faciendo, ut votiva subsequatur ipsarum executio, talem adhibere diligentiam non omittas, quod tua debeat inde circumspectio merito commendari: rescripturus nihilominus seriose, quaecunque acta fuerint in hac parte. Datum Avinione, IX kalendas septembris, anno tertiodecimo.

807. Hortatur regem Angliae, quod in capiendis quibusdam fratribus Min. errores et haereses praedicantibus assistat sedis apost. nuntio. [5]

1329, augusti 24, Avinione.

[Eduardo] regi Angliae.

Indubitatam de serenitate regia fiduciam obtinemus, quod zelo fervens fidei ortodoxae, clarae memoriae progenitorum tuorum catholicorum principum imitando vestigia, operosis intendis sollicitudinibus ad extirpandos errores et haereses de finibus regni tui. Sane nuper ad audientiam dilecti filii magistri Itherii de Concoreto canonici Sares-

[1] Ord. Praed., quem unacum aliis fratribus Praed. summus pontifex litteris eodem die datis et incip. *Gratum redditur votis nostris* imperatori Persidis commendat (l. c. ep. 3079).

[2] In e. m. scribit summus pontifex die 25 aug. 1328 christianis in Indiis constitutis et die 11 sept. 1328 regi Indiae minoris pro recipiendis et audiendis Iordano (Catalani O. Praed.) episcopo Columben. necnon fratribus Praed. et Min. ordinum in illis partibus commorantibus vel illuc venientibus (l. c. ep. 3084-3086, et t. 94, ep. 67, cfr. 68).

[3] Reg. Vat. t. 115, f. 54, ep. 348.

[4] Reg. Vat. t. 115, f. 135, ep. 806; cfr. infra n. 807 et 809.

[5] Reg. Vat. t. 115, f. 135, ep. 804; cfr. supra n. 806.

beriensis, apostolicae sedis nuncii, fidedigna relatione perducto, quod Petrus de Saxlingheem et Iohannes de Hoquintone ordinis fratrum Minorum in illam proruperant insaniam, quod dampnatos per constitutiones et declarationes apostolicae sedis [1] pessimos errores et haereses in eodem regno, ubi catholicae fidei viget cultus, praedicare ac dogmatizare publice in divinae maiestatis offensam ac fidei et fidelium praesertim dicti regni contumeliam et periculum suarumque animarum salutis dispendium praesumpserant et etiam praesumebant, idem nuncius, sicut vigore litterarum nostrarum sibi directarum poterat, memoratos Petrum et Iohannem, informatione per ipsum de praedictis recepta, primitus arrestavit et cepit, eosque sub eodem arresto in domo fratrum eiusdem ordinis Cantabrigensium [2] Eliensis diocesis sub certis modis et poenis custodiendos fideliter assignavit. Cum autem nos volentes scire de praemissis plenius veritatem, ipsos citari et evocari ac ad praesentiam nostram adduci mandamus, regalem excellentiam rogamus et hortamur attentius, quatinus, quantum tibi, fili carissime, tuaeque saluti et honori ac utilitatibus dicti regni expediat, ut errores et haereses extirpentur exinde, ne pullulare valeant, in examine regiae considerationis adducens tam praefato nuncio quam aliis, per quos praefatos Petrum et Iohannem nobis mandamus transmitti, sic prompte pro divina et apostolicae sedis reverentia velit benigne circa missionem eorum favoribus opportunis assistere regia celsitudo, quod praeter mercedis perennis praemium dignis in Domino laudibus propter hoc merito debeat commendari. Datum Avinione, IX kalendas septembris, anno tertiodecimo.

808. Committit guardiano fratrum Min. loci de Marmanda dioec. Agennen., quod Guilelmo de Fargis domicello, qui olim, dum mater eius gravi aegritudine laboraret, votum de visitando limina b. Iacobi Compostell. emisit, sed propter inimicitias capitales, quas habere asserit, sine magno corporis sui periculo nequit adimplere, id commutet in alia opera pietatis. [3]

1329, septembris 1, Avinione.

Dilecto filio .. guardiano fratrum ord. Min. loci de Marmanda [4] *dioec. Agennen.*

Significavit nobis *etc.* Dat. Avinione, kalendis septembris, anno tertiodecimo.

809. Itherio de Concoreto, apost. sedis nuntio, mittit duas diversas litteras, ita ut alterisutris utens aut contra fratres Petrum et Ioannem solos aut contra eos et fratres Henricum et Thomam severius procedat. [5]

1329, septembris 5, Avinione.

Itherio de Concoreto canonico Saresberiensi, apostolicae sedis nuncio.

Licet super citandis et ad sedem apostolicam adducendis Petro de Saxlingheem, Ioanne de Aquintone [6], Henrico de Costeseye et Thoma de Helmedona, ordinis fratrum Minorum, qui contra Deum et Romanam ecclesiam detestandos excessus commisisse dicuntur, litteras nostras tam tibi quam nonnullis aliis directas nuper fecerimus ordinari; quia tamen per ea, quae scripsisti, praefati Henricus et Thomas adeo non videntur graviter deliquisse, quin ab ipsorum vocatione personali supersederi valeat, quo ad praesens alias litteras fieri fecimus, de praedictis Petro et Iohanne facientes tantummodo mentionem: utrasque autem litteras seorsum, tamen ligatas, tibi cum praesentibus destinantes volumus, ut, nisi eos super delatis clarius quam appareant per ea, quae continebantur in informatione per te missa, reos esse repereris, primis suppressis litteris, secundis utaris; si vero ipsos Henricum et Thomam tibi constiterit ea ut praedicitur commisisse, per quae deberent vocari personaliter et adduci, secundis suppressis litteris ad aliarum executionem procedas et procedi per alios quibus diriguntur procures, missurus nobis informationem huiusmodi, et quicquid super praedictis feceris, fideliter rescripturus. Ceterum litteras, quas mittit super praedictis dilectus filius Geraldus Otthonis ordinis praedicti generalis minister, quarum formam cedula praesentibus interclusa continet, necnon litteras super reservatione fructuum beneficiorum ecclesiasticorum vacantium in Anglia tibi etiam destinamus. Datum Avinione, nonis septembris, anno quartodecimo.

810. Concedit generali et provincialibus ministris ord. Min. facultatem absolvendi illos fratres sui ordinis, qui olim fautores et sequaces Ludovici Bavari et Petri de Corvaria ac Michaelis de Caesena existentes ad devotionem Ecclesiae redierunt. [7]

1329, septembris 6, Avinione.

Generali et provincialibus fratrum ordinis Minorum ministris et vicariis.

Cum illius, qui venisse non iustos sed peccatores ad poenitentiam vocare testatur, vices licet insufficientibus meritis gerimus in terris, revocando errantes ab erroribus et per viam miserationis et mansuetudinis ad semitam reducendo salutis, eius

[1] Cfr. supra n. 557.
[2] *Cambridge* in custodia cognomini prov. Angliae.
[3] Reg. Vat. t. 92, ep. 2943.
[4] *Marmande* in custodia Agennensi prov. Aquitaniae.
[5] Reg. Vat. t. 115, p. II, f. 135, ep. 1767; cfr. supra n. 807 et infra n. 849.
[6] *Alias*: Hoquintone *vel* Hequintone.
[7] Reg. Vat. t. 115, p. II, f. 98, ep. 1537.

quantum possumus vestigiis inhaeremus. Nuper siquidem vestra nobis exhibita petitio continebat, quod nonnulli fratres ordinis vestri, qui dudum serpentina seductione seducti, Deum ac nos sacrosanctamque Romanam ecclesiam et vestrum praedictum ordinem graviter offendendo, in locis per sedem apostolicam vel eius auctoritate suppositis ecclesiastico interdicto scienter immiscuerunt temere se divinis, nec non Ludovicum de Bavaria diversis excomunicationum sententiis innodatum et iure, si quod sibi ex electione discordi, quae de ipso celebrata fuisse dicebatur ad regnum Romanum vel imperium competebat, per sedem eandem iustitia exigente privatum ac hereticorum fautorem declaratum et de haeresi sententialiter et publice condempnatum, pro imperatore, ac Petrum de Corvaria, per eundem Ludovicum et nonnullos Romanos de facto in Dei et eiusdem sedis omniumque Christicolarum periculum et iacturam in papam immo verius antipapam assumptum, pro papa, necnon Michaelem de Caesena, olim praedicti ordinis generalem ministrum, per eandem sedem huiusmodi officio ministeriatus iustitia exigente privatum, post privationem eandem pro ministro habuerant eisque tanquam imperatori, papae ac ministro in sermonibus et aliis faverant et ad retinendum praedictos status dampnatos, quantum fuerat eisdem possibile (quamvis non ignorarent contra fautores eorum excommunicationis et alias diversas sententias promulgatas et etiam publicatas), auxilium, consilium et favorem [praestiterant], nunc cordium ipsorum apertis oculis, quos detestanda ipsorum excessuum enormitas excaecarat, asserentes se nunquam credidisse sicut nec debuerunt credere, eosdem Ludovicum verum imperatorem, et Petrum de Corvaria papam, ac Michaelem de Caesena, postquam fuit depositus, ut praefertur, ministrum ordinis praedicti fuisse nec ab eis vel eorum aliquo administrationem, officium vel beneficium recepisse, nec etiam credere seu credidisse, quod ad imperatorem institutio vel destitutio papae pertineat, quinimo quod hoc credere haereticum est censendum, quodque tanquam verus papa et Christi vicarius sacrosanctae Romanae ac universalis ecclesiae praesidemus canonice et a tempore nostrae promotionis ad apicem apostolicae dignitatis praefuimus, necnon articulos, quos nos et eadem ecclesia docemus et praedicamus, esse catholicos potius profitentes, ad gremium sanctae matris ecclesiae redire cupiunt, nostram et eiusdem ecclesiae veniam humiliter et lacrimabiliter implorando: quare nobis humiliter supplicastis, ut eis pietatis et misericordiae aperire ianuam dignaremur. Nos autem eum, qui cor contritum et humiliatum non despicit cuique proprium est misereri semper et parcere, tantum habentes prae oculis, in hac parte vestris supplicationibus benignius inclinati, discretioni vestrae per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus tu, fili generalis, quibuscumque, vos vero, provinciales ministri et vicarii, de vestris provinciis fratribus ordinis praelibati, qui praemissa vel aliqua de praedictis committendo excomunicationis incurrerunt sententias et sunt irregularitatis macula irretiti, quique suis culpis, delictis et excessibus huiusmodi cum contritione cordis coram vobis recognitis et hiis, quae de fide catholica et devotione sanctae Romanae ecclesiae superius continentur, professis expresse, petierint humiliter ab eisdem sententiis se absolvi, recepto prius ab ipsis et eorum quolibet de stando et parendo nostris et eiusdem ecclesiae mandatis corporaliter iuramento, de absolutionis beneficio a sententiis supradictis et dispensationis gratia super irregularitatibus propter praedicta vel aliquod praedictorum contractis; eisdem nihilominus poenitentia salutari et aliis iniunctis, quae saluti animarum ipsorum expedire videritis, auctoritate nostra providere sub forma quae sequitur studeatis, videlicet: quod deinceps praedicto Ludovico de Bavaria ac Petro de Corvaria et Michaeli de Caesena vel eorum alteri aut alii vel aliis eorum fautoribus et sequacibus seu quibusvis aliis haereticis nullatenus adhaereant aut praestent per se vel alium seu alios, directe vel indirecte, publice vel occulte, auxilium, consilium vel favorem, quodque interdicta ecclesiastica violare de cetero non praesumant, sed ea observare inviolabiliter ac parere curent humiliter in omnibus nostris et eiusdem Romanae ecclesiae beneplacitis et mandatis; adiiciendo nihilominus specialiter et expresse, quod nos etiam haberi volumus pro adiecto, quod, si eos, quod absit, ad praemissa per ipsos ut praefertur commissa vel similia committenda redire contingeret, relabantur in easdem poenas et sententias ipso facto quodque absolutio et dispensatio huiusmodi nulli, qui a praedicto Ludovico et Petro vel eorum altero administrationem, officium vel beneficium receperit seu pro ipsis vel eorum altero gesserit quomodolibet, suffragentur. Volumus autem, quod super absolutionibus et dispensationibus huiusmodi aliisque praedictis confici faciatis publica instrumenta, illa nobis postmodum fideliter transmissuri. Datum [Avinione], idus septembris, anno quartodecimo.

811. Hortatur Zachariam Armenorum archiep. s. Thaddaei, fratribus Praed. et Min. in illis partibus verbum Dei praedicantibus valde favorabilem, ut fr. Guilelmum de Zigiis ex ord. Praed. in episcopum Thaurisien. et Bernardum de Gardiola in ep. Diagorganen. promotos benigne recipiat. [1]

1329, septembris 11, Avinione.

Venerabili fratri Zachariae archiepiscopo sancti Thadaei apostoli de Caraclesia [2] in imperio Persidis.

Divina, ut firmiter credimus, est ordinatione provisum, ut ad terras et partes imperii Persidis (licet ab aliis terris, quas regenerat unda baptismatis et colentes nomen Redemptoris nostri, quo omnis salus datur credentibus, videlicet nomen Christi in veneratione eiusdem Redemptoris, inhabitant, magna maris terraeque distantia separatas atque plurium infidelium et hostium fidei interstitiis impeditas) nonnulli Praedicatorum et Minorum ordinum fratres, tanta terrarum et locorum latitudine et distantia peragrata, viri utique illuminati doctrina verae fidei, quam sacrosancta Romana, catholica et universalis tenet ecclesia quamque ipse Redemptor noster ecclesiarum et fidelium omnium caput esse censuit et magistram, ad dandam salutis scientiam salubriter pervenerint, ut gentes illarum partium de dissimilitudinis devio ad rectum fidei callem et doctrinae evangelicae veritatem tanto utiliori sedulitate reducerent, quanto favente divina gratia dictae gentes, sicut exultanter accepimus, paratiores existunt ad suscipiendum cum efficacia verbum Dei et recipiendum baptismatis sacramentum ac abigendum errores de mentibus et imbuendum eas doctrina fidei salutaris. Accedit etiam nobis inter alia ad ingentis exultationis augmentum, quod, sicut referunt dicti fratres, quamvis cum infidelibus earum partium eis sit difficilis et periculosus convictus, conversatio inquieta, convitiosa mora et collocutio quaelibet importuna, cum Armenis tamen ibidem morantibus, renatis unda baptismatis, est eis conversatio placida, mora placidior, convictus utilis, et collocutio fructuosa, inibi renasci iura cognationis inveniunt, ibidem renatorum fonte baptismatis longo terrae tractu recuperationem Deo et ecclesiae catholicae peramabilem sortiuntur, ibique, favente Christo Iesu vero nostro lapide angulari, multas animas, quas carentia boni doctoris et error falsi dogmatis a recta via evangelicae veritatis obduxerant et multis erroribus duxerant imbuendas, ad lumen verae fidei reduxerunt. Addiderunt etiam dicti fratres, quod ad salutis tuae profectum et gloriosae commendationis augmentum redundare dignoscitur, quod fratres ipsos benigne suscipis, tractas benignius, ipsosque, cum ab eis proponitur verbum Dei, patienter audis eisque favorem impendis, quod et patienter ab aliis audiantur: ex quibus indubitatam concepimus in corde fiduciam, quod Redemptor noster bonorum omnium retributor, ob cuius honorem ista peragis, spirituales et temporales fructus dignos tuis meritis infallibiliter compensabit. Ideoque fraternitatem tuam rogamus et hortamur attente in domino Iesu Christo, te per ipsius pretiosi aspersionem sanguinis obsecrantes, quatenus, circa praemissa laudabilia opera et virtutes te vigilantibus et continuis studiis exercendo, venerabilem fratrem nostrum Guillelmum de Cigiis episcopum Thaurisien., ordinis Praedicatorum professorem, quem nuper ad episcopalis dignitatis apicem apostolica auctoritate promoventes eum ad partes ipsas, futurum ut speramus utilem operarium ad ampliandam messem Dominicam in illis partibus in aeternae beatitudinis horrea inferendam, ad partes illas providimus destinandum personaliter, benigne suscipias, praedicationes eius efficaciter audias, fideque catholica et universalis Romanae ecclesiae cum plenitudine totius devotionis et firmae credulitatis imbutus populum tibi commissum ad professionem et rectam culturam eiusdem fidei permittas per dictum episcopum et dilectos filios fratres Praedicatorum et Minorum ordinum praedictorum studio sanctae praedicationis induci, eumque episcopum atque fratres ob reverentiam nostram et apostolicae sedis habeas propensius commendatos. Datum Avinione, III idus septembris, anno quartodecimo.

In e. m. *quoad fr. Bernardum de Gardiola in episcopum Diagorganen. promotum.*

812. Monet Christianos in imperio Persidis constitutos, ut Bernardum de Gardiola ord. Praed. in episcopum Diagorganen. promotum unacum aliis fratribus Praed. et Min. ad illas partes venientibus benigne recipiant et eorum sacris exhortationibus intendant. [3]

1329, septembris 11, Avinione.

Universis christianis in imperio Persidis constitutis.

Votis zelamur *etc. m. m. ut supra n. 804.* Datum Avinione, III idus septembris, anno quartodecimo. [4]

---

[1] Reg. Vat. t. 94, ep. 69 et 71; cfr. ep. 67 et 68 ac *Wadd.* l. c. ad annum 1329, n. 13.

[2] *Alias* « Caratesia » i. e. *Maku.*

[3] Reg. Vat. t. 94, ep. 70, apud *Wadd.* l. c. ad a. 1329, n. 14; cfr. supra nn. 804 et 811 et infra n. 818.

[4] Aliis litteris eodem die datis idem episcopus Diagorganen. imperatori Persidis, Iordanus autem Catalani ord. Praed. nuper in episcopum Columben. promotus imperatori de Cathay a summo pontifice commendantur. Cfr. Reg. Vat. t. 94, ep. 271 et 272, ac t. 93, ep. 816 et 949.

813. Rectori et thesaurario ducatus Spoletan. mandat, ut recipiant omnia bona b. m. Thebaldi ep. Assisien. (ex ord. Min.), qui in nonnullis pecuniarum summis, de quibus tempore sui obitus nondum satisfecerat, camerae apostolicae tenebatur. [1]

1329, septembris 12, Avinione.

Ioanni de Amelio rectori et Petro Maynade thesaurario ducatus Spoletan.

Cum b. m. Thebaldus episcopus Assisiensis *etc.* Dat. Avinione, II idus septembris, anno quartodecimo. [2]

814. Vincentium ep. Nebien. (ex ord. Min.) procedere iubet contra quendam, qui legatum Bavari et antipapae in insula Corsicae se dicit. [3]

1329, octobris 5, Avinione.

[Ven. fratri] Vincentio episcopo Nebien.

Pervenit nuper ad nostri apostolatus auditum *etc.* Dat. Avinione, III nonas octobris, anno quartodecimo. [4]

815. Petit salvum conductum pro fr. Henrico de Pisis ord. Min., sedis apost. nuntio. [5]

1329, octobris 7, Avinione.

Venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis etc., ad quos praesentes litterae pervenerint.

Cum nos dilectum filium Henricum de Pisis ordinis fratrum Minorum, exhibitorem praesentium, ad partes vestras pro certis negotiis destinemus, universitatem vestram monemus, rogamus et hortamur attentius, quatinus eundem Henricum, cum per terras et loca vestra transiverit, benigne recommendatum habentes et favorabiliter pertractantes nullam molestationem, impedimentum vel iniuriam inferatis nec inferri ab aliis, quantum in vobis fuerit, permittatis, sed de securo conductu in eundo, morando et redeundo sic prompte et liberaliter pro nostra et apostolicae sedis reverentia eidem providere curetis, quod ipse de vobis grata referre valeat nosque devotionem vestram debeamus propter hoc merito commendare: praesentibus post tres menses minime valituris. Datum [Avinione,] nonis octobris, anno quartodecimo. [6]

816. Episcopo Argentinensi mandat, ut Walterum Rulaenderlin de Argentina ordinis fratrum Minorum, qui Ludovico de Bavaria ac Petro de Corbaria aliquamdiu adhaesit et ab isto antipapa officium poenitentiariae per aliquot dies peractum accepit, nunc autem ad gratiam ecclesiae redire cupit, ab excommunicationis sententia, quam hinc inde contraxit, absolvat. [7]

1329, octobris 15, Avinione.

Ven. fratri .. episcopo Argentinen.

Pia et clemens sancta Romana ecclesia *etc.* Dat. Avinione, idibus octobris, anno quartodecimo.

817. Commendat mag. Guilelmum Fulcosii, praepositum Grassensem, de diligentia et fidelitate erga apostolicam sedem eumque exhortatur, ut operosam sollicitudinem adhibeat in causa illa, super qua ei mittuntur litterae guardiano Grassensi praesentandae. [8]

1329, octobris 21, Avinione.

Magistro Guilelmo Fulcosii, praeposito ecclesiae Grassensis, capellano nostro.

Quae venerabili fratri nostro Amelio episcopo Castrensi scribere curavisti, vidimus et intelleximus diligenter. Sedulam itaque diligentiam per te super hiis adhibitam ac fidelitatem, quam ad nos et ecclesiam ex hoc te gerere praetendisti, plurimum in Domino commendantes tuam prudentiam exhortamur, quatinus sic ordinare procures, quod ille, de quo scripsisti, liberum volatum non habeat, sed ad nostram omnino praesentiam adducatur. Credimus siquidem, quod iam illius superior illuc pro praemissis miserit adimplendis; quod, si forsan non fecerit, ecce dilecto filio .. gardiano fratrum Minorum Grassensium per nostras, quas per te sibi praesentari volumus, litteras scribimus, ut eum per se vel alium seu alios sub secura custodia ducere ad dictam praesentiam non omittat. Super quibus per eundem gardianum, ut sibi scribimus, exequendis curet tua prudentia operosam solicitudinem adhi-

---

[1] Reg. Vat. t. 115, p. II, f. 64, ep. 1321.

[2] Summus pontifex eisdem die 8 iun. 1332 (litteris incip. « Significavit nobis dilectus filius Geraldus Othonis ord. Min. min. gen. ») mandat, ut bona a b. m. Thebaldo episcopo Assis. relicta conventui fratrum Min. Assis. assignent neve mercatorem, apud quem sunt deposita, ulterius molestent; die autem 5 iun. 1334 eos vasa et paramenta ab ipso episcopo relicta ecclesiae Assisinat. pro servitio ipsius assignare ac debita et bona cetera pro camera apostolica exigere iubet (l. c. t. 116, f. 346 ep. 1719; t. 117, f. 281, ep. 1472).

[3] Reg. Vat. t. 115, p. II, f. 47 ep. 1258; cfr. infra n. 827.

[4] Aliis litteris eodem die datis summus pontifex eidem episcopo concedit facultatem absolvendi omnes, qui in insula Corsicae ob sequelam antipapae excommunicati ad devotionem ecclesiae redire desiderant (l. c. ep. 1259). Eandem facultatem pro Romanis et aliis earum partium contra ecclesiam Romanam rebellibus Ioannes s. Theodori diac. card. et apost. sedis legatus obtinet die 7 oct. 1329 (l. c. f. 14, ep. 1068).

[5] Reg. Vat. t. 115, f. 89, ep. 1476; cfr. supra n. 794.

[6] Aliis litteris die 21 oct. 1329 datis summus pontifex rogat Petrum de Columna praepositum Massilien., capellanum suum, quem « navigando ad certas partes quandam galeam praeparare » intellexit, ut istum fratrem Henricum cum eius socio « ad certas partes de suo beneplacito accedentem » benigne recipiat in eadem galea, « daturus nihilominus, ut in partibus Pisanis, ubi magis securius et expedientius fuerit, applicare valeat, operam efficacem » (l. c. f. 212, ep. 2118).

[7] Reg. Vat. t. 94, ep. 42. Conv. fr. Min. Argentin. *(Strassburg)* pertinebat ad cust. Alsatiae prov. Alamanniae super.

[8] Reg. Vat. t. 115, f. 212, ep. 2119.

bere. Datum [Avinione], XII kalendas novembris, anno quartodecimo. [1]

818. Hortatur Elchigadan imperatorem Tartarorum in Corossan et Turquestan atque Industan., ut fr. Thomam (Mancasole) ord. Praed. in episcopum Semiscanten. promotum unacum aliis fratribus Praed. et Min. ad illas partes venientibus benigne recipiat. [2]

1329, novembris 2, Avinione.

Magnifico viro Elchigadan, imperatori Tartarorum in Corossan et Turquestan ac Industan, gratiam in praesenti, quae perducat ad gloriam in futuro.

Pastoralis officii commissi nobis a Domino debitum exigit, ut excellentiam tuam ad ea, quae tuae salutis profectus respiciunt tibique titulos laudum adscribunt, sollicitis inducamus studiis et affectuosis exhortationibus excitemus. Licet igitur verbum crucis ac universalis redemptionis humanae salutiferum venerandumque praeconium per apostolicam tubam in salutem universitatis exiverit et ad universos orbis fines sonus doctrinae pervenerit salutaris: tamen personam tuam eo specialius lucrifacere Domino cupimus mentisque tuae oculos cognitione verae et catholicae fidei illustrare, quo propter beneficia et multa solemnia, quae in terris dominio tuo subiectis exhibes christianis, te magis praecipua affectione prosequimur tuosque spirituales proventus ardentius affectamus, quove etiam spes certa nobis impenditur, quod ad fidem catholicam (faciente illo, in cuius manu corda sunt hominum omnium) facilius convertaris; non enim procedit nisi ex superni luminis gratia, quae sicut credimus oculos tuae mentis aperuit ad exercendum erga renatos fonte baptismatis pietatem, quod tu dilectos filios fratres Praedicatorum et Minorum ordinum, fideles operarios Iesu Christi in partibus Orientis, evangelizantes in fervore spiritus inibi verbum Dei, benigne suscipis, devote pertractas et officium eis hilaris hospitalitatis impendis. Colligimus etiam ex aliis tuorum laudabilium operum floribus tuae devotionis insignia, qui nuper duos fratres eiusdem ordinis Praedicatorum, venerabilem fratrem nostrum Thomam, nunc episcopum Semiscanten., cum uno socio eiusdem ordinis speciales nuncios tuos ad apostolicam sedem devote et humiliter destinasti, petens et cupiens tibi per litteras apostolicas benedici ac etiam de fide catholica informari. Laudabilia igitur vota tua gratis affectibus complectentes eumdem Thomam ad statum proveximus pastoralem, curam animarum, quas ad gregem suum in civitate Semiscanten. coelestis pietas iam vocavit vel vocabit imposterum, eidem Thomae episcopo auctoritate apostolica committentes; et ut catholicae fidei series tibi plenius innotescat, eam tibi annotatam praesentibus destinamus, quae talis est: Et quidem credimus sanctam Trinitatem, Patrem et Filium et Spiritum sanctum *etc.* Ideoque magnificentiam tuam rogamus et hortamur attente, quatenus sedula meditatione recogitans, quod fragilis est et caduca humanae naturae conditio, plena periculis, exposita casibus, instabilis status eius (considerans etiam, quod a lege mortis mordentis omnia nullus excluditur), promptus assurgas, praesto te offeras, paratus ac-

[1] Litterae a summo pontifice in causa supra indicata, quam plenius infra cognoscemus, ad guardianum Grassensem (*Grasse* in custodia Massiliensi prov. Provinciae) scriptae hae sunt (l. c. ep. 2120): « *Gardiano fratrum Minorum Grassensi.* Cum Veranum Boyre ordinis fratrum Minorum certis ex causis velimus nostro conspectui praesentari, discretioni tuae in virtute sanctae obedientiae ac sub excommunicationis poena, quam te incurrere volumus ipso facto, si te negligentem in hac parte vel remissum reddideris, districtius praecipiendo mandamus, quatinus eundem Veranum per te vel alium seu alios ad nostram adducere praesentiam sub secura custodia non postponas: te taliter super hiis habiturus, quin potius de diligentia et obedientia commendari valeas, quam de negligentia reprehendi. Datum [Avinione], XII kalendas novembris, anno quartodecimo ». Die 7 nov. 1329 summus pontifex pro praedictis praeposito et guardiano, qui uterque vel alter ipsorum ducendo secum quendam captivum ad sedem apost. in proximo sunt venturi, securum petit conductum (l. c. f. 90 ep. 1483). Iste fr. Veranus Boyre oriundus de Grassa (*Grasse*) die 20 dec. 1330 Avinione in papali palatio coram Bertrando (de Turre ex ord. Min.) ep. Tusculan., Iacobo tit. s. Priscae presb. (futuro Ben. papa XII), Bertrando s. Mariae in Aquiro diac. card. confitetur, Ioannem XXII esse verum et catholicum papam et constitutiones eius, quarum una incipit *Ad conditorem canonum*, alia *Cum inter nonnullos* et alia *Quia quorundam*, esse sanctas, catholicas atque iustas, et, quod continetur in eisdem esse catholicum, credit et tenet catholicum, quod vero continetur in eisdem esse haereticum, credit et tenet haereticum, praesertim quod sententiatur ibi de proprio et communi Christi et apostolorum; post quam confessionem a dicto card. Iacobo absolvitur a sententiis excommun. et reintegratur ecclesiasticae unitati. - Simili modo ibidem die 14 iunii 1331 fr. Raphael de Suppa de Ianua ord. Min. in consistorio publico coram summo pontifice et sacro card. coll. confitetur, se credere firmiter omnia, quod credit S. R. E., imprimis tamen duos articulos, qui continentur in quadam decretali Ioannis XXII, quae incipit: *Cum inter nonnullos*, quorum uterque dicit, quod haereticum est asserere pertinaciter: *a*) Christum eiusque apostolos nihil habuisse in hoc mundo in speciali nec etiam in communi, *b*) Christum eiusque apostolos in rebus, quibus utebantur in hoc mundo, non habuisse aliquod ius utendi, vendendi seu donandi; confitetur insuper, quod adhaesit Michaeli de Caesena, non tamen ex quo scivit eum fuisse depositum, neque unquam ei favit in sua haeresi; quod adhaesit Bavaro eique exhibuit reverentiam sicut imperatori, nunquam tamen favit ei in sua haeresi; quod adhaesit Petro de Corvaria scismatico et haeresiarchae et ei exhibuit reverentiam sicut papae, numquam tamen ei favit in sua haeresi. Qua confessione facta et clementia summi pontificis implorata idem summus pontifex ab excomm. sententia eum absolvit atque habilitavit et restituit ad famam et statum pristinum atque commisit Bertrando episcopo Tusculan., ut eidem pro praemissis poenas et poenitentias imponeret salutares. Cfr. arch. Vat. miscell. XXXIV, 2, f. 15 et 31.

[2] Reg. Vat. t. 94, ep. 180, apud *Wadd.* l. c. ad a. 1329, n. 15.

cedas ad agnitionem christianae fidei et suscipiendum baptismatis sacramentum, ad laudem divini nominis, tuae salutis profectum et augmentum fidei supradictae, ut lucis suae radio illustratus te solerter exerceas ad eius fines laudabiliter ampliandos, ut post vitae praesentis excursum a porta inferi libereris et eius diris cruciatibus poenisque gravissimis ac civitatis aeternae beatitudinis praemia perpetuis duratura temporibus consequaris. Ad haec multae benignitatis affectum, quem sicut praediximus Latinis christianis in partibus illis morantibus et illuc accedentibus favorabiliter exhibes, uberibus gratiis prosequentes petimus, ut affectum huiusmodi tuá nobilitas continuet circa illos et ceteros alios, qui fide imbuti fuerint orthodoxa. Ceterum instanter rogamus, ut eundem Thomam episcopum et omnes catholicos antistites in dictis partibus commorantes, et qui illuc accedent imposterum, nec non praefatos Praedicatorum et Minorum ordinum professores ad dictas partes (non alicuius commodi temporalis obtentu, sed solum pro lucrifaciendis Domino animabus) non absque gravibus laboribus et periculis accedentes benigne pertractes, iucunde recipias, praedicationes ipsorum aure cordis efficaciter audias ipsosque per tuos subditos similiter facias benigne suscipi et tractari, ut bonorum omnium retributor mentem tuam aperiat, te beneplacitis suis coaptet tuosque labores in eius obsequium praestitos non solum temporalibus sed etiam spiritualibus praemiis recompenset. Dat. Avinione, IV nonas nov., anno quartodecimo.

818ª. Concedit indulgentias ecclesiam fratrum Minorum in castro dicto Cuccaro dioec. Caputaquen. visitantibus. [1]

1329, novembris 5, Avinione.

Universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis.

Splendor paternae gloriae *etc.* Cum itaque dilecta in Christo filia nobilis mulier Ilaria de Lauria, relicta quondam Henrici primogeniti quondam Thomasii de sancto Severino comitis Marsici militis vidua, sicut asseruit, favore piae devotionis accensa, cupientes terrena in coelestia et transitoria in aeterna felici commercio commutare, quemdam locum ad opus fratrum ordinis Minorum in quodam castro suo de Cuccaro [2] Caputaquen. dioecesis pro suae et progenitorum suorum animarum salute aedificare inceperit non absque magno onere expensarum, sitque in loco praedicto quaedam ecclesia in honorem et sub vocabulo sancti Ioannis Baptistae, ut asseritur, dedicata: nos volentes, ut dicta ecclesia congruis honoribus frequentetur, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui ecclesiam ipsam in festivitate eiusdem sancti: centum dies, eis vero, qui per octavas festivitatis eiusdem, singulis videlicet ipsarum octavarum diebus, eamdem ecclesiam devote visitaverint annuatim, quadraginta dies de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus. Dat. Avinione, nonis novembris, anno quartodecimo.

819. Armando de Fagia, archidiacono in ecclesia Claromonten., committit, ut inquisitorem haer. prav. in Lombardia constitutum sollicitet, ut contra Franciscum de Traiecto (*Traietto* prope Gaietam) et Garrinum de Instria (Istria?) ord. Min., sequaces Ludovici Bavari, Petri de Corvaria, Michaelis de Caesena, procedat. [3]

1329, novembris 9, Avinione.

Armando de Fagia, archidiacono de Biliomo in ecclesia Claromontensi.

Cum dilecto filio .. inquisitori haereticae pravitatis in partibus Lombardiae àuctoritate apostolica deputato per alias litteras nostras mandemus, ut contra Franciscum de Traiecto et Garinum de Instria ordinis fratrum Minorum, Ludovici de Bavaria et Petri de Corvaria ac Michaelis de Caesena haereticorum et scismaticorum fautores, complices et sequaces, et super doctrinis ipsorum haereticalibus et erroneis ac de haeresi et scismate, sicut asseritur, vehementer suspectos veritatem diligenter inquirens nobis referre fideliter, quicquid in hac parte repererit, non omittat: volumus et tuae discretioni mandamus, quatinus eundem inquisitorem, ut iuxta tenorem litterarum nostrarum praedictarum, quas tibi cum praesentibus mittimus, praemissa praemissis aliis celeriter et fideliter compleat et remittat, sollicitare et inducere cum diligentia, qua poteris, non omittas. Datum Avinione, V idus novembris, anno quartodecimo. [4]

---

[1] Reg. Vat. t. 93, ep. 235, apud *Wadd.* l. c. n. 108; cfr. infra n. 841.

[2] *Cuccaro vetere* in cust. Principatus prov. Terrae laboris.

[3] Reg. Vat. t. 115, p. II, f. 40, ep. 1196.

[4] Litterae supra indicatae hae sunt (l. c. f. 46, ep. 1260): « *Inquisitori haereticae pravitatis in partibus Lombardiae auctoritate apostolica deputato.* Cum Franciscus de Traiecto et Garinus de Instria ordinis fratrum Minorum, Ludovici de Bavaria et Petri de Corvaria ac Michaelis de Caesena haereticorum et scismaticorum fautores, sequaces et complices, super multis eorundem haereticorum et scismaticorum doctrinis erroneis et haereticalibus ac de haeresi et scismate vehementer reddiderint, sicut accepimus, se suspectos: discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatinus, solerti adhibita diligentia tibi commissum in hac parte inquisitionis officium exequendo, super praedictis et ea tangentibus quomodolibet cum eisdem Francisco et Garino et eorum quolibet ac aliis, de quibus tibi videbitur, et etiam contra eos, tam apostolica quam privilegiorum eidem officio a sede apostolica concessorum auctoritate veritatem inquirere non postponas, nobis, quicquid inde feceris et repereris, fideliter et celeriter transmissurus. Non obstantibus *etc.* Dat. Avinione, V idus novembris, anno quartodecimo ».

820. Refutat argumenta, quibus Michael de Caesena constitutiones *Ad conditorem canonum, Cum inter nonnullos, Quia quorumdam* impugnabat. [1]

1329, novembris 16, Avinione.

Ad perpetuam rei memoriam.

Quia vir reprobus frater Michael de Caesena, dudum minister generalis ordinis fratrum Minorum, qui suis excessibus exigentibus de ministeriatus officio per nos de fratrum nostrorum consilio privatus et inhabilis redditus ad quaecunque dignitates et officia obtinenda fuerat iustitia exigente, conversus in vaniloquium, non intelligens quae loquitur et de quibus affirmat, in illam prorupit insaniam, quod tres constitutiones nostras, videlicet *Ad conditorem canonum, Cum inter* et *Quia quorumdam* nisus est multipliciter impugnare, asserendo inter alia haereticum, quod dicta constitutio *Cum inter* catholicum asserit, et catholicum, quod constitutio eadem haereticum declarat. Et ut sua insania pluribus esset nota, libellos suos continentes impugnationes praedictas ad diversas mundi partes et studia destinare ac ipsas affigi in portis ecclesiarum vel locis aliis publicis temeritate plectibili attentavit, propter quod et plures ipsius excessus alios de eorumdem fratrum consilio fautorem haereticorum et haereticum exigente iustitia eum declaravimus, prout haec in nostris sententiis latius continentur. Licet impugnationes praedictae adeo sint invalidae notorie, quod non sint responsione indigentes, quia tamen in ipsis impugnationibus arma sumit contra legem ex lege ac evangelium impugnat ex evangelio et de veris fingens mendacia provocat ad mendacium veritatem: ne simplicium corda possint inficere erronea ac haereticalia dicta sua, succincte duximus suis oppositionibus ut sequitur respondendum.

In primis itaque haereticus iste constitutionem *Ad conditorem canonum* in eo nititur impugnare, quod dicta constitutio probare intendens, quod fratres Minores sine proprio vivere profitentes in rebus, quae usu consumuntur, non sunt simplices usuarii, asserit, quae sequuntur: *Dicere siquidem, quod in talibus rebus, quae usu consumuntur, usus iuris vel facti separatus a proprietate rei seu dominio possit constitui, repugnat iuri et obviat rationi;* et infra: *In rebus usu consumptibilibus nec ius utendi nec usus facti separata a proprietate seu dominio possunt constitui vel haberi.* Haec verba constitutionis praedictae, ut dicit iste haereticus, « sacrae scripturae et sacris canonibus et diffinitionibus sanctorum doctorum ac etiam determinationi Romanae ecclesiae obviant manifeste ». Quod

---

[1] Bibl. Vat. cod. Vat. lat. 4010, f. 119-140; cfr. *Rayn.* Ann. eccl. ad a. 1329, n. 22-68, et *Baluze* l. c. p. 323-341 necnon *Chart. Univ. Paris.* t. II, p. 332, n. 898, atque infra n. 821. — Postquam Michael de Caesena civitate Avinionensi relicta Pisas se contulit, die 18 septembris a. 1328 contra Ioannem XXII eiusque in ipsum procedendi modum appellavit et quidem appellationem tum maiorem tum minorem scripsit. Quam appellationem summus pontifex satis quidem iam significavit vel etiam reprobavit, quum die 20 apr. 1329 (cfr. supra n. 786) eum solemniter excommunicaret rationemque redderet verbis: « nonnulla erronea et haereticalia contra constitutiones et declarationes sedis apostolicae, praesertim contra illam, quae incipit *Cum inter* [*nonnullos*], scribere ac dogmatizare in diversis locis publice .... praesumpsit ». Constitutione autem *Quia vir reprobus* supra descripta illos errores, quos Michael appellationis suae minoris litteris docuerat, denuo ac singillatim reiecit. Appellationem « in forma minori » factam integram describemus. Appellationis « in forma maiori » factae nonnisi clausulam hic excerpimus. Cuius clausulae haec sunt verba: « Et praeter superius specificata, ut etiam aliqua alia ex multis, quae contra fidem catholicam et superius specificatos fidei articulos facere non expavit, deducamus in publicam notitiam, subscripta exempla manifesta et notoria proponuntur. Notorium quippe fuit et est tam in civitate Avinionen. et diversis mundi partibus divulgatum et etiam constat per acta publica, redacta in publica munimenta, quod quidam haereticus nomine Iosolinus de Cascinis dioecesis Biterrensis, quem dictus dominus Ioannes haereticus auditorem causarum in curia Avinionen. constituit, fecit quendam apparatum diversis haeresibus fermentatum super constitutiones editas in concilio Viennensi et etiam super constitutiones per dictum dominum Ioannem promulgatas, quae Extravagantes in dicta Avinionen. curia nuncupantur, et specialiter super dictas constitutiones *Ad conditorem, Cum inter, Quia quorundam.* In quo apparatu contra fidei articulos inter ceteras haereses super ipsa constitutione *Cum inter* asserebat et dogmatizabat patenter infrascriptas haereses: prima videlicet, quod papa poterat novum articulum fidei facere, insinuans, quod poterat contrarium facere his, quae erant per ecclesiam diffinita: quod fidei catholicae adversatur. Secunda haeresis erat, quod ante Alexandrum papam III sive ante decretalem Alexandri papae III positam extra de haereticis cap. *Cum Christus* dici forte poterat, quod Christus non fuerat verus Deus et verus homo: quae quidem haeresis omnibus fidei articulis adversatur. Insinuabat etiam in ipso apparatu suo, quod haereticum erat deinceps asserere, quod in saepedicta decretali *Exiit* § *Porro* diffinitur, scilicet Christum et apostolos docuisse verbo et exemplo abdicationem proprietatis et dominii omnium rerum tam in speciali quam in communi. Plures quoque alias haereses in ipso apparatu suo dogmatizabat, quem apparatum haeresibus fermentatum publice et notorie exhibuit stationariis publicis. Contra quas haereses frater Bonagratia de Pergamo dicti ordinis Minorum zelo fidei catholicae libellum edidit publice et fecit, convincens ipsum Iosolinum manifeste de haeresibus supradictis. Qui libellus ad notitiam dicti domini Ioannis ac etiam suorum consiliariorum et aliorum praesidentium in dicta curia ac auditorum palatii eius et aliorum advocatorum et procuratorum in praedicta curia existentium ac etiam inquisitorum haereticae pravitatis manifeste pervenit: et tamen ipse dominus Ioannes nunquam processit in aliquo contra eum nec eidem restitit, sed etiam pluribus honoribus et beneficiis exaltavit et in audientia causarum de facto iudicem esse permisit; et inquisitor haereticae pravitatis requisitus per publicum instrumentum, quod procederet contra eum, contempsit penitus contra ipsum procedere, ita quod etiam citare eum noluit, quamvis sibi facta fuerit fides plenaria de praedictis. Plures etiam de fautoribus ipsius domini Ioannis ipsum fratrem Bonagratiam arguerunt de facto et reprehenderunt, ex eo quod contra dictum Iosolinum et haereses per eum dogmatizatas libellum ediderat; et ipsum fratrem Bonagratiam quantum potuerunt de facto nisi sunt a prosecutione illius libelli

autem sacrae scripturae repugnent, per id quod legitur in Actibus apostolorum 2 et 4 cap. aperte probatur, ut dicit; in secundo enim cap. dicitur sic: *Omnes, qui credebant, erant pariter, et habebant omnia communia, possessiones et omnes substantias vendebant et dividebant illa singulis, prout cuique opus erat;* in quarto vero cap. scribitur sic: *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una, nec quisquam eorum, quae possidebat, aliquid suum esse dicebat;* et paulo post sequitur: *Nec quisquam egens erat inter eos; quotquot enim erant possessores agrorum et domorum, vendentes afferebant pretia eorum, quae vendebant, et ponebant ante pedes apostolorum; dividebant autem singulis, prout cuique opus erat, et panes frangebant circa domos, sumentes cibum cum exultatione.* Haec ibi. Hoc autem vocabulum *suum* sancti exponunt sic: « *suum* idest proprium », ut patet XII, qu. 1, cap. *Scimus* etc., cap. *Nobis* etc., cap. *Non dicatis* § *Sic ergo*, et per Augustinum circa principium regulae suae; et glossa or. super verbo *Habebant omnia communia* dicit: « Indicium fraterni amoris est, omnia possidere et nil proprium habere ». Ex quibus verbis, ut dicit iste haereticus, insinuatur manifeste, quod nullius rei temporalis nec usu consumptibilis habebant credentes proprietatem, quia res non consumptibiles usu, scilicet possessiones, agros, domos et substantias (glossa: idest pecora) vendebant et ipsa nec in speciali nec in eorum communitate tenebant; illas autem res, quas lex (in instit. de usufructu § *Constituitur)* usu consumptibiles esse testatur, scilicet pecuniam pro pretio rerum venditarum acceptam et panes, de quibus habetur ibi mentio specialis, in communi habebant et dividebant singulis, prout cuique opus erat, et nullus ex eis aliquod suum idest proprium esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Et sic quilibet eorum habebat usum rerum usu consumptibilium absque proprietate et dominio, idest a proprietate seu dominio separatum. Ex quibus concludit, quod dicta assertio et doctrina in dicta constitutione contenta scripturae divinae obviat, et omnem religionem habentem votum abdicationis proprietatis rerum temporalium destruit et confundit, quia secundum hoc quilibet religiosus, quum uteretur rebus usu consumptibilibus, proprietarius censeretur.

Haec sunt verba istius haeretici, in quibus includit procul dubio multa falsa. Ad quae, ut sequitur, respondemus. Dicimus enim, quod verum est, quod dicta constitutio docet et asserit, quod in rebus usu consumptibilibus nec ius utendi nec ipsum uti potest constitui vel haberi; ipsis tamen

---

retrahere. — Frater quoque Guido [Terreni] de ordine Carmelitarum, qui se gerit pro episcopo Maioricensi [cfr. supra n. 661], volens dicto domino Ioanni complacere, alium libellum fecit, quem ipsi domino Ioanni, ut apparebat ex ipsius initio, dirigebat, diversis haeresibus fermentatum, in determinationes summorum pontificum ecclesiae super paupertate Christi et apostolorum factas et in scripturam evangelicam et statum totius ecclesiae graviter impingentem: quem libellum dictus frater Guido in dicta curia Avinionen. et etiam in Aragonia publice divulgavit, et propter amicitiam, quam habebat cum dicto domino Ioanne, nullus ipsum de praedictis haeresibus impetere vel redarguere attentavit, excepto fratre Bonagratia memorato. — Notorium est etiam in dicta curia Avinionen. et etiam in provincia Theotoniae, quod frater Aycardus (l. Eckhardus) ordinis Praedicatorum verbo et in scriptis publice et manifeste docuit et praedicavit haereses detestabiles et horribiles, in multis praedictis fidei articulis adversantes; et quod ipse frater Aycardus magnam multitudinem populi in dicta provincia Theotoniae et in aliis diversis partibus ad ipsas haereses tenendas, credendas et divulgandas secum traxit; et quod Nicolaus dicti ordinis Praedicatorum fuit et erat maximus fautor et defensor dicti fratris Aycardi haeretici manifesti, et quod dominus archiepiscopus Coloniensis misit ad dictam curiam nuncios, per quos exponi fecit eidem domino Ioanni et suis consiliariis antedictas haereses et favores, quos dictus frater Nicolaus dicto fratri Aycardo haeretico et suis haeresibus praebuerat. Et tamen nuncii praefati domini archiepiscopi Coloniensis super praedictis nunquam habuerunt nec habere potuerunt iustitiae complementum, quin imo idem dominus Ioannes dictum fratrem Nicolaum fautorem et defensorem maximum dicti haeretici Aycardi et haeresum suarum sustinuit seu fieri permisit scienter vicarium generalem fratrum Praedicatorum provinciae Theutoniae. Insuper licet praedictus frater Nicolaus fuisset de praedictis favoribus et defensionibus accusatus coram commissariis ad hoc datis per ipsum dominum archiepiscopum Coloniensem et tandem per sententiam ipsorum commissariorum ut fautor iudicatus, et haec fuissent ad notitiam dicti domini Ioannis deducta, tamen his non obstantibus ipse dominus Ioannes secum de facto dispensavit, ut ipse frater Nicolaus possit esse definitor in capitulo generali ordinis Praedicatorum tunc Perpiniani celebrando, et ipsum fratrem Nicolaum de dictis fautoria et defensione damnatum scienter sustinuit de facto in dicto officio vicariae et eidem tribuit multipliciter consilium et favorem et unum fratrem dicti ordinis Praedicatorum, nuncium praedicti domini archiepiscopi Coloniensis ad prosequendum dictum crimen haeresis contra praedictos fratres Aycardum et Nicolaum, capi sustinuit in dicta curia et detineri captivum. — Item notorium est fere ubique per orbem terrarum, quod ipse dominus Ioannes falso et malitiose et pro libito et ex abrupto ac sine causae cognitione crimen haeresis aut fautoriae haeresis vel haereticorum imposuit et quotidie imponere non desistit magnae parti fidelium christianorum: ita quod, si eius falsi et mendosi processus, quos fecit et fieri fecit et facere seu fieri facere non desistit, haberent efficaciam, in tota christianitate invenirentur paucae personae notabiles, quae catholicae dici possent vel quae non essent secundum eius processus haeresis vel fautoriae haeresis sive haereticorum criminibus irretitae aut quae sententiam excommunicationis secundum eius processus imo verius excessus detestabiles non incurrissent. — Item notorium est in curia Avinionen., quod ipse dominus Ioannes haereticus sceleratos viros, apostatas et haereticos, volentes maledicere de statu et ordine fratrum Minorum sive de communitate ipsius ordinis, fovebat, nutriebat et exaltabat et eis gratias et beneficia concedebat eosque diversis et variis viis inducebat et provocabat ad detrahendum ipsius ordinis statui et communitati et eorum detractiones, diffamationes et blasphemias accepit et acceptavit et in suo consistorio ad diffamandum dictum ordinem et statum ipsius legi et publicari et in actis curiae suae redigi faciebat. Exemplum de fratre Thoma de Brauncestonia negro-

potest quis, sicut dicit dicta constitutio, abuti: abuti autem secundum eandem constitutionem, dum tractatur de rebus usu consumptibilibus, sumitur pro consumptione rei. Et quod ius utendi in talibus rebus non potest constitui, probat dicta constitutio ex diffinitione usus, quod talis est: « usus est ius utendi alienis rebus salva rerum substantia, idest ius percipiendi fructus seu utilitatem aliam in totum vel pro parte suo nomine, quae possunt ex re, in qua usus constituitur, provenire ». Constat autem, quod ex rebus usu consumptibilibus, quamdiu earum substantia salva integra permanet, nulla potest utilitas provenire, ut patet in pane et vino, ex quibus nullus fructus sive utilitas potest colligi vel haberi salva substantia rei. Quare evidenter relinquitur, quod in rebus talibus videlicet usu consumptibilibus ius utendi separatum a proprietate seu dominio nequeat constitui vel haberi. Et per hoc b. Ioannes Chrysostomus rationem reddit, quare pro pecunia mutuata usura sicut merces pro domo vel re alia usu non consumptibili locata licite recipi nequaquam possit, dicens: quod in re usu non consumptibili (ut in domo vel agro) habens illam non solum habet proprietatem seu dominium, sed ex illis substantia salva rei ac proprietate rei et dominio fructus seu utilitatem aliam percipit, ut patet in domo, in qua inhabitat et sic ex ea commodum inhabitationis habet sibi domus dominio remanente; ex agro quoque fructus recipit agri salva rei substantia et dominio remanente. Et ideo, quia locans fructus rei seu utilitatem aliquam provenientem ex ea, retento sibi dominio, conductori concedit nec illa, scilicet fructus seu utilitatem domus vel agri, finita locatione repetit, non est mirum, si pro his pretium recipere possit; mutuans autem pecuniam in eius, cui mutuat, pecuniae transfert dominium, non fructum aliquem nec utilitatem aliam, quae ex ea salva rei substantia valeat provenire, et tantumdem ab eo, cui mutuat, postea repetit; quare ultra illud, quod mutuat, a recipiente mutuum licite recipere nequit, ut legitur XXVIII di. cap. *Eiciens.* — Quod autem ipsum uti ab aliquo haberi nequeat, dicta constitutio (sequens Augustini sententiam, positam in libro confessionum) clare probat, quia, quod non est, haberi nequaquam potest: actus autem utendi in rerum natura non est, nec antequam quis utatur nec postquam usus est nec dum est (nempe integer) in actu utendi, idest successivo, prout latius prosequitur dicta constitutio: quare relinquitur, quod haberi non possit.

Ad illud autem, quod dicit, quod ex praedictis

---

mantico, alchymista, haeretico et variis sceleribus involuto, qui propter eius crimina detestanda fuerat per sui ministri et aliorum discretorum fratrum provinciae Angliae secundum dicti ordinis statuta carceri adiudicatus et mancipatus, et tandem ab ordine apostataverat publice et manifeste. Qui sic apostata et in habitu saeculari et apostatico ad curiam accessit et ad dicti domini Ioannis praesentiam accessit et diversas falsasque blasphemias et diffamationes de statu dicti ordinis et communitatis ipsius protulit et eidem exhibuit quasdam litteras famosas famosumque libellum, in quibus falsissima et nonnulla diffamatoria, quaedam etiam haeretica contra statum et ordinem proponebat; et quia de paupertate et statu dicti ordinis obloquebatur, eidem plurimum detrahendo et ipsum dominum Ioannem laudando de his, quae contra ordinem praedictum et communitatem ipsius fecerat et statuerat, idem dominus Ioannes eidem Thomae audientiam plenam in consistorio suo dedit et in ipso consistorio ipsum suum libellum facinorosum et diffamatorium, in quo, ut dictum est, falsa, diffamatoria et etiam haereticalia fatebatur ad dicti ordinis et status eius diffamationem, legi fecit et publicari ac ipsum Thomam diversis gratiis et beneficiis communivit, sicut fuit notorium in curia saepedicta [cfr. supra n. 720]. Exemplum etiam de pluribus ribaldis sceleratis provinciae Aragoniae, videlicet Ioanne Peironi, Petro Arnaldi et Guillelmo Morelli [cfr. supra n. 589 not. 5 et n. 652], propter eorum scelera detestanda carceri adiudicatis, quos ad diffamandum dictum ordinem in curia per longa tempora detinuit et eorum diffamationes et scripta in actis curiae redigi fecit et in suo consistorio ad diffamationem dicti ordinis ex ipsis plurima publicari. Et licet etiam aliqua haeretica in suis confessionibus adiicerent, tamen, quia de ministris et provinciae Aragoniae fratribus multa diffamatoria et perfalsissima proferebant in odium et scandalum dicti ordinis et communitatis eiusdem, ipsis plura beneficia et multas gratias contulit ipsosque in tantum favorem assumpsit, ut multoties, cum volebant, ad cum accessum habebant et habere poterant, sicut notorium fuit in curia supradicta. Exemplum etiam de fratre Guillelmo Raimundi de provincia Provinciae, propter ipsius scelera per ministrum suae provinciae carceri mancipato, cui ipse dominus Ioannes de facto concessit per suas litteras, ut ad ordinem s. Benedicti posset se transferre, ipsumque diversis gratiis et beneficiis communivit, quia ministro Provinciae, sacrae theologiae doctori, et fratribus eiusdem provinciae detrahebat eosque falsis criminationibus diffamabat. De multis etiam aliis idem fecit, quos, et omnes favores, quos eis contulit simili causa, foret seorsim explicare prolixum. Et breviter, qualiscunque sceleratus, apostata et haereticus ad ipsum dominum Ioannem habebat introitum, si de ordine et communitate praedictis maledicere et diffamare volebat, et gratiam in ipsius oculis ex tali diffamatione inveniebat pariter et favorem ».

Sequitur Michaelis de Caesena appellatio in forma minori.

In nomine Domini amen. Anno Domini 1328, indict. XI, in civitate Pisana in domo fratrum Minorum, venerabilis et religiosus vir frater Michael de Caesena ordinis fratrum Minorum generalis minister et in sacra pagina doctor, constitutus in praesentia infrascriptarum venerabilium, authenticarum et honestarum personarum et sub earum et mei infrascripti notarii testimoniis, volens quandam appellationem seu provocationem de mense aprilis proxime praeteriti per ipsum fratrem Michaelem ministrum suo nomine et etiam nomine capituli generalis et omnium et singulorum fratrum dicti ordinis a quibusdam gravaminibus eidem fratri Michaeli generali ministro ac fratribus et capitulo memoratis de facto illatis per dominum Ioannem, qui se papam XXII appellat, interpositam in civitate Avinionensi in praesentia et sub testimonio Guidonis de Pupio dicti ordinis notarii publici et aliarum fide dignarum personarum publicare et etiam innovare et aliam ab aliis gravaminibus post et contra dictam appellationem per dictum dominum Ioannem et eius commissarios seu officiales vel aliquem eorum eidem fratri Michaeli generali ministro et aliis fratribus dicti ordinis seu alicui eorum,

scripturis sacris insinuatur aperte, quod nullius rei temporalis (nec usu consumptibilis nec non consumptibilis usu) proprietatem credentes habebant, dicimus: Si intelligat, quod in speciali proprietatem nullus credentium habebat, verum est, quod dicit, pro tempore illo, quo dicta scriptura loquitur; quia hoc dixit expresse scriptura praedicta Act. 4 cap., cum dicit: *Nec quisquam eorum, quae possidebat, aliquid suum esse dicebat.* Si autem intelligat (sicut intelligit, ut per ea, quae proponit inferius, clare patet), quod credentes nullius rei proprietatem habebant etiam in communi, scripturis praedictis etiam contradicit expresse, cum dicat, quod illis scilicet credentibus omnia, quae possidebant, erant communia inter eos; et quod illa communio quoad dominium seu proprietatem intelligi debeat, ex eo patet, quod illud, quod prius ante conversionem iudaeorum ipsis fuerat proprium, postquam credentes effecti sunt, fuit inter eos communicatum: constat autem, quod illa, quae possidebant ante conversionem, erant illis quantum ad dominium propria; alias enim illis communicare non poterant. Quare sequitur, quod fuerunt quoad proprietatem seu dominium inter eos communicata. Quod de rebus non consumptibilibus usu scriptura praedicta Actorum cap. 4 dicit aperte, nisi violentia sibi fiat. Cum enim dixisset: *Nec quisquam eorum, quae possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia,* parum post sequitur: *Nec quisquam egens erat inter eos;* et causam huiusmodi volens reddere subdit: *Quotquot enim erant possessores agrorum et domorum, vendentes pretia portabant ante pedes apostolorum etc.* Cum igitur prius dicat, quod inter credentes omnia erant communia, et post subiungat, quod agri vendebantur et domus, evidenter apparet, quod illa communia, antequam venderentur, erant effecta; alias enim sequeretur, quod remansissent illorum, quorum prius fuerant, propria, et per consequens, quod ipsi ante illorum venditionem remansissent proprietarii: cuius tamen contrarium dicit scriptura praedicta, cum dicat: *Nec quisquam eorum, quae possidebat, aliquid suum esse dicebat.*

Ad illud autem, quod volens probare, quod rerum usu non consumptibilium credentes non habuerunt dominium etiam in communi, subiungit, scilicet: « Quia res non consumptibiles usu vendebant et ipsas nec in speciali nec in eorum communitate retinebant », dicimus, quod ex hoc non sequitur, quod ante venditionem illarum rerum non habuerunt dominium; sed bene sequitur, quod post venditionem illud non retinuerunt. Et hoc est ve-

---

ut inferius describetur, illatis, et ab omnibus gravaminibus, quae in futurum inferentur ei vel eorum alteri, de novo facere ac interponere et etiam publicare omni modo, iure et forma, quibus melius de iure potest: ibidem dedit, porrexit et praesentavit, et dat, porrigit et praesentat infrascriptum libellum, et dixit et protestatus fuit ac appellavit, provocavit et fecit, prout in ipso libello continetur. Cuius libelli tenor talis est:

Ego frater Michael ordinis fratrum Minorum generalis minister et servus, attendens, quod sacri evangelii testimoniis et legis divinae pagina caute reperitur et veri doctores sanctae Romanae ecclesiae asserunt et diffiniunt ac omnes sancti patres religionum institutores affirmant, normam secundum evangelium Christi perfecte vivendi fore in tribus consiliis principalibus evangelicis et apostolicis, videlicet in abdicatione proprietatis omnium rerum temporalium et renuntiatione propriae voluntatis ac castitatis custodia, constitutam; propter quod religiosi omnes, volentes praedicta tria evangelii consilia perfecte servare, vovent vivere in obedientia, sine proprio et in castitate. Et testante canone ista adeo sunt essentialiter annexa cuilibet religioni perfectae, ut contra ea nec summus pontifex possit licentiam indulgere, ut de abdicatione proprietatis et custodia castitatis habetur extra de statu monachorum (cap. *Cum ad monasterium* in fine). Et de istis tribus plene habetur et notatur in summa Hostiensis (extra de regula et transitu ad relig. § *Ad quid teneatur* et in iuribus ibi notatis). In hac enim observantia trium consiliorum concupiscentia oculorum, concupiscentia carnis et superbia vitae declinantur, ex quibus trahit originem omne peccatum. In cuius rei testimonium beatus pauperum patriarcha Franciscus in principio suae regulae per sanctam Romanam ecclesiam dudum et pluries approbatae et confirmatae dicta tria consilia et vovenda tamquam religionis fundamenta proponit, dicens: *Regula et vita fratrum Minorum haec est, scilicet domini nostri Iesu Christi sanctum evangelium observare, vivendo in obedientia, sine proprio et in castitate.*

Porro diebus istis novissimis, quibus evangelicae veritatis fulgor illuxerat, dominus Ioannes, qui se Ioannem papam XXII appellat, tres constitutiones haereticales edidit et publice promulgavit, quarum prima incipit: *Ad conditorem*, secunda: *Cum inter nonnullos*, tertia: *Quia quorundam*. Et in illa, quae incipit: *Ad conditorem*, probare intendens, quod fratres Minores secundum doctrinam evangelicam sine proprio vivere profitentes in rebus, quae usu consumuntur, non sunt censendi usuarii simplices, dogmatizat [quo constituitur *primus error*] sic dicens: *Quod autem quo ad res, quae usu consumuntur, non sint censendi usuarii fratres ipsi, ex subsequentibus liquet satis; dicere siquidem, quod in talibus rebus, quae usu consumuntur, usus iuris vel facti separatus a proprietate rei seu dominio possit constitui, repugnat iuri et obviat rationi;* et infra: *In rebus usu consumptibilibus nec ius utendi nec usus facti separati a rei proprietate seu dominio possunt constitui vel haberi.* Haec verba ipsius, quae sunt haeretica manifeste, quia sacrae scripturae et sacris canonibus et diffinitionibus sanctorum doctorum ac determinationi sanctae Romanae ecclesiae obviant manifeste. Quod autem sacrae scripturae repugnent, probatur per infrascripta. Primo per illud, quod legitur in Actibus apostolorum 2 et 4 cap., cum de multitudine credentium dicitur sic: *Omnes etiam, qui credebant, habebant omnia communia: possessiones et substantias vendebant et dividebant illa singulis, prout cuique opus erat;* et 4 cap. dicitur sic: *Multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una; nec quisquam eorum, quae possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia, quotque erant possessores agrorum aut domorum, vendebant et ponebant ante pedes apostolorum, et dividebantur singulis, prout cuique opus erat; et panes frangebant circa domos et sumebant cibum cum exultatione.* Haec ibi. Hoc autem vocubulum *suum* sancti doctores ecclesiae et religionum institutores exponunt sic: « suum, idest proprium » (ut patet XII, q. 1, cap. *Scimus* et cap. *Nolo* et cap. *Non dicatis*, et § *Si ergo*, et sanctus Augustinus circa principium regulae suae). Et glossa or. super verba *Habebant omnia communia* dicit: « In-

rum; per venditionem enim perfectam in ementes transtulerunt dominium, quare illud sibi non retinuerunt. Et si quaeratur, quare apostoli agros et domos non retinebant in Iudaea, sed potius illis venditis habebant eorum pretia in communi, respondet Melchiades papa, dicens: « futuram idest transituram ecclesiam in gentibus idest ad gentes apostoli praevidebant, idcirco praedia in Iudaea minime sunt adepti ». Et si dicatur, quod Melchiades videtur supponere, quod credentes etiam ante venditionem praediorum illa nequaquam habuerunt in communi, cum dicat, quod illa in Iudaea minime sunt adepti, dicimus, quod Melchiades pro tanto dixit apostolos in Iudaea non fuisse adeptos praedia, quia non sic adepti fuerunt ea, quod illa sibi intenderent retinere; et ideo non videbantur ea fuisse adepti, cum, qui sic rem adipiscitur, ut eam in continenti a se abdicare debeat, adeptus proprie non dicatur. Ex praedictis patet, quod apostolis fuit licitum, in Iudaea, si voluissent, retinere praedia; nec voto compulsi sunt, quod illa non retinuerunt, sed voluntate propria, quia se non contracturos moram ibi, sed transituros praevidebant ad gentes.

Ad illud autem, quod subsequenter dicit, quod res usu consumptibiles in communi credentes habebant et sic quilibet eorum habebat rerum usu consumptibilium usum facti, dicimus, quod, si intelligat, quod erant eis communia quoad proprietatem seu dominium, verum dicit: si vero intelligat, quod non fuerint communia quoad proprietatem seu dominium, sed tantum quoad simplicem usum facti, eum errare dicimus et sacrae scripturae contradicere supradictae. Et quod scriptura illa demonstrative supponat, res usu consumptibiles quoad proprietatem seu dominium credentibus fuisse communia, patet; dicit enim, omnia illis scilicet credentibus fuisse communia; et quia, qui omnia dicit, nihil excludit, sequitur, quod dictum illud etiam res usu consumptibiles comprehendat. Quaero ergo, quoad quid erant illis communia illa bona? Aut dicet iste haereticus, quod erant communia quoad usum facti aut quoad ius utendi seu usumfructum seu possessionem aut quoad dominium seu proprietatem; haec enim secundum decretalem illam *Exiit* in rebus temporalibus reperiri consueverunt: quod tantum verum est in rebus non consumptibilibus usu; quantum autem ad simplicem usum facti, quod res illae scilicet usu consumptibiles communes fuerint, dici nequaquam potest. Primo quidem, quia in rebus talibus scilicet usu consumptibilibus usus facti (sumendo usum proprie) locum habere non potest;

---

dicium fraterni amoris est, omnia possidere et nihil proprium habere ». Ex quibus verbis insinuatur aperte, quod nullius rei temporalis (nec usu consumptibilis nec usu non consumptibilis) proprietatem habebant, quia res non usu consumptibiles, scilicet possessiones, agros, domos et substantias (glossa: idest pecora) vendebant et ipsas nec in speciali nec in eorum communitate retinebant; illas autem res, quas lex (in instit. de usufruct. § *Constituitur*) usu consumptibiles esse testatur, scilicet pecunias pro pretio rerum venditarum acceptas et panes, de quibus ibi habetur mentio specialis, in communi habebant, et dividebantur singulis, prout cuique opus erat; et nullus ex eis aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Et sic quilibet eorum habebat usum rerum usu consumptibilium absque proprietate et dominio separatum. Ergo dicta assertio et doctrina in dicta constitutione contenta obviat scripturae divinae et omnem religionem habentem votum abdicationis proprietatis omnium rerum temporalium destruit et confundit, quia secundum hoc quilibet religiosus, quum uteretur rebus usu consumptibilibus, proprietarius censeretur. — Secundo ostenditur, quod dicta assertio scripturae divinae obviat ex eo, quod dicit Petrus (Math. 19): *Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te.* Quod non potest intelligi, quod apostoli reliquerunt omnia quantum ad usum, quia constat ex scriptura sacra, quod postea rebus usu consumptibilibus utebantur. Ergo reliquerunt omnia tam usu consumptibilia quam non consumptibilia usu quantum ad dominium et proprietatem, ut probatur XII, q. 1, cap. *Dilectissimis*, quia, qui dicit omnia, nihil excipit. Et s. Gregorius super illud: *relictis retibus secuti sunt eum etc.* dicit: « Multum reliquit, qui sibi nihil retinuit, qui, quantumlibet parum, totum deseruit ». Ergo dicere, quod usus rerum usu consumptibilium non potest a proprietate et dominio separari, divinae scripturae repugnat. Confirmatur hoc, quia apostoli abdicationem omnium rerum voverunt secundum Augustinum l. 17 de civitate Dei, ad quorum exemplum religiosi, qui figuram tenent apostolorum, ut dicitur XXVI q. 1, cap. *Ex authoritate*, voverunt abdicationem omnium rerum temporalium. Sed si apostoli non voverunt, nec religiosi vovent abdicationem omnium rerum temporalium quantum ad usum. Ergo apostoli voverunt, et alii religiosi vovent abdicationem proprietatis et dominii omnium rerum consumptibilium et non consumptibilium usu. — Tertio ostenditur, quod dicta assertio scripturae divinae repugnat. Nam sicut habetur Numerorum cap. 28 et Levit. cap. ult., dominium decimarum sive de pomis sive de frugibus terrae, quas res usu consumptibiles esse constat, fuit et est ministrorum Dei. Ergo usus rerum consumptibilium potest a proprietate et dominio separari et eius oppositum scripturae divinae obviat manifeste. — Quarto ostenditur, quod dicta assertio vitam Christi et apostolorum eius impugnat, quia perfectio paupertatis, sicut aliae perfectiones consiliorum evangelicorum, fuit in Christo et apostolis perfectissime. Et constat, quod paupertas evangelica proprietatem et dominium rerum usu consumptibilium excludit, quia excludit sollicitudinem, quam requirit proprietas seu dominium rerum: sicut plene probant authoritates in appellatione prolixa [i. e. in forma maiori] inductae. Sed paupertas evangelica non excludit usum rerum usu consumptibilium: ergo usus rerum usu consumptibilium potest a proprietate earum et dominio separari. — Quinto ostenditur, quod dicta doctrina vitae apostolorum repugnat, quia quantum ad abdicationem rerum temporalium fuerunt apostoli ad dignitatem primi hominis revocati secundum beatum Remigium, et plene probatur per authoritates et canones in appellatione prolixa allegatos. Sed si primus homo et posteri eius stetissent, habuissent usum rerum usu consumptibilium sine proprietate et dominio earundem secundum beatum Clementem (et ponitur XII, q. 1, *Dilectissimis*). Ergo dicere, quod in rebus usu consumptibilibus non potest usus a proprietate et dominio separari, est vitam apostolorum et religiosorum, apostolos in abdicatione proprietatis omnium rerum imitantium, impugnare. — Item Luc. 19 dicitur de domino, qui dedit servis suis pecuniam numeratam,

usus enim sumptus proprie requirit, quod cum ipso usu substantia rei salva maneat, ut ex praedictis patet, quod in rebus usu consumptibilibus nequit esse. Item, quia usus facti sic est utentis proprius, quod non potest alterius dici nec communicabilis sibi; patet enim, quod actus comedendi sic erat sibi proprius, quod non poterat dici aliis esse communis; quare et communio praedicta non potest intelligi quoad simplicem facti usum. Rursus, quia usus facti communitati non convenit, cum talis usus personam veram requirat et exigat, quam non gerit communitas, sed potius imaginariam seu etiam repraesentatam. Adhuc dici non potest, quod respectu iuris utendi seu ususfructus dicta communio possit dici, cum in rebus talibus scilicet usu consumptibilibus iura praedicta (scilicet ius utendi seu ususfructus) constitui nequeant, ut ex eorum definitionibus, quas ponit dicta constitutio *Ad conditorem*, patet. Item nec quoad possessionem dicta communio potest dici, quia, si loquamur de possessione, quae iuris est, illa communis inter credentes secundum eum esse non potuit, cum ipse asserat, apostolos nullum ius habuisse in istis temporalibus, sed tantum simplicem facti usum. Si autem loquamur de possessione, quae facti est, illa sic est cuiuslibet possidentis propria, quod non est communis alicui nec etiam communicabilis, sicut de usu facti dictum est supra: quare sequitur, quod res illae usu consumptibiles, quae inter ipsos erant effectae communes, quoad proprietatem et dominium sint communes inter ipsos effectae.

Quantum autem ad illud, quod postea iste haereticus dicit, videlicet: « Et sic quilibet eorum habebat usum rerum usu consumptibilium absque dominio et proprietate sive a proprietate et dominio separatum », dicimus, quod istud infert ex falsa suppositione, quam fecerat prius; dixerat enim superius, quod res usu consumptibiles inter credentes erant communes tantum quoad simplicem facti usum; et ex hoc concludit, quod quilibet eorum absque dominio et proprietate habebat rerum usu consumptibilium usum facti: unde, cum primum sit falsum, scilicet quod res usu consumptibiles essent communes inter credentes tantum quoad simplicem facti usum, immo erant communes quoad proprietatem seu dominium, ut superius est probatum, patet, illud, quod ex eo concluditur, esse falsum, scilicet quod quilibet haberet in rebus talibus simplicem usum facti. Primum patet falsum alia ratione, quia usus facti nequit haberi ab aliquo, ut superius est ostensum.

Ad illud vero, quod dicit iste haereticus, quod

---

quod dixit servo: *Quare non dedisti pecuniam ad mensam, et ego veniens cum usuris exegissem illam.* Ex qua auctoritate patet, quod in dicta pecunia servus usum actualiter habebat et habere poterat, et dominus proprietatem eiusdem. Unde, cum pecuniam esse de rebus usu consumptibilibus lex praedicta aperte testetur, sequitur, quod haec doctrina evangelio contradicit. — Sexto ostenditur, quod dicta assertio determinationi sanctae Romanae ecclesiae obviat et repugnat, quia in decretali, quae incipit: *Exiit qui seminat*, per universalem ecclesiam approbata et Viennense concilium confirmata, diffinitur, quod fratres Minores habent usum facti omnium rerum, quibus utuntur absque omni dominio et proprietate, de quo usu dicitur sic: « Qui usus non iuris, sed facti tantummodo nomen habens, quod facti est, tantum praebet in utendo utentibus, nihil iuris ». Sed manifestum est, quod fratres Minores habent usum facti rerum usu consumptibilium : ergo in rebus usu consumptibilibus potest usus facti a proprietate et dominio separari. — Allegationes et authoritates pro praedictis in appellatione prolixa perfectissime continentur. Ista eadem conclusio, scilicet, quod usus facti in rebus usu consumptibilibus potest a proprietate et dominio separari, declaratur in appellatione eadem per iura canonica et civilia copiose et etiam per multa exempla, scilicet de servo, filiofamilias, religiosis, nunciis dominorum et habente vestem accomodatam, qui habent usum rerum sine proprietate et dominio earundem.

Secundus error in praedicta constitutione *Ad conditorem* contentus describitur in haec verba: *Rursus nec simplex usus facti, qui nec est servitus nec pro illo competit ius utendi, in talibus rebus usu consumptibilibus potest constitui vel haberi. Cum enim uti re aliqua nihil aliud sit proprie, quam fructus rei seu utilitatem aliam in solidum vel pro parte recipere, quae ex ea salva rei substantia possunt provenire, restat, quod re illa uti quis nequeat, ex qua salva eius substantia nulla possit sibi obvenire utilitas, quales res usu consumptibiles esse constat. Ex quibus patet, quod nec usus, qui est servitus personalis, nec ius utendi, quod non est servitus, sed mere ius personale, nec actus ipse utendi sine iure aliquo possunt in rebus usu consumptibilibus constitui vel haberi, cum quodlibet praemissorum exigat, quod ex re ipsa salva rei substantia possit habenti ius utendi seu utenti ex ipsa re utilitas aliqua provenire: quod utique nequit in rebus usu consumptibilibus reperiri.* Et infra: *Licet autem in rebus usu consumptibilibus nec ius utendi nec ipsum uti possit constitui vel haberi, ipsis tamen poterit quis abuti. Abuti autem, dum tractatur de rebus usu consumptibilibus, pro consumptione rei sumitur, quod ei opponitur, quod est uti. Uti quidem praesupponit, quod cum usu salva rei substantia maneat; sed abuti exigit, quod cum actu huiusmodi rei substantia consumatur: cum abuti nihil aliud quam contra naturam usus uti in hac materia dici possit.* Haec verba eius. Ex quibus patet, quod dictus dominus Ioannes erronee dogmatizat, quod nec usus facti nec actus utendi potest in rebus usu consumptibilibus haberi et quod nullus huiusmodi rebus usu consumptibilibus uti potest, quamvis eis possit abuti abusu, qui contra naturam usus existit. Quae quidem doctrina sacrae scripturae obviat manifeste. Nam Levit. cap. ult. dicitur, quod *omnes decimae terrae sive de frugibus sive de pomis arborum Domini sunt;* et Numeror. cap. 18 dicitur: *Nihil aliud possidebunt, decimarum oblatione contenti, quas in usus eorum et necessaria separavi.* Ex quo patet, quod usus in rebus usu consumptibilibus Dei statuto habetur; et ubicunque scriptura sacra de usu rerum usu consumptibilium loquitur, semper manifestat, quod quis rebus usu consumptibilibus uti potest: et quod eis proprie et veraciter uti contingit, sicut patet ep. ad Timoth. cap. 5: *modico utere vino;* et l. II Reg. cap. 13: *filiae regis virgines huiusmodi vestibus utebantur;* et Numeror. cap. 18: *universa frugum initia, quae gignit humus et Domino deportantur, cedent in usus tuos*; et parum post: *carnes vero in usum tuum cedent;* et Iudic. cap. 19: *habentes panem et vinum in meos*

dicta doctrina, scilicet quod in rebus usu consumptibilibus usus iuris vel facti a proprietate seu dominio separatus non potest constitui nec haberi, omnem religionem habentem votum abdicationis proprietatis rerum temporalium destruit et confundit, quia secundum hoc quilibet religiosus, quando uteretur rebus usu consumptibilibus, proprietarius censeretur, dicimus, quod mentitur aperte. Omnes enim religiones praeterquam beati Francisci, quarum professores ad vivendum sine proprio astringuntur, confitentur, se habere posse secundum suas regulas et habere etiam tam res consumptibiles quam non consumptibiles quoad proprietatem et dominium in communi, licet aliqua statuta superaddita regulis quantum ad aliqua immobilia suas regulas duxerint restringendas: quarum professores dici non possunt uti rebus consumptibilibus usu, si usus proprie sumatur, ut superius est probatum; possunt tamen res huiusmodi consumere, utpote vinum bibendo et panem comedendo et sic de aliis. Sed per actum consumendi talia non sunt censendi proprietarii, cum ipsa non ut propria consumere, sed ut communia sunt dicendi, actusque consumendi res huiusmodi nequaquam a communi dominio separantur; sicut, si duo habentes panem communem illum indivisum comederent, neuter propter hoc panis, quem comederet, proprietarius fieret nec diceretur comedisse proprium, sed communem.

Videtur etiam, quod probabiliter possit dici, quod post distributionem bonorum usu consumptibilium, quae fiebat inter apostolos et credentes alios, ut dicitur Actorum cap. 2 et 4, quilibet portionis sibi assignatae proprietarius et dominus posset dici; et hoc scriptura praedicta Actorum cap. 4 videtur expresse supponere, cum dicit: *Nec enim quisquam egens erat inter ipsos*, et quare hoc? reddit rationem subiungens: *Quotquot enim possessores agrorum et domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quae vendebant, et ponebant ante pedes apostolorum; dividebant autem singulis, prout unicuique opus erat.* Cum ergo dicat, quod nullus egens erat pro eo, quod unicuique dividebatur, prout opus erat, supponit aperte, quod id, quod unicuique dabatur divisum, cuiuslibet erat proprium; dividere enim est divisim aliquibus diversas partes rei alicuius dare. Cum ergo daretur ab illis, qui dare poterant, scilicet apostolis, et illis, qui recipere poterant ea, quae ad vitae humanae sustentationem pertinebant, videtur, quod dominus quilibet fuerit eius portionis, quae sibi fuerat assignata; alias non videretur verum, quod dicitur,

---

et ancillae tuae usus; et Deuteron. cap. 23 in fine; et Iosue cap. 5 ibi: *Nec usi sunt ultra etc.;* et Levitic. cap. 7: *in usus varios;* et Hester cap. 2 et Hexod. cap. 23. Item etiam patet per authoritates sanctorum, scilicet Clementis (XII, q. 1, cap. *Dilectissimis*) et Augustini (et ponitur 41 di. cap. *Quisquis rebus*). Hoc etiam probatur plenius per iura canonica et civilia in appellatione prolixa, in qua diffuse ostenditur etiam per rationes et leges, quod usus, qui est actus utendi, potest esse rerum usu consumptibilium et quod eis uti proprie contingit. Item dicere, quod sunt aliquae res usu consumptibiles et tamen non contingit uti illis, contradictionem implicat manifestam, quia, si sunt aliquae res usu consumptibiles, necessario contingit uti rebus illis. Praeterea secundum Augustinum (cap. primo de doctrina christiana) abusus est illicitus usus; sed secundum apostolum, qui cum gratiarum actione utitur cibo, non illicite utitur illo: ergo non abutitur cibo. — Unde ex praedicto errore sequi videtur, quod Christus et apostoli et alii sancti viri, quoties actus comedendi et bibendi et induendi exercuerunt, toties rebus huiusmodi sunt abusi; et quoties fideles christiani sumunt sacramentum corporis et sanguinis Iesu Christi sub speciebus panis et vini, quas fore de rebus usu consumptibilibus manifestum existit, toties illis speciebus accidentium abutuntur: quod dicere vel sentire est impium et blasphemum. Nec valet dicere, quod abuti sumitur pro consumptione rei: tum quia, quod sic debeat accipi, nulla ratione nec auctoritate probatur, tum quia abuti re univoce semper accipitur in mala significatione, sicut patet libro Genesis cap. 34 et Ex. ult. et ep. I ad Corinth. cap. 9 et in aliis pluribus locis. Item illa diffinitio, quam dat de uti, non est vera diffinitio eius, nec est consona diffinitionibus sanctorum, quas dant de uti. Praeterea, quibus non contingit uti, nec abuti contingit, quia, cum uti et abuti sint contraria, nata sunt fieri circa idem. Si ergo non contingit uti rebus usu consumptibilibus, non contingit eis abuti. Insuper dicta ratio obviat determinationi sanctae Romanae ecclesiae dicenti in saepedicta decretali *Exiit* sic: *In his, quae ad victum, vestitum (quas res usu consumptibiles esse constat) et divinum cultum et sapientiale studium pertinent, necessarium usum rerum fratribus esse concessum.* Ex quibus verbis colligitur expresse, quod contingit uti rebus pertinentibus ad victum et vestitum. Rationes et auctoritates praedicta plene probantes in appellatione prolixa plene continentur.

Tertius error contentus in dicta constitutione *Ad conditorem* describitur in haec verba: *Praeterea, si simplex usus facti absque iure utendi habere possit ab aliquo, constat, quod non iustus esset actus utendi reputandus, cum ille usus fuerit, cui ius non competebat utendi. Talis autem usus non iustus ad perfectionis statum nequaquam pertinet nec perfectioni aliquid adiicit, sed sibi repugnare potius ac detrahere manifeste noscitur.* Et infra loquens de usu concesso fratribus, secundum quod in ordinatione decretalis *Exiit* continetur, dicit sic: *Ex quo sequitur, quod usus facti, de quo ordinatio loquitur, de tali intelligi debeat, qui iustus sit, idest, pro quo competat ius utendi.* Haec verba eius. Quae quidem dicta ipse intelligit de iure civili et mundano, quod est ius proprium, pro quo competit actio in iudicio, sicut patet in dicta constitutione *Ad conditorem;* et in tertia, quae incipit: *Quia quorundam*, de qua dicitur inferius, manifestat aperte. Sed hoc obviat scripturae sacrae, quae Matth. cap. 19 loquens de apostolis et eorum perfectione dicit sic: *Ecce nos reliquimus omnia etc.* Ex qua secundum doctores catholicos patet, quod reliquerunt ius agendi in iudicio, quod non stat cum tali perfectione supererogationis, quia implicat ad peccatum, sicut probat apostolus ep. prima ad Corinth. cap. 6 dicens: *iam quidem omnino delictum est in vobis, quia iudicia habetis inter vos;* et ideo Christus iniungit perfectis, *ut non litigent neque contendant in iudicio* (Matth. 5 et Luc. 6). Praeterea nullus de multitudine credentium ius proprium habebat, ut dicitur Act. cap. 4, et tamen constat, quod quilibet apostolorum et illorum ex multitudine credentium habebat usum rerum usu consumpti-

quod egentes non erant, nisi plus post divisionem haberent in assignata sibi portione, quam ante. Praeterea constat, quod vestimenta quotidiana inter res usu consumptibiles computantur, post communionem autem praedictam, de qua fit mentio in praeallegato cap. Actorum 4, in Actis legitur, quod angelus Petro dixit: *Praecingere et calcea te caligas tuas*: item dixit ei: *Circumda tibi vestimentum tuum etc.*, ubi clare supponit angelus, quod caligae et vestimenta assignata Petro propria quoad dominium erant Petri. Quare videtur, quod pecunia, panis, vinum et vestimentum et res aliae usu consumptibiles sibi divisim pro vitae sustentatione assignatae similiter eius erant. Nec votum vivendi sine proprio videtur, quod se extendat ad talia, quibus necessario eget vita humana. Praeterea ex illo cap. Actorum 4 probari non potest, quin credentes de bonis illis communibus ex divisione apostolorum licite recipere potuerint et ut proprium obtinere; scriptura enim praedicta, quantum ad hoc nihil aliud dicit, nisi quod sequitur: *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una; nec quisquam eorum, quae possidebat, aliquid suum esse dicebat; sed erant illis omnia communia.* Per verba autem ista videntur isti omnium, quae possidebant, a se dominium abdicasse et illud transtulisse in communitatem; non autem videntur se astrinxisse, quin, si detur eis de bonis illis communibus quoad sustentationem vitae suae, possint licite recipere et ut propria retinere, immo hoc scriptura praedicta satis supponit aperte, cum dicit: *Dividebatur autem cuique, prout opus erat;* dividere autem est, ut sicut praedictum est, alicuius rei diversas partes alicui dare.

Item ad probandum, quod asserere, quod in rebus, quae usu consumuntur, non possit haberi usus a dominio separatus, obviat sacrae scripturae, adducit, quod Petrus Domino dixit (Matthaei 19): *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te;* quod secundum eum non potest intelligi, quod apostoli reliquerint omnia quantum ad usum, quia constat ex scriptura sacra, quod postea rebus usu consumptibilibus utebantur. « Ergo reliquerunt omnia tam consumptibilia quam non consumptibilia usu quantum ad dominium et proprietatem, ut probatur, ut ipse dicit, XII, q. 1, cap. *Dilectissimis;* quia, qui omnia dicit, nihil excipit, et sanctus Gregorius super illo verbo *Relictis retibus* dicit: « Multum reliquit, qui sibi nihil retinuit, et qui, quantumlibet parum, totum deseruit ». Ergo dicere, quod usus rerum usu consumptibilium non possit separari a proprietate et dominio, sacrae

---

bilium, et non habebant ius civile et mundanum. Ergo dicere, quod non possit haberi usus facti absque tali iure utendi, contradicit scripturae sacrae. Praeterea etiam talis assertio diffinitioni sanctae Romanae ecclesiae (positae in dicta decretali *Exiit*) obviat manifeste. Quod patet ex pluribus. Primo ex eo, quod dicta decretalis *Exiit* dicit, quod *in rebus temporalibus est considerare proprietatem, possessionem, usumfructum, ius utendi et simplicem facti usum: et, cum ultimo tanquam necessario egeat, licet duobus primis carere possit vita mortalium, nulla prorsus potest esse professio, quae a se usum necessariae sustentationis excludat.* Ex quibus verbis clare patet, quod vita mortalium potest licite carere proprietate, possessione, usufructi, iure utendi, et contenta esse simplici usu facti rerum temporalium necessariarum ad vitam; et ita potest haberi simplex usus facti absque iure utendi secundum ecclesiae determinationem. Secundo ex eo, quod in eadem ecclesiae diffinitione insinuatur, quod *nec per hoc, quod proprietatem usus et rei cuiuslibet dominium abdicasse videtur, simplici usui renunciatum esse convincitur.* Ex quibus verbis clare patet, quod dicta professio fratrum Minorum ius proprium abdicavit et per consequens ius utendi civile, quod est proprium ius: et sic habent simplicem usum facti absque tali iure utendi. Tertio ex eo, quod in eadem decretali dicitur sic: *Qui, inquam, usus non iuris, sed facti tantummodo nomen habens, quod facti est tantum in utendo, praebet utentibus nihil iuris.* Ex quibus verbis patet, quod licet habere usum licitum absque iure utendi. Item usus facti licitus fuisset in statu innocentiae, in quo non fuisset ius utendi per leges civiles introductus: ergo usus facti licitus potest a tali iure utendi civili, de quo iste loquitur, separari. Nec ex hoc, quod usus separari potest a iure utendi, sequitur, quod ille usus esset iniustus, quia aliud est ius utendi et aliud habere licentiam utendi: et ideo, quamvis usus absque omni iure et licentia utendi esset illicitus, usus tamen absque iure utendi, cum licentia tamen utendi, non est illicitus. Et praedicta omnia per iura et rationes in appellatione prolixa contenta plene probantur. Ex praedictis patet, quod ipse errat, cum dicit, quod ordinatio domini Nicolai III debet intelligi de usu, pro quo competit ius utendi, quia non debet intelligi de usu, pro quo competit ius utendi, sed de usu, pro quo competit licentia utendi.

Quartus error exprimitur in his verbis: *Praeterea, quod simplex usus idest sine iure utendi a proprietate seu dominio separatus in re usu consumptibili haberi nequeat, sic probatur: Si enim haberi possit talis usus, aut ante actum ipsum aut in ipso actu aut post completum actum huiusmodi habetur. Quod autem hoc fieri nequeat, ex hoc patet, quia, quod non est, nequam haberi potest; patet autem, quod actus ipse, antequam exerceatur, aut etiam dum exercetur, aut postquam perfectus est, in rerum natura non est. Ex quo sequitur, quod haberi minime potest. Licet enim ante actum ipsum quis facultatem habeat exercendi ipsum, per hoc tamen actus ipse in rerum natura nisi in potentia non existit. Cum autem actus ipse est in fieri, nec adhuc est in rerum natura: cum esse rem perfectam significet, quod, quamdiu est in fieri, non potest actui convenire. Quod enim de actu, qui est in fieri, praeteriit, iam non est; quod autem fit in praesenti, instantaneum seu momentaneum est et tale, quod magis intellectu percipitur quam sensu. Adhuc post completum actum, licet, si ex ipso facto producta res aliqua fuerit, res ipsa haberi valeat, factum tamen ipsum, quod iam transiit, non habetur.* Haec verba eius. In quibus includitur dictum et ratio dicti: dictum scilicet, quod simplex usus idest sine iure utendi a proprietate seu dominio separatus in re usu consumptibili haberi non potest; quod constat esse haereticum per rationes contra primum et tertium errores introductas. Ratio autem dicti destruit gesta Christi et apostolorum, quae scriptura sacra eos fecisse testatur, et etiam gesta fidelium, quia, si ratio ista concluderet, sequeretur, quod Christus nec comedit nec bibit nec praedicavit nec pedes discipulorum lavit; quia per eandem rationem diceretur, si aliquod istorum fecit, aut ante

scripturae obviat et repugnat. Et confirmatur hoc, sicut dicit, quia apostoli abdicationem omnium rerum voverunt secundum Augustinum l. XVII de civit. Dei, ad quorum exemplum religiosi, qui figuram tenent apostolorum, ut dicitur XVI, q. 1, cap. *Ex auctoritate*, vovent abdicationem omnium rerum temporalium, non tamen quantum ad usum: quare sequitur secundum eum, quod apostoli voverunt et religiosi vovent abdicationem dominii et proprietatis omnium rerum usu consumptibilium et non consumptibilium usu ». Haec dicta eius. Ad hoc est dicendum, quod per illa verba: *Ecce nos reliquimus omnia etc.* non potest concludi, quod quoad dominium seu proprietatem reliquerunt ea; reperimus enim haec verba dicta de Petro, Iacobo et Ioanne Lucae cap. 5, ubi dicitur, quod subductis ad terram navibus relictis omnibus secuti sunt eum; et tamen post illa verba legitur Matthaei cap. 4, quod Iesus ambulans iuxta mare Galilaeae vidit Petrum et Andream mittentes retia in mare, quibus ait: *Venite post me et faciam vos fieri piscatores hominum; qui continuo relictis retibus secuti sunt eum;* et quod dictum Lucae 5 praecesserit illud, quod dictum est Matthaei 4, dicit Augustinus in libro de concordia evangelistarum expresse. Item post id, quod legitur Matthaei 4, habetur Matthaei 8, quod *venit Iesus in domum Petri:* ergo domus adhuc remanserat Petri. Item Matthaei 26 legitur, quod *unus ex his, qui erant cum Iesu* (videlicet Petrus, ut dicitur Ioannis 18), *exemit gladium et percutiens servum principis sacerdotum amputavit auriculam eius*, ad quem Iesus ait: *Converte gladium tuum in locum suum:* ergo gladius erat Petri. Item Lucae 22 dictum est Petro et aliis apostolis: *Qui habet sacculum, tollat similiter et peram, et qui non habet (scilicet gladium), vendat tunicam suam et emat gladium.* Item Actorum 12 dixit angelus Petro: *Praecingere et calcea te caligas tuas;* idem dixit ei: *Circumda tibi vestimentum tuum, et sequere me.* In quibus verbis sacra scriptura evidenter supponit, quod post illa verba posita Lucae 5 de Petro, Iacobo et Ioanne: *relictis omnibus secuti sunt eum*, scripturae sacrae praedictae supponunt, eum et retia et domum et (post illa Petri: *Ecce nos reliquimus omnia*) etiam gladium et vestes habuisse ut sua: quare relinquitur, quod post illa verba *relictis omnibus secuti sunt eum* non potest concludi, apostolos se dominium omnium temporalium abdicasse. Item de Matthaeo legitur Lucae 5, quod, cum Iesus dixisset Matthaeo: *Sequere me*, quod ipse surgens relictis omnibus secutus est eum, statim sequitur, quod Mat-

---

actum aut post ipsum actum aut in ipso actu secundum dictam divisionem: non ante actum, quia ante actum nullum istorum fuit, quia ante actum comedendi, bibendi, praedicandi, ambulandi et orandi actus ipsi in rerum natura nisi in potentia non existebant: unde ante actum bibendi, comedendi etc. non comedit nec bibit etc.; nec post actum, quia post actum nullum istorum exercuit; nec in ipso actu, quia pars istorum, quae praeterierat, iam non erat, et pars, quae futura erat, nondum erat; illud autem, quod erat in instanti, non erat aliquid ipsorum actu sed potentia, quod magis percipitur intellectu quam sensu: quia comedere et bibere etc. non sunt in instanti, sed in tempore; similiter omnia gesta Christi non fuerunt in instanti, sed in tempore. Ergo, si dicta ratio concludit, sequitur, quod Christus nihil gessit corporaliter in hoc mundo de his, quae sacra scriptura eum gessisse testatur. Et eodem modo sequitur de omnibus apostolis et aliis sanctis fidelibus: quod dicere vel sentire est haereticum et insanum. Unde ad talem sophisticam rationem non oportet aliter respondere, nisi sicut respondetur 4 Physic.: « ad sophisticas rationes probantes non esse tempus nec motum », quia haec sophistica ratio eadem est cum illis. — Praeterea per istam rationem eodem modo sequeretur, quod usus rerum usu consumptibilium non potest esse coniunctus cum proprietate et dominio, sicut quod non potest separari. Nam si potest esse coniunctus cum proprietate et dominio, ergo talis actus utendi potest haberi; quod non est possibile secundum istam rationem, quia nec ante actum nec in ipso actu nec post actum completum. Praeterea, si ista ratio concluderet, aeque concluderet de rebus usu non consumptibilibus, quod non contingeret eis uti, quia nec ante actum nec in ipso actu nec post actum completum. Et praedicta inconvenentia, quae sequuntur ex ipso errore, cum rationibus et allegationibus in appellatione prolixa plenius explicantur. — Ex praedictis etiam et aliis contra primam haeresim et tertiam annotatis patet, haereticum esse, quod post praedicta subiungit dicens: *Praeterea si in rebus usu consumptibilibus possit usus constitui vel haberi, nequaquam simplex nec a rei proprietate seu dominio possit dici separatus, cum per talem usum idest utendi actum et in ipso actu et cum ipso actu res huiusmodi consumatur, ac in ipsius rei exerceatur substantia, nec sine ipsius rei consumptione esse valeat talis usus. Ex quo patet, quod usus talis nec simplex nec separatus a dominio potest dici.* Haec verba ipsius. Quae, ut supra dictum est, sacrae scripturae repugnant et determinationi ecclesiae, per quam patet, quod fratres Minores habent usum rerum usu consumptibilium et non consumptibilium usu absque dominio et proprietate. Et in ratione sua falsum assumit, cum dicit, quod per talem usum idest actum utendi et in ipso actu et cum ipso actu huiusmodi res consumatur (intelligendo, quod statim ultimate consumatur in ipso actu et cum ipso actu), quia manifestum est, quod vestes non statim in primo actu utendi ultimate consumantur; sic etiam panis non statim in principio actus immediate consumitur omnino. Et sicut non est inconveniens, quod dominus habeat dominium servi actu comedentis, ita non est inconveniens, quod habeat dominium cibi vel panis existentis in ore comedentis servi.

Quintus error sumitur ex verbis ipsius constitutionis *Ad conditorem*, cum volens probare, quod reservatio dominii per ecclesiam facta de rebus, in quibus fratres Minores habent simplicem facti usum, non profuit, sed obfuit, ipsis fratribus, dicit in haec verba: *Ipsis quidem fratribus quantum ad statum perfectionis nequaquam profuit reservatio supradicta dominii quantum ad hoc, quod propter carentiam talis dominii verbalis, nudi et aenigmatici se pauperiores dicere valeant, quam si res illas cum illo, quo se dicunt carere, dominio possiderent;* et infra: *Talis enim dominii carentia re in praesenti ac spe in futurum denudati omni temporali commodo pauperiorem non efficit non habentem;* et infra: *Nolentes imposterum sub praetextu seu pallio talis dominii verbalis, nudi ac aenigmatici fomentum tantis malis, quanta procedunt ex simulatione huius-*

thaeus, qui Levi dicebatur, magnum convivium fecit ei in domo sua: unde patet, quod quantumque de eo dicat scriptura, quod relictis omnibus secutus est eum, non sequitur, quod quoad dominium reliquerit ea, cum statim subditur, quod in domo sua fecerit magnum convivium. Et propter hoc Matthaei 19, cum Dominus dixisset uni, qui non erat de discipulis: *Si vis perfectus esse, vende omnia, quae habes, et da pauperibus et habebis thesaurum in coelo: et veni sequere me*, Petrus dixit: *Ecce nos reliquimus omnia etc.;* non dixit: « nos vendidimus omnia et dedimus pauperibus », sed dixit: *Nos reliquimus omnia.* Possunt enim res temporales relinqui quoad curam et affectionem illarum sine dominii abdicatione vel *reliquimus omnia* scilicet praeter illa, sine quibus non potest haec vita transiri, sicut sunt alimenta vel pro alimentis necessaria: quibus non est verisimile, quod ipsis renuntiaverint, ut probant scripturae praedictae et aliae multae, de quibus dicetur latius infra in obiectionibus, quas iste haereticus facit contra constitutionem *Cum inter.* De Iacobo autem et Ioanne dicitur Marci 1, quod *relicto patre suo Zebedaeo in navi cum mercenariis secuti sunt eum.* Certe patrem non reliquerunt, ut ei renuntiaverint et pro patre postea non habuerint eum; immo eius filii remanserunt: quare illa verba non concludunt, quod per illa verba *Nos reliquimus omnia* intelligatur a se abdicasse omnia temporalia saltem illa, de quibus sacra scriptura dicit contrarium, quoad proprietatem et dominium.

Item non obstat cap. *Dilectissimis XII*, q. 1, quod pro se dictus haereticus adducit, in quo beatus Clemens scribit condiscipulis suis Ierosolymis habitantibus cum beato Iacobo Ierosolymitano; aequiparat statum apostolorum et ipsorum discipulorum ac Iudaeorum Ierosolymis post missionem sancti Spiritus conversorum quantum ad modum habendi ista temporalia statui primorum parentum in statu innocentiae constitutorum: et dicit ibi quantum ad statum praedictum primorum parentum, quod communis usus omnium, quae sunt in hoc mundo, omnibus hominibus esse debuit; sed per iniquitatem alius dixit hoc esse suum et alius illud, et sic inter mortales facta est divisio. Procul dubio ista scriptura supponit, quod, si primi parentes non peccassent, omnia communia fuissent quoad dominium seu proprietatem: quod patet in eo, quod dicit, quod per iniquitatem idest per peccatum primorum parentum alius dixit hoc esse suum et alius illud, et sic inter mortales facta est divisio. Haec autem divisio facta fuit eius rei, cuius prius erat

modi, ministrare, sancimus etc. Haec verba ipsius. Ex quibus clare patet, quod ipse haereticus dogmatizat, quod carentia dominii omni temporali commodo denudati ad statum perfectionis non pertinet nec pauperiorem non efficit non habentem et quod tale dominium omni temporali commodo denudatum verbale, aenigmaticum et simulatum existit. Qui error sacrae scripturae contradicit et veritati evangelicae et apostolicae et sanctae Romanae ecclesiae obviat et repugnat. Nam, ut ex scriptura divina superius est ostensum, apostoli et eos sequentes viri perfecti ex consilio Christi proprietatem et dominium rerum omnium temporalium reliquerunt, usu rerum necessariarum ad humanae vitae sustentationem, cui non est licitum renunciare, contenti. Constat autem, quod dominium, quod apostoli in rebus omnibus temporalibus, quarum usum habebant, ex Christi consilio reliquerunt, fuit omni temporali commodo (usu scilicet utili) denudatum, sicut manifeste patet in rebus, quorum proprietatem et dominium usu retento, prout evangelica testatur historia, reliquerunt, cum in consilio Christi dato de rebus temporalibus abdicandis proprietas et dominium earum, et non usus, ut superius ostenditur, includatur. Si ergo carentia talis dominii ad perfectionem non pertinet nec pauperiorem non efficit non habentem, ut dictus haereticus dogmatizat, sequitur, quod Christus simulatam et fallacem doctrinam tribuit volentibus ad perfectionem attingere, quod omnia temporalia quo ad proprietatem et dominium relinquerent, consulendo, et quod Augustinus et Hieronymus doctores ecclesiae et alii sancti patres religionum institutores erraverunt, qui dictum Christi consilium sequi volentes abdicationem proprietatis et dominii rerum omnium temporalium sunt professi. Praeterea scriptura sacra (Levit. cap. ult.) dicit: *Omnes decimae terrae sive de frugibus sive de pomis arborum Domini sunt et illi sanctificantur;* et (Numeror. cap. 18) loquens de perfectione Levitarum dicit: *Nihil aliud possidebunt, decimarum oblatione contenti, quas in usus eorum et necessaria separavi.* « In usus » inquit, et non « in dominium ». Ex qua scriptura patet, quod dominium omnium decimarum sive de pomis arborum sive de frugibus terrae, quas res de usu consumptibilibus esse constat, est Dei, et usus ministrorum ipsius. Et liquet, quod tale dominium Dei est omni temporali commodo denudatum. Ergo secundum dictam doctrinam haereticalem huiusmodi dominium Dei verbale, simulatum, aenigmaticum est censendum: quod dicere vel sentire est haereticum et insanum. — Praeterea ecclesia Romana in sacris canonibus docet, quod dominium rerum ecclesiae est Dei sive corporis eius mystici, quod est ecclesia; et usus et dispensatio earum est praelatorum ecclesiae. Et Augustinus in libro de facultatibus ecclesiae dicit, quod Dei sunt ea, quae ecclesiae conferuntur, et quod ipsae res, sive sint vestes sive alia vasa, sunt ad usum ministrorum eius. Romani etiam pontifices, qui hactenus fuerunt, in rebus temporalibus usu consumptibilibus et non consumptibilibus, quae fratribus Minoribus offeruntur, dantur vel conceduntur, dominium ecclesiae reservaverunt et retinuerunt, usu tantummodo simplicis facti ipsis fratribus relicto, diffinientes, quod carentia talis dominii est meritoria, sancta et perfecta, et quod Christus et apostoli viam perfectionis ostendentes abdicationem huiusmodi dominii docuerunt: et quod retentio sive reservatio talis dominii omni temporali commodo denudata, cum concessione usus facti pauperibus, non est infructuosa domino, cum sit meritoria ad aeterna et professioni pauperum opportuna, quae tanto censetur utilior, quanto mutat temporalia pro aeternis; sicut clare patet in diffinitione et determinatione ecclesiae in decretali *Exiit* in libro VI sub tit. « de verborum signific. » inserta et ab universali ecclesia recepta: et etiam per generale Viennense concilium sunt haec edita, ut in libro VII in decretali, quae incipit *Exivi de paradiso*, plenius continetur. Ex praedicto igitur errore sequitur, quod ecclesia catholica in praedictis erravit ac per consequens in articulum fidei *Et unam sanctam catholicam et apostolicam ecclesiam*, sub quo continetur, quod ecclesia catholica errare non potest in fide vel moribus, error praedictus vehementer impingit. Unde dicta doctrina est merito haeretica

communio; divisio autem facta est rerum et non usus simplicis facti, ut patet, quia alius dicebat hoc esse suum et alius illud; et non dicit, quod unus dicebat usum huius rei suum esse et alius alterius, sed dicebat unus rem aliquam et alius aliam esse suam: sicque patet, quod rerum quoad dominium, non quoad usum divisio facta fuit, et per consequens sequitur, quod ante divisionem quoad rerum dominia communio erat. Et hoc clarius per sequentia in eodem capitulo patet, ubi sequitur: « Et sicut non potest dividi aer neque splendor solis, ita nec reliqua, quae communiter data sunt omnibus hominibus ad habendum »; ubi manifeste dicit, omnia temporalia communiter data fuisse omnibus hominibus ad habendum: non dicit « quoad facti usum », sed dicit « ad habendum », quia usus facti haberi nullatenus potest, ut superius est probatum. Ergo si data fuerunt eis ab illo, scilicet a Deo, qui dare potuit, dicendum est, quod domini fuerunt effecti, quia dare est accipientis facere. Deinde subiungit b. Clemens sic: « Istius enim consuetudinis more retento apostoli eorumque discipuli una nobiscum et vobiscum communem vitam duxerunt; ut enim bene nostis, erat multitudinis eorum, scilicet credentium, cor unum et anima una: nec quisquam eorum aut nostrum de iis, quae possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed omnia vobis et illis erant communia ». In quibus verbis beatus Clemens supponit aperte, quod ante conversionem illorum Iudaeorum, de qua habetur Actorum cap. 2 et 4 mentio, apostoli et eorum discipuli aliqua possidebant, ibi cum dicit: « Apostoli eorumque discipuli una nobiscum et vobiscum (et loquitur Iudaeis conversis) communem vitam duxerunt »; et, in quo erat ista communis vita, declarat dicens: « Erat enim multitudinis credentium cor unum et anima una; nec quisquam eorum (scilicet apostolorum et ipsorum discipulorum, de quibus locutus est supra) aut nostrum (scilicet Iudaeorum) de iis, quae possidebat (ecce aperte dicit, quod apostoli et discipuli aliqua possidebant ante, sequitur), aliquid suum esse dicebat; sed omnia nobis (scilicet conversis) et illis (scilicet apostolis et eorum discipulis) erant communia »; sicque per dictum capitulum clare patet, quod ante conversionem Iudaeorum praedictam apostoli et eorum discipuli aliqua habebant et quod illa communicaverunt conversis Iudaeis, et Iudaei conversi communicaverunt apostolis et eorum discipulis similiter, quae habebant. Itaque quisquam eorum (scilicet apostolorum et discipulorum et Iudaeorum conversorum) eorum, quae possidebat, nihil suum esse dicebat, sed omnia erant communia inter ipsos.

---

iudicanda, tum quia scripturae sacrae, per quam fidei catholicae probantur articuli, contradicit, tum quia errorem ecclesiae catholicae imponit et eius doctrinae et diffinitionibus manifeste obviat et impugnat.

Sextus error sumitur in dicto statuto *Cum inter nonnullos* ex eo, quod ipse pronunciat et declarat *haereticum fore censendum affirmare deinceps, dominum nostrum Iesum Christum eiusque apostolos non habuisse aliqua in speciali nec in communi;* insuper *haereticum fore censendum affirmare, Christo et apostolis eius in his, quae eos habuisse sacra scriptura testatur, non competiisse ius utendi nec illa vendendi seu donandi ius habuisse aut ex ipsis alia acquirendi.* Quae quidem dicta de habere et competere iure proprietatis et dominii civilis et mundani, per quod contenditur et in iudicio litigatur, se intellexisse ex pluribus manifestat: tum quia in statuto *Quia quorundam* improbat expresse sententiam asserentium, quod abdicatio iuris in cuiuscunque rei proprietate et in eius usu, per quod potest sic utens pro huiusmodi usu quomodolibet contendere et in iudicio litigare, est meritoria et sancta et a Christo in se servata apostolisque imposita et ab ipsis sub voto assumpta; et pertinaciter asserit in eodem, quod nec Christus huiusmodi expropriationem omnis iuris in cuiuscunque rei proprietate et in eius usu servavit in se ipso nec etiam apostolis imposuit nec sub voto ab eis recepta fuit: adiiciens, quod evangelica seu apostolica historia expropriationem huiusmodi non docet, sed, ut asserit, contrarium evidentius manifestat; tum etiam, quia in hoc statuto *Cum inter nonnullos* includit evidenter, quod Christus et apostoli in his rebus, quae eos habuisse scriptura testatur, ius vendendi, donandi et alia ex ipsis acquirendi habuerunt: quod ius a iure humano fuisse introductum manifestum existit; tum quia in dicto statuto *Ad conditorem* asserit et dogmatizat expresse, quod in rebus usu consumptibilibus usus iuris vel facti non potest a proprietate seu dominio separari nec absque proprietate et dominio constitui vel haberi: quod ius testante canone a iure civili et mundano extitit introductum, unde, cum scriptura sacra quemlibet eorum habuisse alimenta et vestimenta testetur sive supponat expresse, sequitur secundum eum, quod Christus et apostoli non solum in communi sed etiam in speciali habuerint proprietatem et dominium civile et mundanum in rebus, quas eos habuisse sacra scriptura testatur; tum quia in pluribus aliis dictis de tali iure habendi se intellexisse apertissime declaravit; tum quia non revocabatur in dubium nec unquam fuit dubitatum, utrum Christus et apostoli habuerint res temporales in usu suo quantum ad usum, sed solummodo utrum habuerint quantum ad proprietatem; tum quia ad hoc, ut quilibet dicere possit libere, quod habuerint quantum ad proprietatem, pendente quaestione revocavit sententiam excommunicationis prolatam in decretali *Exiit* contra asserentes oppositum eius, quod diffinitur in ea.

Et de ipsa revocatione statutum edidit speciale, quod incipit: *Quia nonnunquam.* Ex quibus ipsum in duas haereses incidisse deprehenditur evidenter. Prima est, quia intelligit, quod Christus et apostoli non solum in communi sed etiam in speciali proprietatem et dominium rerum temporalium habuerunt, quod dictum omnem religionem, quae, volens doctrinam et vitam apostolicam sequi, vovet vivere sine proprio et testante canone in hoc figuram tenet apostolorum, destruit et confundit et omnes religiosos facit proprietarios etiam in speciali et sui voti transgressores, et doctrinae evangelicae et apostolicae et sanctae Romanae ecclesiae et omnium doctorum ecclesiae et sanctorum patrum institutorum religionum obviat manifeste. Secunda est, quia ipse determinationem et diffinitionem sanctae Romanae ecclesiae in praeallegata decretali *Exiit* positam et insertam et per praedictum generale Viennense concilium totius ecclesiae approbatam deinceps haereticam censendam iudicavit. In qua decretali ipsa sancta Romana ecclesia diffinit in haec verba: *Dicimus, quod abdicatio proprietatis omnium rerum tam in speciali quam in communi propter Deum meritoria est et sancta, quam et Christus viam*

Item in eo, quod dicit, quod apostoli post verba illa *Ecce nos reliquimus omnia etc.* usi sunt rebus consumptibilibus usu, dicimus esse falsum, quia in rebus usu consumptibilibus usus proprie sumptus haberi nequit nec illis aliquis potest uti, ut superius clare est ostensum. Item in eo, quod dicit beatum Augustinum dixisse, apostolos vovisse rerum omnium abdicationem, dicit falsum; hoc enim beatus Augustinus non dixit, sed, cum recitasset apostolos dixisse: *Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te*, subiunxit: « Hoc votum potentissime voverant ». Dic mihi haeretice, quod est illud votum, quod voverunt? Certe dici non potest, quod votum illud esset abdicationis dominii seu proprietatis omnium rerum temporalium, cum de hoc in praecedentibus seu subsequentibus nullam fecerit mentionem. Quod est ergo illud votum? Certe videtur, quod voverunt se dominum secuturos, de quo immediate mentio erat ibi: *Secuti sumus te*. Et si dicatur, quod immo voverant, se relicturos omnia et Dominum secuturos, quia ista verba praecesserant verba illa, cum dixisset: *Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te*, dicimus, quod non est verisimile, quod beatus Augustinus intellexerit, quod in voto huiusmodi (scilicet quod *reliquimus omnia*) intelligantur illa comprehensa, quae scriptura sacra eos postea asserit habuisse, sicut sunt, quae ipsos habuisse superius est probatum. Item non est intelligendum, quod beatus Augustinus intellexerit, quod ipsi apostoli voverunt non habere aliquid in communi, cum (intendens circa vitam apostolicam suam religionem fundare) loquens suis fratribus sic dixerit in regula sua: « Sit vobis anima una et cor unum, et non dicatis aliquid proprium: sed sint vobis omnia communia et distribuatur unicuique vestrum, prout opus erit »: et sequitur: « Sic enim legistis in Actibus apostolorum, quia erant eis omnia communia, et distribuebatur unicuique, prout opus erat ». Cum igitur b. Augustinus et eius fratres res habuerint et habeant in communi, non est revocandum in dubium, quin beatus Augustinus apostolos habuisse supposuerit in communi: quare per auctoritatem praedictam Augustini iste haereticus nequaquam potest concludere, quod apostoli voto abdicaverint omnium rerum dominium nec quod illud abdicaverint in proprio et in communi. - Item non obstat cap. illud XVI q. 1 (*Ex auctoritate*) per ipsum superius allegatum, immo facit potius contra ipsum; loquitur enim de monachis, qui, ut ibi dicitur, figuram tenent apostolorum. Constat autem, quod monachi habent mobilia et immobilia quoad proprietatem et dominium in communi, ut probatur XVII q. 2

---

perfectionis ostendens verbo docuit et exemplo firmavit, quamque primi fundatores militantis ecclesiae, prout ab ipso fonte hauserant, in volentes perfecte vivere per doctrinae ac vitae ipsorum alveos derivarunt. Haec ibi. Unde, cum testante canone ecclesia a recta fide et apostolicae doctrinae traditione deviare non valeat nec errare, et hoc, ut dictum est, ad articulum fidei *Et unam sanctam catholicam et apostolicam ecclesiam* reducatur, sequitur, quod ipse haereticus impingit in ipsum articulum fidei vehementer. Nec praedictae diffinitioni ecclesiae evangelica seu apostolica historia contradicit, ut asserit haereticus antedictus, sed potius consonat et alludit. Nam cum b. Petrus simpliciter et absolute pro se et omnibus apostolis viam perfectionis assumptae demonstrans responderit pro omnibus: *Ecce nos reliquimus omnia*, prout evangelica historia protestatur (et simpliciter et absolute dictum sit generaliter accipiendum, cum ex aliis praecedentibus vel subsequentibus, quod aliter accipi debeat, nullatenus reperitur), et utramque proprietatem seu singularem et collegialem collegii specialis quam alteram tantum relinquere perfectius censeatur, sequitur, quod integre et perfecte de utroque modo relinquendi, scilicet tam in speciali quam in communi, qui perfectior est, debet intelligi authoritas supradicta. Nec his obviare dignoscitur, quod in actibus apostolorum dicitur, quod *erant illis omnia communia;* quia sicut ibidem patet, loquitur de communitate generali et universali credentium et non de speciali communitate sive collegio apostolorum. Nec enim communitatis apostolorum illa erant communia, sed generalis et universalis credentium. Quod etiam evidenter probat praedictum capitulum s. Clementis [per Pseudoisidorum quidem] positum XII, q. 1, cap. *Dilectissimis*, cum dicit: *Communis vita omnibus est necessaria, maxime his, qui Deo irreprehensibiliter militare cupiunt et vitam apostolicam eorumque discipulorum imitari volunt; communis usus omnium, quae sunt in hoc mundo, omnibus hominibus esse debuit. Sed alius per iniquitatem dixit, hoc esse suum, et alius istud; et sic inter mortales facta est divisio. Et sicut non potest dividi aer vel splendor solis, ita nec reliqua, quae data sunt hominibus ad habendum, dividi debere sed habenda omnia communia. Istius consuetudinis more retento apostoli eorumque discipuli, ut praedictum est, una nobiscum et vobiscum communem vitam duxerunt.* Ex quo liquet, quod illa, quae in Actibus apostolorum leguntur fuisse communia, erant communitatis generalis et universalis credentium sive fidelium, et non specialis communitatis sive collegii apostolorum. Si enim apostoli, qui in dicta multitudine credentium sicut nobilior pars comprehendebantur ipsius multitudinis, habuissent aliqua ipsorum collegio speciali appropriata, constat, quod illa toti credentium multitudini communia non fuissent, quia, quod est partis, totius non existit. Et cum in illa multitudine nullus haberet proprium, sequitur, quod apostoli, qui erant de ipsa multitudine sicut pars eorum, aliquid proprium in singulari vel in ipsorum apostolorum speciali collegio non habebant. Nec excusat dictum haereticum, quod ipse in dicto statuto *Quia quorundam* dicit, Christum etiam quo ad proprietatem loculos habuisse infirmis condescendendo (quia, ut dicit, si Christus in loculis habuisset tantummodo simplicem facti usum, frustra diceretur, quod in persona infirmorum ipse Christus loculos habuisset), quia non est verum, quod Christus condescenderit infirmis in eo, quod per iniquitatem extitit introductum, scilicet in appropriando sibi aliquas res temporales, ex quo divisiones inter homines natae sunt et in iudicio litigatur et quod implicat ad peccatum, cum ipse Christus, ut legitur in Ioanne, de se loquens ait: *Venit enim princeps mundi huius et in me non habet quicquam*, quod exponens glossa or. dicit: « Noluit dominus habere, quod perderet; pauper venit, ne haberet diabolus, quod auferret ». Sed si Christus habuisset loculos, scilicet quo ad proprietatem, princeps huius saeculi, qui fuit principium omnis iniquitatis, habuisset in eo, quod auferret, et ipse, quod perdere potuisset. Unde non condescendit infirmis in habendo proprietatem, sed quo ad actum provisionis in futurum; nam infirmi, ut sibi provideant in futurum, res temporales sollicite congregant et conservant, ne eis deficiant in futurum. Et quod Christus

cap. *In nullo;* quare videtur, quod et apostoli habuerint seu habere potuerint talia in communi. Verum est tamen, quod in Iudaea non retinuerunt immobilia, sed potius ea vendiderunt, quia praevidebant ad gentes ecclesiam transituram, ut probatur Act. 2 et 4 cap. et di. XII, q. 1, cap. *Futuram.*

Adhuc iste veritatis et fidei inimicus ad probandum, quod in rebus, quae usu consumuntur, possit haberi usus a dominio separatus, arguit sic: « Omnes decimae terrae sive de frugibus sive de pomis arborum domini sunt, ut habetur Levit. ult. cap., usus autem decimarum tantum est levitarum, ut Numerorum cap. 18. Constat autem, quod illae decimae sunt de frugibus et pomis, quae sunt res usu consumptibiles: quare, cum dominium decimarum sit Domini et usus earum sit levitarum, sequitur, quod in rebus usu consumptibilibus haberi potest usus a dominio separatus ». Ad hoc dicendum est, quod iste haereticus arguit evidenter ex falsis; quod enim dicit, levitas habuisse usum tantum decimarum, falsum dicit, ut probatur Numerorum 18 cap. per eum in contrarium allegato, ubi Dominus sic dicit: *filiis Levi dedi omnes decimas Israel in possessionem pro ministerio, quo servivit mihi in tabernaculo foederis.* Ex quibus patet, quod levitae non tantum usum in decimis, sed et dominium habuerunt. — Nec obstat, quod in eo cap. dicitur, quod *in usus levitarum et necessaria Dominus decimas separavit;* aliud est enim alicui in usum rem aliquam dare, et aliud dare alicui usum alicuius rei. Ubi enim usus alicuius rei usibilis conceditur alicui, usus tantum rei et non dominium sibi intelligitur esse datum; sed ubi alicui res datur in usum, nedum usus rei, sed et dominium intelligitur esse datum. Unde, cum dicitur in praeallegato cap., quod in usus levitarum et necessaria Dominus separavit, declaravit Dominus, ad quid vel propter quid levitis decimas dedit; quia enim de frugibus et fructibus dupliciter nos vivimus: uno modo comedendo, ad quod primo et principaliter sunt concessi, iuxta illud Gen. I cap.: *Ecce dedi vobis omnem herbam et universa ligna, quae habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam;* verum, quia nonnumquam, qui abundat in talibus, deficit in aliis necessariis ad vitam humanam, voluit Dominus, quod levitae possent non solum de frugibus illis comedere, sed etiam de illis quoad alia vitae necessaria vendendo vel permutando sibi providere, et ideo dixit: « *in usus et necessaria* ». Et idem dicendum est de verbis illis in eodem cap. contentis, ad Aaron prolatis, ubi Dominus sic dixit: « *Uni-*

---

in loculis proprietatem non habuerit, probat Augustinus et etiam Hieronymus, ecclesiae sanctae doctores, super illud Matth. cap. 17: *Reges terrae, a quibus accipiunt tributum,* sic inquiens: « Tantae paupertatis fuit dominus, ut, unde tributa solveret, non haberet; Iudas communia habebat in loculis, sed res pauperum in suum usum expendere nephas duxit ». Ex quo patet, quod loculos quoad proprietatem non habuit, sed quoad dispensationem. Quod etiam insinuat Augustinus, cuius dictum insertum est in decretis in dicta causa XII, sic dicens: « habebat dominus loculos a fidelibus oblata conservans, et suis necessitatibus et aliis indigentiis tribuebat; tunc primum ecclesiasticae pecuniae forma instituta est ». Constat autem secundum doctrinam ecclesiae in sacris canonibus traditam, quod papa, qui vicem Christi gerit in terris, et episcopi, qui in locum succedunt apostolorum, in pecuniis ecclesiasticis, quae formam loculorum gerunt, proprietatem non habent, sed dispensationem. Nam, ut idem Augustinus testatur (et ponitur XXII, q. 7, cap. *Quod autem):* « illae res nostrae non sunt, sed pauperum, quorum procurationem gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vendicamus ». Praeterea dato sine praeiudicio, quod Christus condescendendo infirmis proprietatem in loculis habuisset, per hoc a sua determinatione haeretica non posset aliqualiter excusari. Nam cum pronunciaverit propositionem sive assertionem, quae realiter continet veritatem catholicam in dicta decretali *Exiit* diffinitam, videlicet asserere Christum et apostolos non habuisse aliquid in communi vel iure proprietatis in speciali, haereticam fore censendam, haereticus est censendus: esto quod in casu excepto a regula, scilicet infirmis condescendendo, Christus et apostoli in loculis proprietatem habuissent, cum exceptio non annullet regulam, sed eam potius, praeterquam in casu excepto, confirmet, quam ipse velut haereticam reprobat et condemnat. Ex quo etiam facto se ipsum condemnat, cum alias dudum, antequam hoc statutum haereticum edidisset, orta materia quaestionis coram eo inter fratres dicti ordinis super quibusdam verbis in dictis decretalibus *Exiit* et *Exivi de Paradiso* contentis, ipse pronunciaverit, easdem decretales salubriter editas, lucidas multaque maturitate digestas, prout in constitutione per ipsum edita, quae incipit: *Quorundam exigit,* deprehenditur evidenter. Et praedicta diffuse per authoritates scripturae sacrae et canones in appellatione prolixa probantur et ostenduntur.

Septimus error contentus in dicta constitutione *Quia quorundam* est, quia revocat in dubium sive negat, quod Christus praecepit discipulis, ne portarent pecuniam, quum eos misit ad praedicandum, asserens, quod apostoli post reditum a praedicatione pecuniam portaverunt, et quod haec evangelica veritas et apostolica dicta testantur. Qui error sacrae scripturae et sanctorum doctorum ecclesiae sententiis obviat manifeste, sicut patet Matth. cap. 10: *hos duodecim misit, praecipiens eis et dicens: Nolite possidere aurum neque argentum neque pecuniam in zonis vestris;* et Matth. cap. 6: *Et praecepit eis, ne quid tollerent in via, neque peram neque in zona etc.*; et Luc. cap. 9: *Nihil tuleritis in via neque peram neque pecuniam.* Et doctores ecclesiae asserunt, quod apostoli ex praecepto huiusmodi constricti etiam post reditum a praedicatione pecuniam non portaverunt. Unde Augustinus in libro de mirabilibus sacrae scripturae dicit sic: « In excusatione eleemosinae et paupertatis professione Petrus paralytico dixit: *Surge et ambula,* illud magistri praeceptum servans: *Nolite possidere aurum neque argentum* ». Haec Augustinus. Et Ambrosius super illud: *Nihil tuleritis in via* dicit sic: «Petrus apostolus dominicae executor sententiae, ostendens non in vacuum effusa Domini praecepta, cum posceretur a paupere, ut ei aliquid pecuniae elargiretur, ait: *Aurum et argentum non habeo.* Et tamen non tam in hoc gloriatur Petrus, quod aurum et argentum non habeat, quam quod servet Domini mandatum, qui praecipit: *Nolite possidere aurum etc.*». Haec Ambrosius. Et glossa or. super illud Act. cap. 3: *aurum et argentum non est mihi* dicit sic: « Memores illius praecepti: *Nolite possidere aurum etc.* pecuniam, quae ad pedes apostolorum ponebatur, sibi recondebant minime, sed ad usus pauperum, qui sua patrimonia

versa frugum initia, quae gignit humus et Domino deportantur, cedent in usus tuos. Illarum autem rerum dominium concessit illi Dominus, ut in eodem cap. patet, in quo Dominus ad Aaron loquens sic dixit: *Omnis oblatio et sacrificium, et quidquid pro peccato atque delicto redditur mihi et cedit in sancta sanctorum, tuum erit et filiorum tuorum,* sequitur: *Primitias autem, quas voverunt et obtulerunt filii Israel, dedi tibi et filiis et filiabus tuis iure perpetuo.* Ex quibus patet, quod non solum in decimis nec in rebus praedictis aliis Aaron et levitae usum, sed et dominium habuerunt.

Rursus nititur ostendere, quod dicere, quod usus simplex facti non possit haberi in rebus usu consumptibilibus a dominio separatus, est vitam Christi et apostolorum eius impugnare, quia perfectio paupertatis sicut et aliae perfectiones consiliorum evangelicorum fuerunt in Christo et apostolis perfectissime; et constat secundum eum, quod paupertas evangelica excludit sollicitudinem, quam requirit proprietas seu dominium rerum temporalium: ex quo sequitur secundum eum, quod usus rerum usu consumptibilium potest a proprietate et a dominio separari. Ad hoc dicendum, quod concedimus, quod perfectio paupertatis in Christo et apostolis perfectissime fuit. Perfectio siquidem evangelicae paupertatis magis consistit in animo, ut scilicet animus amore istis temporalibus non adhaereat, quam in carentia temporalium rerum: hanc autem paupertatem perfectissime Christus habuit et post eum apostoli eius, et per consequens perfectionem paupertatis evangelicae habuerunt. Ad illud autem, quod dicit, quod paupertas evangelica rerum usu consumptibilium dominium et proprietatem excludit, dicimus, quod falsum est; immo illorum rerum supponit sacra scriptura ipsos apostolos ad minus in communi habuisse proprietatem et dominium; probatur Actorum cap. 4, ut superius est ostensum. Ad illud autem, quod dicit, quod abdicatio proprietatis et dominii sollicitudinem excludit, dicimus similiter, quod est falsum; et quod talis abdicatio non excludat sollicitudinem, patet. Constat enim, quod, si Dominus servo concedat peculium, quamquam proprietas seu dominium peculii in servum non cadat, nec propterea servus a sollicitudine est immunis; alias iniuste reprehendisset Dominus servum negligentem, de quo agitur Lucae cap. 19, quia pecuniam a Domino sibi traditam non tradiderat ad usuras. Et hoc videmus ad sensum, quod ille, ad quem rei utilitas pertinet sine dominio, magis est circa rem illam sollicitus, quam sit nudus dominus eius: ut ad sensum videri potest in fratri-

---

reliquerant, reservabant ». Haec glossa. Et super illud Act. cap. 4: *Ioseph agrum vendidit et pretium posuit ante pedes apostolorum* glossa or. dicit sic: « Destituendum probat, quod tangere devitat: et docet esse calcandum aurum, quod subdit pedibus apostolorum ». Haec ibi. Ex quibus authoritatibus clare patet, quod Petrus apostolus non solum post reditum a praedicatione, ad quam Christus apostolos misit, sed etiam post reversionem tunc, quando non ibat ad praedicandum actu, sed ad orationem in templum, sicut Act. cap. 3 dicitur, ascendebat, ex dicto praecepto Christo astrictus pecuniam non portabat. Et per consequens non solum, quando ibant ad praedicandum, sed simpliciter et absolute, ne pecuniam portarent, fuit apostolis sub praecepti districtione prohibitum. Et Chrysostomus super illud Ioannis: *Quidam enim putabant, quia loculos habebat Iudas, quod dixisset ei Iesus: eme, quae necessaria sunt,* dicit sic: « nimirum, quia nullus apostolorum pecunias deferebat, sed per hoc, quod hic dicit, occulte insinuat, quod quaedam mulieres eum de suis facultatibus nutriebant. Qui autem non peram, non aes iubet deferre, loculos habebat ad inopum ministerium, ut discas, quam valde pauperem et mundo crucifixum huiusmodi oportet partis multam facere procurationem. Multa enim ad nostram doctrinam dispensans agebat ». Haec Chrysostomus. Hoc etiam asserunt et probant doctores ecclesiae, sicut ex ipsorum authoritatibus habetur in prolixa appellatione, quae hic brevitatis gratia omittuntur.

Octavus error in dicta constitutione *Quia quorundam* contentus est, quia idem haereticus de clavibus ecclesiae male sentiens indubium revocat sive negat, clavem scientiae ecclesiae catholicae fore clavem, maxime cum recitet super hoc opiniones contrarias et diversas nec affirmet et asserat in ecclesia esse clavem scientiae: imo ad partem, quod non sit in ecclesia clavis scientiae, declinare videtur, cum dicit, quod *Salvator in traditione clavium facta b. Petro hoc sensisse videtur expresse, cum immediate post illam promissionem subiunxerit: « Quodcunque ligaveris super terram, erit legatam et in coelis etc. », nulla de scientia habita mentione.* Haec verba ipsius, quae scripturae sacrae et sanctorum doctorum sententiis et doctrinae ecclesiae catholicae contradicunt. Quod evidenter patet Luc. cap. 11, ubi Salvator dicit: *Vae vobis legis peritis, qui tulistis clavem scientiae; ipsi non introistis et eos, qui introibant, prohibuistis.* Et Rabanus exponens illud evangelii: *Et tibi dabo claves regni coelorum* dicit sic: « Claves autem regni coelorum ipsam discretionem et potentiam nominat: potentiam, quae liget vel solvat; discretionem, quae dignos vel indignos discernat ». Haec Rabanus. Et in decret. XX dicitur sic: « In negotiis diffiniendis non solum est necessaria scientia, sed etiam potestas. Unde Christus dicturus Petro: *Quodcunque ligaveris etc.* prius dedit sibi claves regni coelorum, in altera dans sibi scientiam discernendi inter lepram et lepram, in altera dans sibi potestatem aliquos eiiciendi ab ecclesia vel recipiendi ». Haec ibi. Ex quibus clare patet, quod clavis scientiae est una clavis ecclesiae, distincta a clavi potentiae, et quod contradicere scripturae divinae et doctrinae ecclesiae catholicae obviat manifeste: et de hac materia in appellatione prolixa plenius continetur.

Nonus error est, quia ipse in dicto statuto *Quia quorundam* etiam dogmatizat, quod summus pontifex in his, quae ad fidem et mores pertinent, potest suorum praedecessorum diffinitiones et dicta revocare et eius contrarium statuere, quod decernitur in eisdem. Qui error expresse doctrinae sanctorum patrum et sacrorum canonum et fidei catholicae obviat et repugnat, sicut patet per ea, quae legimus in decretis causa XXV, q. 1, cap. *Contra statuta* et cap. *Si ea destruerem;* et in pluribus aliis cap. hoc poterit reperiri et XV dist. cap. *Sicut sancti* et extra de statu monach. cap. *Cum ad monasterium* in fine. Ex quo errore totius fidei et auctoritatis ecclesiae destructio sequeretur, quia sequeretur, quod quivis Romanus pontifex possit revocare et destruere omnia in fide et moribus a suis praedecessoribus diffinita; et sic tota auctoritas ecclesiae vacillaret et in fide et moribus foret instabilis et infirma. Unde dicta doctrina est hae-

bus Minoribus, qui nudum usum facti se habere in talibus asserunt, qui circa illa magis sunt solliciti quam Romana ecclesia, ad quam illarum rerum dominium asserunt pertinere.

Praeterea dicit iste haereticus, quod vitae apostolorum repugnat doctrina praedicta, quia secundum eum quantum ad abdicationem proprietatis rerum temporalium fuerunt apostoli secundum beatum Remigium ad dignitatem primi hominis revocati; sed primus homo et eius posteri, si stetissent in originali iustitia, habuissent usum rerum usu consumptibilium sine proprietate et dominio eorumdem secundum beatum Clementem, ut dicit (ad quod probandum inducit XII, q. 1, cap. *Dilectissimis*): quare dicere, quod in rebus usu consumptibilibus non potest usus a proprietate et dominio separari, est, ut dicit, vitam apostolorum et religiosorum apostolos in abdicatione proprietatis omnium rerum imitantium impugnare. Ad quod dicendum, quod illud, quod ipse dicit, quod primi parentes in statu innocentiae in nullo habuerunt dominium, sed tantum simplicem facti usum, ad minus post illam benedictionem *Crescite et multiplicamini etc.* scripturae sacrae contradicit expresse; legitur enim Genesis 1 cap., quod Dominus primis parentibus dixit: *Crescite et multiplicamini et replete terram et subiicite eam* (alia littera loco eius, quod supra dicitur *et subiicite eam*, habet: *Et dominamini ei;* et illam prosequitur Augustinus in libro super Genesis ad litteram et in libro de civitate Dei l. XIV, c. 21) et sequitur: *Et dominamini piscibus maris et volatilibus coeli et universis animantibus, quae moventur super terram.* Ex quibus evidenter apparet, primos parentes post benedictionem praedictam et terrae et piscium maris ac volatilium coeli et universorum animantium, quae moventur super terram, dominium in statu innocentiae habuisse. Et si quaeritur, utrum illud dominium proprium fuerit vel commune, videtur dicendum, quod, si tempore benedictionis praedictae solus Adam formatus erat et non Eva (sicut ordo scripturae sacrae evidenter innuit, cum illa benedictio fuerit data Adam extra paradisum existenti, Eva vero formata fuerit ipso Adam in paradisum translato, ut patet Genesis 1 et 2 cap.), videtur, quod ante formationem Evae dominium temporalium Adae proprium fuit, non commune. Commune quidem esse non potuit, cum solus pro tempore illo fuerit et respectu unius, qui nunquam alios habuit, nihil dici commune possit. Et hoc videtur expresse dici Eccles. 17 cap., ubi dicitur sic: *Deus creavit de terra hominem et secundum imaginem*

---

retica iudicanda, quia in articulum fidei: *Et in unam sanctam ecclesiam catholicam* evidenter impingit. Et si in decretali *Exiit* in doctrina et vita Christi et apostolorum et in approbatione status et regulae fratrum Minorum et in concilio Viennensi, quod ipsam decretalem approbavit, concederetur erratum, sequeretur, quod tota ecclesia erravit in fide: male de doctrina et vita Christi et apostolorum eius diffiniendo, et in moribus statum, qui secundum opinionem praefati haeretici est illicitus et simulatus ac fundatus in doctrina evangelicae veritati contraria, approbando, et b. Franciscum et alios sanctos de ordine fratrum Minorum, qui in huiusmodi vitae et doctrinae professione finierunt dies suos, tanquam sanctos approbando et sanctorum cathalogo solemniter adscribendo.

In plures quoque alios errores et haereses incidit praefatus dominus Ioannes, qui in appellatione prolixa plenius et clarius explicantur, et allegationibus et rationibus divini et humani iuris efficacissime convincuntur, quae hic brevitatis gratia dimittuntur.

Attendens igitur ego praefatus frater Michael dicti ordinis generalis minister, quod adeo notorium et manifestum existit, quod dictus dominus Ioannes dictas tres constitutiones haereticales edidit et per universum orbem publice destinavit et eas etiam in studiis generalibus legi et doceri mandavit, quod nulla potest tergiversatione negari; et quod, licet frater Bonagratia de Pergamo dicti ordinis procurator et procuratorio nomine pro me et dicto ordine primo appellaverit ad sanctam Romanam ecclesiam contra haereses dagmatizatas in dicta constitutione *Ad conditorem* [*cfr. supra not. ad n. 486*] et subsequenter serenissimus dominus Ludovicus Romanorum rex appellaverit legitime et solemniter ab haeresibus contentis et dogmatizatis in dictis constitutionibus *Cum inter nonnullos* et *Ad conditorem* [*cfr. supra not. ad n. 554*], tamen dictus dominus Ioannes noluit corrigi nec permisit, quod concilium generale congregaretur super praedictis, sicut praedictus dominus rex in sua appellatione requisivit instanter, sed elegit et voluit penitus in dictis suis haeresibus et erroribus permanere et eos, quantum potuit, nisus est et nititur pertinaciter defendere; et quod ipse etiam post et contra dictas appellationes ad defensionem haeresum in dictis duabus constitutionibus *Ad conditorem* et *Cum inter nonnullos* contentarum fecit dictam haereticalem constitutionem, quae incipit: *Quia quorundam*, et eam publice promulgavit et eam per diversa mundi climata destinavit, in qua dictas haereses repetit et plures alias haereses, ut praedicitur, interserit; et notorium est, quod ipse post praedicta omnia multas alias litteras per mundum transmisit, in quibus mandavit de facto et ausu temerario, dictum dominum imperatorem denunciari excommunicatum et haereticum, quia ipse dominus Ludovicus in dicta sua appellatione veritatem evangelicam et apostolicam, quam docuit et docet sancta Romana ecclesia, est professus et ipsius domini Ioannis haeresibus dictae veritati et fidei repugnantibus contradixit; et quod ipse omnes professores dictae veritatis et dictis suis erroribus resistentes persecutus est et persequitur quotidie, sicut notorium et manifestum existit, ex quibus patet, dictum dominum Ioannem fuisse et esse pertinacem et notorium et manifestum haereticum; et quod secundum iura et canonicas sanctiones, ex quo papa in haeresim lapsus est, ipso iure et facto est omni dignitate ecclesiastica, potestate, auctoritate et iurisdictione privatus, damnatus et excommunicatus per sententiam sacri concilii catholicae ecclesiae, positi extra de haereticis cap. *Excommunicamus*, excommunicantis et damnantis omnem haeresim et omnes haereticos ac credentes, defensores et fautores haereticae pravitatis; et quod in decretis XXIV, q. 1, habetur et notatur, quod eo ipso, quod papa in haeresim damnatam labitur, in ipsa damnatione se ipsum involvit et in hoc casu papa canonem latae sententiae incidit ipso iure; nec obviat illa regula: « par parem non potest solvere vel ligare », quia papa haereticus minor est quocunque catholico et quia hodie omnis haeresis est damnata per ipsum concilium generale universalis ecclesiae; ideo, ut in dicta causa notatur « hodie » indistincte,

suam fecit illum; et sequitur: *Dedit ei potestatem eorum, quae sunt super terram, et posuit timorem illius super omnem carnem, et dominatus est bestiarum et volatilium:* ex quibus patet, quod solus dominatus fuit. Ex quo sequitur, ipsum solum pro illo tempore dominium habuisse, quia secundum Dionysium (de divinis nominibus cap. 12) a dominio dicitur dominus, dominans et dominator: unde, cum de solo Adam dicitur, quod dominatus est bestiarum et volatilium, sequitur, quod et solus dominus fuit; et quod Eva tunc formata non esset, patet, quia statim post illa verba *Et dominatus est bestiarum et volatilium* sequitur: *Creavit ex ipso adiutorium simile sibi.* Hoc idem videtur sentire Damascenus [de fide orthodoxa] lib. II cap. fi. [i. e. 30 ed. *Migne* t. 94, p. 975], ubi loquens de primo parente sic dicit: « Hunc igitur hominem conditor masculum construxit, statuit et tribuit ei sui ipsius divinam gratiam, et in communione eius post hanc ipsum fecit, unde et animalium nominatorem prophetice et suorum donorum dominatorem effecit » (alia littera habet: « Et suorum servorum dominatorem fecit ») et sequitur: « fecit ex ipso auxiliatricem ipsius ». — Nec obstat cap. *Dilectissimis* in contrarium allegatum. Per illud enim concludi non potest, quod primi parentes dominium non habuerint, sed quod illud non habuerint divisum; immo ex auctoritate philosophi, quam beatus Clemens in eodem cap. adducit, concluditur evidenter, ipsos habuisse dominium in communi. Ipse enim dicit, quod sicut non potest dividi aer nec splendor solis, ita nec reliqua, quae communiter data sunt ad habendum, dividi debere; ex quibus verbis clare patet, philosophum dixisse, ita temporalia fuisse data communiter omnibus ad habendum; et si data fuerunt ab illo, qui dare potuit, scilicet Deo, et ei, qui capax fuit, scilicet homini, sequitur, quod eorum dominus factus fuit. Nec philosophus inducit comparationem aeris et splendoris solis ad temporalia respectu dominii, ut, sicut non habebant dominium aeris et splendoris solis, sic nec haberent dominium temporalium rerum, sed respectu indivisionis tantum illam comparationem induxit; sic enim dixit: « Et sicut non potest dividi aer nec splendor solis, ita nec reliqua, quae communiter data sunt hominibus ad habendum, dividi debere, sed communia sunt habenda ». De aere tamen b. Augustinus II lib. de libero arbitrio sic dicit: « Si aliquid aeris, quod ego reddidero, possis tu ducere, illud tamen non poteris, quod in meum cessit alimentum: nam a naribus alimenta nos capere medici docent, quod alimentum aspirando solus sentire possum, et re-

---

sive quis veterem et damnatam haeresim sequatur sive novam haeresim confingat, excommunicatus est, ut etiam plene notatur in summa domini Hostiensis de haereticis cap. *Qualiter devitetur;* et quod in dicta causa q. 2 dicitur sic: « Liquido constat, eum, qui ab integritate fidei recessit, maledicendi vel benedicendi potestatem minime habere; catholicum namque utpote se superiorem maledicere etiam non valet, in alienum a fide tanquam in sibi aequalem sententiam dare non potest ». Et in eadem causa dicitur sic: « Dicimus, omnes haereticos nihil habere potestatis nec iuris; et ex quo aliquis coeperit publice praedicare contra fidem, nec deiicere quemquam valet nec damnare, quum non potest quemquam deiicere iam prostratus, omnesque catholici ab ipsius haeretici communione et obedientia recedere sunt astricti ». Unde legitur in decretis XIX di.: « Anastasius papa II natione Romanus fuit tempore Theodorici regis et eodem tempore multi clerici se ab eius communione abegerunt, eo quod communicasset Photino diacono, qui communicaverat Acatio; et quia voluit occulte revocare Acatium et non potuit, divino iudicio percussus fuit ». Et talis papa haereticus non apostolicus, sed apostaticus proprie loquendo dici debet; nec expectari debet, quod accusetur vel damnetur per hominem, cum iam, ut dictum est, per sententiam canonum sit damnatus; et manifesta et notoria clamore accusatoris vel denunciatoris non egent: et manifestus haereticus censetur, qui publice praedicat vel confitetur aliquid contra fidem (extra de verb. signif. cap. *Super quibusdam*). Nec valet, quod aliqui iuris ignari dicere perhibentur, quod ipsi haeretico est parendum ab omnibus, donec in papatu toleratur, quia hoc dictum obviat expresse ecclesiae catholicae, ut patet manifeste per ea, quae habentur et notantur in praealleg. cap. *Anastasius* XIX di. in textu et glossa et XVI q. ult. cap. *Sane* in textu et XXV q. 1 cap. *Quae ad perpetuam* in textu et glossa; et per illud, quod notatur XXIV q. 1 circa principium et in § *Quod autem* et II q. 7 cap. *Sacerdotes* in glossa. Iura autem, quae loquuntur de non recedendo ab obedientia praelati, donec per ecclesiam toleratur, non loquuntur de haeretico manifesto, qui publice aliquid statuit contra fidem, sicut haereticus supradictus; sed loquuntur de praelato aliter criminoso, a quo ante tempus sententiae recedi non debet, ut probatur per id, quod legitur et notatur VIII q. 4 cap. *Nonne:* et notatur per Hostiensem in summa de cohabitatione cleric. et mulier. § *Quid sit notorium* ℟. *Ut autem.* Unde ecclesia nullum haereticum tolerat, sed omnes excommunicat atque damnat, ut patet extra de haereticis cap. *Ad abolendam* et cap. *Excommunicamus itaque*, cum dicat: *excommunicamus et anathematizamus;* et notatur in dicta causa XXIV, q. 1, et in allegationibus in appellatione prolixa positis plenius continetur. Immo pertinaciter asserere, quod papae vel alteri praelato haeretico sit obediendum, donec toleratur in praelatura, est haereticum, quia contradicit sacra scripturae ep. ad Titum cap. ult. dicenti: *Haereticum hominem post primam et secundam correctionem devita*, et doctrinae ecclesiasticae (XXIV q. 3 cap. *Dixit dominus*) et in dictis cap. superioribus. Constat autem, quod dictus haereticus post et contra dictas appellationes interpositas adversus haereses dogmatizatas per eum in dictis constitutionibus *Ad conditorem* et *Cum inter nonnullos* fecit et publicavit dictam constitutionem *Quia quorundam*, in qua contenta in dictis appellationibus impugnat et dictas suas haereses pertinaciter defendere nititur et alias, ut praedicitur, superaddit et veritatem fidei, quam sancta Romana ecclesia hactenus docuit et docet in dictis appellationibus expressam, improbat et velut haereticam iudicat et condempnat, unde patet eum incorrigibilem et pertinacem haereticum [esse]; et si non liceret a talis haeretici obedientia et communione recedere, donec toleraretur, tota fides catholica periclitaretur, quia compellerentur omnes catholici favere haeretico manifesto. — Et insuper attendens quod dictus dominus Ioannes asseruit, professionem fidei catholicae, quam totus ordo fratrum Minorum fecit in capitulo generali apud Perusium celebrato et per patentes litteras universis

stando non possum restituere, ut a te ductum naribus censeatur ».

Adhuc ad ostendendum, quod in rebus usu consumptilibus usus facti possit a dominio separari, adducit, quod legitur Lucae cap. 19, ubi Dominus servo, cui pecuniam ad negotiandum tradiderat, et eam tenuerat otiosam, dixit: *Serve nequam, quare non dedisti pecuniam, et ego veniens cum usuris exegissem illam?* Ex qua auctoritate patet, ut dicit, quod in pecunia praedicta servus usum habebat actualiter et dominus proprietatem eiusdem: quare, cum pecuniam esse de rebus usu consumptibilibus lex praeallegata superius testetur expresse, secundum eum praedicta doctrina sancto evangelio contradicit. Ad hoc dicendum, quod, sicut probatum est supra, impossibile est in rebus usu consumptilibus quemquam usum habere vel simplicem facti usum. Nec obstat scriptura praedicta; usus enim pecuniae, immo potius abusus, non est ipsam simpliciter alicui tradere, sed taliter tradere, quod consumpta quoad dominium censetur. Unde licet servus actualiter pecuniam mutuanti traderet, per traditionem solam sine translatione dominii nequaquam usum, sed abusum potius fuisse pecunia potest dici; sed per translationem dominii habetur pro consumpta pecunia: quam quidem translationem non servus, sed dominus, cuius nomine fiebat mutuum, facit; unde, cum servus nomine domini mutuasset, ipse dominus videtur usus, immo abusus potius fuisse pecunia, et non servus. Praeterea servus, qui iussu domini pecuniam mutuat, non debet dici habere usum, seu abusum simplicem facti, cum ius habuerit pro concessione huiusmodi mutuandi.

Rursus dicit, quod praedicta assertio determinationi sanctae Romanae ecclesiae obviat et repugnat, quia in decretali, quae incipit *Exiit*, per universalem ecclesiam, ut dicit, approbata et in Viennensi concilio confirmata diffinitur, quod *fratres Minores habent usum facti omnium rerum, quibus utuntur, absque omni dominio et proprietate;* de quo usu sic dicit: « qui usus non iuris sed facti tantummodo nomen habens, quod facti est tantum in utendo, praebet utentibus nihil iuris ». Manifestum est autem, ut dicit, quod fratres Minores habent tantum usum facti rerum usu consumptibilium: ergo in rebus usu consumptibilibus potest usus facti a proprietate et dominio separari. Ad hoc dicendum, quod, sicut dicit dicta constitutio *Ad conditorem*, verba praedicta intellexit conditor illius canonis *Exiit* de rebus, quae non consumuntur usu, quod per praecedentia et subsequentia probatur satis clare; ante enim propo-

---

Christifidelibus destinavit secundum formam, quam ecclesia universalis profitetur de paupertate Christi et apostolorum in saepe dicta decretali *Exiit*, [fore haereticam] ac pronuntiavit haereticam; et quod ecclesia catholica dampnat et excommunicat omnes asserentes sive determinantes de abdicatione proprietatis tam in speciali quam in communi, quam Christus et apostoli verbo et exemplo docuerunt, aliter, quam in dicta decretali *Exiit qui seminat* § *Porro* diffinitur, et quod dominus Ioannes oppositum eius, quod dicta ecclesia catholica diffinivit, multipliciter determinavit et pronuntiavit; et quod, licet in Avinione existens ab ipso pronuntiamento zelo fidei et ordinis praedicti appellaverim solemniter, tamen ipse me et fratres mihi subiectos persecutus est et continue usque ad mortem persequitur pro eo, quod dictam veritatem evangelicam et apostolicam, quam sancta mater ecclesia docuit, profiteor; et quod ipse dominus Ioannes post et contra dictam appellationem contra me et contra fratrem Guilelmum Occham, magistrum in sacra pagina, et dictum fratrem Bonagratiam ac alios fratres plures dicti ordinis plures processus de facto fecit et fieri fecit ex falsis causis confictis; et quod dictum fr. Bertrandum de Turre de facto vicarium dicti ordinis instituit, cum de iure non posset, qui litteras minus veras contra me et socios meos et in praeiudicium fidei et dicti ordinis destinavit per orbem: ex verisimilibus causis et rationibus timens, ne talia gravamina contra me et socios meos praedictos et alios fratres dicti ordinis mihi subiectos et dictum ordinem attententur et fiant, ideo ego praefatus fr. Michael dicti ordinis generalis minister et servus meo et dictorum fratrum Guilelmi et Bonagratiae et cuiuscunque eorum et dicti ordinis nominibus ac etiam nomine et vice omnium et singulorum fratrum dicti ordinis mihi adhaerentium et adhaerere volentium ac etiam nomine omnium catholicorum et fidelium christianorum, qui fidem catholicam et sanctum evangelium volunt confiteri et usque in finem firmiter observare, dico, pronuntio et denuntio, dictos processus factos et fiendos per dictos dominum Ioannem, haereticum notorium et manifestum, et Bertrandum et quemlibet eorum seu aliquem eorum, aut ipsorum seu alicuius eorum commissarium, officialem vel nuntium, aut per aliquam personam ecclesiasticam vel saecularem eorum vel alicuius eorum mandato vel auctoritate ordinaria vel delegata, fuisse et esse nullos et nullius valoris et momenti; et in quantum de facto processerunt vel fierent in futurum, ex eis sentiens me dicto nomine et dictos mihi adhaerentes et adhaerere volentes fore enormiter gravatos, ab ipsis processibus factis et fiendis et quolibet eorum in hiis scriptis provoco et appello ad sanctam Romanam ecclesiam catholicam et apostolicam; et subiicio me et praedictos fratres et dictum ordinem et omnes et singulos mihi adhaerentes et adhaerere volentes protectioni et defensioni ipsius sanctae Romanae ecclesiae; et protestor, quod intendo Deo propitio praedictam defensionem sanctae fidei catholicae et status dicti ordinis et regulae beatissimi patris nostri Francisci, Deo auxiliante et beato Francisco opem ferente, usque in finem prosequi et terminare; et suppono me et dicta mea correptioni et emendationi sanctae Romanae ecclesiae: protestans firmiter me illam fidem tenere et conservare velle perpetuo, quam sancta Romana ecclesia tenet et observat, quae disponente Domino cunctorum fidelium mater est et magistra.

Cui appellationi et provocationi in continenti adhaeserunt et eam approbaverunt religiosi viri fratres Franciscus de Aesculo, doctor in sacra pagina, et Guilelmus Occham de Anglia, magister in sacra pagina, Bonagratia de Pergamo iuris utriusque peritus, Berengarius de Mari de Ianua, Gisalbertus minister Mediolan. provinciae, Iacobus Blanci quondam minister Ianuen., lectores in sacra pagina, Bindus custos Pisanus, Ubaldinus de Bononia, Ioannes de Castro plebis, lector Pisanus, Ioannes de Florentia, lector Viterbii, Franciscus, lector Cortonae, et Bandus de Ponte re., visitator dominarum s. Clarae, et plures alii notabiles fratres ibidem praesentes et dictae appellationi adhaerentes.

suerat, quae sequuntur: *Cum in rebus temporalibus sit considerare praecipue proprietatem, possessionem, usumfructum, ius utendi et simplicem facti usum etc.;* et postea sequitur: *condecens fuit ei professioni, quae sponte devovet, Christum pauperem in tanta paupertate sectari, necessario usu facti fore contentam.* Cum autem praedicta (scilicet proprietas, ususfructus, ius utendi et usus facti sumptus proprie) nequeant in rebus usu consumptibilibus reperiri, sed proprietas tantum, ut patet ex definitionibus ususfructus et usus: apparet, quod de rebus usu consumptibilibus, in quibus praemissa nequeunt reperiri, non intellexit conditor canonis verba illa. Hoc etiam apparet per ea, quae in eadem constitutione subsequuntur; sequitur enim: « Quod praedicti (scilicet fratres) sint usu facti contenti, non obviat, quod civilis providentia in humanis rebus constituit, videlicet non posse usum vel usum fructum a dominio perpetuo separari, ne dominium, semper abscedente ab eo usufructu, dominis inutile redderetur ». Quae quidem lex de rebus illis intelligitur, quarum penes unum usus rei et penes alium dominium possit (licet inutile) remanere: quod nequaquam in rebus usu consumptibilibus potest esse, cum in illis per usum seu abusum usuarii substantia talis rei esse desinat et per consequens proprietas etiam inutilis non subsistat, sicut dicitur in constitutione *Ad conditorem* supradicta. — Si autem velit iste haereticus, quod dicta constitutio *Exiit* definiverit, quod fratres Minores in rebus usu consumptibilibus habeant simplicem facti usum, dicimus, quod definiverit impossibile, et per consequens de iure diffinitio non teneret; cum enim sit impossibile in rebus usu consumptibilibus usum iuris vel facti habere a dominio separatum, cum hoc rationi obviet et iuri repugnet, statutum a quocumque factum in contrarium non teneret. – Item in hoc, quod dicit, quod dicta constitutio *Exiit* fuit per universalem ecclesiam approbata, dicimus, quod quantum ad hoc, scilicet quod fratres Minores in rebus usu consumptibilibus habeant usum facti, nunquam fuit per universalem ecclesiam approbata; dicimus etiam, quod non fuit in Viennensi concilio confirmata, nec hoc poterit per constitutionem aliquam vel aliquas apparere, immo nec de fratrum consilio promulgata.

Adhuc dicit iste haereticus, constitutionem praedictam *Ad conditorem* errorem alium continere in eo, quod continet, quae sequuntur: « Rursus nec simplex usus facti, qui nec est servitus nec pro illo competit ius utendi, in talibus rebus (scilicet usu consumptibilibus) potest constitui vel haberi;

Acta et facta fuerunt haec in civitate Pisana in domo fratrum Minorum in camera praefati generalis ministri anno praedicto a nativitate Domini 1328, indictione 11, XIV kal. octobris, praesentibus testibus vocatis et rogatis honorabilibus viris et dominis: Fassiolo de Çasulis vicario civitatis Pisanae, Ugolino de Pistorio, Raginerio de Prato, Nicolao de Prato et Iacobo de Anentis de Bononia, iudicibus in dicta civitate Pisana, et infrascriptis notariis publicis, qui rogati fuerunt, ut de praedictis conficerent publicum instrumentum, videlicet Berto di Spina, Iacobo Leopardi de Vico Pisano et ser Nicolao quondam Bonaccursi de Vico Pisano, tabellionibus, et fratribus Guidone de Puppio, Andrea Martini de Montegio et me Michaele de Bononia notario et pluribus aliis. Et ego fr. Michael de Bononia, imper. auct. notarius et nunc notarius domini inquisitoris in provincia Tusciae una cum supradictis notariis Guidone de Puppio et Andrea de Montegio hiis omnibus interfui et de mandato dicti inquisitoris et dicti generalis ministri in publicam formam redegi: in quorum testimonium praefatus generalis minister sigillum sui officii duxit praesentibus apponendum. Et ego fr. Guido de Puppio ord. Min. imper. auct. iudex ordinarius atque notarius etc. Et ego fr. Andreas quondam Martini de Montegio imper. auct. iudex ordinarius et notarius etc.

Haec est Michaelis de Caesena appellatio sive provocatio in forma minori, quam concione in ipsa civitate Pisana die 12 dec. 1329 habita proclamavit. Quam appellationem Ludovicus quoque Bavarus eodem die eodemque loco magna ex parte sententiae suae contra Ioannem XXII die 8 apr. 1328 Romae prolatae inseruit, quin locum diemve mutaret. — Contra illam autem appellationem a quodam « adversario », ut dicit compilator codicis Vat. lat. n. 4010, f. 93, nonnullae oppositiones factae fuerunt, scilicet: 1) Cum secundum leges appellatio sit « per invocationem maioris iudicis praetextu iniquitatis primae sententiae recisionis imploratio » (ff. de minoribus l. *Praefati*) et secundum canones appellatio sit « a minore iudice ad maiorem iudicem provocatio » (II qu. 6, cap. *Oppressus* et cap. *Sequentibus* et cap. *Placuit*): ex his sequi videtur, quod appellans per consequens fateri videatur, eum, a quo appellat, fore iudicem atque papam, et in aliis, in quibus non est appellatum, se eidem subesse (extra de appellationibus cap. *Ad hoc* et cap. *Proposuit*); 2) cum dicatur, quod solummodo ad concilium generale spectat iudicare, utrum dictus dominus Ioannes inciderit in haeresim statuendo illa, quae in dictis statutis continentur (XL di. *Si papa*), non videtur, quod dictus minister vel alii ipsi appellationi adhaerentes seu aliqui alii ante sententiam sive diffinitionem concilii debeant seu possint de iure ipsum dominum Ioannem asserere et praedicare haereticum et tamquam haereticum ab omnibus catholicis evitandum, maxime quia, ut dicitur, maior pars ecclesiae non videtur sentire, quod dicta statuta sint haereticalia, et magistri Parisienses, quando legerunt dicta statuta Parisius, ut fertur, non dixerunt, ipsa statuta haereticalia esse, et etiam illa, quae continentur in eis, non videntur esse contra articulos fidei nec etiam dampnata et excommunicata per generale concilium (positum extra de summa Trinitate et fide catholica et de haereticis cap. *Excommunicamus*, quod est pars ipsius concilii, prout in glossa ibi notatur): unde in tali ut dicitur dubio et pendente negotio videtur sibi obediendum esse, donec per ecclesiam toleratur; 3) quod dato, quod papa sit notorius haereticus, de hoc solus Deus est iudex et nullus alius potest iudex esse nec se intromittere de ipso iudicando nec eius processus et gesta [damnare; immo tenendum est], quod eius processus et sententiae validae sunt et eis ab omnibus subditis sanctae Romanae ecclesiae obtemperandum (XXI di. cap. *Nunc autem*). Quid ad istas oppositiones a Michaele de Caesena vel eius asseclis responsum sit, legas in cod. Vat. lat. n. 4010, f. 93-108. — Animadvertendum autem, praeter ipsas in cod. Vat. lat. n. 4009, f. 29, quartam accusationem contra Michaelem de Caesena factam significari. Ibi enim legimus:

« In Christi nomine. Obicitur contra fratrem Michaelem or-

cum enim uti re aliqua nihil aliud sit proprie, quam fructus rei seu utilitatem aliam in solidum vel pro parte recipere, quae ex ea possunt salva rei substantia provenire, restat, quod re illa uti quis nequeat, ex qua eius salva substantia nulla potest sibi provenire utilitas, quales res usu consumptibiles esse constat. Ex quibus patet, quod nec usus, qui est servitus personalis, nec ius utendi, quod non est servitus, sed mere ius personale, nec actus ipse utendi sine iure aliquo possunt in rebus usu consumptibilibus constitui vel haberi, cum quodlibet praemissorum exigat, quod ex re ipsa salva rei substantia possit habenti ius utendi seu utenti ex re ipsa utilitas aliqua provenire: quod utique nequit in rebus usu consumptibilibus reperiri »; et infra: « Licet autem in rebus usu consumptibilibus nec ius utendi nec ipsum uti possit constitui vel haberi, ipsis tamen poterit quis abuti: abuti autem, dum tractatur de rebus usu consumptibilibus, pro rei consumptione sumitur, quod ei apponitur, quod est uti. Uti quidem praesupponit, quod cum usu salva rei substantia maneat; sed abuti exigit, quod cum actu huiusmodi rei substantia consumatur, cum abuti nihil aliud, quam contra naturam usus uti, in hac materia proprie dici possit ».

Haec verba dictae constitutionis, ex quibus apparere dicit haereticus supradictus, quod dicta constitutio in eo, quod dogmatizat, quod nec usus facti nec usus utendi haberi potest in rebus usu consumptibilibus quodque rebus huiusmodi usu consumptibilibus nullus uti potest, quamvis eis possit abuti abusu, qui contra naturam usus existit, sacrae scripturae obviat manifeste. Ad quod probandum inducit Levit. cap. ult., ubi dicitur, quod *omnes decimae terrae sive de frugibus sive de pomis arborum Domini sunt*, et Numer. cap. 18, ubi dicitur de levitis, quod *nihil aliud possidebunt, decimarum oblatione contenti, quas in usus eorum et necessaria separavi.* Ex quibus liquere dicit, quod usus in rebus usu consumptibilibus ex Dei statuto habetur. Ad hoc dicendum, quod iste in praedictis manifeste se fundat in falsis. Quod enim levitae in decimis tantum habuerint simplicem usum facti, falsum est et contradicit expresse illi cap. Numerorum 18 per ipsum allegato, uti sic Dominus dicit: *Filiis Levi dedi omnes decimas Israel in possessionem pro ministerio, quo servivit mihi in tabernaculo foederis.* Ex quo patet, quod levitae non tantum usum in decimis, sed et dominium habuerunt. Nec obstat, quod in eodem cap. dicitur, quod in usus levitarum et necessaria Dominus separavit decimas; aliud enim est, alicui dare in re aliqua usum

---

dinis fratrum Minorum generalem ministrum de quadam constitutione per eum facta in generali concilio (i. e. capitulo) Lugdunen. (a. 1325), cuius tenor est talis: Monet insuper generalis minister cum generali capitulo universo omnes fratres et singulos ac per obedientiam salutarem eis mandat, quatenus de s. Romana ecclesia et sanctissimi domini nostri papae persona ac de constitutionibus eius cum debitis sobrietate et reverentia loquantur, et quicunque huius mandati fuerit transgressor inventus, per ministrum suum statim poena carceris puniatur, ad quod exequendum ministri per obedientiam teneantur; denuntiando eidem generali ministro nihilominus delinquentes. Haec verba dictae constitutionis, ex qua constitutione dicitur, quod ipse fr. Michael postmodum appellando contra constitutiones dicti domini Iohannis tamquam contra constitutiones haereticales et contra personam ipsius domini Iohannis tanquam notorium et manifestum haereticum se et dictum capitulum fateri videtur in haeresim et fautoriam haereticae pravitatis et haeretici fuisse prolapsum. Ad evidentiam autem responsionis ad dictam oppositionem XXV notabilia videntur esse praemittenda. Primum est, quod, licet numquam sit falsitas asserenda ». *(Explicit).*

Ioannes autem papa XXII constitutione *Quia vir reprobus*, quam supra in textu retulimus, errores in illa Michaelis de Caesena appellatione minori contentos reiecit. Contra quam constitutionem Michael de Caesena die 26 martii a. 1330 Monachi, ad quod oppidum, caput ditionum Ludovici Bavari, Pisis se contulerat, iterum appellavit. Quam quidem appellationem *Baluze* l. c. p. 341-355 se publicare praetendit, sed errat; nam iste tractatus non ab uno, sed a pluribus (asseclis ipsius Michaelis) scriptus est, sicut ex ipsius tractatus verbis apparet. Qui quidem nihil aliud est nisi illud « Defensorium (sive epistola defensoria) venerabilis inceptoris Guilelmi Okam et fratrum suorum ord. Min. de paupertate Christi et fratrum Min. ac statu evangelico contra errores Ioannis papae XXII ad universos Christifideles in subsidium et defensionem oppressae veritatis catholicae descriptum » (ed. in Firmam. trium ord. b. Franc. aliisque operibus). Illius autem appellationis textus genuinus reperitur in bibl. Vat. cod. Vat. lat. n. 4009, f. 85-125, et n. 4010, f. 141-206. Ex istis litteris, quae incipiunt: *Universis Christifidelibus praesentem scripturam inspecturis. Ad perpetuam rei memoriam innotescat, quod ego fr. Michael de Caesena ordinis fr. Min. generalis minister etc.* nonnisi argumenta « errorum principalium », quos in constitutione *Quia vir reprobus* contentos esse dicit, hic excerpimus. Errasse siquidem dicitur Ioannes XXII, cum in illa constitutione affirmaret:

1) quod dominus noster Iesus Christus, in quantum homo, ab instanti suae conceptionis habuit dominium rerum temporalium huius mundi sicut verus rex et dominus in temporalibus;

2) quod dominus noster Iesus Christus, in quantum homo, per successum temporis diversis modis acquisivit sibi in speciali dominium proprium et immediatum quamplurium rerum temporalium sc. vestimentorum, alimentorum et loculorum;

3) quod apostoli, postquam erant ad apostolatum assumpti, habuerunt in speciali et singillatim et non solum in communi proprietatem et dominium multarum rerum et quod nunquam a se abdicaverunt proprietatem et dominium omnium rerum temporalium nec votum abdicationis proprietatis et dominii omnium rerum temporalium emiserunt;

4) quod Christus non dedit aliam legem vivendi apostolis quam quibuscunque aliis discipulis, per discipulos intelligens quoscunque fideles Christi, quod patet per eius verba, quae talia sunt: « De discipulis autem constat, quod habuerunt aliqui multa: de Ioseph ab Arimathaea, de Lazaro, Martha, Maria Magdalena, de Tabita, quod interpretatur Dorchas, quam Petrus suscitavit a mortuis »;

5) quod apstoli non abdicaverunt, sed habuerunt et licite habere potuerunt bona immobilia, ut agros et praedia quoad proprietatem et dominium in communi; et quod illa in Iudaea non receperunt nec retinuerunt, non fuit, quia hoc repugnaret eorum

facti, et aliud, rem alicui in usum eius et necessaria dare, ut superius est ostensum. – Ad illud autem, quod dicit, quod usus in rebus usu consumptibilibus ex Dei statuto habetur, dicimus, quod est falsum, quia in tota scriptura sacra non habetur mentio de simplici usu facti.

Adhuc dicit haereticus praedictus, quod, ubicumque sacra scriptura de usu rerum consumptibilium usu loquitur, semper manifestat, quod quis rebus usu consumptibilibus potest uti, et quod proprie contingit et veraciter eis uti, sicut patet ad Timotheum cap. 5 ibi: *Utere modico vino*, et II Regum cap. 13 ibi: *Filiae regis virgines vestimentis huiusmodi utebantur*, et Numerorum cap. 18 ibi: *Universa frugum initia, quae gignit humus et Domino deportantur, cedent in usus tuos*, et parum post: *Carnes vero in usum tuum cedent*, et Iudicum cap. 19 ibi: *Habentes panem et vinum in meos et ancillae tuae usus*, et Deuteron. cap. 24 in fine et Iosue cap. 5 ibi: *Nec usi sunt ultra etc.* et Levit. cap. 8 ibi: *In usus varios etc.* et Esther cap. 2 et Exod. cap. 28. Item etiam patet secundum eum per auctoritates sanctorum, scilicet s. Clementis (XII, q. 1, c. *Dilectissimis*) et s. Augustini (XLI di.). Ad hoc dicendum, quod constitutio praedicta *Ad conditorem* loquitur de usu et de uti, secundum quod usus dividitur contra dominium et proprietatem et contra usumfructum et ius utendi secundum decretalem illam *Exiit*, quae dicit, sicut ista, scilicet proprietatem, usumfructum et ius utendi ac simplicem usum facti in temporalibus reperiri, cuius gratia dicta constitutio *Ad conditorem* facta fuit.

Iste etiam haereticus ad ostendendum, quod pecunia inter res usu consumptibiles numeretur, allegat leges, ut ex praedictis patet. Constat autem, quod secundum leges in rebus usu consumptibilibus nec ususfructus nec ius utendi, quod est servitus, nec etiam ius utendi, quod non est servitus, sed mere ius personale, potest constitui vel haberi (ut probatur ff. de usufructu earum rerum, quae usu consumuntur l. 1 et 2, § de iureiurando l. *Sed et si possessori* § *Sed si rerum*, ff. commodati l. 3 § fi. cum multis similibus). Item nec quisquam uti talibus rebus potest, sumendo proprie uti; usus enim seu uti, si sumatur proprie secundum leges, requirit, quod ex re illa, in qua usum habere se asserit vel ea vult uti, possit fructus vel utilitatem aliquam assequi, salva substantia rei; quod non potest in rebus usu consumptibilibus reperiri: et ex hoc beatus Ioannes Chrysostomus rationem reddit, quare mutuans pecuniam pro mercede pecuniam recipere nequeat licite, cum locans agrum vel do-

---

perfectioni, sed quia praevidebant in spiritu, se transituros ad gentes;

6) quod Christus numquam consuluit apostolis nec aliis discipulis abdicationem proprietatis et dominii omnium rerum temporalium in speciali nec in communi;

7) quod praecepta sive consilia illa data Matth. cap. 5 et Luc. cap. 6, cum dicitur: " Qui vult tecum in iudicio contendere et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium etc. ", fuerunt solum data habentibus temporalia in proprio;

8) quod apostolus epist. I ad Corinth. cap. 6 per illa verba: " Iam quidem omnino delictum est in vobis, quia iudicia habetis inter vos " non reprehendit in Corinthiis alia iudicia quam iudicia fraudulenta et iniuriosa vel apud infideles;

9) quod litigare in iudicio pro rebus temporalibus non distrahit nec diminuit a perfectione evangelica, et quod apostolis et viris evangelicis licuit in speciali et singillatim et etiam in communi pro rebus temporalibus in iudicio contendere et litigare;

10) quod dominus noster Iesus Christus non interdixit simpliciter et absolute apostolis suis, ne possiderent aurum nec argentum et pecunias in communi et ne portarent calceamenta, sed solum inhibuit eis talia pro tempore viae, quando ibant ad praedicandum; post reditum autem a praedicatione poterant, ut dicitur, talia libere possidere et habere ac etiam portare;

11) quod bona ecclesiae primitivae sive multitudinis credentium, de qua scribitur Act. cap. 4: " Nec quisquam eorum, quae possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illa omnia communia etc. ", non erant illa communia post distributionem factam inter ipsos credentes, sed solum ante distributionem sive divisionem ipsorum;

12) quod in rebus usu consumptibilibus nec usus iuris nec usus facti licitus potest a proprietate et dominio separari, et quod in talibus rebus nec ius utendi nec ius facti separatum a proprietate rei seu dominio potest constitui vel haberi.

Litterae, in quibus haec 12 argumenta defenduntur, hunc in modum expliciunt: « Acta et facta fuerunt praedicta in Monacho in domo fratrum Minorum in refectorio eiusdem domus anno a nativitate domini MCCCXXX, indictione XIII, VII Kal. aprilis, praesentibus testibus vocatis et rogatis venerabilibus viris: dominis Henrico decano s. Petri, Henrico plebano ecclesiae s. Mariae, Wolfhardo de Kungesfelt sacerdote, Ottone sacerdote domestico plebani s. Mariae, Gotfredo domestico domini decani s. Petri, magistro Matthaeo de Pergamo medico domini imperatoris, fratribus Hermano guardiano conventus Monachi, Nicholao de Frisinga et aliis fratribus dicti conventus, et pluribus aliis clericis et saecularibus atque notariis publicis: Merboto notario publico provinciali, Sighardo notario civitatis Monachi, Ioanne Morozzii de Casamaiori iudice ordinario et notario, fr. Ardigino de Spino ord. Min. notario, qui praedicta scripsit et in hanc formam publicam redegit rogatus et de mandato praefati generalis ministri ».

Die autem 24 ianuarii 1331 idem Michael de Caesena ad fratres Minores litteras (in bibl. Vat. cod. Vat. lat. n. 4010 f. 206-212 descriptas et a *Baluze* l. c. p. 356 haud quidem bene publicatas) destinavit, quas hic integras referimus. Sequitur itaque

Littera ministri generalis (Michaelis de Caesena) missa per ordinem (Minorum) contra dominum Ioannem papam XXII.

Universis et singulis ministris, custodibus, guardianis, vicariis ceterisque fratribus ordinis fratrum Minorum, fidem catholicam, sanctum evangelium et regulam, quam voverunt, firmiter tenentibus et volentibus observare, frater Michael eiusdem ordinis generalis minister et servus, salutem et pacem in Domino sempiternam. Christianae fidei fundamentum et fundator, dominus Iesus Christus, qui in hoc apparuit mundo, ut diaboli dissolveret opera, in ecclesia catholica et apostolica duo genera salvandorum hominum stabilivit: primum eorum, qui per fidem rectam et mandatorum legis observantiam merentur ad vitam aeternam pervenire, de quo in evangelio dicitur: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata;* secundum eorum, qui, cupientes etiam

mum hanc licite recipere possit, ut dictum est supra. Ex quibus patet, quod in rebus consumptibilibus usu usus haberi nequeat nec quis ipsis etiam uti possit, cum hoc iuri repugnet et obviet rationi. Licet autem in rebus talibus (scilicet usu consumptibilibus) usus vel uti locum sibi proprie non vindicent, consumptio tamen et actus consumendi locum habet, ut dicit constitutio praedicta: quae tamen non possunt dici simplicia nec a rei, quae consumitur, dominio separata, cum ipsa rei consumptione eius dominium pereat et prorsus esse desinat, ut probat dicta constitutio *Ad conditorem*, quae sic dicit: « Praeterea, si in rebus usu consumptibilibus possit usus constitui vel haberi, nequaquam simplex nec a rei substantia, proprietate seu dominio separatus usus huiusmodi potest dici, cum per talem usum (id est utendi actum) et in ipso actu et et cum ipso actu res huiusmodi consumatur, ac sine ipsius rei consumptione [non] esse valeat usus talis. Ex quo patet, quod usus talis nec simplex nec separatus a dominio dici possit. » Et hoc patet, cum per talem facti usum proprietas et dominium ipsius rei perire noscatur. Dicimus ergo, quod decretalis *Ad conditorem* de usu et *uti* loquitur, sicut decretalis *Exiit* loquebatur, quae de ipsis loquitur, secundum quod leges loquuntur, secundum quas impossibile est, quod (loquendo de illis proprie, sicut dicta decretalis *Ad conditorem* loquitur et dicit expresse in § « Rursus nec simplex usus facti » ibi, cum dicit: « Cum enim uti re aliqua nihil aliud sit proprie *etc.* ») locum habeant in rebus consumptibilibus usu, sed in ipsis consumptio et consumendi actus locum habent (ut probatur ff. de usufructu earum rerum, quae usu consumuntur l. *Hoc senatus* § 1 et § *fi.*, ff. de iureiurando l. *Sed et si possessori* § *Sed si rerum*). Licet autem, ut praedictum est, in rebus usu consumptibilibus usus (proprie loquendo) locum non habeat, tamen frequenter dicitur, quod quis in illis usum habet vel eis utitur; sed quoties hoc contingit, usus vel uti pro rei consumptione debent sumi. Sic dicimus, quod, quoties sacra scriptura usum in talibus rebus usu consumptibilibus attribuit, pro rei consumptione ipsum sumit, ut patet in illa auctoritate: *Utere modico vino;* sumitur enim *utere* ibi pro *consumere* id est pro *bibere;* constat autem vinum bibendo consumi. Et per hoc patet responsio ad illas auctoritates inductas, hoc salvo, quod Numerorum cap. 18, ubi dicitur: *Universa frugum initia, quae Domino deportantur, cedent in usus tuos*, falso modo inducitur, ut superius est ostensum.

Adhuc iste haereticus dicit, quod dicere, quod

---

in consiliis evangelicis vitam ipsius domini nostri Iesu Christi et apostolorum eius sequi perfecte, servare sanctum evangelium, vivendo in obedientia, sine proprio et in castitate, promittunt: de quo in ipso evangelio dicit: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata* etc.; *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia, quae habes, et da pauperibus, et veni et sequere me.* Et sanctus Petrus apostolus in persona omnium apostolorum, insinuans se et apostolos dictum perfectionis mandatum implesse, respondit: *Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te: quid ergo erit nobis?* Quae tria consilia evangelica sancta Romana ecclesia in sacris canonibus (et praecipue extra de statu monach. cap. *Cum ad monasterium* et XII, q. 1, cap. *Dilectissimis* et cap. *Duo sunt* et cap. *Tua*, cap. *Scimus*, cap. *Nolo*, cap. *Non dicatis* et cap. *Exiit* de verborum significatione) et in regulis sanctorum Augustini, Benedicti et Francisci per universalem ecclesiam approbatis et confirmatis determinat et diffinit fore cuilibet religioni perfecte imitanti vitam Christi et apostolorum annexa. Hinc doctrinae evangelicae et sanctae Romanae ecclesiae quicunque contradictor extiterit sive eam non crediderit et fideliter confessus fuerit, absque dubio in aeternum peribit: et ideo ipso facto est excommunicatus atque damnatus tamquam haereticus per sententiam generalis concilii universalis ecclesiae, quia firmiter non credit, confitetur et tenet doctrinam, quam Christus viam vitae demonstrando humano generi tribuit salutarem et quam sancta Romana ecclesia firmiter tenet, sicut patet in generali concilio universalis ecclesiae (posito extra de summa Trinitate et fide catholica cap. *Firmiter* § *Haec sancta Trinitas*); et in eodem concilio generali in decretali, quae est pars dicti concilii generalis (posita sub titulo *De haereticis*), dicitur: *Excommunicamus itaque et anathematizamus omnem haeresim extollentem se adversus hanc sanctam orthodoxam et catholicam fidem, quam supra exposuimus, condemnantes universos haereticos, quibuscunque nominibus censeantur.* Cum autem certum sit, quod illa salutaris doctrina et via vitae, quam Christus humano generi tribuit et demonstravit, quae est firmiter credenda et confitenda, de qua dicitur in dicto concilio (cap. *Haec quoque sancta Trinitas*), est doctrina sacra, in sancto evangelio a Christo docta et in novo testamento descripta, ut probatur XIV di. cap. *Si episcopus:* de qua non est licitum dubitare vel disceptare, utrum verum sit et sanctum, quicquid in ea constiterit esse scriptum; sed, quicquid in ea reperitur, incunctanter credendum est, ut dicitur IX di. cap. 1 et cap. *Quis nesciat;* et qui in ipsam sacram doctrinam evangelii sive veteris et novi testamenti impingit, in articulos fidei: *Credo in Deum patrem, Credo in Iesum Christum filium eius*, tertio *in Spiritum sanctum, trinum et unum Deum*, a quo ipsa doctrina prolata est, et in articulum *Unam sanctam catholicam et apostolicam ecclesiam*, quae doctrinam dictam evangelii et sanctorum patrum regulas approbavit, evidenter impingit. Et quicunque aliter evangelizat sive docet, quam evangelizatum est, anathema sit ac a Deo et eius sancta, catholica et apostolica ecclesia separatus, apostolo testante (ep. ad. Gal.): *Licet nos aut angelus de caelo evangelizet vobis praeter id, quod evangelizatum est, anathema sit.* Et quicunque sacram scripturam aliter intelligit, quam Spiritus sanctus, a quo prolata est, efflagitet, haereticus est censendus, licet corpore ab ecclesia non recesserit, ut dicitur XXIV q. 3 cap. *Haeresis.* Unde et papa contra doctrinam fidei catholicae docens seu statuens in sententiam excommunicationis et privationis incidit ipso facto et minor est quocunque catholico (sicut habetur et notatur XXIV q. 1 in principio et in glossa et in cap. *Achatius* in textu et in glossa et in § *Si autem* et in § *His auctoritatibus* et cap. *Dicimus*, et XIX di. cap. *Hoc autem* et cap. *Quia vero* et cap. *Anastasius* in textu et glossa); et credentes, fautores et defensores eiusdem sunt ipso iure excommunicati et infames effecti nec possunt aliquod officium legitimum exercere nec ex testamento alterius capere nec eligere vel eligi ad officium vel dignitatem, nec ad testimonium aliquod nec ad haereditatis alicuius successionem sunt aliquatenus admittendi

sint aliquae res usu consumptibiles et tamen non contingit illis uti, contradictionem implicat manifestam. Profecto per hoc ut ignarus et inscius legislatorem arguit, qui rubricam posuit: « De usufructu earum rerum, quae usu consumuntur », unde constitutio loquitur, secundum quod legislator et leges plerumque loquuntur, sumendo usum pro abusu id est pro consumptione rei: quia nec alius usus, videlicet nisi consumptio in rebus usu consumptibilibus potest esse; et ideo dicit ff. de iureiurando (l. *Sed et si possessori* § *Sed si rerum*) sic: *Si rerum, in quibus ususfructus constitui non potest propter abusum id est propter rei consumptionem etc.* Et glossa super rubricam illam ff. de usufructu earum rerum, quae usu consumuntur, super illo verbo *usu* dicit: *id est quasi usu;* expresse ibi innuit, quod usus ibi ponitur improprie.

Adhuc dicit iste haereticus, quod, cum secundum Augustinum (lib. I de doctrina christiana) abusus sit illicitus usus, ex praedictis sequi videtur, quod Christus et apostoli et alii sancti viri, quoties actus comedendi et bibendi et induendi exercuerunt, toties rebus huiusmodi sunt abusi: quod sentire et dicere est impium et blasphemum. Ad quod dicimus, quod Christus et apostoli et alii sancti viri panem comedendo et vinum bibendo abusi sunt rebus illis, sicut abusus in praedicta constitutione sumitur, in qua pro rei consumptione sumitur, sicut patet ex eius serie manifeste. Sed contra hoc dicit haereticus supradictus, quod hoc, videlicet quod abusi sumitur pro consumptione rei, non valet: tum quia, quod sic debeat accipi, nec ratione nec auctoritate probatur, tum quia abuti re non voce semper in mala significatione sumitur, sicut patet (Genes. cap. 35 et Esther cap. ult. et I ad Corinth. cap. 9) et aliis pluribus locis. Ad hoc dicimus, quod illud, quod dicit, nec ratione nec auctoritate probari, quod verbum *abuti* pro rei consumptione sumitur, evidenter est falsum; in lege enim ff. *de usufructu earum rerum, quae usu consumuntur* (l. *Hoc senatus* § *Si pecuniae*) dicitur sic: *Si pecuniae sit ususfructus legatus vel earum rerum, quae in abusu consistunt, nec cautio interveniat, videndum finito usufructu, an pecunia, quae data sit, vel ceterae res, quae in consumptione consistunt, condici possunt.* Ubi patet, quod legislator in rebus quae usu consumuntur, promiscue utitur verbis istis, abusu videlicet et consumptione. Et eadem l. § fi. dicitur sic: *Quae in usufructu pecuniae diximus vel ceterarum rerum, quae sunt in abusu, eadem et in usu dicenda sunt;* item ff. *de iureiurando* (l. *Sed et si possessori* § *Sed si rerum*) dicitur sic: *Sed*

(ut probatur in dicto cap. *Excommunicamus itaque*, cap. *Credentes* et in sequenti cap.). Et ideo almus Christi confessor et vitae ipsius praecipuus imitator Franciscus ac eius stigmatibus notabiliter insignitus Spiritu sancto dictante praedixit, regulam et religionem suam acerrime diffamandam, et quod super eam venirent tentationes immensae; et qui fuerint tunc probati, accipient coronam vitae. Vae autem illis, qui de sola specie religionis confisi tepescent nec resistent constanter tentationibus ad probationem electorum permissis: sed quantiscunque tentationibus fuerit dicta religio ipsius impulsa, salva tamen semper Christi munere permanebit, ut haec habentur in dictis ipsius sancti.

Ideo factum est hiis diebus novissimis, ut Iacobus de Caturco, dictus Ioannes papa XXII, qui prius pontificatus sui anno secundo approbavit et in iudiciis et scholis publice legi mandavit decretalem, quae incipit: *Exivi de paradiso*, sicut patet in prooemio per ipsum facto super novas constitutiones Clementis papae V, in qua decretali regula sancti Francisci, quae est sanctum evangelium observare, vivendo in obedientia, sine proprio et in castitate, tanquam forma et regula vitae caelestis et totali universali ecclesiae plurimum fructuosa, ac declaratio domini Nicolai III et abdicatio proprietatis omnium rerum tam in speciali quam etiam in communi tanquam abdicatio ad perfectionem deducens et altissima paupertas solo Deo contenta approbatur et commendatur ac dicta religio sancti Francisci pronunciatur sancta et muris regularis observantiae firmiter undique circumclusa; et etiam idem dominus Ioannes de consilio cardinalium suorum fecit aliam declarationem super dictam regulam, quae incipit: *Quorundam exigit*, in qua pronunciavit decretalem *Exiit qui seminat* fore salubriter editam, solidam, claram et lucidam multaque maturitate digestam, et dictam religionem s. Francisci sanctam et de die in diem de virtute in virtutem ad perfectionem tendere terrena despiciendo et coelestia complectendo; et aliam, quae incipit: *Gloriosam*, in qua pronunciavit, dictum ordinem fratrum Minorum ab ipso suae fundationis exordio dicti almi confessoris b. Francisci regulari traditione et apostolicae sedis confirmatione fore in vita et doctrina solidum et indissolubili quadam textura ecclesiae catholicae connexum, fide clarum, spe validum, charitate perfusum, obedientia devotum, velut singulare iubar sanctitatis exemplo vitae ac doctrinae verbo per universum orbem claruisse et ecclesiae decori multum utilitatis ac inclytae alacritatis plurimum attulisse; et quosdam fratres dicti ordinis in dictas suas declarationes suo iudicio impingentes tanquam haereticos iudicavit, prout haec omnia in dictis constitutionibus editis per dictum dominum Ioannem pontificatus sui anno secundo plenius et seriosius explicatur.

Sed ipse postmodum in reprobum sensum datus et a cupidine divitiarum huius saeculi, quae teste evangelio verbum Dei suffocavit, excaecatus et sibi ipsi et dictis suis constitutionibus contradicens et se ipsum proprio iudicio condemnans, elapso anno sexto pontificatus sui fecit quatuor detestanda statuta haereticalia, manifeste adversantia fidei catholicae et dictae doctrinae evangelicae et apostolicae et sanctae Romanae ecclesiae. Quae statuta per mundum divulgavit, quorum primum incipit *Ad conditorem canonum*, in cuius fine scriptum est: *Datum Avinione pontificatus nostri anno septimo* (a qua constitutione *Ad conditorem canonum* pro parte dicti ordinis in praesentia ipsius domini Ioannis et cardinalium suorum primo per fratrem Bonagratiam procuratorem dicti ordinis ad sanctam Romanam ecclesiam catholicam extitit appellatum), et secundum incipit: *Cum inter nonnullos*, datum anno octavo, tertium incipit: *Quia quorundam*, datum anno nono, quartum statutum, in quo ipse Ioannes sui pectoris venenum manifestius explicat et evomit, quod incipit: *Quia vir reprobus*, in cuius fine scriptum est: *Datum anno quartodecimo pontificatus nostri:* in quibus statutis sive libellis haereticalibus publice, notorie et pertinaciter dogmatizat, quod Christus et apostoli in rebus temporalibus, quas scriptura eos habuisse testatur, tam in speciali quam in communi proprietatem et domi-

si rerum, in quibus ususfructus propter abusum (idest propter rei consumptionem) *constitui non potest etc.*, ubi aperte abusum pro consumptione recipit legislator. Ex quibus patet, quod legislatores loquentes proprie de rebus, quae usu consumuntur, negant usum in illis locum habere et abusum locum habere concedunt: qui quidem abusus id est rei consumptio, si fiat ab eo, cui ius abutendi id est consumendi competit, erit licitus; si vero ab eo, cui ius non competit, illicitus est censendus. Item, quod abusus pro consumptione ponatur, congruit rationi; praepositio enim sensum dictionis, cui per compositionem apponitur, augere vel diminuere consuevit: unde patet, quod rationi congruit, quod per illam praepositionem *ab* sensus dictionis *usus*, cui per compositionem apponitur, augeatur. - Falsum insuper dicit in eo, quod dicit, quod abusus, quoties re non voce dicitur, accipitur in mala significatione; in legibus enim imperatorum abusus, cum de rebus usu consumptibilibus agitur, in bona parte communiter sumitur, ut superius est probatum. Adhuc reperimus, quod in scriptura sacra abusus in bona significatione sumitur; unde Ieremiae cap. 18 propheta Deo loquens dicebat sic: *fiant corruentes in conspectu tuo, in tempore furoris tui abutere eis*, ubi *abutere* non pro actu illicito, sed pro licito debet sumi, cum in Deo abusus in mala significatione sumptus non cadat; tantum autem videtur dicere *abutere eis*, aut si diceret *consume eos;* sicque patet, quod abusus etiam in sacra scriptura pro consumptione sumitur et in bona significatione.

Adhuc dicit iste maledictus haereticus, quod ista definitio, quam dat de *uti* dicta constitutio, non est vera definitio nec consona definitionibus, quas dant sancti. Ad hoc dicimus, quod illa definitio, descriptio seu notificatio, quam dat dicta constitutio de *uti*, conveniens est et vera; dicit enim, quod uti re aliqua nihil aliud est proprie, quam fructus rei seu utilitatem etiam in solidum vel pro parte recipere, qui ex ea possunt salva rei substantia provenire. Et quod sit conveniens, patet; usus enim definitur sic: « Usus est ius utendi rebus alienis salva rei substantia »; ex quo sequitur, quod uti proprie loquendo requirit, quod cum ipso usu remaneat salva substantia rei et quod ex ea possit utenti utilitas aliqua provenire. — Ad illud autem, quod dicit, quod dicta definitio non est consona definitionibus, quas dant sancti, dicimus, quod non est inconveniens, quod eiusdem rei diversimode consideratae dentur definitiones diversae. Sancti autem, qui ipsum *uti* definiunt, ipsum *uti* sumunt ali-

---

nium habuerunt et quod a se proprietatem et dominium rerum temporalium nullatenus abdicaverunt nec illa reliquerunt nec abdicationem huiusmodi docuerunt, et omnes asserentes oppositum fore censendos haereticos et sicut haereticos condemnandos iudicat et diffinit. Et in dicto suo statuto sive libello *Quia vir reprobus* dogmatizare praesumit manifeste, quod Christus, in quantum homo, ab instanti suae conceptionis habuit ex Dei donatione universale dominium omnium rerum temporalium huius mundi et fuit dominus et rex verus in temporalibus omnibus; et nihilominus habuit dominium multarum rerum temporalium non ab instanti conceptionis suae, sed successive modis aliis, utpote ex collatione fidelium vel emptione, acquisitarum; et quod illi dominio et regno nunquam renunciavit nec renunciare potuit, quia fecisset contra ordinationem Patris, de qua in Daniele dicitur: *Suscitabit Deus coeli regnum, quod non corrumpetur nec dissipabitur in aeternum; et regnum eius alteri non tradetur, et potestas eius aeterna, quae non auferetur;* et quod carentia dominii non fecit Christum pauperem, sed potius carentia perceptionis fructus et obventionis rerum, quarum erat dominus, quia se ipsarum rerum, quarum erat dominus et rex, fructibus et proventibus nisi in valde paucis non iuvabat; et quod beatus Petrus apostolus et alii apostoli Iesu Christi etiam post mortem Christi et post missionem Spiritus sancti in eos factam in rebus temporalibus eis concessis sive assignatis habuerunt proprietatem et dominium tam in speciali quam in communi; et quod quilibet ipsorum apostolorum rerum, quae eis assignabantur in communitate credentium, de qua dicitur Act. cap. 4, fuit proprietarius et dominus; et quod ipsi apostoli nunquam emiserunt votum abdicationis proprietatis et dominii; et quod votum vivendi sine proprio ad res, quas necessario requirit vita humana, minime se extendit; et quod Christus nullum modum vivendi in speciali imposuit apostolis, nisi sicut ceteris discipulis (per discipulos intelligens non tantum septuaginta duos, sed etiam ceteros Christianos, qui Christum sequebantur: quod manifeste patet per eius verba, in quibus inter discipulos, de quibus loquitur, computat Ioseph ab Arimathia et Lazarum et Martham et Mariam Magdalenam et Dorcham [i. e. Thabitam], de quibus manifestum est, quod non fuerunt de 72 discipulis, sed de turba magna conversorum ad Christum, qui etiam in generali dicebantur discipuli, ut patet Act. cap. 11); et insuper dogmatizat, quod Christus et apostoli incesserunt calceati.

Haec est doctrina dicti haeretici in saepe dicto libello *Quia vir reprobus* explicite dogmatizata. Et in supradicto statuto *Quia quorundam* dicit, quod Christus non docuit nec exemplo firmavit, non portare pecuniam; et quod id, quod dicitur in evangelio: *Nolite portare pecuniam*, non fuit praeceptum, sed potestas recipiendi necessaria; unde dicit, quod apostolis licuit huiusmodi iniunctum sive dictum non servare, asserens, quod apostoli pecuniam etiam portaverunt post praedicta. — Cum igitur s. evangelium nihil aliud sit quam vita Christi et doctrina, ut dicit Augustinus contra Faustinum, et Christus (Luc. cap. 4) dicat: *Evangelizare pauperibus misit me* i. e. mea doctrina et vita informare, et vivere sine proprio nihil aliud sit, nisi ea, quae ad vitam pertinent, propria non habere: ex dictis assertionibus dicti haeretici concluditur manifeste, quod falsa et erronea ac haeretica fuit et est dicta regula et forma vivendi, quam b. Franciscus tradidit suis fratribus et eum sequi volentibus dicens: *Regula et vita Minorum fratrum haec est, scilicet domini nostri Iesu Christi sanctum evangelium observare, vivendo in obedientia, sine proprio et in castitate*; et infra: *Fratres nihil sibi approprient nec domum nec locum nec aliquam rem;* et in eadem regula: *Praecipio firmiter fratribus universis, ut nullo modo denarios vel pecuniam recepiant per se vel interpositam personam;* et alibi: *Qui necessitate coguntur, possint portare calceamenta;* et in fine: *Sanctum evangelium domini nostri Iesu Christi, quod firmiter promisimus, observemus:* quia secundum dictum haereticum talis vita sive forma vivendi non fuit vita Christi nec in evangelio fuit a Christo data vel docta; immo

ter, quam sumat constitutio antedicta; respectu enim finis ipsum *uti* accipiunt, videlicet ad quem finem res, quibus utimur, ordinentur: et secundum hoc dicit Augustinus, quod *uti* est res, quae in usum veniunt, referre ad ea, quibus est fruendum; decretalis autem *Exiit*, cuius occasione constitutio *Ad conditorem* facta fuit, de usu loquitur, non prout res ad finem est ordinabilis, sed prout contra dominium seu contra proprietatem ac usumfructum sive ius utendi dividitur. Et ideo non est mirum, si per sanctos aliae definitiones de usu datae fuerunt, cum ipsum *uti* aliter sumpserint, quam sumat constitutio antedicta.

Praeterea iste haereticus loquendo de usu et de *uti* extra modum loquendi sacrae scripturae et sanctorum se opponit; nihil enim in rebus usu consumptibilibus locum habere absque iure aliquo simplicem usum facti. Profecto modus iste loquendi nec in novo testamento nec in veteri nec in scripturis sanctorum aliquibus, sicut credimus, poterit reperiri. Praeterea advertat iste haereticus, si Augustini definitio conveniat dictis suis. - Ipse enim dicit, quod in rebus usu consumptibilibus potest haberi usus simplex facti a dominio separatus; Augustinus autem dicit, quod *uti* est « res, quae in usum conveniunt, referre ad ea, quibus est fruendum ». Procul dubio dicta definitio eius dictis non convenit, cum de rebus loquitur dicta definitio, et ipse de « simplici usu facti », dicendo: « *Uti* est res, quae in usum etc. ». — Adhuc dicit iste haereticus, quod praedicta assertio determinationi sanctae Romanae ecclesiae obviat in supradicta decretali *Exiit* sic dicenti: *In his, quae ad victum et vestitum et divinum cultum ac sapientiale studium pertinent, necessarium usum rerum fratribus esse concessum;* ex quibus verbis colligitur evidenter, quod contingit in rebus pertinentibus ad victum et vestitum, quatenus constat esse res usu consumptibiles, fore usum. Dicimus, quod per verba illa non concessit fratribus simplicem facti usum; immo hoc ipso, quod ipsis usum concedit, si concessio valuit, ipsis ius utendi concessit: et sic in illis non habent simplicem usum facti. Et si dicat, quod immo nullum ius eis concessit, dicimus, quod quantum ad res usu consumptibiles posuit usum improprie pro rei comsumptione: nec est novum, quod idem verbum ponatur proprie et improprie respectu diversorum. Praeterea decretalis praedicta dixit, « necessarium usum rerum » in his, quae ad victum et vestitum pertinent, fratribus esse concessum; non dixit « usum facti »: et sic nihil facit pro eo. Et si omnino dicat, quod conditor canonis intel-

secundum ipsum haereticum Christus verbo et exemplo docuit, de proprio vivere sive in rebus omnibus temporalibus proprietatem et dominium habere tam in speciali quam in communi et pecuniam portare et incedere calceatos. — Ex dicta etiam assertione dicti haeretici sequitur, quod universalis ecclesia, quae dictam regulam approbavit et confirmavit sicut normam sive vivendi formam a Christo doctam, erravit in fide et doctrina Christi et sancti evangelii, et quod fallax et erronea fuit assertio ecclesiae catholicae, quam fecit in decretali praeallegata, quae incipit *Exiit*, cum dicit: *Hii sunt illius sanctae regulae professores, quae evangelico fundatur eloquio, vitae Christi roboratur exemplo, fundatorum militantis ecclesiae, apostolorum eius, sermonibus actibusque firmatur; haec est apud Deum et Patrem munda et immaculata religio, quae descendens a patre luminum per eius filium exemplariter et verbaliter apostolis est tradita et demum per Spiritum sanctum beato Francisco et eum sequentibus inspirata; et ideo dicimus, quod abdicationem proprietatis huiusmodi Christus viam perfectionis ostendens verbo docuit et exemplo firmavit;* et quod erravit in fide evangelii totum concilium generale, immo tota ecclesia, quae ipsum concilium approbavit et recepit, in quo concilio, quod incipit *Exivi de Paradiso*, de dicta regula dicitur sic: *Haec est illa coelestis vitae forma et regula, quam descripsit ille Christi confessor eximius sanctus Franciscus.* Et sequitur etiam, quod sanctus Franciscus et alii fratres dicti ordinis, qui in observantia et credulitate dictae regulae tamquam doctrinae evangelicae vixerunt et suos dies finierunt, in errore haereticali vixerunt et mortui sunt et damnati per consequens in aeternum; et quod universalis ecclesia erravit in canonizando dictum sanctum Franciscum et habendo et venerando eum ac venerari mandando tamquam sanctum. Et ita secundum hanc haereticalem doctrinam universalis ecclesia erravit in fide multipliciter, scilicet dictam regulam s. Francisci tamquam in evangelio et a Christo doctam approbando et pluries confirmando et dictas decretales *Exiit* et *Exivi* statuendo et in corpore iuris redigendo et dictum sanctum canonizando. Et per consequens huiusmodi doctrina impingit in articulum fidei, quo dicitur: *Credo sanctam ecclesiam catholicam* sub quo continetur et includitur, quod ipsa ecclesia in fide sive in vita et doctrina Christi et apostolorum eius errare sive deficere non potest (XIX dist. cap. *Ita docemus* et XXIV qu. 1 cap. *A recta* in textu et glossa et in cap. *Pudenda* et cap. *Haec est fides* in fine), quia Christus rogavit, ut non deficiat fides eius (Luc. XXII et extra de baptismo et eius effectu cap. *Maiores* in principio in textu et glossa). — Et sic etiam ex praedictis patet, quod omnes illi, qui dicto haeretico consenserunt et consentiunt in dictis erroribus et statutis, non sunt nec dicendi sunt fratres regulae nec ordinis beati Francisci, sed sunt separati a dicto ordine et regula et ab universali ecclesia catholica et apostolica, quae dictam regulam tamquam regulam et doctrinam Christi approbavit et confirmavit et quae dictum concilium ordinavit et contenta in eo approbavit. Et ob hoc merito dicendi sunt et censendi haeretici, scismatici et apostatae et per consequens privati sunt ipso iure et facto omnibus privilegiis et gratiis, quae et quas dicta ecclesia catholica et apostolica fratribus dictae regulae professoribus et religiosis indulsit, et sunt infames nec possunt eligere nec eligi ad aliquod officium nec ad aliquam dignitatem; nec possunt praedicare nec confessiones audire nec absolvere nec actus legitimos exercere, ut probatur in superius allegato cap. de haereticis *Excommunicamus itaque* et in cap. *Credentes*.

Confirmantur etiam praedicta ex eo, quod dictus dñus Ioannes frequenter dixit sive pronuntiavit haereticam litteram sive determinationem, quam generalis minister et omnes magistri et ministri ceterique fratres dicti ordinis et totum capitulum generale Perusii congregatum fecerunt anno Domini MCCCXXII et universis Christifidelibus destinarunt: in qua littera concorditer et unanimiter dixerunt et confessi sunt, quod dicere et asserere, quod Christus et apostoli viam perfectionis ostendentes nihil iure proprietatis et dominii seu iuris proprii in speciali nec in

lexit de usu facti (sumendo usum proprie), dicimus, quod, cum in talibus rebus usus constitui nequeat neque haberi, ut probat dicta constitutio et est probatum supra in primo articulo, dicta constitutio contineret quantum ad hoc impossibile et per consequens, cum constitutio possibilis esse debeat, non valeret: non tamen fuit illa conditoris intentio, ut probat constitutio *Ad conditorem* antedicta.

Rursus dictus haereticus dicit, dictam constitutionem *Ad conditorem* errorem alium continere in eo, quod continet, quae sequuntur: « Praeterea, inquit, si simplex facti usus absque iure utendi haberi posset ab aliquo, constat, quod non iustus esset actus utendi huiusmodi reputandus, cum ille usus fuerit, cui ius non competebat utendi; talis autem usus scilicet non iustus ad perfectionis statum nequaquam pertinet nec perfectionem adiicit, sed potius sibi repugnare et detrahere noscitur manifeste ». Et infra loquens de usu facti concesso fratribus, secundum quod in decretali *Exiit* continetur, sic dicit: « Ex quo sequitur, quod usus facti, de quo ordinatio loquitur, de tali intelligi debeat, qui iustus sit, id est pro quo competat ius utendi ». — Item iste haereticus, volens imponere constitutioni, quod non dicit, dicit, quod dicta constitutio intelligit loqui de iure utendi civili et mundano, quod est ius proprium, pro quo datur actio in iudicio: sic patet, ut dicit, in hac constitutione *Ad conditorem* et in constitutione, quae incipit *Quia quorumdam*, in qua, ut dicit, hoc manifestat aperte, de quo asserit se inferius dicturum: hoc autem asserit obviare sacrae scripturae dicenti (Matthaei cap. 19) in persona apostolorum: *Ecce nos reliquimus omnia etc.*, ex qua, ut dixit, per doctores catholicos patet, quod reliquerunt ius agendi in iudicio: quod non stat cum tali perfectione supererogationis, quia implicat ad peccatum, sicut probat apostolus ad Corinth. cap. 6 dicens: *Iam quidem omnino delictum est in vobis, quia iudicia habetis inter vos;* et ideo, ut dicit, Christus iniunxit perfectis, ut non litigent neque contendant in iudicio (Matthaei 5 et Lucae 6).

Ad hoc dicimus, quod dicta constitutio aperte et expresse loquitur de usu, pro quo competit ius utendi, quos est aliud a iure agendi; potest enim alicui competere ius utendi, cui tamen non competit ius agendi: quare dicimus, quod imponit constitutioni, quod non intellexit nec dicit. Utrum autem tale ius sit mundanum et civile et an pro illo apostolis competierit ius agendi, dicetur inferius in his, quae apponit iste haereticus contra

---

communi habuerunt, non est haereticum, sed sanum et catholicum et fidele, maxime cum sancta Romana ecclesia haec determinat in dicta decretali *Exiit* § *Porro*: quae littera et diffinitio fuit etiam in formam authenticam redacta et sigillis et subscriptionibus generalis ministri et aliorum ministrorum et magistrorum dicti ordinis roborata et incipit *Universis Christifidelibus.* Et quod dictus dominus Ioannes frequenter dixerit sive pronuntiaverit, dictam litteram et determinationem dicti generalis capituli haereticam, patet per litteram authenticam subscriptionibus et testimoniis fratrum Raymundi de Lados procuratoris ordinis, Petri de Prato ministri provinciae s. Francisci et Laurentii de Coalhano bachalarii Avinionensis roboratam: quae pronuntiatio facta fuit anno Domini MCCCXXVIII nona die aprilis et etiam in authenticam formam redacta. Ex quo etiam patet, quod etiam secundum iudicium dicti domini Ioannis omnes illi fratres, qui interfuerunt dictae litterae et determinationi factae in dicto capitulo generali et nunc habent dominum Ioannem pro vero et catholico papa et dicta et gesta per eum approbant, sunt haeretici censendi. — Item ex alio capite secundum iudicium ipsius domini Ioannes fratres ipsi haeretici sunt censendi: quia constat, quod ipse dominus Ioannes, antequam foret in reprobum sensum datus, approbavit dictam determinationem factam in decretali *Exiit* et pronuntiavit eam solidam, claram, salubriter editam, lucidam multaque maturitate digestam et dictam religionem, quae profitetur evangelicam doctrinam perfectam et Christi vitam consistere in abdicatione proprietatis et dominii omnium rerum temporalium tam in speciali quam in communi, fore sanctam et de virtute in virtutem ad perfectionem tendere et fide claram ac in ecclesia catholica indissolubili textura connexam: sicut hoc patet in dictis constitutionibus domini Ioannis, quarum una incipit *Quorundam exigit* et alia incipit *Gloriosam;* et etiam pronuntiavit alios fratres censendos haereticos, qui tunc in ipsas suas constitutiones tamquam haereticales impingebant, sicut in litteris patet, quae incipiunt *Super omnia desiderabilia cordis nostri.* Cum ergo illi, qui nunc assentiunt statutis praedictis quatuor haereticalibus editis per dominum Ioannem, postquam fuit in reprobum sensus datus, in quibus oppositum et contrarium eius dicit et asserit et pronuntiat, impingant in primas suas constitutiones et eas per consequens fateantur erroneas et contra fidem: sequitur, quod secundum eius primum iudicium haeretici sunt censendi, cum id, quod aliquando fuit haereticum dictum, semper sit haereticum censendum. Insuper secundum iudicium universalis ecclesiae catholicae et veritatem infallibilem haeretici sunt censendi: quia veritatem fidei catholicae et doctrinae perfectionis evangelicae, quam sancta catholica et apostolica ecclesia tenet et firmiter confitetur, ut superius est probatum, abnegant, dictis statutis haereticalibus ipsi fidei et evangelio adversantibus assentiendo et ipsorum statutorum et haeresum in eis contentarum conditorem et doctorem verum et catholicum pontificem asserendo.

Ex praedictis etiam ostenditur, quod dictus Ioannes et omnes fratres [Minores] in dictis suis erroribus eum scienter et sponte sequentes et defendentes incidunt in plures haereses per universalem ecclesiam catholicam et apostolicam condemnatas. Et primo ostenditur, quod incidunt in damnatam haeresim Vigilantii haeretici damnati, qui dixit ac dogmatizavit, illos melius facere et Christum et apostolos sequi perfectius, qui suarum possessionum et rerum proprietatem et dominium retinent et paulatim fructus et proventus earum pauperibus erogant, quam illos, qui omnibus possessionibus et rebus omnibus venundatis omnia simul pauperibus largiuntur. Quam haeresim s. Hieronymus ecclesiae doctor improbat in libro, quem edidit contra dictum Vigilantium haereticum, sic dicens: « Quod autem asserit Vigilantius, eos melius facere, qui utuntur rebus suis et paulatim fructus possessionum suarum pauperibus dividunt, quam illos, qui possessionibus venundatis simul omnia pauperibus largiuntur, non a me, sed a Domino respondetur: *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia*,

constitutionem *Cum inter*. - Item in hoc, quod dicit, quod constitutio *Quia quorundam* continet manifeste, quod intelligitur de iure civili et mundano, quod est proprium, mentitur aperte; immo dicta constitutio dicit clare, quod ius utendi communitatis fratrum extitit. Cum enim Innocentius et Alexander in suis declarationibus regulae fratrum Minorum dixerint, quod locorum, domorum et utensilium et librorum, quae licet habere ordini, habeat ordo usum, dicta constitutio *Quia quorundam*, volens probare, quod illud de usu iuris intelligi debeat, sic subiungit: « Cum enim dicatur in declarationibus supradictis, quod ordo usum rerum habeat permissarum, ad usum iuris necesse est hoc referri. Facta quidem, quae singulorum sunt, personam veram exigunt et requirunt: ordo autem persona vera non est, sed repraesentata et imaginaria potius est censenda; quare, quae facti sunt, sibi vere convenire nequeunt, licet ei possint congruere, quod sunt iuris ». Ex quibus patet, quod dicta constitutio ius utendi non dicit esse proprium, sed toti universitati convenire. — Item dicit haereticus iste, quod, si usus posset separari a iure utendi, usus a iure utendi separatus non esset iniustus; quia aliud est, habere ius utendi, et aliud, licentiam utendi; et ideo, quamvis usus absque omni iure et licentia utendi esset illicitus, usus tamen absque iure utendi, cum licentia tamen utendi, nequaquam illicitus esset censendus. Secundum hoc iste haereticus inter ius et licentiam videtur facere differentiam, supponens, quod aliquis habeat utendi licentiam ab eo, qui eam potest concedere, et quod non habeat ius utendi: quod tamen evidenter est falsum; si enim aliquis licentiam concedat alicui utendi re sua usibili, ita quod licentia teneat, constat, quod iste habet ius utendi re illa, cui licentia est concessa. Hinc est, quod, licet religiosus in concordia extra suum monasterium electus sine sui superioris licentia ius consentiendi non habeat, obtenta tamen licentia ius habebit consentiendi (extra de electione cap. *Quare sit* lib. VI et cap. *Si religiosus* cum similibus multis).

Praeterea autem iste haereticus dicit, quod iste, cui utendi re aliqua licentia est concessa, iuste re illa utitur aut quod iniuste, aut quod nec iuste re illa utitur nec iniuste. Si dicat, quod iniuste, concordat utique cum constitutione praedicta, quae vult, quod, qui sine iure utitur, utatur iniuste; si dicat, quod iuste utitur, sequitur per consequens, quod et iure, quia, quod iuste fit, et iure fit (extra de verborum significatione cap. *Ius dictum*

---

quae habes, et da pauperibus; quae ad eum loquitur, qui vult esse perfectus, qui cum apostolo patrem, naviculam et rete dimittit ». Haec Hieronymus. Quare secundum doctrinam in dictis statutis haereticalibus per dictum dominum Ioannem haereticum dogmatizatam Christus nunquam verbo et exemplo docuit abdicationem paupertatis et dominii rerum temporalium, sed totum oppositum, ut superius est ostensum. Et nullus est perfectus nec esse potest, nisi in quantum sequitur doctrinam Christi, qui fuit fundamentum et fundator ac doctor et forma et exemplar omnis perfectionis et omnium perfectorum: iuxta quod dicitur Matth. cap. 10: *Non est discipulus super magistrum nec servus super dominum; sufficit discipulo, quod sit sicut magister eius, et servo, quod sit sicut dominus eius;* et Luc. c. 6: *Perfectus autem omnis est, si sit sicut magister eius.* Et sic patet, quod per dictam doctrinam in dictis statutis haereticalibus dogmatizatam, quod melius sequuntur Christum et per consequens melius et perfectius faciunt illi, qui sua retinent et in paucis de fructibus possessionum suarum se iuvant, quam illi, qui proprietatem et dominium omnium rerum temporalium a se abdicant, sicut Vigilantius haereticus asserebat. — Secundo ostenditur, quod ipse Ioannes et eius doctrinae sequaces incidunt in damnatam haeresim Ioviniani haeretici damnati, qui nullam differentiam faciens inter praecepta data omnibus Christianis et consilia data omnibus volentibus esse perfectos dixit et dogmatizavit, quod quantum ad meritum nulla est differentia inter honestatem coniugalem, vidualem, sive virginalem, et quod inter abstinentes et intemperate epulantes nullum est discrimen. De qua haeresi habetur XXIV, q. ult. § *Sectae haereticorum* videlicet Iovinianistae. Quod si verum foret, quod dictus haereticus in dicto libello sive statuto suo, quod incipit *Quia vir reprobus*, dogmatizat, cum dicit, quod Christus nullum modum vivendi specialem imposuit apostolis, nisi sicut ceteris christianis, sicut prius deductum est. Cum ergo manifestum sit, quod apostoli fuerunt perfectiores omnibus christianis et exemplar post Christum omnium perfectorum, et maioris meriti, sicut manifeste probat glossa ordinaria super illud ad Rom. 8: *Nos ipsi primitias spiritus habentes* dicens: « Nos apostoli, qui maiores aliis sumus per hoc, quod primitias spiritus habemus et ceteris abundantius » (haec glossa): sequitur manifeste, quod status coniugalis et status habentium dominia et possessiones in merito et perfectione non differunt a statu religiosorum viventium in castitate et sine proprio, sed eiusdem meriti, sicut dictus Ioannes asseruit. Quam haeresim reprobant omnes doctores ecclesiae catholicae et sancti patres. Sed unam solam auctoritatem Augustini sufficiat quantum ad praesens causa brevitatis adducere, qui in libro de bono coniugali dicit sic: « Bonum Susannae in coniugali castitate laudamus; sed tamen ei bonum viduae Annae ac multo magis Mariae Virginis anteponimus. Bonum erat, quod faciebant, qui de substantia sua Christo et apostolis eius ministrabant; sed melius, qui omnem substantiam dimiserunt, ut Christum Deum expeditiores sequerentur ». Haec Augustinus. Per quae haereses Ioviniani et Vigilantii et dicti Ioannis haeretici simul confunduntur et per ea, quae sanctus Hieronymus in libris, quos edidit contra dictos Iovinianum et Vigilantium, allegat, quae hic brevitatis causa omittuntur. — Unde et quartum concilium generale ecclesiae sive Toletanum diffinit, meliorem esse vitam monachorum consilia servantium quam saecularium tantummodo servantium praecepta, et quod clerici possunt fieri monachi, quia ad meliorem vitam transeunt (XX, q. 1, cap. 1). Et per evangelium probatur, quod Christus apostolis et viris volentibus esse perfectos imposuit alium modum specialem vivendi quam ceteris christianis, scilicet quod omnia temporalia relinquerent, dicens: *Nolite possidere aurum nec argentum nec peram etc.*; et iterum: *Si vis esse perfectus, vade et vende omnia, quae habes, et da pauperibus.* Unde Hieronymus ad Elbiadiam dicit: « Si vis esse perfecta et stare in primo fastigio dignitatis, fac, quod fecerunt apostoli: vade et vende omnia, quae habes, et da pauperibus et sequere Salvatoris nudam solamque crucem ». Haec Hieronymus. Item in evangelio dicitur: *Beati eunuchi, qui se castraverunt*

est, XIV q. 4 cap. *Quid dicam*). Si dicat autem, quod ille, cui est licentia utendi concessa, nec iuste utatur nec iniuste, hoc est falsum; impossibile est enim actum humanum individualem indifferentem esse, id est nec bonum nec malum, nec iustum nec iniustum. Cum enim actus humanus dicatur, qui ex deliberata voluntate procedit, et per consequens, quod fit propter aliquem finem, qui quidem obiectum noscitur voluntatis: oportet, quod, si finis actus sit bonus, et ipse actus sit bonus; si vero finis sit malus, oportet, quod actus sit malus, quia, sicut Augustinus in libro de moribus ecclesiae dicit, « secundum quod finis est culpabilis vel laudabilis, secundum hoc laudabilia et culpabilia sunt opera nostra ». — Nec obstat, si dicatur, quod immo Isidorus inter iustum et iniustum ponere medium fas videtur, dicens, quod ire per agrum alienum fas est et ius non est; Isidorus enim diviserat legem inter divinam et humanam et imposuerat nomina istis legibus, dicens, quod fas lex divina est, ius lex humana; unde volens de eis exemplum dare, subiunxit: « Ire per agrum alienum fas est (id est de iure divino licitum est), ius non est (idest de iure humano non licet), ut patet dist. I, cap. *Omnes leges*. Non ergo voluit Isidorus inter iustum et iniustum fas pro medio ponere, sed declarare, quod aliquid de iure divino licet, quod de iure humano non licet.

Adhuc iste haereticus dictam constitutionem satagit impugnare in eo, quod ipsa probare intendens, quod simplex usus sine iure utendi a proprietate seu dominio separatus in re usu consumptibili haberi non possit, sic dicit: « Praeterea, quod simplex usus sine iure utendi a proprietate seu dominio separatus in re usu consumptibili haberi nequeat, sic probatur: si enim haberi posset usus talis, aut ante ipsum actum aut in ipso actu aut post actum completum huiusmodi haberetur; quod autem hoc fieri nequeat, ex hoc patet, quia, quod non est, nequaquam haberi potest. Patet autem, quod actus ipse, antequam exerceatur aut etiam dum exercetur aut postquam perfectus est, in rerum natura non est: ex quo sequitur, quod haberi minime potest. Licet enim ante actum ipsum quis facultatem habeat ipsum exercendi, per hoc tamen actus ipse in rerum natura nisi in potentia non existit. Cum autem actus est in fieri, nec adhuc est in rerum natura, cum *esse* rem perfectam significet, quod, quamdiu est in fieri, non potest actui convenire; quod enim de actu, qui est in fieri, praeteriit, iam non est; quod autem fit in praesenti, instantaneum est seu momentaneum est et tale,

---

propter regnum coelorum, et item: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me.* Ex quibus verbis evangelii per omnes doctores catholicos et sanctarum religionum institutores per catholicam ecclesiam approbatarum triplex votum religiosorum omnium volentium Christum et apostolos eius perfecte sequi, videlicet vivendo sine proprio et in castitate et in obedientia, elicitur et ab omnibus sanctis religiosis est emissum, ut viam perfectionis evangelicae apostolis et apostolicis viris a Christo impositam inviolabiliter observarent, sicut et in omnibus regulis sanctorum per universalem ecclesiam approbatis colligitur evidenter. — Tertio ostenditur, quod dictus Ioannes et praedictae eius doctrinae sequaces incidunt in damnatam haeresim Valdensium, qui bonum et meritum obedientiae sanctae, quod praestatur hominibus propter Deum, diffitentur et abnegant, soli Deo sive praeceptis Dei obediendum esse pertinaciter asserentes: quia, si votum vivendi sine proprio non extendit se ad res, quas vita humana necessario requirit, ut dictus Ioannes haereticus dogmatizat, et secundum eum in rebus omnibus usu consumptibilibus non possit separari usus a proprietate (ita quod quilibet, qui habet usum temporalium, habet per consequens proprietatem, ut ipse haereticus in dicto suo statuto *Ad conditorem* et in dicto libello *Quia vir reprobus* dogmatizat), sequitur manifeste, quod religiosi in rebus omnibus usu consumptibilibus sive ad vitam humanam necessariis eis in singulari concessis, datis vel oblatis, habent proprietatem et dominium ac liberam secundum eorum voluntatem dispositi nem, et quod possunt de eis tanquam de propriis rebus facere, quicquid placet, absque voluntate superiorum suorum, cum lege testante quilibet sit in re propria legitimus moderator et arbiter (cap. mandati l. in re mandata, et instit. de rerum divisione § *Per traditionem* et cap. de contrahenda emptione l. *dudum*, et I q. 1 cap. *Eos qui*). Omnis enim dominus, quod habet, vendit, si vult, et re propria ac potestate faciendi de ea, quod placet, nullus privandus sine culpa sua (l. VI di. cap. *Satis perversum* et XVI, q. ult., cap. *Inventum):* et per consequens superiores sive praelati religiosorum non habent potestatem praecipiendi ipsis subditis suis, quod de talibus rebus aliter faciant, quam ipsis subditis suis videatur et placeat; nec ipsi subditi tenentur eis obedire in his: et sic bonum obedientiae, quod praestatur per religiosos suis superioribus, annullatur. — Similiter, si verum est, quod dictus haereticus dogmatizat, scilicet quod Christus nullum modum vivendi in speciali imposuit apostolis sicut nec ceteris christianis, cum apostoli ceteris fuerint perfectiores et maioris meriti apud Deum: sequitur, quod votum obedientiae et vivere in obedientia in hiis, quae sunt supererogationis ad praecepta data omnibus christianis, non est maioris meriti quam observantia, quae in praeceptis praestatur ab omnibus christianis; et sic per hanc haereticalem doctrinam, quidquid est perfectionis in religiosis, scilicet vivere in obedientia, sine proprio et in castitate, destruitur et religiosi per observantiam suae religionis non plus habent de merito quam ceteri christiani, quae praecepta omnibus data servant: et sic hoc modo viventibus in religione, ut dictum est, nullum meritum sanctitatis accrescit et profiteri, vivere in obedientia, sine proprio et in castitate, nihil aliud est quam penitus insanire; et omnes sancti, qui talem perfectionem fecerunt et faciendam docuerunt, per consequens erraverunt.

Insuper dictus Ioannes haereticus et dictae suae doctrinae sequaces iudaizant et omnibus Iudaeorum et sectae magni Antichristi viam praeparant et fomentum: quia, sicut apparet in saepedicto libello, qui incipit: *Quia vir reprobus*, ipse dicta Danielis prophetae et aliorum prophetarum loquentium de regno Christi spirituali et aeterno exponit et intelligit de temporalibus et mundano regno, probans per ipsa prophetarum dicta, quod Christus, in quantum homo, fuit verus rex et dominus in rebus temporalibus. Et Iudaei similiter dicta prophetarum loquentia de regno Christi et Messiae venturi intelligentes ad litteram de regno temporali et mundano arguunt ex ipsis dictis prophetarum, quod Christus, quem Christiani colunt, non fuit ille

quod magis intellectu percipi potest quam sensu. Adhuc post completum actum, licet, si ex ipso facto producta res aliqua fuerit, res ipsa haberi valeat, factum tamen ipsum, quod iam transiit, non habetur ». Haec verba ipsius constitutionis, e quibus concludere nititur haereticus supradictus, quod praedicta probatio gesta Christi et apostolorum destruit, quae sacra scriptura eos fecisse testatur, scilicet quod (si actus utendi haberi non possit, quia in rerum natura non est, nec, antequam fiat, in rerum natura non sit, nec, dum fit, nisi pro instanti, nec, postquam perfectus fuit) per consequens sequitur, quod nec aliquid fieri possit, cum factum, antequam fiat, in rerum natura non sit, nec, dum fit, nisi pro instanti, nec postquam fuerit perfectum. Procul dubio ista consequentia est falsa et est potius totum contrarium concludendum, videlicet quod, si actus utendi, quia in rerum natura non est, haberi non potest, concludi debeat, quod, quia factum in rerum natura non est, fieri non possit; sicut enim, quod non est, haberi non potest, sic, quod est factum, fieri nequit; unde, si actus utendi haberi non possit, quia in rerum natura non est, sequitur, quod factum, quia in rerum natura non est, fieri non possit. — Rursus dicit iste haereticus, quod per rationem praedictam sequeretur, quod nec usus rerum usu consumptibilium etiam coniunctus cum proprietate seu dominio haberi possit: quod de usu facti utique nos fatemur, et idem dicimus de rebus non consumptibilibus usu; licet enim illis quis de facto uti valeat, habere tamen nequit in talibus usum facti, ut ex praedictis patet.

Praeterea dicit iste haereticus, quod dicta constitutio falsum includit in eo, quod dicit, quod, si in rebus usu consumptibilibus possit usus constitui vel haberi, nequaquam simplex nec separatus a proprietate seu dominio usus huiusmodi possit dici, cum per talem usum id est utendi actum et in ipso actu et cum ipso actu res huiusmodi consumatur, in ipsiusque rei exerceatur substantia, nec sine ipsius rei consumptione esse valeat talis usus; dicit enim, quod praedicta constitutio intelligit, quod statim et ultimate in actu utendi res huiusmodi consumatur, cum manifestum sit, quod vestes non statim in primo actu utendi ultimate et omnino consumuntur, sicut etiam panis non statim in principio actus [edendi] consumitur; et sicut non est inconveniens, quod dominus habeat dominium servi comedentis, ita non est inconveniens, quod dominus habeat dominium cibi vel potus existentium in ore servi. Ad quod dicendum, quod iste haereticus manifeste imponit constitutioni, quod

---

verus Christus et Messias, quem prophetae venturum praedicant in scripturis, quia certum est ex evangelio, quod ipse dominia rerum temporalium huius mundi non habuit nec obtinuit, imo, cum Iudaei eum regem facere vellent, recusavit et divitias et dominia rerum huius mundi docuit relinquenda; unde ex tali falso intellectu scripturae prophetarum Iudaei decepti exspectant Christum et Messiam venturum, qui dominium huius mundi et regnum obtineat, et suscipient Antichristum, qui ad litteram obtinebit universale dominium et regnum totius mundi ac divitias temporales suis sequacibus largietur. Ex quo sequitur, quod secundum dictum haereticum exponentem et intelligentem dicta prophetarum, sicut Iudaei exponunt et intelligunt de dominio et regno huius mundi, paratur via et fomentum ad sectam Antichristi, scilicet ad credendum, quod ille, qui venturus est et universale dominium huius mundi et divitias habiturus et aliis largiturus, sit ille verus Christus et Messias in prophetis et lege promissus, sicut haec plene probantur in libello magistrorum, de quo infra dicetur, qui incipit: *Quicunque vult salvus esse.*

Ex praedicta etiam doctrina dicti haeretici sequitur, quod fallax et seductoria fuit doctrina Christi dicentis: *Regnum meum non est de hoc mundo* (Ioh. 18); et Augustinus super Iohannis ipsa verba evangelica pertractans dicit et probat manifeste, quod regnum Christi, in quantum fuit homo, degens in hac vita, non fuit regnum temporale nec de rebus temporalibus huius mundi, sed spirituale; quia, ut dicit ipse Augustinus, regnum Christi erant credentes in ipsum, in quibus regnabat per fidem in eorum cordibus diffusam: ad quod regnum Christi pervenitur credendo, ut ibi dicit. Et idem ipse Augustinus dicit in sermone de Innocentibus: « Praeterea regnum illius, qui venerat in mundum iudicari temporaliter et non iudicare et praedicabat et docebat regnum terrenum contempnere et dimittere propter regnum coelorum, non debuit esse temporale et terrenum, ne aliud faciendo et aliud praedicando eius praedicatio contemptui haberetur ». — Item sequitur ex doctrina dicti haeretici, quod fallax et deceptoria fuit doctrina Christi, quam Iudaeis legitur tradidisse, Matth. 10 mandans eis, quod tributa redderent Caesari, cum dixit: *Reddite, quae sunt Caesaris, Caesari, et quae sunt Dei, Deo.* Ex quibus verbis evangelii colligitur evidenter, quod Caesar illo tempore, quo Christus praedicabat, erat verus rex et dominus in temporalibus Iudaeorum; alias non fuissent ei reddenda tributa, si Christus, in quantum homo, fuisset in temporalibus eorum rex et dominus: cum duo in solidum et immediati eiusdem regni temporales reges et domini nullatenus esse possunt, ut habetur plene et probatur in praedicto libello magistrorum. — Sequitur etiam ex dicta doctrina, quod fallax et deceptoria fuit doctrina Christi, quam tradidit apostolis et aliis volentibus eum perfecte sequi, dicens: *Si vis esse perfectus, vade et vende omnia, quae habes, et da pauperibus, et veni, sequere me.* Quae verba pertractans beatus Bernardus ad fratres de monte Dei dicit de Christo sic: « Cum dives esset, pauper pro nobis factus est, et qui voluntariae paupertatis dedit praeceptum, ipse eiusdem in semetipso formam dignatus est demonstrare; ut enim sciant evangelici pauperes, quid eis faciendum sit, ipse etiam a fidelibus pasci voluit et nonnumquam ab infidelibus, ut eos fideles faceret, vitae necessaria recipere non recusavit ». Haec Bernardus: et loquitur de pauperibus religiosis, qui vovent vivere sine proprio, quos exemplo Christi dicit debere eleemosynis substentari. Unde et ipse Christus dixit: *Exemplum dedi vobis, ut, quemadmodum ego feci, et vos faciatis.* Quod si Christus, in quantum homo, habuit universale dominium omnium rerum temporalium et illud a se nunquam abdicavit, ut dictus haereticus dogmatizat, non fecit, quod docuit, et illis pharisaeis, quos ipse redarguit: *Dicunt enim, et non faciunt*, similis fuit, quia aliis mandavit, si vellent esse perfecti, ut dominium omnium temporalium a se abdicarent, et illud ipse sibi retinuit et nunquam abdicavit; et falsum foret, quod ipse in evangelio dicit de se ipso loquens: *Filius hominis non habet, ubi caput suum reclinet.* Unde Hieronymus in glossa originali in ipsis verbis dicit

non intellexit nec dixit, videlicet quod in primo actu utendi ultimate et omnino res usu comsumptibiles consumantur; sed intellexit et evidenter expressit, quod per usum perfectum, per quem res dicuntur usu consumptibiles, consumantur; dixit enim, quod per talem usum idest utendi actum et in ipso actu res huiusmodi consumuntur. Posuit enim copulative utendi actum: et in ipso actu et cum ipso actu, unde satis expressit, quod non per ipsius actus principium consumantur res huiusmodi, sed per actum perfectum. Item subiunxit, quod actus utendi in ipsius rei (scilicet consumptibilis usu) exerceatur substantia vel sine ipsius consumptione esse valeat usus talis: unde, quum dicat, quod sine rei consumptione esse valeat usus talis, satis evidenter expressit, quod de usu illo, per quem res consumitur, non de eius principio intellexit.

Rursus dictus haereticus dictam constitutionem impugnare nititur in eo, quod ipsa dicit, quod « retentio dominii, quam summus pontifex fecit in rebus, quae ad fratres Minores obvenerant vel imposterum obvenirent, dictis fratribus quantum ad statum perfectionis nequaquam profuit, quantum ad hoc, quod propter carentiam talis dominii se pauperiores dicere valeant, quam si res illas cum dominio illo, quo carere se dicunt, obtinerent »; et infra: « talis enim carentia dominii re in praesenti et spe in futurum omni commodo denudati pauperiorem non efficit non habentem »; et infra: « Nolentes in posterum, quod sub praetextu seu pallio talis dominii verbalis, nudi et aenigmatici fomentum tantis malis, quanta praecedunt ex simulatione huiusmodi, ministretur, sancimus *etc.* ». Praedicta verba secundum istum haereticum sacrae scripturae ac doctrinae evangelicae et apostolicae et sanctae matris ecclesiae obviant et repugnant; nam ex scriptura divina superius, ut asserit, est ostensum, quod apostoli et eos sequentes viri perfecti ex consilio Christi proprietatem et dominium rerum temporalium omnium reliquerunt, usu rerum necessariarum ad vitae humanae sustentationem, cui non est licitum renuntiare, contenti. Constat autem secundum ipsum, quod dominium, quod apostoli in omnibus rebus temporalibus, quorum usum habebant, ex Christi consilio reliquerunt, fuit omni temporali commodo (scilicet utili) denudatum, sicut manifeste patet in rebus, quarum proprietatem et dominium (usu retento, prout evangelica testatur historia) reliquerunt, cum in consilio a Christo dato de rebus temporalibus abdicandis abdicatio proprietatis et dominii earum rerum, et non usus, ut

---

sic: « Quid me propter lucrum saeculi vis sequi, cum ita sim pauper, ut nec hospitiolum, quod meum sit, habeam, et tecto utar alieno? » Haec Hieronymus. Ex quibus clare patet, quod Christus non habuit hospitium aliquod quantum ad dominium, quia, si habuisset dominium omnium rerum, habuisset, ubi caput suum reclinasset. — Ex eo etiam, quod dictus haereticus per autoritatem praedictam Danielis dicentem: *Suscitabit Deus coeli regnum, quod non corrumpetur nec dissipabitur in aeternum* nititur et intendit probare, quod Christus habuit regnum et dominium universale totius mundi, sequitur alia haeresis detestanda, scilicet quod regnum Christi terrenum et mundanum (secundum eum) non corrumpetur nec dissipabitur in aeternum; alias probatio et inductio sua nulla foret. Et sic secundum istum errorem sequitur, quod mundus iste sit in perpetuum duraturus: et per consequens, quod nunquam erit resurrectio generalis mortuorum. Qui error fidei catholicae obviat manifeste.

Quamobrem ego praefato Iacobo, qui se papam appellat, primo in eius praesentia constitutus in facie restiti, firmiter asserens, dictam determinationem, quam dictum capitulum generale et ecclesia in decretali *Exiit* fecerat de paupertate Christi et apostolorum, fore catholicam, et contradicens assertioni suae, cum ipsam dicebat haereticam, ad instar Pauli, qui Petro restitit in facie, cum gentes iudaizare et a veritate fidei recedere inducebat (ad Gal. cap. 2, et di. II, q. 7, cap. *Ecce*); ac deinde existens in curia Avinionensi ab ipso Iacobo ad sanctam catholicam et apostolicam ecclesiam nomine meo et dicti ordinis et omnium fratrum mihi adhaerentium et adhaerere volentium sollempniter appellavi; et sic iuxta mandatum apostoli ad Titum dicentis: *Hominem haereticum post primam et secundam correptionem devita* et doctrinam ecclesiae catholicae (XXIV, q. 3, cap. *Dixit apostolus*) ab ipsius Iacobi pertinacis haeretici obedientia et communione recessi (cum fratribus adhaerentibus mihi et appellationi per me interpositae) et ivi ad loca tuta, ut possem ipsam appellationem publice prosequi et etiam innovare: ad instar sanctorum et multorum de clero Romano, qui ab obedientia et communione Anastasii papae deviantis a fide catholica recesserunt, et ad instar sanctorum Athanasii Alexandrini, Eusebii Vercellensis et aliorum sanctorum, qui ab obedientia et communione Leonis papae errantis a fide catholica recesserunt, prout in chronicis et sanctorum legendis legitur et habetur. Et cum fui in civitate Pisarum, dictam appellationem innovavi et sollempniter publicavi, quamque etiam interposui contra statuta haereticalia facta per Iacobum saepedictum; et ipsam appellationem eidem Iacobo in forma publica destinavi. Unde dato sine praeiudicio, quod non fuisset tunc certum, ipsum Iacobum fuisse haereticum manifestum et tamquam haereticum manifestum fuisse ab omnibus catholicis evitandum, sicut erat, sed in dubium duceretur, tum in tali dubio generale concilium universalis ecclesiae catholicae, quod sanctam Romanam ecclesiam, ad quam per me dictis nominibus appellatum extitit, repraesentat, habebat de huiusmodi appellatione et crimine haeresis agnoscere et diffinire (sicut habetur in dicto cap. *Anastasius* in textu et glossa super verbo *Concilio*, XV di. cap. *Sicut sancti* in textu et glossa et XL di. cap. *Si papa*): quia in hiis, quae fidei sunt, maius est concilium quam papa (XCIII di. cap. *Legimus* in textu et glossa); immo, si papa a fide deviat, minor est quocunque catholico (ut habetur et notatur XXIV, q. 1, cap. *Acatius* in glossa et in § *Si autem* circa finem). Et in omnem casum manifestum est, quod ipse Iacobus post appellationem per me interpositam non potuit contra me aliquid innovare vel facere, quia post appellationem eximitur appellans a potestate illius, a quo appellavit (ut patet per id, quod legitur et notatur de appellationibus cap. *Proposuit* in textu et glossa), nec is, a quo appellatum est, pendente appellatione potest in praeiudicium appellantis aliquid innovare (I q. 6, cap. *Appellatione* et ff. *nil innovari appellatione pendente* l. I): et maxime, cum causa tangit illum, a quo appellatum sive provocatum est, sicut tangebat dictum Iacobum, contra quem tamquam haereticum appellabam,

superius ostenditur, includatur. Si ergo carentia talis dominii ad perfectionem non pertinet nec pauperiorem efficit non habentem, sicut dicta constitutio dogmatizat, sequitur, quod Christus simulatam et falsam doctrinam tribuerit volentibus perfectionem attingere, quod omnia temporalia quoad proprietatem et dominium relinquerent, consulendo; et quod Augustinus et Hieronymus doctores ecclesiae et alii sancti patres religionum institutores erraverunt, qui dicti Christi consilium sequi volentes abdicationem proprietatis et dominii omnium rerum sunt professi. — Profecto iste haereticus, ut praevaricator legis notorie verba constitutionis praedictae truncate recitat, illa, quae eius defectum manifeste insinuunt, omittendo; intendit enim probare dicta constitutio, quod retentio dominii praedicta, facta per summum pontificem, quantum ad statum perfectionis nequaquam praedictis fratribus profuit: quam probationem omittit dictus haereticus, quae talis est, ut ex dictae constitutionis tenore manifestius liquet: « Quod enim, inquit, quantum ad statum perfectionis nequaquam profuerit retentio dominii supradicta, patet; cum enim perfectio vitae christianae principaliter et essentialiter in charitate consistat, quae ab apostolo vinculum perfectionis dicitur, et quae unit seu iungit aliqualiter hominem suo fini, ad quem per contemptum bonorum temporalium et ipsorum expropriationem via disponitur, per hoc praecipue, quod sollicitudo, quam ipsa temporalia in acquirendo, conservando et disponendo exigunt et quae plerumque ab actibus charitatis retrahit, amputatur: restat, quod, si sollicitudo eadem post expropriationem huiusmodi, quae ante ipsam inerat, perseveret, ad perfectionem huiusmodi talis expropriatio nil valeat conferre. Constat autem, quod post ordinationem praedictam non fuerint in acquirendis aut conservandis bonis praedictis in iudicio et extra iudicium minus solliciti, quam ante illam fuerant fratres ipsi [Minores], quam sint religiosi Mendicantes alii habentes aliqua in communi ». Credimus itaque, quod nullus sapiens probationem huiusmodi reprobabit, propter quod ipsam haereticus non expressit.

Item intendit probare dicta constitutio, quod quantum ad hoc, quod propter carentiam talis dominii se pauperiores fratres ipsi dicere valeant, quam si res ipsas cum illo, quo carere se dicunt, dominio obtinerent, non profuit retentio dominii supradicta, quod, ut sequitur, probat: « Licet enim praedecessor noster praedictus dominium illarum rerum, quae ipsis fratribus afferri seu conferri aut alias

---

quia in causa propria nullus potest iudicare vel ius sibi dicere (XXIII, q. 4, cap. *Inter querelas* et V q... cap. *De occidendis* et cap. *Ne quis in causa propria iudicet vel ius sibi dicat* et IV, q. 4, cap. 1 cum similibus). — Ex quibus clare patet, quod ille processus, quem de facto contra me et in praeiudicium mei et mihi adhaerentium et dicti ordinis fecit post appellationem per me dicto nomine ab ipso, ut dictum est, interpositam, absolvendo me ab officio generalis ministerii dicti ordinis et contra me excommunicationis sententiam fulminando et instituendo dominum Bertrandum de Turre in vicarium generalem ordinis saepedicti, et quidquid factum fuit per ipsum dominum Bertrandum immutando terminum triennii statutum in regula et capitulo generali et ministros provinciales legitime et per electionem institutos absolvendo absque causae cognitione et alios ministros novos proprio motu absque electione aliqua statuendo et mandando, quod tales sic perperam instituti Parisius convenirent et ministrum alium eligerent generalem, et omnis electio per tales facta et quicquid ex praedictis secutum fuit, nullius extitit firmitatis; sed omnia per eos facta fuerunt nulla et irrita et nullius prorsus roboris et momenti, sicut habetur et plenius ostenditur et probatur per VIII rationes insertas in *allegationibus magistrorum* super hoc factis *(cfr. supra p. 388 not. 3)*.

Ac per consequens patet, quod ille frater Geraldus, quem elegerunt Parisius in generalem ministrum, non est nec dici potest generalis minister ordinis memorati: et quicquid egit et fecit tamquam generalis dicti ordinis, nullius est momenti, et quod ei non potest sine animae dispendio quomodolibet obediri; et quod omnes illi, qui sibi aut aliquibus institutis in officiis aliquibus per ipsum obediunt, sunt extra obedientiam regulae et religionis institutae per sanctum Franciscum et omnibus gratiis et privilegiis dictae religionis per sanctam ecclesiam catholicam concessis sunt privati; et quod tam ipse frater Geraldus quam omnes alii, qui in dicta congregatione (immo verius conspiratione) facta Parisius de mandato dicti haeretici consenserunt in dictis et factis dicti haeretici, fuerunt et sunt excommunicati et apostatae. Et in ipso fratre Geraldo et suis sequacibus demonstrative adimpletur, quod beatus Franciscus Spiritu sancto dictante, ut supra dictum est, prophetizavit, dicens: « Vae illis, qui de sola specie religionis confisi tepescent nec resistent temporibus ad probationem electorum permissis », cum ipse frater Geraldus scribat seu scribi faciat per sequaces suos verba fallacia, dicens, quod dominus papa reputat regulam et perfectionem nostram sanctam et modum vivendi secundum se sumptum bonum: quam tamen regulam et perfectionem per dicta statuta haereticalia realiter pronuntiat et asserit non esse regulam nec vitam secundum evangelium, sed contrariam vitae et doctrinae Christi et sancti evangelii; immo evidenter pronuntiat haereticum fore asserere, quod Christus et apostoli non habuerint proprietatem et dominium rerum temporalium in speciali et in communi, ut superius est ostensum. Et post pauca dictus frater Geraldus in suis scriptis contradicens sibi subiungit dicens in haec verba: « Qui dominus papa modum videndi fratrum reputat discrepare a mandatis regularibus et papalibus et suadet, quod alium modum vivendi bonum inquirant ». Si enim discrepat a mandatis regularibus et papalibus et ideo alium modum bonum vivendi suadet eligi, sequitur manifeste, quod praecedens modus hactenus a sanctis patribus observatus non fuit bonus nec licitus, sed illicitus et erroneus. Et, ut alium modum vivendi ab illo, qui a sanctis patribus et fratribus dicti ordinis est observatus hactenus, et per consequens aliam perfectionem et vitam eligant, mandat ipse frater Geraldus, quod sequaces sui congregentur in festo Pentecostes apud Perpinianum: et hoc facit, ut dicit, de mandato dicti domini Ioannis, quem papam sanctissimum appellat. Et ad monstrandum manifeste per professiones pseudofratum sequentium dictum Iacobum haereticum, quod dicta professio et status dicti ordinis sunt haereticales, fertur publice, quod ipse haereticus vult et intendit omnino, quod illi, qui congregabuntur in dicto loco Perpiniani, abiurent litteram et determinationem

obvenire contingerent, quarum tamen usum facti habere licet ordini vel fratribus antedictis, usu simplici facti praedictis fratribus reservato, in se et Romanam ecclesiam recipiendum duxerit ac libere pertinere decreverit, ut superius est expressum, attento tamen ipsorum fratrum utendi modo et eius effectu et patientia circa modum Romanae ecclesiae subsecuta, non ipse usus fratrum dici debet, sed potius Romanae ecclesiae dominium esse simplex. Quis enim simplicem usuarium dicere poterit, cui rem usuariam licet permutare, vendere aut donare? Procul dubio haec naturae repugnant usuarii nec ad usuarium pertinent: quae tamen de rebus mobilibus antedictis faciunt fratres ipsi. Quod autem dominium Romanae ecclesiae reservatum simplex censeri debeat, ex hoc patet, quod ex illo nullum ecclesiae eidem temporale obvenerit hactenus commodum nec speretur, quod obvenire debeat in futurum, cum nec intentio reservantis nec fratrum ipsorum fuerit, quod ad quemcunque alium quam ad fratres dictarum rerum perveniret compendium: quod procul dubio modus ipsorum fratrum et Romanae ecclesiae subsecuta patientia evidenter declaravit. Et quod talis fuerit intentio ordinantis, etiam ex hoc patet, quod illarum rerum sibi et ecclesiae Romanae dominium dumtaxat retinuit, quarum usum facti liceret habere ordini et fratribus antedictis: talis autem dominii carentia re in praesenti et spe in futurum omni commodo denudati quoad paupertatem temporalem, quam altiorem prae Mendicantibus aliis in communi habentibus sibi vindicant fratres antedicti, pauperiorem non efficit non habentem ». Ex praedictis probatum evidenter credimus, quod (attento dictorum fratrum usu rerum, in quibus usumfacti simplicem asserunt se habere, et patientia apostolicae sedis) eos pauperiores carentia talis dominii non efficit.

Ad hoc autem, quod ipse dicit, quod ex hoc sequitur, quod Christus simulatam et fallacem doctrinam tribuit volentibus ad perfectionem attingere, quod omnia temporalia quoad proprietatem et dominium relinquerent, consulendo, dicimus, falsum esse, quod consuluerit apostolis et discipulis suis ad minus, quod non haberent in communi: et de hoc dicetur latius in obiectionibus contra constitutionem *Cum inter* per istum haereticum factis. — Ad illud autem, quod dicit, quod etiam ex praedictis sequitur, quod Augustinus, Hieronymus et alii sancti patres religionum institutores erraverunt, qui dictum Christi consilium sequi volentes abdicationem proprietatis et dominii rerum omnium sunt professi, dicimus, quod mentitur aperte, quia nullus eorum, exceptis fratribus Minoribus, abdicarunt a se vel suis fratribus res quantum ad proprietatem et dominium in communi: immo eis secundum suas regulas licet et licuit habere etiam res immobiles in communi. — Ad illud autem, quod inducit Levitici cap. ult., ubi dicitur, quod *omnes decimae sive de frugibus terrae sive de pomis arborum Domini sunt et illi sanctificantur*, et quod Numerorum

---

praefati capituli generalis, quae est eadem cum determinatione facta in decretali *Exiit*, in qua professio et status dicti ordinis sunt fundati, et per consequens se et professionem et statum praedicti ordinis fuisse haereticos fateantur et, si aliquando contrarium dicerent, tamquam relapsi tradantur saeculari iudicio sine misericordia comburendi (per cap. extra de haereticis *Ad abolendam*); quos supponit ex nunc per suas litteras patentes iurisdictioni ordinariorum et inquisitorum haereticae pravitatis: ita, quod non solum ad animarum mortem et dampnationem sed etiam ad corporalem mortem et perpetuam et irreparabilem confusionem suos sequaces adducit. Et sic patet, quod ipse frater Geraldus in sola specie religionis, in apparentia et verborum foliis, ut dicantur de ordine b. Francisci, licet in veritate non sint, gloriantur contra illud, quod legitur I, q. 1, cap. *Marcion.*

Liquet igitur, quod illi soli fratres, qui dictam veritatem evangelii et professionem dictae regulae, quam voverunt, et determinationem ecclesiae catholicae in decretali *Exiit* traditam firmiter et fideliter tenent, confitentur et servant et usque in finem servare volunt, sunt veri fratres Minores et filii beati Francisci et in statu et via salutis et coronam vitae aeternae suscipient Domino concedente, sicut de ipsis dictus sanctus Franciscus, ut praedictum est, prophetizavit, et quod ad ipsos spectat et pertinet officium audiendi confessiones et praedicandi et cetera alia faciendi, quae per privilegia sanctae ecclesiae catholicae fratribus et beati Francisci regulae sunt concessa.

Praedictus quoque Iacobus haereticus, ultra praedictas haereses superius specificatas, plures alias damnatas haereses notorias et manifestas in dictis suis statutis et libellis publice dogmatizat, quae seriatim continentur et explicantur tam in appellationibus meis per me adversus dictum Iacobum et eius haereses interiectis quam in aliis libris allegationum compositis per excellentes magistros in sacra pagina, quorum primus [a fr. Francisco de Asculo editus, cfr. *Sbar.* Suppl. ad script. ord. Min. p. 243] incipit: *De patre impio queruntur filii*, alius incipit: *Principales haereses*, tertius: *Quicumque vult salvus esse;* et rationibus et auctoritatibus divini iuris et sanctorum doctorum ecclesiae ac diffinitionibus sacrorum conciliorum ecclesiae catholicae convincuntur. Quae omnia praesentibus explicare nimis foret prolixum.

Quo circa, ne aliquis sub colore ignorantiae se excusabilem esse praetendat, vobis et cuilibet vestrum districte per obedientiam iniungo, quatenus praesentes litteras in vestris conventibus frequenter legi et exemplari in multis partibus faciatis quodque exemplar ipsarum litterarum, originali penes vos retento, ad omnes partes et omnia loca dicti ordinis vobis subiecta curetis velociter destinari et quod etiam apud ceteras personas tam ecclesiasticas quam saeculares praedicta omnia, prout securius et melius per vos fieri poterit, publicetis ad hoc, ut praedicta veritas iuxta meum desiderium ad communem omnium notitiam deducatur et publice praedicetur, ne haereses et errores praefati haeretici ab omnibus vere catholicis detestandi animas simplicium decipiant et involvant et ad aeternam damnationem perducant. Valete in Domino et orate pro revelatione veritatis doctrinae evangelicae et regulae almi confessoris b. Francisci, et pro me et fratribus persecutionem maximam pro defensione huius veritatis sustinentibus. In quorum omnium testimonium et fidem praesentes litteras fieri feci et sigilli officii mei munimine roborari. Datum Monaci provinciae Alamanniae superioris, XXIV die mensis ianuarii, anno Domini MCCCXXXI.

cap. 18 loquens de perfectione levitarum Dominus dicit: *Nihil aliud possidebunt decimarum oblatione contenti, quos in usus eorum et necessaria separavi*: « in usum », inquit iste haereticus, non « in dominium » dixit, profecto per hoc se praevaricatorem legis manifeste ostendit; in illo enim cap. Numerorum 18 expresse dicitur, quod Dominus dedit levitis dominium decimarum; et ad quid daret eis, declaravit dicens, quod in usus eorum et necessaria decimas huiusmodi separabat; non autem dixit, quod usu facti levitae essent contenti. Multum autem refert, utrum res aliqua aliquibus detur in usum et necessaria, an usus in re aliqua seu rei alicuius alicui concedatur, sicut plenius et latius est superius, ubi induxit eadem capitula, declaratum. — At id autem, quod dicit, quod hoc est contra determinationem ecclesiae factam in cap. *Exiit*, superius saepius est responsum.

Rursus dictus haereticus constitutionem *Cum inter nonnullos* satagit impugnare dicens, quod dicta constitutio declarat fore censendum haereticum affirmare deinceps, dominum nostrum Iesum Christum eiusque apostolos non habuisse aliquid in speciali nec etiam in communi; et insuper haereticum dicit fore censendum affirmare, Christo et eius apostolis in his, quae eos habuisse sacra scriptura testatur, non competiisse ius utendi nec illa vendendi seu donandi ius habuisse aut ex ipsis alia acquirendi. [Ad quod] dicimus, quod haereticus iste constitutionem imperfecte recitat quantum ad ultimam partem eius; quia post illud verbum: « nequaquam ipsis ius utendi » omittit « seu consumendi », quod immediate sequitur ibi; item post verbum illud « aut ex ipsis alia acquirendi » omittit, quae sequuntur, scilicet: « quae tamen ipsos de praemissis fecisse scriptura sacra testatur seu ipsos potuisse facere supponit aperte ». Unde, ut melius eius fraus et malitia detegatur, textus dictae constitutionis partis ultimae noscitur esse talis: « Rursus in posterum pertinaciter affirmare, quod Redemptori nostro praedicto eiusque apostolis in his, quae eos habuisse scriptura sacra testatur, nequaquam ius ipsis utendi seu consumendi competierit nec illa vendendi seu donandi ius habuerint aut ex ipsis alia acquirendi, quae tamen ipsos de praemissis fecisse scriptura sacra testatur seu ipsos potuisse facere supponit aperte (cum talis assertio ipsorum usum et gesta evidenter includat in praemissis non iusta, quod utique de usu et gestis seu factis Redemptoris nostri Dei filii sentire nefas est, scripturae sacrae contrarium ac doctrinae catholicae inimicum): assertionem ipsam pertinacem de fratrum eorumdem consilio deinceps erroneam fore censendam merito haereticamque declaramus *etc.* ». Dicit ergo haereticus iste, quod dicta constitutio, cum de *habere* et *competere* loquatur, intelligit de *habere* seu *competere* iure proprietatis seu dominii civilis seu mundani, per quod contenditur seu in iudicio litigatur; et quod de tali intellexerit, patet, ut dicit, quia dicta constitutio evidenter includit, quod Christus et apostoli in his rebus, quas ipsos habuisse sacra scriptura testatur, ius vendendi et donandi seu alia ex ipsis acquirendi habuerunt, quod ius iure humano fuisse introductum manifestum existit. — Profecto iste haereticus imponit constitutioni, quod ipsa non dicit; constitutio enim dicit, quod pertinaciter affirmare, quod Christo et apostolis in his, quae eos habuisse sacra scriptura testatur, ius ipsis utendi seu consumendi non competierit vel ipsi illa vendendi seu donandi ius non habuerint aut ex ipsis alia acquirendi (quae tamen ipsos de praemissis fecisse scriptura sacra testatur seu ipsos potuisse facere supponit aperte), haereticum est censendum: et tamen, licet de iure dominii seu proprietatis nullam faciat mentionem, ipse tamen imponit ei, quod intellexerit loqui de iure proprietatis et dominii civilis et mundani, per quod contenditur et in iudicio litigatur; et hoc ex eo, quia ius emendi, vendendi et donandi, quod dicta constitutio Christum et apostolos asserit habuisse, ab humano iure introductum fuisse manifestum existit; et ideo dicit, quod dicta constitutio intellexit, quod Christus et apostoli non solum in communi sed etiam in speciali proprietatem et dominium rerum temporalium habuerunt: quod dictum secundum eum omnem religionem, quae (volens vitam et doctrinam apostolorum sequi) vovet vivere sine proprio, destruit et confundit et omnes religiosos facit proprietarios etiam in speciali et voti sui per consequens transgressores; et doctrinae evangelicae et apostolicae ac sanctae Romanae ecclesiae et omnium doctorum ecclesiae et sanctorum patrum institutorum religionum obviat manifeste.

Procul dubio dicta ipsius haeretici possunt uno verbo repelli, videlicet quod falsum imponit constitutioni, imponendo ei, quod non dicit, quod scilicet intellexerit loqui de iure dominii seu proprietatis, cum nulla in ea habeatur mentio de dominio, ut patere potest cuilibet intuenti. Sed quia iste haereticus pertinaciter asserit, Christum et apostolos nullius rei temporalis proprietatem seu dominium in communi vel proprio habuisse, videndum est, utrum eius assertio possit stare. Et quia ipse dicit in praecedentibus et hic etiam supponit, quod dominium proprium a iure humano est introductum, primo quaeritur, quo iure sit ius proprietatis seu dominii sic introductum. Ad hoc dicit iste haereticus, quod a iure humano et civili: ad quod probandum inducit VIII di. cap. *Quo iure*, ubi dicitur, quod iure humano dicitur: « haec villa mea est, haec domus mea est, et hic servus meus est ».

Item inducit dictum s. Clementis, quod recitatur XII q. 1, cap. *Dilectissimis*, ubi dicitur sic: « Communis usus omnium, quae sunt in hoc mundo, omnibus hominibus esse debuit; sed per iniquitatem alius dixit, hoc esse suum, et alius, illud; et sic inter mortales facta est divisio »; et intelligit illud, quod dicit « per iniquitatem », debere intelligi ius humanum. Scriptura sacra dicit contrarium evidenter, scilicet quod immo iure divino, non humano fuerit dominium introductum; ius enim divinum est, quod in scripturis divinis habemus, ut legitur VIII di. cap. *Quo iure* in principio, ubi dicitur, quod ius divinum est, quod in scripturis divinis habemus, humanum vero ius, quod in legibus regum. In scripturis autem divinis habemus, quod, antequam leges regum, immo etiam antequam reges essent, res aliquae alicuius erant: ergo iure divino aliquis dicere poterat, aliquid suum esse. Maior patet per cap. *Quo iure* praeallegatum; minor autem probatur etiam per innocentiae statum; videtur enim, quod Adam in statu innocentiae, antequam Eva formaretur, solus habuerit dominium rerum temporalium; commune enim dominium, cum solus esset, pro illo tempore habere non potuit, cum communio plures requirere dignoscatur. Et quod dominus fuerit, antequam Eva formaretur, Eccles. cap. 17 probari videtur expresse; ibi enim dicitur sic: *Deus creavit de terra hominem;* et sequitur: *Posuit timorem illius super omnem carnem, et dominatus est bestiarum et volatilium.* Dicit ergo, quod dominatus fuerit: ex quo sequitur, quod dominium habuit; a dominio enim secundum Dionysium (de divinis nominibus cap. 12) dicitur dominus, dominator et dominans: ex quo sequitur, quod, ex quo dominatus est, quod dominium habuerit. Quod autem tunc Eva formata non esset, patet, quia statim post verba illa *Et dominatus est bestiarum et volatilium* sequitur: *creavit ex eo* (scilicet Adam) *adiutorium simile sibi* (scilicet Evam). Ad idem facit illud Sapientiae cap. 9, ubi dicitur sic: *Deus patrum nostrorum et domine misericordiae, qui fecisti omnia verbo tuo et sapientia tua constituisti hominem, ut dominaretur creaturae tuae, quae a te facta est etc.* Et hoc expresse dicit Damascenus lib. II, cap. fi., ut dictum est supra. — Item, quod post lapsum primorum parentum ante diluvium, et antequam essent reges, potuerit aliquis dicere: « hoc est meum », probatur Genesis cap. 3, ubi Dominus ad Adam dixit: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Ergo patet, quod Adam tunc potuit dicere panem « suum »; et tamen tunc non erant reges nec homines alii, nisi soli primi parentes. De Abel quoque, qui fuit secundogenitus primorum parentum, dicitur Genesis cap. 4, quod Abel obtulit de primogenitis gregi sui: ex quo patet, quod Abel tunc potuit dicere: « iste grex est meus ». Item quod post diluvium sine iure regum potuerit dicere aliquis aliquid suum, patet; legitur enim Genesis cap. 3, quod Noe vineam plantavit et vinum productum ex ea bibit: puto, quod nullus sapiens negabit, quin vineae dominus fuerit et etiam vini; et tamen tunc non legimus regem aliquem extitisse. Item illud Genesis cap. 12, dixit Dominus ad Abraham existentem in terra Chanaam: *Semini tuo dabo terram hanc,* quod et fecit. Constat autem, quod illi de semine suo potuerunt dicere: « terra ista est nostra » et non per iura regum, quia eam ex collatione Dei habuerunt, non regum. Item Genesis cap. 20, cum descendisset Isaac in Geraris, dixit Dominus ei: *Tibi et semini tuo dabo universas regiones has*, quarum regionum dominium semen eius non ex iure regum, sed ex collatione Dei habuerunt. Praeterea Numerorum cap. 31 dicitur, quod uniuscuiusque, quod in praeda rapuerit, suum erit: quod non erat per iura regum, cum ille populus Israeliticus tunc regem aliquem non haberet, sed dux eius Moysen tantum esset. Item Numerorum cap. 33 Dominus ad Moysen dixit: *Praecipe filiis Israel et dic ad eos: Quando transieritis Iordanem, intrantes terram Chanaam, dispergite cunctos habitatores illius; ego dedi vobis illam in possessionem, quam dividatis vobis sorte;* quod et fecerunt, ut legitur Iosue cap. 13. Quilibet ergo istorum post divisionem terrae illius partem, quae ad eum obvenit, potuit dicere suam esse: et hoc non iure regum, sed divino, cum tunc temporis, ut dictum est, regibus non regeretur populus ille. Item Numerorum cap. 35 Dominus ad Moysen dixit: *Praecipe filiis Israel, ut dent levitis de possessionibus suis urbes ad habitandum et suburbana per circuitum, ut ipsi in urbibus maneant et suburbana sint pro pecoribus et iumentis:* quod et fecerunt, ut legitur Iosue cap. 14. Ex quibus patet, quod, cum Dominus praeceperit filiis Israel dare levitis de possessionibus suis, quod filii Israel, antequam darent possessiones illas, poterant dicere suas esse, et levitae, postquam sibi fuerunt datae: et hoc non per iura regum, cum reges non haberent, sed per ordinationem divinam.

Ex quibus omnibus patet, quod in scripturis sacris habemus, quod aliquis et in statu innocentiae et post lapsum primorum parentum et ante diluvium et post diluvium dicere poterat sine iure regum aliquid esse suum. Et quod iure divino sint dominia aliqua, probatur XXIII q. 3 cap. 1. Adhuc, quod nullo iure humano, sed solum divino dominium rerum temporalium potuit dari hominibus, patet; constat enim, quod rem aliquam aliquis dare non potest, nisi cuius est, vel alias eius voluntate: nec dubium, quin Deus omnium temporalium vel iure creationis, quia illa de nihilo creaverat, vel iure factionis, quia de sua materia illa

fecerat, dominus esset: ergo nullus rex de illarum dominio nisi de voluntate Dei potuit ordinare. Unde patet, quod nec iure naturali primaevo (si ponatur pro illo iure, quod omnibus animantibus est commune, cum illud ius nihil statuat, sed inclinat seu dirigit ad aliqua omnibus animantibus communia facienda) nec iure gentium nec iure regum seu imperatorum fuit dominium rerum temporalium introductum, sed per Deum, qui est et erat earum rerum dominus, fuit collatum primis parentibus, ut patet Genesis cap. 1: quarum rerum Adam, quamdiu solus fuit, id est antequam Eva formaretur, solus ut videtur dominus extitit, ut superius est ostensum. - Verum est tamen, quod de iure gentium multi modi acquirendi dominium et nonnulli per iura civilia seu imperalia fuerunt introducti. Item modus agendi pro istis rebus temporalibus in iudicio, id est certa forma proponendi ius rerum in iudicio, fuit per iura civilia introducta. Ex praedictis itaque patet, quod non obstat cap. *Quo iure* in contrarium allegatum; loquitur enim de iure agendi in iudicio, cuius formulas civile ius et non aliud introduxit. Et hoc voluit dicere Augustinus in illo cap. *Quo iure*, quando dixit: « Tolle iura imperatoria et quis audet dicere: haec villa mea est, meus est iste servus, mea est ista domus? » Quasi dicat: nullus potest in iudicio proponere hoc, nisi per imperatoria iura, quod ius actionum formulas introduxit. Vel potest dici, quod Augustinus hoc dicebat cum haereticis disputando, non quod hoc pro veritate teneret, scilicet quod dominium de iure divino non esset. Et quod ita sit, patet, quia XXIII q. 7 c. 1 ipse idem Augustinus contrarium dicit expresse, ubi sic dicit: « Quamvis res quaecumque terrena non recte a quoquam possideri possit nisi vel iure divino, quo cuncta iustorum sunt, vel iure humano, quod in potestate est regum terrae etc. » Item non obstat XII q. 1, cap. *Dilectissimis*, ubi dicitur sic: « Communis usus omnium, quae sunt in hoc mundo, omnibus hominibus esse debuit, sed per iniquitatem alius dixit, hoc esse suum, alius, illud: et sic inter mortales facta est divisio »: et hoc, dicit ipse, quia divisio temporalium est facta per ius humanum, quod dicitur iniquum, et contra aequitatem iuris naturalis. Dicimus, quod hoc est factum, quia per iniquitatem non intelligitur ius gentium, cum sit aequum, sed intelligitur peccatum primorum parentum, per quod natura corrupta fuit et post non fuit contenta communibus, sed sibi propria voluit possidere.

Secundo quaeritur, utrum Christus alicuius rei temporalis dominium habuerit et quale. Quod autem dominium rerum temporalium habuerit, sacra scriptura tam in testamento veteri quam in novo in multis locis testatur. Multi quidem prophetae eum regem futurum populi Israelitici et per consequens habere regni dominium prophetarunt. Isaias quidem de eo prophetavit (Isaiae cap. 33) sic dicens: *Ecce Dominus legifer noster, Dominus iudex noster, Dominus rex noster, ipse veniet et salvabit nos.* Item per os Ieremiae prophetae (Ieremiae 13) Deus sic dixit: *Suscitabo David germen iustum et regnabit rex et sapiens erit et faciet iudicium et iustitiam in terra; et hoc est nomen, quod vocabunt eum: Dominus iustus noster.* Iste enim est *lapsis abscissus de monte sine manibus, cui Deus coeli dedit regnum, quod in aeternum non dissipabitur*, ut habetur Danielis 2. Item Zachariae 9 de eodem dicitur sic: *Exulta satis filia Sion, iubila filia Ierusalem: ecce rex tuus veniet tibi iustus et salvator; ipse pauper et ascendens super asinum et super pullum filium asinae.* De hoc David in multis locis prophetavit; unde quodam loco in persona eius sic dixit: *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius, praedicans praeceptum eius;* eumque futurum regem in multis aliis locis prophetavit: unde totus iste psalmus *Eructavit* loquitur de isto rege et sponsa eius, scilicet ecclesia; et alii multi psalmi loquuntur de rege huiusmodi satis clare. De hoc etiam Salomon (Canticorum 3) sic dixit: *Egredimini filiae Sion et videte regem Salomon etc.* De hoc etiam, antequam conciperetur, Gabriel archangelus, ut legitur Lucae 2, dixit: *Dabit ei dominus Deus sedem David patris eius, et regnabit in domo Iacob in aeternum.* Item et eo nato angelus ad pastores (Lucae 2) sic dixit: *Natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus dominus*, id est rex et dominus. Huic etiam nato illi tres Magi (Mathaei 2) perhibuerunt testimonium sic dicentes: *Ubi est, qui natus est rex Iudaeorum?* Item ille Nathanael verus Israelita, in quo dolus non erat, dixit ei (Ioannis 1): *Tu es filius Dei, Tu es rex Israel.* Pilatus quoque in superscriptione crucis scripsit: *Iesus Nazarenus rex Iudaeorum:* quam quidem superscriptionem non sine divino instinctu [fecit]; Iudaeis instantibus, quod non scriberet *rex Iudaeorum*, sed *quia dixit se regem Iudaeorum*, ipsos audire noluit, sed respondit: *Quod scripsi, scripsi.* Hoc etiam Salvator noster confessus fuit (Ioannis 18); cum enim Pilatus interrogaret eum, utrum esset rex Iudaeorum, respondit ei: *regnum meum non est de hoc mundo;* ex quo Pilatus concludens dixit: *Ergo rex es tu?* Iesus respondit: *Regnum meum non est hinc;* non dixit: *non est hic*, sed dixit: *Non est hinc:* quasi diceret, regnum meum a mundo non habeo, sicut nec habebat; immo a Deo, sicut angelus eius genitrici praedixerat dicens (Lucae 1): *Dabit illi dominus Deus sedem David patris eius etc.* Et hoc beatus Petrus (Actor. 2) expresse testatur dicens: *Certissime ergo sciat om-*

nis domus Israel, quia et dominum et Christum fecit Deus hunc Iesum, quem vos crucifixistis; in quibus verbis Petrus satis clare concludit duo de Iesus domino nostro, videlicet quod regnum suum a mundo non habuerit, sed a Deo, ac videlicet in eo, quod dicit, quod Iesum fecit Deus Christum, idest regem; per Christum enim regem intelligimus, quia Christus interpretatur « unctus », et quia reges inungi consueverunt. Unde Rabanus dicit: « Manifeste Petrus ex hoc psalmo regnum Christi non terrenum, sed coeleste ostendit esse ». Item concludit Petrus ex verbis praedictis, quod Christus, in quantum homo, subsistens in divino supposito, fuerit dominus et rex factus; constat enim, quod, in quantum erat Deus, crucifixus non fuit, sed in quantum homo. Et ideo, cum dominus et rex fuerit factus, in quantum crucifixus, et crucifixus fuerit, in quantum homo, sequitur. quod regnum et dominium tamquam homini sibi Deus concessit. Hoc etiam supponit angelus loquens, eo nato, pastoribus dicens: *Hodie natus est vobis Salvator, qui est Christus dominus*, id est rex et dominus: ubi advertendum, quod illud, quod Gabriel angelus Christo nondum nato dixerat de futuro, dicens Mariae: *Dabit ei dominus sedem David patris eius etc.*, angelus iste eo nato dixit pastoribus per verba de praesenti dicens: *Hodie natus est vobis Salvator, qui est Christus dominus.* Hoc Augustinus (libro de concordia evangelistarum in prooemio) expresse testatur dicens: « Dominus Iesus Christus unus verus rex et unus verus sacerdos est »; et paulo post dicit sic: « Secundum hominem quippe Christus et rex et sacerdos effectus, cui dedit Deus sedem David patris sui, et regni eius non erit finis ». - Item quod Salvator fuerit dominus omnium temporalium, videtur; de eo enim dicitur Isaiae 16: *Emitte agnum, Domine, dominatorem terrae.* Item Micheae 5 de eo dicitur sic: *Et tu Bethleem Effrata nequaquam minima es in principibus Iuda; ex te enim egredietur, qui sit dominator in Israel, et egressus eius ab initio dierum aeternitatis.* Malachiae vero 3 de eo dicitur sic: *Statim veniet ad templum sanctum suum Dominus dominator, quem vos quaeritis, et angelus testamenti, quem vos vultis.* Item Ioannis 13 ipsa veritas dicit: *Vos vocatis me magister et domine, et bene dicitis, sum etenim.* Item Mathaei 21 dixit discipulis: *Ite in castellum, quod contra vos est, et statim invenietis asinam alligatam et pullum cum ea: solvite et adducite mihi; et si quis aliquid vobis dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet, et confestim dimittent eos.* Hoc quoque Ioannes in Apocal. 9 testatur dicens: *Habet scriptum in vestimento: rex regum et dominus dominantium.* Hoc etiam apostoli in suo symbolo confitentur dicentes: *Et in Iesum Christum filium eius unicum, dominum nostrum.* Hoc etiam sancti patres in symbolo, quod cantatur in missa, protestantur expresse ibi: *Et in Iesum Christum filium eius unicum, dominum nostrum.*

Praemissa autem, scilicet regnum et universale dominium, habuit Christus, in quantum Deus, ab aeterno eo ipso, quo Deus pater genuit eum; et in quantum homo, ex tempore, scilicet ab instanti conceptionis suae, ex Dei datione: ut patet ex praedictis. Et nihilominus habuit dominium rerum aliquarum temporalium non ab instanti suae conceptionis, sed postea successive modis aliis utpote ex collatione fidelium vel emptione acquisitas: et quae sint illa, videamus. Nullus autem potest de his melius testimonium perhibere quam apostoli et discipuli eius. Videamus ergo, quid super hoc ipsi dicant, specialiter a tempore, quo coepit miracula facere et praedicare. Certe narrant ipsum aliqua habuisse, sed pauca. Habuit itaque *vestimenta;* unde legitur Matthaei 17, *in transfiguratione sua vestimenta eius facta esse alba sicut nix.* Item Ioan. 13 dicitur de eo sic: *Surgit a coena et ponit vestimenta sua etc.* Item Iohannis 19 in persona eius legitur: *Partiti sunt vestimenta mea et super vestem meam miserunt sortem;* et ad idem facit Matthaei 27. — Item beatus Ioannes Baptista videtur supponere, quoad habuerit *calceamenta;* legitur enim Matthaei 3, quod beatus Ioannes Baptista loquens de eo dixit: *Cuius non sum dignus calceamenta solvere;* Marci 1 recitatur ipsum dixisse: *Cuius non sum dignus procumbens solvere corrigiam calceamenti eius;* Ioannis vero 1 recitatur dixisse: *Cuius non sum dignus, ut solvam corrigiam calceamenti.* — Item Ioannes supponit, ipsum *loculos* habuisse, in quibus Iudas, quae mittebantur, portabat; unde Ioannis 13, cum dixisset Iudae Iesus: *Quod facis, fac citius*, quidam putaverunt, quia loculos habebat Iudas, quod dixisset ei Iesus: *Eme ea, quae nobis opus sunt ad diem festum*, aut, *ut egenis aliquid daret.* Et quod loculi essent Iesu, patet per Augustinum dicentem: « Habebat Dominus loculos, a fidelibus oblata conservans, et suarum necessitatibus aliisque indigentibus tribuebat », ut habetur XII, q. 1, cap. *Habebat;* et patet per id, quod in eius persona propheta dixit: *Qui manducat mecum panem, levabit calcaneum suum contra me;* et recitatur Iohannis 13. — Quod autem *vinum* interdum habuerit, patet, quod ad minus in coena illa habuit, in qua eucharistiae instituit sacramentum, de quo habetur Matthaei 26, Marci 14 et Lucae 22.

Iste ergo haereticus dicendo, Iesum Christum dominum nostrum non habuisse dominium aliquod temporalium, scripturis praedictis veteris et novi testamenti contradicit expresse. Et si velit dicere, quod ille regno et dominio renuntiavit expresse, ostendat illud, si sciat: quod tamen, ut credimus,

per sacram scripturam non poterit. Immo contrarium sacra scriptura supponit expresse, quae supponit eum non longe a passione sua dixisse: *Vos vocatis me magister et domine, et bene dicitis: sum etenim.* Item illud Matthaei 21, ubi dominus duobus discipulis dixit: *Ite in castellum, quod contra vos est, et statim invenietis asinam alligatam et pullum cum ea: solvite et adducite mihi; et si quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet.* Item tempore passionis se regem recognovit, ut probatum est supra. Item David in persona eius legitur dixisse (etiam pro tempore passionis): *Diviserunt sibi vestimenta mea et super vestem meam miserunt sortem;* et recitatur Matthaei 27. Ex quibus evidenter apparet, ipsum regno et dominio non renuntiasse praedictis: immo videtur, quod non potuerit renuntiare, et si fecisset, contra ordinationem Patris fecisset. Dicitur enim Danielis 2, ubi de eius regno fit mentio, sic: *Suscitabit Deus coeli regnum, quod in aeternum non dissipabitur; et regnum eius alteri non tradetur;* item Danielis 7 dicitur sic: *Dabit ei potestatem et honorem et regnum, et populi, tribus et linguae servient ei; potestas eius potestas aeterna, quae non auferetur, et regnum eius, quod non corrumpetur.* — Sed dicit iste haereticus, quod hoc est contra sacram scripturam, quae in plerisque locis dicit, Christum fuisse pauperem et egenum. Ad quod dicendum, quod dici non debet esse contra sacram scripturam, quod in tot locis scriptura sacra testatur aperte: sed e contra merito potest dici, quod dicere contrarium est contra sacram scripturam et mendaces reddere tot prophetas, angelum et apostolos ac ipsum Dominum nostrum, qui tamen veritas est et vita. Ad illud autem, quod dicitur, quod scriptura eum fuisse pauperem et egenum in pluribus testatur, est dicendum, quod non carentia dominii fecit eum pauperem et egenum, sed potius carentia perceptionis fructus et obventionis rerum, quarum dominus erat. Nudum enim dominium, separatum in perpetuum ab omni perceptione commodi rei, habentem non facit divitem, cum sit inutile reputandum; unde habens tale dominium potest egenus et pauper merito reputari. Quod patet ad sensum. Si enim rex Franciae non renuntiando regno se absentaret a regno et post lapsum alicuius temporis incognitus rediret ad illud, si se pro rege non gereret nec aliqua emolumenta perciperet dicti regni, sed in domo regia reciperet, ut unus alius, ex gratia necessaria vitae suae: talis utique, licet rex esset et dominus, posset mendicus et pauper merito reputari. Hinc est, quod apostolus ad Galatas 4 dicit, *quod haeres, quamdiu est parvulus, non differt a servo, cum tamen sit omnium dominus;* sic Christus rex regum et dominus dominantium quoad perceptionem fructuum regni et rerum temporalium, nisi in valde paucis, pro rege vel domino se non gessit: propter quod merito pauper dici potuit voluntarius et egenus: non propter dominii carentiam sive regni, sed propterea, quia se eorum fructibus et proventibus non iuvabat.

Nunc autem de apostolis est videndum, utrum habuerint dominium aliquorum temporalium in proprio vel in communi. In quaestione ista videtur distinguendum inter tempus, quo apostoli fuerunt cum Redemptore nostro, dum viveret, et tempus post eius mortem. Si quaeratur, utrum tempore, quo cum Redemptore nostro fuerunt, habuerint aliqua, videtur adhuc distinguendum inter tempus, antequam ad praedicandum mitterentur, et tempus missionis, quo in praedicatione fuerunt, et tempus, postquam sunt a praedicatione reversi. Si consideretur primum tempus, videlicet tempus, antequam ad praedicandum mitterentur, non videtur, quod eis habere aliqua, praesertim ad vitae sustentationem pertinentia, fuerint interdicta: quod apparet ex forma vocationis eorum; cum enim ad discipulatum vocati fuerunt, forma vocationis Petri et Andreae, ut patet Matthaei 4, fuit haec: *Venite post me: faciam vos fieri piscatores hominum,* et sequitur: *At illi relictis retibus continuo secuti sunt eum.* De Iacobo autem et Ioanne in eodem cap. non dicitur aliud, nisi quod vocavit eos, et sequitur: *Illi autem statim relictis retibus et patre secuti sunt eum.* Forma autem vocationis Matthaei fuit haec: *Sequere me;* et sequitur, quod *relictis omnibus surgens secutus est eum.* Forma autem vocationis Philippi noscitur fuisse talis: *Sequere me*, ut habetur Io. 1. Ex forma autem vocationum praedictarum, nec ex his, quae ipsi fecisse tunc leguntur, non apparet, quod ipsi renuntiaverint omnibus bonis suis. De Petro autem et Andrea non legitur, quod tunc reliquerint nisi retia sua; et tamen legitur Marci 1 et Matthaei 8, quod post praedicta Iesus exiens de synagoga venit in domum Simonis et Andreae cum Iacobo et Ioanne, ubi curavit socrum Petri de febre. De Iacobo autem et Ioanne non legitur, quod tunc reliquerint nisi retia et patrem, quae quidem retia videntur fuisse patris, qui vivebat, potius quam ipsorum. De Philippo autem non legitur, quod tunc reliquerit aliquid. De Matthaeo autem legitur, quod *relictis omnibus secutus est eum;* et tamen statim sequitur, postquam dictum est, quod *reliquit omnia et secutus est eum*, quod *fecit sibi Levi* (id est Matthaeus) *magnum convivium in domo sua:* ergo per illam generalitatem non desierat domus illa esse sua. Praeterea, cum Iesus misit duodecim, quos et apostolos vocaverat, legimus eis interdixisse aliqua, videlicet ut non possiderent aurum neque argentum neque aes in zonis suis et nonnulla alia: ex quibus patet, quod ante missionem illam eis interdicta non erant,

alias frustra in missione fuissent eis talia interdicta, ut patet Matthaei 10 et Marci 3 et Lucae 9. Eodem modo LXX discipulis, dum eos misit, aliqua interdixit, ut patet Lucae 10: ex quo sequitur, quod ante illa non fuerant ipsis interdicta. De discipulis autem constat, quod aliqui habuerunt multa. De Ioseph ab Arimathia legitur Ioannis 19, quod erat discipulus Iesu: Matthaei autem 27 dicitur, quod erat dives homo et discipulus Iesu. Item constat, quod Simon leprosus erat discipulus Iesu: et tamen legitur Matthaei 26, quod Iesus in Bethania erat in domo eius. Item Lazarus, Martha et Maria Magdalena, qui erant eius discipuli, erant multa bona habentes; unde legitur de eis Ioannis 11, quod castrum dictum Bethania erat Mariae Magdalenae et Marthae, et quod in Bethania fecerunt ei coenam magnam, in qua Martha ministrabat, Lazarus autem erat unus de discumbentibus cum Iesu; Maria vero accepta libra unguenti nardi pistici pretiosi unxit pedes Iesu et extersit capillis suis pedes eius. De Tabitha quoque, quae interpretatur Dorchas, quam Petrus suscitavit a mortuis, legitur Actorum 9, quod erat discipula et plena operibus bonis et eleemosynis, quas faciebat, et quod omnes viduae flentes ostenderunt Petro tunicas et vestes, quas faciebat eis Dorchas: ex quibus patet, quod et ista, non obstante discipulatu, temporalia habebat, de quibus faciebat eleemosynas praedictas. Nec reperimus, quod Iesus dominus noster aliam legem vivendi discipulis dederit et aliam apostolis suis: immo beatus Clemens in quadam epistola sua, cuius pars recitatur XII, q. I, cap. *Dilectissimis [cfr. supra p. 419 not.]*, expresse supponit, quod eadem erat apostolorum et discipulorum vita, dicens: « Communis vita omnibus est necessaria, et maxime iis, qui vitam apostolorum et discipulorum imitari volunt ». Item nec, cum ipsos apostolos ex discipulis fecit, videtur eis indixisse aliam vitam, quam prius habuerunt, sed potestatem eis aliquam tribuisse; unde, cum eos apostolos ordinavit, legitur Matthaei 10 sic dixisse: *Et convocatis duodecim apostolis suis dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut eiicerent eos et curarent omnem languorem et omnem infirmitatem.*

Si vero consideretur tempus, quo missi fuerunt ad praedicandum, videtur, quod illo tempore aliqua fuerint eis habere interdicta; legitur enim Matthaei 10, quod illos duodecim apostolos misit praecipiens et dicens: *Nolite possidere aurum neque argentum neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via neque duas tunicas neque calceamenta neque virgam.* Matthaei vero 6 legitur sic dixisse: Et vocavit duodecim et coepit eos mittere binos et praecepit eis, ne quid tollerent in via nisi virgam tantum: non peram, non panem, neque in zona aes, sed calceatos sandaliis, et ne induerent duabus tunicis. Lucae vero 9 legitur sic dixisse: *Misit illos* (scilicet duodecim apostolos) *praedicare regnum Dei et sanare infirmos, et ait ad illos: Nihil tuleritis in via, neque virgam neque peram neque panem neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis.* Ex quibus videtur, quod pro tempore viae praedictae tantum praedicta eis fuerint interdicta. Augustinus tamen dicit expresse in libro de concordia evangelistarum, quod illud non fuit praeceptum, sed potestas data recipiendi necessaria ab iis, quibus evangelium praedicabant, quam servare apostolis licuit vel etiam non servare: alias autem apostolus Paulus transgressor praecepti huiusmodi extitisset, quia plerumque ab illis, quibus praedicabat, non recipiebat necessaria, sed illa vel recipiebat ab aliis vel ea suis manibus acquirebat, sicut patet I ad Corinthios cap. 5 et ad Philippenses cap. 1, ad Thessalonicenses cap. 1, et Actorum cap. 20, ubi dicitur: *Argentum autem et aurum aut vestes nullius concupivi, sicut ipsi scitis; quoniam ad ea, quae mihi opus erant et iis, qui mecum sunt, ministraverunt manus istae.* Praeterea, quod illud praeceptum fuerit temporale, satis innuitur Lucae 22, ubi Dominus apostolis dixit: *Quando misi vos sine sacculo et pera et calceamentis, numquid aliquid defuit vobis?* Praeterea discipulis LXXII, quando misit eos, dixit: *Nolite portare sacculum*, in quo pecunia consuevit portari, *neque peram*, in qua consueverunt alimenta portari, *neque calceamenta*: et tamen de illis certum est, quod multi ex discipulis erant multa bona habentes, ut patet ex praedictis.

Si autem consideratur tempus post reversionem, tunc videtur, quod eis licuerit habere praemissa in communi saltem; habuerunt enim apostoli, postquam fuerunt reversi de praedicatione, panes et pisces, ut patet in miraculis panum et piscium, quae facta fuerunt, postquam de praedicatione ad Iesum redierunt, ut patet Marci 6, ubi de apostolis, postquam a praedicatione redierant, dicitur sic: *Et convenientes apostoli ad Iesum, renuntiaverunt ei omnia, quae egerant et docuerant*, scilicet in praedicatione. Ecce quod de praedicatione, ad quam missi fuerant, reversi erant et rationem Domino reddiderant de ea, et post eodem cap. sequitur miraculum quinque panum et duorum piscium, ubi apostoli, cum Dominus dixisset eis, quod darent turbae manducare, dixerunt: *Euntes emamus ducentis denariis panes et dabimus illis manducare; non enim sunt nobis plus quam quinque panes et duos pisces.* Lucae vero 9 dicitur sic: *Et reversi apostoli narraverunt illi, quaecumque fecerant;* et post sequitur eodem cap. miraculum praedictum quinque panum, ubi dicitur, quod, cum Dominus apostolis dixisset: *Vos date illis manducare*, illi dixerunt: *Non sunt nobis plus quam quin-*

que panes et duo pisces, nisi forte nos emamus in omnem hanc turbam escas. Ex quibus patet, quod, postquam reversi sunt a praedicatione apostoli, habuerunt panes, pisces et pecuniam, de qua tantae turbae, quanta erat ibi, poterant emere cibos. Item quod, postquam redierunt a praedicatione, habuerint pecuniam, patet; nam legitur Ioannis 4, quod Iesu sedente super fontem Iacob, discipuli eius abierunt in civitatem, ut cibos emerent: sicque patet, quod pecuniam habebant, cum emptio mediante pecunia fiat (Deuteronomii cap. 2): et tamen tunc temporis apostoli de praedicatione fuerant, ut videtur, reversi, cum in cap. praeallegato Iesus disciplulis dixerit: *Ego misi vos metere, quod non laborastis, alii laboraverunt, et vos in laborem eorum introistis.* — Supponit quoque evidenter scriptura evangelica, ipsos post reversionem praedictam sacculos, in quibus portabatur pecunia, et plures tunicas habuisse; legitur enim Lucae 22, dominum nostrum Iesum Christum apostolis dixisse: *Qui habet sacculum, tollat similiter et peram: et qui non habet gladium, vendat tunicam suam et emat gladium;* et sequitur, quod apostoli dixerunt ei: *Domine, ecce duo gladii hic:* ex quo patet, quod duos gladios habebant. Petrus quoque legitur Ioannis 18 gladium habuisse, ubi dicitur, quod Simon Petrus habens gladium eduxit eum et percussit pontificis servum, cui Dominus dixit: *Mitte gladium tuum in vaginam.*

Si autem quaeratur de tempore post mortem Christi, videtur adhuc distinguendum inter tempus ante missionem Spiritus sancti et tempus post missionem ipsius. Si quaeratur de tempore ante missionem Spiritus sancti, non legitur, quod quoad praemissa circa eos aliquid fuerit immutatum; sed quod iuxta praeceptum Domini dicentis (Lucae ultimo): *Vos autem sedete in civitate, quoad usque induamini virtute ex alto,* expectaverunt in civitate adventum Spiritus sancti. — Si autem quaeratur de tempore post missionem Spiritus sancti, videtur adhuc distinguendum inter illos, qui ex Iudaeis conversi fuerunt in primitiva ecclesia Ierosolymitana, et inter gentiles. Quoad conversos ex Iudaeis videtur, quod apostoli et disciputi Christi ex una parte et illi, qui ad praedicationem Petri et miracula sunt conversi, omnia, quae habebant, sibi invicem communicaverunt, ita quod nullus ipsorum proprium sibi retinuerit, sed communia fuerunt effecta: et intelligo, quod quoad dominium illa fuerunt communicata, ut probatur Actorum 2 et 4, ut superius est ostensum. Et quia iste haereticus dicit, quod illa communio intelligitur de turba discipulorum, inter quos erant omnia communia, quae habebant, non de apostolis, quia nihil habebant in temporalibus nec in proprio nec in communi, nisi tantum in rebus usu consumptibilibus simplicem facti usum: dicimus, quod hoc dicendo apostolos a credentium numero evidenter excludit; dicitur enim Actorum 2, quod omnes, qui credebant, erant pariter et habebant omnia communia. Si ergo omnibus credentibus erant omnia communia, sequitur, quod, si apostolis non erant communia, quod credentes non erant: quod est falsum; immo, sicut ipsi inter credentes principaliores erant, sic eis omnia communia principaliter existebant. Unde sicut principalioribus pecuniae agrorum et domorum venditorum ante pedes apostolorum ponebantur, ut legitur Actorum 4. Et hoc expresse probatur per epistolam Clementis recitatam pro parte XII, q. 1, cap. *Dilectissimis [cfr. supra p. 444]*, in qua beatus Clemens, scribens condiscipulis suis Hierosolymis habitantibus cum b. Iacobo episcopo Hierosolymitano, sic dicit: « Apostoli eorumque discipuli una nobiscum et vobiscum communem vitam duxerunt; ut enim bene nostis, erat multitudinis cor eorum unum et anima una, nec quisquam eorum aut nostrum de iis, quae possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed omnia vobiscum erant communia ». Unde satis clare monstratur, quod apostoli et eorum discipuli illa, quae habebant, communicaverunt Iudaeis Ierosolymitanis conversis et econtra. Unde Hieronymus dicit: « Talem fuisse ecclesiam credentium primo in Christum, qualem nunc monachi etiam imitantur et cupiunt, ut nil cuiquam sit proprium, nullus inter eos dives, nullus pauper, patrimonium dividatur, orationi vacetur et psalmis, doctrinae quoque et continentiae insistatur, Lucas manifeste refert, cum dicit: *Quotquot erant possessores agrorum et domorum etc.* ». Expresse quoque innuit et supponit, quod ante illam communionem habere potuerunt apostoli et discipuli eorum aliqua in proprio et in communi. — Quantum autem ad conversos ex gentibus, non videtur, quod ipsi invicem et aliis credentibus communicaverint sua: immo videtur, quod ipsa retinuerint sibi propria sicut prius, ut probatur de Corinthiis I ad Corinthios cap. 16 in principio, ubi dicitur sic: *De collectis autem, quae fiunt in sanctos, sicut ordinavi in ecclesiis Galatiae, ita et nos facite: per unam sabbati unus quisque vestrum apud se reponat, recondens, quod ei placuerit.* Item ad Philippenses 4 apostolus Philippensibus sic dixit: *Scitis autem et vos Philippenses, quod in principio evangelii, quando profectus sum a Macedonia, nulla mihi ecclesia communicavit in ratione dati et accepti, nisi vos soli; quia et Thessalonicam semel et bis in usum mihi misistis;* et sequitur: *Repletus sum acceptis ab Epafrodito, quae misistis, in odorem suavitatis.* Item Actorum 2 legitur, quod, cum Angelus propheta in Antiochia in praesentia Barnabae et Pauli significasset per spiritum famam futuram magnam in universo orbe terrarum, quae facta est sub

Claudio, discipuli, prout quisque habebat, proposuerunt singuli ministrum mittere habitantibus in Iudaea fratribus: quod et fecerunt, mittentes ad seniores per manus Barnabae et Pauli. Et hoc est, quod Augustinus libro 3 de doctrina christiana dicit expresse sic dicens: « Tam extiterunt capaces Spiritus sancti, qui prius ex Iudaeis crediderunt, ex quibus facta est prima ecclesia Ierosolymitana, ut omnia sua venderent eorumque pretium indigentibus distribuendum ante pedes apostolorum ponerent seque totos dedicarent Deo, tamquam templum novum, in orationibus et fractione panis spiritualis et corporalis, qui prius veteri templo serviebant, quod nullas ecclesias gentium fecisse scriptum est, qui non tam prope inventi erant, qui simulacra manu facta deos habebant: ex quo intelligimus magnam utilitatem fuisse Iudaeos sub lege tamquam sub paedagogo custoditos, ut signa, quae temporaliter eis carnaliter servientibus erant imposita, ad unius Dei cultum, qui fecit coelum et terram, opinionem observantium religarent. »

Tertio videndum est, utrum pro rebus, quas habuerunt apostoli, licet non legantur litigasse pro ipsis, eis licuerit litigare. Et quod non licuerit, dicit haereticus iste: ad quod probandum inducit Matthaei 19, ubi Petrus pro se et aliis apostolis Domino dixit: *Ecce nos reliquimus omnia etc.;* ex quo patet secundum catholicos doctores, ut dicit, quod apostoli reliquerunt ius agendi in iudicio, quod non stat cum tali perfectione supererogationis, quia implicat ad peccatum, sicut probat secundum eum apostolus I ad Corinth. 6 dicens: *Iam quidem omnino delictum est in vobis, quod iudicia habetis inter vos;* et ideo Christus, ut dicit, iniunxit perfectis, ut non litigarent in iudicio (Matthaei 5 et Lucae 6), dicens, quod illa tantum intelliguntur perfectis iniuncta; et similiter illud apostoli I ad Corinth. 6. In quibus iste haereticus mentitur aperte, quia, quod in evangeliis praedictis dicitur, non potest intelligi de perfectis, prout ipse sumit perfectos; illos enim solos perfectos asserit, qui a se temporalium omnium proprietatem abdicarunt et dominium, sibi dumtaxat retento simplici usu facti. Constat autem, quod illa verba: *Et qui vult tecum in iudicio contendere et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium* (posita Matthaei 5 et Lucae 6) intelliguntur de iis, qui in proprio temporalia obtinebant; loquitur enim Dominus illi, qui tunicam habebat et pallium; dicit enim: *Qui voluerit tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium;* sicque patet, quod tunicam habebat et pallium is, cui loquebatur. Praeterea illi statim, cui praedicta iniunxerat, sic praecepit ibidem: *Qui petit a te, da ei, et volenti mutuare a te ne avertaris.* Ex quibus etiam patet, quod habentibus temporalia hactenus est locutus, cum dixerit, quod det ei, qui a se petit: quod non posset facere, cum dare sit accipientis facere, nisi dominium etiam quoad temporalia obtineret; nec mutuare posset, nisi eius, quod mutuaret, esset dominus, cum in mutuo a mutuante in eum, qui mutuum recepit, rei mutuatae sit dominium transferendum. Item ipse intelligit, apostolis datum praedictum fuisse mandatum: quod est falsum; tempore enim illius sermonis in monte facti, in quo iniuncta sunt praedicta, nullus adhuc erat apostolus, ut patet, quia sermo ille recitatur Matth. 6, et apostoli fuerunt facti post, ut patet Matth. 10. Unde dici non potest, nisi mendaciter, quod illa praecepta contenta in illo sermone Domini in monte solis apostolis facta fuerint, cum nondum essent apostoli. — Item attendat iste haereticus, quod Dominus praecepit Matth. 18 discipulis suis dicens: *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum,* et sequitur: *Si autem te non audierit, dic ecclesiae; si autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Voluit ergo Salvator noster, quod eius discipuli (inter quos erat Petrus, ut patet, quia statim sequitur ibi: *Tum accedens ad eum Petrus*) conquererentur ecclesiae de iniuriantibus sibi. Et quod verba praedicta Matthaei 5 non solum perfectis, sed generaliter intelligantur omnibus esse data, ex eo patet, quod illa verba sunt dicta in illo magno sermone Domini in monte, qui continetur Matthaei 5, 6 et 7 cap.; in fine autem 7 cap. Dominus concludens sic dixit: *Omnis ergo, qui audit verba mea haec et faciet ea, assimilabitur viro prudenti, qui aedificavit domum suam supra petram etc.;* et sequitur, quod *omnis, qui audit verba mea haec, et non faciet ea, similis erit viro stulto, qui aedificavit domum suam super arenam etc.* Cum ergo non dixerit: *omnis, qui audit verba mea,* sed dixerit: *Verba mea haec et facit ea, assimilabitur viro prudenti etc.; qui vero audit et non facit, similis erit viro stulto:* apparet, quod non solum perfectis sunt dicta verba praedicta, sed et imperfectis, cum omnibus illa servantibus promittetur praemium et omnibus non servantibus poena. Pro hoc etiam facit, quod Christus apostolis Matthaei ult. dixit: *Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis.* — Ex quibus etiam clare patet, quod mandata data discipulis, sicut illa fuerunt data, cum nondum essent apostoli, ut patet ex praedictis, intelliguntur omnibus data. Et hoc tenet Augustinus in libro de sermone Domini in monte. Item illud apostoli I ad Corinth. 6: *Iam quidem omnino delictum est in vobis, quia iudicia habetis inter vos. Quare non magis accipitis? Quare non magis patimini fraudem? Sed vos iniuriam facitis et fraudatis, et hoc fratribus* non intelligitur dictum ta-

libus personis, de quibus loquitur iste haereticus, scilicet qui a se dominium omnium temporalium abdicaverunt contenti solo simplici usu facti; loquebatur enim apostolus Corinthiis conversis ad fidem, qui quidem non renuntiaverunt bonis suis nec ad invicem communicaverunt sibi, ut patet I ad Corinth. ult. in principio, ubi apostolus hortatur eos, ut collectas inter se facerent, deferentes Ierusalem sanctis, sic dicens: *De collectis, quae fiunt in sanctos, sicut ordinavi in ecclesiis Galatiae, ita et vos facite per unam sabbati; unusquisque autem vestrum apud se reponat, recondens, quod sibi placuerit.* Haec autem non facerent, si nihil haberent; et patet, sicut in articulo proximo latius continetur. Augustinus quoque dicit, quod non legitur, quod conversi ad fidem ex gentibus communicaverint sua. Quare patet, quod dictum apostoli nihil pro ipso haeretico facit, quia non loquitur de perfectis, sicut ipse perfectos accipit, scilicet qui abdicaverunt omnium temporalium dominium solo simplici usu facti contenti, sed loquitur de omnibus Corinthiis ad fidem conversis, qui dominium temporale retinuerunt et sibi.

Sane secundum hoc videtur, quod fidelibus non liceat litigare sine peccato, quod esset nimis durum. Et ideo est dicendum, quod praecepta illa Matth. 5 data: *Si quis te percusserit in unam maxillam, praebe ei et alteram: et qui vult tecum in iudicio contendere et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium: et quicumque te angariaverit mille passus, vade cum eo alia duo*, secundum quod dicit Augustinus in libro de sermone Domini in monte: « Non sunt semper servanda in executione operis, sed semper in praeparatione animi sunt habenda », scilicet ut semper simus parati hoc facere et sustinere, quando charitas hoc requireret; et recitatur XXIII, q. 1, cap. *Paratus*. Et propter hoc apostolus non simpliciter dixit I ad Corinthios 6: *quare non iniuriam accipitis*, sed dixit: *Quare non magis iniuriam accipitis.* Et quod hoc eis simpliciter non interdixerit, ex eo apparet, quia in praecedenti cap. (scilicet I ad Corinthios 5) apostolus reprehenderat Corinthios, quia erunt negligentes in iudicio faciendo, dicens eis: *Nonne de his, quae intus sunt, iudicatis?* Item in praeallegato cap. I ad Corinthios 6 apostolus Corinthios reprehenderat, quia coram infidelibus litigabant et iudicium subibant, dicens: *Audet* (idest: praesumit) *aliquis vestrum, habens negotium adversus alterum iudicari* (idest iudicium subire) *apud iniquos et non apud sanctos* (idest fideles). Item ostendebat, quod hoc ad fideles pertinebat, dicens: *Et si in vobis* (idest per vos) *iudicabitur mundus* (idest mundani), *indigni estis, quod de minimis* (scilicet temporalibus) *iudicetis*, quasi dicat: quia, qui maioribus, multo fortius minoribus est dignus. Et sequitur: *Saecularia igitur iudicia, si habueritis contemptibiles, qui sunt in ecclesia, illos constituite ad iudicandum.* Hoc autem dicebat sibi ironice, unde subdit: *Ad verecundiam vestram dico* (subaudi, quia curritis ad iudicia infidelium). *Non est inter vos sapiens quisquam, qui possit iudicare inter fratrem et fratrem suum? Sed frater cum fratre in iudicio contendit: et hoc apud infideles.* Deinde reprehendit eos, quia iniuste et fraudulenter fratres suos ad iudicium trahebant, dicens: *Iam quidem omnino delictum est in vobis, quia iudicia habetis inter vos*, scilicet fraudulenter et iniuriose; unde sequitur: *Sed vos iniuriam facitis et fraudatis: et hoc fratribus.* Et quod de talibus, qui fraudulenter trahebant fratres ad iudicium, apostolus intellexerit, patet, quia statim subiunxit: *An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt?* eos agere inique supponens; unde patet, quod apostolus non interdixit simpliciter Corinthiis conversis ad fidem litigare. Immo; quod eis liceret ex multis, ut patet ex praedictis, ostendit, et ideo subiungit: *Omnia mihi licent* (glossa: *omnia mea licet repetere mihi*).

Nec per sacram scripturam patet, quod Christus seu apostoli secundum intellectum historicum semper servaverint praecepta praedicta. De Christo enim domino nostro legitur Ioan. 13, quod, cum unus ex ministris pontificis dedisset ei alapam, non sibi praebuit aliam; sed dixit ei: *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem bene, cur me caedis?* Item de b. Paulo legitur Actor. 22, quod, cum tribunus iussisset eum flagellis caedi et torqueri et eum astrinxisset loris , dixit astanti concioni Paulus: *Hominem Romanum et indemnatum licet vobis caedere?* Quo audito tortus non fuit. Item Act. 23, cum princeps sacerdotum praecepisset percuti os Pauli, Paulus dixit ad eum: *Percutiat te Deus, paries dealbatae: Et tu sedens iudicans me secundum legem, et contra legem iubes me percuti?* Item eodem capite legitur, quod Paulus, cum audisset a filio sororis suae, quod plures ex Iudaeis devoverant, se non manducaturos neque bibituros, donec occiderent ipsum, misit nepotem suum ad tribunum ad nuntiandum sibi praedicta et sic evasit, ut legitur XXIII, q. 3, cap. *Maximus.* Item cum Ierosolymis in manus Romanorum traditus fuisset, et Iudaeis contradicentibus ipsum non expedirent, ad Caesarem appellavit, ut legitur Act. ult. cap. — Ex quibus satis liquet, quod non fuit intentio Salvatoris nostri prohibere fideles se defendere in iudicio et res suas, nisi quando hoc charitas suaderet. Quare patet, quod praedictus haereticus ut praevaricator legis divinae allegaverat supradicta capitula, quae non tangunt in aliquo nostras constitutiones praedictas.

Cum ergo quaeritur, utrum apostolis et discipulis et eorum sequacibus pro rebus, quas habebant,

licuerit et liceat litigare, videtur dicendum, quod illis, qui propria non habebant, pro rebus aliquibus tamquam propriis non licuit litigare; illis autem, qui habebant communia, pro illis ut pro communibus (animo ipsa bona communia defendendi vel repetendi sine fraude et alicuius iniuria) licuit litigare, praesertim illis, qui curam habebant illius communitatis vel saltem alii eorum mandato (nisi forsan ex hoc grave scandalum sequi posset, quo casu esset iudicium differendum vel omittendum). Et si diceretur, ut dicit iste haereticus, quod viris perfectis pro rebus religionum suarum esset prohibitum litigare, omnes religiosi, qui renuntiaverunt propriis et habent in communi (ut sunt illi, qui vivunt secundum regulam beati Augustini et Benedicti et quasi omnium aliorum sanctorum patrum diversarum religionum fundatorum, qui habent in communi), in via damnationis existerent bona communia in iudicio defendendo: qui tamen tenentur servare, tueri et defendere bona illa. Quod ex eo patet, quia b. Augustinus ad Bonifatium dixit: « Maximianus episcopus Vaginensis auxilium petit ab imperatore christiano contra hostes non tam sui ulciscendi causa quam tuendae ecclesiae sibi creditae: quod si praetermisisset, non eius fuisset laudanda patientia, sed negligentia merito culpanda ». Item quod praelatis, quorum status reputatur praestantior aliis et qui locum tenent apostolorum, pro rebus suarum ecclesiarum litigare liceat, patet; Nicolaus enim papa praecepit archiepiscopo Trevirensi et eius ecclesiae filiis, ut spirituali simul et materiali gladio tamdiu occupatores possessionum et rerum ecclesiae ipsius insequerentur eorumque fautores, quousque cum integritate possessiones et res aliae occupatae fuerint revocatae (XVI q. 1 cap. *Auctoritate*): quod non fecisset, si hoc licitum non fuisset. Ad quod facit extra de sententia excommunicationis cap. *Dilecto* lib. 6 de restitutione spoliatorum cap. *Cum olim*. — Item in concilio Gangrensi statutum fuit, quod, si quis oblata Deo dederit vel acceperit praeter episcopi assensum, qui ab eo institutus est: et qui dat et qui accipit, anathema sit; et sequitur: « Iniquum enim esse censemus, ut potius custodes chartarum quam defensores rerum creditarum, ut praeceptum est, iudicemus » (XVI q. 1 cap. *In canonibus*). Innocentius quoque in hoc, quod renuntiantibus propriis et habentibus in communi pro communi licet litigare, expresse determinare videtur extra de iudiciis cap. *Cum deputati*.

Adhuc iste haereticus constitutionem *Quia quorundam* impugnare nititur dicens, quod de clavibus ecclesiae male sentire videtur, quia in dubium revocat sive negat, clavem scientiae ecclesiae catholicae fore clavem; cum enim in dubium revocet, utrum scientia clavis ecclesiae sit censenda, et super hoc opiniones contrarias et diversas recitet, in partem illam, quod scientia non sit clavis in ecclesia, declinare videtur: cum dicit, quod Salvator noster in promissione clavium facta beato Petro hoc sensisse videatur expresse, cum immediate post illam promissionem subiunxerit: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis etc.*, nulla de scientia habita mentione: quae sacrae scripturae et sanctorum sententiis et doctrinae ecclesiae catholicae, ut dicit iste haereticus, contradicunt. Ad quod probandum inducit, quod legitur Lucae 2, ubi Salvator noster sic dicit: *Vae vobis legisperitis, qui tulistis clavem scientiae, et ipsi non introistis et illis, qui introibant, prohibuistis;* ex quo patet, ut dicit, quod clavis scientiae est una clavis ecclesiae, a clave potentiae separata. Profecto patet, quod eius malitia adeo istum haereticum excaecavit, quod ad veritatem aliquam nequit erigere intellectum. Dicat nobis iste haereticus, quibus loquebatur Salvator in verbis praedictis. Profecto negare non potest, quin loqueretur pharisaeis et scribis, quia sic ille textus dicite expresse: quibus tamen claves ecclesiae traditae quovis tempore non fuerunt; unde patet, quod non intellexit loqui de clavibus ecclesiae Dominus in verbis praedictis. Attendat adhuc iste haereticus verba Salvatoris nostri; dixit enim: *Vae vobis legisperitis, qui tulistis clavem scientiae ;* clavem dixit scientiae, non dixit clavem regni coelorum: de quibus clavibus, cum de clavibus ecclesiae loqueretur, est intelligendus: illas vero Petro a Christo promissas legimus et non scientiae clavem, ut patet Matthaei 6, ubi Dominus Petro sic dixit: *Ego dico tibi, quia tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam, et tibi dabo claves regni coelorum.* De clavibus autem istis regni coelorum Augustinus de doctrina christiana sic dicit: « Has claves dedit ecclesiae, ut, quae solveret in terra, soluta essent in coelis; et, quae ligaret in terra, ligata essent in coelis ». Hoc etiam Salvator noster dixisse videtur expresse, sicut constitutio praedicta *Quia quorundam* dicit, quia immediate post verba illa: *Tibi dabo claves regni coelorum* subiunxit: *Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis.*

Et si quaeratur, quae sit clavis scientiae, de qua Dominus loquitur Lucae 2, respondet glossa, quod clavis scientiae dominicae est Christi humilitas, quam, qui habet, habet apertum ostium ad intelligendum scripturas. Hanc pharisaei et legisperiti contempserunt, nec ipsi eam in lege et prophetis voluerunt intelligere nec ab aliis intelligi

permiserunt. Item clavis scientiae potest dici fides secundum illud Isaiae: *Nisi credideritis, non intelligetis.* Hanc clavem scientiae, scilicet Christi fidem, pharisaei et legisperiti suis pravis expositionibus de legis et prophetarum dictis abstulerunt, quantum in eis fuit, sicut iste haereticus, ut patet, nititur auferre. Hanc clavem scilicet fidem habebat Petrus, antequam sibi Dominus promitteret regni coelorum claves, ut patet in praeallegato cap. Matthaei 16; cum Dominus apostolos interrogasset, quem dicebant homines esse filium hominis, et postmodum diceret eis: *Vos autem, quem me esse dicitis?* respondens Petrus dixit: *Tu es Christus filius Dei vivi.* Et sic patet, quod hanc clavem scilicet fidem Petrus habebat ante promissionem praedictam. Habebat etiam et humilitatem; alias Deus pater hoc non revelasset ei, qui talia revelare parvulis id est humilibus consuevit, iuxta illud Matth. 2: *Confiteor tibi, Pater, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis,* et iuxta illud Psalmistae: *Scientiam dat parvulis.* Et quod Pater Petro revelaverit responsionem praedictam, hoc immediate subiunxit Dominus noster, qui immediate post responsionem Petri eidem Petro sic dixit: *Beatus es, Simon Bariona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui est in coelis.*

Item impugnat adhuc iste haereticus constitutionem praedictam falso imponens ei, quod dicit, quod summus pontifex in his, quae ad fidem et mores pertinent, potest suorum praedecessorum definitiones et dicta revocare et contrarium statuere, prout decreverit statuendum. Aperte iuxta morem suum mentitur haereticus supradictus; constitutio enim illa hoc non dicit nec de hoc facit aliquam mentionem, ut patere potest cuilibet intuenti: immo expresse negat, quod dicere, Christum et apostolos non habuisse in eis, quae habuerunt, nisi simplicem usum facti, ... profecto hoc directe nec ad fidem pertinet nec ad mores, ut in § *Praeterea* patet, in quo sic dicit: « Praeterea dicant nobis assertores huiusmodi, ubi legunt, quod ad fidem vel ad mores pertineat, Christum et apostolos non habuisse in iis, quae habuerunt, nisi simplicem facti usum. Profecto directe hoc ad fidem non pertinet, cum de hoc articulus non sit aliquis nec sub quo valeat comprehendi, ut patet ex symbolis, in quibus articuli fidei continentur; nec etiam reductive, quasi hoc sacra scriptura contineat, quo negato tota scriptura sacra redditur dubia, et per consequens articuli fidei, qui habent per scripturam sacram probari, redderentur dubii et incerti. Hoc enim in scriptura sacra non poterit, sed contrarium reperiri ». Ex quibus concludit dicens: « Unde non possunt ex praedictis concludere nisi falso, quod contra ordinata per summos pontifices circa talia liceat successoribus aliud ordinare, quod Nicolaus III expresse in sua declaratione inseruit, ut superius plenius continetur ».

Praemissa quoque, ut ad plurium possent pervenire notitiam eorumque memoria conservari valeret diutius, scripturae praesenti decrevimus committenda: quam quidem bulla nostra munitam maioris ecclesiae Avinionensis ostiis affigi fecimus seu appendi, ut sic iuxta nostrum desiderium ad communem deducto notitiam haereticorum doctrina praedicta pestifera sic suo praefocetur in ortu, quod nequaquam eiusdem virus nequiter ad inficiendum simplices ulterius diffundatur. Dat. Avinione, XVI kal. decembris, pontificatus nostri anno quarto decimo.

821. Mandat infrascriptis, ut libellum *Quia vir reprobus* contra Michaelem de Caesena conscriptum faciant publicari. [1]

1329, novembris 22 vel 24, Avinione.

Eidem [legato, Bertrando episcopo Ostien.]

Ad confutandas falsas opiniones haereticales et errores viri reprobi Michaelis de Caesena, olim ordinis fratrum Minorum generalis ministri, suis culpis gravibus et excessibus detestandis exigentibus per nos ab officio ministeriatus praedicti ordinis de fratrum nostrorum consilio exigente iustitia depositi et ad dignitates aliaque beneficia ecclesiastica obtinenda inhabilis redditi et indigni nec non de haeresis et scismatis criminibus sententialiter condemnati, pro eo quod [2] tres constitutiones nostras videlicet *Ad conditorem canonum*, *Cum inter* et *Quia quorundam* [3] nisus est temerariis et periculosis ausibus impugnare: nos, ne opiniones huiusmodi simplicium corda possent inficere, certas responsiones fecimus easque in quodam libello bulla nostra munito redactas [4] in scriptis maioris ecclesiae Avinionen. ostiis, ut ad multorum deducerentur notitiam, appendi fecimus seu affigi. Volentes itaque responsiones nostras praedictas in eis partibus publicari ac dilectis filiis doctoribus et scolaribus aliisque personis ecclesiasticis in studio Bononiensi et aliis partibus tuae legationis commorantibus, ut cum eisdem responsionibus communiti promptius et praevisi adversus eiusdem Michaelis suorumque quorumlibet in hac parte sequacium ex adverso contra verita-

[1] Reg. Vat. t. 115, f. 19, ep. 1105; cfr. supra n. 820.
[2] *In registro:* per quas.
[3] Cfr. supra p. 280 not. 5.
[4] *In registro:* redactis.

tem fidei catholicae ascendere molientium errores et haereses se ac alios tueri valeant, communicari: fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus libellum huiusmodi responsiones continentem praedictas, quem tibi bulla nostra communitum praedicta et sub eadem inclusum cum praesentibus mittimus, publicare solenniter ac illum eisdem doctoribus et scolaribus pro parte nostra praesentare copiamque de illo tam ipsis quam aliis personis ecclesiasticis (religiosis et saecularibus) petentibus et habere volentibus exhibere procures. [1]

In e. m. *legato Tusciae* mutato, ubi dicitur « in studio Bononiensi » dicitur « in Urbe ac partibus tuae legationis etc. » Dat. [Avinione], VIII Kal. decembris, anno quartodecimo,

In e. m. *archiepiscopis Cantuarien.*, [2] *Compostellan.*, [3] *Bracharen.*, *Lunden.*, *Colonien.*, *Maguntin.*, *Bremen.*, *Tholosan.*, *Tholetan.*, *Neapolitan.*, *episcopo Parisien.* [4] Dat. X Kal. decembris anno quartodecimo.

In e. m. *Ioanni patriarchae Alexandrin., admistratori in spir. et temp. ecclesiae Terraconen. auctoritate apostolica deputato* [5] usque « volentes itaque responsionses nostras praedictas in Terraconen. provincia publicari ac dilectis filiis doctoribus et scolaribus aliisque personis ecclesiasticis in eadem provincia commorantibus, ut cum [6] etc. » Datum ut supra.

In e. m. mutatis mutandis *universis episcopis per regnum Scotiae constitutis*. Dat. ut supra. [7]

822. Regratiatur Carolo regi Hungariae et Stephano principi Bosniae, eo quod fr. Fabiano ord. Min., inquisitori haer. prav. in Sclavonia, opem operamque adhibebant efficaces. [8]

1329, novembris 22, Avinione.

Carolo regi Ungariae illustri.

Iam dudum, fili carissime, cum ad nostri apostolatus pervenisset auditum, quod tenebrarum principe procurante, qui saluti humani generis invidet et ad eius interitum et perditionem consuetis suae nequitiae stimulis aspirare non cessat, haereticorum caterva non modica in principatu Bosnensi in confinio Dalmatiae constituto de diversis partibus fuerat congregata, qui quidem haeretici errores et haereses in eodem principatu tuae ditioni subiecto seminare pestiferos et sub simulatae simplicitatis fallacia simplicium animas suis huiusmodi pessimis erroribus et haeresibus decipere in nostri Redemptoris contumeliam ac fidei et fidelium grande periculum satagebant, celsitudinem regiam rogandam duximus attentius et hortandam, ut velut princeps catholicus zelo fidei clare fervens ad errores et haereses huiusmodi radicitus extirpandas prompta devotione regiaque magnanimitate consurgeres et dilecto filio Fabiano de ordine fratrum Minorum, inquisitori haereticae pravitatis in eis partibus auctoritate apostolica deputato, assistendo favore regio super hiis efficaces opem et operam adhiberes, procurando et faciendo nihilominus, quod dilectus filius nobilis vir Stephanus princeps Bosnensis ad eliminandum de sui principatus finibus errores et haereses huiusmodi efficaciter, sicut eum decet, interponeret partes suas. Sane, fili amantissime, quia, sicut grata eiusdem inquisitoris relatione percepimus, tu ipsum pro divina et apostolicae sedis reverentia benigne recipiens et eum super hiis, quae favorem concernunt fidei, propitio favore pertractans, te praemissis exhortationibus nostris atque salutaribus promptis et devotis obtuleris affectibus pariturum: inde celsitudini regiae gratiarum exolvimus uberes actiones, rogantes regalem magnificentiam et in Domino attentius exhortantes, quatinus oblationem huiusmodi Deo gratam ac nobis et eidem sedi non indigne placidam et acceptam in effectum operis fructuosi producere, ut ex hoc tibi ampliora salutis et honoris incrementa perveniant, serenitas regia non omittat, habiturus eundem inquisitorem

---

[1] Quamquam libellus ille *Quia vir reprobus* in studiis generalibus legendus erat, in corpus tamen iuris canonici minime est receptus. Quid hac de re cardinalis Bellarminus senserit quidve Franciscus Penia (*Pegna*) s. Rotae auditor ad id responderit, legas in Cod. Vat. lat. n. 7187, quem *Lämmer* in « Meletematum Romanorum mantissa » (Ratisbonae MDCCCLXXV) f. 63-93 publici iuris fecit.

[2] Die 6 martii 1330 summus pontifex Itherio de Concoreto can. Saresberien., apost. sedis legato, mandat, ut curet, quod iste libellus archiepiscopo Cantuarien. per Ricardum abb. mon. de Dera ord. Cist. dioec. Hereforden. destinatus tam praelatis quam studiis ac viris scholasticis et ecclesiasticis per regnum Angliae constitutis publicetur et communicetur (l. c. ep. 1779).

[3] Eidem summus pontifex hac de re alias litteras 12 ianuarii 1330 mittit, quibus ipsum insuper certiorem reddit de rumoribus in partibus Italiae occurrentibus (l. c. ep. 2057),

[4] Eundem episcopum summus pontifex aliis litteris 11 dec. 1329 datis sollicitat, ut circa publicationem illius libelli, quem sibi magister Geraldus de Campimulo cantor Parisien. praesentabit, adhibeat diligentiam operosam, ipsumque cantorem monet, ut curet, quod fiat solemnis publicatio eiusdem libelli, qui personis ecclesiasticis et scholasticis tam in studio Parisien. quam alibi communicetur (l. c. ep. 1620 et 1621). Cfr. *Chart. Univ. Paris.* t. II, p. 332, n. 898.

[5] Aliis litteris 15 mart. 1330 datis summus pontifex Hugonem de Mirabello praepositum Mimaten., apost. sedis legatum, monet, ut rescribat, num ille libellus eidem patriarchae destinatus sit publicatus.

[6] *In registro:* tecum.

[7] Eundem libellum summus pontifex mittit die 4 decembris 1329 *Roberto regi Siciliae*, ut responsiones in ipso contentae circumspectioni regiae fiant notae (l. c. f. 142 ep. 1816).

[8] Reg. Vat. t. 115, f. 142, ep. 1814 et 1815, cfr. supra n. 577 et 578.

pro nostra et eiusdem sedis reverentia favorabiliter commendatum. Datum Avinione, X kalendas decembris, anno quartodecimo.

Stephano principi Bosnensi.

Assertione fide dignae relationis saepius repetitae ad audientiam nostri apostolatus producto, quod tenebrarum principe procurante *etc. ut supra usque* satagebant, nobilitatem tuam rogandam duximus attentius et hortandam, ut ad eliminandum de tuo principatu praedicto eosdem errores et haereses, ne pullularent ibidem amplius, sed potius extirparentur radicitus, ut honori tuo erat sicut et adhuc existere dignoscitur expediens et saluti, efficaces opem et operam adhiberes, dilecto filio Fabiano... deputato assistendo super hiis consiliis, auxiliis et favoribus opportunis. Sane, cum eiusdem inquisitoris grata relatione percepimus, quod tu nostris et ecclesiae Romanae libenter beneplacitis adhaerendo ad defensionem fidei catholicae promptis et devotis affectibus te accingis [et] memoratum inquisitorem benigne recipis, te nostris in hac parte salubribus exhortationibus offerens pariturum: inde tuam providentiam cum gratiarum actionibus uberibus plurimum in Domino commendamus, nobilitatem tuam rogantes *etc. ut supra.* Dat. ut supra.

823. Contra archiepiscopum Iadren., qui fr. Fabiano ord. Min., inquis. haer. prav., quosdam de haeresi suspectos eripuit, procedi et Francischinum de Papia eidem inquisitori libros et pecunias auferentem ad restituendum cogi iubet. [1]

1329, novembris 22, Avinione.

Legato [Lombardiae, Bertrando episcopo Ostiensi].

Exposuit nobis dilectus filius Fabianus de ordine fratrum Minorum, inquisitor haereticae pravitatis in provincia Sclavoniae auctoritate apostolica deputatus, quod, cum ipse dudum inquisitionis praedictae sibi commissum officium exequendo adversus Martinum abbatem monasterii sanctorum Cosmae et Damiani ordinis s. Benedicti, Iadrensis diocesis, et Franciscum dicti monasterii monachum, super crimine haeresis delatos, sibi graviter et vehementer suspectos vellet procedere iustitia exigente, venerabilis frater noster Iohannes archiepiscopus Iadrensis, officium inquisitionis huiusmodi non sine magna temeritate impediens et perturbans, praefatos abbatem et monachum de manibus gentium et ministrorum inquisitoris eiusdem rapuit violenter, ipsos ad domum suam, ubi eos defendere satagit, adducendo, et hiis non contentus, mala malis cumulans, in eundem inquisitorem (status pontificalis spreta modestia et maturitate calcata) manus praesumpsit mittere temere violentas. Cum autem praemissa, quae moleste non indigne, si eis suffragetur veritas, ferimus, remanere non debeant incorrecta, fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatinus per te vel alium seu alios (summarie, simpliciter et de plano) super praemissis et ea tangentibus te informans informationem et quicquid inde feceris, nobis mittere fideliter non postponas. Datum [Avinione,] X kalendas decembris, anno quartodecimo.

[Eidem] Legato.

Sua nobis dilectus filius Fabianus de ordine Minorum, inquisitor haereticae pravitatis in partibus Sclavoniae auctoritate apostolica deputatus, gravi conquestione monstravit, quod ipse dudum in itinere veniendi ad sedem apostolicam constitutus per Francischinum de Papia de Georgiis de castro de Fortunaga [Bobien.] diocesis equis, libris, pecunia et nonnullis bonis suis ac processibus et scripturis etiam officium inquisitionis praedictae tangentibus extitit violenter et nequiter spoliatus. Nos autem volentes eidem inquisitori bona sibi sic oblata restitui et alias super praedictis iustitiam exhiberi, fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatinus, si summarie, simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura iudicii tibi constiterit de praemissis, praefatum Francischinum ad restituendum dicto inquisitori oblata huiusmodi sibique de iniuriis et offensis illatis satisfaciendum, prout iuris aequitas suadebit, monitione praemissa, compellere per censuram ecclesiasticam appellatione postposita non omittas: invocato ad hoc, si necesse fuerit, auxilio brachii saecularis. Datum [Avinione], X kalendas decembris, anno quartodecimo.

824. Petro de Bessis ord. Min. concedit facultatem se transferendi ad ordinem s. Benedicti. [2]

1329, novembris 22, Avinione.

Dilecto filio Petro de Bessis ordinis fratrum Minorum.

Devotionis tuae sinceritas promeretur, ut illa, quae postulas, tibi favorabiliter concedamus. Hinc est, quod nos tuis supplicationibus annuentes tibi, qui ad ordinem sancti Benedicti pro animae tuae salute ac pace et tranquillitate tuis, ut asseritur, transferri desideras, transeundi ad ordinem ipsum plenam et liberam licentiam tenore praesentium impertimur. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, X kalendas decembris, anno quartodecimo.

---

[1] Reg. Vat. t. 115, f. 19, ep. 1102 et 1103.

[2] Reg. Vat. t. 93, ep. 290.

825. Concedit Clarissis mon. s. Mariae Magd. de Castellario de Montefalco dioec. Spoletan., quod possint in loco suo remanere non obstante lite per fratres Erem. s. Aug. super hoc mota.[1]

1329, novembris 27, Avinione.

Dilectis in Christo filiabus abbatissae et conventui sororum monasterii sanctae Mariae Magdalenae de Castellario de Montefalco ordinis sanctae Clarae dioec. Spoletan.

Coelestia quaerentibus *etc.* Sane petitio vestra nobis exhibita continebat, quod olim, iam sunt sexaginta anni et amplius, monasterium vestrum per sorores, quae vos in dicto monasterio praecesserunt, canonice fuit fundatum; post cuius fundationem vel constructionem elapsis decem annis vel circa quidam fratres ordinis Eremitarum sancti Augustini quendam locum prope dictum monasterium receperunt et ex tunc usque ad haec tempora vobis vicini permanserunt, quodque pro eo, quod nuper beatae Clarae regulam recepistis, iidem fratres, asserentes, ex hoc vos personas alias fore effectas et per consequens dictum monasterium in alias personas fore translatum contra privilegium eis super hoc ab apostolica sede concessum, ac praetendentes se ex hoc indebite gravari, ad sedem apostolicam appellarunt: ac super appellatione huiusmodi dilectum filium Bertrandum de sancto Genesio, decanum ecclesiae Engolismen., capellanum nostrum et causarum primi gradus palatii nostri auditorem, cum potestate citandi in Romana curia et ad partes nos ad eorum instantiam dedimus auditorem, qui ad requisitionem dictorum fratrum vos in partibus per litteras suas citare fecit et ad aliquos alios actus ulterius in huiusmodi causa processit. Quare pro parte vestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut, cum monasterium vestrum magna prematur inopia vosque oporteat mendicare nec habeatis, unde sumptus litis huiusmodi contra vos motae per fratres praedictos supportare possitis, providere vobis super hoc de opportuno remedio dignaremur. Nos igitur, paterno vobis in hac parte compatientes affectu, auctoritate apostolica de fratrum nostrorum consilio ordinamus et volumus, ut praemissis nequaquam obstantibus in dicto monasterio, in quo estis, possitis libere permanere; ita tamen, quod dilecti filii fratres ordinis Minorum, si locum ibidem non habeant, non possint vobiscum in dicto monasterio habitare quodque vobis non liceat a parte dictorum fratrum Eremitarum aedificare vel locum vestrum etiam ampliare. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, V kal. decembris, anno quartodecimo.

826. Clarissis de Petra alba dioec. Barchinon. concedit facultatem fruendi privilegiis Clarissis Nemausen. concessis.[2]

1329, novembris 30, Avinione.

Dilectis in Christo filiabus .. abbatissae et conventui monasterii s. Mariae de Petraalba ordinis s. Clarae Barchinonensis diocesis.

Speciosus forma et plenus gratia *etc.* Hinc est, quod nos carissimae in Christo filiae nostrae Elisendis reginae Aragonum illustris, quae monasterium vestrum se asserit de novo fundasse, ac vestris in hac parte devotis supplicationibus inclinati, ut omnibus privilegiis dilectis in Christo filiabus.. abbatissae et conventui monasterii s. Clarae Nemausensis ordinis eiusdem sanctae a praefata sede concessis gaudere et uti libere valeatis, vobis auctoritate praesentium de speciali gratia indulgemus. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, II kalendas decembris, anno quartodecimo.

Eisdem.

Cum a nobis petitur, quod iustum est *etc.* Sane pridem vobis, ut omnibus privilegiis dilectis in Christo filiabus .. abbatissae et conventui monasterii s. Clarae Nemausensis ordinis eiusdem sanctae ab apostolica sede concessis gaudere et uti libere valeretis, vobis auctoritate apostolica per nostras certi tenoris litteras duximus indulgendum. Verum, quod vobis valde difficile redderetur, quotiens indigeretis privilegiis supradictis, ad easdem abbatissam et conventum habere recursum, nos, carissimae in Christo filiae nostrae Elisendis reginae Aragonum illustris, quae monasterium vestrum se asserit de novo fundasse, ac vestris in hac parte devotis supplicationibus inclinati, tenorem quarundam litterarum apostolicarum per nos dudum dictis abbatissae et conventui concessarum, continentium inter alia quorundam apostolicorum privilegiorum tenores in regestro nostro repertorum, fecimus de verbo ad verbum ad cautelam et perpetuam memoriam futurorum praesentibus annotari illumque bullae nostrae appensione muniri. Tenor autem dictarum litterarum talis est: « Iohannes episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus .. abbatissae et conventui monasterii s. Clarae Nemausensis ordinis eiusdem sanctae salutem et apostolicam benedictionem. Annuere consuevit sedes apostolica piis petentium votis et honestis precibus favorem benivolum impertiri. Sane nuper, ut omnibus privilegiis dilectis in Christo filiabus .. abbatissae et conventui monasterii s. Clarae Avinionensis eiusdem sanctae sive s. Damiani ordinum ab apostolica sede con-

[1] Reg. Vat. t. 93 ep. 588, apud *Wadd.* l. c. n. 109.

[2] Reg. Vatic. t. 93, ep. 667.

cessis gaudere et uti libere valeretis, vobis auctoritate apostolica per nostras certi tenoris litteras duximus indulgendum. Verum, quod vobis valde difficile redderetur, quotiens indigeretis privilegiis supradictis, ad easdem abbatissam et conventum habere recursum, tria a felicis recordationis Alexandro IV et unum ab Urbano IV praedecessoribus nostris Romanis pontificibus privilegia eisdem abbatissae et conventui concessa, plumbeis ipsorum praedecessorum bullis munita, pro parte vestra nobis exhibita ad vestrae supplicationis instantiam inspeximus diligenter ipsorumque tenores de verbo ad verbum (nichil addito vel remoto, quod mutare posset substantiae veritatem), vestris precibus inclinati, praesentibus annotari fecimus ad cautelam et transcripta ipsorum bullae nostrae appensione muniri ad perpetuam memoriam futurorum. Tenores autem ipsorum privilegiorum tales sunt: [1] Ceterum, ut huiusmodi privilegiorum ipsorum tenores seu transumpta omnimodam rei seu facti certitudinem faciant sic inserta, apostolica auctoritate decernimus, ut per se sola exhibita illam vim et eundem vigorem habeant per omnia in iudicio et extra iudicium, quem originalia privilegiorum ipsorum obtinerent, et quod eis adhibeatur fides, sicut originalibus adhiberetur eisdem. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, XII kalendas decembris, pontificatus nostri anno tertiodecimo. » Ceterum, ut huiusmodi litterarum et privilegiorum in eis ut praemittitur insertorum tenores seu transumpta omnimodam rei seu facti certitudinem faciant hic inserta, apostolica auctoritate decernimus, ut per se sola exhibita illam vim et eundem vigorem habeant per omnia in iudicio et extra iudicium, quem originalia privilegiorum ipsorum obtinerent, et quod eis adhibeatur fides, sicut originalibus adhiberetur eisdem. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, kalendis decembris, pontificatus nostri anno quartodecimo.

827. Vincentium (ord. Min.) absolutum a vinculo, quo teneri videbatur ecclesiae Nebien., ad ecclesiam Maranen. transfert. [2]

1329, decembris 1, Avinione.

Venerabili fratri Vincentio episcopo Maranen.

Angit nos cura propensior *etc.* Dudum siquidem ex certis rationabilibus causis provisiones omnium ecclesiarum cathedralium *etc. usque* contingeret attentari. Et subsequenter, cum finis huiusmodi nostrae ultimae prorogationis instaret, nos similibus causis inducti reservationem et decretum praedicta usque ad duos annos ab eisdem kalendis aprilis in antea computandos auctoritate praedicta per nostras certi tenoris litteras extendenda duximus ac etiam proroganda. Interim vero aliquorum fide dignorum relatione percepto, quod Nebien. [3] ecclesia in praedicta consistens provincia [Ianuen.] certis ex causis tunc expressis vacabat, nos cupientes eidem ecclesiae de idoneo providere pastore de te, ordinis fratrum Minorum professore, ipsi Nebien. ecclesiae de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica duximus providendum teque illi praefecimus in episcopum et pastorem et subsequenter per venerabilem fratrem nostrum Guillelmum Sabinen. episcopum tibi fecimus munus consecrationis impendi.

Postmodum autem, cum ecclesia Maranen. [4] in praefata provincia similiter consistens, per obitum bo. me. Guidonis episcopi Maranen., qui in partibus illis diem clausit extremum, foret pastoris solatio destituta et de causis, propter quas vacavisse praefata Nebien. ecclesia dicebatur, non plene liqueret ac ob hoc dubitaretur, quod ipsa Nebien. ecclesia non vacaret tunc temporis: [5] nos te volentem et consentientem a vinculo, si quo forsan eidem Nebien. ecclesiae tenebaris, de fratrum praedictorum consilio et apostolicae potestatis plenitudine duximus absolvendum, et sic nullius ecclesiae episcopus remansisti; et deinde, volentes eidem Maranen. ecclesiae, de cuius ordinatione nullus praeter nos se hac vice intromittere potest (reservatione, decreto ac prorogatione et extensione obsistentibus supradictis), nec non gregi dominico eiusdem Maranen. ecclesiae tuoque statui salubriter et utiliter providere, post deliberationem, quam super hoc cum eisdem fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te consideratis grandium tuarum virtutum meritis, quibus personam tuam Dominus insignivit, nostrae considerationis intuitum dirigentes, de persona tua praefatae Maranen. ecclesiae de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem eiusdem Maranen. ecclesiae tibi in temporalibus et

[1] Sequuntur litterae Alexandri IV diebus 11 sept. 1256 et 7 febr. ac 16 iun. 1257 atque Urbani IV die 22 sept. 1263 datae; cfr. supra p. 122 not. 2 et n. 740.

[2] Reg. Vat. t. 96, ep. 3571, apud *Wadd.* l. c. n. 122; cfr. supra n. 814.

[3] Alias « Nubien. » (*Nebbio* in insula Corsica et provincia eccl. Ianuen.)

[4] *Mariana* in insula Sardiniae.

[5] Contra Percevallum (ex ord. Min.) episcopum Nebien. processus quidem habebatur, eo quod antipapae adhaerebat, sententia vero nondum lata erat. Cfr. infra bullam die 13 aprilis 1332 datam, qua ecclesiae Nebien. vacanti per resignationem istius Percevalli Raphael Spinulae ord. Min. praeficitur in episcopum.

spiritualibus committendo *etc.* Datum Avinione, kal. decembris, anno quartodecimo. [1]

828. Populis et principibus schismaticis in partibus Orientis fratres ord. Praed. et Min. semen fidei catholicae disseminantes commendat eosque, ut ad unionem ecclesiae catholicae redeant, hortatur. [2]

1329, decembris 1, Avinione.

Magnifico viro Trapezundarum imperatori gratiam in praesenti, quae perducat ad gloriam in futuro.

Licet votis zelamus ardentibus, ut cunctis mortalibus *etc. ut supra n. 804 usque* perfruantur: hoc tamen *etc. usque* fecundatur. Ideoque excellentiam tuam rogamus, monemus et hortamur attente in domino Iesu Christo, per aspersionem sui pretiosissimi sanguinis obsecrantes, quatenus diligenter attendens, quod tibi crescet ad meritum, accedet ad gloriam atque famam, si datum tibi desuper fuerit, ut tu et populus tuae ditioni commissus discretionis tuae studio ad unitatem eiusdem catholicae et universalis ecclesiae revertimini, extra quam non est gratia neque salus, te et praedictum populum habilitare et reducere studeas ad eiusdem catholicae et sacrosanctae Romanae ecclesiae perpetuam et inviolabilem unionem, ac dilectos filios fratres Praedicatorum et Minorum ordinum ad partes ipsas venientes, per illas transitum faciendo, caritative recipias et benigne pertractes, et maxime venerabilem fratrem nostrum Bernardum de Gardiola episcopum Diagorganen., quem ad laudem Dei et gloriam et ad pascendum gregem Dominicum in partibus illis praedicationis verbo pariter et exemplo ecclesiae Diagorganen. praefecimus in pastorem, quemque ad partes ipsas providimus destinandum, pro divina et apostolicae sedis reverentia habeas commendatum, ut in retributione iustorum ab aeterno retributore, qui nullum bonum sine remuneratione relinquit, mercedem condignam et aeternae beatitudinis praemia consequaris. Datum Avinione, kal. decembris, anno quartodecimo.

In e. m. eidem imperatori Trapez. atque principi de Aliquis maioris Armeniae quoad Guilelmum de Zigiis ord. Praed. in episcopum Taurisien. promotum. [3]

829. Guilelmo de Belloreguardo, monacho mon. de Firmitate ord. Cist. dioec. Cabilonen., concedit facultatem curam animarum exercendi ac vocem in capitulo habendi non obstante, quod olim fuerit ordinis Minorum. [4]

1329, decembris 4, Avinione.

Dil. filio Guilelmo de Belloreguardo etc.

Religionis zelus *etc.* Dat. Avinione, II nonas decembris, anno quartodecimo.

830. Processus contra aliquos haereticos (Fraticellos) habitos publicari et in eosdem procedi iubet. [5]

1329, decembris 5, Avinione.

Iohanni s. Theodori diacono cardinali, apostolicae sedis legato. [6]

Dudum litteras nostras venerabilibus fratribus nostris patriarchis, archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis electis, ad quos eaedem pervenirent litterae, direxisse meminimus post salutationis eloquium in haec verba: « Gloriosam ecclesiam non habentem maculam aut rugam *etc.* », ut est in libro ordinario sub data X kalendas februarii anno secundo. [7] Et licet per eosdem patriarchas, archiepiscopos, episcopos et electos contra pseudofratres sectae praedictae pestiferos procedi mandaverimus, sicut in eisdem litteris plenius continetur: quia tamen peste illa nondum extirpata penitus, sed potius in partibus tuae legationis, sicut accepimus, pullulante inde possent gravia pericula christianae religionis coetui, nisi salubribus occurreretur in hac parte remediis, formidari, discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatinus litteras ipsas et contenta in eis faciens in ecclesiis et locis partium praedictarum, de quibus tibi videbitur, per te vel alium seu alios publicari et quosvis tales, qui reperiri poterunt in partibus legationis praedictae, capi facias et eos restitui praelatis ordinis fratrum Minorum, cum ab eis vel eorum vicariis, procuratoribus seu nunciis requisitus

[1] In e. m. capitulo eccl. Maranen., clero et populo civ. ac dioec. Maranen., archiepiscopo Ianuen. — Iste Vincentius, postquam ab ecclesia Nebien. ad Maranen translatus est, nihilominus illius dioecesis administrationi se ingerebat, quare summus pontifex universa et singula per ipsum in ecclesia et episcopatu Nebien. tractata irritat et nulla declarat die 15 oct. 1332 (l. c. t. 105, ep. 1293).

[2] Reg. Vat. t. 93, ep. 335 apud *Wadd.* l. c. ad a. 1329, n. 12-15.

[3] Aliis litteris eodem die datis summus pontifex praeter fratres ord. Praed. et Min. praedictum Bernardum episcopum Diagorganen. regi Rassiae, regi Tefelicen. Georgianiae, regi Choraticen., principi Solagay Tefelicen., principi de Carpi, Misserquis principi Tefelicen, ac principi de Aliquis, praedictum Guilelmum ep. Taurisien. conversis ad fidem catholicam et catholicis christianis habitantibus inter infideles et schismaticas nationes in partibus Orientis, ac Iordanum ep. Columben. eisdem conversis et catholicis in partibus Aquilonis et Orientis et specialiter in Cumcatana et Gozarat et in minori India habitantibus atque imperatori Aethiopum commendat (l. c. t. 274 epp. 271-278); praedictum Guilelmum episcopum Taurisien. unacum fratribus Praed. et Min. insuper commendat marforiano (patriarchae) Iacobitarum et christianis habitantibus in montibus Albor litteris die 23 ian. 1330 datis (cfr. *Rayn.* Ann. eccl. ad a. 1339 n. 56 et 57).

[4] Reg. Vat. t. 93, ep. 302.

[5] Reg. Vat. t. 115, f. 14, ep. 1170.

[6] In Tusciae et patrimonii s. Petri partibus.

[7] Cfr. supra n. 302.

fueris, iuxta suorum demeritorum exigentiam puniendos: ad alia, ad quae per patriarchas, archiepiscopos, episcopos et electos memoratos procedi super praedictis per praedictas litteras mandavimus, nihilominus processurus. Datum Avinione, nonis decembris, anno quartodecimo.

831. De bonis receptis per fr. Accursium ord. Min., quondam inquisitorem haer. prav., infrascriptos se informare iubet. [1]

1329, decembris 13, Avinione.

Guilelmo Dulcini Praedicatorum, apostolicae sedis nuncio, et Grimaldo de Prato Minorum ordinum fratrum.

Cum dilectus filius Accursius Bonfantini ordinis fratrum Minorum, olim inquisitor haereticae pravitatis in partibus Tusciae auctoritate apostolica deputatus, ratione inquisitionis officii nonnulla bona, sicut accepimus, percepit, de quibus habere pleniorem certitudinem volumus et, prout nobis expedire videbitur, ordinare, discretioni vestrae per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus de dictis bonis vos informantes summarie, simpliciter et de plano et rationes etiam eiusdem Accursii audientes et examinantes, solerti adhibita diligentia super eis, bona ipsa, in quibuscunque rebus consistant, ad manum vestram recipere ac conservare fideliter, quousque aliter de illis ordinandum duxerimus, studeatis: contradictores *etc.*, non obstantibus *etc.* Volumus autem, quod vos ambo vel tu, fili Guilelme, praemissa omnia exequi valeatis, nos reddendo de bonis eisdem clare, particulariter et distincte nihilominus certiores. Datum [Avinione], idibus decembris, anno quartodecimo.

832. Committit archiepiscopo Armachan. facultatem, Ioannem Corkagen. et Rudolfum (ex ord. Min.) Dunen. episcopos ad invicem transferendi. [2]

1330, ianuarii 5, Avinione.

Venerabili fratri archiepiscopo Armacano.

In specula vineae Domini Sabaoth *etc.* Ad nostri siquidem apostolatus notitiam deduxit relatio fide digna, quod venerabiles fratres nostri Ioannes Corkagen. et Rudolphus Dunen. episcopi purae et providae intentionis affectu sperant amplius proficere animabus et locis, ut efficacius impleant ministerium eorumdem, quod credunt Deo propitio posse firmiter provenire, si Ioannes ad Dunen., Rudolphus vero praefati ad Corkagen. ecclesias apostolicae auctoritatis praesidio transferantur. Nos igitur, de tuae circumspectionis industria plenam in Domino fiduciam obtinentes, fraternitati tuae Ioannem ab eo, quo Corkagen., Rudolphum autem praedictos ab eo, quo Dunen. ecclesiis praelibatis, quibus praesunt, vinculis tenentur, penitus absolvendi nec non Ioannem ad Dunen., Rudolphum vero praefatos ad Corkagen. ecclesias iam dictas auctoritate apostolica transferendi ac Ioannem Dunensi, Rudolphum vero praedictos Corkagensi ecclesiis antedictis praeficiendi in episcopos et pastores, et Dunensis Ioanni, Corkagensis vero ecclesiarum praedictarum curam et administrationem Rudolpho iam dictis in spiritualibus et temporalibus plenarie committendi ac Ioanni ad Dunensem, Rudolpho vero praedictis ad Corkagensem ecclesias praefatas transeundi liberam licentiam tribuendi, dummodo eorundem episcoporum expressus assensus intervenerit in praemissis, faciendi quoque Ioanni et Rudolpho praefatis ab eorum subditis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi: necnon contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendi ac recipiendi postmodum nostro et ecclesiae Romanae nomine a Ioanne et Rudolpho praedictis fidelitatis debitae solitum iuramentum iuxta formam, quam tibi sub bulla nostra mittimus interclusam, plenam atque liberam de fratrum nostrorum consilio et apostolicae potestatis plenitudine concedimus tenore praesentium potestatem. Formam autem iuramenti, quod quilibet eorumdem, Ioannes et Rudolphus, praestabit, nobis de verbo ad verbum, per cuiusque ipsorum patentes litteras tuo sigillo signatas, per proprium nuntium quantocius destinare procures. Per hoc autem tibi, cui ecclesiae supradictae metropolitico iure subesse noscuntur, et archiepiscopo Armachano, qui pro tempore fuerit, nullum imposterum praeiudicium generetur. Datum Avinione, nonis ianuarii, anno quartodecimo. [3]

833. Committit episcopo Lubicensi, ut ecclesiam paroch. de Ribenitz dioec. Swerinen. monasterio s. Clarae de Ribenitz incorporet. [4]

1330, ianuarii 9, Avinione.

Venerabili fratri .. episcopo Lubicensi.

Significarunt nobis dilectae in Christo filiae .. abbatissa et conventus monasterii sororum s. Clarae in Ribeniz ordinis eiusdem sanctae, Swerinensis dioecesis, quod quondam Henrico domino Magnopolensi, tunc vivente, nobis significante, quod ipse

[1] Reg. Vat. t. 115, f. 73, ep. 1398. Cfr. supra n. 790.

[2] Reg. Vat. t. 95 ep. 1205; apud *Wadd* l. c. n. 110; cfr. supra n. 743.

[3] Aliis litteris eodem die datis summus pontifex praedictum Ioannem, dudum in episcopum Dunen. electum, confirmatum, consecratum, sed ab ipso summo pontifice non admissum, ecclesiae Corkagen. praeficit in episcopum (Reg. Vat. t. 95, ep. 1). Translationes autem, de quibus in supradictis litteris sermo est, non fiebant.

[4] Reg. Vat. t. 93, ep. 558; cfr. supra n. 591.

pro suae suorumque progenitorum remedio animarum, cupiens terrena pro coelestibus et transitoria in aeterna felici commercio commutare, dictum monasterium de bonis suis in fundo proprio de licentia dioecesani loci fundandum duxerat pariter et dotandum, abbatissa et monialibus inibi institutis, ac nobis humiliter supplicante, ut, quod super hoc actum erat, confirmare benignius ex certa scientia dignaremur, supplendo defectum, si quis fuisset in praemissis, de apostolicae plenitudine potestatis ac pro augmento facultatum ipsius monasterii parochialem ecclesiam eiusdem loci in Ribeniz, cuius idem Henricus dumtaxat ut dicebat erat patronus, dicto monasterio incorporando, annectendo et perpetuo uniendo (ita quod cedente vel decedente rectore ipsius ecclesiae, qui tunc erat, vel ea quovis modo vacante liceret praefatis abbatissae et monialibus corporalem ipsius ecclesiae possessionem per se ipsas apprehendere, cuiusquam assensu minime requisito, et suis usibus applicare: reservata de eius proventibus perpetuo vicario inibi Domino servituro congrua portione, ex qua posset congrue sustentari, episcopalia iura solvere aliaque incumbentia onera supportare), nos eiusdem Henrici supplicationibus inclinati venerabili fratri nostro Iohanni episcopo Swerinensi confirmandi auctoritate apostolica, quod super hoc factum erat, et supplendi omnem defectum, si quis fuisset in praemissis, plenam et liberam concessimus per nostras litteras atque commisimus ex certa scientia facultatem, si (simpliciter, summarie et de plano sine strepitu et figura iudicii informatione praehabita super hiis) id sibi expediens videretur; voluimus autem, quod de iure patronatus eiusdem ecclesiae suisque redditibus annuis et utrum supportatis oneribus, quae ecclesiae praedictae incumberent, aliquod commodum et quantum dictae abbatissa et moniales reportare valerent, rescriberet nobis per suas litteras vel publicum instrumentum particulariter et distincte; quodque praefatus episcopus, licet receperit litteras supradictas, nimis lente in praemissorum executione processit hactenus et procedit et, sicut creditur, ob timorem quorundam canonicorum ecclesiae suae non audet ad executionem procedere praemissorum. Quare praefatae abbatissa et conventus nobis humiliter supplicarunt, ut providere eis super hoc de oportuno remedio dignaremur. Nos igitur ipsarum supplicationibus inclinati, fraternitati tuae, de qua plenam in Domino fiduciam gerimus, per apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, ad praemissorum executionem procedas iuxta earundem super hoc dicto episcopo Swerinensi denominatarum continentiam litterarum. Datum Avinione, V idus ianuarii, anno quartodecimo.

834. Prohibet, ne Clarissae Sistaricen. super privilegio de recipiendis sepulturis a sede apost. ipsis concesso molestentur. [1]

1330, ianuarii 11, Avinione.

Venerabili fratri episcopo Sistaricensi.

Significarunt nobis dilectae in Christo filiae abbatissa et conventus sororum monasterii s. Clarae Sistaricen. [2] ordinis s. Damiani, quod, licet nos dudum eas favore apostolico prosequentes sepulturam ecclesiae dicti monasterii sine alicuius iuris praeiudicio liberam esse decreverimus et [ipsis concesserimus] privilegium speciale, ut eorum devotioni et extremae voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint (dummodo excommunicati vel interdicti aut publice usurarii non fuerint) nullus [obex] obsistat, salvis tamen canonica iustitia et parochiali iure illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur, prout in litteris nostris inde confectis plenius continetur, tuque devote parueris et parere paratus existas privilegio supradicto: tamen dilecti filii canonici ecclesiae Sistaricen. dictum privilegium malitiose interpretari volentes asserunt, nomine liberae sepulturae coemeterium intelligi non debere, nec eis per dictum privilegium licere habere coemeterium prope dictam ecclesiam monasterii memorati, et quod ipsi tertiam partem funeralium debent habere pro canonica portione. Quare praefatae abbatissa et conventus nobis humiliter supplicarunt, ut providere eis super hoc paterna diligentia curaremus. Quocirca fraternitati tuae mandamus, quatenus praemissorum praetextu easdem abbatissam et conventum non permittas super dicto coemeterio molestari dictosque canonicos, quod sint contenti canonica portione, prout [in constitutione], quae incipit *Super cathedram*, super hoc edita continetur, per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellas: non obstante *etc.*, contradictores per censuram eamdem appellatione postposita compescendo. Datum Avinione, III idus ianuarii, anno quartodecimo.

835. Declarat, sufficere singulos de haeresi propter fautoriam Ludovici de Bavaria et antipapae suspectos citari per litteras solummodo in locis solemnibus publicandas. [3]

1330, ianuarii 21, Avinione.

Bartholino de ordine fratrum Minorum, in-

---

[1] Reg. Vat. t. 94, ep. 988, apud *Wadd.* l. c. n. 111; cfr. supra n. 693.

[2] Sisteron in cust. cognomini prov. Provinciae.

[3] Reg. Vat. t. 115, f. 75, ep. 1330.

quisitori haereticae pravitatis in provincia beati Francisci auctoritate apostolica deputato.

Tua nuper insinuatione nobis innotuit, quod, cum adversus nonnullos, qui viris illis perfidis Ludovico de Bavaria et Petro de Corbario haereticis et scismaticis faverunt ac ipsorum vel alterius eorundem complices, defensores, consiliatores, adhaerentes et sequaces fuerunt, tanquam vehementer suspectos seu respersos de haeresi et scismate intenderes procedere iustitia exigente, nec ad ipsos in terris rebellium Dei et ecclesiae, sicut asseritur, tutus pateat aditus pro citationibus ratione criminum huiusmodi faciendis, nobis humiliter supplicasti, ut providere de oportuno in hac parte remedio dignaremur. Nos itaque, qui negotium fidei ubique ad honorem Dei et augmentum fidei catholicae cupimus auxiliante Domino prosperari, nolentes, quod propter hoc inquisitionis negotium valeat in hac parte quomodolibet impediri, faciendi adversus eos et eorum singulos, quotiens super praedictis vel ea quomodolibet tangentibus tibi oportunum extiterit, tuarum citationum edictum publice in locis solemnibus, de quibus verisimile, quod ad eos citationes huiusmodi pervenire valeant, plenam discretioni tuae facultatem tenore praesentium elargimur: volentes ac etiam decernentes, quod edicta citationum huiusmodi perinde valeant citatosque apprehendant et arctent, ac si eis facta praesentialiter et intimata solemniter extitissent, quacunque constitutione in contrarium edita non obstante. Datum [Avinione,] XII kalendas februarii, anno quartodecimo.

836. Ioannino de Mantua ord. Min. ab officio inquisitoris haer. prav. olim amoto idem officium de novo committit. [1]

1330, februarii 6, Avinione.

Iohannino de Mantua ordinis fratrum Minorum, inquisitori haereticae pravitatis in partibus Lombardiae auctoritate apostolica deputato.

Cum, sicut accepimus, venerabilis frater noster Bertrandus episcopus Ostiensis, apostolicae sedis legatus, dudum per aliquos circumventus te ab officio inquisitionis haereticae pravitatis, quod gerebas in partibus Lombardiae et aliquibus temporibus laudabiliter gesseras, duxerit, sicut ex potestate per nos super instituendis et destituendis in partibus supradictis, quotiens oportunum existeret, dictae pravitatis inquisitoribus [sibi commissa potuit], amovendum, dilecto filio Francisco de Clugia eiusdem ordinis per eum subrogato in huiusmodi officio loco tui: nos in hac parte plenius informati te ad officium praedictum tenore praesentium restituimus gerendum et exercendum per te solerter et fideliter, sicut prius, memoratum Franciscum ab eodem officio nihilominus amoventes ac volentes, quod ipse per aliquem ad illud non possit institui, nec tu ab eodem absque nostra speciali licentia valeas amoveri. Quocirca discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatinus, habens prae oculis solum Deum, praedictum officium exequi studeas fideliter et prudenter. Datum [Avinione,] VIII idus februarii, anno quartodecimo.

837. Berengarium ord. Min. ab antipapa in archiepiscopum promotum publice excommunicatum denuntiari et citari iubet. [2]

1330, februarii 10, Avinione.

[Guilelmo] episcopo Albensi ac .. abbati monasterii s. Syri Ianuensis et .. archipresbytero plebis Furiani Saonensis diocesis.

Sicut ad communem supponimus notitiam pervenisse, nos dudum adversus viros illos pestiferos, videlicet Ludovicum olim Bavariae ducem et Petrum de Corvaria, ecclesiae sanctae Dei fideique catholicae atroces persecutores, turbatores et hostes ac haereticos et scismaticos manifestos, de fratrum nostrorum consilio procedentes, eos per diversos processus nostros cum magna deliberatione servatisque solemnitatibus debitis habitos de haeresis et scismatis criminibus, quibus se patenter et publice culpabiles et convictos reddiderant, duximus sententialiter de fratrum ipsorum consilio condempnandos, ac tam ipsos quam complices, adhaerentes, fautores, receptatores et defensores ipsorum et cuiuslibet eorundem (clericos et laycos, religiosos et saeculares, cuiuscumque conditionis, dignitatis, ordinis vel status existerent, etiam si pontificali aut maiori vel inferiori dignitate fulgerent) necnon praestantes eisdem vel eorum alteri per se vel alium seu alios (directe vel indirecte, publice vel occulte) auxilium, consilium vel favorem seu ab eis vel eorum altero beneficia seu officia ecclesiastica vel mundana recipientes aut pro eis exercentes seu dictum Petrum haeresiarcham et scismaticum habentes pro papa vel ipsum nominantes ut talem, excomunicationis et interdicti aliasque diversas poenas et sententias spirituales et temporales infliximus seu inflictas declaravimus: et praecipue omnes illas, quas contra haereticos, haeresiarchas et scismaticos eorumque fautores, defensores, adhaerentes, receptatores et complices iura vel quaecunque constitutiones infligunt, sicut in eisdem processibus plenius continetur.

Cum autem fama seu potius infamia publica

[1] Reg. Vat. t. 115, f. 47, ep. 1264, cfr. infra n. 872.

[2] Reg. Vat. t. 115, f. 217, ep. 1117. Cfr. supra p. 353, not. 3.

insinuante ad nostri nuper pervenerit apostolatus auditum, quod Berengarius de Mari ordinis fratrum Min., Deum et ecclesiam sanctam suam ac sedem apostolicam graviter offendere in suae salutis animae dispendium non formidans, pro archiepiscopo Ianuensi ac generali vicario in tota provincia Ianuensi per eundem Petrum de Corvaria haeresiarcham et scismaticum creatum et constitutum se gerit et nominat publice praefatumque Petrum in opprobrium et iacturam totius coetus fidelium fideique detrimentum catholicae papam vocat ac eisdem Ludovico et Petro nec non Michaeli de Caesena olim ordinis eorumdem fratrum generali ministro, ab officio ministeriatus deposito ac de haeresi sententialiter condempnato, et eorum sequacibus, complicibus et fautoribus praestat et praestare praesumpsit hactenus quantum potuit auxilia, consilia et favores, eis et eorum cuilibet in eorum haeresibus et scismatibus participando et communicando ac auxilium, consilium et favorem praestando fidelesque a sua fide ac devotione divertere et ad errores et dampnata scismata deducere periculosis et dampnandis ausibus moliendo. Ex quibus, quae adeo sunt notoria, quod nulla possunt tergiversatione celari, praefatus Berengarius poenas et sententias incurrisse praedictas seque fautorem haereticorum et scismaticorum necnon de haeresis et scismatis vehementer suspectum seu potius convictum criminibus noscitur reddidisse. Sane, quia tot et tanta facinora detestanda per eundem Berengarium perpetrata pertransire conniventibus oculis salva conscientia non valemus, et expedit etiam, quod praemissa fidelibus, ne per eundem Berengarium decipi seu praedictis detestandis haeresibus et erroribus involvi valeant, in notionem publicam deducantur, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios (religiosos et saeculares) in ecclesiis et locis, de quibus vobis expedire videbitur, praefatum Berengarium excommunicatum et haereticorum et scismaticorum fautorem praedictisque poenis esse obnoxium singulis diebus dominicis et festivis congregatis clero et populo publice nuncietis et nihilominus ipsum per publici propositum edicti in loco seu locis assignandi publico seu publicis, de quibus existat verisimile, quod ad eius notitiam debeat pervenire, vel alias, prout vobis videbitur, peremptorie citare studeatis, ut infra aliquem certum peremptorium terminum, de quo vestrae circumspectioni expedire videbitur, eidem per vos praefigendum, apostolico conspectui personaliter se praesentet, super eisdem criminibus haeresis et scismatis, de quibus ut praemittitur se vehementer suspectum seu convictum potius reddidit, aliisque suis excessibus et delictis praedictis sententiam auditurus et facturus ac recepturus, quod iustitia suadebit: eidem apertius nihilominus intimando, quod, sive in eodem termino vel ante illum coram nobis comparuerit sive non, ad praedictam proferendam sententiam et poenas praedictas infligendas seu declarandum inflictas et alias contra ipsum super praedictis coniunctim vel separatim, prout expedire videbimus, exigente iustitia absque citatione alia procedemus. Diem autem huiusmodi citationis et formam, et quicquid feceritis in hac parte, nobis per instrumentum publicum praesentium seriem continens procuretis fideliter intimare. Datum [Avinione,] IV idus februarii, anno quartodecimo.

838. Absolvit a censuris ecclesiasticis populum Romanum per procuratores Bavarum et antipapam eiurantem et confitentem, se verum papam esse. [1]

1330, februarii 15, Avinione.

Communi et universitati ac populo Romano.

Copiosa sacrosanctae ecclesiae *etc.* Dat. [Avinione,] XV kal. martii, anno quartodecimo. [2]

839. Contra Gantalinum Gantalini notarium eiusque uxorem Berengariam dioec. Arelaten. ob quoddam nefan-

[1] Reg. Vat. t. 115, f. 1, ep. 1014; cfr. *Rayn.* Ann. eccl. ad a. 1330 n. 40.

[2] Aliis litteris eodem die datis summus pontifex super hoc scribit Ioanni s. Theodori diacono cardinali et sedis apost. legato eique 20 febr. 1330 concedit facultatem similiter absolvendi populum castri Corneti, sed adhuc die 31 martii 1330 Matthaeum Bonifatii et Pucium eius fratrem ac commune dicti castri admonet, ut abstineant a receptione rebellium ecclesiae (l. c. t. 115, f. 2, ep. 1015; f. 15, ep. 1074). Die autem 22 septembris 1330 litteris ad praedictum legatum destinatis declarat expedire, quod Romani regibus principibusque diversarum mundi partium scribant, se ea, quae in coronationibus Bavari et antipapae fecerant, de facto, non de iure, fecisse; simulque eum de conversione Petri de Corbario certiorem reddit. Diebus tum 5 ian. tum 21 iun. 1331 eidem legato concedit facultatem absolvendi Aegidium a Tosectis de Scandrilia et Thomasium Ambae de Pomerio de Urbe presbyteros Rom. a censuris, quas incurrerant, eo quod a Petro de Corb. officia receperant vel ei saltem adhaeserant; die autem 3 febr. 1331 illum legatum Viterbienses in censuras, quas olim propter fautoriam Bavari et antipapae incurrerant et a quibus postmodum absoluti sunt, reincidisse iubet denuntiare, eo quod promissa non impleverunt. Die denique 1 febr. 1331 Iacobus Philippi presbyter Rom., litteras testimoniales impetrat super absolutione a censuris, quas adhaerendo Bavaro et antipapae incurrerat, et die 11 iun. 1331 absolvitur a similibus sententiis Iacobus quondam Pauli Geminae de Urbe canonicus s. Mariae rotundae de Urbe. Cfr. l. c. t. 116, f. 146, ep. 763 et 765; t. 98, ep. 907; t. 100, ep. 761; t. 116, f. 143, ep. 753; t. 99, ep. 1765; t. 100, ep. 778; t. 118, epp. 118 et 330.

dum crimen in Guilelmum de Baucio dominum de Berra commissum procedi iubet. [1]

1330, februarii 19, Avinione.

[Dil. filio] Ioanni de Badas ord. fr. Min., inquisitori haer. prav. in partibus Massilien. auctoritate apostolica deputato.

Fide digna relatione percepimus *etc.* Dat. [Avinione,] XI kal. martii, anno quartodecimo.

840. Fratribus Minoribus extra oppidum Braunsberg dioec. Warmien. degentibus concedit facultatem se transferendi infra ipsum oppidum. [2]

1330, februarii 20, Avinione.

Dilectis filiis guardiano et fratribus ordinis Minorum oppidi Brunsbergen. Warmien. dioecesis.

Clara ordinis vestri religio *etc.* Sane petitio vestra nobis exhibita continebat, quod locus vester, in quo nunc degitis, est extra oppidum Brunsbergen. Warmien. dioecesis situatus, et quod pagani et infideles, qui sunt dicto oppido convicini, frequenter per hostiles incursus praedas et spolia personarum, caedes et captiones earum et alia mala innumera inferunt christianis oppidi praelibati, quodque habitatores eiusdem oppidi, attendentes praemissa pericula et quod etiam, si dictus locus vester per dictos paganos caperetur, eidem oppido grave periculum immineret, desiderant vobis infra dictum oppidum alium locum assignare. Verum, quia vobis non licet locum de novo recipere vel receptum mutare absque licentia sedis apostolicae speciali, nobis humiliter supplicastis, ut providere vobis super hoc paterna sollicitudine curaremus. Nos itaque, cupientes vestris in hac parte necessitatibus salubriter providere, vestris supplicationibus inclinati, recipiendi dictum locum, qui per homines dicti oppidi vobis offertur infra oppidum praelibatum, et transferendi vos ad illum et ibidem morandi et habendi inibi ecclesiam cum campana et coemeterio, domibus, horto et necessariis officinis, disponendi etiam de loco, in quo nunc habitatis, sicut vobis videbitur expedire, ecclesia tamen et coemeterio dicti loci, in quo nunc degitis, dispositioni dioecesani loci plenarie reservatis, fel. record. Bonifatii papae VIII praedecessoris nostri et qualibet alia constitutione contraria non obstante, vobis auctoritate praesentium licentiam concedimus specialem. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, X kal. martii, anno quartodecimo.

841. Indulgentias visitantibus ecclesiam fratrum Minorum de Cuccaro die 5 nov. 1329 concessas ad festivitates beatae Mariae Virginis et beatae Clarae extendit. [3]

1330, februarii 22, Avinione.

Universis Christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Splendor paternae gloriae *etc.* Dat. Avinione, VIII kal. martii, anno quartodecimo.

841[a]. Informare se iubet infrascriptos de miraculis beati Ivonis presbyteri saecularis (ordini poenitentium s. Francisci adscripti). [4]

1330, februarii 26, Avinione.

Venerabilibus fratribus Lemovicen. et Engolismen. episcopis ac dilecto filio abbati mon. s. Martini de Troartio Baionen. dioec.

Exultant et gaudent in coelis animae beatorum, qui Christi vestigia imitando in asperitate vitae carnis vitia debellarunt. Exultat profecto Creator aeternus, cum suam humani generis creaturam post triumphum de carnis nexibus habitum conspicit palmam gloriae meruisse. Exultat nec immerito angelica turba coelorum, cum terrenorum incolam, terrae tenebris cultu fidei et devotionis splendore fugatis, coelestis patriae civem factum et compatriotam supernorum civium intuetur. Decet igitur, ut exultent ingentibus gaudiis cuncti christicolae, dum quis, pro Christi nomine mundanis spretis illecebris, se pennis virtutis erigens sic profecit, quod accepit post praesentium cursum dierum bravium et habitaculum in excelsis.

Sane dudum, quod non sine laudis iubilo digne laeti referimus, dilectus filius nobilis vir Iohannes dux Britanniae et quamplures aliae magnae reputationis personae illarum partium tam felicis recordationis Clementi papae V praedecessori nostro tunc viventi quam post eiusdem praedecessoris obitum nobis dispositione divina ad apicem summi apostolatus assumptis de meritis sanctitatis et vitae, quibus recolendae memoriae Ivo Haclory presbyter Trecorensis [5] dioecesis, dum in humanis ageret, resplenduisse dicitur, ac de miraculis, quae ad sepulcrum ipsius, cuius corpus in Trecorensi ecclesia requiescit, virtutum Dominus fertur iugiter operari, per litteras suas laudabile testimonium perhibentes per speciales nuntios et litteras nobis humiliter supplicarunt, ut de huiusmodi vita et miraculis auctoritate apostolica mandaremus inquiri. Ac subsequenter idem dux et nonnullae aliae magnae existimationis personae partium earumdem post praemissarum supplicationum instantiam iteratis vicibus per suas litteras similes preces su-

[1] Reg. Vat. t. 115, f. 206, ep. 2091.
[2] Reg. Vat. t. 93, ep. 670, apud *Wadd.* l. c. n. 112.
[3] Reg. Vat. t. 93, ep. 665; cfr. supra n. 818*a*.
[4] Cfr. *Rayn.* Ann. eccl. ad a. 1330 n. 58. Qui Ivo a Clemente VI sanctorum catalogo adscriptus est.
[5] *Tréguier* in Britannia minori (*Bretagne*).

per praemissis nobis duxerunt humiliter porrigendas, ut de vita et miraculis supradictis, quae non solum continuabantur sed magnificabantur assidue, per diligentem indaginem certitudine habita decerneremus eum honorandum in terris, quem in coelis Dominus honorabat. Ac nuper charissimi in Christo filii nostri Philippus rex et Ioanna regina Franciae illustres necnon multi archiepiscopi et episcopi ac abbates et alii praelati regni Franciae, universitas quoque doctorum et scholarium studii Parisiensis idemque dux per alias eorum litteras ac insuper venerabilis frater Ivo episcopus Trecorensis et dilectus filius nobilis vir Guido de Britannia eximiae devotionis zelo ad sedem apostolicam personaliter accedentes ad nostri apostolatus auditum devotis insinuationibus deduxerunt, quod idem Ivo presbyter sic, dum vixit, proprium mandatis divinis subiecit arbitrium sicque contemptis mundi deliciis et mundanis omnino affectibus relegatis se Deo gratam et acceptabilem hostiam immolarat, quod per ipsius grandia praecelsaque merita multa evidentia miracula Dominus operatur.

Licet igitur dignum existat, ut humanis laudibus reverenter extollatur in terris, quem providentiae divinae sublimitas propter eius vitae merita clementer honorari voluit in excelsis, nosque per huiusmodi grandia testimonia non modicam informationem receperimus de praemissis: volentes tamen super his cum omni qua possumus cautela procedere et omni in hac parte maturitate servata investigare solicite veritatem, discretioni vestrae, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo vestrum in loco vel locis, ubi expedire videritis, de vita et conversatione ac miraculis eiusdem Ivonis presbyteri ceterisque circumstantiis huiusmodi negotium tangentibus, iuxta formam, quam vobis sub bulla nostra mittimus interclusam, inquiratis diligenter veritatem, et quae super praemissis inveneritis, fideliter in scriptis redacta sub sigillis vestris per viros idoneos ad sedem apostolicam destinetis, ut per inquisitionem vestram fideliter instructi, sicut res exigit et expediens visum fuerit, securius in ipso negotio procedere valeamus. Dat. Avinione, IV kal. martii, pont. nostri anno quartodecimo.

842. Commendat diligentiam episcopi Parisiensis eiusque officialis contra fratrem Conradum ordinis Minorum (provinciae superioris Alamanniae) haereticum exhibitam. [1]

1330, februarii 28, Avinione.

Episcopo et .. officiali Parisien.

Litteras vestras novissime recepimus cedulam illius Conradi praesumptuosi haeretici continentes, ex quarum serie zelum intensum, quem ad exaltationem fidei ecclesiaeque sanctae Dei ac nostrum honorem geritis, percepimus evidenter. Super quo vestram diligentiam plurimum in Domino commendantes [et] ut, ubi deliquit, sic publice puniri debeat expedientius ex[is]timantes [discretioni vestrae mandamus], ut super propositis per eum et aliis, si qua proposuerit, si in ipsis persistat pertinaciter, cum sint doctrinae evangelicae ac apostolicae et sanctae Romanae ecclesiae evidenter obvia, faciatis vos vel alter vestrum cum inquisitore seu eius locumtenente, si adesse voluerit, taliter iustitiae complementum, quod cedat ceteris in exemplum. Super praemissis nil scribimus aliud, scientes vestram doctam scientiam et approbatam experientiam ad haec sufficere et maiora; scimus etiam, quod ad omnia et singula per ipsum proposita in libello, [2] quem nuper vobis misimus, est sufficienter ac evidenter responsum. Datum Avinione, II kalendas martii, anno quartodecimo.

843. Communicat infrascriptis processum contra Petrum de Corbario habitum eisque mandat, ut illos, penes quos ipse est, moneant, ut eundem infra octo dierum spatium in loco tuto assignent. [3]

1330, martii 1, Avinione.

..[4] *Archiepiscopo Pisano et ..* [5] *episcopo Florentino ac ..* [6] *electo Lucano.*

Sicut ad communem credimus notitiam pervenisse, nos dudum adversus hominem illum scandalosum et reprobum Petrum de Corvaria, qui dudum uxore sua legitima, cum qua pluribus annis in mensa et lecto cohabitarat, eadem minime consentiente dimissa fratrum Minorum assumpsit habitum et pro fratre Minore se gessit, quique propter inobedientias, culpas graves, contumacias et scandala per ipsum in ordine supradicto commissa per suum immediatum superiorem excommunicationis innodatus extitit sententia ac declaratus carceri mancipandus, et tandem per Ludovicum olim Bavariae ducem et discorditer in regem Romanorum ut dicebatur electum ..... se in antipapam et apostaticum ..... assistentibus quibusdam, qui se cleri Urbis procuratores esse dicebant, permisit eligi et nefandae huiusmodi electioni suum assen-

[1] Reg. Vat. t. 115, f. 115, ep. 1638; cfr. infra n. 857.
[2] *Quia vir reprobus;* cfr. supra n. 821.
[3] Reg. Vat. t. 115, f. 47, ep. 1266; cf. n. 844 et 854.
[4] Simoni Saltarelli ex ord. Praed.
[5] Francisco, de quo supra n. 756 et not. ad n. 600, 601, 786.
[6] Guilelmo de Monte Albano ex ord. Praed.

sum praestitit et a Iacobo olim episcopo Castellano suis demeritis exigentibus excommunicato et deposito consecrationem seu verius execrationem ac temerariam coronationem recepit, quendam processum [1] ..... habuimus, per quem eundem Petrum, qui velut in profundum malorum demersus extendere non formidabat ad omnia illicita manus suas (in eadem Urbe interdicto supposita ecclesiastico praesentibus dicto Ludovico et aliis multis excommunicatis haereticis et scismaticis profanando divina et nonnullos tam cardinales quam notarios et officiales alios ac praelatos creando scismatice et de facto ac beneficia et officia conferendo et alia ..... exercendo) perpetuo anathemate cum suis actoribus, fautoribus et sequacibus a liminibus sanctae Dei ecclesiae separatum, sicut antichristum et invasorem ac totius christianitatis, quantum erat in eo, destructorem de dictorum fratrum consilio abiecimus eumque ab omni grado ecclesiastico, in quo prius existerat, duximus de potestatis plenitudine deponendum: quemcumque, qui eum recipere vel eidem qualitercumque tanquam summo pontifici adhaerere vel reverentiam exhibere aut ipsum in aliquo defendere praesumeret, pari sententia mancipantes. Et quia dictus Petrus ambitione sua damnabili sanctam Romanam ecclesiam, quantum in eo fuerat, confundere ac perturbare temptarat, tam ipsum quam eos, qui eum reciperent, excommunicationis subiacere sententiae voluimus et totius sacri ordinis duximus privatione mulctandos: ita ut viatici eis nisi tantum in ultimis communio negaretur. Qui et « reputarentur, nisi resipiscerent, cum impiis, qui non resurgunt in iudicio, ac cum Dathan et Abiron, quos terra absorbuit, reciperent portionem iramque Omnipotentis et sanctorum Petri et Pauli apostolorum, quorum ecclesiam praesumpserat, quantum in eo erat, confundere, furorem in hac vita sentirent contra se pariter et futura; fieret quoque habitatio eius deserta et filii eius orfani et uxor ipsius vidua, commoti amoverentur ipse ac eius filii et mendicarent eiicerenturque de domibus suis, scrutaretur foenerator omnem substantiam eius et diriperent alieni labores ipsius: orbis terrarum pugnaret contra eum et cuncta essent sibi elementa contraria omniumque sanctorum merita illum confunderent, apertam super eum in hac vita ostendentes vindictam ». Illos vero, qui ei curarent resistere ipsumque prosequi et repellere, Omnipotentis protegat gratia et eorundem apostolorum absolveret auctoritas ab omnium vinculis peccatorum. — Praeterea praefatum Petrum propter multa execranda, quae contra fidem catholicam commiserat et etiam committebat, ex quibus noscebatur in dampnata haeresis et scismatis crimina incidisse, de fratrum eorundem consilio haereticorum fautorem ac scismaticum esse declaravimus et ut fautorem haereticorum ac scismaticum et haereticum condempnavimus, ipsum ab omni gradu ecclesiastico degradantes ac in omnes poenas et sententias inflictas haereticorum fautoribus, haereticis et scismaticis et committentibus delicta, quae ipse commisisse noscitur, declaravimus incidisse (omnibus, quae sub nomine papae assumpto ut praefertur gesserat, nullis, irritis et vacuis pronuntiatis per nos et etiam declaratis, annullatis et iuribus penitus vacuatis). — Rursus universis patriarchis, archiepiscopis et episcopis aliisque personis ecclesiasticis quibuscunque in virtute sanctae obedientiae ac sub excommunicationis et suspensionis ab officiis et beneficiis, quas non parendo eos incurrere voluimus ipso facto, necnon privationis, depositionis et inhabilitatis praelationum, dignitatum, officiorum et beneficiorum suorum ecclesiasticorum poenis et sententiis; et insuper omnibus civitatibus, terris et locis ac universitatibus, communitatibus et personis aliis singularibus quibuscunque, cuiuscunque dignitatis aut status existerent, etiam si imperiali, regali vel alia quacunque dignitate fulgerent, sub excommunicationis in personas singulares et interdicti in civitates, terras, loca eorumque communitates et universitates, quas, nisi mandatis et monitionibus nostris parerent cum effectu, incurrerent ipso facto, necnon privationis privilegiorum quorumcumque apostolicorum et imperialium ac feudorum et bonorum, quae ab eadem Romana vel quibusvis aliis ecclesiis aut imperio obtinebant, poenis et sententiis mandavimus et expresse duximus inhibendum, ne dictum Petrum haereticorum fautorem, haereticum et scismaticum receptarent, defenderent aut sibi adhaererent, obedirent, faverent quomodolibet seu intenderent aut praestarent per se vel alium seu alios publice vel occulte, directe vel indirecte, auxilium, consilium vel favorem, nec eundem pro papa seu summo pontifice vel praelato haberent, tenerent aut nominarent quovis modo, sed eum potius velut haereticorum fautorem ac scismaticum et haereticum et, quantum in eo erat, sanctae Dei ecclesiae fideique catholicae destructorem et persecutorem abiicerent, abhorrerent, prosequerentur et, si possent, caperent et custodirent fideliter subdendum ecclesiasticae disciplinae, nec aliquos ordinatos seu promotos ab ipso clericos vel laicos, religiosos aut saeculares, reciperent vel admitterent aut eis obe-

[1] In coena Domini (20 aprilis) 1329. Cfr. supra n. 786.

dirent vel intenderent nec haberent pro talibus, cum ipse nullam potestatem habuisset nec haberet talia faciendi; nec cum ipso aliquam societatem vel consuetudinem contraherent vel contractam observarent nec consentirent etiam contrahendae. A quibus quidem poenis et sententiis nullum ab alio quam a Romano pontifice posse absolvi voluimus (nisi ab excommunicationis sententia dumtaxat in mortis articulo) vel etiam liberari, eisdem et eorum singulis apertius nihilominus praedicentes, nos ad inflictionem, publicationem, executionem et aggravationem dictarum poenarum coniunctim vel divisim, prout excessuum cuiuslibet enormitas exigeret et expedire videremus, absque citatione et monitione alia, si, quando et quoties opportunum existeret, processuros: non obstantibus ...., sicut in eodem processu solemniter habito et ianuis ecclesiae Avinionensis affixo seu appenso, ut ad eiusdem Petri et aliorum, quos tangit seu quorum interest, deduceretur notitiam, amplius continetur.

Sane, licet processus huiusmodi sic solemniter habitus et in loco publico ut praefertur affixus et ex superabundanti nihilominus in diversis mundi partibus de mandato nostro extiterit, ut nullus praetextu ignorantiae velamen excusationis valeret assumere, publicatus: aliqui tamen, sicut fidedigna licet infesta relatio ad nostri perduxit apostolatus auditum, eundem Petrum haeresiarcham et scismaticum receptare, occultare ac defendere sibique favere... praesumunt et praesumpserunt hactenus.... Nos autem haec .... dissimulare salva conscientia non valentes discretioni vestrae per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vos... in Pisana et aliis civitatibus et locis, de quibus expedire videritis, omnes et singulos... moneatis ex parte nostra et eis mandetis expresse, ut ille vel illi, penes quem vel quos aut in cuius seu quorum est potestate Petrus praedictus,... infra octo dierum spatium... vobis... in tuto loco, unde nobis vel mandato nostro restitui valeat, studeant realiter assignare... Eos autem, qui monitionibus et mandatis huiusmodi neglexerint vel contempserint effectualiter obedire..., praedictas poenas et sententias... incurrere volumus ipso facto... relaxantes. Ceterum volumus, quod processus nostros super praedictis et ea contingentibus etiam per publici propositionem edicti (affigendi tamen in locis publicis) facere... valeatis. Datum [Avinione,] kalendis martii, anno quartodecimo.

844. Omnes in Pisana et vicinis civitatibus degentes publice moneri iubet, ut, quicunque sciverint, ubi sit Petrus de Corbaria, id pandere et revelare non omittant.[1]

1330, martii 1, Avinione.

Archiepiscopo Pisan. et episcopo Florentin. ac electo Lucan.

Dudum adversus hominem illum scandalosum et reprobum Petrum de Corvaria haeresiarcham et scismaticum, qui se in antipapam et apostaticum in Dei et ecclesiae sanctae suae contumeliam totiusque coetus fidelium opprobrium, periculum et iacturam permiserat seu provocaverat eligi et pro tali se gesserat actusque diversos execrandos et periculosos praesumpserat attemptare, certum processum de consilio fratrum nostrorum praesente fidelium multitudine copiosa habuimus, per quem ipsum perpetuo anathemate *etc. ut supra n. 843 usque* mulctandos dictumque Petrum propter multa execranda, qua contra fidem catholicam commiserat et etiam committebat, ut haereticorum fautorem, haereticum et scismaticum reprobavimus et sententialiter duximus condempnandum, ipsum ab omni gradu ecclesiastico degradantes, inflictis nihilominus diversis poenis aliis contra eum. Praeterea adversus eos, qui eundem Petrum haeresiarcham et scismaticum receptarent, defenderent aut sibi adhaererent, obedirent, faverent quomodolibet seu intenderent aut praestarent per se vel alium seu alios, directe vel indirecte, publice vel occulte, auxilium, consilium vel favorem, excommunicationis et certas poenas alias spirituales et temporales infliximus, sicut in eodem processu plenius continetur.

Sane cum idem Petrus, postquam fuit licentiatus, ut de Pisis recederet, et cessavit inibi publice comparere, apud aliquos partium earum receptatores ipsius latitasse et adhuc latitare dicatur, fraternitati vestrae per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus vos aut duo vel unus vestrum per vos vel alium seu alios in Pisana et aliis civitatibus et locis, de quibus expedire videritis, omnes et singulos clericos et laicos, cuiuscunque praeeminentiae, dignitatis, ordinis, conditionis aut status existant, generaliter (sub excommunicationis ac privationis privilegiorum apostolicorum et imperialium quorumcumque ac feudorum, bonorum, honorum et officiorum, quae a Romana vel quibusvis aliis ecclesiis seu imperio quomodolibet obtinerent, necnon praelationum, dignitatum, personatuum, officiorum et beneficiorum ecclesiasticorum ac inhabilitatis ad illa vel alia imposterum obtinenda poenis et sententiis) moneatis et mandetis expresse, ut, quicumque sciverint, ubi sit dictus Petrus aut apud quem vel quos fuerit a tempore datae

[1] Reg. Vat. t. 115, f. 49, ep. 1267; cfr. supra n. 843.

sibi licentiae supradictae, vobis seu tibi, frater episcope Lucane, et alteri collegarum tuorum, si poterit et voluerit interesse, pandere et revelare infra octo dierum spatium numerandum a tempore, quo monitio et mandatum huiusmodi ad eorum notitiam pervenerit vel per eos steterit, quominus pervenire potuerit, non obmittant: alioquin omnes et singulos (clericos et laicos, cuiuscumque praeeminentiae, dignitatis, ordinis, status vel conditionis existant, etiam si pontificali, regali vel alia quacumque praefulgeant dignitate), qui eisdem monitionibus et mandatis vel cuilibet eorumdem neglexerint ac contempserint obedire, praedictas poenas et sententias et alias tam spirituales quam temporales in praedicto processu contra receptatores et defensores dicti Petri ac adhaerentes et faventes eidem inflictas incurrere, prout statum cuiuslibet ipsorum concernunt, volumus ipso facto, non obstantibus quibusvis privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis quibuscumque personis, ordinibus seu locis sub quacumque forma vel expressione verborum ab apostolica sede concessis, quae quo ad haec nulli volumus suffragari, aut confoederationibus, pactionibus seu ligis cum eodem Petro vel aliquibus suis complicibus, fautoribus et sequacibus quoquo modo initis seu contractis, quas nullas, cassas et irritas utpote cum haereticis et scismaticis in Dei offensam et fidei catholicae detrimentum praesumtas declaramus et, quatenus de facto processerunt, cassamus, irritamus et annullamus, poenas adiectas et iuramenta praestita ex superhabundanti, cum nullus ad observationem eorum teneatur, de potestatis plenitudine nihilominus relaxantes. Datum Avinione, kalendis martii, pontificatus nostri anno quartodecimo. [1]

845. Contra fratres Franciscum de Traiecto et quondam Garinum (de Instria) ulterius procedi iubet. [2]

1330, martii 7, Avinione.

Inquisitori haereticae pravitatis in partibus provinciae Lombardiae superioris auctoritate apostolica deputato.

Inquisitionis processum per te adversus Franciscum de Traiecto et quondam Garinum de ordine fratrum Minorum socium super haeresis et scismatis delatos criminibus per te litterarum apostolicarum auctoritate tibi directarum habitum et nuper nobis transmissum vidimus et examinari specialiter per dilectum filium nostrum Iacobum tituli sanctae Priscae presbyterum cardinalem, sacrae theologiae professorem, [3] fecimus diligenter. Tandem vero processum eundem una cum relatione ac consilio cardinalis eiusdem tuo examini remittentes volumus et tuae discretioni mandamus, quatinus habens ante oculos solum Deum, visis et diligentius intellectis processu et relatione praedictis, in hac parte complementum exhibere iustitiae non omittas, nobis, quid inde faciendum duxeris, fideliter rescripturus. Datum Avinione, nonis martii, anno quartodecimo. [4]

846. Galganum Minoritam ecclesiae Alerien. praeficit in episcopum. [5]

1330, martii 14, Avinione.

Dilecto filio Galgano Blasii de Florentia electo Alerien.

Apostolatus officium *etc.* Sane, licet Gaddus de Pisis ord. fratrum Erem. s. Aug. tunc existens episcopus Alerien., [6] qui dudum post et contra processus nostros contra Ludovicum olim ducem Bavariae et Petrum de Corbaria haeresiarcham ... habitos publice et notorie eis adhaesit et favit..., per dictos processus regimine ac administratione spi-

[1] Adhuc die 27 iunii 1330 istae litterae ad eosdem praelatos destinantur adiectis, quae sequuntur: « Eos autem, de quibus vobis aut duobus aut alteri vestrum per informationem inde faciendam (summarie, simpliciter et de plano ac sine strepitu iudicii et figura) constiterit eundem Petrum de Corvario post praedictam licentiam sibi datam, ut de Pisis recederet, et [postquam] cessavit publice ibi esse, receptasse, occultasse vel ei favisse aut adhaesisse, in poenas et sententias adversus tales per processus praedictos incidisse per vos vel alium seu alios nominatim et publice in ecclesiis et locis earum partium, de quibus vobis videbitur, nuntietis et velut ligatos eisdem poenis et sententiis arctius evitari a fidelibus faciatis. Ceterum aliis processibus et mandatis nostris supra praedictis vel ea quomodolibet tangentibus factis vel habitis praeiudicare seu derogare per praesentes non intendimus, immo volumus et intendimus ea in sui roboris efficacia perdurare ». Quae litterae in bullae forma scriptae asservantur inter miscell. arch. Vat., sed non expeditae esse videntur, cum eo tempore iam constaret, ubi Petrus de Corbario latitaret. — Aliis litteris, ipso die 1 martii datis summus pontifex eosdem praelatos monet, ut contra eos, qui praemissa post dictam licentiam attemptarunt, sive sint clerici sive laici, tamquam contra receptatores, fautores et defensores haeretici et scismatici ac de haeresi et scismate vehementer suspectos iuxta statuta canonum ac privilegia officio inquisitionis haer. prav. concessa veritatem solerter et fideliter inquirere et alias contra ipsos procedere studeant (l. c. ep. 1268). Aliis litteris die 3 martii 1330 datis summus pontifex electo Lucano soli mandat, quatenus, si forsan essent aliqui, qui praedictis monitionibus et mandatis negligerent aut contempnerent obedire, contra eos procedere non postponat (l. c. ep. 1269).

[2] Reg. Vat. t. 115, f. 43, ep. 1235; cfr. supra n. 819 et infra n. 847.

[3] Postmodum Benedictum papam XII.

[4] Aliis litteris eodem die datis summus pontifex *Armandum de Fagia archidiaconum de Biliomo in eccl. Claromonten.* monet, ut super hoc apud supradictum inquisitorem instare solerter studeat, rescripturus, quicquid super hoc factum extiterit (l. c. ep. 1236).

[5] Reg. Vat. t. 93, ep. 955; apud *Wadd.* l. c. n. 113.

[6] *Aleria* in insula Corsica.

ritualium et temporalium ecclesiae Alerien. necnon episcopali dignitate privatus existeret, nihilominus tamen nos de praemissis habita certitudine eundem Gaddum privavimus et declaravimus regimine ac dignitate praedictis exigente iustitia fore privatum eumque ab illis duximus penitus amovendum. Sicque praedicta ecclesia Alerien. per huiusmodi privationem, declarationem et amotionem vacante nos ad provisionem eiusdem ecclesiae.... sollicite intendentes.... post deliberationem, quam ad praeficiendum eidem ecclesiae personam utilem et etiam fructuosam... cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te ordinis fratrum Minorum professorem, in sacerdotio constitutum, cui religionis zelum, vitae munditiam, morum honestatem et alia multiplicium dona virtutum suffragari ex testimoniis fidedignis accepimus, direximus aciem nostrae mentis. Quibus omnibus diligenti meditatione discussis, volentes praefatae ecclesiae salubriter providere, de persona tua, nobis et eisdem fratribus nostris ob huiusmodi tuorum exigentiam meritorum accepta, memoratae ecclesiae de ipsorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus teque illi in episcopum praeficimus et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesiae tibi tam in spiritualibus quam temporalibus plenarie committendo *etc.* Datum Avinione, II idus martii, anno quartodecimo. [1]

847. Contra Franciscum (de Assisio?) ulterius procedi iubet. [2]

1330, martii 15, Avinione.

Francisco episcopo Florentino et Guilelmo electo Lucano.

Intellectis, quae ille Franciscus ordinis Minorum per vos captivatus fatetur et offert, potius ea (conditione proferentis attenta) reputamus fallacia et deceptoria, ut sic videlicet correctionem effugiat debitam, quam quod ea corde proferat poenitente. Volumus itaque ac discretioni vestrae mandamus, quatinus praemissis non obstantibus in eius negotio iuxta suorum excessuum exigentiam procedatis, nisi forsan alia, quae vos lateant, super hoc vobis occurrerint, quae quidem nobis insinuari volumus, propter quae nobis pro meliori supersedendum a processu huiusmodi videretur. Datum Avinione, idibus martii, anno quartodecimo.

848. Fratres Praed. et Min. prov. Dalmatiae et Sclavoniae de officio inquisitionis in illis partibus exequendo contendentes citari iubet. [3]

1330, martii 16, Avinione.

Ven. fratribus Iadren. et Spalaten. archiepiscopis.

Ad audientiam apostolatus nostri pervenit, quod in provinciis Dalmatiae, Sclavoniae et Bosniae dilecti filii fratres ordinis Minorum inquisitionis officium contra haereticam pravitatem ad se dumtaxat asserunt ex concessione sedis apostolicae pertinere, quodque dilectis filiis fratribus ordinis Praedicatorum ex adverso dicentibus, non ad dictos fratres Minores, sed ad fratres dicti ordinis Praedicatorum in dictis provinciis spectare officium praelibatum, inter eosdem fratres Praedicatorum et Minorum ordinum occasione praedicta super hoc est discordiae materia suscitata. Ne igitur, quod absit, tali praetextu officium inquisitionis praedictae in dictis provinciis valeat impediri, fraternitati vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus... praefatos Praedicatorum et Minorum ordinum fratres in locis dictarum provinciarum solemnioribus commorantes ex parte nostra peremptorie citare curetis, ut infra festum beati Michaelis de mense septembris proximo futuro, omnia privilegia, quae super hoc habent, secum portantes, per se vel procuratores eorum ad hoc sufficienter instructos et legitime ordinatos comparere studeant coram nobis, ut per ea plena informatione habita de praemissis, ad quos in eisdem provinciis praefatum inquisitionis officium pertineat, iusto apostolicae sedis iudicio terminetur. Diem vero citationis et formam, et quicquid super his feceritis, nobis per vestras litteras vel instrumentum publicum harum seriem continentia fideliter intimare curetis. Dat. Avinione, XVII kal. aprilis, anno quartodecimo.

849. Fratres Petrum, Ioannem, Henricum, Thomam ord. Min. prov. Angliae de haeresi suspectos citari iubet. [4]

1330, martii 22, Avinione.

Guilelmo de Nothingam ministro ordinis fratrum Minorum in Anglia.

Relatione percepimus fidedigna, quod dudum ad audientiam dilecti filii Itherii de Concoreto canonici Saresberiensis, apostolicae sedis in Anglia nuncii, fama seu potius infamia publica insinuante perducto, quod Petrus de Saxlinghem et Iohannes de Hequintone, Henricus de Costeseye et Thomas de Helmedone ordinis fratrum Minorum in illam

---

[1] In e. m. capitulo ac vasallis ecclesiae Alerien. et clero ac populo civ. et dioec. Alerien. necnon archiepiscopo Pisan., ipsius ecclesiae metropolitano. — Iste Galganus a. 1342 ad ecclesiam Cephaluden. in insula Siciliae transfertur.

[2] Reg. Vat. t. 115, f. 53, ep. 1285; cfr. infra n. 942.

[3] Reg. Vat. t. 95, ep 80. Cfr. supra n. 668.

[4] Reg. Vat. t. 115, f. 126, ep. 1731 et 1732; cfr. supra n. 809.

proruperant insaniam, quod dampnatis per constitutiones ac declarationes apostolicae sedis erroribus et haeresibus pessimis pertinaciter et dampnabiliter inhaerentes illos praedicare ac dogmatizare publice in diversis locis partium regni Angliae nonnullis personis praesentibus praesumpserant in divinae maiestatis offensam ac fidei et fidelium non modicum periculum animarumque ipsorum salutis dispendium ac etiam praesumebant, praefatus nuncius, super praedictis informatione recepta, eosdem Petrum et Iohannem, Henricum et Thomam, sicut ex tenore litterarum nostrarum sibi directarum poterat, ex parte nostra et eiusdem sedis arrestavit et cepit; ipsosque dilectis filiis Ricardo de Falkahan viceguardiano fratrum eiusdem ordinis Cantebrigensium [1] Eliensis diocesis et Thomae de Caninguis eiusdem ordinis custodiendos sub eodem arresto fideliter assignavit, memoratis Petro et Iohanni, Henrico et Thomae, quod non abirent extra certos limites sibi per eundem nuncium assignatos, necnon praedictis vicegardiano et Thomae de Caninguis, quod eos custodirent secure, ac deinde tibi, quod praemissa compleri et exequi fideliter faceres sub diversis poenis, sicut continetur in instrumentis super hoc confectis publicis, nihilominus iniungendo. Volentes itaque praefatos Petrum et Iohannem, Henricum et Thomam nostro conspectui, ut melius et clarius investigari possit de praedictis veritas et apparere de ipsorum culpa vel innocentia, praesentari, discretioni tuae per apostolica scripta in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo mandamus, quatinus ipsos, quos etiam per alias nostras citari peremptorie ac personaliter mandamus litteras, ad sedem apostolicam, sicut praedictus te requiret super hoc nuncius, sub fida custodia infra praefixum eis terminum mittere non postponas. Datum [Avinione, XI kalendas aprilis, anno quartodecimo].

In e. m. .. guardiano et Richardo de Falkahan vice-guardiano ordinis fratrum Min. Cantabrigen. dioec. Elien.

850. Michaelem de Caesena, Guilelmum Okam, Bonagratiam de Pergamo capi iubet. [2]

1330, aprilis 2, Avinione.

Universis archiepiscopis et episcopis et aliis personis ecclesiasticis (saecularibus et religiosis) per Alamanniam constitutis, ad quos praesentes litterae pervenerint.

Iam dudum ad communem credimus notitiam pervenisse *[processus contra Michaelem de Caesena olim fratrum ordinis Minorum generalem ministrum habitos universisque praelatis esse inhibitum, ne ipsum receptarent vel defenderent]*. Sane cum, sicut fidedignorum relatu percepimus, praefatus Michael haeresiarcha et schismaticus aliique duo nequam homines complices sui, videlicet Guilelmus Okam Anglicus et Bonagratia ordinis praedicti..., ad partes Alamanniae se hiis diebus praeteritis conferentes errores et haereses pessimas aliaque cunctis detestanda fidelibus praedicare et dogmatizare, sicut praefatus Guilelmus alias in Anglia idem facere temptaverat, ... praesumpserint hactenus et praesumant: nos attendentes, quod praefati Michael et complices tamquam venumdati, ut malum facerent, et in laqueum desperationis demersi redire non curant ad unitatem sanctae matris ecclesiae, sed eam offendunt continue potius et impugnant, fidem catholicam corrumpere moliendo, ac praecavere volentes periculis, quae possint fidelibus praesertim earum partium ex praemissis, nisi obviaretur salubriter, provenire: praefatos Michaelem, Guilelmum et Bonamgratiam velut hostes et persecutores atroces Dei et ecclesiae sanctae suae ac eiusdem fidei catholicae manifestissimos corruptores tenore praesentium exponimus fidelibus capiendos. Quocirca universitatem vestram monemus, requirimus ac hortamur attentius, vobis nihilominus in vestrorum remissionem peccaminum districtius per apostolica scripta mandantes, quatenus vos et vestrum singuli praefatos Michaelem, Guilelmum et Bonamgratiam et eorum quemlibet exacta diligentia perquirentes ipsos, ubicunque reperti fuerint, per vos et alios quoscunque viros catholicos ecclesiasticos et saeculares capere ac custodire secure subdendos disciplinae ecclesiasticae studeatis; invocato ad hoc, quando et quotiens opus fuerit, auxilio brachii saecularis; reddituri nos nihilominus de captione eorum et aliis, quae agi quomodolibet in hac parte contigerit, fideliter certiores. Dat. [Avinione], IV nonas aprilis, anno quartodecimo.

851. Circa captionem et tutam custodiam Michaelis de Caesena ac Iacobi olim episcopi Castellani aliorumque complicium, qui in partibus Alamanniae vineam domini Sabaoth demoliri student, operosam adhiberi iubet diligentiam. [3]

1330, aprilis 24, Avinione.

Archiepiscopis, episcopis et aliis personis ecclesiasticis (saecularibus et religiosis) per Alamanniam constitutis, ad quas praesentes litterae pervenerint.

Sicut vestra prudentia non ignorat *etc.* Cum itaque... Michael de Caesena... et Iacobus olim episcopus Castellanus (qui dudum dimissa cura gregis Dominici ad Ludovicum de Bavaria haereticum

[1] *Cambridge* in Custodia Cantebrigen. prov. Angliae.
[2] Reg. Vat. t. 115, f. 152, ep. 1872.
[3] Reg. Vat. t. 115, f. 159, ep. 1899. Cfr. supra n. 773, 783, 784.

et schismaticum se transtulit eidemque contra ecclesiam et fideles adhaesit et favit... et tandem, quia praedicto Ludovico, postquam fuit condempnatus de haeresi, ac Petro de Corvario haeresiarchae et schismatico astitit et ab eodem Petro titulum cardinalatus derisorie ac de facto recepit,... coram nobis certo sibi praefixo termino citatus personaliter comparere... non curavit, sed nunc se, ut asseritur, ad partes Alamanniae contulit ibique legatum dicti haeresiarchae et schismatici se nominat) aliique nonnulli eorumdem Michaelis et Iacobi complices et sequaces vineam domini Sabaoth in illis, ut intelleximus, partibus demoliri studeant... fraternitatem vestram attentius in Domino exhortamur, quatenus... ad resistendum illis vos et vestrum singuli viriliter accingatis sicque in ipsis pravis conatibus partus eorum iniquos praefocare solerti diligentia studeatis, quod de ipsorum dolosis conceptibus nulla inter fideles iniquitas germinet, sed eorum potius sic malitia conculcetur, quod fidelibus ac devotis partium praedictarum nulla nota infamiae nec alicuius eorum infectionis suboriri periculum timeatur. Ceterum, cum nos eosdem Michaelem, Iacobum et complices... exposuerimus et exponamus fidelibus capiendos, exhortationibus nostris adiicimus, ut circa captionem et tutam ipsorum subdendorum ecclesiasticae disciplinae custodiam operosam adhibere diligentiam tamquam fidei zelatores fervidi procuretis. In eundem modum: *Coloniensi, Maguntino, Bremensi, Salzeburgensi archiepiscopis, administratori Basiliensi, Argentinensi, Spirensi, Constantiensi, Pataviensi, Ratisponensi, Bambergensi, Frisingensi episcopis.* Datum [Avinione], VIII kal. maii, anno quartodecimo. [1]

852. Excommunicari per infrascriptos iubet singulos, qui Henricum (de Virneburg) archiepiscopum Maguntinum impediunt, quominus possessionem bonorum ipsius ecclesiae Maguntinae adipiscatur. [2]

1330, maii 4, Avinione.

Prioribus, ministris, custodibus et guardianis ceterisque fratribus Praed., Min., b. Mariae de Monte Carmelo et Erem. s. Aug. ordinum in civ. ac dioec. et prov. Maguntin. constitutis, ad quos praesentes litterae pervenerint.

Volentes dudum *etc.* Datum Avinione, IV nonas maii, anno quartodecimo.

853. Transfert Petrum episcopum Calinen. (ex ord. Min.) ad ecclesiam Valven. [3]

1330, maii 4, Avinione.

Venerabili fratri Petro episcopo Valven.

Quam sit onusta dispendiis *etc.* Nuper siquidem ecclesia Valven. [4] ad dictam Romanam ecclesiam nullo medio pertinente per obitum bon. mem. Andreae episcopi Valven., qui in partibus illis diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, nos huiusmodi vacatione ipsius ecclesiae fide dignis relatibus intellecta, cupientes eidem ecclesiae nostrae operationis ministerio personam secundum cor nostrum idoneam praesidere, provisionem ipsius ecclesiae dispositioni et ordinationi nostrae et sedis apostolicae ea vice duximus specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum *etc.* Ac deinde de ipsius ecclesiae ordinatione celeri et felici, de qua nullus praeter nos post reservationem et decretum praedicta se hac vice intromittere potest, sollicite cogitantes ac ad provisionem huiusmodi, ne ipsa Valven. ecclesia longae vacationis subiaceret incommodis, paternae sollicitudinis studio intendentes, post cogitationes multiplices, quas primo infra nos ipsos, et tractatus varios, quos deinde cum fratribus nostris ad praeficiendum talem eidem ecclesiae Valven. personam, quae sciret et posset eamdem praeservare a noxiis et adversis et in suis manutenere iuribus et etiam adaugere, habuimus diligentem, demum in te tum episcopum Calinen., [5] consideratis grandium virtutum meritis et donis multiplicium gratiarum, quibus personam tuam Altissimus insignivit, et quod tu, qui regimini Calinen. ecclesiae hactenus utiliter praefuisti teque alias exercuisti laudabiliter et prudenter in officio pastorali, dictam Valven. ecclesiam scies et poteris auctore Domino utiliter regere et feliciter gubernare, nostrum animum duximus dirigendum. Intendentes itaque tam praefatae Valven. ecclesiae quam gregi

---

[1] Aliis litteris eodem die datis summus pontifex *ducibus, comitibus, vicecomitibus, baronibus, senescallis, iustitiariis, scabinis, consulibus, rectoribus necnon communitatibus, universitatibus ac dominis temporalibus ceterisque fidelibus quibuscunque, ad quos istae litterae pervenerint,* inculcat, ut, cum infelix homo ille Ludovicus de Bavaria ad partes Alamanniae dirigens gressus suos quosdam pseudoprophetas, gehennae filios et maledictionis alumpnos, haereticos et schismaticos pessimos, inter quos esse dicuntur Michael de Caesena olim ord. fr. Min. generalis minister et Iacobus olim episcopus Castellanus, ad subvertendum fideles et devotos sanctae Dei ecclesiae a sua fide et devotione facilius secum duxerit, tamquam catholici constantes et providi aures suas nullatenus periculis et poenis ac sententiis, quibus innodantur adhaerentes eisdem, patiantur se involvi sed potius dictos Michaelem et Iacobum aliosque complices fidelibus ad capiendum expositos capiant atque archiepiscopis et episcopis illarum partium in capiendo et custodiendo eosdem assistant auxiliis, consiliis favoribusque opportunis (l. c. ep. 1884).

[2] Reg. Vat. t. 115, f. 155, ep. 1881. Ista bona per Balduinum archiepiscopum Treveren. et a capitulo Maguntino simul in administratorem ecclesiae Mag. electum occupata esse nemo ignorat.

[3] Reg. Vat. t. 95, ep. 564; apud *Wadd.* l. c. n. 114.

[4] *Valva-Sulmona* in Aprutio.

[5] *Carinola;* apud *Wadd.* perperam scriptum est: Calvien. Illi ecclesiae iste Petrus praefectus est 15 ian. 1326.

Dominico eiusdem salubriter providere, te a vinculo, quo tenebaris eidem Calinen. ecclesiae, cui tunc praeeras, de ipsorum fratrum consilio et apostolicae potestatis plenitudine absolventes, te ad praefatam Valven. ecclesiam transferimus teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam et administratrionem ipsius ecclesiae Valven. tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo liberamque tibi dando licentiam ad praefatam Valven. ecclesiam transeundi *etc.* Datum Avinione, IV nonas maii, anno quartodecimo. [1]

854. Mandat Bonifatio comiti de Donoratico, ut Petrum de Corbario, quem habet in potestate, mittat ad curiam. [2]

1330, maii 10, Avinione.

Dilecto filio nobili viro Facio comiti de Donoratico.

Sicut nobilitatis tuae prudentiam credimus non latere, dum adhuc Pisani nuntii in Romana curia residerent, [3] vox insonuit publica, quod ille gehennae filius et maledictionis alumpnus Petrus de Corvario de haeresi et schismate condempnatus sub tua fortia et potestate degebat. [4] Quo audito negotium in tuto fore supposuimus, nequaquam in dubium revocantes, quin eum tua nobis prompte deberet nobilitas assignare: quod expresse diximus nuntiis antedictis. Sed extunc cecidit vox praedicta, sed adeo invaluit super hoc vox et fama tam per litteras diversorum quam nuncios de diversis partibus praesertim Tusciae ad curiam directos, quod quasi nullus vertat in dubium, quin sub tua ditione illum habeas infelicem. Quocirca nobilitatem tuam, de qua plene confidimus, rogamus et hortamur attentius, paterno tibi nihilominus suadentes affectu, quatenus pericula varia tam temporalia quam spiritualia, quibus te detentio eiusdem hominis subiicit, necnon gloriam et honorem, quos tibi eiusdem hominis assignatio facta nobis praeparat, cogitans et recogitans diligenter, moras non tardes rumpere ipsumque, quem te iamdiu est concepisse de eodem nobis restituendo homine supponimus, spiritum parturire festines, ipsum Petrum videlicet nostris expensis ad nostram praesentiam sub fideli custodia destinando. Cum nil enim sit morte mortalibus certius nec incertius hora mortis (siquidem tamquam fur ita plerumque mors consuevit), diligenter attende, quod, si adventus mortis sic dubius partum huiusmodi tam salutiferum praeveniret, germen sanctum extingueret animamque tuam ad inferna pertraheret tuamque memoriam cum bonorum confiscatione et prolis ignominia relinqueret condempnandam. Consideret insuper, fili, tua circumspectio et consideranter attendat, quod, si ipsum, quod absit, nobis renueres assignare, non solum nos, sed fidelium coetum universum offenderes, malaque omnia, quae inde contingerent, tibi deberent merito principaliter imputari. Fac ergo, fili, dum potes, ne forte, si procrastinaveris, cum volueris, nequeas implere; nec te plus minae illius dampnati Bavari, qui nec de iure nec de facto potest offendere, retrahant, sed Dei timor, quem non potes effugere, qui potest auferre corpus et animam in gehennam mittere, matrisque tuae ecclesiae sanctae Dei honor et reverentia ad exequen-

---

[1] In e. m. capitulo et vassallis eccl. Valven., clero ac populo civ. et dioec. Valven., Roberto regi Siciliae.

[2] Reg. Vat. t. 115, p. II, f. 6, ep. 1017.

[3] Die 15 sept. 1329 summus pontifex *communi, universitati et populo civitatis Pisanae* haec scripsit: « Nuper ad nostram praesentiam venientes dilecti filii nobiles viri Guilelmus de Seximundis, Nicolaus de Gualendis et Guido Masca vestri ambasciatores et nuntii ... coram nobis ... proponere curaverunt, quod, cum Ludovicus olim dux Bavariae ... ad civitatem accedere intimasset, vos per mensem et ultra restitistis eidem, donec ... contra eum defendere ulterius nequivistis .... Subsequenter vero Ludovicus praefatus inde recedens et versus Urbem infelices dirigens gressus suos nonnullos de civitate praedicta Pisana clericos et laicos, ne aliquid posset interim immutari circa ipsius civitatis regimen, secum duxit sub manu potenti, civitatem eandem munitam dimittendo ... Rursus post certi temporis spatium memoratus Ludovicus de dicta Urbe ad praefatam civitatem rediens et existens in ea cum magna potentia gentis suae, virum perfidum Petrum de Corbario apostaticum et schismaticum cum suis nequam officialibus et ministris introduxit in eandem eique fecit tamquam papae honorem ..., quem honorem tam regimina, quae ibi erant, quam nonnulli ex vobis et forenses Petro exhibuerunt eidem .... Postmodum autem dicto Ludovico de civitate, comitatu et districtu praedictis recedente, vos memoratum Petrum de Corbario suosque damnatos officiales et ministros cum sua licentiantes ignominia de dicta civitate vestra expellere curavistis, eundem Petrum de Corbario tunc arrestare prae timore vicarii dicti Ludovici et gentis armigerae, quos ibidem remiserat, non audentes, licet postea, resumptis tractu temporis viribus, eosdem vicarium et gentem ... potenter et viriliter eiecistis de civitate praedicta .... Quare praefati ambaxiatores et nuntii in eodem consistorio supplicarunt humiliter et devote, ut vestris non attentis excessibus ... vobis aperire dignaremur sinum pietatis et misericordiae etc. » Cfr. supra not. ad n. 721*a* et n. 843.

[4] Hac de re scribit Bernardus Bosquetus in vita Ioannis papae XXII: « Post recessum Bavari de civitate Pisana (23 febr. 1329), Tarlatus Pisarum praefectus (a Bavaro tamquam vicarius relictus), callide cogitans sibi appropriare dominium civitatis, coepit tractare de pace cum potestate, ecclesia et civibus Florentinis. Et tunc dederunt commeatum praedicto Petro antipapae, ut inde recederet et rediret. Qui cum a praedicto Tarlato frustra petiisset securum conductum, donec pervenisset ad Bavarum, qui adhuc in partibus Lombardiae erat, secretius se dedit in manibus Bonifatii comitis Novelli de Donoratico Pisani; et ipse Bonifatius fecit eum de nocte occulte duci cum quodam suo anticardinali fr. Paulo de ordine Minorum ad unum castrum suum in Maritima, quod vocatur castrum de (B)urgari, quod distat a civitate Pisana per 35 milliaria. Verum cum cives Florentini duxissent exercitum gentis suae versus partes illas, dubitans et timens, ne hoc facerent scientes praedictum antipapam ibi latere et quaerentes eum habere, fecit ipsum occultius reduci ad domum suam in civ. Pisana, ubi tenuit eum abscoditum et occultum ».

dum praemissa promptius te impellant: sciturus, fili, certissime, quod in nullo sic nobis potes et praefatae ecclesiae sicut in assignatione huiusmodi complacere nec in aliquo alio, quod nobis occurrat, adeo, si hoc omitteres, displicere; tenereque te indubie volumus, quod nec tibi ingrati erimus nec eidem Petro, si ab erroribus suis resiliat, inhumani. Dat. Avinione, VI idus maii, pontificatus nostri anno quartodecimo. [1]

855. Transfert Arnaldum (Royardi ex ord. Min.) archiepiscopum Salernitan. ad ecclesia Sarlaten. [2]

1330, iunii 27, Avinione.

Venerabili fratri Arnaldo episcopo Sarlaten.

Creditae nobis dispensationis urgemur officio *etc.* Nuper siquidem Sarlaten. [3] ecclesia per obitum bon. mem. Bertrandi episcopi Sarlaten., qui in civitate Nemausen. diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, nos vacatione huiusmodi fide dignis relatibus intellecta, cupientes ipsi ecclesiae nostrae operationis ministerio utilem et idoneam praesidere personam, provisionem ipsius ecclesiae ordinationi nostrae ea vice duximus specialiter reservandam, decernendo ex tunc irritum *etc.*; ne ipsa ecclesia longae vacationis incommoda deploraret, paternis et sollicitis studiis intendentes ac cupientes eidem ecclesiae talem praeesse personam, quae sciret, vellet et posset eam praeservare a noxiis et adversis et in suis manutenere iuribus et etiam adaugere, post deliberationem, quam super his cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, qui regimini Salernitan. ecclesiae praesidebas, [4] convertimus oculos nostrae mentis. Intendentes itaque tam eidem Sarlaten. ecclesiae quam gregi Dominico eiusdem salubriter et utiliter providere, te ex certis causis rationabilibus pro parte tua nobis expositis volentem et consentientem a vinculo, quo tenebaris ipsi Salernitanae ecclesiae, cui tunc praeeras, de fratrum praedictorum consilio et apostolicae potestatis plenitudine absolventes, te ad praefatam ecclesiam Sarlaten. transferimus et praeficimus te ipsi Sarlaten. ecclesiae in episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi tam in spiritualibus, quam in temporalibus plenarie committendo, liberamque tibi dando licentiam ad praefatam Sarlaten. ecclesiam transeundi *etc.* Dat. Avinione, V kal. iulii, anno quartodecimo. [5]

856. Episcopo Parisiensi concedit facultatem dispensandi cum fr. Ioanne de Hiermonte ord. Min. super irregularitate. [6]

1330, iunii 27, Avinione.

Venerabili fratri .. episcopo Parisiensi.

Pro parte dilecti filii Iohannis de Hiermonte ordinis fratrum Minorum nobis extitit intimatum, quod dudum ipse, dum esset iuvenis in ordine suo, induxit semel, ut sibi videtur, quendam fratrem suum carnalem saecularem ad faciendum querimoniam cuidam iudici saeculari contra quendam detentum laicum, qui eorundem consanguineum interfecerat. Ignorat tamen idem Iohannes, quibus verbis induxerit dictum fratrem et qua intentione, cum multi anni sint lapsi, quia ipse tunc erat iuvenis, ut praefertur, dictusque frater eius postea querimoniam inde fecit semel tantum, prout sibi tunc referre curavit. Qui quidem homicida postmodum infra annum iustitiatus extitit et suspensus. Si autem dictus frater eius sibi dixerit veritatem, quod dictam querimoniam fecerit, dubitat forte, propter hoc fuerit accelerata iustitia, nec potest super hoc sua conscientia reddi certa, quia tam frater eius quam iudex praedicti, qui de dicto homicida fecit iustitiam, decesserunt. Quare pro parte dicti Iohannis nobis extitit humiliter supplicatum, ut secum super irregularitate, si quam propter hoc contraxit, dispensare misericorditer curaremus. Nos igitur, carissimae in Christo filiae nostrae Iohannae reginae Franciae et Navarrae illustris nobis pro dicto Iohanne in hac parte humiliter supplicantis ipsiusque supplicationibus inclinati, fraternitati tuae, de qua plenam in Domino fiduciam gerimus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus eiusdem Iohannis confessione diligenter audita cum eo super praemissis, et prout tibi secundum Deum videbitur expedire, auctoritate nostra dispenses. Datum Avinione, V kalendas iulii, anno quartodecimo.

---

[1] Aliis litteris eodem die datis summus pontifex nobilem virum Tinucium, baiulum dicti comitis, monet, ut studiosam operam et operosum studium impendat, ut idem comes suis (papae) exhortationibus suprarelatis acquiescat. Simoni autem archiepiscopo Pisano eodem die 10 maii scribit, se die nona maii per manum Ildebrandini episcopi Paduani litteras ipsius recepisse et earum tenore diligentius intellecto Facio comiti de Donoratico et Tinucio eius baiulo scripsisse, prout in cedula interclusa continetur, magistri Guilelmi tamen legationem velut Deo ingratam se non acceptasse nec ipsum, qui satis imprudenter in illis se habuit, ad praemissa exequendum remissurum esse; insuper monet eumdem archiepiscopum, ut a coeptis tam laudabiliter non desistat, sed in hiis, quousque finem optatum sortita fuerint, immobiliter perseveret (l. c. ep. 1018 et 1019).

[2] Reg. Vat. t. 95, ep. 796; apud *Wadd.* l. c. n. 115.

[3] *Sarlat* in provincia eccl. Burdegalen.

[4] Cui praefectus erat 30 apr. 1321. Cfr. supra n. 429.

[5] In e. m. capitulo et vassallis eccl. Sarlaten., clero ac populo civ. et dioec. Sarlaten., archiepiscopo Burdegalen., Philippo regi Franciae. Aliis litteris summus pontifex eidem Arnaldo usum pallei, quo utebatur, quum esset archiepiscopus Salernitanus, etiam nunc episcopum Sarlaten. agenti permittit. Qui Arnaldus c. a. 1334 e vita decessit.

[6] Reg. Vat. t. 96, ep. 3827.

857. Episcopum Parisien. et inquisitorem haer. prav. in Francia prosequi iubet in processu contra fr. Conradum ord. Min. instituto. [1]

1330, iunii 30, Avinione.

Episcopo Parisiensi et .. inquisitori haereticae pravitatis in partibus Franciae auctoritate apostolica deputato.

Processum contra Conradum ordinis fratrum Minorum professorem super nonnullis haereticalibus erroribus, quibus fore suspectus et respersus asseritur, per vos prudenter habitum et nobis transmissum videri et examinari per dilectos filios nostros Iacobum tituli sanctae Priscae et Petrum tituli sancti Stephani in Coeliomonte presbyteros cardinales fecimus diligenter: quem quidem processum vobis una cum motivis et opinionibus cardinalium interclusis praesentibus remittentes discretioni vestrae mandamus, quatinus praemissis intellectis diligentius ac consideratis et attentis, quae attendenda et consideranda iuxta datam a Deo vobis prudentiam noveritis, circa ea iustitiae in hac parte debitum exequi, prout expedire videritis, studeatis. Datum Avinione, II kalendas iulii, anno quartodecimo. [2]

858. Praeficit Henricum Minoritam ecclesiae Isernien. in episcopum. [3]

1330, iulii 4, Avinione.

Venerabili fratri Henrico episcopo Isernien.

Debitum officii nostri requirit *etc.* Dudum siquidem ecclesia Isernien. [4] per obitum bon. mem. Petri episcopi Isernien., qui in partibus illis diem clausit extremum, pastoris solatio destituta dilecti filii capitulum ipsius ecclesiae (Nicolao Andreae de Isernia canonico ac archidiacono ipsius ecclesiae tunc in Romana curia personaliter existente) vocatis omnibus, qui debuerunt, voluerunt et potuerunt commode interesse, die ad eligendum praefixa, ut moris est, pro futuri substitutione pastoris convenientes in unum, quondam Conradum iudicis Rampini eiusdem ecclesiae canonicum, in sacerdotio constitutum, in Isernien. episcopum per formam compromissi concorditer elegerunt, ipseque deinde electioni huiusmodi ad instantiam dictorum capituli, illius sibi praesentato decreto, infra tempus debitum consensit ac electionem huiusmodi a venerabili fratre nostro archiepiscopo Capuano metropolitano suo obtinuit auctoritate metropolitana confirmari ac deinde administrationi se immiscuit ecclesiae praelibatae. A qua quidem electione dictus Nicolaus, quam cito scivit electionem huiusmodi, ex certis causis ad sedem apostolicam appellavit ac ipsam appellationem eidem Conrado infra tempus debitum intimavit, idemque Conradus pro prosecutione negotii electionis et confirmationis huiusmodi ad sedem eamdem personaliter accessit. Huiusmodi ergo electionis et confirmationis ac appellationis negotio pro parte ipsius Nicolai in consistorio exposito coram nobis, nos negotium ipsum venerabili fratri nostro Bertrando [5] episcopo Tusculano audiendum commisimus et nobis postmodum referendum. Coram quo, cum esset inter ipsum Conradum et praefatum Nicolaum ad certos actus in negotio praedicto processum, idem Conradus apud eamdem sedem diem clausit extremum. Nos igitur considerantes, quod nullus praeter nos de provisione ipsius ecclesiae se hac vice intromittere potest pro eo, quod nos diu ante huiusmodi obitum ipsius Conradi omnes ecclesias cathedrales ... reservavimus *etc.*, et ad provisionem ipsius ecclesiae sollicite intendentes ac cupientes eidem Isernien. ecclesiae utilem praesidere personam, post deliberationem, quam super hoc cum nostris fratribus habuimus diligentem, demum ad te ordinis fratrum Minorum professorem, in sacerdotio constitutum, cui de litterarum scientia, morum honestate et vitae, religionis zelo aliisque virtutum meritis laudabilia testimonia perhibentur, convertimus oculos nostrae mentis. Quibus omnibus attente discussis de persona tua eidem Isernien. ecclesiae de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus atque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem illius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo ac faciendo tibi postmodum per venerabilem fratrem nostrum Guillelmum episcopum Sabinen. munus consecrationis impendi *etc.* Datum Avinione, IV nonas iulii, anno quartodecimo. [6]

859. Ioannem s. Theodori diac. card. et apost. sedis legatum unacum inquisitore haer. prav. contra nonnullos Tudertinos de haeresi suspectos procedere iubet. [7]

1330, iulii 12, Avinione.

Eidem [legato, Ioanni s. Theodori diac. card.]. Nuper fidedigna relatione percepto, quod di-

[1] Reg. Vat. t. 115, f. 121, ep. 1701; cfr. supra n. 842 et infra n. 884.

[2] Aliis litteris eodem die datis summus pontifex Geraldum de Campimulo, cantorem ecclesiae Parisien., monet, ut sollicitudinem adhibere studeat operosam, ut episcopus et inquisitor praedicti ea, quae ipsis (ut supra) sunt scripta, compleant: rescripturus, « quidquid agi contigerit in hac parte ». Cfr. l. c. ep. 1702.

[3] Reg. Vat. t. 95 ep. 778, apud *Wadd.* l. c. n. 116.

[4] *Isernia* in prov. eccl. Capuan.

[5] De Turre ex ord. Min.

[6] In e. m. capitulo et vassallis ecclesiae Isernien., clero ac populo civ. et dioec. Isernien., archiepiscopo Capuan., Roberto regi Siciliae.

[7] Reg. Vat. t. 115, p. II, f. 17, ep. 1078, cfr. infra n. 980.

lectus filius .. [1] inquisitor haer. prav. in partibus Thusciae auctoritate apostolica deputatus adversus nonnullas singulares personas civitatis et districtus Tudertin. [2] velut de haeresi et scismate seu fautoria haereticorum et scismaticorum respersas vel suspectas diversos processus habuit iustitia exigente, praefato inquisitori per alias litteras nostras mandamus, ut processus eosdem omnes et singulos tibi studeat exhibere, ut per se iuxta tuum consilium aut una tecum, prout fuerit magis expediens, procedere valeat in hac parte. Quocirca discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quod visis processibus huiusmodi tibi per inquisitorem exhibendis praedictum procedi, sicut expedire negotiis praedictis cognoveris et iuris aequitas suaserit, ulterius facias aut unacum ipso in hac parte procedere non omittas, nobis, quicquid actum super praemissis quomodolibet extiterit, nihilominus rescripturus. Datum [Avinione,] IV idus iulii, anno quartodecimo. [3]

860. Bonifatium comitem de Donoratico monet de novo, ut Petrum de Corbario assignet archiepiscopo Pisano et episcopo Lucano. [4]

1330, iulii 13, Avinione.

Facio comiti de Donoratico.

Alias nobilitatis tuae post salutationem scripsisse meminimus sub hac forma: « Sicut nobilitatis tuae prudentiam *etc.* » *ut supra n. 854.* Sane, fili, quia tenemus indubie nos et fratres nostri, quod praefatum Petrum de Corbaria, postquam Pisis publice desiit apparere, sub tua potestate extitit et impraesentiarum existit (nisi noviter, quod nullo

[1] Bartholinus de Perusio ord. Min., cui summus pontifex eodem die in eumdem modum scribit.

[2] *Todi* in Umbria.

[3] Iste fr. Bartholinus iam die 1 aug. 1329 processus contra Tudertinos tum laicos tum clericos saeculares et regulares, praesertim fratres Minores conventus s. Fortunati Tudertin., qui Bavaro et antipapae adhaerentes ipsos mense augusti a. 1328 Tudertum venientes ibique per 12 dies morantes devote illum tamquam imperatorem et hunc tamquam papam recipiebant, inchoaverat. Qui processus in arch. Vat. (Collect. t. 104) asservatur. A R. P. *Ehrle* S. I. nonnulla et quidem graviora argumenta ex ipso excerpta et in periodico *Archiv für Litteratur- und Kirchengeschichte* I, 158, et II, 653 publicata sunt. Inter fratres Minores dicti conventus, qui plus minusve culpabiles hac in re erant, inprimis nominatur Nicolaus Nini, qui primus mense aug. 1328 in illa ecclesia s. Fort. praedicavit, Ioannem (XXII) non esse papam, immo haereticum et patarenum, populumque hortatus est, ne haberet fidem in eo. Quod paulo post alii fratres in eadem ecclesia s. Fortunati et in locis Monthionis et de Burgo fecerunt. Die 21 sept. 1329 venerunt ad praedictum inquisitorem fratres Thebalducius Cioli et Simon Pauletti de Aquasparta ord. Min., dicentes, se esse nuntios fratrum Matthaei domini Lucii et Francisci Blonde de Tuderto et Mattheoli de Collazone una cum aliis fratribus Tudertinis ad mandata s. Romanae ecclesiae et summi pontificis atque ipsius inquisitoris redire desiderantium. Sed non pauco tempore post adhuc plures fratres Minores aliique religiosi et saeculares clerici ac laici illarum partium rebelles et inobedientes erant summo pontifici. Qui die 22 febr. 1331 praedicto inquisitori mandat, ut sibi mittat processus contra Tudertinos habitos, die autem 24 iulii 1331 ipsum processus contra eosdem reassumere iubet (Arch. Vat. t. 116, f. 147, ep. 773, et f. 105, ep. 511, cfr. 759 et 774).

[4] Reg. Vat. t. 115, f. 7, ep. 1025. — Aliis litteris Tinucium baiulum comitis de Donoratico monet, ut suae partes sollicitudinis interponens instare opportune et importune apud praefatum non desinat comitem, ut de tantis se et suos et sanctam Dei curet ecclesiam liberare periculis (l. c. ep. 1026). Aliis autem litteris eodem die datis summus pontifex Bonifatio comiti de Donoratico et Tinucio eius baiulo haec scribit: « Epistolam vestram, per quam fidem adhiberi dilecto filio Ciolo Scaciarii, eius exhibitori, indubiam petiistis, laeta manu recepimus, et quae idem Ciolus nobis exponere interdum solis et interdum praesente dilecto filio Anibaldo presbytero cardinali voluit, ex quibus utique et missi prudentiam et vestram ac eiusdem missi affectionem sinceram, quam ad sanctam ecclesiam catholicam et apostolicam geritis, intelleximus diligenter. Pro quibus nos et ecclesiam vobis obnoxios admodum reputantes vestramque devotionem et fidem plurimum in Domino commendantes vobis gratiarum referimus uberes actiones, vestram prudentiam affectu ampliori quo possumus deprecantes, ut, quae concepistis tam laudabiliter, absque cunctatione qualibet ad portum usque salubriter perducatis, indubie hoc tenentes, quod (praeter praemium vobis ex hoc debitum in retributione iustorum) nos vobis grati, ut et adstrictos exnunc nos recognoscamus, erimus Deo dante et circa ea, quae nostrum et vestrum respicient honorem et commodum, seduli promotores: exhibitori praesentium sicut viro cauto et provido circa ea, quae circa negotium ipsum acta sunt, quem et vobis recommendamus sinceriter, fidem indubiam quaesumus adhiberi. Haec autem vos volumus non latere, quod litteram P. de Corbario nobis missam ad Dei laudem, nostrum et ipsius honorem et gloriam fratribus nostris in consistorio legimus, quam utique, ut apparebat, audiverunt cum gaudio et Deo de tanta misericordia, quam circa eundem P. exercebat, gratias retulerunt, devotionem vestram in Domino plurimum commendantes. Ad hoc, quia inter alia tenor continet litterae supradictae, quod idem P. proponit firmiter in civitate Pisana et in Urbe etiam atque ubique locorum, ut eius verbis utamur, renuere, sicut nos decreverimus ordinandum, videtur nobis et sibi ac ecclesiae catholicae plurimum expedire, ut suis recognitis Pisis erroribus et etiam abiuratis, quaecunque ut papa praesumpsit facere, esse nulla, sicut et sunt, publice recognoscens, iuxta modum, quam vos et venerabiles fratres nostri archiepiscopus Pisanus et episcopus Lucanus ordinandum duxeritis, ad nostram non tardet praesentiam se conferre; nullibi siquidem de iniuria illata Deo et ecclesiae melius potest satisfacere idem P., quam ubi Christi vicarius noscitur et ecclesiae caput esse, nec alibi sic nostrum favorem percipere potest nec securius, si recte consideret, immorari. Et ecce nos dictis archiepiscopo et episcopo damus per nostras litteras alias in mandatis, ut praemissis, videlicet errorum recognitione et abiuratione ac declaratione completis sibi debeant absolutionis beneficium impertiri » (*l. c. ep. 1034*). — Aliis litteris ipsa die 13 iulii 1330 datis summus pontifex Bonifatio comiti de Don. haec scribit: « Ut Petrus de Corvario ord. fr. Min. a devio, in quo se posuit, ad viam redeat veritatis, te intelleximus adeo efficaciter laborasse, quod ipsum ad id credis probabiliter inclinasse; et, quia nedum animae ipsius sed et corporis intensis optas desideriis conservare salutem, nobis humiliter supplicasti, ut in causa huiusmodi sibi vitam corporis deberemus servare. Nos autem eidem Petro more paterno super tam laudabili proposito congaudentes et merito ipsum in eodem nutrire volentes, volumus indubie te tenere, quod, si deputatis a nobis ipsum spontaneum duxeris assignan-

modo credimus, aliud de ipso duxeris ordinandum), nobilitatem eo affectuosius quo saepius monemus, requirimus et rogamus attente, tibi nihilominus sub virtute sanctae obedientiae iniungentes, quatinus (consideranter attendens, quanta mora restitutionis eiusdem Petri pericula nedum quoad te tuosque fautores et successores sed et quoad universum coetum fidelium secum trahat: quod te de ipso ab initio concepisse firmiter credimus et in eo perseverasse constanter, scilicet quod, ut periculis occurras, quae eius liberatione possent ecclesiae obvenire catholicae, nobis vel nostro certo mandato ipsum assignare deberes, a quo id te credimus retraxisse, quia sperabas ipsum ad hoc inducere, ut volens rediret ad unitatem ecclesiae et ad nostram venire praesentiam spontaneum se offerret), quodsi hoc, quod optaremus admodum, obtinere valeas ab eodem, alias etiam invitum, cum non sit cum tanto discrimine eius pertinaciae indulgendum, venerabilibus fratribus nostris archiepiscopo Pisano et episcopo Lucano ... nostro et ecclesiae Romanae nomine debeas assignare; nobilitatem tuam, de qua plene confidimus, nihilominus deprecantes, ut ipsis seu illi ex ipsis, cui ipsum duxeris assignandum, tam circa ipsius Petri custodiam quam adductionem ad nostram praesentiam praesidium impendas tui consilii, auxilii et favoris, ita quod ex hoc propitiationem divinam uberius merearis assequi nosque et ecclesiam sanctam Dei ad ea, quae tui ac tuorum honoris et commodi spectabunt augmentum, astringas fortius, extollique possit dignis in Domino propter ea laudibus nomen tuum: sciturus pro certo, ut et alias scripsimus et latius tuo nuntio mentem nostram

---

dum, eidem vitam servabimus et, si in praedictis perstiterit, ipsum gratiis et favoribus prompto animo prosequemur; si autem ipsum invitum duxeris eisdem assignandum, adhuc sibi vitam, ut tuis satisfiat desideriis, servabimus et, si a deviis resipuerit, ipsum gratiis nostris et favoribus non relinquemus expertam » (*l. e. ep. 1035*). Et infra (*ep. 1040*): « Cum dilectum filium mag. Raymundum Stephani camerae nostrae clericum pro negotio illo, de quo scripsit nobis tua nobilitas, ad eas partes cum opportunis litteris destinemus, nobilitatem eandem rogamus attentius et hortamur, quatinus eundem clericum habere velit eadem nobilitas favorabiliter commendatum et circa ipsius perfectionem negotii operosam adhibere sollicitudinem, sicut per alias litteras seriosius scribimus, non omittat ». Atque infra (*ep. 1045*): « Nobilitatis tuae recepimus litteras continentes, quod Petrus de Corbario Excelsi dexterae gratia mirifice immutatus ac de omnibus suis execessibus culpam cum dolore magno humiliter recognoscens ad pastorem et animarum episcopum est conversus, proponens ex toto corde in civitate Pisana renuere et in Urbe etiam atque ubique locorum, secundum quod nos decreverimus ordinandum. Pro quo nobis humiliter supplicasti, ut eidem, quae sequuntur, concedere dignaremur: *Primo* quidem plenam veniam de suis occultis peccatis et etiam manifestis. Nos autem attendentes, quod ad talem misericordiam sine peccatorum confessione potestas nostra etiam ut ministri se nequaquam extendit, quod postulasti, nequimus adimplere; sed ecce quod, volentes eius providere saluti tuaeque annuere voluntati, sibi per nostras patentes litteras indulgemus, quod, postquam errores suos recognoverit et abiuraverit secundum formam contentam in nostris litteris aliis eligere possit confessorem idoneum, qui audita eius confessione sibi possit absolutionis beneficium iuxta formam ecclesiae impertiri. *Secundo*, quod ipsum eximeremus ab omni servitute et dominio, summi pontificis dumtaxat exceptis: et ecce, quod venerabilibus fratribus nostris archiepiscopo Pisano et Lucano episcopo damus per nostras litteras in mandatis, quod recognitis erroribus suis et eis ut praedicitur abiuratis possint sibi auctoritate apostolica (simul ambo et eorum quilibet) exemptionem concedere postulatam, quam, postquam nobis praemissa innotuerint per litteras archiepiscopi et episcopi praedictorum vel alterius eorundem, per nostras patentes litteras iuxta morem consuetum servari in talibus bulla munitas apostolica confirmare curabimus ac de novo exemptionem concedere supradictam. *Tertio* tua postulavit prudentia, quod sibi dignaremur de copiosa providere eleemosyna, de qua possit vivere congruenter: et ecce, quod dictis archiepiscopo et episcopo damus per nostras litteras in mandatis, quod eo absoluto tria millia florenorum auctoritate nostra in nostra recipienda camera annuatim, quousque in certo loco assignata fuerint, ambo vel eorum alter sibi debeant assignare; de qua summa sibi sine cunctatione aliqua dante Domino, quousque in certo loco assignata fuerit, de camera satisfiet; nec his contenti esse intendimus, sed, si in praemissis constanter perseveraverit, ipsum gratiis et favoribus satis amplioribus intendimus prosequi et etiam honorare. Aliqua quoque alia pro eodem postulasti, quae ex causis rationalibus ad praesens suspendimus, quas lator praesentium tuae prudentiae latius explicabit. Porro devotionem tuam, quam ad Deum et sanctam ecclesiam gerere facta tua arguunt evidenter, hortamur in Domino et rogamus, ut periculis, quae mora in praesenti negotio nedum tibi sed toti catholicae ecclesiae comminatur, consideranter attendens, ruptis quibusvis obstaculis, ad Dei laudem et gloriam tuique exaltationem nominis, et ut Dei et apostolicae sedis gratiam abundantius in perpetuum merearis, ut ad finem Deo gratum dictum deducatur negotium et effectui mancipetur, studeas operosum studium et studiosam operam adhibere. — Ad id autem, quod in calce tuae litterae continetur, scil. quod, nisi ea, quae pro eo postulabas, sibi primo faceremus et super ipsis apostolicum mittere privilegium, vehementius dubitabas, ne a tali sancto dictus Petrus resiliret proposito et in pertinacia longanimi perduraret, respondemus, quod, si de puro corde suo processerint, quae nobis per suas litteras nunciavit, de hoc non est in aliquo haesitandum; si vero non de puro corde processerint, sed de facto, vide, fili, quantum esset ecclesiae sanctae Dei periculum sibi concedere postulata; iam enim, si praemissa postulet, quae pro eo per tuas litteras postulasti, cor suum nequaquam detegit et, quantum perverse se facturum disposuerit, pandit. Unde, fili, in hoc nec tu nec fidelis aliquis debes annuere nec impertiri sibi favorem aliquem, sed ipsum illis, quos ad hoc deputavimus per nostras alias litteras, debes invitum etiam assignare et, ne conceptus suos perversos compleat, impertiri nobis et ipsis consilium, auxilium et favorem. Et ut circa praemissa nihil tibi possit obsistere, per quod tua conscientia laederetur, nos quascunque pactiones seu confoederationes in contrarium cum quocumque vel quibuscunque sub quacunque forma vel expressione verborum factas seu initas, etiam si poenis seu iuramentis vallatae fuissent, nullas, cassas et irritas esse et fuisse decernimus, utpote contra Dei et ecclesiae sanctae suae honorem et in detrimentum fidei catholicae attemptatas, easque cassamus, irritamus et annullamus nihilominus ad cautelam, poenas adiectas et iuramenta eis praestita nihilominus relaxantes ».

circa hoc pandimus, quod nec tibi ingrati sed grati merito nec dicto Petro inhumani sed propitii, favorabiles et benigni, si in hiis, quae scripsit, perstiterit, erimus Domino concedente. Gratia domini nostri Iesu Christi sit tecum, quae tibi gratiam tribuat, ut, quae iuste petuntur et suadentur, fideliter (sublato ulterius morae dispendio) exequaris. Praemissa autem per te rogamus et hortamur fieri non obstantibus quibuscunque promissionibus seu obligationibus ...., quas nullas, cassas et irritas esse et fuisse ... decernimus et etiam nuntiamus, poenas quascunque adiectas ... relaxantes. Rursus gratum erit nobis admodum et acceptum, quod dilectus filius Ciolus Scaciarius sit unus de adductoribus dicti Petri. Dat. ut supra [sc. III idus iulii, anno quartodecimo].

861. Petrum de Corbario, qui litteris abiuravit errores suos, monet, ut perseveret et ipsos errores Pisis oretenus abiuret. [1]

1330, iulii 13, Avinione.

Petro de Corbario ordinis fratrum Minorum, quod coepisti laudabiliter, feliciter adimplere.

Litteras tuas scriptas, ut intelleximus, manu tua, his diebus recepimus, tenorem qui sequitur continentes: «*Reverendissimo ac sanctissimo patri et domino domino Ioanni papae sacrosanctae Romanae ecclesiae frater Petrus de Corbario, dignus omni poena, seipsum ad pedes cum reverentia verae subiectionis.* Licet secundum canonem evangelicae veritatis, qui non intrat per ostium in ovile gregis dominici, fur appelletur et latro rapacitatis lupinae: audiens et considerans diligenter tanta enormia scelera pravitatis haereticae stylo ferreo exarata in ungue adamantino, quanta dicebantur a multis de vestra solida fide, sicut praesumptuosus, temerarius et superbus ascendi super astra coeli ecclesiastici, ubi mihi meis peccatis exigentibus fuit sedes iniquae praelationis; sed postquam perveni ad territorium Pisanum et quaesivi diligentissime de praedictis et inveni, quod obliqua erant et falsa et deficiebant in pondere veritatis, dolui et doleo vehementer et poenitet me fecisse, quae feci contra iura et leges vestri sacratissimi nominis de consilio perversorum. In cuius rei testimonium iam est annus completus, quod adversarium vestrum dimisi sponte, et sedem mei praesumptuosi culminis dereliqui; et propono firmiter in civitate Pisana et etiam in Urbe atque ubique locorum renuere, secundum quod vestra benignissima sanctitas decreverit ordinandum. Et quia gravis-

---

[1] Reg. Vat. t. 115, p. II, f. 8, ep. 1932, apud *Wadd.* l. c. ad a. 1330 n. 2. — Adversarium illum, de quo paulo inferius sermo est, nonnisi Ludovicum Bavarum esse nemo ignorat. — In registro, quod bullam continet supra referendam, sequitur hac de re altera bulla (l. c. ep. 1033), de qua in margine scriptum est: « Nota, quod ista non processit ». Ipsius tenor severior, qui sine dubio prius conceptus est illo, quem supra in textu referimus, hic est: « *Eidem Petro, quod coeptum est laudabiliter, feliciter consummare.* Litteras tuas *etc. ut supra in textu usque*: Profecto, fili, si praemissa intra pectoris tui claustra sollicita meditatione revolveris, evidenter percipies, quod apud Deum non est personarum acceptio, sed omnes vult salvos fieri et errantes ab erroris invio revocari. Si enim esset personarum acceptio apud Deum, quem plus te deberet spernere aut de cuius minus quam de tua salute curare? Quis enim unquam ut tu ipsum offendit? Ut te, attenta tuae conditionis persona ac gravitate offensae, procul dubio omnibus in consideratione deductis eius offensam graviorem non meminimus nos legisse. Tuae quidem personae conditio reddit offensam huiusmodi utique multipliciter graviorem; eras enim vir religionem professus subditam singulariter apostolicae sedi, vir aetatis provectae, scripturae divinae nequaquam inscius et qui diu moram traxeras, in religione praedicta. Gravitatem offensae te non credimus ignorare; tunicam quippe Christi inconsutilem tentasti scindere, quod tamen gentiles milites facere vitaverunt, ipsumque pontificatu suo, qui in aeternum permanet, voluisti privare, vicariatum suum ab excommunicato recipiens et privato omni iure, si quod competebat sibi ex electione in imperatorem de ipso celebrata in discordia, et de haeresi condemnato, quia dogmatizans et asserens publice, quod ad illum pertinebat papam deponere et alium ordinare, per hoc incidit in haeresim iam damnatam. Dignitates quoque tam cardinales quam pontificales et alias inferiores, tam saeculares quam regulares, nec non et alia inferiora beneficia ecclesiastica (cum cura et sine cura), amotis interdum ab eis de facto fidelibus, haereticis de facto seu haereticorum fautoribus et schismaticis in animarum suarum periculum contulisti. Officiales insuper iuxta morem summorum verorum pontificum ac indulgentias et dispensationes reservatas sedi apostolicae, immo etiam quae non consueverunt per sedem eandem fieri, timore Dei postposito facere ac concedere ausu nefando et temerario nimium praesumpsisti. Haereticos quoque et schismaticos ac haereticorum et schismaticorum fautores non erubuisti per te vel alium seu alios promovere. Numquid per haec Christi tunica scindebatur? Numquid sponsa Christi sancta Dei ecclesia, quantum in te erat, tradebatur stupratoribus ad stuprandum? Numquid per haec via ad subvertendam sanctam Dei ecclesiam fidemque catholicam parabatur? Numquid per haec erat via parata haereticis ad suas haereses praedicandas publice et simplices a veritate fidei revocandum? Numquid negabas Christum Pontificem? Numquid sponsam suam, quantum in te fuit, exponere prostibulo *attentasti*? Numquid schismaticum et haereticum, immo haeresiarcham et haereticorum patronum publice te fecisti? Numquid in locis interdicto suppositis tam in Urbe quam in tota Italia, quantum in te fuit, coegisti profanare divina? Numquid tentasti fideles suis privare praelationibus et dignitatibus et beneficiis ecclesiasticis et ad illos fautores haereticorum seu haereticos promovere? Profecto, fili, graves et atroces offensae sunt istae! Et tamen haec omnia bonitatem Dei non retrahunt, quin de tua salute sit sollicita, et quin cor tuum, ut defectus tuos recognoscas, illuminet, ut sic pedes tuos ad viam veritatis convertere non omittas. Si enim a corde tuo puro processerint, quae continet epistola supradicta, tenemus indubie (supposito, quod a corde tuo puro processerint supradicta), quod Spiritus sanctus in eius confectione affuerit; quin immo, quod non a te, quae in ea scripta sunt, sed ab eodem in te loquente spiritu emanarint. Considera itaque, fili, considera, quaesumus, quam pie, quam clementer, quamque misericorditer agat tecum Spiritus sancti clementia, ipsumque nolis extinguere spiritum tam benignum! Quodsi forsan, quod absit, ad vomitum redieris more canis, offensas multiplicas et infernum tibi praeparas duriorem; melius siquidem tibi foret, viam poenitendi non agnovisse Domini, quam, si postquam cognovisti, te contigerit retroire. Et ut circa praemissa etc. Dat. ut supra. »

sime peccavi et erravi patenter in invio et non in via, supplico vestrae clementissimae pietati, quatenus mihi maximo peccatori dignemini parcere secundum multitudinem magnam misericordiae Dei vivi, ut renuens ex totis visceribus deleam et annihilem [memoriam] supradictorum de cordibus universorum fidelium et ora claudam omnium obloquentium de vestra serenissima sanctitate: ut in ecclesia Dei de cetero sit unus pastor et unum ovile pro pace totius populi christiani. Datum in confinibus Lucanorum ». Profecto, fili, ex dictarum serie litterarum percepimus tibi immensam exultationis et gaudii materiam ministratam. Numquid non ingens materia gaudii, quod tibi ambulanti in tenebris et quasi in profundum malorum prolapso lux illa vera, quae omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat, illuxisse videtur manumque suam tibi, ut de profundo malorum exeas, misericorditer porrexisse? Sane quia affectum paternum non praetereunt commoda filiorum, nos expertes non sumus illo gaudio, quod utique inane existeret, si, quod coepisti laudabiliter Spiritus sancti gratia, feliciter non complevisses: et quoniam nemo mittens manum ad aratrum retro respiciens aptus est regno Dei, hortamur te in Domino et rogamus, ut attente provideas, ne spiritum tam benignum extinguas, sed ipsum in te nutriens eius inspirationes exequi cum omni promptitudine et reverentia studeas. Et quia saepe nocuit differre paratis saepeque vidimus tempus a mane usque ad vesperam immutari, sano tibi suademus consilio, ut, morae cuiusvis vinculis interruptis et laqueis, de tenebris ad lucem ac de morte ad vitam exire ac pervenire festines, nihil haesitans, quia nos, si compensaveris facta dictis, reperies patrem pium, benignum et propitium et omnium tuarum immemorem offensarum: super quo dilectus filius Ciolus Scacierius, praesentium exhibitor, te plenius poterit informare. At quia inter alia tenor continet litterae supradictae, quod proponis firmiter in civitate Pisana et in Urbe etiam atque ubique locorum (ut tuis verbis utamur) renuere, sicut nos decreverimus ordinandum, videtur nobis et tibi et ecclesiae catholicae plurimum expedire, ut tuis recognitis Pisis erroribus et etiam abiuratis, quaecumque ut papa praesumpsisti facere, esse nulla, sicut et sunt, publice recognoscens, iuxta modum, quem venerabiles fratres nostri archiepiscopus Pisanus et episcopus Lucanus ac dilectus filius nobilis vir Facius comes de Donoratico vel dictus episcopus cum altero praedictorum ordinandum duxerint, ad nostram non tardes praesentiam te conferre. Nullibi siquidem de iniuria illata Deo et ecclesiae melius potes satisfacere, quam ubi Christi vicarius noscitur et ecclesiae esse caput, nec alibi sic nostrum favorem percipere poteris nec securius, si recte consideres, immorari. Et ecce nos dictis archiepiscopo et episcopo damus per nostras litteras alias in mandatis, ut praemissis (videlicet errorum recognitione et abiuratione ac declaratione) completis tibi debeant absolutionis beneficium impertiri. Hoc autem te volumus non latere, quod tuam praescriptam litteram nobis missam ad Dei laudem et gloriam fratribus nostris in consistorio legimus, quam utique, ut apparebat, audiverunt cum gaudio et Deo de tanta misericordia, quam erga te exercebat, gratias retulerunt. Datum ut supra.

862. Concedit infrascriptis facultatem a censuris ecclesiasticis absolvendi Petrum de Corbario, postquam suos abiuravit errores.[1]

1330, iulii 13, Avinione.

Venerabilibus fratribus Symoni archiepiscopo Pisano et Guilelmo episcopo Lucano.

Quia mediator Dei et hominum, Christus Iesus, qui omnes homines vult salvos fieri et ad veritatis agnitionem desiderat pervenire, Petrum de Corbario,

---

[1] Reg. Vat. t. 115, p. II, f. 10, ep. 1042. Aliis litteris eodem die datis summus pontifex archiepiscopo Pisano de modo in hac causa procedendi haec iam scripsit (l. c. ep. 1023): « Ex hiis, quae dilectus filius Ciolus Scaciarii retulit et portavit, evidenter percepimus, quod vera nobis circa illud negotium tua fraternitas nunciavit. Sane, quia periculum est in mora, tuam prudentiam rogamus et hortamur attente, ut vigilanti procures studio illi negotio debitum finem dari: circa quod videretur nobis, ut sequitur, procedendum, videlicet quod illa persona primo in tua praesentia et ven. fratris Lucani episcopi vel alterius vestrum, si forsan amborum praesentiam abhorreret, necnon et illorum, in quorum praesentia frequenter esse ac fuisse noscitur, recognitis erroribus et etiam abiuratis per vos absolutionis beneficium impetret; deinde in praesentia multorum praelatorum, religiosorum et clericorum, nobilium et ignobilium, usque ad numerum, de quo vobis et dilectis filiis nobilibus viris Facio comiti de Donoratico et Tinucio eius baiulo expediens videretur, repetat et faciat iterum supradicta; sibique postmodum absolutionis beneficium impendatis ac sub virtute iuramenti praestiti iniungatis, ut infra certum competentem terminum eidem praefigendum cum illis, quos eidem vos vel alter vestrum, ubi ambo circa hoc intendere non possetis, assignandos duxeritis, se nostro conspectui personaliter repraesentet: alioquin in easdem ipso facto poenas et sententias relabitur et pro non facta praemissa absolutio habeatur etc. » Simili modo scribit summus pontifex episcopo Lucano (l. c. ep. 1024); aliis autem litteris ad utrumque antistitem simul datis (l. c. ep. 1029) haec scribit: « Cum per alias nostras litteras nostras absolvendi Petrum de Corbario ord. fr. Min., postquam errores suos adversus Deum et ecclesiam sanctam suam fidemque catholicam per ipsum commissos, sicut toti mundo notum est, rocognoverit et abiuraverit, vobisque nostro et ecclesiae nomine vel vestrum alteri fuerit assignatus, a poenis et sententiis, quas incurrisse noscitur propter hoc, vobis concesserimus, sicut in eisdem continetur litteris, facultatem: ut omnes et singulos clericos et laicos, qui eundem Petrum tenuerunt, postquam Pisis cessavit publice comparere, ac receptaverunt eique praestiterunt quomodolibet auxilium, consilium vel favorem, postquam dictus Petrus nobis restitutus fuerit et in potestate nostra fuerit, ab

eius ac ecclesiae suae sanctae persecutorem atrocissimum (qui tunicam suam nisus est scindere et de manu haeretici vicariatum sui pontificatus recipere non expavit ac praedicare publice, quod ad imperatorem pertinet papam deponere et loco per eum depositi alium ordinare, praesumpsit haereticisque favere non erubuit et omnia, quae ad verum papam pertinent, exercere de facto temptavit ac privare praelatos suis praelaturis et simplices clericos fideles suis beneficiis, subrogatis haereticis et scismaticis, non expavit bonaque ecclesiarum praesumpsit rapere ac in locis interdicto suppositis compulit profanare divina nec non beati Petri patrimonium dilapidare satagens provincias nonnullas haereticis et scismaticis concessione dampnabili assignavit viamque scismati et haeresibus aperuit et ad subversionem totius catholicae fidei cum haereticis et scismaticis se armavit) hiis non obstantibus oculo respexit suae clementiae oculumque sui cordis, quem sua malitia clauserat, illuminavit adeo, quod maculas suas considerans ipsas tergere desiderat pedesque suos ad viam convertere veritatis et pacis, prout idem Petrus per suas litteras manu sua scriptas, ut intelleximus, et nonnulli alii nobis insinuare curarunt: nos more pii patris, quem non praetereunt commoda filiorum, eidem super hiis merito congaudentes sibique volentes manum porrigere adiutricem, vobis, de quorum fidelitate et prudentia gerimus fiduciam pleniorem, committimus et mandamus, ut vos vel alter vestrum, ubi non possetis vel nolletis ambo intendere, recepta recognitione errorum suorum et haeresum ac scismatum et fautoriae haereticorum ac scismaticorum et abiuratione ipsorum, in praesentia illorum, de quibus videritis expedire, ipsum ab excommunicationum sententiis prolatis a iure vel ab homine iuxta formam ecclesiae absolvatis, iniungentes eidem, quod infra certum terminum per vos ambos vel alterum vestrum, ubi ambo non possetis vel nolletis hiis intendere, cum illis, quos eidem deputandos duxeritis, nostro conspectui se debeat praesentare, alioquin iusto impedimento cessante vel si, quod absit, ad pristinos errores rediret, ipsum in praedictas poenas et sententias reincidere volumus ipso facto dictamque absolutionem omnino in casu praemisso haberi volumus pro non facto. Praemissa autem fieri volumus, ut continetur superius, et compleri non obstantibus quibuscunque pactionibus, promissionibus seu obligationibus per eundem Petrum vel alium seu alios suo nomine vel mandato cum quocunque seu quibuscunque aut per aliquem vel aliquos cum ipso vel alio seu aliis nomine suo sub quibuscunque modis, formis seu conditionibus initis in contrarium sive factis, etiam si poenarum adiectione vel iuramentorum praestitione vallatae fuissent, quas nullas, cassas et irritas esse et fuisse utpote contra honorem Dei et ecclesiae sanctae suae fideique catholicae detrimentum praesumptas decernimus et etiam nunciamus, poenas quascunque adiectas quoquomodo super hiis et iuramenta praestita, cum iuramentum vinculum iniquitatis esse non debeat, omnino nihilominus relaxantes. Datum Avinione, III idus iulii, pontificatus nostri anno quartodecimo.

863. Declarat, si archiepiscopus Pisanus et episcopus Lucanus simul non possent intendere negotio conversionis Petri de Corbario, sufficere, quod alteruter solus in eodem negotio agat et procedat. [1]

1330, iulii 13, Avinione.

Venerabilibus fratribus Symoni archiepiscopo Pisano et Guillermo episcopo Lucano.

Cum super eo, quod Petrus de Corbario ordinis fratrum Minorum, qui se dudum persecutorem ecclesiae sanctae Dei constituens inconsutilem Dei tunicam nisus est scindere aliaque detestanda cunctis catholicis, sicut toti mundo notum existere noscitur, perpetrare praesumpsit, nunc inspirante sibi Spiritus sancti gratia tactus dolore cordis super hiis ad unitatem eiusdem ecclesiae (relictis, recognitis et abiuratis suis erroribus) redire, sicut suis et nonnullorum partium Italiae fidelium litteris nobis directis percepimus, desiderat et mandata, nos (eidem Petro super huiusmodi suo proposito congaudentes et volentes sibi manum benigne porrigere, si scriptis huiusmodi facta conveniant, adiutricem) vobis, de quorum fidelitate ac circumspectione plene confidimus, certa facienda et exequenda circa haec una cum nobili viro Facio comite de Donoratico per diversas nostras litteras providerimus, sicut in eisdem plenius continetur litteris, committenda: ut super huiusmodi negotio procedi ad Dei laudem et gloriam commodius valeat, volumus et nostrae intentionis existit, quod, si vos ambo una cum eodem comite non possetis praemissis intendere vel vacare, alter vestrum una cum ipso comite vel etiam sine ipso,

omnibus poenis et sententiis, quas virtute quorumcumque processuum nostrorum vel alias promulgatas seu inflictas ab homine vel a iure quomodolibet incurrerunt, absolvere iuxta formam ecclesiae ipsosque in integrum ad statum, bona, honores et famam restituere plenarie valeatis, vobis... plenam concedimus auctoritate praesentium facultatem: adiecto tamen specialiter et expresse, quod, si ulterius eundem Petrum receptarent, quousque ad nostram praesentiam venerit, vel in veniendo aut ipsum mittendo praestarent impedimentum..., relabantur in easdem poenas et sententias ipso facto ».

[1] Reg. Vat. t. 115, p. II, f. 10, ep. 1041; cfr. supra n. 843, 844, 862.

si interesse non posset aut nollet vel renueret forsitan concordare, praemissa vel ea, quae de ipsis restarent agenda, etiam alter vestrum articulum per alium inchoatum (forma tamen litterarum ipsarum super aliis observata) exequi et complere plenarie valeatis. Datum Avinione, III idus iulii, pontificatus nostri anno quartodecimo.[1]

864. Petro de Corbario ad curiam ituro iter prosperum adprecatur.[2]

1330, augusti 9, Avinione.

Petro de Corbario ordinis fratrum Minorum.

Laeti percepimus hodie te iter spontanee prosequentem ad nostram veniendi praesentiam, laetum et incolumem Niceam[3] pervenisse. Profecto, fili, talis adventus cor nostrum exultatione replevit et gaudio non indigne; si enim patri cedat ad gaudium videre filium inventum fuisse, qui perierat, vel, qui fuerat mortuus, revixisse (cuius tamen inventio vel revictio paucis aut forsan nulli fuerat profutura), quantum putas tua inventio et a morte spirituali resuscitatio in nobis possit et debeat peperisse gaudium, de cuius inventione et resuscitatione multorum salus spectatur? Rursus, si angelis est gaudium super uno peccatore agente poenitentiam, cuius forsan poenitentia futura non esset utilis nisi sibi, quantum nobis, immo toti ecclesiae catholicae super tua conversione possit existere gaudium, quae nedum tibi prodest ad meritum, sed et Deo ad gloriam, angelis ad gaudium cunctisque cedit hominibus ad exemplum? Procul dubio tantum est et esse debet huiusmodi gaudium, quod lingua non posset illud de facili explicare. Nec tu, fili, expers a gaudio debes esse; si enim est gaudium ad lucem venire de tenebris et de crudelissimo liberari carcere ac de iugo gravi ad suave transire, utique tibi, in quo spritualiter concurrunt praemissa omnia, ingens in Domino gaudium debet esse, nec quod nos nec quod te gratiarum debet cessare actio nec vox laudis: immo debent illi, qui tam clementer tamque misericorditer nobiscum dignatus est agere, in corde et ore iugiter resonare ac etiam ipsum suppliciter exorare, ut, qui praemissa faciendi virtutem tibi tribuit, in ipsis quoque perseverandi usque in finem virtutem misericorditer largiatur. Gaude ergo, fili, in Domino, qui de tantis malis te liberavit et periculis, et gratiarum actiones non cesses agere laeteque ad nos venire festina: sciturus indubie, quod nos pium patrem et clementem reperies, praeterita in memoria non tenentem, sed te tractantem sicut carissimum filium et specialem amicum. Datum Avinione, V idus augusti, anno quartodecimo.

865. Commendat Bonifatium comitem de Donoratico et Tinucium eius baiulum atque Sciolum eorundem nuntium de iis, quae agebant in conversione Petri de Corbario.[4]

1330, augusti 9, Avinione.

Sciolo Scaciarii.

Gaudemus in Domino, qui tales dedit nobis filios, qui spretis minis et promissionibus parvipensis, quae grata Deo et expedientia ecclesiae noverint, exequuntur. Sane facta et executa plenius et promptius quam promissa fidem dilectorum filiorum nobilium virorum Facii comitis de Donoratico et Tinucii eius baiuli atque tuam ad nos et ecclesiam arguunt evidenter, super quo devotionem vestram et fidem plurimum in Domino commendantes vestram benevolentiam actionibus gratiarum prosequimur, parati realiter prosequi Domino concedente. Consolare dilectum filium Petrum de Corvario ordinis fratrum Minorum, de quo nil tibi in eius favorem diximus, quia ea abundantius, quam dixerimus, dante Domino exequamur. Datum [Avinione,] V idus augusti, anno quartodecimo.[5]

---

[1] Aliis litteris eodem die datis (incip. *Cum vobis* l. c. ep. 1044, 1049, 1050) summus pontifex istis antistibus committit, quod Petro de Corbario post absolutionem ipsi impensam pensionem 3000 flor. auri annuam de camera apostolica, quousque aliter provisum fuerit, persolvendam concedere valeant (cfr. supra not. ad n. 860) eumque, qui olim bona ecclesiarum multarum in Urbe et alibi rapiens ac bona patrimonii beati Petri dilapidare satagens provincias nonnullas haereticis et scismaticis concessione damnabiii assignavit, post errores suos recognitos et abiuratos ab excommunicationis sententiis et poenis absolutum ad statum, quo erat ante dictorum patrationem excessuum, restituant in integrum et ad famam (adiecto tamen specialiter et expresse, quod si se praesentare coram ipso summo pontifice infra certum terminum sibi praefigendum renueret vel ad pristinos errores rediret, in poenas praedictas et sententias recidat ipso facto) et sic absolutum atque unitati ecclesiae reincorporatum ab omni iurisdictione et potestate cuiuscunque ac quorumcunque, ita ut summo pontifici et sedi apostolicae tantummodo sit subiectus, eximant, non obstante quibuscunque statutis ordinis Minorum contrariis.

[2] Reg. Vat. t. 115, p. II, f. 12, ep. 1051; apud *Wadd.* l. c. Cfr. infra n. 866.

[3] *Vel potius:* Niciam (*Nizza* seu *Nice*). Petrus de Corbario die 3 aug. 1330 positus erat in portu Pisano in galea armata, quae altera die Pisis vehebatur versus Niciam, ubi die 6 augusti appulsa est.

[4] Reg. Vat. t. 115, p. II, f. 12, ep. 1052.

[5] Iste Sciolus, ut ipse summus pontifex optaverat (cfr. supra n. 860 circa finem), Petrum de Corbario iturum ad sedem apostolicam tunc Avinione existentem comitatus est. Ad ipsum Petrum nomine suo Pisis recipiendum summus pontifex magistrum Raymundum Stephani camerae suae clericum destinaverat eumque litteris 12 iulii 1330 datis non solum antistibus Pisano ac Lucano et Bonifatio comiti de Donoratico, sed etiam Paulo

866. Bertrando (de Turre ex ord. Min.) episcopo Tusculano concedit facultatem testandi. [1]

1330, augusti 13, Avinione.

Venerabili fratri Bertrando episcopo Tusculano.

Dudum ... tibi ad tuae supplicationis instantiam testandi, ordinandi et disponendi libere de omnibus bonis ad te pertinentibus per nostras certi tenoris litteras potestatem duximus concedendum. Volentes igitur te in hac parte favore prosequi ampliori, tuis supplicationibus inclinati, disponendi etiam de libris, quos habebas in ordine fratrum Minorum et a dicto ordine, cuius professor existis, antequam esses ad cardinalatum assumptus, eosque dandi et distribuendi, quibus tibi placuerit, infra tamen ordinem memoratum, certis tamen per te eligendis conventibus et personis ordinis saepedicti, necnon libros alios per te acquisitos et imposterum acquirendos tempore cardinalatus tui eodem modo dandi et distribuendi, prout tuae placuerit voluntati, ac in quocumque conventu vel loco dicti ordinis libere, prout tibi placuerit, eligendi ecclesiasticam sepulturam, necnon etiam de dicto ordine certos executores eligendi ac deputandi in tua ultima voluntate (qui una cum aliis executoribus, quos duxeris deputandos, huiusmodi testamentum seu dispositionem vel ultimam voluntatem tuam libere exequantur), decretali, quae incipit *Exivi de paradiso*, et quacunque alia contraria constitutione seu iure contrario nequaquam obstantibus, plenam et liberam tibi concedimus tenore praesentium facultatem. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, idibus augusti, anno quartodecimo. [2]

867. Robertum regem Siciliae aliosque reges et nobiles de conversione Petri de Corbario certiores reddit. [3]

1330, augusti 19, Avinione.

Regi Siciliae.

Ad gaudium regiae celsitudini nuntiamus, quod Petrus de Corbario, quem filii Belial in antipapam, ut prudentia regia novit, erexerant, cum contritione ac dolore de commissis ad nostram sponte veniens praesentiam iam diu Provinciam cum nostris gentibus est ingressus, cuius personalem adventum ad eandem praesentiam die lunae instanti ad tardius expectamus *etc.* [4] Dat. Avinione, XIV kal. septembris, anno quintodecimo. [5]

868. Mandat universis ministris aliisque officialibus ord. Min. necnon prioribus ord. Praed., ut Bonifatio comiti de Donoratico, quotiescumque petierit, assignent binos fratres. [6]

1329, augusti 30, Avinione.

Dilectis filiis universis ministris provincialibus et custodibus ordinis fratrum Minorum, ad quos praesentes litterae pervenerint.

Devotionis sinceritas, quam dilectus filius nobilis vir Bonifatius Novellus comes de Dompnoratico, civis Pisanus, ad nos et Romanam ecclesiam gerere noscitur, promeretur, ut ipsum in hiis, quae votis suis grata reddantur, praerogativa favoris apostolici prosequamur. Hinc est, quod nos eiusdem comitis supplicationibus inclinati, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus, quotiens idem comes per se vel per suas litteras vos vel aliquem vestrum duxerit requirendos vel etiam requirendum, duos fratres ordinis vestri idoneos, de quibus consoletur comes praedictus, ad eum personaliter destinetis in eius licitis et honestis servitiis per tempus, quod sibi expediens videbitur, moraturos: ita

---

abbati mon. s. Savini ord. s. Ben. Pisan. commendaverat (l. c. ep. 1040, 1046, 1048). Hic Paulus abbas olim Ludovico Bavaro et antipapae aliquamdiu adhaeserat, sed postmodum ad devotionem ecclesiae Romanae redierat (l. c. ep. 1030, 1036 et 1039). Insuper summus pontifex praedictum clericum camerae Hugoni de Lengres et Iacobo Vincentii civibus Massilien. commendat eos deprecans, ut ipsum cum illis, quos secum ducit eundo et redeundo, in suis navibus seu galeis recipientes ad locum, de quo per ipsum requisiti erunt, perducere procurent (l. c. ep. 1022). De expensis hac de re factis legimus in libr. introitus et exitus cam. apost. t. 108 f. 83: « Die 29 mensis sept. (1330). Cum Hugo de Lengres civis et patronus galearum Massiliensis missus fuisset ad civitatem Pisanam cum una galea armata pro aportando fratrem Petrum de Corvaria de ordine fratrum Minorum, qui antea dicebatur antipapa, et ibidem in Pisis dictus patronus ultra tempus quam convenerat expectasset per quinque dies, quibus dictus frater Petrus non fuit paratus, pro salario dicti patroni et gentis armatae dictae galeae quinque dierum praedictorum solvimus sibi (computatis pro die quo libet 31 1/4 flor.) 154 flor. auri et 3 turn. gross. »

[1] Reg. Vat. t. 96, ep. 3281.

[2] Litteris die 7 dec. 1331 datis summus pontifex eidem Bertrando episcopos Viterbien. et Rapollan. ac praepositum ecclesiae Avinionen. concedit conservatores iurium et bonorum ipsius (l. c. t. 101 ep. 248). Cfr. infra n. 1010.

[3] Reg. Vat. t. 115, p. II, f. 146, ep. 1849; cfr. f. 195, ep. 2037; f. 122, ep. 1712.

[4] Reliqua tangunt pacem inter Robertum regem et Aymonem comitem Sabaudiae stabiliendam.

[5] Similibus verbis summus pontifex de eodem adventu iam 15 aug. 1330 scripserat Alfonso regi Aragonum, Helionori reginae Aragonum, Ioanni patriarchae Alexandrino (et admin. eccl. Terraconen.), Petro Infanti nato cl. mem. Iacobi regis Aragonum comiti Ripacurciae, Raymundo Berengarii Infanti nato dicti regis comiti Montanearum, Hugoni de Mirabello praeposito eccl. Mimaten. et apost. sedis nuntio, Petro archiepiscopo Caesaraugust., Galcerando episcopo Vicen., Gastoni episcopo Gerunden., Petro episcopo Oscen.; die autem 20 aug. 1330 id nuntiat abbati Cistercii eiusque coabbatibus in generali capitulo celebrando in proximo Cistercii congregandis. Die autem 1 sept. 1330 Itherio de Concoreto can. Saresberien. et sedis apostol. nuntio litteras eadem de causa regi et reginae Angliae destinatas mittit ipsis praesentandas (l. c. f. 137, ep. 1784).

[6] Reg. Vatic. t. 96, ep. 3338.

quod idem comes eosdem fratres secum ducere vel ad nos mittere vel ad alia loca, quaecumque voluerit, in quibus nostra et eiusdem Romanae ecclesiae viget devotio, pro suis negotiis promovendis, eorundem statui licitis et honestis, prout expedire viderit, valeat destinare non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus contrariis ordinis vestri *etc.* Datum Avinione, III kalendas septembris, anno quartodecimo.

In e. m. *dilectis filiis universis prioribus provincialibus et conventualibus ord. Praed., ad quos praesentes litterae pervenerint.*

869. Commendat Bonifatium comitem de Donoratico, eo quod per eius operam Petrus de Corbario abiuravit suos errores. [1]

1330, augusti 31, Avinione.

Bonifatio comiti de Donoratico.

In notitiam publicam facti deduxit evidentia his diebus, illum, qui tuae nobilitati velle dedit, Petrum de Corvaria ordinis fratrum Minorum, ambulantem in tenebris, separatum ab unitate sacrosanctae ecclesiae, ad lumen veritatis reducere et unitati fidelium aggregare, ut illud perficeres, tibi misericorditer concessisse. Ecce enim, quod vir praefatus, Dei hostis et eius sponsae crudelissimus persecutor, ad Dei et ecclesiae non sine tuo ministerio misericordiam et gratiam humiliter se committens, sicut tua ordinavit prudentia, ad nostram veniendi praesentiam arripuit iter suum, qui Deo duce incolumiter Niceam applicuit VIII idus augusti et exinde, ex quo ad eum gens nostra pervenit, quam ad eum misimus, ut securius et decentius posset prosequi coeptum iter, et per loca solemnia recognoscens errores suos publice suamque poenitentiam manifestans, VIII [2] kalendas septembris Avinionem applicuit et in crastinum in consistorio publico (erroribus recognitis et revocatis, quae ut papa de facto fecerat) misericordiam postulavit humiliter et errores praedictos solemniter abiuravit: quem benigne ad gratiam nostram et ecclesiae admisimus et ut dilectum tractavimus filium et tractamus et tractare intendimus concedente Domino in futurum, prout haec dilectus filius nobilis vir Ciolus Scassiarii [3] familiaris noster, qui ut vir fidelis et prudens omnia opportuna in itinere ordinavit admodum, proinde nobilitati tuae explicabit. Gaudeat igitur, fili, cor tuum et laetetur in Domino, qui ut Dei minister catholicae ecclesiae tantae exultationis et gaudii materiam ministrasti: sciturus indubie, nos et sanctam Dei ecclesiam tibi et tuis successoribus ad ea, quae tuum ac ipsorum respicient honorem et commodum, adstrinxisse et constituisse perpetuo debitores. Quamquam enim tibi, fili, grandia faceremus, quae et faciemus [4] annuente Domino, cui in praemisso negotio fideliter servivisti, nihilominus tamen intendimus debitores tibi tuisque successoribus in perpetuum remanere: [5] nec revocamus in dubium, quin Dei pietas, dummodo in eius perseveres servitio, in retributione iustorum pro tanta tibi gratia gloriam abundantius recompenset. Ad nos autem, qui tibi pro praemissis referimus gratias, quas valemus, recursum pro te et tuis te fiducialiter habere volumus ut ad patrem, sciturus nos paratos, quantum honestas patietur et possibilitas, ad exauditionis introducere gratiam, quae duxeritis postulanda. Gratia domini nostri Iesu Christi cor tuum dirigat et in iis, quae beneplacita sunt sibi, stabiliat et protegat ab adversis. Amen. Datum Avinione, II kalendas septembris, anno quartodecimo.

870. Archiepiscopo Pisano concedit facultatem absolvendi a censuris ecclesiasticis illos fratres Minores Pisanos, qui adhaerebant Bavaro et antipapae. [6]

1330, septembris 1, Avinione.

Simoni archiepiscopo Pisano.

Licet delinquentium sit reprimenda temeritas, correctis tamen et poenitentibus est parcendum. Cum itaque nonnulli fratres ord. Min. de civitate Pisana, qui ... in locis ... ecclesiastico suppositis interdicto se scienter immiscuerunt divinis necnon Ludovicum de Bavaria diversis excommunicationis sententiis innodatum et iure, si quod sibi ex electione discordi, quae de ipso fuisse celebrata dicitur, ad regnum Romanum vel imperium competebat, ... privatum ... pro imperatore et dilectum filium Petrum de Corvario per eundem Ludovicum et nonnullos Romanos de facto ... in papam immo verius antipapam assumptum pro papa, qui nuper ... ad nostram praesentiam spontaneus veniens et contritus reiectis et abiuratis erroribus, scismatibus et haeresibus reincorporari meruit communioni fidelium et ecclesiae sanctae Dei, necnon Michaelem de Caesena olim praedicti ordinis generalem ministrum, per sedem praedictam (apostolicam) huius-

---

[1] Reg. Vat. t. 115, p. II, f. 58, ep. 1315; apud *Wadd.* l. c. ad a. 1330 n. 8.
[2] *Vel potius:* IX.
[3] *Alias:* Scaciarii *vel* Scacierii.
[4] *Non:* fecimus, *sicut exhibet Wadd.*
[5] E litteris apost. die 22 maii 1331 datis liquet, summum pontificem isti comiti eiusque proli masculinae legitime procreatae castrum Peretanum ad ecclesiam Rom. pertinens, in dioecesi Suanen. in Maritima situm, in feudum concessisse unius aurei quotannis solvendi censu imposito. Cfr. *Rayn.* Ann. eccl. ad a. 1330 n. 27.
[6] Reg. 115, p. II, f. 50, ep. 1276.

modi officio ministeriatus privatum, post privationem eandem pro ministro habuerunt scienter ac quantum potuerunt ad retinendum status dampnatos ipsorum praestiterunt eisdem auxilium, consilium et favorem (propter quae tam excommunicationis quam diversas poenas et sententias contra fautores eorundem Ludovici, Petri et Michaelis promulgatas per sedem praedictam incurrerunt, licet fratres ipsi asserant, sicut fertur, se nunquam credidisse nec credere, memoratos Ludovicum imperatorem, Petrum de Corvario papam et Michaelem de Caesena ministrum dicti ordinis, postquam fuit ab eodem officio ministeriatus privatus, esse vel fuisse, nec ab eisdem Ludovico et Petro aut eorum aliquo beneficium vel officium recepisse), nunc ad cor redeuntes, ut accepimus, eiusdem reincorporari unitati desiderent ecclesiae sibique de absolutionis beneficio ab eisdem poenis et sententiis petant humiliter per sedem provideri praedictam: nos,... volentes eisdem fratribus pietatis et salutis in hac parte ianuam aperire, fraternitati tuae ... praedictis fratribus de civitate praefata, qui absolutionis huiusmodi beneficium in tua praesentia duxerint humiliter postulandam, unitati reincorporandi ecclesiae ac ad nostram et ipsius sub forma quae sequitur gratiam admittendi (videlicet quod asserant, profiteantur et dicant, se non credere nec etiam credidisse, quod ad imperatorem institutio vel destitutio papae pertineat, immo quod hoc credere haereticum est censendum; item quod profiteantur expresse, nos esse ac fuisse a tempore promotionis nostrae ad summi pontificatus apicem verum papam s. Romanae ac universalis ecclesiae, ac fidem, quam nos et ipsa ecclesia docemus et praedicamus, et eius articulos fore catholicos et etiam orthodoxos; item, quod promittant et iurent, quod de cetero dictis Ludovico et Michaeli aut eorum alteri vel eorum seu cuiuslibet ipsorum fautoribus et sequacibus aut quibusvis aliis haereticis et scismaticis nullatenus adhaerebunt aut praestabunt ... auxilium, consilium vel favorem, et insuper, quod interdicta ecclesiastica violare de cetero non praesument; sed ea studebunt inviolabiliter observare ac parere humiliter nostris et ecclesiae beneplacitis et mandatis) et tandem hiis factis eisdem de absolutionis beneficio ab eisdem poenis et sententiis auctoritate nostra hac vice iuxta formam ecclesiae providendi et cum ipsis super irregularitate per ipsos propter praemissa contracta misericorditer dispensandi (iniuncta inde sibi pro praemissis omnibus ab ipsis commissis poenitentia, de qua saluti animarum ipsorum expedire videris, salutari, retentoque nihilominus expressius et adiecto, quod, si eos contingeret, quod absit, de cetero ad praemissa vel eorum aliqua ... vel similia redire, ipso facto in easdem poenas et sententias relabantur) plenam concedimus tenore praesentium facultatem. Ceterum nostrae intentionis nequaquam existit, quod absolutio et dispensatio huiusmodi ulli, qui ab eisdem Ludovico et Petro vel eorum altero administrationem, officium vel beneficium receperit aut pro eis gesserit, possit quomodolibet suffragari. Praeterea volumus, quod super eisdem absolutione ac dispensatione fieri facias publica instrumenta seriem continentia praesentium, illa nobis fideliter transmissurus. Dat. [Avinione,] kalendis septembris, anno quartodecimo. [1]

871. Declarat, sibi gratam existere veritatem repertam super innocentia fr. Ioannis de Mantua ord. Min., inquisitoris haer. prav. [2]

1330, septembris 1, Avinione.

Bertrando episcopo Ostiensi, apostolicae sedis legato.

Gratum existit nobis admodum et acceptum, quod reperta veritate super innocentia dilecti filii Iohannis de Mantua ordinis fratrum Minorum, inquisitoris haereticae pravitatis in eis partibus auctoritate apostolica deputati, subticere litteras nostras, quas informati de contrario tibi contra ipsum transmisimus, curavisti. Quare volumus, quod eum circa sui executionem officii prosequaris favorabiliter et litteras praedictas nobis fideliter et secrete remittere non postponas. Datum [Avinione,] kalendis septembris, anno quartodecimo.

872. Archiepiscopum Pisanum certiorem reddit de abiuratione errorum a Petro de Corbario Niciae et Avinione facta. [3]

1330, septembris 2, Avinione.

Symoni archiepiscopo Pisano.

Fraternitatis tuae volumus prudentiam non latere, quod labor, quem adhibere circa factum Petri de Corbario curavit tua fraternitas, inanis non extitit, sed potius fructuosus; nam idem Petrus ad nostram sponte veniens praesentiam, cum primo Niciam applicuit, errores suos sceleraque scismatica et alia crimina per ipsum commissa praedicavit publice et ea detestando plurimum abiuravit; et idem fecit in aliis locis solemnibus Provinciae, per quae transivit ad eandem praesentiam veniendo. Cum autem fuit Avinione coram nobis et fratribus nostris in consistorio publico, praesente multitu-

[1] Die 5 dec. 1330 summus pontifex Petrum Petri monachum mon. s. Petri Discalceatorum prope Pisas absolvit a censuris, quas adhaerendo olim Bavaro et antipapae contraxerat (l. c. t. 98, ep. 334 cfr. 335, et t. 116, f. 100, ep. 499 cfr. 500). In registro Ioannis XXII inveniuntur quamplures aliae huiusmodi absolutiones, quas tamen singulas annotare longum est.

[2] Reg. Vat. t. 115, p. 2, f. 43, ep. 1232; cfr. supra n. 836.

[3] Reg. Vat. t. 115, p. 2, f. 57, ep. 2310.

dine copiosa fidelium, praetendendo ingentem cordis amaritudinem, idem fecit nostram et apostolicae sedis veniam et misericordiam humiliter implorando. Nos vero ipsum benigne recepimus et intendimus favorabiliter tamquam devotum filium pertractare. Datum [Avinione,] IV nonis septembris, anno quartodecimo.

873. Scribit regi Franciae, Petrum de Corbario abiuratis erroribus et haeresibus ad gratiam sedis apostolicae receptum esse. [1]

1330, septembris 7 (?), Avinione.

Regi Franciae.

Scimus, fili carissime, quod scisma illud, quod isto tempore ille, qui primus in coelo inventor fuit scismatis, cum illis nequam hominibus, qui ex parte illius sunt, procuravit, turbatione et amaritudine regium cor replevit. Sane quia iustum est, ut, qui passionum fuerunt socii, non sint a consolatione et gaudio alieni, ad gaudium excellentiae regiae nuntiamus, quod Petrus de Corvaria, qui caput schismatis fuerat, in festo b. Iacobi Pisis in nostrorum nunciorum et aliorum tam praelatorum quam clericorum (saecularium et regularium) necnon et multorum nobilium et popularium civitatis eiusdem praesentia constitutus, cum cordis amaritudine, sicut intelleximus, erroribus suis recognitis et etiam abiuratis ac beneficio absolutionis et redintegrationis a praefatis nostris nunciis humiliter postulatis, absolutus extitit et reincorporatus unitati ecclesiae (prius tamen, quod nostris parere mandatis debeat, corporale praestito iuramento). Qui sponte die IV augusti una cum nostro nuncio et certis personis nobilibus intravit mare, illoque « gressus illorum dirigente, qui novit, et iter prosperum faciente, qui potest », die VI mensis eiusdem Niciam incolumes pervenerunt ubi errores suos recognovit similiter publice et etiam abiuravit: similia faciens in locis solemnibus usque Avinionem. Qui prosequens iter suum die XXIV ipsius mensis Avinionem intravit: et in crastinum in consistorio publico, proposito themate primo: *Pater peccavi in coelum et coram te; iam non sum dignus vocari filius tuus;* et eo prosecuto, errores suos recognovit cum cordis amaritudine, prout signa exteriora indicabant, illisque abiuratis, et quod nostris super praedictis staret mandatis, corporali praestito iuramento, humiliter petiit, se ad nostram et ecclesiae restitui gratiam, qua suis nefandis excessibus merito se indignum reddiderat, et unitatem ecclesiae, a qua similiter se fecerat alienum. Nos autem, qui vicem eius in terris licet insufficienter gerimus, cui proprium est misereri, ut commissae vicis exequeremur officium, eum pie et benigne ad ecclesiae et nostram recepimus gratiam et restituimus ecclesiae unitati, prout in aliis patentibus litteris nostris [2] continetur plenius, quas in diversis aliis partibus destinamus, quarumque copiam dilectus filius [3] mag. H. de Engolisma archidiaconus Cantuariensis serenitati regiae exhibebit. Datum .. [4]

In eundem modum regibus infrascriptis (abiecta illa clausula: « prout in aliis etc. »): *regi Siciliae, regi Aragoniae, regi Castellae, regi Portugalliae, regi Ungariae, regi Poloniae, regi Maioricarum.*

874. Inquisitorem haer. prav. iubet restituere procuratori ord. Min. habitum, quo Bartholomaeus Brugniere olim ord. Min., postmodum autem de haeresi convictus et expulsus ad ordine, erat indutus. [5]

1330, septembris 16, Avinione.

Inquisitori haereticae pravitatis in partibus Carcassonensibus auctoritate apostolica deputato.

Exposuit nobis dilectus filius Raymundus Deladotz [6] ordinis fratrum Minorum eiusdem ordinis procurator, quod, licet Bartholom. Brugniere olim praedicti ordinis iamdudum suis culpis et delictis exigentibus per dilectum filium Geraldum Ottonis ipsius ordinis generalem ministrum ab eodem ordine fuerit per sententiam diffinitivam expulsus, tamen ipsum ratione criminis haeresis, de qua se respersum reddidit et convictum, cum habitu dictorum fratrum detines tuis carceribus mancipatum. Sane, quia in opprobrium redundaret fratrum et ordinis praedictorum, si dictus Bartholomaeus sic expulsus extitit ab eorum ordine, ipsorum habitum in carceribus gestaret praedictis, discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatinus habitum eiusdem Bartholomaei praefato procuratori vel dilecto filio .. gardiano fratrum eiusdem ordinis Carcassonen. studeas quantocius assignare. Datum Avinione, XVI kalendas octobris, anno quintodecimo.

---

[1] Reg. Vat. t. 116, f. 223, ep. 98; cfr. *Rayn.* Ann. eccl. ad a. 1330 n. 26 et infra n. 875.

[2] Quae nonnisi illud instrumentum publicum esse videntur, quod de confessione Petri de Corbario (Avinione die 25 aug. 1330 inchoata et die 6 sept. finita) confectum in arch. Vat. arm. XXXIV, 2, f. 3, et apud *Rayn.* Ann. eccl. ad a. 1330 n. 11-24 exhibetur.

[3] *In registro*: Dilecto filio *etc.*

[4] In registro non est expressum; sed proxime praecedit altera littera ad regem Franciae, quae data est « VII idus septembris, anno quintodecimo ».

[5] Reg. Vat. t. 116, f. 1, ep. 1; cfr. supra n. 785.

[6] *Sive:* de Lados.

875. Episcopo, capitulo, universitati Parisien. annuntiat, Petrum de Corbario suas haereses abiurasse. [1]

1330, septembris 19, Avinione.

Hugoni episcopo Parisiensi.

Ad gaudium fraternitati tuae dilectisque filiis .. ecclesiae Parisiensis capitulo et universitati Parisiensis studii per nostras patentes litteras [2] nunciamus, quid Petrus de Corbario ordinis fratrum Minorum ad nostram nuper sponte praesentiam veniens, veluti illuminatus ab illo, qui omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat, super sua conversione ac recognitione et abiuratione haeresum, errorum et scismatum suorum egerit quidque nos misericorditer fecerimus erga eum, fraternitatem tuam in Domino attentius exhortantes, quatinus litteras ipsas cum gaudio spirituali suscipiens reverenter praedictis capitulo et universitati aliisque partium earum fidelibus contenta in ipsis litteris communicare ac ad Dei publicare gloriam studeas, sicut circumspectioni tuae videbitur expedire, [et] sic solertem diligentiam, sic sedulam operam adhibeas in hac parte, quod apud Deum et sedem apostolicam tuae devotionis crescat meritum ac tuum augeatur laudis et gloriae praemium non indigne, rescripturus nobis fideliter, quicquid agi per te contigerit in praemissis. Datum [Avinione,] XIII kal. octobris, anno quintodecimo. [3]

876. Ioannem regem Bohemiae certiorem reddit, in litteris ad ipsum die 22 iulii 1330 directis per errorem insertum esse, quod Bavarus per Petrum de Corbario dudum antipapam fuerat coronatus in imperatorem et inunctus, cum id fecerit Iacobus dudum episcopus Castellanus. [4]

1330, septembris 26, Avinione.

Ioanni regi Boemiae.

In responsione, quam tibi *etc.* Datum [Avinione,] VI kalendas octobris, anno quintodecimo. [5]

In e. m. *[Balduino] archiepiscopo Treveren.*

In e. m. *[Ottoni] duci Austriae.*

877. Ministro provinciali fratrum ordinis Minorum Alamanniae superioris dat potestatem transferendi custodibus provinciae sibi commissae licentiam absolutionis fratribus dicti ordinis, qui Ludovico de Bavaria et Petro de Corbario antipapae ac Michaeli de Caesena, olim praedicti ordinis generali ministro, favebant, impendendae. [6]

1330, septembris 26, Avinione.

.. [7] *Ministro provinciali fratrum ord. Min. in Alemanniae superioris provincia constituto.*

Dudum pro parte dilectorum filiorum generalis et provincialium ministrorum ordinis fratrum Minorum petitio coram nobis proposita continebat, quod nonnulli fratres dicti ordinis, qui olim ... in locis per sedem apostolicam vel eius auctoritate suppositis ecclesiastico interdicto scienter immiscuerunt temere se divinis necnon Ludovicum de Bavaria ... pro imperatore et Petrum de Corbario ... pro papa et Michaelem de Caesena ... officio ministeriatus ... privatum pro ministro [generali] habuerunt eisque tamquam imperatori, papae et ministro in sermonibus suis et aliis faverunt et ad retinendum status dampnatos huiusmodi praestiterant, quantum in eis fuerat possibile, licet contra fautores eorum excommunicationis et alias diversas sententias promulgatas et etiam publicatas fuisse minime ignorarent, auxilium, consilium et favorem. Demum rationis apertis oculis, quos excessive ipsorum detestanda temeritas excaecarat, asserentes, se numquam credidisse sicut nec debuerunt credere, Ludovicum imperatorem, Petrum papam et Michaelem praedictos ministrum, postquam idem

---

[1] Reg. Vat. t. 116, f. 23, ep. 90; *Chart. Univ. Paris.* t. II, n. 907.

[2] Cfr. sup. n. 873 not. 2 (p. 479 n. 2).

[3] Istas litteras misit summus pontifex Geraldo cantori Parisien., cui eodem die mandavit, ut ipsas episcopo Parisien. praesentaret (l. c. ep. 91); die autem 30 nov. 1330 episcopum Parisien. et die 19 febr. 1331 G. cantorem eccl. Parisien. de publicatione litterarum apost. super conversione Petri de Corbario ipsis missarum laude afficit. Cfr. infra not. ad n. 884 et Reg. Vat. t. 116, f. 27, ep. 123.

[4] Reg. Vat. t. 116, f. 75, ep. 338; cfr. *Rayn.* Ann. eccl. ad a. 1330 n. 27.

[5] In litteris, quas summus pontifex die 22 iulii 1330 regi Boemiae super facto Bavari miserat (cfr. *Rayn.* l. c. n. 29), revera legimus: « Quibus non obstantibus, ut ad ea, quae requirit imperialis dignitas, videlicet inunctionem, consecrationem et coronationem, posset saltem pervenire de facto, cum de iure non posset, Petrum de Corbario in Christi opprobrium, subversionem catholicae fidei et iniuriam totius coetus catholici in antipapam assumere non expavit. In quo quidem facto confessus est ipso facto illam damnatam haeresim, quam incurrerat antea, scilicet quod ad imperatorem pertineat papam ordinare. A quo quidem Petro se pati inungi seu foedari potius non erubuit ac etiam coronari ». In iisdem litteris « Bavarus » insuper arguitur hoc modo: « Tenet enim in suo consortio Iacobum episcopum Castellanum episcopatu Castellano privatum; item Michaelem de Caesena olim ordinis fratrum Minorum generalem ministrum, qui suis exigentibus demeritis est pronuntiatus haereticus et de haeresi condemnatus; Guilelmum quoque Okam Anglicum ordinis fratrum Minorum haeresiarcham, qui haereses varias dogmatizabat publice et scripta fecerat haeresibus et erroribus plena: propter quae fuerat vocatus ad curiam eiusque scripta fuerant pluribus doctoribus assignata (ut ea deberent examinare cum diligentia et quae invenirent haeretica seu erronea declarare, qui iam multos articulos declaraverunt haereticales), qui quidem male sibi conscius fugae praesidio se confidens vitare voluit canonicam ultionem; Bonamgratiam insuper de Bergamo ordinis fratrum Minorum, qui suis demeritis exigentibus in curia fuerat arrestatus et iuramento praestito, quod de curia non recederet absque licentia sedis apostolicae, obligatus, qui male similiter sibi conscius de curia ad ipsum Bavarum et Petrum de Corbario una cum Michaele et Guillelmo praedictis gressus suos infelices dirigere procuravit; Marsilium quoque de Padua condemnatum de haeresi in familiaritate detinere praesumpsit. Talibus est stipatus consiliariis, talium consilio, ne dicamus dolo, decipitur et gubernatur ».

[6] Reg. 116, f. 62, ep. 310.

[7] Rodulfo; cfr. infra n. 953.

Michael fuit depositus, ut praefertur, fuisse, nec ab eis vel eorum aliquo administrationem, officium vel beneficium recepisse nec etiam credere seu credidisse, quod ad imperatorem institutio vel destitutio papae pertineat, quinimmo quod hoc credere haereticum est censendum, quodque nos tamquam verus papa et Christi vicarius sacrosanctae Romanae ac universali ecclesiae praesidemus et canonice a tempore nostrae promotionis ad apicem dignitatis apostolicae praefuimus, necnon articulos, quod nos et ecclesia ipsa docemus et praedicamus, esse catholicos potius profitentes, ad gratiam sanctae matris ecclesiae cupiebant redire, nostrum et eiusdem ecclesiae misericordiam humiliter et lacrimabiliter implorando. Quare nobis humiliter supplicarunt, ut eis aperire pietatis et misericordiae ianuam super his dignaremur.

Nos autem huiusmodi supplicationibus benignius inclinati, eisdem ministris eorumque vicariis per alias nostras certi tenoris litteras dedisse meminimus facultatem, ut idem generalis quibuscumque, alii vero provinciales ministri eorumque vicarii fratribus de suis provinciis ordinis memorati, qui praemissa vel aliqua de praedictis committendo excommunicationis incurrerunt sententias et essent irregularitatis macula propter hoc irretiti, quique suis culpis, delictis et excessibus huiusmodi cum contritione cordis recognitis coram eis et hiis, quae de fide catholica et devotione s. Romanae ecclesiae superius continentur, professis peterent humiliter ab eisdem sententiis sibi beneficium absolutionis impendi, recepto prius ab ipsis et eorum quolibet de stando et parendo nostris et ecclesiae beneplacitis et mandatis corporaliter iuramento, absolutionis beneficium a praedictis sententiis impertiri et de dispensationis gratia super irregularitate propter praedicta vel aliquod praedictorum contracta misericorditer providere, poenitentia salutari et aliis eisdem iniunctis nihilominus, quae viderent expedire saluti animarum ipsorum, sub hac forma valerent, videlicet quod deinceps dictis Ludovico, Petro et Michaeli vel eorum alicui aut alii vel aliis eorum fautoribus et sequacibus seu quibusvis aliis haereticis nullatenus adhaererent seu praestarent... auxilium, consilium vel favorem quodque interdicta ecclesiastica violare non praesumerent, sed ea potius observare inviolabiliter ac parere curarent humiliter in omnibus nostris et eiusdem ecclesiae beneplacitis et mandatis: adiecto tamen specialiter et expresse, quod, si eos ad praedicta per eos commissa vel similia seu eorum aliqua redire contingeret imposterum committenda, relaberentur in easdem poenas et sententias ipso facto, et insuper, quod absolutiones et dispensationes nulli, qui a praedictis L. et Petro vel eorum altero administrationem, officium vel beneficium recepissent seu gessissent pro ipsis, possent quomodolibet suffragari.

Sane quia tu, sicut fidedigna relatione percepimus, ad loca decretae tibi provinciae, de quibus esset propter praemissa expediens, nequis personaliter accedere, certis causis et occupationibus praepeditus, nos providere volentes, ne salus animarum illorum, qui a deviis resilire praedictis et ad viam salutis gressus suos voluerunt reducere, propter hoc differatur, committendi dilectis filiis custodibus fratrum eiusdem ordinis tuae provinciae, quotiens expedire cognoveris, vices tuas, ut fratribus praedicti ordinis memoratae provinciae propter causas praemissas praedictis innodatis sententiis et irregularitatibus irretitis sub modis, formis et conditionibus expressis superius (hoc dumtaxat excepto, quod communitates deinceps dicto Petro de Corbario, qui nuper ... incorporari promeruit communioni fidelium, [adhaerentes] poenas de cetero, quamdiu idem Petrus in devotione perseveraverit, non incurrunt) praedictis providere de absolutionis beneficio et dispensationis gratia (quilibet ipsorum scilicet in decretis sibi custodiis) valeant, plenam tibi concedimus auctoritate praesentium facultatem: non intendentes propter hoc potestati eisdem generali et provincialibus dicti ordinis ministris et vicariis eorum per nos ut praemittitur super praedictis concessae in aliquo derogare *etc.* Volumus autem, quod super singulis absolutionibus et dispensationibus huiusmodi aliisque praedictis confici publica instrumenta, quae nobis postmodum per illum vel illos, qui ad praemissa processerint, fideliter transmittantur. Datum Avinione, VI kal. octobris, anno quintodecimo.

878. Guilelmo comiti Iuliacen. *(Jülich)* concedit facultatem bis singulis annis cum quinque viris probis, qui maturae aetatis existunt, monasteria Clarissarum Colonien. [dioec.] ingrediendi. [1]

1330, septembris 29, Avinione.

Dilecto filio nobili viro Wilhelmo comiti Iuliacen.

Ex sinceritate tuae devotionis, quam ad nos et Romanam geris ecclesiam *etc.* Datum Avinione, III kal. octobris, anno quintodecimo.

879. Episcopo Lucano concedit facultatem absolvendi a censuris ecclesiasticis illos Lucanos extrinsecos, qui dudum

[1] Reg. Vat. t. 98, f. 415, ep. 988.

Ludovico de Bavaria et Petro de Corvario, tum adhuc in tenebris ambulanti et papatus quin verius antipapatus dignitate et nomine erronee ac temerarie fungenti, ac damn. mem. Castrucio de Interminellis de Luca adhaerentes ad unionem et devotionem ecclesiae Romanae redire desiderant. [1]

1330, octobris 8, Avinione.

Guilelmo episcopo Lucan.

Cum, sicut accepimus, nonnulli ex Lucanis extrinsecis *etc.* Dat. Avinione, VIII idus octobris, anno quintodecimo. [2]

880. Praeficit Alemannum de Donatis de Florentia Minoritam ecclesiae Suanen. in episcopum. [3]

1330, octobris 22, Avinione.

Dilecto filio Alamanno de Donatis de Florentia electo Suanen.

Licet continuata supervenientium negotiorum instantia *etc.* Dudum siquidem ex certis rationabilibus causis provisionem omnium ecclesiarum cathedralium... reservavimus *etc.* Et deinde certis causis et considerationibus moti pariter et inducti reservationem et decretum ac beneplacitum supradictum usque ad duos annos a kalendis ianuarii proxime praeteriti tunc instantibus dumtaxat voluimus perdurare, nisi illa rationibus aliis forsan inducti provideremus in tempus amplius prorogganda. Interim vero ecclesia Suanen. [4] dictae Romanae ecclesiae immediate subiecta, quae in terra ad nos et dictam ecclesiam Romanam spectante consistit, per obitum bon. mem. Transmundi episcopi Suanen., qui in illis partibus diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, nos vacatione huiusmodi ipsius ecclesiae fide dignis relatibus intellecta de ipsius ordinatione, ne dispendia prolixae vacationis incurreret, paterna sollicitudine cogitantes, cum nullus praeter nos hac vice de provisione ipsius ecclesiae Suanen. se intromittere possit, reservatione et decreto ac beneplacito obsistentibus supradictis: post deliberationem, quam de praeficiendo ipsi ecclesiae personam utilem ac etiam fructuosam habuimus cum fratribus nostris diligentem, demum in te ordinis fratrum Minorum professorem et in sacerdotio constitutum, cui de religionis zelo, vitae munditia, litterarum scientia, honestate morum et aliarum multiplicium virtutum meritis laudabilia testimonia perhibentur, direximus aciem nostrae mentis. Quibus omnibus debita meditatione pensatis de persona tua ipsi Suanen. ecclesiae de ipsorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus teque illi in episcopum praeficimus et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesiae Suanen. tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo *etc.* Datum Avinione, XI kalendas novembris, anno quintodecimo. [5]

881. Episcopum Portugalen. procedere iubet contra illos fratres Minores, qui praedicationi, in qua recitanda erat conversio Petri de Corbario, interesse noluerunt. [6]

1330, novembris 5, Avinione.

Venerabili fratri episcopo Portugalensi.

Pro consideratione personarum ac locorum et ipsorum excessus delinquentium augmentatione, et quanto personae, quae delinquunt, notabiliores existunt quantoque magis excedunt in publico, tanto in eas prodire debet severior praesidentis et corrigentis officio severitas disciplinae. Sane non sine admiratione quinimmo mentis turbatione percepimus, quod, cum in civitate Portugalensi de nova conversione, recognitione, reprobatione, abiuratione, anathematizatione factis per dilectum filium Petrum de Corbario ordinis fratrum Minorum olim haeresiarcham et scismaticum super suis erroribus et haeresibus, in quos dudum miserabiliter fuit prolapsus, ad reddendum Deo gratias per dilectos filios clericos et religiosos omnes et populum Portugalensem fieret solempnis letania et devota processio ad eiusdem civitatis ecclesiam cathedralem ibique super his solempniter proponi deberet coram clero et populo verbum Dei, priusquam praedicaturus praedicationem inciperet, in qua conversio, recognitio, revocatio, abiuratio et anathematizatio praedictorum haeresum et errorum debebant in publico declarari, habitis quibusdam verbis contumeliosis inter quemdam Praedicatorum et quendam Minorum ordinum fratres, demum omnes fratres eiusdem ordinis Minorum, qui in processione fuerant praelibata (licet, ut praedicationi interessent eidem, ex parte tua requisiti fuissent), nihilominus ipsam ecclesiam exiverunt, quod a clero et populo cum gravi scandalo fuit ad contemptum et ignominiam sedis apostolicae et tui etiam reputatum. Volentes igitur praemissae temeritatis excessus, si veritate nitantur, correptionis debitae non effugere disciplinam, fraternitati tuae per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus per te vel alium

---

[1] Reg. Vat. t. 116, f. 99, ep. 495.

[2] Aliis litteris die 12 nov. 1330 datis summus pontifex eundem episcopum increpat, quod fines facultatis sibi commissae excedens etiam illos absolvit, qui a Petro de Corbario beneficia vel officia aliqua receperunt, eumque hasce absolutiones revocare iubet (l. c. ep. 496).

[3] Reg. Vat. t. 98, ep. 426, apud *Wadd.* l. c. (reg. Io. XXII) n. 120.

[4] *Soana*, prope Senas.

[5] In e. m. capitulo et vassallis ecclesiae Suanen. necnon clero ac populo civ. et dioec. Suanen.

[6] Reg. Vat. t. 100, ep. 403. Cfr. infra n. 893.

seu alios (simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii) inquiras seu inquiri facias de praemissis diligenter veritatem et eos, quos super hiis inveneris fuisse culpabiles, auctoritate nostra punias iuxta demerita eorundem, prout videris expedire. Volumus etiam, quod de cetero fratres dictorum ordinum, qui pro tempore praesentes fuerint in civitate praedicta, compellere valeas ad veniendum ad processiones, praedicationes et convocationes alias, quas tu vel vicarius tuus ad laudem Dei mandaveritis faciendas, et ad id eos et alios contradictores quolisbet et rebelles censura ecclesiastica et poenis aliis, prout expedire cognoveris, compellendo: non obstantibus quibuscumque privilegiis et indulgentiis generalibus vel specialibus, quorumcunque tenorum existant, eisdem fratribus vel ipsorum ordinibus ab apostolica sede concessis, per quae praesentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus praesentium impediri valeat quomodolibet vel differri et de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Datum Avinione, nonis novembris, anno quintodecimo.

882. Assignationem et incorporationem loci fratrum Min. de Prestona dioec. Lichefelden. ad custodiam Wigornien. prov. Angliae confirmari iubet. [1]

1330, novembris 7, Avinione.

Dilectis filiis abbati monasterii Leicestriae Lincolnien. dioecesis ac priori Wigornien. ac Guillelmo de Melburno canonico Lichefelden. ecclesiarum.

Exhibita nobis dilecti filii nobilis viri Henrici Lancastriae et Leicestriae comitis ac senescalli Angliae petitio continebat, quod olim quondam Edmundus Lancastriae et Leicestriae comes, natus clarae memoriae Eduardi regis Angliae, pater suus, cupiens terrena in coelestia et transitoria in aeterna felici commercio commutare, locum fratrum ordinis Minorum de Prestona Lichefelden. dioecesis in comitatu suo Lancastriae consistentem suis propriis fundavit sumptibus pariter et construxit dictumque locum a primaria fundatione ipsius fecit custodiae fratrum dicti ordinis Wigornien. per praelatos eiusdem ordinis assignari. Quare praefatus Henricus comes nobis humiliter supplicavit, ut votum et factum dicti patris acceptare et incorporationem dicti loci eidem Wigornien. custodiae dictorum fratrum confirmare de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque, piis votis eiusdem Edmundi in hac parte benignius annuentes ipsiusque Henrici supplicationibus inclinati, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios, si est ita, quod per eundem Edmundum et praelatos eosdem super praemissis factum est, auctoritate nostra confirmare curetis, ita quod ex tunc locus praedictus sit de Wigornien. custodia praelibata nec praelatis seu fratribus eiusdem ordinis liceat eandem incorporationem infringere nec etiam infirmare: contradictores per censuram ecclesiasticam compescendo, non obstantibus *etc.* Datum Avinione, VII idus novembris, anno quintodecimo.

883. Bonifatio comiti Novello de Donoratico, qui Petrum de Corbario post publicationem processuum contra eum habitorum (ea tamen intentione, ut ipsum Petrum papae et ecclesiae posset assignare liberius) aliquibus temporibus receptasse ac tenuisse dicebatur et propter hoc (eius intentione non attenta) poenas et sententias excommunicationis forsan incurrit, ad cautelam relaxat praedictas sententias eumque ad famam, honorem *etc.* restituit in integrum. [2]

1330, novembris 22, Avinione.

Dilecto filio nobili viro Bonifatio comiti Novello de Donoratico.

Praeclara tuae devotionis merita *etc.* Datum Avinione, X kal. decembris, anno quintodecimo.

884. Conradum Minoritam prov. Alamanniae de haeresi condemnatum signis verae poenitentiae praeviis suo ordini restitui iubet. [3]

1330, novembris 23, Avinione.

Episcopo Parisiensi et inquisitori haereticae pravitatis in regno Franciae auctoritate apostolica deputato.

Pridem intelleximus, quod vos contra Conradum de provincia Alamanniae ordinis fratrum Minorum, qui diabolico exagitatus spiritu in diversas praesertim dampnatas per constitutiones nostras haereses inciderat, in eis diutius pertinaciter persistendo, secundum sanctiones canonicas et privilegia officio inquisitionis haereticae pravitatis concessa exigente iustitia provide procedentes eundem Conradum tandem coram vobis haereses supradictas confessum ad perpetuum carcerem, ut ibidem commissa defleret et ea ulterius non committeret, sententialiter condempnastis, certis sibi poenitentiis aliis impositis vobisque ac vestris in officio praedicto successoribus commutandi seu mitigandi poenitentias sive poenas huiusmodi vel ipsum ab eis absolvendi penitus nichilominus potestate retenta. Nos autem illius, cuius vices in terris licet insufficientibus meritis gerimus cuique proprium est misereri semper et parcere, quantum

[1] Reg. Vat. t. 99, ep. 1517, apud *Wadd.* l. c. n. 121.
[2] Reg. 116, f. 100, ep 498; cfr. supra nn. 843, 844, 854.
[3] Reg. Vat. t. 116, f. 4, ep. 17; cfr. supra n. 857 et infra n. 885.

possumus inhaerendo vestigiis, volentes agere in hac parte misericorditer cum eodem, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatinus, si dictus Conradus signa verae correctionis et poenitentiae manifeste praetenderit et praetendat, ipsum suo assignetis ordini, prius tamen ei poenitentia, de qua discretioni vestrae videbitur, imposita et iniuncta: inde facientes instrumentum confici publicum praesentium seriem continens, illud nobis postmodum fideliter transmissuri. Quod si te, fili inquisitor, abesse forsan contigeret, volumus, frater episcope, quod tu praemissa solus exequi valeas et complere. Datum [Avinione,] IX kalendas decembris, anno quintodecimo.[1]

885. Scribit Ioannae reginae Franciae, se ad ipsius instantiam eundem Conradum e carcere liberatum suo ordini restitui iussisse.[2]

1330, novembris 24, Avinione.

Iohannae reginae Franciae.

Litteras regias super sententia lata per venerabilem fratrem nostrum Parisien. episcopum et dilectum filium .. inquisitorem haereticae pravitatis illarum partium contra Corradum ordinis fratrum Minorum accepimus et in eis contenta intelleximus diligenter. Profecto, filia carissima, si excellentiae regiae fuisset negotii exposita veritas, nec dicti fratris facinus reputares modicum nec gravem praefatam sententiam iudicares. Considera, filia carissima, si tibi frater ille falso crimen imposuisset haeresis et in hoc pertinaciter diebus pluribus perduraret; si tandem inductus a suis fratribus et aliis viris prudentibus veritatem agnoscens recognosceret se errasse etiamque falso crimen imposuisse praedictum: si crimen istud leve aut modicum, et si per iudicem extitisset condempnatus ad carcerem, si gravem sententiam huiusmodi reputares? Sine dubio credimus, quod nec crimen leve sed grave, nec gravem sed multum levem sententiam huiusmodi ex[is]timares; quare multo minus praedictum facinus, quod ipsum fratrem convincebat haereticum, non leve sed grave iudicari debet merito, cum inter gravissima numeretur, nec gravis sententia immo mitis admodum est censenda. Nec, quod de antipapa proponitur, iuvat istum. Antipapa quidem non coactus sed liber errorem suum recognovit et per suas litteras a nobis humiliter veniam postulavit, offerens se paratum per loca omnia, de quibus nobis videretur expediens, confiteri sua scelera, et quae contra nos fecerat vel dixerat, revocare. Iste autem e contra spontaneus se nostris constitutionibus opposuit, asserens catholica, quae dictae constitutiones iudicabant haeretica, et econtra; et captus propterea in haeresi huiusmodi multo tempore pertinaciter perduravit. Sane, filia dilectissima, quia (illius, cuius in terris licet indigni vices gerimus, quantum ipse nobis clementer tribuit, imitantes exemplum) mortem ipsius Corradi nolumus, sed ut vere convertatur et vivat: ecce quod pro Dei honore regiaeque interventionis obtentu dictis episcopo et inquisitori per nostras damus litteras in mandatis, ut dictum Corradum, si signa vera in eo poenitentiae percipiant, a carcere liberent suoque ordini illum restituant, eidem imposita poenitentia, de qua ipsis visum fuerit expedire. Datum [Avinione,] VIII kalendas decembris, anno quintodecimo.

886. Monaldo (ex ord. Min.) episcopo Melfiensi scribit, se Mansuetum Minoritam, qui schisma intrusit in ecclesia Aretina, quando venerit ad ipsius (papae) praesentiam poenitentiam acturus, benigne recepturum esse.[3]

1330, novembris 24, Avinione.

Monaldo episcopo Melfiensi.

Fraternitatis tuae literarum, quas benigne recepimus, lectione percepto, quod Mansuetus de ordine fratrum Minorum, qui se scismatice in ecclesia Aretina non sine multa temeritate intrusit, ad devotionem nostram et unitatem sanctae matris ecclesiae, relicto penitus erroris cuiuslibet devio, redire desiderans nostram et ipsius ecclesiae intendit misericordiam humiliter implorare, tuam volumus prudentiam non latere, quod, cum illius, cuius vices in terris licet insufficientibus meritis gerimus, inhaerere vestigiis cupientes tam ipsius Mansueti quam aliorum peccatorum conversionem intensis optemus desideriis et salutem, eundem Mansuetum, si contritus ad nostram se contulerit praesentiam, benigne recipere ipsumque, si eius vera fuerit conversio, pietate paterna prosequi proponimus favorabiliter et tractare. Datum [Avinione,] VIII kalendas decembris, anno quintodecimo.

---

[1] Aliis litteris eodem die datis summus pontifex episcopo Parisiensi haec scribit: « Quae circa publicationem litterarum uostrarum super conversione dilecti filii Petri de Corvario ord. fr. Min. tibi directarum velut zelator honoris sanctae Dei ecclesiae fideique catholicae solemniter egeris, audivimus noviter, super quibus Deo utique et sedi apostolicae gratis et acceptis admodum tuam providentiam multipliciter commendamus. — Super mitigatione autem poenarum et poenitentiarum contentarum in sententia per te et dilectum filium inquisitorem haer. prav. in regno Franciae auctoritate apostolica deputatum contra Conradum de provincia Alamanniae dicti ordinis promulgata litteras nostras alias patentes tibi et eidem inquisitori dirigimus, sicut in eis tua circumspectio plenius poterit intueri. Ad quarum executionem te praefatumque inquisitorem, si praesens fuerit, alias te solum procedere volumus iuxta continentiam earundem. Datum IX kal. decembris, anno quintodecimo ».

[2] Reg. Vat. t. 116, f. 25, ep. 103; cfr. supra n. 884.

[3] Reg. Vat. t. 110, f. 93, ep. 455.

887. Margaritam filiam Girardi de Vargiate in monasterio s. Apollinaris Mediolan. ord. s. Clarae recipi iubet. [1]

1330, novembris 25, Avinione.

Dilectis filiis magistro Manueli de Flisco archidiacono de Nothincham in ecclesia Eboracensi, notario nostro, ac .. s. Simpliciani et .. s. Dyonisii Mediolanen. monasteriorum abbatibus.

Prudentum virginum votis, quae spreto mortalis viri thoro ei, qui speciosus est prae filiis hominum, desponsari desiderant, debemus et volumus favorabiles inveniri. Cum itaque dilecta in Christo filia Margarita nata dilecti filii Girardi de Vargiate de Mediolano domicelli, puella litterata Mediolanensis, cupiat, sicut accepimus, in monasterio monialium s. Apollinaris Mediolanen. ordinis s. Clarae una cum dilectis in Christo filiabus .. abbatissa et conventu eiusdem monasterii sub regulari habitu virtutum Domino famulari, nos, volentes ipsam in huiusmodi laudabili proposito confovere, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios ipsam Margaritam, si sit idonea et aliud canonicum non obsistat, auctoritate nostra in dicto monasterio recipi faciatis in monacham et sororem sibique iuxta ipsius monasterii consuetudinem regularem habitum exhiberi ac ei de communibus eiusdem monasterii proventibus sicut uni ex aliis dicti monasterii monialibus integre provideri ipsamque sincera ibidem in Domino caritate tractari: non obstantibus *etc.*, contradictores *etc.* Datum Avinione, VII kalendas decembris, anno quintodecimo.

888. Dispensat cum Guilelmo de Graniaco (*Gragnano?*) monacho ecclesiae Casinen. ord. s. Ben., ita ut non obstante, quod fuerit olim ordinem fr. Min. professus, ad dignitates sui ordinis citra abbatialem assumi possit. [2]

1330, novembris 27, Avinione.

Dil. filio Guilelmo de Graniaco monacho ecclesiae Casinen. ord. s. Ben.

Honestas morum et vitae munditia *etc.* Datum Avinione, V kal. decembris, anno quintodecimo.

889. Ratam et gratam habet exemptionem Petro de Corbario dudum ab archiepiscopo Pisano concessam. [3]

1330, decembris 1, Avinione.

Petro de Corbario ordinis fratrum Minorum.

Copiosa sedis apostolicae benignitas *etc.* Sane tua nobis exhibita petitio continebat, quo tu, qui, sicut notum est toti mundo, te in antipapam assumi a filiis Belial temere ac praesumptuose nimium permisisti multaque nefanda et universis detestanda fidelibus perpetrare in statu dampnato antipapatus huiusmodi praesumpsisti, dudum Dei tactus digito ... ad veram devotionem et obedientiam unitatemque sanctae matris ecclesiae redire desiderans et proponens tuas nobis super hoc destinasti litteras, humiliter supplicando, ut tuorum non attenta magnitudine peccatorum et scelerum ... te ad hoc benigne admittere tibique de absolutionis beneficio a poenis et sententiis, quas propter praemissa incurreras, iuxta formam ecclesiae facere provideri et te nihilominus ab omni iurisdictione et potestate cuiuscunque et quorumcunque (ita, ut nobis et apostolicae sedi subiectus esses tantummodo) eximere auctoritate apostolica dignaremur: adiiciens insuper in petitione tua iam dicta, quod nos ... tibi de absolutione et exemptione praedictis fecimus per venerabiles fratres nostros Simonem archiepiscopum Pisan. et Guilelmum episcopum Lucan. ... provideri. Cum itaque postmodum ... ad praesentiam sponte te personaliter contuleris nostram et ... coram nobis et fratribus nostris prius in publico praesente multitudine copiosa fidelium ac deinde in privato consistorio ac subsequenter in praesentia multidinis maximae cleri et populi errores tuos haereses et scismata confessus sponte fueris ... sicque incorporari merueris unitati ecclesiae sanctae Dei ... timeasque, ne aliqui tuis praedictis sceleribus indignati, absolutionis et reintegrationis praedictarum ignari, futuris in te temporibus saeviant excessive: nobis cum humili et devota instantia supplicasti, ut ... tibi de opportuno providere remedio paterna sollicitudine dignaremur. Nos autem ... exemptionem per praefatos archiepiscopum et episcopum ... concessam ratam habentes et gratam te nichilomiuus ex superabundanti ab omni iurisdictione, subiectione et potestate cuiuscunque seu quorumcunque praeterquam Romani pontificis et sedis apostolicae totaliter eximimus auctoritate praedicta: volentes ac etiam statuentes, quod amodo eidem summo pontifici et sedi praefatae tantummodo sis subiectus; non obstantibus ordinis fratrum Minorum, quem fuisti professus, statutis contrariis *etc.* Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, kalendis decembris, anno quintodecimo.

890. Franciscum de Caucceella(?) ord. Min., germanum Guilelmi episcopi Alben. (ex ord. Min.) et ab ipso in suum vicarium institutum, monet, ut in hoc officio se habeat diligenter. [4]

1330, decembris 7, Avinione.

Francisco de Caucceella [5] *ord. fr. Min.*

Intellecto, quod venerabilis frater noster Gui-

[1] Reg. Vat. t. 98, f. 273, ep. 612.
[2] Reg. Vat. t. 98, ep. 611.
[3] Reg. Vat. t. 116, f. 176, ep. 853. Cfr. supra n. 863 not. fin.
[4] Reg. Vat. t. 116, f. 135, ep. 879; cfr. supra n. 594 et infra n. 1049.
[5] *Civitella?*

lelmus episcopus Alben., germanus tuus, ad partes [regni] Siciliae pro certis utilibus Domino actore negotiis accessurus in episcopatu Alben. suum vicarium te dimittet, discretionem tuam salubriter suademus, ut in his, quae agenda tuae diligentiae imminebunt, sic te habeas diligenter, quod, quantum in te fuerit, dicti episcopi vices adimpleas et ex commendandis operibus commendabilem merito te impendas; nam ven. fratri nostro .. episcopo Asten. ac nobili viro Petro de Cadeneto senescalco Pedemontis et Asten. ac Alben. civitatum communibus speciales dirigimus litteras, ut in hiis tibi assistant auxiliis, consiliis et favoribus opportunis. Datum [Avinione,] VII idus decembris, anno quintodecimo. [1]

891. Monet Robertum regem Siciliae, ut praelatis et inquisitoribus haer. prav. terrarum suarum assistat contra pestiferos Fraticellos. [2]

1330, decembris 12, Avinione.

Regi Siciliae.

Ad nostrum, fili carissime, noviter pervenit auditum, quod nonnulli apostatae ac excommunicati et rebelles sanctae Romanae ecclesiae de illa secta dampnata Fraticellorum in regno et terris regiae tuae ditioni subiectis commorari domosque recipere necnon seminare ac dogmatizare cum quadam quasisecuritatis fiducia multa erronea (non absque divina et eiusdem ecclesiae contumelia plurimorumque periculis et scandalis) publice non verentur. De quibus nonnulla colligere regia providentia poterit ex cuiusdam serie litterae transmissae per quosdam ex eisdem apostatis, cuius tenor est praesentibus interclusus. Cum autem regalem providentiam considerare deceat diligenter, quantum honori detraheretur regio quantaque possent formidari dispendia, si homines praedicti pestiferi conniventer in regno et terris tolerarentur eisdem, excellentiam rogamus regiam et in Domino attentius exhortamur, sano eidem nihilominus consilio suadentes, quatinus praefatos homines perfidos taliter persequi regalis circumspectio studeat, assistendo praelatis et inquisitoribus haereticae pravitatis in eis partibus constitutis, quibus inde litteras nostras dirigimus, et de praedictis partibus extirpare, quod eis nullus favor, tutela seu praesidium quomodolibet ministretur. — Ceterum, ut, quid dudum ad supplicata nobis per dilectum filium Philippum de Maioricis sororium tuum eidem rescripserimus, prudentia regia non ignoret, ecce quod supplicationis suae nostrarumque litterarum ad eam responsalium tenores inclusa cedula praesentibus plenius indicabit. Quem quidem Philippum, cuius praestolabamur adventum, postmodum non vidimus, sed audivimus, quod ad eas partes se duxit (nostris neglectis consiliis et persuasionibus) transferendum. Datum [Avinione,] II idus decembris, anno quintodecimo. [3]

892. Episcopis aliisque praelatis Alamanniae committit, ut subditos suos moneant, ne Michaeli de Caesena eiusque sequacibus dent consilium vel auxilium, illos autem fratres Min. provinciae Alamanniae superioris, qui erga sedem apostolicam devoti sunt et fideles, a vexationibus ipsius Michaelis eiusque sequacium defendant. [4]

1330, decembris 24, Avinione.

Venerabilibus fratribus universis archiepiscopis et episcopis aliisque praelatis et personis ecclesiasticis, religiosis et saecularibus, exemptis et non exemptis, per Alamanniam et partes circumvicinas constitutis, ad quos praesentes litterae pervenerint.

Ad vestram et communem omnium credimus notitiam pervenisse, quod nos dudum adversus Michaelem de Caesena, olim ordinis fratrum Minorum generalem ministrum, et Guilelmum Okam ac Bonagratiam dicti ordinis excessibus suis detestandis exigentibus de consilio fratrum nostrorum, matura liberatione praehabita, procedentes eos velut rebelles s. Romanae ecclesiae ac inobedientes et de Romana curia fugitivos excommunicationis vinculo duximus innodandos, dicto Michaele officio ministeriatus privato nihilominus, et tam in ipsum quam supradictos Guilelmum et Bonagratiam poenis diversis inflictis, sicut in processibus nostris super hoc habitis plenius continetur. Tandem vero, quia praefatus Michael favendo haereticis et scismaticis eisque adhaerendo ac publice auxilium, consilium et favorem praestando necnon varios errores et haereses praedicando et dogmatizando aliaque varia execranda facinora contra Deum et fidem catholicam committendo se fautorem haereticorum et scismaticorum ac haereticum, immo haeresiarcham, et scismaticum reddidit manifeste: nos de hiis, quae

---

[1] Die 14 sept. 1330 summus pontifex praedicto episcopo Alben., cui iam antea multa negotia commiserat ad pacem in illis partibus pertinentia, scripsit, sibi placere, eum ad suam praesentiam venire, praesertim cum episcopus Asten. scripsisset, hoc fore expediens (l. c. ep. 875 cfr. 874, 876-878); die autem 28 nov. 1330 Robertum regem Siciliae monet, ut episcopum Alben. ad ipsum pro informatione status terrarum dioecesis Alben. missum benigne recipiat; idem petit a Sancia regina Siciliae (l. c. ep. 410 et 411). Die 15 dec. 1330 petit salvum conductum dro eodem episcopo et die 28 dec. 1330 hortatur Bonifatium comitem de Donoratico atque ancianos Pisanos, ut ipsum ad partes Siciliae se transferentem conducant (l. c. f. 108, ep. 528). Cfr. infra n. 1049.

[2] Reg. Vat. t. 116, f. 91, ep. 427; cfr. supra nn. 650, 707, 830 et infra n. 896.

[3] In e. m. summus pontifex eodem die scribit Sanciae reginae Siciliae (l. c. ep. 428). Litteras ad Philippum de Maioricis, ipsius reginae fratrem, datas referemus infra n. 894.

[4] Ex autographo in archivo status Lucernensis (unacum bullis aliis multis ordinem Min. concernentibus) asservato.

adeo sunt notoria, quod nulla tergiversatione celari poterant, informatione summaria ex abundanti recepta, de consilio fratrum ipsorum memoratum Michaelem fautorem haereticorum manifestum, haereticum, haeresiarcham et scismaticum esse declaravimus eumque ut talem duximus sententialiter contempnendum, ipsumque officiis, dignitatibus et honoribus quibuscumque privavimus seu privatum fore potius declaravimus ac ab omni gradu deposuimus et privilegio nudavimus ecclesiastico et inhabilem ad praemissa reddidimus et quodlibet praedictorum, poenis omnibus et sententiis spiritualibus et temporalibus, quibus divino et humano iure fautores haereticorum ac haeretici, haeresiarchae et scismatici existunt obnoxii, plectentes eundem et velut talem eis fore obnoxium declarantes.

Rursus universis archiepiscopis et episcopis aliisque personis ecclesiasticis quibuscunque in virtute sanctae obedientiae ac sub excommunicationis et suspensionis ab officiis et beneficiis, quas non parentes incurrere voluimus ipso facto, necnon privationis, depositionis et inhabilitationis praelationum, dignitatum, officiorum et beneficiorum ecclesiasticorum poenis et sententiis, et insuper omnibus et singulis civitatibus, terris et locis, universitatibus, communitatibus et personis aliis singularibus quibuscunque, cuiuscunque conditionis aut status existerent, etiamsi imperiali, regali vel alia quacunque dignitate fulgerent, sub excommunicationis in personas singulares et interdicti in civitates, terras, loca eorumque communitates et universitates, quae, nisi mandatis et monitionibus nostris cum effectu parerent, incurrere voluimus ipso facto, necnon privationis privilegiorum quorumcumque apostolicorum et imperialium ac feudorum et bonorum, quae ab eadem Romana vel quibusvis aliis ecclesiis vel imperio obtinerent, poenis et sententiis mandandum expresse duximus ac etiam inhibendum, ne praedictum Michaelem haereticorum fautorem, haereticum et scismaticum receptarent, defenderent, sibi adhaererent, obedirent, intenderent quomodolibet seu faverent aut praestarent per se vel alium seu alios, publice vel occulte, directe vel indirecte, auxilium, consilium vel favorem, sed eum potius velut haereticorum fautorem ac haereticum et scismaticum et, quantum in eo est, sanctae Dei ecclesiae fideique catholicae corruptorem abiicerent, abhorrerent, persequerentur et, si possent, caperent et fideliter custodirent subdendum ecclesiasticae disciplinae.

Cum autem, sicut multorum fidedignorum relatione percepimus, praefati Michael, Guilelmus Okam et Bonagratia necnon Henricus de Thalhen dicti ordinis et alii quidam complices et sequaces eorum se ad partes Alamanniae regionesque circumpositas conferentes et ibidem in divinae maiestatis contumeliam sedisque praedictae contemptum et opprobrium fideique detrimentum catholicae ac fidelium periculum partium earumdem horrenda scelera cunctisque detestanda catholicis nequiter committere non verentes, errores, haereses et scismata disseminare ac dogmatizare varia, ut alios secum possint in praecipitium dampnationis et mortis trahere, nonnullos fratres Minores provinciae Alamanniae catholicos et devotos a suis devotionibus retrahere et ad obediendum dicto Michaeli excommunicato, deposito, haeretico, haeresiarchae ac scismatico per captiones et incarcerationes personarum, expulsiones de suis conventibus, librorum et aliarum rerum ablationem, proscriptionem publicam mortisque terrores et minas ac alias molestationes varias compellendo praesumpserint hactenus et praesumant: nos attendentes, quod talia sic enormia non possumus nec debemus oculis conniventibus pertransire, nec sunt etiam a fidelibus toleranda, sed de ipsorum medio potius extirpanda, universitati vestrae per apostolica scripta in virtute obedientiae districtius iniungendo mandamus, quatinus praedictos Michaelem, Guilelmum, Bonagratiam et Henricum nominatim necnon omnes et singulos alios fratres praedicti ordinis, qui eis vel eorum alicui obedient, parebunt aut praestabunt publice vel occulte auxilium, consilium vel favorem, excommunicatos necnon exemptionis et quibusvis aliis tam circa confessiones audiendas, praedicationes faciendas et ad sepulturam ecclesiasticam recipienda corpora defunctorum ac inquisitionis haereticae pravitatis officium exercendum quam quosvis actus alios privilegiis sibi vel ordini suo sub quacumque forma vel expressione verborum ab apostolica sede concessis omnino privatos et subiectos ordinariis locorum diebus dominicis et festivis velut fautores haereticorum et rebelles eiusdem ecclesiae ac divisores et apostatas praelibati ordinis nuntietis; praeterea moneatis generaliter in ecclesiis et locis vestris diebus eisdem, dum clerus et populus convenerint ad divina, omnes et singulos, tam clericos quam laicos, saeculares et religiosos, cuiuscumque sint conditionis, ordinis, dignitatis aut status, ne praedictos excommunicatos haereticos et apostatas seu fautores, sequaces et complices suos aut aliquem eorum receptent aut defendant seu eis faveant aut adhaereant vel cum eis participent audiendo sermones eorum aut eis confitendo seu sepulturam ecclesiasticam [apud] eos eligendo vel alias, quamdiu in suis erroribus perduraverint, quoquomodo: alioquin contrarium facientes, postquam monitio huiusmodi publicata solemniter fuerit, ut praefertur, excommunicationis sententiam necnon privationis, depositionis, inhabilitationis ac poenas alias tam spirituales quam temporales expressas superius, prout statum concernunt cuiusli-

bet, ipso facto incurrere ac fautoribus praedictis sacramenta et sepulturam ecclesiastica, nisi prius haeresi et scismate, de quibus se suspectos seu respersos reddiderint, in ordinariorum manibus abiuratis promiserint seque obligaverint efficaciter corporali praestito iuramento, quod eisdem haereticis et apostatis non favebunt ulterius, volumus denegari; et ut praedicti haeretici et apostatae ipsorumque fautores, complices et sequaces a suis malitiis et nequitiis rigidius arceantur, volumus, quod in locis, ad quae ipsi vel eorum aliqui declinaverint, quamdiu ibidem fuerint, et post recessum eorum per triduum in eisdem locis interdictum ecclesiasticum observetur. Vos vero, fratres archiepiscopi et episcopi, fratres dicti ordinis catholicos et memoratae Romanae ecclesiae devotos et obedientes, quos ab eisdem haereticis, apostatis et fautoribus, complicibus et sequacibus persecutiones pati contigerit, benignae et caritativae consolationis subsidia, prout vobis pater misericordiarum et Deus totius consolationis ministraverit, praebeatis. Dat. Avinione, IX kal. ianuarii, pont. nostri anno quintodecimo.

892ª. Dogmatizantes contra constitutionem *Quia quorundam* capi iubet. [1]

1331, ianuarii 21, Avinione.

Archiepiscopo .. eiusque suffraganeis et .. inquisitoribus haereticae pravitatis in provincia .. deputatis.

Dudum ad audientiam nostri apostolatus multorum insinuatione perducto, quod nonnulli homines in reprobum sensum dati, praesertim religiosi habitu sed revera haeretici et ab unitate catholicae ecclesiae separati, haeresim per nos olim (deliberatione cum fratribus nostris sanctae Romanae ecclesiae cardinalibus ac multis archiepiscopis et episcopis aliisque ecclesiarum praelatis necnon et cum pluribus sacrae theologiae magistris et utriusque iuris professoribus praehabita diligenti et de consilio fratrum ipsorum) damnatam, videlicet quod Christus et eius apostoli in hiis, quae ipsos habuisse scriptura sacra testatur, habuerunt tantummodo absque iure aliquo simplicem usum facti, approbare, dogmatizare ac defendere temerariis ac periculosis ausibus praesumebant: nos, ne tales homines perfidi, divino et humano timore vacui, gloriarentur suae pravitatis opera sine condignis meritorum stipendiis praeteriri, [2] omnes et singulos, qui, postquam constitutiones nostrae super praedictis editae ad eorum pervenissent notitiam vel per eos, quominus possent pervenisse, stetisset, haeresim condemnatam huiusmodi ausi essent defendere, approbare seu etiam dogmatizare aut tenere publice vel occulte, haereticos declaravimus, sicut per constitutionem nostram, quae incipit: *Quia quorundam*, duximus alias declarandos, et arbitrantes dignum existere, quod tales perversi homines eius non fruerentur privilegiis, a cuius se subtrahebant obedientia quamque impugnare nequiter satagebant, ipsos omnibus et singulis tam exemptionis quam aliis quibuscunque privilegiis et gratiis, libertatibus et immunitatibus, tam ordinibus suis quam locis et personis eorum sub quacunque forma vel expressione verborum ab apostolica sede concessis, auctoritate apostolica omnino privavimus et praeter poenas alias contra talia praesumentes inflictas, quibus ipsos subiacere volumus, privatos perpetuo et ordinariae iurisdictioni ordinariorum locorum quo ad causas et alia omnia decrevimus esse subiectos.

Sane quia, sicut fidedigna licet infesta plurimum relatione percepimus, adhuc nonnulli eorum ausu damnabili et nefando tam praedictam damnatam haeresim nec non et quosdam erroneos et haereticales articulos, periculosos errores et haereses detestabiles continentes (videlicet quod illud, quod de Christo legitur in evangelio beati Mathaei, quod ipse solvit tributum Caesari, quando stateram sumptam ex ore piscis illis, qui petebant, didragma iussit dari, hoc fecit non condescensive et liberalitate suae pietatis, sed necessitate coactus; item quod beatus Petrus apostolus non fuit plus caput ecclesiae quam quilibet aliorum apostolorum nec habuit plus auctoritatis quam habuerunt alii apostoli, et quod Christus nullum caput dimisit ecclesiae nec aliquem vicarium suum fecit; quodque papam corrigere et punire ac instituere et destituere ad imperatorem asserunt pertinere; et adhuc, quod omnes sacerdotes, sive sit papa sive sit archiepiscopus sive sacerdos simplex quicumque, sunt aequalis auctoritatis et iurisdictionis ex institutione Christi; sed quod unus habet plus alio, hoc est secundum quod imperator concessit plus vel minus, et sicut concessit, potest etiam revocare; praeterea quod papa vel tota ecclesia simul sumpta nullum hominem quantumcumque sceleratum potest punire punitione coactiva, nisi eis imperator tribuerit potestatem: quos quidem articulos et quamcunque scripturam continentem

---

[1] Reg. Vat. t. 116, f. 161, ep. 797; cfr. supra n. 554. Constat autem, illos erroneos et haereticales articulos de quibus in his litteris sermo est, in illo libello a Marsilio de Padua et Ioanne de Ianduno confecto, cui titulus est « Defensor pacis », contineri.

[2] *In registro:* stipendii praeteriti.

eosdem velut sacrae scripturae contrarios et fidei catholicae inimicos, haereticos seu haereticales et erroneos, ac omnes et singulos, cuiuscumque dignitatis, ordinis, conditionis aut status existerent, qui praedictos articulos aut scripturam eos continentem quo ad praemissa praesumerent defendere vel etiam approbare, ab omnibus confutandos velut haereticos olim duximus de dictorum fratrum consilio declarandos; et nihilominus dilectus filius Petrus de Corbario ordinis fratrum Minorum, olim haeresiarcha et schismaticus, qui errores et haereses praedictas approbaverat et tenuerat diabolica suggestione deceptus, eos postmodum, ad lucem veritatis reductus, in nostra et eorumdem fratrum nostrorum nec non magnae cleri et populi multitudinis praesentia sponte abiuravit, anathematizavit, reprobavit et fuit detestatus expresse) in diversis mundi partibus defendere, dogmatizare ac approbare praesumunt, fideles secum in eosdem errores et haereses trahere non absque divinae maiestatis contumelia, fidei laesione catholicae ac multorum periculis velut ministri sathanae molientes: nos tales, quos timor Dei a malo non revocat, poenae saltem formidine severitateque disciplinae a suis huiusmodi iniquissimis excessibus retrahere cupientes, discretioni vestrae in virtute sanctae obedientiae per apostolica scripta districtius iniungendo mandamus, quatenus contra omnes et singulos, cuiuscumque dignitatis, ordinis, conditionis aut status existant, praedictas damnatas haereses vel earum aliquam approbantes, defendentes aut dogmatizantes publice vel occulte (quos omnibus et singulis tam exemptionis quam aliis quibuscumque privilegiis apostolicis, eis vel eorum ordinibus aut locis communiter vel divisim sub quacumque forma vel expressione verborum concessis, alias privavimus auctoritate apostolica et adhuc etiam tenore praesentium eadem auctoritate privamus) nec non et contra suspectos de praedictis seu earum aliqua (summarie, simpliciter et de plano) tamquam adversus haereticos seu fautores et defensores haeresium solerter et fideliter vos, fratres archiepiscope et suffraganei, vestrique vicarii et officiales vestra ordinaria, vosque, filii inquisitores, auctoritate apostolica iuxta statuta canonum et privilegia concessa inquisitionis negotio, tam ad captionem personarum quam ad sententiam procedatis (invocato ad hoc, si necesse fuerit, auxilio brachii saecularis; non obstantibus quibuscumque privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis, per quae vestra vel alicuius vestrum iurisdictio posset circa praemissa vel ea quomodolibet tangentia impediri, etiam si de illis esset in praesentibus specialis et expressa de verbo ad verbum mentio facienda, quae quoad hoc nulli volumus suffragari), sic vos super praedictis solerter et fideliter habituri, quod praeter perennis mercedis praemium, quod inde merebimini, nostram et eiusdem sedis gratiam uberius assequi valeatis. Datum [Avinione,] XII kal. februarii, anno quintodecimo.

893. Officialem Lingonensem contra illos fratres Minores de villa Divionen., qui publicationem confessionis Petri de Corbario perturbare praesumpserunt, procedere iubet. [1]

1331, ianuarii 22, Avinione.

Iohanni de Polagniaco officiali Lingonensi.

Relatione percepimus fidedigna, quod ad tuam nuper deducto praesentiam, quod, cum quidam frater ordinis Praedicatorum in villa Dunensi [2] Lingonensis diocesis clero et populo inibi congregato proponens verbum Dei et litteras apostolicas confessionem dilecti filii Petri de Corbario ordinis fratrum Minorum olim haeretici et scismatici eiusque abiurationes errorum et haeresum et alia, per quae ipse ad unitatem et gremium sanctae matris ecclesiae redire meruit, continentes solemniter eisdem clero et populo publicaret, quidam fratres ordinis praedicti Minorum de conventu villae praedictae, ad sermonem et publicationem huiusmodi cum beguinarum multitudine accedentes, sermonem et publicationem eosdem perturbare temerariis ausibus praesumpserunt, iniicientes in eundem praedicatorem manus suas violentas temere ac asserentes, dictum Petrum de Corbario super hiis, quae in antipapatu gesserat, in aliquo non errasse: tu una cum dilectis filiis Oddone de Castronovo et Symone de Vallibus, clericis familiaribus venerabilis fratris nostri Iohannis episcopi Lingonensis, te ad villam memoratam conferens coepisti super praedictis horrendis et detestandis veritatem inquirere, te ad exhibendum super eis iustitiam disponendo, super quibus tuam diligentiam plurimum in Domino commendantes discretionem tuam requirimus tibique districtius iniungendo mandamus, quatinus tam ex officio tuo quam auctoritate litterarum nostrarum, quas tibi dirigimus, super praemissis et aliis negotium huiusmodi tangentibus diligenter et fideliter cures procedere, quod inde debeas merito commendari: rescripturus nobis quantocius fideliter, quae in hac parte repereris et duxeris quomodolibet facienda. Datum [Avinione,] XI kalendas februarii, anno quintodecimo.

[1] Reg. Vat. t. 116, f. 28, ep. 131. Cfr. supra n. 881.

[2] *Vel potius:* Divionensi (*Dijon*).

894. Respondet Philippo de Maioricis, fratri germano Sanciae reginae Siciliae, ad ipsius petitionem de concedenda observatione regulae unacum testamento s. Francisci ad litteram sine glossa. [1]

1331, ianuarii 26, Avinione.

Philippo de Maioricis.

Utinam, fili, diligenter attenderes, quod imputatur parti ad indecentiam, quae suo non congruit universo. Credimus enim, quod, si hoc attenderes sedule, vitam non eligeres singularem, sed, si te vita religiosorum Mendicantium delectaret, intrares unam de approbatis religionibus, in qua, ut tenemus indubie, personas scientia pollentes et moribus, cum quibus spirituales consolationes haberes varias ac de virtute in virtutem procedens tibi posses proficere et pro tempore aliis, reperires. Si autem tibi placeret Deo in societate clericorum saecularium deservire, nos parati essemus, tibi iuxta tuum deservire beneplacitum, prout esset nobis possibile, sicut et fuimus alias, sicut de tua non credimus memoria excidisse. Cogita igitur, fili, super hiis diligenter Deumque depreceris obnixe, ut cor tuum illuminet ad eligendam viam, quae ad supernam Ierusalem feliciter te perducat. Datum [Avinione], VII kal. februarii, anno quintodecimo. [2]

---

[1] Reg. Vat. t. 116, f. 91, ep. 426, 431, 432. — Iste Philippus, qui clericali statu assumpto beneficia nonnulla ecclesiastica a Ioanne XXII sibi oblata non acceptaverat (cfr. reg. Vat. t. 116, f. 8, ep. 33), ad instituendam novam familiam Franciscanam per illum Angelum de Clarino, ut videtur, inductus hunc supplicem libellum hac de re ad summum pontificem direxerat (cfr. reg. Vat. t. 115, f. 176, et *Wadd.* Ann. Min. ad a. 1328, n. 22): « Supplicat sanctitati vestrae, qui estis vicarius Iesu Christi in terris, qui de domus suae divitiis descendit in uterum pauperis Virginis, ut paupertate nostrae carnis indutus poenitentiae viam arctam sumeret et per crucis ignominiam gloriosus ad Patris ascenderet dexteram, Philippus de Maioricis thesaurarius [ecclesiae] beati Martini Turonen. pro se et sui propositi sociis praesentibus et futuris, quod, cum ipse, licet peccator, fide christianus sit, fidei opera habere desiderans et ideo non solum praecepta, sed et evangelica Christi consilia a iuventute servare affectans, ex omnibus viis salutis illam solam praeelegit et praeeligit, ad quam praeeligendam est et esse vult voto astrictus: scilicet regulam beatissimi Francisci, quae beato Francisco per Spiritum sanctum inspirata est et passionis Christi signis solemniter confirmata, de qua idem sanctus in suo testamento dicit sic: " Ipse Altissimus revelavit mihi, quod deberem vivere secundum formam sancti evangelii, et ego paucis verbis simpliciter feci scribi et dominus papa confirmavit mihi ". Et iterum circa finem testamenti sui loquens fratribus ait: " Dominus dedit mihi simpliciter et pure dicere et scribere regulam, et ista verba ita simpliciter et pure sine glossa intelligatis et cum sancta operatione observetis usque in finem ". Hinc igitur tanti patris admonitioni toto desiderio cordis adhaereo, eos tamen, qui summorum pontificum expositiones et declarationes receperunt, in nullo tango, quia in via Dei alius sic ambulat, alius sic; sed ego ipsam beati Francisci regulam simpliciter et pure intellectam et sine glossa, in qua promittitur evangelii Christi observantia, cuius evangeli vita a Christo exemplata et tradita est fidem evangelii tenentibus, sicut sacrosanctae Romanae ecclesiae filius vestris, pater sanctissime, pedibus subditus et subiectus, a vobis regulam ipsam et vitam tamdiu desideratam libenter et libere observandam, cuiuspiam contradictione cessante, mihi et mei propositi sociis praesentibus et futuris concedi prostratus et genibus flexis exposco: non tamen in societate fratrum Minorum, qui hodie sunt, nec sub obedientia ordinis praelatorum, propter dissonantiam voluntatum inter ipsos et nos, sed, sicut illi, qui Cisterciensium ordinem inchoaverunt, a nigris monachis se sequestrasse dicuntur ad regulam sancti Benedicti perfectius observandam, sic et ego pro me et mihi adhaerentibus peto humiliter supplicans, me et socios, qui inspirante Deo una mecum praefatam regulam et vitam servare desiderant, vestrae sanctitatis auctoritate ad ipsam saeculo dimisso recipi et ex speciali gratia statim ad professionem admitti: maxime cum omnes, quos nunc mecum associabo, probationis annum vel annos quantum ad notitiam et exercitium vitae religiosae existentes in saeculari habitu tenuisse possunt dici; qua professione facta liceat nobis regulam praedictam Domino iuvante servare, eleemosynas pro Christo mendicare, eleemosynisque et laboritio manuum sustentari [et] ubicumque cum dioecesani episcopi licentia et assensu illius, qui terram sive fundum potest concedere, et non alias, nisi haec duo intervenerint, loca recipere extra villas; ubi vero non essent episcopi catholici seu Romanae ecclesiae obedientes seu nulli penitus, auctoritate vestra loca, quae obtinere poterimus, sive infra villas sive extra, prout secundum Deum nobis expedire videbitur, accipere et ibi Domino deservire, oratoria et alia aedificia opportuna nostrae professioni congruentia aedificare et aedificata recipere: sed sicut peregrini et advenae habitare in illis, quamdiu dioecesanis episcopis, ubi fuerint Romanae ecclesiae obedientes, placuerit et ubique terrarum, quamdiu placuerit illis, qui loca nobis concesserint; et coemiteria pro fratribus nostris sepeliendis habere et ipsis de sacramentis ecclesiasticis providere; quodque mandet vestra sanctitas dioecesanis episcopis, curatis et plebum rectoribus ceterisque personis ecclesiasticis et universis christifidelibus, quatenus omni cessante contradictione sic se gerant erga nos, qui nulli viventi iniuriosi seu damnosi esse volumus, sed propter Deum omnibus subiecti, quod statum nostrum libere nos servare permittant. Super praemissis vero omnibus vestrae sanctitatis privilegium et litteras apostolicas supplico mihi concedi et propositi mei sociis praesentibus et futuris mandarique nobis in ipsis litteris per sanctam obedientiam ad praeservationem relaxationis in posterum, quatenus omnes huius fraternitatis, qui recipientur ad professionem, cum promittant regulam, testamentum etiam ipsius beati Francisci, quod regulae mandavit adiungi, servare promittant. Dignetur autem sanctitas vestra omnes huius fraternitatis, ad quos spectabit fratres recipere, sollicite in hoc privilegio exhortari, ne unquam praesentes vel futuri recipiant aliquem, quantumcumque alias bene conditionatum, nec receptum ad professionem admittant, nisi ipsum firmiter fervorem spiritus et fervidam devotionem et solidam habere cognoverint, quantum humana fragilitas nosse sinit. Placeat insuper clementiae apostolicae, nunc et in perpetuum unum de sanctae Romanae ecclesiae cardinalibus dare gubernatorem, protectorem et correctorem ipsius fraternitatis, ut semper subditi et subiecti eiusdem sanctae ecclesiae pedibus, stabiles in fide catholica, paupertatem et humilitatem et, ut adhuc verbis utar regulae, sanctum evangelium domini nostri Iesu Christi, quod firmiter promisimus, observemus. Perfectionem, pater sanctissime, quam peto pro me et propositi mei sociis, licet ea indignus sim peccatis exigentibus, indignius tamen est, eam mihi denegari. Et sicut a Spiritu sancto est via perfectionis christianae, quam postulo, sic a spiritu maligno esse denegationem eius non dubitant fidei catholicae vitam et genera extimentes. Si denegetur, ergo quid restat? Audient certe coeli, quae loquor, audiet et terra verba oris mei ». Cfr. *Denifle-Ehrle*, l. c. IV, 67.

[2] Aliis litteris eodem die datis summus pontifex tum regi tum reginae Siciliae haec scribit: « Dilecto filio Philippo de

895. Iacobinam filiam Ioannis nati nobilis viri Merli de s. Sebastiano puellam illitteratam dioec. Iporien. *(Ivrea)*, in monasterio Clarissarum Taurinen. recipi iubet. [1]

1331, februarii 6, Avinione.

Dilectis filiis .. praeposito s. Petri de Clavaxio Yporiensis diocesis et .. archipresbytero ac Petro de Vigono canonico Taurinensis ecclesiarum.

Prudentum virginum votis *etc. m. m. ut supra n. 887.* Dat. Avinione, VIII idus februarii, anno quintodecimo.

896. Episcopos et inquisitores haer. prav. in regno Siciliae constitutos contra Fraticellos procedere iubet. [2]

1331, februarii 17, Avinione.

Ven. fratribus archiepiscopo .. [3] *eiusque suffraganeis et dilectis filiis inquisitoribus haer. prav. in eis partibus auctoritate apostolica deputatis.*

Dudum ad audientiam apostolicae sedis multorum insinuatione perducto, quod nonnulli profanae multitudinis, qui vulgariter *Fraticelli* seu *Fratres de paupere vita* aut *Bizochi* sive *Bighini* vel aliis nominibus nuncupantur, in partibus Italiae necnon in insula Siciliae, comitatu Narbonensi et Tholosana civitatibus et dioecesibus ac provinciis aliisque cismarinis partibus contra sacros canones habitum novae religionis assumere, congregationes et conventicula facere et superiores sibi ipsis eligere, quos ministros seu custodes vel guardianos aut nominibus appellant aliis, plurimos ad eorum sectam recipere [in domibus], in quibus habitant in communi, publice mendicare, quasi eorum secta [esset] una de religionibus per sedem apostolicam approbatis, temeritate dampnabili praesumpserant et praesumebant etiam incessanter et, ut ipsorum [error] veritas et impietas religio putaretur, plurimi eorum regulam ordinis fratrum Minorum, quam s. Franciscus instituit, se profiteri et ad litteram observare fingebant, quamquam sub obedientia generalis vel provincialium ministrorum ipsius ordinis minime morarentur (praetendentes se a sanctae memoriae Coelestino papa V praedecessore nostro huiusmodi status seu vitae privilegium habuisse: quod tamen, etiam si ostenderent, non valeret, cum fel. rec. Bonifatius papa VIII praedecessor noster ex certis causis rationabilibus omnia privilegia ab ipso Coelestino concessa, quae per ipsum Bonifatium non contingeret approbari, vacuasset iuribus nec dictum privilegium inveniretur per eundem Bonifatium approbatum): nos attendentes, quod in errorum baratrum faciliter ruunt, qui conceptus proprios patrum diffinitionibus anteponunt, ipsorumque quam plurimi, sicut nobis fidedigna innotuerat relatio, a veritate catholicae fidei deviabant, contra sectam, ritum et statum huiusmodi auctoritate apostolica de fratrum nostrorum consilio processimus sub hac forma: « *Ioannes etc. Ad perpetuam rei memoriam.* Sancta Romana atque universalis ecclesia » *etc. ut supra n. 297.*

Sane quia sectam praefatam non resurgere sed abolitam remanere perpetuo praedictamque inviolabiliter observari sententiam plenis desideriis affectamus, ad quod expedire plurimum credimus processum et sententiam huiusmodi saepius praesente fidelium multitudine publicari: discretioni vestrae per apostolica scripta in virtute obedientiae districtius iniungendo mandamus, quatenus vos, archiepiscope et suffraganei, per vos vestrosque subditos et alios viros religiosos et saeculares, exemptos et non exemptos, de quibus vobis videbitur, quos ad haec non obstantibus ... compellere ... valeatis, singulis diebus dominicis et festivis in ecclesiis et locis vestrarum civitatis et diocesis ac in sermonibus publicis, de quibus expedire cognoveritis, eosdem processum et sententiam, dum clerus et populus ad divina vel sermones audiendos convenerint, publicantes, omnes et singulos sectam huiusmodi observantes generaliter necnon nominatim illos, de quibus vobis ... constiterit in praemissam incidisse sententiam, excommunicatos denuntiare singulis diebus dominicis et festivis in eisdem ecclesiis, locis et sermonibus publice procuretis. Et quia sine fautoribus et receptatoribus diu pestilentes homines huiusmodi latere non potuerunt nec durare, diebus dominicis et aliis solemnibus praesente fidelium multitudine copiosa sub excommunicationis poena et aliis, quae fautoribus et receptatoribus talium per iura canonica sunt inflictae, ut a fautoria et receptione ac defensione illorum publica et occulta debeant abstinere, moneatis et efficaciter inducatis, contra non parentes monitioni huiusmodi ad denuntiationem inflictarum et impositionem comminatarum poenarum huiusmodi et alias, prout expedire videritis, vos, archiepiscope et suffraganei,

Maioricis scribimus, prout continet cedula praesentibus interclusa, serenitatem regiam attentius exhortantes, ut consideratis hiis, quae sibi scribimus, eundem efficaciter ad ea, quae animae suae saluti ac honori suo et domus suae noverit regalis magnificentiae cedere, inducere non postponat ». Datum ut supra. Cfr. infra n. 896.

[1] Reg. Vat. n. 98, f. 273, ep. 614.

[2] Reg. Vat. t. 116, f. 82, ep. 382; cfr. supra n. 474 et 891 atque infra n. 916 et 1056 litt. *b*.

[3] Nomen non est expressum; sed verisimillime agitur de uno vel altero archiepiscopatu regni Siciliae, ubi Fraticelli eo tempore securius latitabant. Animadvertendum tamen est, litteras, quae in registro proxime sequuntur, ad archiepiscopos insulae Siciliae esse directas.

vestra ordinaria, vosque, filii inquisitores, auctoritate apostolica (simpliciter, de plano, absque strepitu et figura iudicii) iuxta statuta canonum et privilegia concessa inquisitionis officio procedentes: invocato ad hoc, si necesse fuerit, auxilio brachii saecularis. Datum Avinione, XIII kal. martii, anno quintodecimo.

897. Contra Ioannem comitem de Claromonte *(Chiarmonte)*. olim dictum comitem de Moac in Sicilia, modo Venetiis commorantem. qui Ludovico Bavaro et antipapae adhaerebat, tanquam haereticorum fautorem ac notorium patrimonii b. Petri et terrarum Romanae ecclesiae persecutorem procedi iubet. [1]

1331, februarii 20, Avinione.

Episcopo Castellano et dilectis filiis .. inquisitoribus haer. prav. in partibus Venetiarum apost. auct. deputatis. [2]

Vos ignorare non credimus *etc.* Dat. Avinione, X kal. martii, anno quintodecimo.

898. Bonifatio comiti de Donoratico concedit facultatem fundandi ia civitate Pisana monasterium ad usum monialium ord. s. Clarae. [3]

1331, februarii 22, Avinione.

Nobili viro Bonifatio comiti de Domnoratico.

Dignum arbitramur et congruum, ut votis tuis in iis, quae ad augmentum cultus divini pertinent et salutem animarum respiciunt, cum omni promptitudine favorabiliter annuamus. Sane porrectae nobis pro parte tua petitionis series continebat, quod tu pia devotione ductus, cupiens transitoria in aeterna et terrena in coelestia felici commercio commutare, ad laudem omnipotentis Dei et honorem beatae Clarae tuaeque ac progenitorum tuorum et aliorum multorum animarum salutem monasterium sub vocabulo et ordine dictae sanctae, in quo quadraginta moniales ordinis eiusdem sanctae inibi collocandae ac claudendae perpetuum exhibeant Domino famulatum, cum domibus et officinis tam pro ipsis quam etiam pro quatuor fratribus de ordine Minorum ad ministrandum eis sacramenta ecclesiastica deputandis necessariis ac etiam opportunis in civitate Pisana fundare et aedificare proponis tuis sumptibus et expensis. Quare nobis humiliter supplicasti, ut tibi monasterium, domos et officinas huiusmodi fundandi, in quo abbatissa et moniales praedictae collocari et includi valeant commode ac ibidem perpetuo virtutum Domino famulari, largiri licentiam et hortum ecclesiae seu prioratus s. Martini Pisan., siti in quarterio Chiusicae in contrada, quae dicitur Guastolongo, ubi monasterium, domus et officinae huiusmodi fundari et aedificari possint, nec non ecclesiam seu prioratum ipsum, nunc rectore seu priore carentem, cuius redditus et proventus annui quadringentos florenos auri valere dicuntur, cum claustro ac aliis omnibus possessionibus, iuribus et pertinentiis suis eidem monasterio, postquam fundatum fuerit, in perpetuum concedere, incorporare et annectere dignaremur. Nos igitur eximiae devotionis affectum, quem ad nos et Romanam ecclesiam te habere novimus, diligentius attendentes ac te volentes in huiusmodi tuo proposito, quod gratum reputamus Altissimo, sufficienti dote prius dicto monasterio (redditibus computatis ecclesiae seu prioratus praedicti) ad dioecesani arbitrium assignata, monasterium, domos et officinas huiusmodi tam pro monialibus quam pro fratribus memoratis in horto praedicto aedificandi devotioni tuae plenam et liberam licentiam tenore praesentium elargimur: volentes et nihilominus concedentes, quod dilectus filius minister fratrum dicti ordinis Minorum in provincia Pisana de monasteriis dicti ordinis eiusdem sanctae dictae provinciae duodecim vel tredecim moniales (religionis zelo, honestate vitae ac institutis instructas regularibus et morum maturitate pollentes) in dicto monasterio, postquam fundatum fuerit, collocandas, per quas aliae virgines in eodem monasterio religionis habitum assumentes de sanctitate vitae, honestate morum ac institutis regularibus salubriter valeant informari, nec non dictos quatuor fratres pro missa et aliis divinis officiis congruis horis et temporibus etiam solemniter (contraria monasteriorum dicti ordinis eiusdem sanctae illarum partium non obstante consuetudine) memoratis abbatissae et monialibus eiusdem monasterii, quas inclusas ibidem esse volumus, et ipsarum familiaribus celebrandis ac ministrandis ecclesiasticis sacramentis possit, prout suae discretioni videbitur, assumere ac etiam deputare. Cui quidem monasterio praefatam ecclesiam seu prioratum sancti Martini cum praedicto claustro et omnibus aliis possessionibus, iuribus et pertinentiis suis, salvo tamen iure archiepiscopali, apostolica auctoritate concedimus, incorporamus, unimus, et annectimus de gratia speciali; volentes tamen, quod canonicis, qui nunc sunt ecclesiae supradictae, locus conveniens pro ipsorum habitationibus et sufficiens provisio dicti dioecesani arbitrio assignentur de proventibus ecclesiae supradictae, in quibus quidem provisione et loco eisdem canonicis cedentibus vel decedentibus quatuor presbyteri subrogentur, qui in eadem ecclesia parocchianis

[1] Reg. Vat. t. 116, f. 106, ep. 517; cfr. 703.
[2] Ex ordine fratrum Minorum.
[3] Reg. Vat. t. 100, ep. 465; apud *Wadd.* l. c. (reg. Io. XXII) n. 123.

ipsius missas et alia divina officia celebrent et ministrent ecclesiastica sacramenta. Qua quidem assignatione facta dictoque fundato et aedificato monasterio ac abbatissa et conventu praedictis collocatis et inclusis ibidem ipsae abbatissa et conventus possint corporalem possessionem ecclesiae seu prioratus, claustri, possessionum, iurium et pertinentiarum praedictorum propria auctoritate libere recipere, apprehendere et etiam retinere (assensu cuiusquam minime requisito) fructusque, redditus et proventus ipsorum in utilitatem praelibati monasterii convertere, prout eis utilius videbitur expedire. Nulli ergo etc. Datum Avinione, VIII kal. martii, anno quintodecimo.

899. Eidem comiti indulget, ut legata quaedam incerta a praedecessoribus suis facta et nondum soluta in utilitatem monasterii a se fundandi convertere valeat. [1]

1331, februarii 22, Avinione.

Nobili viro Bonifatio comiti de Domnoratico.

Nobilitatis tuae sincera et probata devotio, qua nos et Romanam ecclesiam revereri dignosceris, sicut ab experto cognovimus, promeretur, ut petitiones tuas, quantum cum Domino possumus, ad exauditionis gratiam favorabiliter admittamus. Ex oblatae siquidem nobis serie tuae petitionis accepimus, quod progenitores tui a sexaginta annis citra in eorum testamentis, quae in suis ultimis voluntatibus condiderunt, multa certa et incerta legata nonnullis piis locis et pauperibus reliquerunt (certas et magnas poenas imponentes heredibus eorumdem et successoribus, si iuxta dispositiones ipsorum de legatis non satisfacerent memoratis), quodque tu, qui eorumdem progenitorum successor et heres a tempore obitus quondam Gerardi comitis de Domnoratico patris tui fuisti (sicut adhuc esse dignosceris), ad satisfactionem dictorum legatorum astrictus et etiam obligatus, propter nonnulla gravamina, quae a rebellibus ecclesiae fuisti perpessus, de legatis huiusmodi satisfacere nequivisti: propter quod huiusmodi poenas per testatores praedictos in huiusmodi testamentis impositas, ut praefertur, nosceris incurrisse. Quare nobis humiliter supplicasti, ut, cum ad praesens integre de incertis legatis huiusmodi infra certa tempora solvendo, videlicet quolibet anno mille libras monetae Pisanae, usque ad satisfactionem integram legatorum incertorum huiusmodi (quae quidem legata incerta propter multa, quae tibi incumbunt onera, non vales simul ad praesens exsolvere) satisfacere sis paratus, providere tibi super his de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, ut omnia et singula huiusmodi legata incerta in utilitatem monasterii per te in civitate Pisana iuxta ecclesiam seu prioratum beati Martini situm in quarterio Chiusicae in contrada, quae dicitur Guastolongo, in quo quadraginta moniales ordinis s. Clarae inibi collocandae et includendae perpetuum exhibeant Domino famulatum, iuxta concessionem super hoc per alias nostras certi tenoris litteras tibi factam fundandi convertere valeas, auctoritate praesentium tibi indulgemus omnesque praedictas poenas per dictos testatores et etiam a iure communi impositas, quas non solvendo iuxta praedictorum testatorum dispositiones huiusmodi legata incurreras, ut praefertur, in quibus tamen alicui seu aliquibus ius quaesitum non existit, tibi remittimus de dono gratiae specialis. Ceterum, cum, sicut dicta tua petitio continebat, propter incumbentia tibi onera supradicta huiusmodi legata non possis exsolvere simul et semel, volumus et tibi praedicta auctoritate concedimus, quod (iuxta quod postulasti a nobis) mille libras dictae monetae tantum singulis annis usque ad integram satisfactionem huiusmodi legatorum incertorum ad utilitatem dicti monasterii expendere tenearis. Nulli ergo *etc.* Dat. Avinione, VIII kal. martii, anno quintodecimo.

900. Monasterio praedicto domum quandam « Hospitale » dictam incorporari iubet. [2]

1331, februarii, 22, Avinione.

Archiepiscopo Pisano.

Habet in nobis dilecti filii nobilis viri Bonifatii comitis de Domnoratico sincera et probata nobisque plurimum grata devotio, quod petitionibus suis, illis potissimum, quae Dei laudem, profectum pauperum et salutem animarum prospiciunt, gratiosis favoribus annuamus. Cum igitur idem comes nobis humiliter supplicaverit, ut quamdam domum « *hospitale* » vulgariter nuncupatam, sitam iuxta claustrum seu coemeterium ecclesiae seu prioratus sancti Martini de quarterio Chiusicae Pisan., in qua decem vel duodecim lecti pro pauperibus hospitandis dumtaxat teneri et servari dicuntur, consuetam per laicum, qui rector seu hospitalarius nominatur, cuius dispositio ad archiepiscopum Pisanum, qui est pro tempore, spectare dignoscitur, gubernari, monasterio per eumdem comitem (iuxta concessionem super hoc per alias nostras certi tenoris litteras sibi factam) in eiusdem ecclesiae seu prioratus claustro, per quod ad domum ipsam intratur, fundando et aedificando, in quo quadraginta moniales ordinis sanctae Clarae inibi collocandae ac includendae perpetuum exhibeant Do-

[1] Reg. Vat. t. 100, ep. 403; apud *Wadd.* l. c. n. 125.

[2] Reg. Vat. t. 100, ep. 464; apud *Wadd.* l. c. n. 124.

mino famulatum, tam pro maiori in ipsa domo hospitalitate servanda quam etiam pro commoditate monasterii supradicti cum omnibus iuribus et pertinentiis suis unire, annectere et concedere in perpetuum de speciali gratia dignaremur: quocirca fraternitati tuae, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus praedictam domum cum omnibus iuribus et pertinentiis, si absque alicuius praeiudicio fieri possit, praefato monasterio, postquam fundatum fuerit, auctoritate nostra concedas, unias in perpetuum et annectas, ita quod abbatissa et conventus, quae tunc erunt, eiusdem corporalem possessionem praedictae domus ac iurium et pertinentiarum ipsius auctoritate propria recipere et apprehendere valeant ac etiam retinere, assensu cuiusvis minime requisito. Volumus autem, quod ipsius domus redditus et proventus eidem hospitali nec non domus competens remaneant pro colligendis hospitandis et alendis pauperibus supradictis. Datum Avinione, VIII kal. martii, anno quintodecimo.

901. Archiepiscopum Lugdunen. complere iubet ea, quae quoad fundationem monasterii per Margaritam de s. Cruce iuxta Cabilonem constructi sunt complenda. [1]

1331, martii 1, Avinione.

Venerabili fratri archiepiscopo Lugdunen.

Dudum exponente nobis dilecta filia in Christo nobili muliere Margareta domina de sancta Cruce Lugdunen. diocesis, quod ipsa (cupiens terrena in coelestia et transitoria in aeterna felici commercio commutare) pro suae ac progenitorum et successorum suorum animarum salute in fundo proprio sui patrimonii, videlicet in loco vocato sancta Maria de Cabilone iuxta civitatem Cabilonen., [2] monasterium sororum ordinis sanctae Clarae proponebat de propriis bonis construi facere et dotare cum officinis necessariis iuxta suarum exigentiam facultatum, ac supplicante nobis, ut sibi faciendi praemissa et quod ipsa, postquam huiusmodi monasterium fundatum et dotatum existeret, posset prima vice honestas sorores et idoneas in dicto monasterio deputare iuxta facultates assignandas eisdem includendis in eo iuxta dicti ordinis instituta, faceremus actoritate apostolica licentiam liberam elargiri et praefici eidem monasterio in abbatissam personam idoneam, quam dicta nobilis duceret nominandam: nos venerabili fratri episcopo Cabilonen. nostris sub certa forma dedimus litteris in mandatis, ut eidem nobili, dote sufficienti per eam prius eidem construendae monasterio assignata pro abbatissae et sororum instituendarum inibi sustentatione ac aliis oneribus supportandis, faciendi praemissa postulata per eam auctoritate apostolica licentiam largiretur sine iuris praeiudicio alieni et praeficeret ea vice dumtaxat dicto monasterio, postquam constructum et dotatum foret, in abbatissam personam idoneam, quam eadem fundatrix duceret nominandam, ac faceret personam eamdem iuxta instituta benedici praedicta sibique obediri a suis subditis humiliter et intendi, prout in eisdem litteris plenius continetur. Cum autem dicta nobilis, sicut ipsa nobis nuper exposuit, dictum monasterium, iuxta datam sibi ab episcopo praedicto earumdem litterarum auctoritate licentiam in loco praedicto de bonis propriis construi fecerit et sufficienter dotaverit, adeo quod de ditioribus monasteriis dicti ordinis partium Burgundiae reputatur, ipsumque monasterium, in quo praefata nobilis iam sorores dicti ordinis in sufficienti numero collocavit, careat abbatissa eiusque non sit oratorium benedictum, pro eo quod dictus episcopus ab episcopatu suo diutius fuerit absens nec de ipsius reditu speratur in brevi ac ipse pro parte dictae nobilis in Francia, ubi moratur, pluries requisitus, ut alteri super hoc committeret vices suas, id facere non curavit: praefata nobilis nobis humiliter supplicavit, ut providere dicto monasterio in hac parte de opportuno remedio dignaremur. Nos itaque nolentes imperfectum deseri, quod in hac parte dedit ipsius nobilis pium propositum inchoari, eiusdem supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus contenta in praedictis litteris super his episcopo memorato directis, videlicet quae nondum sunt per eumdem episcopum, ut praemittitur, executioni mandata, auctoritate nostra exequi studeas iuxta ipsarum continentiam litterarum. Datum Avinione, kalendis martii, anno quintodecimo.

902. Infrascriptos constituit conservatores bonorum et iurium monasterii ordinis s. Clarae a Margarita de s. Cruce prope Cabilonem fundati. [3]

1331, martii 1, Avinione.

Dilectis filiis cappellae ducis Burgundiae de Divione Lingonen. dioc. et Cabilonen. decanis ac cantori Bisuntin. ecclesiarum.

Militanti ecclesiae *etc.* Sane dilectae in Christo filiae nobilis mulieris Margaretae dominae de sancta Cruce Lugdunen. diocesis petitio nobis exhibita continebat, quod ipsa ... quoddam monasterium soro-

[1] Cfr. Reg. Vat. t. 98, ep. 759; apud *Wadd.* l. c. n. 126; cfr. supra n. 656.

[2] *Châlons sur Saône.*

[3] Reg. Vat. t. 98, ep. 1170; apud *Wadd.* l. c. n. 127.

rum ordinis sanctae Clarae in fundo proprio iuxta civitatem Cabilonen.... fundavit de bonis propriis et eidem dotem in bonis suis in imperio consistentibus congruam assignavit...; quodque ipsa nobilis dubitat, ne praefato monasterio, cui nondum est de abbatissa provisum, in locis, terris, possessionibus, censibus, redditibus, proventibus, iuribus, iurisdictionibus et aliis bonis assignatis eidem seu ad illud spectantibus a nonnullis illarum et aliarum partium vicinarum, qui nomen Domini in vacuum recipere non formidant, inferantur iniuriae, molestiae, violentiae aut iacturae, seu loca, terrae, possessiones, census, redditus et proventus, iura, iurisdictiones et alia bona huiusmodi occupentur et occupata indebite teneantur. Quare praefata nobilis nobis humiliter supplicavit, ut abbatissae, quae erit pro tempore, et dilectis in Christo filiabus conventui dicti monasterii, quibus redderetur difficile pro singulis querelis ad sedem apostolicam habere recursum, adversus praesumptores, molestatores et iniuriatores quoslibet super praemissis efficacis defensionis praesidio assistere dignaremur. Nos igitur adversus occupatores, praesumptores, molestatores ac iniuriatores huiusmodi illo volentes eisdem abbatissae et conventui remedio subvenire, per quod ipsorum compescatur temeritas et aliis aditus committendi similia praecludatur, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios, etiam sint extra loca, in quibus deputati estis conservatores et iudices, praefatis abbatissae et conventui efficacis defensionis praesidio assistentes non permittatis easdem super his et quibuslibet aliis bonis et iuribus ad abbatissam et conventum praedictum spectantibus ab eisdem vel quibuscumque aliis indebite molestari vel eis gravamina seu damna aut iniurias irrogari: facturi dictis abbatissae, quae erit pro tempore, ac conventui, cum ab eis vel procuratoribus suis vel eorum aliquo fueritis requisiti, de quibuscumque molestiis, iniuriis aut damnis praesentibus et futuris (in illis videlicet, quae iudicialem requirunt indaginem, summarie et de plano, sine strepitu et figura iudicii, in aliis vero, prout qualitas ipsorum exegerit) iustitiae complementum, occupatores seu detentores, molestatores, praesumptores et iniuriatores huiusmodi nec non contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscumque dignitatis, status, ordinis vel conditionis extiterint, quandocumque et quotiescumque expedierit, auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Non obstantibus *etc.* Datum ut supra.

903. Elargitur indulgentias ecclesiam praedicti monasterii visitantibus. [1]

1331, martii 1, Avinione.

Universis Christifidelibus.

Inter universa opera *etc.* Cum itaque dilecta in Christo filia nobilis mulier Margareta domina de sancta Cruce Lugdunen. diocesis quoddam monasterium sororum ordinis sanctae Clarae in fundo proprio iuxta civitatem Cabilonen., videlicet in loco vocato sancta Maria de Cabilone, ex licentia apostolica, sicut asserit, de bonis propriis noviter fundaverit pariter et dotaverit ac in eo collocaverit decentem numerum sororum ordinis antedicti: nos cupientes, ut erga dictum monasterium fidelium devotio augeatur ac ipsius ecclesia per Christi fideles spiritualibus allectos muneribus frequentetur, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui ecclesiam dicti monasterii in singulis beatae Mariae Virginis ac beati Francisci et sanctae Clarae praedictae festivitatibus venerabiliter visitaverint annuatim, sexaginta dies de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus. Datum ut supra.

904. Indulget monialibus monasterii praedicti, ut fruantur privilegiis omnibus, quae aliis monasteriis ordinis s. Clarae sunt concessa. [2]

1331, martii 1, Avinione.

Dilectis in Christo filiabus conventui sororum monasterii s. Clarae Cabilonen. ord. s. Clarae.

Sacra vestra religio *etc.* Hinc est, quod nos vestris devotis supplicationibus inclinati, ut abbatissa dicti monasterii, quae erit pro tempore, ac vos ipsumque monasterium omnibus privilegiis, indulgentiis, exemptionibus, libertatibus et immunitatibus communiter monasteriis dicti ordinis ab apostolica sede concessis uti et gaudere libere valeatis, sicut illis alia praedicta monasteria utuntur et gaudent, vobis et illis, quae vobis in monasterio praedicto succedent, auctoritate apostolica de speciali gratia indulgemus. Nulli ergo *etc.* Datum ut supra.

905. Salvatum Martini Minoritam ecclesiae Lamecen. praeficit in episcopum. [3]

1331, martii 12, Avinione.

Dilecto filio Salvato Martini electo Lamecen.

Regimini universalis ecclesiae *etc.* Dudum siquidem Lamecen. [4] ecclesia per obitum bon. mem.

---

[1] Reg. t. 98, ep. 748; apud *Wadd.* l. c. n. 128.
[2] Reg. Vat. t. 98, ep. 798; apud *Wadd.* l. c. n. 129.
[3] Reg. Vat. t. 97, ep. 27; apud *Wadd.* l. c. n. 130.
[4] *Lamego* in Lusitania.

Roderici episcopi Lamecen., qui in partibus illis diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, duae fuerunt in ea electiones, una videlicet de dilectis filiis Martino Alphonsi Bracharen. et altera de Ioanne Martini eiusdem Lamecen. ecclesiarum canonicis, a dilectis filiis capitulo eiusdem Lamecen. ecclesiae in discordia celebratae. Postmodum vero nos vacatione huiusmodi ipsius ecclesiae Lamecen. fide dignis relatibus intellecta, cupientes eidem ecclesiae Lamecen. per apostolicae sedis providentiam idoneam praeesse personam, provisionem ipsius ea vice ordinationi et dispositioni nostrae duximus specialiter reservandam, decernendo ex tunc irritum, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contingeret attentari; ac deinde praefati Martinus et Ioannes, qui interim post reservationem et decretum praedicta, eorum forsan ignari, electionibus praedictis de se celebratis consenserant, certificati de reservatione et decreto praedictis pro ipsarum electionum prosecutione ad sedem apostolicam personaliter accesserunt. Huiusmodi ergo electionum negotio pro parte canonicorum ipsorum proposito in consistorio coram nobis eisdem canonicis duximus concedendum, ut reservatione ac decreto praedictis nequaquam obstantibus possent electionibus eorum huiusmodi consentire, ipsarumque electionum negotium dilecto filio nostro Raymundo tituli sancti Eusebii presbytero cardinali audiendum commisimus et nobis postmodum referendum; cumque in huiusmodi negotio coram eodem cardinale in nonnullos actus inter dictos canonicos post praestitum ab eis consensum huiusmodi processum fuisset, praefati canonici volentes obviare dispendiis, quae praefatae Lamecen. ecclesiae possent ex vacatione diutina et litigiorum anfractibus provenire, omni iuri, quod eis ex praedictis electionibus de se factis in praefata Lamecen. ecclesia competebat, libere ac sponte cesserunt in manibus cardinalis eiusdem, cessionem huiusmodi de mandato nostro sibi facto vivae vocis oraculo admittentis. Nos igitur ad provisionem ipsius Lamecen. ecclesiae celerem et felicem ... paternis et sollicitis studiis intendentes et cupientes talem eidem Lamecen. ecclesiae praesidere personam, quae sciret, vellet et posset eam in suis manutenere iuribus et etiam adaugere, post deliberationem, quam super his cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te ordinis fratrum Minorum professorem, in sacerdotio constitutum, cui de litterarum scientia, religionis zelo, honestate morum et vitae, prudentia spiritualium et temporalium aliisque multiplicium et laudabilium virtutum meritis fide digna testimonia suffragantur, direximus oculos mentis nostrae. Quibus omnibus debita meditatione pensatis de persona tua, nobis et eisdem fratribus nostris ob huiusmodi tuorum exigentiam meritorum accepta, praefatae Lamecen. ecclesiae de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesiae Lamecen. tam in spiritualibus quam temporalibus tibi plenarie committendo *etc.* Datum Avinione, IV idus martii, anno quintodecimo. [1]

906. Alenuciam filiam Angeli Iannis de terra Arnulforum in monasterio s. Pauli inter vineas Spoletan. ord. s. Clarae recipi iubet. [2]

1331, martii 19, Avinione.

Dilectis filiis .. abbati monasterii s. Gemini Narniensis dioecesis et Sicardo de Galhaco Mimatensis ac Petro Symonis Iacobuci Spoletanae canonicis ecclesiarum.

Prudentum virginum votis *etc.* Cum itaque dilecta in Christo filia Alenucia nata dilecti filii Angeli Iannis de terra Arnulforum, puella litterata Spoletanae dioecesis, cupiat, sicut accepimus, una cum dilectis in Christo filiabus .. abbatissa et conventu monasterii s. Pauli inter vineas Spoletan., ordinis s. Clarae, in eodem monasterio sub regulari habitu virtutum Domino famulari, nos volentes dictam Alenuciam in huiusmodi laudabili proposito confovere, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus .. ipsam Alenuciam, si sit idonea et aliud canonicum non obsistat, faciatis auctoritate nostra in dicto monasterio, si in eo certus monialium numerus non habetur vel etiam si huiusmodi numerus forsan existat et aliqua de dicto numero deest ad praesens, exnunc, alioquin quamprimum aliquam deesse contigerit, recipi in monacham et sororem sibique iuxta ipsius monasterii consuetudinem regularem habitum exhiberi ac ei de communibus ipsius monasterii proventibus sicut uni ex aliis dicti monasterii monialibus integre provideri ipsamque sincera ibidem in Domino caritate tractari: non obstantibus *etc.* Datum Avinione, XIV kalendas aprilis, anno quintodecimo.

907. Corpus Edmundi comitis Kantiae in ecclesia fratrum

---

[1] In e. m. capitulo et vassallis ecclesiae Lamecen., clero ac populo civit. et dioec. Lamecen., archiep. Compostellano, Alfonso regi Portugalliae. Aliis litteris die 22 martii 1331 datis summus pontifex eidem Salvato concedit facultatem munus consecrationis a quocunque maluerit antistite recipiendi (l. c. t. 100, ep. 739).

[2] Reg. Vat. t. 98, f. 396, ep. 934.

Min. Wintonien. sepultum exhumari et ad ecclesiam mon. Westmonasterien. dioec. Londonien. transferri iubet.[1]

1331, aprilis 11, Avinione.

Venerabilibus fratribus .. Wyntoniensi, .. Conventrensi et Lichefeldensi ac .. Londoniensi episcopis.

Ex serie petitionis dilecti filii Edmundi comitis Kantiae, primogeniti et heredis quondam Edmundi comitis Kantiae patris sui, et dilectae in Christo filiae nobilis mulieris Margaretae relictae eiusdem quondam Edmundi viduae nobis oblatae percepimus, quod idem Edmundus comes defunctus, dum viveret, in plena sospitate consistens in suo ultimo testamento electionem ecclesiae suae sepulturae electioni et dispositioni eiusdem coniugis suae, si eum illi praemori contingeret, commisit, et quod morte eiusdem comitis subsecuta corpus ipsius absque electione eiusdem coniugis in ecclesia fratrum ordinis Minorum Wyntoniensium[2] extitit tumulatum. Nos igitur, qui tueri debemus pias defficientium voluntates, dictorum primogeniti et coniugis supplicationibus inclinati, fraternitati vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum, si est ita et dicta Margareta pro corpore eiusdem defuncti comitis elegerit seu eligat in ecclesia monasterii Westmonasterii ordinis s. Benedicti Londoniensis dioecesis ecclesiasticam sepulturam, dictum corpus ad requisitionem eiusdem Margaretae faciatis de dicta ecclesia exhumari et adportari, expensis tamen primogeniti et heredis ac Margaretae praedictorum, ad praedictam ecclesiam monasterii memorati, in qua regalium defunctorum Angliae consueverunt corpora sepeliri, ut corpus eiusdem Edmundi comitis defuncti cum dictis regalibus ecclesiasticam ibidem habeat et recipiat sepulturam: contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, non obstantibus *etc.* Datum Avinione, III idus aprilis, anno quintodecimo.

908. Guilelmo Bernardi cancellario Parisien. iniungit, ut Eliam de Nabinali ord. Min. ad magisterium theologiae promoveat.[3]

1331, maii 1, Avinione.

Cancellario ecclesiae Parisien.

Perduxit ad nos assertio fidedigna, quod dilectus filius Helias de Nabinalis[4] ord. fratrum Min., in sacrae theologiae facultate bacallareus, adeo laudabiliter in facultate ipsa divina sibi gratia suffragante profecit, quod ad recipiendum in ea honorem magisterii idoneus reputatur. Nos igitur.... discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus, si dictum Heliam ad huiusmodi honorem magisterii idoneum et sufficientem fore repereris, ad eiusdem magisterii statum non obstantibus quibusvis praedicti ordinis constitutionibus contrariis seu quod aliqui bacallarii in eadem facultate in ordine praedictum recipiendi magisterium ipsum praecedant, studeas promovere *etc.* Dat. Avinione, kalendis maii, anno quintodecimo.

909. Ministro generali ord. Min. concedit facultatem instituendi ministros provinciales in provinciis Mediolanensi et Siciliae.[5]

1331, maii 25. Avinione.

Geraldo Otthonis ministro generali ordinis fratrum Minorum.

Cupientes ordinem tuum fratrum Minorum ubique dirigente Domino prosperari, ut aliquem eiusdem ordinis fratrem fidelitate, scientia et aliis insignitum virtutibus morumque maturitate probatum, de quo tuae discretioni videbitur, ministrum fratrum eiusdem ordinis provinciae Mediolanensis auctoritate nostra hac vice valeas,[6] plenam discretioni tuae concedimus tenore praesentium facultatem. Datum [Avinione,] VIII kalendas iunii, anno quintodecimo.

Item *eidem* in eumdem modum in provincia Siciliae. Datum ut supra.

910. Mittit Geraldo ord. Min. ministro generali nonnullas litteras, quae ad capitulum generale Perpiniani congregandum pertinere videntur.[7]

1331, maii 27, Avinione.

Geraldo fratrum ordinis Min. generali ministro.

Discretioni tuae nonnullas nostras dirigimus

---

[1] Reg. Vat. t. 100, ep. 743.

[2] *Winchester* in custodia Londoniensi prov. Angliae.

[3] Reg. Vat. t. 116, f. 12, ep. 50; cfr. *Cart. univ. Paris.*, t. II, n. 911, p. 343.

[4] Cfr. supra n. 765 et infra n. 909.

[5] Reg. Vat. t. 116, f. 130, ep. 655; cfr. infra n. 910 et 974.

[6] Giselbertus, qui usque modo huic provinciae praeerat, tamquam fautor Michaelis de Caesena absolutus est.

[7] Reg. Vat. t. 116, f. 32, ep. 168. — Istae « nonnullae litterae », de quibus in hac bulla sermo est, ad capitulum generale Perpiniani tempore Pentecostes a. 1331 congregandum pertinuisse videntur. De quo capitulo legimus in illo cod. Vat. 4010 f. 212 haec: « Frater Geraldus Oddonis in generalem ministrum Parisius per electores illegitimos a. 1329 electus sequens generale capitulum Assisii ad triennium assignavit; sed postea de mandato domini Ioannis, ut per suas litteras asseruit, ad duos annos terminum abbreviavit et locum dicti capituli in Perpiniano in provincia Provinciae assignavit. Michael autem de Caesena, cum a pluribus in sacra pagina magistris et aliis notabilibus dicti ordinis fratribus litteras recepisset, per quas induci videbatur, ut ad unitatem ecclesiae et ordinis, a qua dicebatur aversus, accedere festinaret, misit fratribus in Perpiniano pro generali capitulo congregandis litteras excusatorias et etiam monitorias seu exhortatorias, formam, quae sequitur, continentes: *Universis fratribus ordinis Minorum in proximo futuro festo Pentecostes in Perpignano congregandis frater Michael ordinis fratrum Minorum generalis minister et servus.* Litteras plurium magistrorum in sacra pagina aliorumque notabilium fratrum ordinis beati Francisci tam de Parisius quam de partibus aliis me noveritis recepisse, per quas me inducere videbantur, ut ad uni-

litteras, quas designat rubrica cedulae interclusae. Volumus itaque, quod illarum attentis tenoribus eas executioni studeas provide demandare. Ceterum super aliis, quae insinuare curavit tua pru-

---

tatem sanctae Romanae ecclesiae ac dicti ordinis, a qua me dicebant aversum, accedere festinarem. Quibus litteris explicando veritatem facti per ordinem duxi praesentibus sic breviter respondendum, videlicet quod, cum anno Domini MCCCXXVIII una cum fratribus Raymundo tunc procuratore dicti ordinis, Petro de Prato tunc ministro provinciae s. Francisci et Laurentio tunc bachalario in conventu Avinionis essem in domini Ioannis praesentia constitutus, post multa ibidem dicta idem dominus Ioannes dixit et asseruit pluries, litteram sive determinationem, quam generale capitulum et fratres dicti ordinis olim Perusii congregati concorditer fecerant, fore haereticam, in qua littera firmiter asserebant et universis fidelibus Christi intimabant in haec verba, videlicet: *Dicimus, quod dicere... dixit et asseruit haereticam.* Quae determinatio fuit etiam ab omnibus magistris et bachalariis in sacra pagina de Parisius et de Anglia dicti ordinis approbata et universis christifidelibus destinata, sicut de praedicta determinatione capituli patet per litteras generalis ministri et omnium magistrorum et bachalariorum in sacra pagina in dicto generali capitulo praesentium et quorundam ministrorum provincialium dicti ordinis sigillis et subscriptionibus roboratas; et de approbatione aliorum magistrorum de Parisius et de Anglia constat per alias litteras ipsorum sigillis et subscriptionibus communitas. Quod autem dictus dominus Ioannes pluries dixerit et asseruerit, dictam litteram sive determinationem generalis capituli fore haereticam, patuit et patet per litteras dictorum fratrum Raymundi, Petri et Laurentii subscriptione vallatas; quod etiam reputaverit et firmiter tenuerit, teneat et doceat, haereticum esse censendum asserere, Christum et apostolos non habuisse aliqua iure proprietatis et dominii in speciali et in communi, et quod usus rerum usu consumptibilium non potest a proprietate et dominio separari, et quod, quicunque scienter verbo vel scripto contrarium asseruerit, tamquam rebellis et contumax ecclesiae habeatur, et alia plura contra sacram scripturam, per quae dictam determinationem ecclesiae et praedicti capituli generalis et regulam et religionem s. Francisci, quantum in se est, facit haereticam et schismaticam et destruit et confundit: patet aperte per statuta per ipsum dominum Ioannem facta et per mundum publice divulgata, quorum primum incipit *Ad conditorem*, secundum *Cum inter nonnullos*, tertium *Quia quorundam.* Quam ob rem, intendens, dictam assertionem praefati domini Ioannis manifeste adversari doctrinae catholicae et sanctae matris ecclesiae ac perfectioni ordinis saepedicti et quod per eam dictam determinationem ecclesiae et capituli, quantum in se est, haereticabat ac per consequens omnes illos, qui consenserunt in ipsam, haereticos faciebat, primo in eius praesentia constitutus in facie sibi restiti ad instar Pauli, qui Petro in facie restitit, cum gentes induceret ad iudaizandum et a veritate evangelii recedendum, sicut ipse testatur ad Gal. cap. 2, et asserui dictam determinationem et litteram capituli generalis non esse haereticam sed catholicam et cum determinatione ecclesiae concordare; et ipse me in sua curia statim post dictam resistentiam arrestavit. Ego vero ex hiis, quae dixerat et fecerat contra me, ac ex aliis probabilibus coniecturis manifeste agnoscens, quod ipse dominus intendebat me compellere ad abnegandam dictam determinationem capituli generalis, in Avinione adhuc existens, zelo fidei catholicae et dictae religionis accensus, habito prius magno et maturo consilio, ab ipso domino Ioanne et a dicta eius assertione et arrestatione infra tempus legitimum meo nomine et omnium fratrum mihi adhaerentium et adhaerere volentium ac dicti ordinis, secundum quod tradunt canonicae sanctiones, ad sanctam Romanam ecclesiam catholicam et apostolicam appellavi: et sic ab ipsius domini Ioannis obedientia et communione recessi – ad instar catholicorum et approbatorum virorum de clero Romano, qui ab obedientia et communione Anastasii papae deviantis a veritate fidei, quam ecclesia determinaverat, recesserunt, prout in canone XIX di. cap. *Anastasius* legitur et habetur, et ad instar sanctorum Athanasii, Eusebii et aliorum sanctorum, qui ab obedientia Liberii papae, et s. Hilarii Pictavensis episcopi, qui ab obedientia Leonis papae ex causa simili recesserunt. Et quia ipse dominus Ioannes me et sequaces meos persequebatur ad mortem, sicut notorium et manifestum existit, ideo iuxta consilium Christi dicentis: *Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam*, ad civitatem Pisarum me transtuli et ibi una cum magistris in sacra pagina et aliis notabilibus fratribus dicti ordinis mihi adhaerentibus dictam appellationem publicavi et etiam ab ipso domino Ioanne et dictis eius gestis et statutis per eum et ab omnibus aliis per eum factis contra me et mihi adhaerentes iterum ad sanctam Romanam ecclesiam publice et solemniter appellavi (*cfr. supra p. 341 not. 5, p. 346 not. 5, p. 408 not.*) et dictam appellationem eidem domino Ioanni transmisi.

Licet autem secundum iura et canonicas sanctiones ad generale concilium universalis ecclesiae, ad quam appellaveram, pertineret, de huiusmodi appellatione et crimine haeresis cognoscere et definire, quia in hiis, quae ad fidem catholicam pertinent, papa subest concilio (sicut patet per id, quod legitur et notatur in praeallegato cap. *Anastasius* XIX di. et XV di. cap. *Sicut sancti* in textu et glossa), et accusari et denuntiari possit papa de haeresi, nec possit statuere seu facere aliquid, per quod de haeresi non valeat accusari, quia ex tali statuto sive facto fides ecclesiae posset periclitari (sicut patet per id, quod legitur et notatur XL di. cap. *Si papa* in textu et glossa), et in hiis maius sit concilium papâ (Act. 15), sicut maior est orbis urbe (CXCIII di. cap. *Legimus* in textu et glossa), et, quod semel generale concilium sive synodus generalis statuit pro fidei veritate, papa mutare non possit, cum in hiis generali subsit concilio (XXIV qu. 1 cap. *Maiores* et in dicto cap. *Sicut sancti* et XXV qu. 1 cap. *Sunt quidam* et cap. *Contra statuta* et cap. *Omne* et cap. *Prima salus* et in eadem causa q. 2 cap. *Si ea destruerem* et cap. *Amputato*), immo, si papa a fide deviat, minor est quocunque catholico (sicut expresse notatur XXIV qu. 1 cap. *Achatius* in glossa et in § *Si autem*, versu *Item cum Dominus* in fine); et ideo per appellationem interpositam ab eo ego et adhaerentes mihi essemus ab omni potestate et iurisdictione ipsius domini Ioannis exempti (ut patet per id, quod legitur et notatur extra de appellationibus cap. *Proposuit* in textu et glossa), et is, ad quem appellatum est, et non is, a quo, habet de appellatione cognoscere (extra de appellationibus cap. *Ut debitus* et cap. *Cum speciali*), nec is, a quo appellatum est, possit in praeiudicium appellantis ipsa appellatione pendente aliquid innovare (II qu. 6 cap. *Appellatione* et ff. *Nil innovari appellatione pendente* l. 1), maxime, cum causam tangit, a qua appellatum sive provocatum est, sicut tangebat dictum dominum Ioannem, quia contra eum et eius statuta tamquam haeretica appellaveram; et in causa propria nullus potest iudicare vel ius sibi dicere (XXIII qu. 4 cap. *Inter querelas* et qu. 5 cap. *De occidendis* et cap. *Ne quis in causa propria iudicet vel ius sibi dicat* per totum) nec potest esse pars et iudex (IV qu. 4 cap. 1): tamen idem dominus Ioannes, recepta dicta appellatione per me interposita nominibus supradictis, respondendo ad ipsam appellationem et definiendo et determinando de ipsa et contentis in ea (pro libito voluntatis omni lege contempta penitus et subversa) composuit, fecit et publice promulgavit unum statutum sive libellum, cuius initium est: *Quia vir reprobus Michael de Caesena etc.* (*cfr. supra n. 820*), in quo libello sive statuto et priores errores pertinaciter defendit et manifestius explicat et alios errores ad primos accumulat, per quos, quod est fidei, quod religionis et quod morum, destruit et confundit; nam in eo inter cetera dogmatizat aperte infrascriptos errores (*sequuntur illi 12 errores, quos supra p. 426 not. retulimus*). Insuper idem

dentia, tibi rescribit de nostra conscientia venerabilis frater noster Bertrandus episcopus Tusculanus.

Datum [Avinione,] VI kalendas iunii, anno quintodecimo.

---

dogmatizat, quod illa benedictio data primis parentibus, cum dictum fuit: *Crescite et multiplicamini etc.*, fuit data Adae soli ante formationem Evae, et plura alia erronea.

Quem libellum responsionis, qui, ut dictum est, incipit: *Quia vir reprobus*, cum fui in civitate Monacensi, recepi et, ipso examinato visisque dictis erroribus contentis in eo, ab ipso et contentis et dogmatizatis in eo ad sanctam Romanam ecclesiam publice et sollempniter appellavi et tam in ipsa appellatione quam in aliis appellationibus supradictis me et mihi adhaerentes et dicta nostra supposui correptioni et emendationi ac protectioni et defensioni sanctae Romanae ecclesiae; et fui et sum semper protestatus in ipsis appellationibus, me illam fidem tenere et servare velle perpetuo, quam tenet et servat sancta Romana ecclesia, quae omnium ecclesiarum mater est et magistra, sicut constat per publica instrumenta confecta de appellationibus antedictis, in quibus etiam praedicti errores convincuntur et ostenduntur incidere in haereses per sanctam matrem ecclesiam condempnatas.

Cum igitur manifestum sit, quod ille, qui ad santam matrem ecclesiam appellat et ad eius auxilium refugit ac eius iudicium instanter postulat et requirit et se eius correptioni, emendationi et iudicio totaliter subiicit, ab unitate ipsius ecclesiae non recedit, sed in unitate eius semper permanet, cui se totaliter subiicit; et regula beati Francisci expresse dicat, quod *fratres sint semper subditi et subiecti pedibus sanctae Romanae ecclesiae, stabiles in fide catholica, paupertatem et humilitatem et sanctum evangelium domini nostri Iesu Christi, quod firmiter promiserunt, observent;* et ego, ut ex praedictis patet, pro fide catholica et paupertate et evangelio praemissis firmiter observandis et defendendis appellaverim et subiecerim me et dictum ordinem correptioni, emendationi, protectioni et defensioni ipsius sanctae Romanae ecclesiae: cogor non modicum admirari, quomodo aut qua fronte aliqui dicant, me ab unitate ecclesiae et ordinis recessisse, et suadeant, quod ad unitatem et gremium sanctae matris ecclesiae et dicti ordinis redeam vel accedam, cum ab ipsa unitate ecclesiae et dicti ordinis nunquam recesserim nec recedere intendam, sed in veritate ipsius sanctae Romanae ecclesiae et ordinis dictam regulam firmiter tenentis et observantis volo et intendo Domino assistente stare et permanere.

Nec obstat, quod aliqui dicere perhibentur, quod saltem ab unitate dicti ordinis videor recessisse ex eo, quod congregatio fratrum, quae facta fuit Parisius anno Domini MCCCXXIX de mense iunii, me ab officio ministerii deposuit et amovit ex auctoritate et potestate eis data, ut asserunt, per capitulum regulae beati Francisci, in quo dicitur in haec verba: *Et si aliquo tempore appareret universitati ministrorum provincialium et custodum, praedictum ministrum non esse sufficientem ad servitium et communem utilitatem fratrum; teneantur praedicti fratres, quibus electio data est, alium sibi eligere in custodem*, quia hiis non obstantibus gero me pro generali ministro. Et vere non obstat, quia constat, quod dictus dominus Ioannes post et contra dictam appellationem me de facto absolvit sive deposuit a dicto officio, quamvis de iure non posset, ut superius est probatum; et, quasi dictus ordo ministro generali careret, fecit dominum Bertrandum de Turre vicarium generalem dicti ordinis, et ipse dominus Bertrandus auctoritate talis vicariatus mutavit terminum triennii secundum regulam constitutum per capitulum generale Bononiae celebratum ac statuit, quod fratres congregarentur Parisius Pentecoste tunc proxime futuro, et ministros secundum formam regulae et generalis concilii Viennensis (*cfr. supra p. 390 not.*) per electionem institutos amovit pro maiori parte et alios instituit, non per electionem sed motu proprio, et mandavit, quod congregarentur Parisius ad hunc effectum, ut dicto ordini tamquam carenti ministro per dictam depositionem seu amotionem de me factam providerent de generali ministro. Et sic huiusmodi tales ministri cum quibusdam aliis in dicto festo Pentecostes se congregaverunt Parisius et instrumentum publicum fieri fecerunt, in quo dicitur sic: « Praedicti ministri et custodes, asserentes fratrem Michaelem fuisse iuste depositum et alias poenas incurrisse, nihilominus tamen ex abundanti et ad cautelam et ad eius malitiam convincendam, qua audet se erigere, ut abutetur dicto officio contra voluntatem et praeceptum dicti domini papae et etiam contra totius ordinis voluntatem, qui eum reputat iuste depositum a praedicto domino nostro papa, auctoritate regulae et potestate ex eorum regula eis data ipsum deposuerunt et amoverunt, quantum in eis est, ab officio memorato ». Haec verba dicti instrumenti sive depositionis praedictae. Ex quibus clare patet, quod dictum capitulum regulae in dicto casu nullatenus vendicat sibi locum: tum quia verba regulae praedictae loquuntur, quando ministri veri et legitimi ministrum generalem, quem habere se reputant et habent pro vero generali ministro, vident insufficientem; at in dicto casu dicti dicentes se ministros expresse asserunt, quod habebant me pro deposito et amoto per ipsum dominum Ioannem; unde secundum eos non deposuerunt me tamquam insufficientem, sicut dicit dictum capitulum regulae, nec ad hoc se congregaverunt Parisius, sed solum ad hunc effectum, ut eligerent alium generalem ministrum in locum mei secundum eos iuste depositi et amoti et secundum mandatum eis datum per ipsum dominum Bertrandum et ab ipsis sponte assumptum et ad cuius mandati executionem se congregaverunt; non habebant potestatem videndi, utrum forem sufficiens ad servitium et communem utilitatem fratrum, sicut dicta regula requirit, sed habito me pro deposito et amoto alium debebant eligere in generalem ministrum; et ideo dictum capitulum regulae in hoc casu sibi locum nullatenus vendicat. Tum quia depositio et amotio per dominum Ioannem de me facta et creatio dicti domini Bertrandi in vicarium dicti ordinis fuerunt factae post et contra appellationem per me interpositam et nullius fuerunt momenti, ut superius est probatum. Et ideo amotio antiquorum ministrorum provincialium et creatio novorum ministrorum factae per dictum dominum Bertrandum nullius fuerunt momenti, ex eo quod non erat vicarius legitime institutus, et ex eo quod ipsa creatio fuit facta contra formam generalis concilii Viennensis, quod statuit, quod ministri provinciales deberent per electionem provincialis capituli institui, et decernit, quidquid contra fit, irritum et inane; unde, cum non fuerint ministri legitimi nec legitime instituti, dictum capitulum regulae, quod loquitur de veris ministris et legitimis, qui habent videre, utrum existens minister sit sufficiens, nullatenus vendicat sibi locum. Tum quia secundum iura et canonicas sanctiones, ubi principale non tenuit (sc. creatio vicarii, mutatio termini triennii et mandatum factum per dominum Bertrandum, quod se congregarent, et congregatio ipsius auctoritate et mandato facta), per consequens, quicquid secutum est ex ipsis vel ob id, nullius fuit roboris et momenti, ut iura dicunt. Tum ex aliis rationibus et allegationibus super hiis factis (*cfr. supra not. ad n. 795*) et per diversas partes ordinis missis, quae hic brevitatis causa dimittuntur.

Si vero potestis ostendere, quod praedicta per me superius allegata a veritate devient et quod praedicta dicta, statuta et gesta per praefatum dominum Ioannem cum veritate evangelii et dictae regulae beati Francisci stare possint quodque ipsa veritati nullatenus adversentur, et veritatem regulae, quam vovistis, vultis tenere et inviolabiliter observare: offero me paratum renuntiare omnibus appellationibus per me interpositis et officio generalis ministerii mihi imposito, quod, novit Deus, invite exerceo, nisi in quantum me cogit necessitas defensionis fidei catholicae et ordinis saepedicti. Quod si non potestis aut non vultis facere supradicta, saltem stantes et pugnantes pro ipsa

911. Indulget, quod Clarissae de Altaripa dioec. Tolosan. uti possint privilegiis Clarissis Tolosan. concessis, et archiepiscopis Narbonen. ac Tolosan. committit, ut ipsis super iisdem privilegiis efficacis defensionis praesidio assistant. [1]

1331, iunii 5, Avinione.

a) *Dilectis in Christo filiabus abbatissae et conventui monasterii sanctae Clarae de Altaripa ordinis eiusdem sanctae Tolosanae dioecesis.*

Sacra vestra religio. *etc.* Et propterea dignum arbitramur et congruum, ut sedes apostolica vos ... ac vestrum monasterium eo amplioribus gratiis et opportunis favoribus prosequatur, quo quietius et liberius praemissa potioribus communitae libertatibus possitis ad laudem divini nominis adimplere. Hinc est, quod nos vestris devotis supplicationibus inclinati, ut vos et illae, quae vobis in ipso monasterio succedent, omnibus privilegiis, indulgentiis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus apostolicis uti et gaudere libere valeatis, quibus dilectae in Christo filiae abbatissa et conventus monasterii sanctae Clarae Tolosan. eiusdem ordinis utuntur et gaudent, devotioni vestrae auctoritate apostolica de speciali gratia indulgemus. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, nonis iunii, anno quinto decimo.

b) *Venerabilibus fratribus Narbonen. et Tolosan. archiepiscopis.*

Sacra religio dilectarum in Christo filiarum abbatissae et conventus monasterii sanctae Clarae de Altaripa *etc. m. m. ut supra usque* de speciali gratia duximus indulgendum. Quocirca fraternitati vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus ... eisdem abbatissae et conventui dicti monasterii de Altaripa super praedictis privilegiis, libertatibus, immunitatibus et exemptionibus efficacis defensionis praesidio assistentes non permittatis eas super his ab aliquibus indebite molestari, molestatores nec non contradictores quoslibet et rebelles auctoritate praedicta per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Non obstante *etc.* Datum Avinione, nonis iunii, anno quintodecimo.

---

veritate et opponentes se murum pro domo Israel persequi desistatis. — Licet autem indebite me putetis aversum, tamen vestri non immemor suadeo et exhortor, ne regulam evangelicam coelitus datam, per quam a ceteris velut specifice distincti estis, mutetis in aliquo nec mutationi, quae per aliquem fieri vellet, praebeatis assensum: quia « quicunque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos »; qui vero illam mutaverint vel eius mutationi assenserint, Isaiae vaticinio, ubi dicitur: *Vae, filii desertores etc.*, se noverint subiacere.

Ex parte fratris Michaelis generalis ministri dicti ordinis licet inviti, de voluntate et assensu fratrum Henrici de Thalem, Francisci de Aesculo, Guilelmi Occkam, in sacra pagina magistrorum, et fratris Bonagratiae ac aliorum fratrum eis adhaerentium. Datum in Monaco in festo s. Marci evangelistae (die 25 martii) anno MCCCXXXI. In quorum testimonium ego fr. Michael una cum dictis magistris Henrico, Francisco et Guilelmo sigilla apposuimus ». - *Sequitur (in codice supradicto) relatio facta de praefata littera, sc. quando et ubi et coram quibus fuit praesentata per eumdem nuntium, qui portavit, et per alias litteras fratrum transmissas eidem fratri Michaeli generali ministro.* « Praedictas autem litteras destinavi et misi ad dictam congregationem per Iohannem de Lotharingia nuntium electum et deputatum ad portandum et praesentandum dictas litteras. Postea vero die XVII mensis iulii fideli relatione dicti Iohannis de Lotharingia et etiam per litteras mihi a fidedignis personis missas recepi, quod ipse nuntius dictas litteras in locum fratrum Minorum de Perpiniano, ubi dicta congregatio facta erat, publice praesentavit fratri Geraldo, qui se dicit generalem ministrum ordinis Minorum, in die Pentecostes proxime praeterito, existenti in ecclesia dictorum fratrum in choro ipsius ecclesiae, cum missa celebraretur de Spiritu sancto, praesente fratrum multitudine copiosa. In quibus etiam litteris mihi per dictum nuntium portatis continebatur, quod dictus fr. Geraldus dictas litteras misit praefato domino Ioanni [papae XXII]. Quamobrem ego dictus fr. Michael generalis minister dicti ordinis, attendens, quod praedicti fratres respondere dictae litterae neglexerunt et contempserunt, et sacris canonibus fore cautum, quod per regnum terrenum coeleste regnum proficit et quod sunt hii, qui intra ecclesiam positi adversus fidem seu disciplinam agunt vel eam defendere negligunt, sub rigore regum et principum conterendi; et volens dictam fidem catholicam et apostolicam deducere [ad] fidelium publicam notionem: instrumentum appellationis ultimo per me interpositae contra dictos XII errores et haereses dogmatizatas in supradicto libello, qui incipit: *Quia vir reprobus*, regibus et principibus christianis ac universis christifidelibus per sollemnes nuntios et fideles destinavi. In quo instrumento continentur rationes divini et humani iuris, per quas ostenditur manifeste, dictos errores XII incidere in haereses manifestas per s. Romanam ecclesiam in sacris canonibus et per diffinitionem sanctorum doctorum ecclesiae condempnatas, et quod ab obedientia dicti domini Ioannis tamquam haeretici manifesti est ab omnibus vere fidelibus et catholicis recedendum: sicut in ipso publico instrumento plenissime et apertissime rationibus inconvincibilibus demonstratur. In quorum omnium testimonium et fidem ego fr. Gualterius filius Bontii de Arimino de Iustipolim imperiali auctoritate notarius publicus de mandato praefati fratris Michaelis generalis ministri praedicta scripsi et meum signum hic apposui. Et tam ipse quam infrascripti magistri in sacra pagina [Henricus de Thalem, Franciscus de Aesculo, Guilelmus Occham et Bonagratia iuris utriusque peritus] manu sua se subscripserunt et sigilla sua apposuerunt ».

In eodem codice praedicto proxime sequuntur litterae, quas Geraldus ord. Min. minister generalis Perpiniani tempore illius capituli generalis ad Michaelem de Caesena destinavit et quae incipiunt: « Quid niteris », et responsum, quod hic ad illum scripsit quodque incipit: « Teste Salomone ». Codex autem Vat. lat. n. 4008, qui omnino concordat cum Parisiensi lat. n. 5154, continet insuper alias litteras incip. « Operarii subdoli », quibus Geraldus minister generalis totumque capitulum generale Perpiniani notum faciunt, in fratrem Michaelem de Caesena eiusque sequaces poenas expulsionis de ordine et carceris sempiterni esse latas. Istis litteris insertae sunt illae, quibus idem minister generalis tempore capituli generalis Parisiis (a. 1329) congregati notum facit, se ac ipsum capitulum contra Michaelem de Caesena et Petrum de Corvaria sententias depositionis et excommunicationis tulisse. Singulae litterae, quae in hac extrema annotatione significantur, aut integrae aut truncatae tum apud *Rayn.* Ann. eccl. tum apud *Wadd.* Ann. Min. tum apud *Bzovium* ord. Praed. iam publicatae sunt.

[1] Reg. Vat. 99, ep. 1098; apud *Wadd.* l. c. n. 132.

912. Monasterio Clarissarum de Söflingen ecclesiam de Harthausen et capellas de Ehrenstein et Burlafingen uniri iubet.[1]

1331, iunii 13, Avinione.

Venerabili fratri .. episcopo Constantiensi.

Petitio pro parte dilectarum in Christo filiarum .. abbatissae et conventus monasterii sororum de Sevelingen ordinis sanctae Clarae tuae diocesis nobis exhibita continebat, quod ipsae in parrochiali ecclesia in Harthusen et in capellis in Erichenstein ac Burlavingen eiusdem diocesis ius obtinent patronatus et quod interdum, cum ecclesia et capellae praedictae vacant pro tempore, et interdum etiam, cum non vacant, nobiles et potentes vicini, interdum alii praedones et latrones, in quorum medio ecclesia et capellae praedictae consistunt, eas etiam temeritate propria recipiunt et occupant eorumque filiis seu consanguineis (etiam ad obtinendum illas aetatem legitimam non habentibus) ipsas assignant dictasque abbatissam et conventum interdum ad consentiendum eis in praemissis per destructionem bonorum dicti monasterii pro sua voluntate compellunt: sicque multa animarum exinde pericula oriuntur et eisdem abbatissae et conventui dampna propter hoc et scandala gravia generantur. Quare pro parte ipsarum fuit nobis humiliter supplicatum, ut statui et quieti earum salubriter provideretur et, ut ipsae ab huiusmodi dampnis, scandalis et periculis liberentur, dictas ecclesiam et capellas, quarum omnium fructus, redditus et proventus sexaginta librarum turonensium parvorum secundum taxationem decimae sicut asseritur valorem annuum non excedunt, cum omnibus iuribus et pertinentiis earundem eisdem abbatissae et conventui auctoritate apostolica in perpetuum annectere et unire de speciali gratia dignaremur. Quia igitur de praemissis notitiam non habemus, fraternitati tuae, de qua plenam in Domino fiduciam gerimus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, si est ita, praefatas ecclesiam et capellas cum omnibus iuribus et pertinentiis earundem eisdem abbatissae et conventui et per eas monasterio memorato auctoritate apostolica in perpetuum unias et annectas, eas per dictas abbatissam et conventum in usus earum proprios perpetuo concedendo: ita quod ecclesiae ac capellarum praedictarum rectoribus, qui nunc sunt, cedentibus vel decedentibus vel ecclesia et capellis praedictis quocunque alio modo vacantibus dictae abbatissa et conventus corporalem possessionem ecclesiae et capellarum praedictarum ac omnium iurium et pertinentiarum ipsarum, per se vel procuratores suos libere apprehendere valeant et tenere, tua vel alterius cuiuscunque super hoc licentia minime requisita; reservatis tamen de dictarum ecclesiae et capellarum fructibus, redditibus et proventibus perpetuis vicariis in eis in divinis officiis servituris, ad praesentationem dictarum abbatissae et conventus instituendis ibidem, congruis portionibus, ex quibus possint commode sustentari, iuria episcopalia solvere et alia sibi incumbentia onera supportare: contradictores auctoritate nostra appellatione postposita compescendo, non obstantibus *etc.* Dat. Avinione, idibus iunii, anno quintodecimo.

913. Ioanni de Montenantolio ord. Min. propter certas causas legitimas ad ordinem s. Ben. et monasterium s. Nicholai de Bosco se transferendi facultatem concedit.[2]

1331, iunii 13, Avinione.

Theoderico abbati mon. s. Nicolai de Bosco ord. s. Bened. dioc. Laudunen.

Romana pia mater ecclesia *etc.* Datum [Avinione,] idus iunii, anno quintodecimo.

914. Petrum Minoritam praeficit ecclesiae Acernen. in episcopum.[3]

1331, iulii 1, Avinione.

Venerabili fratri Petro episcopo Acernen.

Dum ad universas orbis ecclesias *etc.* Dudum siquidem ecclesia Acernen.[4] per obitum bon. mem. Iordani episcopi Acernen. qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, nos huiusmodi vacatione ipsius ecclesiae fide dignis relatibus intellecta, cupientes ipsi ecclesiae per apostolicae sedis providentiam personam idoneam praesidere, provisionem ipsius ecclesiae dispositioni nostrae et sedis praedictae ea vice duximus reservandam, decernentes ex tunc irritum *etc.* Et postmodum ad provisionem ipsius ecclesiae, ne prolixae vacationis subiaceret incommodis, ... sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de praeficiendo eidem ecclesiae personam utilem et etiam fructuosam habuimus cum nostris fratribus diligentem, demum ad te ordinis fratrum Minorum professorem, in sacerdotio constitutum, litterarum scientia praeditum, morum gravitate conspicuum, in spiritualibus providum aliisque virtutum meritis, prout fide dignorum habet assertio, insignitum, direximus oculos nostrae mentis. Quibus omnibus debita consideratione pensatis, de persona tua dictae Acernen. ecclesiae de ipsorum fratrum nostrorum consilio apostolica auctoritate providimus teque illi praefecimus in episcopum et pastorem, curam et

---

[1] Reg. Vat. t. 100, ep. 751.
[2] Reg. Vat. t. 116, f. 16, ep. 66.
[3] Reg. Vat. t. 97, ep. 36; apud *Wadd.* l. c. n. 131.
[4] *Acerno* in prov. Salernitana.

administrationem ipsius ecclesiae tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo, et subsequenter tibi per venerabilem fratrem nostrum Bertrandum [1] episcopum Tusculanum munus fecimus consecrationis impendi *etc.* Dat Avinione, kalendis iulii, anno quintodècimo. [2]

915. Excusat se erga Raynaldum comitem Gelriae (*Geldern*), quod licentiam ingrediendi monasteria Clarissarum concedere non potuerit. [3]

1331, iulii 7, Avinione.

Raynaldo comiti Gelrensi.

Serie petitionis inspecta, qua poscebas a nobis, quod claustra dilectarum filiarum in Christo monialium ordinis sanctae Clarae posses ingredi, quotiens opus esset, tibi concedere dignaremur: quia, occupatione coelestis contemplationis attenta, nec saluti nec religioni expedit monialium praedictarum nec Deo per consequens gratus existeret talis ingressus, super hoc, fili, tua nos habeat nobilitas excusatos. Datum [Avinione], idibus iulii, anno quintodecimo.

916. Regno Siciliae monet, ut litteras contra Fraticellos aut sequaces Michaelis de Caesena sibi missas publicari faciat. [4]

1331, iulii 8, Avinione.

Eidem regi [Siciliae].

Dilecto filio nobili viro *etc.* [5] Litteras apostolicas missas certis personis per nostrum nuncium pro meliori noluisti tunc temporis publicari. Profecto, fili, non videtur tibi tutum nec honorabile, litteras apostolicas, praesertim quae ad negotium fidei pertinent, ulterius retinere vel publicationem earum aliquatenus impedire; ideoque requirimus prudentiam regiam et hortamur in Domino, ut dictas litteras illis, quibus diriguntur, assignare taliter facias, quod eas valeant publicare. Sicut alias regiae celsitudini scripsimus, non est regnum inter christianos, in quo non fuerint similes publicatae. Et si aliquorum mentes moveant rationes, quas haereticus ille Michael de Caesena contra nostras constitutiones cum suis fautoribus fabricavit, te, cuius intellectum Deus illuminavit multipliciter, movere non debent. Datum [Avinione], VIII idus iulii, anno quintodecimo.

917. Visitantibus ecclesiam vel cappellam b. Mariae fratrum Minorum Cassellen. et de Botonia indulgentias concedit. [6]

1331, iulii 15, Avinione.

Universis Christi fidelibus.

Dum praecelsa meritorum insignia *etc.* Nos igitur cupientes, ut ecclesia beatae Mariae ordinis fratrum Minorum in Botonia [7] Clonen. [8] diocesis, quam ipsi fratres ad praesens construi faciunt, eo ferventius congruis honoribus a Christi fidelibus frequentetur, quo ipsi potiora dona spiritualis gratiae fuerint consequuti, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui in singulis quatuor festivitatibus ipsius Virginis gloriosae: centum, illis vero, qui per octavas dictarum festivitatum ecclesiam ipsam devote visitaverint annuatim, quadraginta dies de iniunctis eis poenitentiis, singulis videlicet earumdem festivitatum et octavarum diebus, quibus visitaverint manumque porrexerint adiutricem, ut praefertur, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, misericorditer relaxamus: praesentibus post triennium minime valituris. Datum Avinione, idibus iulii, anno quintodecimo. [9]

918. Cancellarium Parisien. Guilelmo de Brena magisterium theologicae facultatis conferre iubet. [10]

1331, iulii 15, Avinione.

Dilecto filio .. cancellario ecclesiae Parisien.

Religiosis personis, quae virtutum studiis per lectionum exercitia laudabiliter sic insudant, quod scientiae bravium assequi promerentur, libenter apostolici favoris praesidium impertimur. Cum itaque fidedigna relatione percepimus, quod dilectus filius Guillelmus de Brena ordinis fratrum Minorum, bacalarius in sacra pagina, adeo in theologica facultate divina sibi gratia suffragante profecerit, quod debet idoneus reputari ad obtinendum doctoratus licentiam in eadem: discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatinus dicto Guillelmo, si ipse ad hoc ex testimonio magistrorum facultatis praedictae idoneus repertus extiterit, non obstantibus statutis et consuetudinibus quibuscumque contrariis (iuramento, confirmatione apostolica vel quacumque alia firmitate vallatis) huiusmodi licen-

---

[1] De Turre ex ord. Min.

[2] In eumdem modum capitulo ecclesiae Acernen. et clero ac populo civitatis et dioecesis Acernen., archiepiscopo Salernitano et Roberto regi Siciliae, qui monetur, ut eidem Petro se reddat regio favore munificum et in cunctis eius opportunitatibus gratiosum.

[3] Reg. Vat. t. 116, f. 80, ep. 375; cfr. infra n. 1009.

[4] Reg. Vat. t. 116, f. 96, ep. 486; cfr. supra n. 891 et infra n. 924.

[5] Agitur de matrimonio contrahendo inter neptim vel nepotem Stephani de Columna et filium vel filiam cuiusdam comitis necnon de Caroli regis Hungariae ad curiam Romanam adventu, qui opportunus non esse dicitur.

[6] Reg. Vat. t. 100, ep. 485 et 486; apud *Wadd.* l. c. n. 134 et 135.

[7] *Buttevant* in custodia Corkagensi prov. Hiberniae; *Wadd.* l. c. perperam scribit: « Derotonia ».

[8] *In registro minus recte:* Olonen.

[9] In e. m. pro visitatione capellae b. Mariae fr. Min. Cassellen. (*Cashel* in custodia Cassellen. prov. Hiberniae), quam ipsi fratres ad praesens construi faciunt.

[10] Reg. Vat. t. 100, ep. 565; *Char. Univ. Paris.* t. II, n. 914.

tiam largiaris. Datum Avinione, idibus iulii, anno decimoquinto.

919. Elisabeth reginae Hungariae concedit facultatem in regno Hungarico fundandi unum locum ad usum fratrum Minorum. [1]

1331, iulii 22, Avinione.

Carissimae in Christo filiae Elisabethae reginae Hungariae.

Eximiae devotionis sinceritas, quam ad Romanam geris ecclesiam, sublimisque tui status magnificentia promeretur, ut desideria tua, potissime quae pietatem sapiunt et cultus divini incrementum respiciunt, ad exauditionis gratiam admittamus. Sane petitio pro parte tua nobis exhibita continebat, quod tu, de salute propria cogitans et pie desiderans transitoria in aeterna felici commercio commutare, in aliqua civitate, castro seu villa regni Hungariae, unum locum cum oratorio ac coemeterio et aliis necessariis officinis, in quo loco fratres ordinis Minorum ad laudem divini nominis valeant commorari, de bonis propriis construere de novo proponis. Nos itaque, tuis devotis in hac parte supplicationibus inclinati, construendi propterea de novo de bonis propriis in aliqua civitate, castro seu villa regni praedicti, in loco tamen ad hoc convenienti (insula Danubii prope castrum Budae ad dilectas in Christo filias priorissam et conventum monasterii de dicta insula per priorissam soliti gubernari ordinis sancti Augustini spectante et etiam castro praedicto Vesprimien. dioec. exceptis), unum locum cum oratorio ac coemeterio et aliis necessariis officinis, dummodo in eodem loco construendo duodecim fratres dicti ordinis inibi commorantes congrue et honeste valeant sustentari, dictisque fratribus recipiendi locum ipsum ac inibi in Domino laudabiliter morandi (fel. record. Bonifatii papae VIII praedecessoris nostri, qua inhibetur *etc.*, non obstante *etc.*) devotioni tuae tenore praesentium de speciali gratia indulgemus. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, XI kal. augusti, anno quintodecimo. [2]

920. Henricum de Somons (al. Semons) ord. Min., mag. theol., in suum recipit capellanum. [3]

1331, iulii 27, Avinione.

Henrico de Somons ordinis fratrum Minorum in sacra theologia magistro, capellano nostro commensali.

Virtutum decor, religionis zelus, famae nitor, excellens litterarum scientia et alia devotionis et probitatis tuae merita, quibus clarere dinosceris, nos inducunt, ut personam tuam utique nobis acceptam paternis et gratiosis affectibus honoremus. Hinc est, quod nos te in capellanum nostrum commensalem gratiose recipimus et capellanorum nostrorum commensalium consortio favorabiliter aggregamus, sperantes in Domino, quod per honorem tibi exhibitum studia continuando virtutum de devoto fies devotior sicque de bono procedere iugiter in melius procurabis, quod nostram et apostolicae sedis tibi vendicabis benevolentiam et gratiam ampliorem. Datum [Avinione], VI kalendas augusti, anno quintodecimo.

921. In consistorio publico (praesentibus Petro Praenestin., Bertrando Tusculan., Ioanne Portuen. episcopis, Annibaldo tit. s. Laur. in Lucina, Petro tit. s. Stephani in C. M., Raymundo tit. s. Eusebii, Iacobo tit. s. Priscae presb., ac Bertrando s. Mariae in Aquiro diac. card.) praecipit fratribus Ioanni Romano, Minio Tusciae, Laurentio Terraelaboris, Bartholoto Ianuensi ministris ord. Min. ibidem praesentibus necnon et dictorum ministrorum subditis, ut regulam s. Francisci et constitutiones fel. rec. Nicolai III ac Clementis V et contenta in eis, quantum tangunt usum pecuniae, observent et custodiant. Quibus quidem ministris tacentibus nec dicto praecepto contradicentibus idem summus pontifex G. de Petrilia et B. de Pereto clericis camerae apost. mandat, ut inde faciant publicum instrumentum: quod factum est eodem die 1 augusti 1331 praesentibus Gasberto archiepiscopo Arelaten. et fr. Geraldo Othonis ministro ord. fr. Min. [4]

1331, augusti 1, Avinione.

922. Monet Guillelmum Astre ord. Min., inquisitorem haer. prav., ut in negotio provide coepto persistat. [5]

1331, augusti 5, Avinione.

Guilelmo Astre ord. fratrum Minorum, inquisitori haereticae pravitatis in provincia Provinciae. [6]

Negotium, super quo tuas nobis litteras cum quadam interclusa cedula transmisisti, coeptum videtur provide; ideoque tuam sollicitudinem in Domino exhortamur, ut in eo cures persistere, quousque id perfectum fuerit, diligenter: sic quod labes illa ultra non crescat in illis partibus, sed penitus evanescat; quod ille dignetur perficere, cui, cum voluerit, subest posse. Datum [Avinione,] nonis augusti, anno quintodecimo. [7]

---

[1] Reg. Vat. t. 100, ep. 594, apud *Wadd.* l. c. (reg. Io. XXII) n. 136.

[2] Conventus fratrum Min., qui vi harum litterarum fundatur, est Szathmariensis. — Aliis litteris die 5 aug. 1331 datis summus pontifex Carolo regi Hungariae scribit, se ex ipsius litteris per fr. Ioannem ministrum provinciae Hungariae ord. Min. sibi allatis intellexisse triumphum gloriosum nuper contra Tartaros ab ipso obtentum et casum sinistrum, qui contigit ipsi et gentibus eius insidiis in regressu paratis; de prosperis se laetum fuisse et de adversis paterna compati caritate (l. c. t. 116, f. 97, ep. 487).

[3] Reg. Vat. t. 116, f. 180, ep. 871.

[4] Arch. Vat. miscell. XXXIV, 2, f. 18; cfr. *Wadd.* Ann. Min. ad a. 1331, n. 7-11, et Anal. Francisc. II, 154.

[5] Reg. Vat. t. 116, f. 186, ep. 914.

[6] Postmodum in episcopum Apten. promoto; cfr. infra n. 984.

[7] Quid sit negotium, de quo in istis litteris sermo est, difficile est dictu.

923. Reginae Siciliae respondet ad quaedam dubia, maxime circa paupertatem Christi et apostolorum eius. [1]

1331, augusti 10, Avinione.

[Sanciae] Reginae Siciliae.

Ex contentis in scripturis praesentibus interclusis, si ea diligenter intellexeris, percipere poteris evidenter, quid secundum scripturam sacram et dicta sanctorum debeas credere et tenere: haereticum esse pertinaciter dicere Christum et apostolos non habuisse aliquid in communi vel proprio, sed tantum simplicem usum facti. Item, quando [papa] contra statuta conciliorum generalium et praedecessorum suorum dispensare valeat et etiam ordinare. Necnon, quod per nullum universale concilium nec per aliquem summum pontificem ordinatum extitit seu etiam declaratum, Christum et apostolos non habuisse aliquid in communi vel proprio, sed tantum simplicem usum facti. Item, quod hoc, seu quod Christus et apostoli nichil habuerunt in proprio vel communi nisi tantum simplicem usum facti, ad fidem non pertinet, sed est contra fidem aperte. Ex quibus relinquitur evidenter, quod omnia, quae a veritatis aemulis ad probandum, quod Christus et apostoli nichil habuerunt in communi vel proprio nisi usum facti simplicem, inducuntur, super falso fundantur suntque scripturae sacrae contraria manifeste. Aperiantur igitur, quaeso, ad praemissorum veritatem intelligendum cordis tui oculi, eamque tenaciter ac inviolabiliter conservare procura. Quod tibi concedat, qui de ignorantiae tenebris, quos vult, ad lumen veritatis adducit. Datum [Avinione,] IV idus augusti, anno quintodecimo.

924. Regi Siciliae de praemissis scribit, Geraldum ministrum ord. Min. generalem recommendat, quaedam nova communicat, et, quod certae quaedam litterae publicentur, ab eodem petit. [2]

1331, augusti 19, Avinione.

[Roberto] regi Siciliae.

Ecce, fili carissime, quod filiae nostrae in Christo carissimae Sanciae reginae Siciliae illustri, consorti tuae, super dubiis nobis per eam missis taliter scribimus, quod speramus in Domino, si fidelem et intelligentem habuerit interpretem, ignorantiae fugatis tenebris nequaquam de nostris constitutionibus haesitabit, sed ipsis velut divinae scripturae consciis constanter et immobiliter acquiescet. Ad quod regia circumspectio opportuna admodum esse poterit, quam ob honorem Dei salutemque ipsius reginae animae desideranter appetimus non deesse. — Recommendamus excellentiae regiae Geraldum ordinis fratrum Minorum generalem ministrum, ut in exequendo suo officio in illis partibus eidem assistat viriliter et potenter.

De rege Boemiae certum est, quod Lombardiam exiverat; sed quo iverit, adhuc in curia nequaquam, quod nos sciamus, plena notitia habebatur: quibusdam dicentibus, quod ad Bavarum, aliis, quod immo recta via ad regem Franciae suos direxerat gressus. — Novitates aliquae factae sunt in Brixia et Cremona; sunt enim quidam capti de Brixia et Parmam adducti; in Cremona etiam duo de Calanilebus sunt capti. — Stolium Cathalanorum hucusque plus dilecto filio .. magistro ordinis Hospitalis obfuit, quam nocuerunt inimicis. Quae regibus Aragonum et Maioricarum nunciamus, instantes, ut talia prohibeant fieri et, quae minus provide gesta sunt, reformari.

Litteram recepimus regiam, qua magistro G. de Valle praeceperat, quod litteras apostolicas [3] illis, quibus dirigebantur, faceret assignari, et quod fuerant assignatae. Sed quia assignatio esset frustra, nisi publicatio sequeretur, rogamus excellentiam regiam et hortamur, quatinus publicationem ipsarum impedire non sinat: quia pro certo impedimentum tale non cedet ad suam gloriam nec honorem, immo veremur, quod, si talia dissimulet, illius, qui aufert corda principum, iram et indignationem incurret. Datum [Avinione], idus augusti, anno quintodecimo.

925. Dispensat cum Endelina moniali mon. s. Marcelli prope Parisios, quod non obstante macula geniturae illegitimae in abbatissam valeat eligi. [4]

1331, augusti 10, Avinione.

Dilectae in Christo filiae Endelinae de Parisius, moniali monasterii sancti Marcelli prope Parisius ordinis sanctae Clarae.

Testimonium tibi laudabile suffragatur, quod a Domino gratiam consecuta es, geniturae maculam, quam non ex legitimo thoro nata, sed de clarae mem. Ludovico [X] rege Franciae soluto et coniugata, contraxisse dignosceris, sic claris virtutibus compescas, quod dignam te reddas apostolicae sedis gratia et favore. Hinc est, quod nos tuis supplicationibus inclinati, volentes personam tuam, pro qua etiam dilectae in Christo filiae abbatissa et conventus monasterii sancti Marcelli prope Parisius ordinis sanctae Clarae, cuius monialis existis, pro te nobis in hac parte supplicarunt humiliter, prosequi praerogativa favoris et gratiae specialis, tecum, ut eodem defectu et quibuscunque constitu-

---

[1] Reg. Vat. t. 116, f. 96, ep. 478; cfr. infra n. 924 et 932.
[2] Reg. Vat. t. 116; f. 95, ep. 477.
[3] Cfr. supra n. 891, 896, 916.
[4] Reg. Vat. t. 100, ep. 621; apud *Wadd.* l. c. n. 117.

tionibus Romanorum pontificum ac statutis et consuetudinibus monasterii et ordinis praedictorum contrariis nequaquam obstantibus possis in abbatissam ipsius vel alterius cuiuscunque monasterii dicti ordinis libere eligi et assumi, dummodo aliud canonicum non obstet impedimentum, auctoritate apostolica de speciali dono gratiose dispensamus. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, IV idus augusti, anno quintodecimo.

926. Mandat inquisitori haer. prav. in partibus Tusciae, ut fratres Erem. s. Aug., si constat, eos locum de Scarparia prope Florentiam indebite occupasse, ab eodem expellat. [1]

1331, augusti 18, Avinione.

Dilecto filio .. inquisitori haereticae pravitatis in provincia Tusciae auctoritate apostolica deputato.

Gravem dilectorum filiorum .. prioris et capellanorum plebis sanctae Mariae de Fagna Florentinae diocesis querelam recepimus continentem, quod dudum ex parte ipsorum nobis exposito, quod dilecti filii fratres ordinis Heremitarum s. Augustini (asserentes, nos eis recipiendi licite in quibuscunque provinciis certa loca et in illis ecclesias et oratoria absque parochialium ecclesiarum et cuiuslibet alterius praeiudicio construendi concessisse per nostras certi tenoris litteras facultatem) huiusmodi concessionis praetextu in terra vocata de Scarparia dictae diocesis inter duo loca ordinis fratrum Minorum, quorum nullus ultra unam leucam ab eadem terra distare dicitur consistente locum receperant et ibidem ecclesiam seu oratorium, dilectis filiis vicariis venerabilis fratris nostri .. episcopi Florentini ac eisdem priore et capellanis minime requisitis, in ipsorum prioris et capellanorum ac suarum ecclesiarum, infra quarum parochias praedicta terra posita est, grave praeiudicium construxerant, concessionis praefatae formam temerariis ausibus excedendo, nos dilecto filio .. guardiano fratrum dicti ordinis Minorum Florentin. per alias nostras certi tenoris litteras dedimus in mandatis, quod ... vocatis evocandis veritatem inquirens, quod in praeiudicium dictorum prioris et capellanorum ac ecclesiarum suarum contra formam et tenorem concessionis praedictae per eosdem fratres attemptatum existere repperiret, id curaret mediante iustitia revocare, prout in eisdem litteris plenius continetur. Et licet dilectus filius Iuvenalis de Aglis tunc guardianus fratrum dicti ordinis Minorum Florentin. earundem litterarum auctoritate in huiusmodi negotio inquisitionis procedens (citatis legitime .. priore et conventu fratrum dicti ordinis Heremitarum s. Augustini eiusdem loci de Scarparia) inquisitionis articulos in praedictis formaverit ac eisdem fratribus celebrationem divinorum pendente inquisitione huiusmodi interdixerit, ac ... deinde dilectus filius Iacobus de Rubeis de Florentia plebanus plebis de Suffignano dictae diocesis, cui dilectus filius Bernardus Pegoloti guardianus dictorum fratrum Minorum, proximus dicti Iuvenalis successor, super hoc commiserat totaliter vices suas, praedicta causa in eo statu, in quo erat coram dicto Iuvenale, cum fuit a guardianiae officio absolutus, resumpta, praefatisque priore et conventu ad iudicium legitime evocatis et contumacibus ac de concessione praefata, quam nos eis fecisse asserunt, contumaciter docere recusantibus (cum tam per fidedignos testes super hiis diligenter examinatos quam alia coram eo actitata et producta de iuribus dictorum prioris et capellanorum plenarie sibi constitisset) et tandem iuris ordine iuxta formam in dictis litteris eidem guardiano directis traditam in omnibus observato procedens per sententiam diffinitivam declaraverit et pronunciaverit, quicquid per dictos fratres in receptione loci et constructione ecclesiae seu oratorii huiusmodi attemptatum extitit, revocandum esse, et sententialiter revocaverit eisque expresse inhibuerit, ne in eodem loco sic recepto et indebite usurpato deinceps remanerent, in omnes et singulos contrafacientes excommunicationis in scriptis sententiam promulgando: tamen iidem fratres obedientiae virtute calcata a divinorum celebratione cessare contempnunt, non curantes ab eodem loco recedere, imo ipsum per fratrum armatorum ac laicorum eis in hac parte faventium violentiam et potentiam indebite occupatum detinent (per quasdam appellationes notorie frivolas et desertas, per eos emissas, ut asserunt, suam inobedientiam palliantes et nihilominus constitutionem *Super cathedram* violantes in omnibus) ac rectoribus ecclesiarum in suis praedicationibus multipliciter detrahunt et populum dictae terrae ad contemptum clavium et alios errores inducunt in ipsorum animarum periculum et communitatis eiusdem terrae scandalum ac dictorum prioris et capellanorum praeiudicium non modicum et gravamen. Quare nobis humiliter supplicarunt, ut providere super hiis de opportuno remedio dignaremur. Nos igitur, cupientes huiusmodi periculis et scandalis paterna solicitudine obviari, discretioni tuae, de qua specialem in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus per te vel dilectum filium .. vicarium tuum super

[1] Reg. Vatic. t. 99, f. 317, ep. 1767; cfr. supra n. 588.

praemissis (summarie, simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura iudicii) te informans, si ea repereris veritate fulciri, eosdem fratres dicti ordinis Heremitarum s. Augustini omnibus et singulis privilegiis eis a sede apostolica tam circa confessiones audiendas et praedicationis officium exercendum quam quoscunque ad sepulturam admittendos concessis, quae usque ad nostrum beneplacitum quoad omnes fratres Heremitarum s. Augustini in civitate ac diocesi Florentin. tenore praesentium suspendimus, suspensos usque ad dictum beneplacitum existentes auctoritate nostra nunciare procures ac nichilominus ad dictum locum personaliter accedens dictos fratres ab eo auctoritate nostra perpetuo expellere ac amovere procures et insuper dictum locum, qui ut asseritur parvi valoris existit, eidem priori dictae plebis ipsius plebis nominé cum omnibus iuribus et pertinentiis suis auctoritate praefata conferas et assignes, inducens eum vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem loci ac iurium et pertinentiarium praedictorum eumque faciens plena et pacifica ipsorum possessione gaudere; invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, contradictores quoque per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo; non obstantibus *etc.* Datum Avinione, idibus augusti, anno quintodecimo.

927. Rectori marchiae Anconitanae mandat, ut capiat Thedinum ord. fratrum Minorum, qui se Michaelis de Caesena, olim fratrum eiusdem ordinis ministri generalis, vicarium nominat et in marchia Anconitana moratur. [1]

1331, augusti 18, Avinione.

Eidem rectori [*marchiae Anconitanae*].

Intelleximus, quod quidam vocatus Thedinus de ordine fratrum Minorum, qui se illius viri nequam Michaelis de Caesena olim fratrum eiusdem ordinis generalis ministri, haeretici manifesti, vicarium nominat, in marchia Anconitana, cuius rector existis, moratur. Quare volumus et tuae discretioni mandamus, quatenus eundem Thedinum fideliter et solerter perquirens ipsum capias et teneas sub secura custodia, donec aliud a nobis in mandatis receperis, captivatum: nobis, quicquid inde feceris, quantocius fideliter rescripturus. Datum [Avinione], XV kalendas septembris, anno quintodecimo.

928. Confirmat indulgentias fratribus Minoribus a summis pontificibus hucusque concessas. [2]

1331, augusti 29, Avinione.

Dilectis in Christo filiis generali et provincialibus ministris ac universis custodibus, guardianis et singulis fratribus de ordine fratrum Minorum.

Filiationi vestrae indulgentias ordini vestro concessas per praedecessores nostros nos facimus manifestas et confirmatas, sicut inferius annotantur, videlicet: in festivitatibus beatae Mariae Virginis, beatorum Francisci, Antonii, Ludovici et beatae Clarae (et) in consecrationibus ecclesiarum altariumque et vocabulis [3] [eorum] et per octavas (earum) est data indulgentia decem annorum et dierum quadraginta [4] a [summis pontificibus, videlicet] Alexandro IV, Innocentio IV, Clemente IV, Urbano IV, Nicolao III, Gregorio IX, [5] Nicolao IV. Item Alexander IV omnibus accedentibus ad loca vestri ordinis sive ad audiendum verbum Dei sive ad audiendum missas beatae Mariae Virginis vel beati Francisci, dum cantantur, dedit indulgentiam centum dierum; idem etiam papa omnibus visitantibus loca fratrum Minorum dedit indulgentiam quadraginta dierum. Item Innocentius IV pro eadem causa dierum quadraginta; item idem Innocentius omnibus porrigentibus manus adiutrices fratribus Minoribus sive in domibus eorum sive euntibus per viam dedit indulgentiam XL dierum; item Nicolaus III pro eadem causa dierum XL; item Clemens IV pro eadem causa dedit indulgentiam dierum centum; item idem (papa Clemens concessit) omnibus visitantibus ecclesias fratrum Minorum toties quoties causa devotionis LXXX dierum. [6] Item fratres [dicti ordinis] in omnibus praedicationibus suis extra domum suam [7] possunt dare LXXX dierum indulgentias, in domibus autem suis [8] ultra praedictas indulgentias. [9] Item Nicolaus IV in missarum solemniis beatae Mariae Virginis et beati Francisci dedit indulgentiam C dierum; item Benedictus XI accedentibus ad loca fratrum Minorum in solemnitatibus eorum (dedit indulgentiam) C dierum; item Nicolaus IV dedit indulgentiam unius anni et dierum XL accedentibus ad loca praedictorum fratrum causa devotionis. Item omnibus accedentibus ad loca vestri ordinis causa devotionis quocunque tempore, die vel hora, licet non sit aliquod festum, [10] concessa

[1] Reg. Vat. t. 116, f. 111, ep. 549.

[2] Apud *Wadd.* l. c. n. 118.

[3] Seu patronis.

[4] *Alias:* VI Karenae.

[5] *Alias:* X.

[6] *Scilicet:* indulgentias. *Alias ante istud* item, *quod proxime sequitur, recensentur haec:* item Nicolaus papa IV pro eadem causa dedit indulgentiam XL dierum; idem Nicolaus papa IV in missarum solemniis de beata Virgine, de beato Francisco et consecrationis ecclesiarum dedit indulgentiam C dierum; idem papa in dominica (?) consecrationis ecclesiarum dedit indulgentiam unius anni et XL dierum.

[7] *Alias:* vestri ordinis.

[8] *Alias:* vestris.

[9] *Alias:* propter praedictas causas, *et illud* item, *quod proxime sequitur, iam supra relatum est (cfr. not. 6).*

[10] *Alias:* quamvis non sit aliqua festivitas, immo absque omni solemnitate vel festivitate.

est indulgentia a pluribus Romanis pontificibus annorum duorum et dierum XL.[1] Nos igitur vestris piis precibus inclinati, salutem et profectum animarum benignius intendentes,[2] de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius, quorum vicem licet immeriti gerimus, auctoritate confisi, easdem omnes indulgentias vestro ordini per praedictos nostros praedecessores concessas omnibus vere poenitentibus et confessis concedimus et confirmamus. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, IV kalendas septembris,[3] anno quintodecimo.

929. Episcopo Grassensi committit, ut civibus Grassen. concedat facultatem fundandi monasterium ordinis s. Clarae.[4]

1331, septembris 3, Avinione.

Episcopo Grassen.

Exhibita nobis dilectorum filiorum communis et universitatis hominum civitatis Grassen.[5] petitionis series continebat, quod in civitate ac dioecesi Grassen. aliquod monasterium alicuius ordinis monialium non existit et quod ipsi ad ordinem sanctae Clarae magnae devotionis gerentes affectum desiderant, in dicta civitate monasterium sororum dicti ordinis fundari et aedificari de novo. Quare dicti commune et universitas nobis humiliter supplicarunt, ut dilectis in Christo filiabus abbatissae et conventui monasterii sanctae Clarae Massilien. dicti ordinis aedificandi de novo in loco idoneo ad hoc eis deputando in civitate Grassen. praedictum monasterium cum oratorio, domibus et aliis necessariis officinis, in quo dictae sorores dicti ordinis in decenti numero ponendae ibidem possint perpetuo virtutum Domino famulari, licentiam concedere dignaremur. Nos itaque ipsorum communis et universitatis in hac parte supplicationibus inclinati ac de circumspectione tua gerentes in his et aliis fiduciam in Domino specialem, fraternitati tuae per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus eisdem abbatissae et conventui construendi de novo, cuiuscunque licentia minime requisita, monasterium huiusmodi in loco congruo et honesto civitatis Grassen. praedictae, dote tamen sufficienti per commune et universitatem praedictos eidem monasterio noviter construendo iuxta tuae discretionis arbitrium ac numeri sororum, quae ponentur seu statuentur ibidem, et ministrorum ipsarum exigentiam primitus assignata: ita tamen, quod praedictae sorores in praedicto monasterio noviter construendo ponendae, quas inibi perpetuo manere volumus, sub clausura per te includantur ibidem, super quibus tuam conscientiam oneramus, quibuscumque constitutionibus contrariis nequaquam obstantibus, apostolica auctoritate postulatam licentiam largiaris: iure tamen parochialis ecclesiae et cuiuslibet alterius in omnibus semper salvo, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Datum Avinione, III nonas septembris, anno quintodecimo.

930. Bartholinum Iohannelli ord. Min., inquisitorem haer. prav. in provincia s. Francisci, irrequisito episcopo Spoletano contra heredes Henriquucii Carinani de Spoleto de haeresi condemnati, qui ipsius bona confiscata detinent, procedere iubet.[6]

1313, septembris 12, Avinione.

Bartholino Iohannelli ord. Min., inquisitori haer. prav. in provincia s. Francisci auctoritate apostolica deputato.

Apostolatus nostri auditui *etc.* Datum [Avinione,] II idus septembris, anno sextodecimo.

931. Transfert Landulfum (ex ord. Min.) episcopum Stabien. ad ecclesiam Amalfitan.[7]

1331, septembris 20, Avinione.

Venerabili fratri Landulfo episcopo olim Stabiensi in archiepiscopum Amalfitanum electo.

Romani Pontificis *etc.* Olim siquidem ecclesia Amalfitana[8] per obitum b. mem. Andreae archiepiscopi Amalfitani, qui in partibus illis diem clausit extremum, pastoris solatio destituta dilecti filii capitulum eiusdem ecclesiae ... dilectum filium Matthaeum archidiaconum Amalfitanum per formam compromissi in eorum archiepiscopum concorditer elegerunt, dictusque archidiaconus post consensum huiusmodi electioni per eum ad instantiam ipsorum capituli praestitum personaliter ad apostolicam sedem pro huiusmodi electionis negotio prosequendo accedens et ipsius electionis nobis praesentato decreto a nobis humiliter supplicavit, ut electionem eandem confirmare de benignitate apostolica dignaremus: in hiis omnibus statutis a iure temporibus observatis. Postmodum vero dictus archidiaconus certis ex causis (non tamen personae suae vitio) omni iuri, quod sibi in electione prae-

---

[1] *Alias:* et CCXL dierum.

[2] *Alias:* intuentes.

[3] In chronicis fr. Nicolai Glassberger editis in Anal. Francisc. t. II, p. 155, legitur: « in (?) kalendis octobris ». Dubitandum tamen est, num ista bulla, sic ut a *Waddingo* et *Glassberger* relata est, e curia Romana exierit; neque enim reperitur in registris Ioannis XXII neque stilo bullarum ipsius conformis est; insuper variis lectionibus nimis abundat (cfr. supra not. 1 et 2 ac p. 506 not. 4-10).

[4] Reg. Vat. t. 100, ep. 598; apud *Wadd.* l. c. n. 119.

[5] *Grasse* in custodia Massiliensi prov. Provinciae.

[6] Reg. Vat. t. 116, f. 329, ep. 1645.

[7] Reg. Vat. t. 103, ep. 12. Cfr. supra n. 671.

[8] *Amalfi* in partibus Neapolitanis.

fata quomodolibet competebat, sua sponte in manibus nostris cessit. Nos itaque huiusmodi cessione admissa ad provisionem ipsius Amalfitanae ecclesiae, ne prolixae vacationis incurreret detrimenta, solicitis studiis intendentes, cum nullus praeter nos hac vice de provisione ipsius se intromittere possit *etc.*, post deliberationem, quam de praeficiendo eidem ecclesiae personam utilem ac etiam fructuosam ... cum nostris fratribus habuimus diligentem, demum ad te, tunc Stabiensem episcopum, consideratis grandium virtutum meritis, quibus personam tuam Dominus insignivit, et quod tu, qui ecclesiae Stabiensi hactenus laudabiliter praefuisti, dictam Amalfitanam ecclesiam scies et poteris salubriter gubernare, direximus oculos nostrae mentis. Intendentes itaque tam gregi Dominico quam eidem Amalfitanae ecclesiae utiliter providere, te a vinculo, quo tenebaris praefatae Stabiensi ecclesiae, cui tunc praeeras, de dictorum fratrum consilio et apostolicae potestatis plenitudine absolventes, te ad praedictam Amalfitanam ecclesiam transferimus teque illi praeficimus in archiepiscopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesiae Amalfitanae tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo liberamque tibi dando licentiam ad praefatam Amalfitanam ecclesiam transeundi *etc.* Datum Avinione, XII kalendas octobris, anno sextodecimo. [1]

932. Scribit reginae Siciliae, se sospitate corporali gaudere ac credere, ipsam litteras per Geraldum ministrum generalem ord. Min. transmissas accepisse. [2]

1331, septembris 22, Avinione.

Sanciae reginae Siciliae illustri.

Litteris regiis, per quas de statu nostro certiorari regalis benivolentia postulabat, receptis, ecce, filia carissima, quod, licet variis undique confluentibus negotiis curis continuis agitemur, eo tamen faciente, qui potest, nos corporali sospitate laetari tuae celsitudini nunciamus, cupientes de tuo et carissimi in Christo filii nostri Roberti regis Siciliae illustris, viri tui, statu prospero saepius effici certiores. Super aliis autem, ad quae per nos regia petiit serenitas responderi, iamdiu est, per alias litteras nostras [3] respondimus transmissas per dilectum filium Geraldum Otonis ordinis fratrum Minorum generalem ministrum, quas iam ad manus credimus regias pervenisse. Datum [Avinione,] X kalendas octobris, anno sextodecimo [4].

933. Iacobum Minoritam praeficit ecclesiae Sagonen. in episcopum. [5]

1331, septembris 24, Avinione.

Iacobo Episcopo Sagonen.

Dum ad universas orbis ecclesias *etc.* Nuper siquidem ecclesia Sagonen. [6] per obitum bo. mem. Antonii [7] episcopi Sagonen., qui apud sedem apostolicam diem clausit extremum, pastoris solatia destituta, nos attendentes, quod nullus praeter nos hac vice de provisione ipsius ecclesiae se intromittere poterat *etc.*, post deliberationem, quam de praeficiendo eidem ecclesiae personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te ordinis fratrum Minorum professorem, in sacerdotio constitutum, litterarum scientia praeditum, morum gravitate conspicuum, in spiritualibus providum, aliisque virtutum meritis, prout fide dignorum habet assertio, insignitum, direximus oculos mentis nostrae. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua dictae Sagonen. ecclesiae de ipsorum fratrum consilio nostrorum apostolica auctoritate providimus teque illi praefecimus in episcopum et pastorem; curam et administrationem ipsius ecclesiae tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo, et subsequenter tibi per venerabilem fratrem nostrum Bertrandum [8] episcopum Tusculanum munus fecimus consecrationis impendi *etc.* Datum

---

[1] In e. m. capitulo eccl. Amalfitan., clero et populo civ. ac dioec. Amalfitan., suffraganeis eccl. Amalfitan., Roberto regi Siciliae. Die 29 febr. 1332 iste archiepiscopus obtinet pallium (l. c. ep 1529).

[2] Reg. Vat. t. 116, f. 242, ep. 1251.

[3] Cfr. supra n. 923.

[4] Aliis litteris die 25 sept. 1331 datis summus pontifex eidem reginae haec scribit: « Quod de statu nostro certificari desideras, tuae praescriptae caritati ascribimus, quae nequit serpentinis suggestionibus aboleri. Ut autem tuo desiderio super hoc satisfiat, noverit circumspectio regia, quod quantum ad exteriorem hominem iuxta nostrae conditionem aetatis satis sospitate vigemus, quantum autem ad interiorem hominem propter multa scelera, praesertim haereses et scismata, quae pululari conspicimus, praecipue propter nonnullos principes, quos eis favere cernimus, procul dubio curis multis premimur multisque angustiis et molestiis aggravamur; sed in eo anchoram spei nostrae fiximus, qui sperantes in se non deserit ac humano destitutos consilio, cum persecuti putantur, elevat, moerentes erigens sospitate. Litteris autem, de quibus in tuis litteris fiebat mentio, plene credimus respondisse, sicut scripta nostra, quae per dilectum filium Geraldum Otonis, ordinis fratrum Minorum generalem ministrum his diebus misimus, latius reserabunt. Quae mens tua utinam capere et intelligere plene posset: sperantes, quod a mente regia omne quod ad ea, quae continebant tuae literae, ignorantiae nubilum profugabunt. Quod utique profici intenso desideramus affectu ac illi, qui lux est vera, supplicamus cernui, ut cor tuum illuminet ad credendum, quae sancta tenet et docet ecclesia, ac tenendum. Datum Avinione, VII kalendas octobris, anno sextodecimo ».

[5] Reg. Vat. t. 101, ep. 176; apud *Wadd.* l. c. n. 137.

[6] *Sagona* in insula Corsica et prov. eccl. Pisan.

[7] Ex ord. Min., cfr. supra n. 704.

[8] De Turre ex ord. Min.

Avinione, VIII kalendas octobris, anno sextodecimo. [1]

934. Declarat, fr. Simonem de Tarquio ord. Min., inquisitorem haer. prav. in provincia Romana absque speciali apostolicae sedis licentia amoveri non debere. [2]

1331, octobris 1, Avinione.

Symoni de Tarquio ordinis fratrum Minorum, inquisitori haer. prav. in provincia Romana et patrimonio beati Petri in Tuscia auctoritate apostolica deputato.

Quia fidedigna relatione percepimus te in officio inquisitionis haereticae pravitatis in provincia Romana et patrimonio beati Petri in Tuscia tibi auctoritate apostolica commisso habuisse hactenus solerter, prudenter ac fideliter, et habere: hiis et aliis certis causis ad id nos inducentibus tibi auctoritate praesentium concedimus, quod ab eodem nequeas amoveri officio absque nostra licentia; non obstantibus quibuscumque privilegiis ordini fratrum Minorum, cuius professor existis, sub quacumque forma vel expressione verborum ab apostolica sede concessis, etiam si de illis esset in praesentibus specialis et expressa ac de verbo ad verbum mentio facienda. Datum [Avinione,] kalendis octobris, anno sextodecimo.

935. Ministro generali ord. Min. concedit facultatem hac vice provinciae Sclavoniae de ministro provinciali providendi. [3]

1331, octobris 4, Avinione.

Geraldo Othonis ordinis fratrum Minorum generali ministro.

Cum pridem ministro fratrum tui ordinis Minorum provinciae Sclavoniae, sicut Domino placuit, viam universae carnis ingresso sit ex certis causis de ministro fratribus praedictis eiusdem provinciae celeriter providendum, nos de tua circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes, ut aliquem fratrem praedicti ordinis, quem ad hoc idoneum et sufficientem cognoveris, ministrum dictorum fratrum memoratae provinciae hac vice auctoritate nostra valeas deputare (quibusvis privilegiis ac statutis, observantiis et consuetudinibus dicti ordinis contrariis nequaquam obstantibus, quibus propter hoc derogare imposterum non intendimus), plenam tibi concedimus tenore praesentium facultatem. Datum [Avinione,] IV nonas octobris, anno sextodecimo.

936. Guilelmo Astre ord. Min., inquisitori haer. prav. in civ. Avinion. aliisque provinciis, quaedam hospitia in conventu fratrum Min. Avinionen. restitui iubet. [4]

1331, octobris 9, Avinione.

Venerabili fratri .. episcopo Cavallicensi et dilectis filiis .. decano Engolismensis ac .. praeposito Carpentoratensis ecclesiarum.

Significavit nobis dilectus filius Guillelmus Astre ordinis fratrum Minorum, inquisitor haereticae pravitatis in civitate Avinionensi et decretis sibi provinciis a sede apostolica deputatus, quod tam ipse quam aliqui sui praedecessores inquisitores pravitatis eiusdem infra conventum fratrum dicti ordinis Avinione quaedam hospitia construxerunt pro necessitate officii inquisitionis in loco magis tuto et religioso et ipsi officio plus expediente pro scripturis et aliis secretis ad praefatum officium pertinentibus conservandis: quae hospitia tam in praedecessorum suorum ipsius inquisitoris quam sua absentia per quosdam praelatos dicti ordinis et dictum conventum ac alios sine ipsorum praedecessorum et inquisitoris licentia et voluntate dudum occupata fuerunt in magnum dampnum officii praedicti et praeiudicium scripturarum et secretorum ad ipsum officium pertinentium, quae reposita fuerant in hospitiis supradictis. Quare nobis idem Guillelmus humiliter supplicavit, ut providere super hoc paterna diligentia curaremus. Quocirca discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios, si est ita, praemissa hospitia eidem inquisitori et successoribus suis ac ipsi officio auctoritate nostra restituatis et ea eis in perpetuum assignetis: concedentes eis auctoritate praedicta quod per praelatos seu canonicos dicti ordinis vel alios quoscumque praeter ipsius inquisitoris seu successorum eius voluntatem dicta hospitia ulterius nequeant occupari, sed pro ipsius et dicto officio dictus inquisitor et successores eius libere valeant in posterum retinere; non obstantibus *etc.*, contradictores *etc.* Datum Avinione, VII idus octobris, anno sextodecimo.

---

[1] In eumdem modum clero et populo civ. et dioec. Sagonen. atque archiep. Pisano. Die 27 sept. 1331 summus pontifex, attendens, episcopum Sagonen. redditus tam tenues et exiles percipere, ut de ipsis non possit commode et absque penuria sustentari, mensae ipsius incorporat monasterium s. Marcelli de castro Cinerchae dioec. Sagonen. una cum nonnullis aliis ecclesiis; die autem 1 decembris 1331 hortatur Henricum militem et Opitinellum domicellum fratres aliosque nobiles de Cinercha, ut Iacobum episcopum Sagonen. devote, reverenter, favorabiliter prosequantur (l. c. t. 101, ep. 29, et t. 103 ep. 1566). — **Iste** Iacobus paucis annis post obiit.

[2] Reg. Vat. t. 116, f. 328, ep. 1642; cfr. infra n. 977.

[3] Reg. Vat. t. 116, f. 230, ep. 1193.

[4] Reg. Vat. t. 103, ep. 1502; cfr. infra n. 984.

937. Universis religiosis per Alamanniam constitutis mandat, ut observent interdictum apostolicum in civ. et dioec. Wormatien. (*Worms*), in cuius episcopum provisione apostolica praefectus est Salmannus, et publicent processus contra Gerlacum intrusum Worm. habitos. [1]

1331, octobris 19, Avinione.

Dilectis filiis universis abbatibus, prioribus, praepositis et conventibus monasteriorum necnon fratribus Praedicatorum, Minorum, Eremitarum sancti Augustini et Carmelitarum ac quorumcunque aliorum ordinum per Alamanniam constitutis.

Cum, sicut fidedigna relatione percepimus *etc.* Datum Avinione, XIV kalendas novembris, anno sextodecimo.

938. Dispensat cum Arnaldo de Laminis ord. Min., ita ut non obstante defectu natalium possit promoveri ad magisterium in theol. facultate. [2]

1331, octobris 21, Avinione.

Dilecto filio Arnaldo de Laminis ord. fratrum Minorum.

Piae matris ecclesiae *etc.* Porrecta siquidem nobis ex parte tua petitio continebat, quod tu adeo in facultate theologica favente tibi divina clementia profecisti, quod per decem annos vel circa in Leodiensi, Tornacensi et aliis insignibus conventibus dicti ordinis lector fuisti et a maiori parte tui provincialis capituli electus ad legendum bibliam Parisiis extitisti, quodque a nonnullis magistris dicti et aliorum multorum ordinum ad magisterium in dicta facultate sufficiens et idoneus reputaris et alias homo vitae laudabilis et honestae ac plurimum exemplaris. Verum quia defectum natalium pateris, de soluto genitus et soluta, et ob hoc ad praemissa nequis assumi, pro parte tua fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere tibi super hoc de opportuno remedio dignaremur. Nos igitur attendentes, quod tu, sicut ex fidedignorum testimonio didicimus, defectum huiusmodi supples meritis probitatis, redimens favore virtutis, quod ortus odiosus ademit, ac volentes praedictorum intuitu nec non consideratione venerabilis fratris nostri Bertrandi episcopi Tusculani pro te nobis in hac parte supplicantis tibi gratiam facere specialem, eiusdem episcopi et tuis supplicationibus inclinati, tecum, ut (eodem defectu et quibuslibet indulgentiis apotolicis, privilegiis, constitutionibus, consuetudinibus et statutis eiusdem ordinis ac Parisiensis studii contrariis nequaquam obstantibus) possis ad magisterium in dicto studio et legendum in eo sententias et bibliam nec non ad omnes honores et officia dicti tui ordinis licite eligi et assumi, auctoritate apostolica de ulterioris dono gratiae dispensamus. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, XII kalendas novembris, anno sextodecimo.

939. Raphaeli Minoritae concedit facultatem se conferendi ad partes Lombardiae ibique per tres vel quatuor menses morandi. [3]

1331, octobris 24, Avinione.

Raphaeli ordinis fratrum Minorum. [4]

Cum pro certis negotiis honorem sanctae Romanae ecclesiae ac tuam et tui ordinis honestatem concernentibus te ad partes conferre, sicut accepimus, habeas Lombardiae, nos tibi volentes adesse super hiis opportune, ut ad easdem partes accedere ibique moram per tres vel quatuor menses, ex quo illuc accesseris, trahere ac abinde redire ad sedem apostolicam, sicut videris expedire, valeas, licentiam tibi tenore praesentium elargimur. Datum [Avinione,] IX kal. novembris, anno sextodecimo.

940. Bonifatio comiti de Donoratico mandat, ut Petro de Corbario ord. Min. quaedam bona restituat. [5]

1331, octobris 24, Avinione.

Bonifatio comiti de Donoratico.

Cum dilectus filius Petrus de Corbario ordinis fratrum Minorum quaedam bona sua, illuc inter cetera dimissa per eum, videlicet quandam maletam cum rebus existentibus in eadem ac duo scrinea cum uno parvo, sibi per te ac dilectum filium nobilem virum Tinucium de Rocha baiulum tuum petat sub tuo et ipsius Tinucii clausa sigillis transmitti, duo milia ducentos florenos auri in uno dictorum scrineorum rubeo sigillato existere nihilominus asserendo: nobilitatem tuam attentius deprecamur, quatinus bona huiusmodi, prout secretius et securius fieri poterit, procures eidem Petro celeriter et fideliter destinari. Datum [Avinione,] IX kal. novembris, anno sextodecimo.

In eundem modum *dicto Tinucio* verbis competenter mutatis. [6]

---

[1] Reg. Vat. t. 103, ep. 1576; cfr. ep. 1574.

[2] Reg. Vat. t. 103, ep. 1314; *Chart. Univ. Paris* t. II, n. 916.

[3] Reg. Vat. t. 116, f. 314, ep. 1605.

[4] Iste Raphael idem esse videtur ac Raphael Spinulae, qui die 13 apr. 1332 fit episcopus Nebien. Cfr. infra n. 973.

[5] Reg. Vat. t. 116, f. 290, ep. 1501.

[6] Reliquos vitae suae dies praedictus Petrus de Corbario transigebat in palatio apostolico Avinionensi, ubi « positus in decenti custodia tractabatur ut familiaris, custodiebatur ut hostis ». Die 16 oct. 1333 diem clausit supremum. In libris *Introitus* et *Exitus* camerae apostolicae de diversis expensis pro eo factis haec legimus: « Die ultima mensis augusti (1330) pro quinque cannis et una palma de panno Bequino ... pro habitu et mantello, caligis et almuciis pro fratre Petro de Corvaria post conversionem suam de mandato domini nostri (papae) .... IX flor. auri VIII den. Turn. gross. (l. c. t. 108, f. 59). Die sexta mensis iunii (1331) pro sex cannis de panno s. Marcelli pro habitu et mantello et una canna et sex palmis panni blanqueti de Per-

941. Cum Ioanne de Valle, olim ordinem Min. professo, tunc monacho mon. s. Nicolai Andegaven. *(Gand, Gent)* ord. s. Ben., ad quem de licentia provincialis ministri auctoritate apostolica illi et sibi concessa se transtulit, dispensat, ita ut hoc non obstante possit assumi ad sui ordinis officia citra dignitatem abbatialem. [1]

1331, octobris 28, Avinione.

Dilecto filio Ioanni de Valle monacho mon. s. Nicolai Andegaven. ord. s. Ben.

Religionis zelus *etc.* Datum Avinione, V kal. novembris, anno sextodecimo.

942. Episcopo Florentino et Petro de Prato ord. Min., inquisitori haer. prav. in partibus Tusciae, concedit facultatem absolvendi Franciscum de Assisio Minoritam. [2]

1331, novembris 2, Avinione.

Francisco episcopo Florentino et Petro de Prato ordinis fratrum Minorum, inquisitori haer. prav. in provincia Tusciae auctoritate apostolica deputato.

Tua nuper, frater episcope, relatione percepimus, quod Franciscus de Assisio ordinis fratrum Minorum ratione errorum haereticalium, quos ipse praesumptione temeraria tenuerat, asseruerat et tam verbo quam scripto contra fidem catholicam et sanctam sedem apostolicam eiusque constitutiones, determinationes, et declarationes dogmatizaverat, multos alios ad tenendum et credendum huiusmodi errores et haereses tam occulte quam publice suis falsis suggestionibus et fraudulentis machinationibus inducendo, vestris diu extitit carceribus mancipatus; sed tandem ipsius mentalibus apertis oculis, quos prius magnitudo scelerum huiusmodi excaecarat, praedictos errores et haereses aliaque per ipsum circa praemissa commissa scelera seque turpiter errasse super hiis cum dolore cordis et mentis amaritudine coram vobis sponte confessus extitit in iudicio constitutus, veniam et misericordiam nostram et eiusdem sedis seque reincorporari ecclesiae unitati et alias suae provideri saluti animae lacrimabiliter et humiliter postulando. Nos autem praemissis plenius intellectis, quia illius vices in terris insufficientibus licet meritis gerimus, qui non mortem sed poenitentiam desiderat peccatorum, volentes eidem Francisco, si vera sit eius contritio, pietatis et misericordiae ianuam aperire, discretioni vestrae per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus, si dictus Franciscus praesente clericorum tam religiosorum quam saecularium et aliorum fidelium congregatione propter hoc in civitate vel diocesi Florentina (in loco tamen solemni et publico, multitudine copiosa et in eorum praesentia lectis) articulis, dictos errores et haereses, quos ipse tenuerat et dogmatizaverat, ut praefertur, continentibus ac eis ibidem expositis, ut intelligantur clarius ab omnibus, in vulgari, plene, sponte ac humiliter confiteatur huiusmodi suos errores et culpas, eosdem errores et aliam quamcunque dampnatam per sedem praedictam haeresim secundum iuris formam expressius abiurando profitendoque fidem catholicam ac constitutiones, determinationes et declarationes praedictas et quaecumque dixerat, asseruerat, tenuerat seu dogmatizaverat verbo vel scripto quomolibet contra eas vel earum aliquas, velut falsa, haeretica et erronea revocando et anathematizando expresse ac se recepturum humiliter et completurum efficaciter poenitentiam sibi pro huiusmodi commissis iniungendam corporali praestito iuramento promittat, eundem unitati reincorporantes ecclesiae ab omnibus excommunicationis, suspensionis, interdicti et inhabilitationis poenis et sententiis, quas propter praedicta vel eorum aliqua per iura seu processus apostolicos aut ordinariorum sive constitutiones quascumque vel alias quomodolibet incurrerit, auctoritate nostra iuxta formam ecclesiae absolvatis et restituatis in integrum ad famam et statum, cum eo super irregularitate, quam ex praemissis vel aliquo eorum seu ligatus praedictis sententiis celebrando seu immiscendo se illis contraxisse noscitur, eadem auctoritate misericorditer nihilominus dispensando: imponentes eidem insuper pro speciali poenitentia et iniungentes sub virtute praestiti iuramenti, ut infra certum terminum per vos sibi super hoc praefigendum in locis dictorum fratrum Minorum Florentinorum et Assisinatensium in praedicationibus publicis, cum clerus et populus convenerint ad easdem et maior eorum affuerit multitudo, idem Franciscus proponendo eidem clero et populo verbum Dei (in singulis videlicet fratrum

---

piniano pro tunica fr. Petri de Corvario .... pro aestate praesenti ... XI flor. auri IX den. Turn. gross. cum dimidio (l. c. f. 60). Die octava martii (1331) pro duobus calicibus argenteis deauratis cum patenis suis emptis, una videlicet pro capella, quam dominus noster aedificari fecerat in ecclesia fratrum Minorum de Avinione, et alio pro capella fr. Petri de Corvario.... IV marcas et I quart. unciae argent. (l. c. f. 69). Die 11 mensis sept. (1330) de mandato domini nostri papae verbotenus nobis facto tradidimus fr. Petro de Corvario infra palatium ipsius domini nostri papae commoranti pro minutis expensis C flor. auri, die 30 dec. (1330) de eodem mandato eidem pro necessariis suis et ex dono C flor. auri; item die 30 martii (1331) C flor. auri (l. c. f. 96, 98, 99). Die 10 iulii (1331) pro expensis factis per Arnaldum Barte « custodem carceris hospitalis papalis Avin. » et administratis fr. Petro de Corvario a die 29 aug. proximo praeteriti usque ad diem praesentem, quod tempus continet 31 dies, computatis tribus solidis pro die qualibet, quae ascendunt ad XLVII libr. VIII sol. (l. c. f. 87). Die 22 dec. (1333) pro expensis factis et administratis per Arnaldum Barte fr. Petro de Corvario quondam a die 21 sept. proximo praeteriti usque ad diem 16 oct., qua die obiit dictus fr. Petrus, quod tempus continet 24 dies etc. (l. c. t. 131, f. 94) ».

[1] Reg. Vat. t. 101, ep. 475.

[2] Reg. Vat. t. 116, f. 329, t. 1646. Cfr. supra n. 847.

praedictorum civitatis et diocesis Florentinae conventibus pluries et civitatis Assisinatensis locis, ubi amplius errores et haereses praedictos disseminaverat, pluribus diebus solennibus) exponat omnia praedicta et singula clare, intelligibiliter, vulgariter et distincte. Volumus autem, quod, si tu, praedicte episcope, absens a patria illa existeres, sicut nunc esse dinosceris, vel non posses aut nolles interesse praemissis, vicarius tuus in spiritualibus tecum, fili inquisitor, ea exequi valeat et complere, quodque super praedictis omnibus et singulis instrumenta conficiantur publica seriem praesentium continentia, nobis per vos postmodum fideliter transmittenda. Datum [Avinione,] IV nonas novembris, anno sextodecimo.

943. Geraldo Othonis ordinis fratrum Minorum generali ministro mandat, ut illis personis, quibus Michael de Caesena olim generalis ordinis fratrum Minorum minister ante et post suam depositionem et condemnationem concessit licentias, districtius inhibeat, quominus ipsis, cum irritae sint, utantur. [1]

1331, novembris 13, Avinione.

Eidem ministro [generali ordinis fratrum Minorum].

Ad nostrum relatio fide digna perduxit auditum, quod ille nequam Michael de Caesena olim ordinis tui fratrum Minorum generalis minister, qui dudum *etc.*, nonnullis personis infra ordinem praedictum et extra diversas ante dictas depositionem, privationem et condempnationem et etiam postea concessit licentias, quibus uti hii, quibus concessae fuerunt licentiae huiusmodi, non verentur. Nos itaque, considerantes attente, quod huiusmodi licentiae per eundem Michaelem post privationem, depositionem et condempnationem praedictas concessae nullius sunt vel fuerunt roboris vel momenti, quodque indignum est, quod eisdem ante concessis etiam quis utatur, discretioni tuae per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus districtius inhibere procures, ut nulla persona tam infra quam extra praedictum ordinem constituta, cuiuscunque dignitatis, ordinis, conditionis aut status ecclesiastici vel mundani existat, etiamsi pontificali seu regali praefulgeat dignitate, praedictis utatur licentiis ante dictas privationem, depositionem et contemplationem vel etiam postea per eumdem Michaelem concessis. Datum ut supra [Avinione, idibus novembris, anno sextodecimo].

944. Mandat eidem ministro, ut fratres sui ordinis in regno Siciliae de haeresi suspectos secundum statuta ordinis sui puniat. [2]

1331, novembris 13, Avinione.

Eidem ministro.

Perduxit nuper infausti rumoris assertio ad nostri apostolatus auditum, quod nonnulli fratres tui ordinis in regno Siciliae et terris citra Farum morantes (ambulare magis in tenebris quam in luce gressusque suos in devium potius deducere quam viam sequi rectitudinis, quae ad vitam dirigit, eligentes) de diversis haeresibus et scismatibus aliisque criminibus enormibus se reddiderunt et reddunt vehementer suspectos et tanquam salutis animarum suarum immemores et suae professionis obliti dictas disseminare haereses periculose nimium moliuntur, contra te, qui eiusdem ordinis esse minister generalis nosceris, rebellionis et inobedientiae semitam, non absque multorum pernicie dictique ordinis scandalis, dampnabiliter erigendo. Nos autem obviare periculis huiusmodi ac praedicti ordinis providere super hiis indempnitatibus cupientes, discretioni tuae per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus per te vel alium seu alios contra fratres eosdem, quos de praedictis vel eorum aliquibus infamatos perceperis vel suspectos, apostolica auctoritate procedens super hiis et ea tangentibus (summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii) solerti adhibita diligentia veritatem inquirere et, quos culpabiles repereris, capere, carcerali mancipare custodiae ac alias secundum sanctiones canonicas et privilegia fidei concessa negotio corrigere taliter studeas et punire (invocato ad hoc, si necesse fuerit, auxilio brachii saecularis), quod ipsi talia vel similia non praesumant attemptare ulterius, sed alii potius eorum exemplo perterriti a similibus arceantur: contradictores quoslibet et rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, non obstantibus quibuscumque privilegiis, gratiis, indultis et litteris apostolicis ordini praedicto aut locis et personis ipsius seu quibusvis aliis sub quacumque forma vel expressione verborum ab apostolica sede concessis *etc.* Ceterum volumus, quod ad degradationem fratrum eorumdem, quorum crimina, excessus et pertinaciae id exigerent, una cum diocesano loci secundum iuris formam auctoritate praedicta procedere valeas, prout rationis fuerit et videris expedire: [3] te in praemissis et circa ea sic solerter et fideliter habiturus, quod praeter mercedis praemium, quod inde consequi

---

[1] Reg. Vat. t. 116, f. 315, ep. 1611.
[2] Reg. Vat. t. 116, f. 315, ep. 1609. Cfr. infra n. 945.
[3] Eodem die summus pontifex ad eundem ministrum generalem alteras litteras eiusdem tenoris, omissis solummodo verbis « Contradictores quoslibet .... videris expedire » dirigit (l. c. ep. 1610).

poteris, merito tua discretio debeat commendari. Datum [Avinione,] idibus novembris, anno sextodecimo.

945. Eidem ministro generali committit, ut Andream de Galiano et Petrum de Cadeneto ord. Min. conventus Neapolitani propter excessus eorum citet ad sedem apostolicam. [1]

1331, novembris 13, Avinione.

Eidem ministro.

Displicenter nimis audivimus, quod Andreas de Galiano frater ordinis tui Minorum velut suae professionis immemor, qua tenetur secundum sanctum evangelium vivere et s. Romanae ecclesiae est adstrictus, contra ipsum evangelium et statuta eiusdem ecclesiae dogmatizat et se ab obedientia ipsius ecclesiae tuaque, qui eiusdem ordinis minister generalis esse nosceris, subtrahit et ad hoc alios inducere seu potius seducere non veretur, adeo quod de diversis haeresibus et scismate apud bonos et graves diffamatus existere noscitur et vehementer suspectus. Nos itaque de praemissis scire volentes plenius veritatem, discretioni tuae per apostolica scripta in virtute obedientiae districte praecipiendo mandamus, quatinus per te vel alium seu alios eumdem Andream peremptorie citare procures, ut infra XL dierum spatium a die citationis huiusmodi computandum apostolico conspectui personaliter se praesentet, responsurus praedictis ac facturus et recepturus, quod fuerit rationis; diem autem huiusmodi et formam, et quicquid inde feceris, nobis per instrumentum publicum harum seriem continens intimare procures. Et ne gregem Dominicum inficere possit ulterius, nos eidem Andreae confessiones audiendi, absolvendi vel actus alios dicti ordinis exercendi ... omnimodam interdicimus potestatem eique in virtute obedientiae ac sub excommunicationis et inhabilitatis ... poenis et sententiis inhibemus districtius et mandamus, ne de praedictis vel eorum aliquibus absque nostra speciali licentia eidem imposterum concedenda publice vel occulte se quomodolibet intromittat. Quas quidem interdictionem, inhibitionem et alia supradicta eidem studeas inde confecto instrumento pùblico, per te nobis postmodum destinando, fideliter intimare. Datum [Avinione,] idibus novembris, anno sextodecimo.

In eundem modum *eidem ministro* contra Petrum de Cadeneto dicti ordinis Minorum. Datum ut supra.

946. Petente Raymundo de Lados procuratore generali ord. Min. concedit episcopo Condomien. facultatem reconciliandi per aliquem sacerdotem idoneum coemeterium fratrum Min. de Neriaco per effusionem sanguinis pollutum. [2]

1331, novembris 13, Avinione.

Episcopo Condomien.

Petitio dilecti filii Raymundi de Lados *etc.* Datum [Avinione,] idibus novembris, anno sextodecimo.

947. Cum Ioanne Stephani monacho mon. de Palumbario ord. s. B. dioec. Bracharen., ad quod, cum esset ordinem Min. professus, de licentia sui superioris se transtulit, dispensat, ita ut hoc non obstante ad omnes sui ordinis dignitates, etiam abbatialem, promoveri possit. [3]

1331, novembris 17, Avinione.

Dilecto filio Ioanni Stephani monacho mon. de Palumbario ord. s. Ben. Bracharen. [4] *dioec.*

Apostolicae sedis copiosa benignitas *etc.* Datum Avinione, XV kal. decembris, anno sextodecimo.

948. Contra Angelum de Valle Spoletana Fraticellorum ducem procedi iubet. [5]

1331, novembris 22, Avinione.

Episcopo Melfien. [6] *et inquisitoribus haereticae pravitatis in partibus regni Siciliae et terris citra Farum auctoritate apostolica deputatis.*

Ad nostri apostolatus auditum perduxit nuper insinuatio displicibilis et infesta, quod quidam ministri Satan, perditionis filii et maledictionis alumni, qui se « fratres de paupere vita » faciunt vulgariter appellari, quamvis eorum secta iam dudum per sedem apostolicam fuerit perpetuae prohibitioni subiecta, se in illis partibus sub ducatu cuiusdam nequam hominis, videlicet Angeli de Valle Spoletana, [7] idiotae utique et quasi litterarum ignari, qui se caput seu magistrum ipsorum nominat, congregarunt et congregant incessanter et (gerentes sub pelle ovium rapacitatem lupinam, ut subtilius et facilius decipere simplicium animos valeant) varias haereses et errores, quibus ipsi respersi dicuntur, disseminare in divinae maiestatis offensam periculose nimium moliuntur, falsas praenuntiantes indulgentias et plures personas ad confessionem sacramentalem, licet claves non habeant, animas decipiendo damnabiliter admittentes et alia detestanda varia in suarum animarum periculum et plurimorum scandalum committentes. Cum autem talibus, ne crescant haereses et errores huiusmodi, sed extirpentur potius, antequam perniciosiorem coalescant in segetem, sit citius obviandum, discretioni vestrae per apostolica scripta committimus

[1] Reg. Vat. t. 116, f. 315, ep. 1612; cfr. infra n. 1001.
[2] Reg. Vat. t. 116, f. 224, ep. 1158.
[3] Reg. Vat. t. 101, ep. 305.
[4] *Braga* in Lusitania.
[5] Reg. Vat. t. 116, f. 231, ep. 1195; apud *Wadd.* Ann. Min. ad a. 1331, n. 2.
[6] Monaldo ex ord. Min.
[7] Qui idem esse videtur atque Angelus de Clarino.

et mandamus, quatenus adversus praedictum Angelum et alios eiusdem complices in hac parte secundum sanctiones canonicas et privilegia concessa inquisitionis haereticae pravitatis officio, solerti adhibita diligentia, taliter procedere (invocato ad hoc, si necesse fuerit, brachii saecularis auxilio) studeatis, quod haereses et errores praedicti extirpentur radicitus et fides catholica conservetur illaesa: contradictores quoslibet et rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Volumus autem, quod vos et quilibet vestrum in solidum possitis procedere in praemissis. Datum Avinione, X kalendas decembris, anno sextodecimo. [1]

949. Concedit ministris prov. Ianuen. et Tusciae ord. Min. facultatem assumendi ex utraque provincia sex fratres eosque destinandi ad praedicandum verbum Dei in insula Corsicae. [2]

1331, decembris 1, Avinione.

Dilectis filiis .. Ianuensi et .. Tusciae provinciarum ordinis fratrum Minorum provincialibus ministris.

Quaecunque pro nostri Redemptoris honore, dilatatione catholicae fidei et salute fidelium, utpote grata superis et mundanis accepta, legitime peraguntur, prompte a nobis ac sede apostolica promoventur, opportunis muniuntur favoribus et spiritualibus gratiis adiuvantur. Sane ad nostri apostolatus auditum et in notitiam fratrum nostrorum sanctae Romanae ecclesiae cardinalium relatio fidedigna perduxit, quod in insula Corsicae, quae ad ius et proprietatem beati Petri pertinet, sunt homines indigenae, qui, licet christianitatis titulum habeant, in fide tamen informati, prout decet ac expedit, nequaquam existunt; sicque ipsi, nondum fidei lorica plene vestiti, nuditatem intellectus et originis ruditatem habentes, de prophanis erroribus facilius impressiones recipiunt primitivas, quodque necessario expedit, ut dictis praedicetur hominibus verbum Dei et bonorum morum informatio tribuatur, ita quod cum aliis fidelibus auctore Domino aedificent exemplariter ad salutem. Cum igitur, sicut accepimus, praemissum fidei bonum per aliquos fratres vestri ordinis commissarum vobis provinciarum ab ordine antedicto sufficienter in sacra pagina eruditos et Deum timentes, quorum idioma, pro eo quod dictae provinciae praefatae insulae Corsicae vicinantur, sic familiarius et intelligibilius hominibus antedictis efficaciter valeat, prout verisimiliter creditur, impetrari: nos, ut bonum fidei praefatum cooperante Christo, qui caput est cunctorum fidelium, proveniat, dare operam favorabiliter intendentes, discretioni vestrae assumendi nunc et imposterum sex fratres dicti ordinis, viros quidem probatos, honestos, sobrios et maturos, Dei et ecclesiae animarumque zelum habentes, de provinciis praelibatis eisque auctoritate nostra licentiam concedendi, ut sese ad insulam Corsicae personaliter transferant praelibatam et inibi perseverent dictamque insulam peragrentur et eisdem hominibus praedicent verbum Dei eosque bonis informent moribus et alias in ipsorum cordibus assidue orthodoxae fidei semen spargant et eos erudiant dulciter ad salutem, ut Deo irrigante et multiplicante, qui scrutator est cordium, eis aedificent per christianae vitae studium et aliis proficiant per exemplum, in eadem eruditi fide ac moribus et virtutibus informati, plenam atque liberam concedimus tenore praesentium facultatem. Ceterum, ut dicti sex fratres ad prosequendum hoc Dei negotium fortius accendantur seque in eo satagant laboriosius exercere, praefatis sex fratribus a vobis ut praemittitur taliter assumendis, qui de huiusmodi licentia se ad praedictam insulam Corsicae personaliter transfe-

[1] Die 5 dec. 1331 summus pontifex *Guillelmo [domino] de Lagonissa* haec scribit (l. c. f. 243, ep. 1257): « Pridem intelleximus displicenter, quod tu venerabili fratri nostro Monaldo episcopo Melfiensi, quem honoribus congruis et opportunis favoribus pro divina et apostolicae sedis reverentia pontificalisque dignitatis obtentu prosequi tenebaris, varias irrogasti hactenus et inferre non cessas continue iniurias et offensas: quod moleste non immerito gerimus, si est ita. Quocirca nobilitatem tuam rogamus attentius et hortamur, quatinus ab his desistens omnino, eundem episcopum pertractare reverenter et favorabiliter studeas, sicut decet: ita quod praeter retributionis aeternae praemium tua prudentia debeat apud nos et sedem eandem propter hoc merito commendari. Datum nonis decembris anno XVI ».

[2] Reg. Vat. t. 103, ep. 1336. Aliis litteris eodem die datis (l. c. ep. 1340) summus pontifex *Venerabilibus fratribus universis episcopis per insulam Corsicae constitutis* haec scribit: « Fidedigna relatione ad apostolatus nostri pervenit auditum, quod in insula Corsicae presbyteri et clerici etiam in sacris ordinibus constituti spretis canonicis institutis uxores pro libito voluntatis recipiunt eorundem; sicque dampnabiliter excommunicationis sententiam a iure prolatam incurrunt et taliter innodati divina officia celebrare (immo, quantum in eis est, verius prophanare) dampnabilius non verentur in eorum salutis dispendium et scandalum plurimorum. Cum itaque, sicut accepimus, quam plurimi de ipsis presbyteris et clericis parati sint uxores dimittere sic receptas et propter paupertatem eorum, difficultatem maris et viarum discrimina sine gravibus incommodis ad sedem apostolicam personaliter accedere nequeant pro impetrandis super his remediis opportunis: nos, volentes super praemissis de ipsius sedis clementia salubriter ac utiliter providere, universitati vestrae vestrumque singulis in suis civitatibus et diocesibus eisdem presbyteris et clericis humiliter postulantibus, postquam dictae uxores eorum ab eis fuerint realiter separatae, impendendi auctoritate nostra beneficium absolutionis iuxta formam ecclesiae a sententia supradicta ac super irregularitate per eos sic ligatos contracta praefata divina officia celebrando seque illis immiscendo per simplicitatem et iuris ignorantiam dispensandi, iniunctis eis poenitentia salutari et aliis, quae de iure fuerint iniungenda, plenam atque liberam concedimus tenore praesentium potestatem ».

rent et in ea per duos annos continuos morabuntur ac interim verbum Dei praefatis hominibus praedicando et eos bonis informando moribus ipsosque in fide ut praemittitur instruendo in dicto negotio fidei praefatae fideliter et sollicite laborabunt, illam plenariam suorum peccaminum indulgentiam auctoritate apostolica elargimur, quae transfretantibus in Terrae sanctae subsidium est concessa. Praesentibus post decennium minime valituris. Datum Avinione, kalendis decembris, anno sextodecimo.

In e. m. *Ianuen. et Tusciae provinciarum ordinis fratrum Praed. provincialibus prioribus.*

950. Concedit superioribus quatuor ordinum Mendicantium facultatem recipiendi trina ad usum suum loca in insula Corsicae. [1]

1331, decembris 1, Avinione.

Dilectis filiis magistro Praedicatorum et generalibus Minorum ministro ac Eremitarum s. Augustini ac Mariae de Monte-Carmeli fratrum ordinum prioribus.

Sperantes in Domino et fiduciam obtinentes, quod ordines vestri, qui rutilant in ecclesia Dei bonis operibus et exemplis, per suos alumnos dictorum ordinum fratres (praesertim in sacra pagina eruditos et praedicatione dominici verbi facundos) indigenas et habitatores insulae Corsicae, quae ad ius et proprietatem beati Petri spectare dignoscitur, in fide catholica, sicut fide digna relatione percepimus, seminudos, rudes et hebetes (utpote minus sufficienter informatos in illa temporibus retroactis, quamvis glorientur nomine christiano) in eadem fide bonisque moribus salubriter et prudenter instruant ac dirigant ad salutem, deliberate providemus ad tantum praefatae bonum fidei procurandum, gubernandum et etiam adaugendum, ut in insula iam dicta, in qua, sicut asseritur, nullus religiosorum locus existit, praeterquam in castro Bonifacii Calaritan. dioec., in quo tu, fili magister, et fratres dicti ordinis Praedicatorum unum tantum locum habetis, ordines ipsi aliqua loca recipiant et in eis ad Dei cultum et huiusmodi suum peragendum obsequium aliorumque christicolarum spiritale commodum ex dictis fratribus nunc et in posterum fratres collocent opportunos. Ea propter, iuxta providentiam huiusmodi singulis vestrum recipiendi (per vos vel alium seu alios) pro singulis vestris ordinibus supradictis tria loca in dicta insula (in locis videlicet aptis et congruis eiusdem insulae per vos legitime acquirenda), unicum dumtaxat locum in singulis tribus locis praefatis, et in quolibet ipsorum trium locorum recipiendorum oratorium et necessarias officinas cum suo ambitu iuxta morem seu consuetudinem dictorum ordinum construendi necnon ad habitandum inibi fratres ipsius ordinis ad divinum perpetuum servitium, ad aedificationem salutis eorum ipsorumque indigenarum et habitatorum et aliorum fidelium deputandi, absque praeiudicio parochialium ecclesiarum dictorum locorum et cuiuslibet iuris alieni (constitutione fel. record. Bonifatii papae VIII praedecessoris nostri prohibente, ne fratres praedicti et aliorum ordinum Mendicantium loca de novo accipiant absque sedis apostolicae licentia speciali, faciente plenam et expressam de prohibitione huiusmodi mentionem, nequaquam obstante) plenam atque liberam auctoritate praesentium licentiam impertimur. Volumus autem, quod in eadem civitate seu villa vel uno castro nonnisi unus locus per vos recipi valeat, quinimo, si unus vestrum in aliqua civitate seu villa vel castro aliquo locum reciperet, alii vestrum recipere loca minime valeant in eisdem. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, kal. decembris, anno sextodecimo.

951. Geraldo Othonis ordinis fratrum Minorum generali ministro nonnullos fratres ordinis sui, qui Ludovico de Bavaria et Michaeli de Caesena adhaeserunt et propterea sententias excommunicationis incurrerunt, nunc autem redire cupiunt ad devotionem ecclesiae Romanae, a sententiis praedictis absolvendi concedit facultatem. [2]

1331, decembris 3, Avinione.

Geraldo Othonis ordinis fratrum Minorum generali ministro.

Summi pastoris *etc.* Datum [Avinione], III nonas decembris, anno sextodecimo. [3]

952. Bona quaedam et pecunias a Paulo de Viterbio ord. Min., pseudo-cardinali, apud Bonifatium de Vitellensibus deposita thesaurario patrimonii s. Petri tradi iubet. [4]

1331, decembris 9, Avinione.

Nobili mulieri Constantiae relictae quondam Matthaei Bonifatii de Vitellensibus.

Fidedigna relatione percepto, quod quatuor cofini, in quibus diversae pecuniarum summae ac alia bona necnon quamplures litterae ac scripturae dudum per quendam hominem scismaticum vocatum Paulum de Viterbio ordinis fratrum Minorum penes quondam Matthaeum Bonifatii de Vitellen-

---

[1] Reg. Vat. t. 103, ep. 1342, apud *Wadd.* l. c. (reg. Io. XXII) n. 138.

[2] Reg. 116, f. 314, ep. 1607.

[3] Aliis litteris eodem die datis summus pontifex eidem ministro generali concedit facultatem similiter absolvendi nonnullas personas ecclesiasticas vel saeculares usque ad numerum sex, quae de praedictis culpabiles vel suspectae ab eis resilire et ad unitatem ecclesiae redire desiderant (l. c. ep. 1608).

[4] Reg. Vat. t. 116, f. 335, epp. 1675-1677, et f. 329, ep. 1647.

sibus, virum tuum, et Nicolaum Boniannis tunc viventes dimissa post eorumdem Matthaei et Nicolai obitum ad te ac dilectos filios nobiles viros Thebaldum et Manfredum de Vitellensibus ac Iohannem Boniannis pervenerunt: cum autem ea .. rectori et .. thesaurario patrimonii beati Petri in Tuscia vel eorum alteri, quos ad hoc per alias nostras litteras deputamus, velimus integraliter, ut de illis ordinare ac facere possimus, quod nobis videbitur, assignari, nobilitatem tuam rogamus attentius et in Domino exhortamur, sano paternoque tibi nihilominus consilio suadentes, quatinus tuae ac viri tui praedicti prospiciens animarum saluti, bona praedicta, quaecunque sint et in quibuscunque rebus consistant, necnon litteras et scripturas eisdem rectori et thesaurario vel eorum alteri dicto nomine recipientibus, quantum in te fuerit, restituas et assignes et per dictos nobiles restitui et assignari procures, taliter id actura, quod tua sincera debeat in hac parte commendari devotio, nec aliud remedium adhibere contra te vel eosdem nobiles sit necesse. Datum [Avinione], V idus decembris, anno sextodecimo. [1]

953. Ministro provinciali prov. Alamanniae superioris concedit facultatem a censuris eccl. absolvendi Theodoricum de Burgheim ord. Min., ab antipapa in episcopum Vercellen. promotum. [2]

1331, decembris 16, Avinione.

Ministro fratrum ordinis Minorum provinciae Alamanniae.

Ex tuarum litterarum serie nobis innotuit hiis diebus, quod Theodoricus de Burghe[i]m ordinis tui fratrum Minorum, qui pro eo, quod Ludovico de Bavaria et Michaeli de Caesena ordinis praedicti de diversis haeresibus et scismatibus condempnatis necnon Petro de Corbario, dum ante conversionem suam in caecitate scismaticae ac haereticae perfidiae permaneret, aliisque nonnullis haereticis et scismaticis adhaesit et favit ac ab eodem Petro se permisit scismatice et de facto promoveri et execrari in episcopum Vercellensem aliaque circa hoc commisit detestabilia et nefanda, excommunicationis et alias diversas poenas et sententias tam per diversos processus nostros quam per iura contra talia committentes inflictas noscitur incurrisse, nunc ad cor rediens et culpas suas graves utique humiliter recognoscens ad gremium sanctae matris ecclesiae redire desiderat ac erroribus et deviis supradictis relictis penitus in vera fide catholica ac nostra et ecclesiae Romanae devotione proponit constanter de cetero permanere, beneficium absolutionis ab eisdem poenis et sententiis impendi sibi a sede apostolica lacrimabiliter postulando. Nos itaque, qui licet insufficientibus meritis illius vices in terris gerimus, qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat, volentes eidem Theoderico, si vera sit eius contritio, pietatis et misericordiae ianuam, ut salvus fieri valeat, aperire, discretioni tuae, de qua fiduciam in Domino gerimus specialem, ut eundem Theodericum, si vera sunt ea, quae nobis de ipsius conversione, sicut praemittitur, intimasti, ipseque coram te contrito et humiliato corde (erroribus, culpis et excessibus suis recognitis ac etiam abiuratis) petierit humiliter impendi sibi absolutionis beneficium supradictum, a praedictis poenis et sententiis, quas propter praemissa vel aliquod praemissorum incurrit, absolvere hac vice iuxta formam ecclesiae auctoritate nostra valeas, cum ipso super irregularitate, quam ligatus dictis poenis et sententiis celebrando divina vel immiscendo se illis contraxit, eadem auctoritate nihilominus dispensando et iniungendo sibi, quod pro salute animae suae videris iniungendum, plenam concedimus tenore praesentium facultatem; hoc adiecto specialiter et expresse, quod, si ad aliqua de commissis praedictis rediret, quod absit, in easdem poenas et sententias recidat ipso facto. Volumus autem quod super absolutione praedicta confici publica facias instrumenta harum seriem continentia, quae nobis fideliter mittere non post-

---

[1] In e. m. summus pontifex monet nobiles viros Theobaldum et Manfredum de Vitellensibus et Ioannem Boniannis de Corneto, Angelo autem episcopo Viterbien. et suo in spiritualibus Urbis vicario mandat, ut rectori et thesaurario patrimonii s. Petri super praedictis assistat, ipsisque rectori et thesaurario haec scribit: « Ad nostri apostolatus auditum nuper relatio fide digna perduxit, quod quidam nequam homo scismaticus vocatus Paulus de Viterbio ordinis fratrum Minorum, qui se pro cardinali licet falso et scismatice gerebat, postquam synagoga illa Sathanae, quam idem Paulus et nonnulli alii scismatici congregaverant in civitate Pisana, omnino virtute Altissimi dissipata fuit, exinde per fideles expulsus ad terram Corneti Viterbien. dioc. se transtulit et ibidem aliquamdiu moram traxit, sed demum (perpendens, quod in eadem terra, peculiari utique Romanae ecclesiae, secure latitare nequibat) quatuor cofinos, in quibus erant diversae pecuniarum summae aliaque bona varia, quae a diversis ecclesiis et ecclesiasticis personis habuerat, necnon quamplures falsae litterae ac scripturae, quondam Matthaeo Bonifatii de Vitellensibus et Nicolao Ioannis Boniannis de dicta terra Corneti tunc viventibus commendavit, exinde fugam capiens versus partes Alamanniae, ubi cum quibusdam aliis haereticis et scismaticis dicitur incognitus cum fidelibus commorari. Volentes itaque pecunias ac bona necnon litteras et scripta huiusmodi vobis seu vestrum alteri nostro et eiusdem Romanae ecclesiae integraliter assignari, ut ordinare et facere de illis, quod nobis videbitur, valeamus: discretioni vestrae per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus ... Theobaldum et Manfredum de Vitellensibus ac Ioannem Boniannis necnon ... Constantiam relictam dicti Matthaei ... moneatis efficaciter et inducatis, ut illa vobis ... exhibeant integraliter et assignent *etc.* Datum [Avinione,] V idus decembris, anno sextodecimo ».

[2] Reg. Vat. t. 116, f. 250, ep. 1311.

ponas. Datum [Avinione], XVII kalendas ianuarii, anno sextodecimo. [1]

954. Laurentium ord. Min. dudum in episcopum Arianen. promotum confirmari iubet. [2]

1331, decembris 21, Avinione.

Archiepiscopo Salernitano.

Sacri canones praemissa in eis digesta deliberatione sanxere, ut pastor et non mercenarius introeat in ovile Dominicum et ut praesit ac prosit gregi Dominico suae commisso fidei suaeque custodiae fiducialiter deputato, quodque ipsi pastori sit in dictum ovile per ostium et non aliunde ingressus canonicus, et sic diligenter vigilet in specula constitutus, quod sibi et eidem gregi succedat progressus salubriter fructuosus et tandem egressus utique proveniat miserante divina clementia salutaris. Dudum siquidem bonae memoriae Rostagno episcopo Arianen. regimini ecclesiae Arianen. praesidente nos ex certis rationabilibus causis provisionem eiusdem ecclesiae, cum eam vacare contingeret, illa vice dispositioni nostrae ac sedis apostolicae duximus reservandam, decernentes ex tunc irritum *etc.* Deinde vero praefata ecclesia per obitum ipsius Rostagni episcopi, qui decessit in illis partibus, pastoris solatio destituta dilecti filii capitulum ipsius ecclesiae, huiusmodi reservationis et decreti forsan ignari, venerabilem fratrem nostrum Laurentium episcopum Arianen. ordinis fratrum Minorum professorem, in eorum episcopum concorditer elegerunt, ac nos subsequenter, ne dicta ecclesia diutinae vacationis exponeretur incommodis, et per fide dignam relationem dicti Laurentii virtutum meritis intellectis ac etiam ob huiusmodi electionem concordem voluimus de apostolicae plenitudine potestatis, quod eidem electioni praefata reservatio non obesset; quodque nihilominus archiepiscopus Beneventanus loci metropolitanus, cui (eius proprio nomine non expresso) super hoc scripsimus, ad confirmationem ipsius electionis, si eam invenerit de persona idonea canonice celebratam nullumque in hac parte sibi canonicum obviare impedimentum, libere procedere posset, ac si nulla reservatio praecessisset, non obstantibus in contrarium editis constitutionibus quibuscumque, prout ex tenore percipitur litterarum nostrarum super hoc dicto archiepiscopo directarum.

Postmodum autem, sicut ex parte praefati Laurentii nobis extitit intimatum, fuit dicta electio auctoritate metropolitica confirmata et eidem Laurentio munus consecrationis impensum, ipseque post confirmationem huiusmodi gessit aliquamdiu administrationem spiritualium et temporalium ecclesiae praelibatae; quodque his praemissis Michael de Caesena schismaticus, qui tunc temporis pro generali ministro supradicti ordinis se gerebat quique, dum reputaretur legitimus minister generalis eiusdem ordinis, praedicto Laurentio tunc electo ad dictam ecclesiam consentiendi electioni praefatae licentiam duxerat concedendam, contra eumdem Laurentium eo praesertim, quod ipse Laurentius per praedicti Michaelis errorum devia minime incedebat et de illis reprehendebat eundem, intestini odii rancore indebito concepto (falso confingens, quod praefato Laurentio non concesserat licentiam antedictam) ipsum occasione huiusmodi a personis dicti ordinis capi fecit et longo tempore in carcerali custodia detineri; quodque a captivitate et detentione huiusmodi idem Laurentius liberatus et restitutus fuit pristinae libertati ac ipse sic libertati restitutus eidem ad sedem accessit personaliter supradictam, sed a tempore captionis praefatae administrationem huiusmodi non exercuit nec exercet.

Nos igitur, tam iuste quam benigne praedicto Laurentio pene collapso, ne penitus decidat, tam ob zelum iustitiae quam etiam ex paternae pietatis affectu, innocentia dicti Laurentii per fide dignam relationem nobis exposita, providere ac indemnitati eiusdem ecclesiae occurrere intendentes, fraternitati tuae, de cuius circumspectionis industria plenam in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, si tibi legitime constiterit de confirmatione, consecratione ac administratione huiusmodi praefati Laurentii et aliis praemissis, nobis ut praemittitur intimatis, et quod in processu confirmationis eiusdem facta fides de ipsius Michaelis licentia huiusmodi extitisset vel, si dicta fides in processu praefato nequaquam facta fuisset, de novo idem Laurentius tibi fidem faciat antedictam, liberam in spiritualibus et temporalibus in dicta ecclesia et episcopatu Arianen. administrandi licentiam auctoritate apostolica concedas Laurentio memorato. Datum Avinione, XII kal. ian., anno sextodecimo.

955. Fratres Minores in partibus Alamanniae contra constitutiones apost. de paupertate Christi et regula fratrum Min. factas determinantes capi iubet. [3]

1331, decembris 14 — 1332, ianuarii 13, Avinione.

Iohanni praeposito saecularis ecclesiae Vicogradensis Pragensis diocesis.

Fide digna insinuatione multorum accepimus,

[1] Die 27 iulii 1332 summus pontifex Rodulfo ministro provinciali prov. Alemanniae superioris concedit facultatem dispensandi cum illis fratribus suae provinciae, qui a praedicto pseudoepiscopo ordines susceperunt (l. c. f. 254, ep. 1322).

[2] Reg. Vat. t. 101, ep. 431; apud *Wadd.* l. c. n. 139. Laurentium ep. Arianensem aliquamdiu antipapae adhaesisse intelleximus supra not. ad n. 721 *a*. Cfr. n. 389.

[3] Reg. Vat. t. 116, f. 257, ep. 1330.

quod nonnulli fratres ordinis Minorum in partibus Alamanniae commorantes in illam prorumpere insaniam non verentur, quod contra constitutiones et determinationes sedis apostolicae matura deliberatione praevia dudum factas et editas venire temere ac haereses et errores per easdem constitutiones et determinationes dampnatas praedicare ac dogmatizare (non absque Dei offensa, dictae sedis contumelia fideique laesione catholicae ac suarum animarum et aliorum multorum gravibus periculis) in eisdem partibus praesumpserunt hactenus et praesumunt. Nos autem periculosis dispendiis, quae secum trahere talium dampnanda praesumptio noscitur, obviari remediis salubribus cupientes, discretioni tuae, de qua fiduciam in Domino gerimus specialem, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus de huiusmodi viris erroneis et haereticalibus de plano, simpliciter et summarie te informans, eos, quos perquirens per te vel alium seu alios diligenter [in illos errores et haereses incidisse inveneris], ipsos, ubicumque fuerint, capere ipsosque captos ad sedem apostolicam expensis nostrae camerae sub fida custodia fideliter, ut de ipsis possit exhiberi complementum iustitiae, non postponas: contradictores super iis quoslibet et rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo; non obstante, si *etc.* Datum ... ianuarii, anno sextodecimo.

956. Monasterio Clarissarum de Camberiaco dioec. Gratianopol. ecclesiam s. Roberti dioec. Gebennen. incorporari iubet. [1]

1332, ianuarii 2, Avinione.

Episcopo Gebennen.

Romanus pontifex, cui ecclesiarum omnium et ecclesiasticorum bonorum divinitus plenaria dispositio est commissa, unit, annectit et dividit ecclesias, prout salubrius conspicit expedire. Porrectae nobis siquidem pro parte dilectarum in Christo filiarum abbatissae et conventus sororum monasterii de Camberiaco [2] ordinis sanctae Clarae Gratianopolitan. dioecesis petitionis series continebat, quod ipsae sunt adeo pauperes et inopes, quod non habent, nisi mendicent, unde possint commode sustentari. Quare pro parte ipsarum nobis fuit humiliter supplicatum, ut earum paupertati et inopiae pio in hac parte compatientes affectu ecclesiam seu cappellam sancti Roberti tuae dioecesis, cuius fructus, redditus et proventus quadraginta librarum Turonen. parvorum iuxta taxationem decimae valorem annuum non excedunt, ad dilecti filii nobilis viri Aymonis comitis Sabaudiae praesentationem ut dicitur pertinentem, qui nobis super hoc etiam humiliter supplicavit, mensae earundem abbatissae et conventus cum omnibus iuribus et pertinentiis suis unire et applicare perpetuo auctoritate apostolica dignaremur.

Nos igitur praefatas abbatissam et conventum sincera prosequentes in Domino caritate ac volentes earumdem necessitatibus, veris existentibus supradictis, in hac parte per apostolicae sedis providentiam subvenire, fraternitati tuae, de qua in his et aliis plenam in Domino fiduciam gerimus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, si est ita, praefatam ecclesiam seu cappellam cum dictis iuribus et pertinentiis suis praefatae mensae perpetuo auctoritate apostolica unire et applicare procures: ita quod rectore seu cappellano dictae ecclesiae seu cappellae sancti Roberbi, qui tunc erit, cedente vel decedente vel dicta ecclesia seu cappella alio quocumque modo vacante liceat abbatissae et conventui supradictis corporalem possessionem eiusdem ecclesiae seu cappellae ac iurium et pertinentiarum eius per se vel alium seu alios libere apprehendere et tenere ipsiusque fructus et proventus in proprios usus convertere, tua super hoc vel cuiuscumque alterius licentia minime requisita, reservata tamen prius de praedictis proventibus pro perpetuo vicario inibi servituro congrua portione, ex qua possit commode sustentari, iura episcopalia solvere et alia sibi incumbentia onera supportare, contradictores per censuram *etc.* ... compescendo, non obstante, si aliqui super provisionibus sibi faciendis de huiusmodi ecclesiis seu cappellis vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales apostolicae sedis vel legatorum eius litteras impetraverint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quas litteras et processus habitos per eosdem ad dictam ecclesiam seu cappellam, si est ita et per te unionem et applicationem huiusmodi fieri contingat, volumus non extendi *etc.* Datum Avinione, IV nonas ianuarii, anno sextodecimo.

957. Dandinum ord. Min., ab antipapa in episcopum Cremonen. promotum secundum canonica instituta puniri iubet. [3]

1332, ianuarii 3, Avinione.

[Bertrando ep. Ostien.] legato [Lombardiae].

Cum, sicut accepimus, Dandinus [4] de ordine fratrum Minorum, [5] qui olim a dilecto filio Petro de

[1] Reg. Vat. t. 101, ep. 829, apud *Wadd.* l. c. (reg. Io. XXII) n. 140.

[2] *Chambéry* in custodia Lausanensi prov. Burgundiae.

[3] Reg. Vat. t. 116, f. 293, ep. 1521.

[4] *In registro:* Bandinus, *inferius autem:* Dandinus.

[5] In litteris de ipsius provisione confectis (cfr. t. 118, ep. 562) nonnisi cappellanus Ludovici imper. Rom., reticito instituto religioso, nominatur eique ibi nomen Dondini est.

Corbario, dum ante conversionem suam [in] infidelitatis scismaticae perfidia permaneret, procuravit se promoveri de facto et scismatice in episcopum seu potius antiepiscopum Cremonensem seque fecit per viros scismaticos execrari (sedem Cremonensis ecclesiae, cuius se falso fingebat episcopum, invadendo dampnabiliter et etiam usurpando nec non de multis haeresibus et scismate vehementer suspectum seu respersum reddendo et alios excessus varios abominabiles in divinae maiestatis offensam, ecclesiae sanctae Dei contumeliam totiusque coetus fidelium opprobrium committendo), nostris detineatur apud Placentiam carceribus mancipatus, nos volentes exhiberi de ipso ad Dei laudem et gloriam ac honorem et exaltationem fidei catholicae iustitiae complementum, fraternitati tuae per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus per te vel alium seu alios super praedictis et ea tangentibus summarie, simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura iudicii secundum sanctiones canonicas et privilegia concessa inquisitionis officio haereticae pravitatis veritatem solerter inquirere aliasque ad correctionem et punitionem ipsius Dandini procedere, prout exegerit iustitia, non postponas. Datum [Avinione,] III nonas iunii, anno sextodecimo.

958. Cum Alboina de Lascala dispensari iubet, ut non obstante defectu aetatis in abbatissam mon. s. Mariae de Campo Martio Veronen. ord. s. Clarae assumi valeat. [1]

1332, ianuarii 10, Avinione.

Legato [Lombardiae].

Ex parte dilectarum filiarum in Christo conventus s. Mariae de Campo Martio Veronen. ord. s. Clarae coram nobis exhibita petitio continebat, quod dudum praedicto monasterio abbatissa carente ipse conventus pro electione abbatissae in eodem monasterio celebranda convenientes in unum et post maturos tractatus inter eas habitos super hiis, attendentes religionis zelum, morum gravitatem, vitae puritatem et alia multiplicia virtutum merita, quibus dilectam in Christo filiam Alboinam de Lascala sororem praedicti ordinis et monasterii virtutum Dominus insignivit, quodque per eius circumspectam prudentiam et amicorum potentiam dictum monasterium defendi poterat a noxiis et in spiritualibus et temporalibus multipliciter prosperari: eandem Alboinam, quae tunc temporis in XXII, nunc vero in XXIII aetatis suae anno constituta, nondum XXIV aetatis suae annum attingit, in suam et praelibati monasterii abbatissam concorditer et unanimiter postularunt, licet postulationem eandem non fuerint infra tempora legitima prosecutae. Quare fecerunt nobis humiliter supplicari, ut cum eadem Alboina, quod huiusmodi non obstante defectu possit in abbatissam monasterii supradicti assumi, dispensare de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque de praedictis notitiam non habentes, fraternitati tuae per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, si de praemissis tibi constiterit, ea, quae secundum Deum posse fieri, super quo tuam oneramus conscientiam, cognoveris, cum dicta Alboina, quod eiusdem aetatis defectu et qualibet constitutione in contrarium edita nequaquam obstantibus in abbatissam eiusdem monasterii assumi licite valeat, auctoritate nostra dispenses. Datum [Avinione,] IV idus ianuarii, anno sextodecimo.

959. Duodecim fratres Minores conventus Saonen., qui de schismate redierunt, a censuris eccl. absolvendi facultatem ministro prov. Ianuen. concedit. [2]

1332, ianuarii 16, Avinione.

Ministro provinciali ordinis fratrum Minorum provinciae Ianuensis.

Accepimus nuper, quod aliqui fratres tui ordinis Minorum ad numerum duodecim, qui de conventu fratrum eiusdem ordinis Saonensi extiterant (provide attendentes, quod fratres eiusdem conventus spiritu exagitati diabolico contra suae professionem regulae, non absque suarum animarum salutis dispendiis et plurimorum scandalis venientes, nobis et ecclesiae Romanae suoque ordini se rebelles et inobedientes manifeste reddiderant ac in eisdem rebellione et inobedientia diu dampnabiliter perstiterunt et etiam persistebant, sequendo nihilominus doctrinas haereticales et erroneas in suae dampnationis cumulum ac haereticis et scismaticis adhaerendo ac alios varios excessus in divinae maiestatis offensam, ecclesiae memoratae contumeliam ac fidei et fidelium opprobrium committendo horribiles et enormes), pridem apertis rationis oculis, quos magnitudo scelerum per ipsos et alios fratres dicti conventus patratorum enormiter excaecavit, a conventu praedicto velut conventu iniquorum et malignantium recesserunt seque ad partes Ianuenses propere transtulerunt, cum cordis contritione humili veraque poenitentia amare de commissis dolentes huiusmodi reincorporari unitati ecclesiae ac absolutionis beneficium ab excommunicationis sententia, quam ratione praemissorum incurrisse noscuntur, suppliciter postulando. Nos itaque, qui licet insufficientibus meritis illius vices in terris gerimus, qui non iustos sed peccatores ad poenitentiam se vocare venisse testatur, vo-

[1] Arch. Vat. armar. XXXI, 41, f. 24.

[2] Reg. Vat. t. 116, f. 316, ep. 1615.

lentes fratribus praedictis, qui usque ad dictum numerum a conventu sicut praemittitur recesserunt praedicto, salutis ianuam aperire, discretioni tuae, de qua fiduciam in Domino gerimus specialem, ut eisdem fratribus, qui usque ad numerum praedictum ab eodem conventu sicut praemittitur recedentes ad te curaverint dirigere gressus suos quique vere contriti et poenitentes coram te absolutionis beneficium duxerint humiliter postulandum, ab excommunicationis sententia, quam propter praemissa incurrisse noscuntur, absolutionis beneficium iuxta formam ecclesiae auctoritate nostra impendere ipsosque unitati ecclesiae reincorporare valeas (adiecto tamen specialiter et expresse, quod, si ad praemissa vel alia similia perpetranda imposterum redirent, quod absit, relabantur in eamdem sententiam ipso facto), plenam concedimus tenore praesentium facultatem. Volumus autem, quod super absolutione et reincorporatione huiusmodi confici facias publica instrumenta seriem continentia praesentium, illa nobis quantocius fideliter transmissurus. Datum [Avinione,] XVII kalendas februarii, anno sextodecimo. [1]

959ª. Petro Ayquelini, qui ordinem fratrum Minorum propter multa mala, quae in eo passum se asserit, est egressus (propter quod sententiam excommunicationis incurrit, a qua tamen per Petrum de Felicia ord. Carm., poenitentiarium apostolicum, iam absolutus est), concedit licentiam se transferendi ad ord. s. Ben. [2]

1332, ianuarii 23, Avinione.

Dilecto filio Petro Ayquelini ord. fratrum Minorum.

Consuevit apostolica sedes *etc.* Avinione, X kalendas februarii, anno sextodecimo.

960. Inquisitores haer. prav. in marchia Anconitana (ord. Min.) partem bonorum ex officio inquisitionis provenientium et ad cameram apost. pertinentium eidem camerae assignare iubet. [3]

1332, februarii 4, Avinione.

Eisdem [fratribus Min.] inquisitoribus [in marchia Anconitana].

Relatione fidedigna percepimus, quod vos certam partem bonorum et rerum, quae pervenerunt ex officio inquisitionis haereticae pravitatis in marchia nostra Anconitana vobis commisso, nostram cameram contingentem nondum eidem camerae assignastis. Cum autem dilecto filio Arnaldo Guillelmi de Nusseroliis canonico Regensi, nostro et ecclesiae Romanae in eadem camera thesaurario, demus per alias nostras litteras in mandatis, ut a vobis de praemissis rationes exigens partem tangentem praedictam cameram recipere non omittat [4], discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus dictas rationes coram eodem thesaurario ponere fideliter partemque contingentem exinde, sicut praemittitur, cameram eidem integraliter assignare [non omittatis]. Datum Avinione, II nonas februarii, anno sextodecimo.

961. Petrum de Prato ord. Min. in ministrum prov. Thusciae institui iubet. [5]

1332, februarii 12, Avinione.

Geraldo Ottonis ordinis Minorum generali ministro.

Cum, sicut accepimus, quondam Minus de Senis fratrum ordinis Minorum provinciae Tusciae provincialis minister sit viam universae carnis ingressus, nos, ne fratres praedicti destituti ministri regimine remaneant, providere volentes, discretioni tuae per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus dilectum filium Petrum de Prato eiusdem ordinis, qui puritate religionis, sinceritate fidei, circumspecta prudentia, maturitate morum et aliis virtutum meritis apud nos multipliciter commendatur, ministrum fratrum praedictorum in eadem provincia (quibusvis privilegiis, statutis et consuetudinibus praelibati ordinis nequaquam obstantibus) constituere ac deputare procures. Volumus autem, quod ipse propter hoc in executione officii haereticae pravitatis, quod in praefata gerit provincia, nullatenus usque ad provinciale ipsius ordinis capitulum valeat impediri. Datum [Avinione], II idus februarii, anno sextodecimo.

962. Cum Alvaro Pelagii dispensat super defectu natalium. [6]

1332, februarii 22, Avinione.

Dilecto filio Alvaro Pelagii Carino de Salves ordinis fratrum Minorum professori.

Libenter illis favorem apostolicum impertimur,

---

[1] Nicolaus Ricius de Ianua ord. Min., antiepiscopus Saonen. (cfr. supra not. ad n. 721 *a*) 3 oct. 1332 Avinione in palatio apost. et consistorio publico coram summo pontifice et sacro card. collegio confitetur, quod in civ. Saonen. violavit interdictum audiendo et celebrando divina et eccl. sacramenta ministrando et quod accepit a Petro de Corbario episcopatum Saonae et partem bonorum temporalium eiusdem episcopatus possedit duobus annis etc., et iuravit se tenere fidem, quam S. R. E. tenet, et credit, quod non spectat ad imperatorem, papam deponere et alium facere; et insuper iuravit se stare et parere mandatis ecclesiae et dñi papae Io. XXII etc. Quo facto ab eodem summo pont. absolvitur ab excomm. sententia atque habilitatur et restituitur ad famam et statum pristinum, praeterquam ad honorem seu ad aliquam dignitatem episcopalem. Acta sunt haec praesentibus Ioanne archiep. Panorm., Friderico Saonen., Raphaele Nebien., et Matthaeo Caphen. episcopis. Cfr. arch. Vat. arm. XXXIV, 2, f. 91.

[2] Reg. Vat. t. 101, ep. 400.

[3] Reg. Vat. t. 116, f. 348, ep. 1733.

[4] L. c. ep. 1732. Aliis litteris eodem die datis summus pontifex praedictos inquisitores monet, ut ab inquisitione in rebelles marchiae Ancon. ad tempus desistant, cum spes adsit, fore ut illi ad devotionem ecclesiae redeant (l. c. ep. 1734).

[5] Reg. Vat. t. 116, f. 232, ep. 1212, et f. 289, ep. 1492.

[6] Reg. Vat. t. 103, ep. 1376; cfr. nn. 778, 779, 985.

qui mundanis relegatis illecebris per virtutum semitas incedentes se fore dignos gratia repraesentant. Cum itaque, sicut fidedignorum assertione percepimus, tu sic in observantia Domini mandatorum, institutis quoque regularibus et alias te divinis obsequiis mancipasse noscaris, quod ab ipso Domino gratiam consecutus geniturae maculam, quam ex prohibita parentum copula contraxisti, utpote de coniugato et desponsata per verba de praesenti genitus, probitate morum aliisque multiplicibus tuae magnae sufficientiae meritis virtuosis abstergis: dignum duximus, ut a te illegitimitatis impedimentum apostolicae plenitudo potestatis aboleat, quam immensis virtutum et scientiae titulus recompensat. Tuis itaque supplicationibus inclinati te, praedicto defectu et quacunque constitutione contraria nequaquam obstantibus, ad omnes dignitates in ordine fratrum Minorum, cuius professor existis, et extra ordinem ipsum, etiam si episcopalis existat, habilitamus de gratia speciali. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, VIII kalendas martii, anno sextodecimo.

963. Landulfo archiepiscopo Amalfitan. (ex ord. Min.) regratiatur, eo quod astitit ministro generali in persequendis Fraticellis. [1]

1332, februarii 29, Avinione.

Landulpho [2] *archiepiscopo Amalfitano.*

Cum, sicut grata insinuatione percepimus, tu, frater, dilecto filio Geraldo Othonis fratrum ordinis Minorum generali ministro circa negotium nos et ecclesiam Romanam fidemque catholicam et fideles ac ordinem praedictum contingens, quod contra quosdam fratres sui ordinis tam apostolica quam sua ordinaria auctoritate pridem agere in eis partibus habuit, prompte ac fideliter velut zelator ipsius fidei, sicut te requisivit, astiteris consiliis, auxiliis et favoribus opportunis: inde fraternitati tuae gratiarum referimus uberes actiones, fraternitatem rogantes eandem, quatinus assistentiam huiusmodi continuare, quotiens opportunum extiterit, ut propter hoc divinam et apostolicae sedis gratiam promerearis uberius, non omittas. Datum Avinione, II kalendas martii, anno sextodecimo.

In eundem modum verbis competenter mutatis *ministro provinciali fratrum Minorum Terrae laboris et eisdem fratribus.*

In eundem modum *abbati monasterii Cavensis.*

In eundem modum *communi Neapolitano.* Datum ut supra.

964. Eundem archiepiscopum contra Fraticellos ulterius procedere iubet. [3]

1332, martii 5, Avinione.

Landulpho archiepiscopo Amalfitano.

Ad auditum apostolatus nostri pervenit, quod quidam perniciosi homines, qui se *Fraticellos* seu *Fratres de paupere vita* nuncupari faciunt, quorum secta velut perniciosa et periculosa nimium per ecclesiam Romanam iamdudum damnata extitit et perpetuae prohibitioni subiecta, et alii ordinis fratrum Minorum apostatae, de haeresibus et scismate vehementer suspecti, tam in tuis quam in Neapolitana civitatibus et diocesibus ac provinciis se receptant, ibidem in divinae maiestatis offensam, praefatae ecclesiae contumeliam ac fidei laesionem catholicae periculumque fidelium varios errores et scismata disseminare temerariis ausibus molientes. Nos autem obviare periculis huiusmodi salubriter cupientes fraternitati tuae, de qua fiduciam in Domino gerimus specialem, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus per te vel alium seu alios super praedictis et ea tangentibus solerti et fideli adhibita diligentia (summarie, de plano et simpliciter, sine strepitu et figura iudicii) te informans, tam tua ordinaria in tuis civitate et diocesi ac provincia quam apostolica tam in illis quam in praedictis civitate, diocesi et provincia Neapolitanis auctoritate suffultus, adversus eosdem Fraticellos et apostatas ad captionem, inquisitionem et punitionem iuxta formam canonum et constitutionum nostrarum necnon et secundum privilegia officio inquisitionis haereticae pravitatis concessa (invocato ad hoc, si necesse fuerit, auxilio brachii saecularis) procedere non postponas: ita quod praeter divinae mercedis praemium, quod exinde consequeris, nostram et apostolicae sedis gratiam uberius merearis. Per hoc autem quibusvis commissionibus super hiis per nos factis derogare non intendimus, sed tam praesentem quam illas in suo volumus robore perdurare. Datum Avinione, III nonas martii, anno sextodecimo.

965. Commune Neapolitanum Landulpho archiepiscopo Amalfitan. in persequendis Fraticellis auxilium praebere iubet. [4]

1332, martii 5, Avinione.

Communi Neapolitano.

Cum venerabili fratri nostro Landulpho archiepiscopo Amalfitano procedendi contra illos homines perniciosos, *Fraticellos* seu *Fratres de paupere vita* nuncupatos, quorum superstitiosa secta iam dudum

[1] Reg. Vat. t. 116, f. 246, ep. 1285.
[2] Ex ord. Min.; cfr. supra n. 931 et infra n. 964 ac 965.
[3] Reg. Vat. t. 116, f. 236, ep. 1225; cfr. n. 963 et 965.
[4] Reg. Vat. t. 116, f. 246, ep. 1286; cfr. n. 963 et 964.

per ecclesiam Romanam dampnata, sicut vos, filii, ignorare non credimus, extitit et perpetuae prohibitioni subiecta, et alios fratrum Minorum apostatas, qui disseminare varios errores et schismata tam in civitate Neapolitana quam aliis circumvicinis partibus non sine magnis fidei et fidelium periculis et scandalis moliuntur, concesserimus per nostras alias certi tenoris litteras facultatem: prudentiam et devotionem vestram rogamus attentius et in Domino exhortamur, quatinus eidem archiepiscopo, sicut vos requirendos duxerit super praemissis, pro divina et nostra ac apostolicae sedis reverentia tanquam fidei zelatores catholici assistatis auxiliis, consiliis et favoribus opportunis: ita quod propter hoc valeatis divinam et nostram ac eiusdem sedis benedictionem et gratiam uberius promereri. Datum Avinione, III nonas martii, anno sextodecimo.

966. Luciae Belliprandii et Fayni dominae facultatem construendi Clarissis monasterium in loco dicto Casalis dioec. Lugdunen. concedit. [1]

1332, martii 6, Avinione.

Dilectae in Christo filiae Luchae Belliprandii et Fayni dominae Lugdunen. dioecesis.

Ex favore devotionis et fidei prodire percepimus, quod tua versatur intentio circa cultum divini nominis ampliandum. Nos itaque huiusmodi tuum pium laudabileque propositum favorabiliter prosequentes illa tibi libenter concedimus, per quae ad Dei laudem et gloriam idem propositum ad efficacem effectum, dextera Domini tibi assistente propitia, perducatur. Oblata siquidem nobis tuae petitionis series continebat, quod tu olim in quodam loco tuo Casalis vulgariter nuncupato Lugdunen. dioec. pro tuae ac parentum et progenitorum tuorum animarum salute quamdam cappellam seu ecclesiam, de loci dioecesani consensu, de bonis propriis fecisti construi et ab eodem dioecesano obtinuisti, quod possent in eadem cappella seu ecclesia missae et alia divina officia celebrari, quodque tu, quae ad ordinem sanctae Clarae geris praecipuae devotionis affectum, proponis et desideras in dicto loco circa vel iuxta praefatam ecclesiam seu cappellam quoddam monasterium ordinis praefati construere cum necessarii officinis. Quare nobis humiliter supplicasti, ut tibi construendi praefatum monasterium cum coemeterio et officinis huiusmodi ac illud dotandi nec non in eo easdem sorores, postquam constructum et dotatum foret, collocandi, sub clausura et regulari observantia dicti ordinis Domino perpetuo servituras, facultatem liberam concedere dignaremur. Nos itaque cupientes cultum huiusmodi adaugeri, ut maiestas Altissimi collaudetur amplius et sanctorum memoria frequentius peragatur, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, devotioni tuae, ut dictum monasterium cum coemeterio et necessariis officinis praedictis construere et in eo, postquam constructum fuerit, dictas sorores sub clausura et regulari observantia dicti ordinis perpetuo Domino servituras collocare valeas, dote sufficienti pro numero sororum et personarum eis inibi deservientium ad loci dioecesani arbitrium per te primitus assignata, sic tamen quod sorores ipsae ibidem sub clausura perpetua commorentur, plenam et liberam auctoritate apostolica concedimus facultatem. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, II nonas martii, anno sextodecimo.

967. Extendit facultatem ministro fratrum ordinis Minorum Alamanniae superioris factam de absolvendis iis, qui Ludovico de Bavaria et Michaeli de Caesena adhaeserant, ad illos, qui ab eodem Michaele officia receperunt, dummodo illa dimiserunt totaliter et penitus a Ludovico et Michaele praedictis discesserunt. [2]

1332, martii 7, Avinione.

Ministro provinciali fratrum ordinis Min. Alamanniae superioris.

Dudum nobis exposito *etc.* Datum [Avinione,] nonis martii, anno sextodecimo.

968. Ministro generali concedit facultatem dispensandi cum fr. Berardo Nicolai de civ. Aprutina (*Teramo*), ita ut non obstante, quod mater eius de haeresi erat condemnata, ad omnes administrationes ordinis sui citra ministeriatum generalem promoveri possit. [3]

1332, martii 9, Avinione.

Dilecto filio [Geraldo Othonis] ministro generali fratrum ordinis Minorum.

Religionis zelus, vitae ac morum honestas, litterarum scientia aliaque multiplicia virtutum merita, quibus dilectus filius Berardus quondam Nicolai de civitate Aprutina ordinis fratrum Minorum, prout ex testimoniis fidedignis accepimus, iuvari dinoscitur, nos inducunt, ut ipsum praerogativa specialis favoris et gratiae prosequamur. Sane petitio sua nobis exhibita continebat, quod, cum olim bonae memoriae Raynaldus episcopus Aprutinus [4] propter nonnulla scandala, quae in civitate seminavit eadem, fuisset de dicta civitate violenter eiectus, idem episcopus postmodum dictam civitatem reingrediens per potentiam saecularem (adhibito sibi dilecto filio Roberto de s. Valentino ordinis fratrum Praedicatorum, qui tunc erat in illis partibus inquisitor haereticae pravitatis, ante ingressum dicti ordinis

[1] Reg. Vat. t. 101, ep. 775; apud *Wadd.* l. c. n. 141.
[2] Reg. Vat. t. 116, f. 255, ep. 1324; cfr. supra n. 877.
[3] Reg. Vat. t. 103, ep. 1392.
[4] Qui a. 1301 in episcopum Aprutin. promotus a. 1317 obiit.

vassallus quondam Conradi de Aquaviva, tunc viventis, germani episcopi antedicti) et minus veraciter asserens, quod dictus Nicolaus, pater ipsius Berardi, de illis, qui eum a civitate praedicta expulerant, unus extiterat, et volens se propterea de dicto Nicolao per indirectum quodammodo vindicare, et quod quondam Francisca uxor Nicolai et mater Berardi praedictorum cum quibusdam haereticis vocatis Fraticellis conversata et propterea haeretica fuerat, fecit eam per dictum Robertum ex arrupto quasi per tyrannidem de haeresi condempnari et incendio ignis exponi. Deinde vero praefatus Berardus dictum ordinem Minorum ingrediens, cum in eo gratia sibi favente divina sic in litterarum scientia tam in Parisiensi quam aliis studiis et alias in vita et moribus laudabiliter profecisset, quod ad administrationes et officia dicti ordinis Minorum idoneus censebatur, habito quorundam bonorum peritorum consilio, quod licite ad officia et administrationes huiusmodi poterat promoveri, fuit in gardianum, lectorem et custodem successive in dicto Minorum ordine temporibus diversis assumptus. Quare dictus Berardus nobis humiliter supplicavit, ut ad omnem ambiguitatem tollendam et suam super hiis conscientiam serenandam providere sibi in hac parte de pura et liberali sedis apostolicae clementia dignaremur. Nos itaque propter praemissa ipsius Berardi virtutum merita volentes eum favore prosequi gratioso, ipsius supplicationibus inclinati, discretioni tuae, de qua in hiis et aliis fiduciam in Domino gerimus specialem, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus cum eodem Berardo, quod (praemissis omnibus et qualibet constitutione contraria nequaquam obstantibus) possit ad omnes administrationes, officia, status et honores, etiam ministerium dicti sui ordinis Minorum citra tamen ministeriatum generalem, licite promoveri, apostolica auctoritate, si hoc dicto tuo ordini Minorum videris expedire, dispenses. Datum Avinione, VII idus martii, anno sextodecimo.

969. Petro de Prato vicario prov. Tusciae ord. Min. concedit facultatem dispensandi cum sex fratribus ipsius provinciae, qui a quodam episcopo tunc rebelli ordines susceperunt. [1]

1332, martii 9, Avinione.

Eidem Petro de Prato in provincia Tusciae vicario. [2]

Tuae petitionis nobis exhibitae series patefecit, quod dudum sex fratres tui ordinis Minorum iuvenes, oriundi de civitate Lucana, a quodam episcopo tunc nobis rebelli, alias tamen rite promoto, ordines receperunt. Cum autem dicti fratres in nostra et ecclesiae Romanae dictique ordinis obedientia et devotione persistant, nobis humiliter supplicasti, ut eisdem providere de opportunae dispensationis gratia quoad susceptos huiusmodi et suscipiendos ulteriores ordines de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque supplicationi huiusmodi benignius inclinati, discretioni tuae dispensandi, si est ita, cum ipsis, quod in susceptis ordinibus ministrare valeant et ad ulteriores etiam (alias tamen rite et canonice) promoveri (ab eis et eorum singulis primitus iuratoria cautione recepta, quod deinceps attemptare similia non praesumant, et iniuncta inde sibi pro modo culpae poena salutari), plenam concedimus auctoritate praesentium facultatem. Datum [Avinione,] VII idus martii, anno sextodecimo.

970. Geraldum Othonis ministrum generalem certiorem reddit de litteris commendatitiis pro eo ad regem et reginam Siciliae directis. [3]

1332, martii 13, Avinione.

Geraldo Ottonis ordinis fratrum Minorum generali ministro.

Carissimo in Christo filio nostro Roberto regi Siciliae illustri inter cetera scribimus suadendo, quod te ad suam evocare praesentiam et ad suam restituere gratiam debeat tuumque sinat officium exequi libere tibique in hoc opportune assistere ordinemque tuum velit in sua gratia retinere: tenentes indubie, quod tu, cui super hoc scribimus, quantum cum Deo poteris, studebis regiis et reginalibus beneplacitis complacere. Scribimus eidem insuper, quomodo tibi potestatem per litteras nostras commisimus absolvendi sex personas ecclesiasticas vel saeculares, quae adhaerendo vel favendo Michaeli vel Bavaro condempnatis de haeresi poenas vel sententias canonum vel nostrorum processuum incurrissent, dummodo veraciter resilirent a fautoria huiusmodi et se absolvi a te humiliter postularent. Volumus itaque ac tuae discretioni mandamus, quatinus circa praemissa, quantum in te fuerit, promptum et liberalem te exhibere studeas et eorum beneplacitis, quantum cum Deo poteris et te requisierint, te coaptes. Datum [Avinione,] III idus martii, anno sextodecimo.

971. Commutationem bonorum inter archiepiscopum Toletanum et monasterium Clariss. de Guadalfaiara factam confirmari iubet. [4]

1332, martii 14, Avinione.

Episcopo Conchen.

Ecclesiarum et monasteriorum omnium provi-

[1] Reg. Vat. t. 116, f. 232, ep. 1203.
[2] Proxime procedit bulla, quam supra n. 961 retulimus.
[3] Reg. Vat. t. 116, f. 247, ep. 1287.
[4] Reg. Vat. t. 101, ep. 686; apud *Wadd.* l. c. n. 142.

dere commodis et eorum indemnitatibus praecavere paterna diligentia intendentes, in illis apostolici favoris praesidium libenter impendimus, cum ecclesiarum et monasteriorum ipsorum utilitas id exposcit, quae ad statum prosperum eorumdem redundare valeant evidenter. Ex tenore siquidem petitionis venerabilis fratris nostri Eximini archiepiscopi Toletani et dilectarum in Christo filiarum abbatissae et conventus monasterii sanctae Clarae de Guadalfaiara ordinis eiusdem sanctae, dictae dioecesis, nobis porrectae collegimus, quod venerabilis frater noster Ioannes patriarcha Alexandrinus, olim archiepiscopus Toletanus, eiusdem Eximini proximus antecessor, dum ecclesiae Toletanae regimini praesidebat, ad ipsius ecclesiae honores et profectus aspirans ac eiusdem ecclesiae utilitates affectans, pro villa seu loco de Alcolea cum terminis ac universis iuribus et pertinentiis suis dictae dioecesis cum abbatissa et conventu praefatis, ad quas villa seu locus praefatus pertinebat, prout pertinet, quibusque licet ut asseritur habere proprium in communi ex indulto sedis apostolicae speciali, quaedam loca, quae *Tendae*, et quemdam alium locum, qui *Currale* in illis partibus vulgariter nuncupantur, consistentia in dicto loco de Guadalfaiara, praefatae dioecesis, et decimam bladi in dicto loco de Guadalfaiara ipsiusque loci archipresbyteratum, certis locis exceptis, ad mensam archiepiscopalem Toletan. spectantia, cum omnibus iuris et pertinentiis earumdem, de consilio et assensu dilectorum filiorum decani et capituli ecclesiae antedictae, permutare promisit, si ad permutationem huiusmodi beneplacitum accederet dictae sedis. Interim tamen partes ipsae speciali stipulatione seu conventione ad invicem promiserunt seseque obligaverunt, contra praefata ratione aliqua vel causa in aliquo non venire, et licet huiusmodi permutationis contractus proprium non sortiretur effectum, donec beneplacitum accederet antedictum: tamen, ne dictus locus de Alcolea quorumdam tyrannorum, qui ad hoc anhelabant, perveniret ad manus, ex tunc dictus antecessor abbatissae et conventui Tendarum et Curralis ac decimae, ipsae vero abbatissa et conventus antecessori praefatis villae seu loci de Alcolea praedictorum corporalem possessionem tradere curaverunt, prout in instrumento publico inde confecto plenius continetur. Quare nobis Eximinus archiepiscopus, abbatissae et conventus praefati devote ac humiliter supplicarunt, ut eidem permutationi, quod pro securitate ipsarum partium robur habeat solidae firmitatis, nostrum praebere consensum ipsamque permutationem ex certa scientia confirmare auctoritate apostolica dignaremur. Quia vero tu de facto dictae permutationis eiusque circumstantiis facilius habere poteris notitiam pleniorem, fraternitati tuae, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus permutationem praefatam nec non conditiones et qualitates ipsius diligenter examines et informationem plenariam recipias super eis, et si per informationem ac examinationem huiusmodi repereris huiusmodi permutationem faciendam fore factam absque laesione mensae vel monasterii praefatorum seu alicuius partium earumdem, permutationi huiusmodi auctoritate nostra assensum praestes ipsamque auctoritate praefata confirmes: servatis in his, quae rationabiliter fuerint observanda. Datum Avinione, II idus martii, anno sextodecimo.

972. Quandam constitutionem Alexandri IV per moniales mon. Claromonten. ord. s. Clarae observari permittit. [1]

1332, martii 27, Avinione.

Venerabili fratri .. episcopo Claromontensi.

Vota prudentum virginum *etc.* Nuper siquidem exhibitae nobis dilectarum in Christo filiarum .. abbatissae et sororum inclusarum Claromontensium [2] ordinis sanctae Clarae petitionis series continebat, quod, licet ordinatio seu constitutio a fel. rec. Alexandro papa IV praedecessore nostro dudum edita fuisset, sub qua ex voto professionis vivere promiserunt, praecipiat per eas sancti Benedicti regulam observari atque teneri, et quod capellanum habitu et vita religiosum ac aetatis idoneae existentem habeant, qui confessiones audiat earumdem et sibi alia sacramenta ecclesiastica debeat ministrare, quando et quoties existeret opportunum: tamen per ignorantiam ordinationis seu constitutionis huiusmodi fratribus ordinis Minorum hactenus confessae fuerunt et per eorum manus alia receperunt ecclesiastica sacramenta. Sed propter iniurias, novitates et gravamina, quae dilectus filius Iohannes de Thori, olim custos fratrum dicti ordinis Minorum in Arvernia, praefatis abbatissae et sororibus hucusque multipliciter irrogavit, ad nostram audientiam et sedem apostolicam appellarunt. Ex quo certi fratres ipsius ordinis Minorum contra eas fuerunt et sunt plurimum indignati, adeo quod propter minas ipsorum dictae sorores presbyterum aliquem invenire non possunt, qui confessiones audiat earundem et alia ipsis praefata sacramenta ministret. Et quum eosdem fratres ipsae sorores pro praemissis de cetero non adirent nec suas conscientias in confessione vel alias sibi aliquatenus

[1] Reg. Vat. t. 103, ep. 1583; cfr. supra n. 799.

[2] *Clermont* in custodia Arverniae prov. Burgundiae.

aperirent, eo quod fratres ipsi articulos diffamatorios contra eas dederunt multaque intollerabilia dampna et gravamina intulerunt eisdem, praedicta abbatissa et sorores nobis devote ac humiliter supplicarunt, ut, ne sicut oves oberrantes in defectu pastoris luporum morsibus exponantur, providere ipsis in hac parte de ipsius sedis clementia eiusque benignitate solita dignaremur. Nos igitur, omnium et singulorum salutem desiderabiliter appetentes ac volentes eisdem abbatissae et sororibus in hac parte de salubri remedio providere, earundem abbatissae et sororum super hiis piis supplicationibus annuentes, fraternitati tuae per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, de praedictis et singulis sufficientem informationem recipias (simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii); et si per informationem huiusmodi repereris eundem Alexandrum praedecessorem nostrum ordinasse atque constituisse, prout superius est expressum, nec aliud ex adverso propositum et probatum legitime fuerit, quod obsistat, ordinationem et constitutionem huiusmodi auctoritate nostra facias sublato appellationis obstaculo firmiter observari: contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo; non obstantibus *etc.* Datum Avinione, VI kalendas aprilis, anno sextodecimo.

973. Raphaelem Spinulae ord. Min. praeficit ecclesiae Nebien. in episcopum. [1]

1332, aprilis 13, Avinione.

Raphaeli Spinulae electo Nebien. [2]

Inter cetera, quae *etc.* Nuper siquidem venerabili patre nostro Percivallo episcopo olim Nebien. per venerabilem fratrem nostrum Fridericum episcopum Saonen., procuratorem ipsius Percivalli episcopi ad hoc ab eo sufficiens et speciale mandatum habentem, regimini Nubien. ecclesiae, cui tunc praeerat, ex certis causis legitimis apud sedem apostolicam libere ac sponte cedente [3] in manibus venerabilis fratris nostri Petri episcopi Praenestini de speciali mandato nostro super hoc ei facto oraculo vivae vocis cessionem huiusmodi admittentis, nos ad provisionem eiusdem ecclesiae Nebien. celerem et felicem, ne prolixae vacationis incurreret detrimenta, paterna sollicitudine intendentes, cum nullus praeter nos *etc.*, post deliberationem, quam *etc.*, demum ad te ordinis fratrum Minorum professorem et in sacerdotio constitutum, cui de litterarum scientia, honestate *etc.* fide digna testimonia perhibentur, direximus oculos mentis nostrae. Quibus omnibus attente pensatis de persona tua eidem Nebien. ecclesiae de dictorum fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica providemus teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, tibi curam ipsius ecclesiae Nebien. tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo *etc.* Datum Avinione, idibus aprilis, anno sextodecimo. [4]

974. Revocat facultatem ministro generali de instituendo aliquo ministro provinciali factam. [5]

1332, aprilis 15, Avinione.

Eidem generali [ministro].

Ex causis certis nobis suggestis tibi hiis diebus praeteritis scripsimus post salutationis eloquium sub hac forma: [6] Sane quia, sicut percepimus, provinciali capitulo, ut sibi et tibi libera dimittatur ministri promotio, admodum esset gratum: nos attendentes, quod per te et illos, qui pleniorem meritorum et idoneitatis [7] fratrum, quae in promovendo ad tantum requiruntur officium, notitiam obtinetis, praedictas litteras revocamus, volentes, ut ad promotionem dicti officii per electionem vel alias, prout expedire videritis, ac si non emanassent dictae litterae, procedatis. Datum [Avinione,] XVII kalendas maii, anno sextodecimo.

975. Guilelmum Jorneti ord. Min. ecclesiae Sulcitan. praeficit in episcopum. [8]

1332, aprilis 24, Avinione.

Guillelmo Jorneti [9] *electo Sulcitan.*

Pastoralis officii debitum exigit *etc.* Dudum siquidem bon. mem. Bartholomaeo episcopo Sulcitano regimini Sulcitan. ecclesiae praesidente, [10] nos cupientes eidem ecclesiae, cum eam quovis modo vacare contingeret, nostrae cooperationis ministerio secundum cor nostrum idoneam praesidere personam, provisionem ipsius ecclesiae, cum vacaret, ordinationi et dispositioni nostrae ac sedis apostolicae ea vice duximus specialiter reservandam, decernendo ex tunc irritum *etc.* Postmodum vero

---

[1] Reg. Vat. t. 102, ep. 1087; apud *Wadd.* l. c. n. 143.
[2] *In registro minus recte:* Nubien.
[3] Cfr. supra n. 827. Quem Percevallum summus pontifex die 13 iunii 1332 per archiepiscopum Pisanum absolvi iubet a censuris eccl., quas incurrerat violando interdictum eccl., cui civitas Albingan. subiecta fuit, atque adhaerendo Ludovico Bav., antipapae, Michaeli de Caesena (l. c. ep. 1094).
[4] In e. m. capitulo et vassallis ecclesiae Nebien., clero et populo civ. ac dioec. Nebien., archiepiscopo Ianuen. tamquam metropolitano. Die 1 ianuarii 1333 summus pontifex eidem Raphaeli concedit conservatores episc. Alerien. aliosque praelatos (l. c. t. 104).
[5] Reg. Vat. t. 116, f. 247, ep. 1288; cfr. supra n. 909.
[6] Omissae sunt illae litterae. Aut de illis, quae supra n. 909, aut de illis, quae n. 935 vel n. 961 relatae sunt, agi videtur.
[7] *In registro:* idoneitatem.
[8] Reg. Vat. t. 102, ep. 1004; apud *Wadd.* l. c. n. 144; cfr. infra n. 978.
[9] *Non:* Forneti, *sicut scribit Wadd.*
[10] A. 1330-1332.

praefata ecclesia per obitum eiusdem Bartholomaei episcopi, qui in partibus illis diem clausit extremum, pastoris solatio destituta nos, vacatione huiusmodi fide dignis relatibus intellecta, ad provisionem ipsius ecclesiae celerem ... intendentes *etc.* demum ad te ordinis fratrum Minorum professorem, in sacerdotio constitutum, litterarum scientia praeditum, vitae ac morum honestate decorum, prudentia spiritualium et temporalium providentia circumspectum aliisque grandium virtutum meritis, prout ex testimoniis fide dignorum accepimus, insignitum, direximus oculos nostrae mentis. Quibus omnibus attente discussis, de persona tua, nobis et dictis fratribus nostris consideratione praemissorum accepta, praefatae ecclesiae Sulcitan. de dictorum fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica providemus teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo *etc.* Datum Avinione, VIII kalendas maii, anno sextodecimo. [1]

976. Deodatum de Praeneste ord. Min. a conventu s. Sepulchri (Silvestri?) de Urbe ad domum Urbevetanam se transferre iubet. [2]

1332, maii, 7, Avinione.

[Ioanni s. Theodori diac. card.] legato Tusciae.

Volentes, quod dilectus filius Deodatus de Praeneste ordinis fratrum Minorum a conventu monasterii sancti Sepulcri [3] de Urbe, in quo collocatus fuisse dicitur, non obstante quacumque confirmatione seu inhibitione per nos vel auctoritate nostra facta, ne a conventu amoveatur praedicto, ad conventum eiusdem ordinis Urbevetanum se infra XV dierum spatium immediate post mandatum huiusmodi sibi factum sequentium studeat se conferre (ibidem sub obedientia praelatorum eiusdem ordinis, donec a sede apostolica vel dilecto filio Geraldo Othonis ipsius ordinis generali ministro alias ordinatum extiterit, Domino serviturus): discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatinus eidem Deodato, quod praemissa compleat, in virtute obedientiae ex parte nostra districtius iniungere per te vel alium non postponas. Datum [Avinione,] nonis maii, anno sextodecimo.

In eundem modum *dicto ministro* verbis competentibus mutatis. [4]

977. Novum inquisitorem haer. prav. in partibus Romanis institui iubet. [5]

1332, maii 8, Avinione.

Eidem [generali ministro].

Cum, sicut accepimus, dilectum filium Simonem tui ordinis, olim inquisitorem in Romanis partibus pravitatis haereticae, duxeris ab eodem officio absolvendum, volumus et tuam reddimus discretionem attentam, quatinus de persona idonea praefato cures officio celeriter providere. Datum [Avinione,] VIII idus maii, anno sextodecimo.

978. Bonifatium de Pisis ord. Min. olim obstante defectu natalium et contra provisionem apost. sedis in episcopum Sulcitan. promotum habilitat ad alium episcopatum obtinendum. [6]

1332, maii 13, Avinione.

Venerabili fratri Bonifatio de Pisis episcopo olim ad ecclesiam Sulcitanam consecrato.

Si Romanus pontifex *etc.* Nuper siquidem ex parte tua nobis devota et humili extitit insinuatione monstratum, quod tu ordinis fratrum Minorum professor, non modico interstitio temporis in eodem ordine tam per exercitium lectionis in acquirenda scientiae margarita, in qua laudabiliter diceris profecisse, quam etiam in aliarum cultu virtutum vehementer animum applicasti, ut gratas Deo virtutum laudes exolveres et per hoc redimeres tuorum defectum natalium, quem tuorum levitate parentum pateris de coniugato genitus et coniugata, quodque, licet scrupulum ipsius defectus agnosceres, tamen Dei timorem oblitus, cum iam dudum concorditer electus fores in episcopum Sulcitanum, electioni huiusmodi consensisti, quae auctoritate metropolitica confirmata extitit tibique, prout episcopalis dignitas requirebat, consecratio impertita (in hiis rite, alias observantia canonum non omissa), nec non tu praemissorum tibi factorum praetextu in spiritualibus et temporalibus administrasti ut episcopus Sulcitanus ac fructus inde percepisti, et alia, quae ordinis episcopalis et pontificalis existunt, ibi et alibi exercuisti ut pontifex per alicuius temporis spatium iam peractum. Sed nos deinde praedictis attentis, et quod antea provisio ecclesiae Sulcitanae [7] dispositioni apostolicae per nos ex causis legitimis et sub certa forma fuerat decreto interposito reservata, alium [8] praefecimus in epi-

[1] In e. m. capitulo et vassallis ecclesiae Sulcitan., clero et populo civ. ac dioec. Sulcitan., archiepiscopo Calaritan. tamquam metropolitano, Alfonso regi Aragonum (et Sardiniae).

[2] Reg. Vat. t. 116, f. 286, ep. 1489; cfr. supra n. 456.

[3] *Aut potius* Silvestri ord. s. Clarae?

[4] Proxime sequuntur litterae, quibus eidem legato committitur, ut Ioannem Sciarrae de Columpna, olim archidiaconum de Brabantia in ecclesia Cameracen., qui dudum Ludovico Bavaro et antipapae adhaeserat, cum ad devotionem ecclesiae redire desideret, a censuris eccl., quas inde incurrerat, absolvat. Iste Ioannes Sciarrae de Columpna idem habendus est atque ille Ioannes (Iacobi) de Columpna, qui in curia antipapae vicecancellarium s. R. eccl. agebat. Cfr. reg. Vat. t. 118, cuius litterarum argumenta publicavimus in periodico *Archivalische Zeitschrift N. F.* t. IV, p. 123-212, et *Vatik. Akten ed. Riezler*, n. 1505.

[5] Reg. Vat. t. 116, f. 247, ep. 1289; cfr. supra n. 934.

[6] Reg. Vat. t. 103, ep. 1403; cfr. supra n. 975 et infra n. 981.

[7] *Sulci* in insula Sardiniae.

[8] Scil. Angelum ord. Praed. (a. 1325).

scopum Sulcitanum, sicque tu episcopus nullius ecclesiae remansisti et personaliter ad sedem apostolicam accessisti ac praedicta contritus et humiliatus in nostra recognovisti praesentia tua sponte, nobisque pro parte tua fuit devotius et humilius supplicatum, ut iuxta nostrum et apostolicum beneplacitum ac mandatum tibi super iam dictis ignoscere tuoque clementer providere statui dignaremur. Nos igitur, qui licet immeriti Redemptoris nostri, qui regnat in coelis et principatur in orbe terrarum, vicariatus officium gerimus super terram, satagentes, prout humana fragilitas nosse sinit et posse permittit, eius imitatores existere ad misericordiam vere humilibus et poenitentibus impendendam, volentes te benigne atque gratiose prosequi, de solita clementia dictae sedis huiusmodi, etiam tuis (exigentibus meritis, quae tibi, sicut clara testimonia perhibent, laudabiliter suffragantur) supplicationibus inclinati, tecum, ut episcopalem dignitatem, si te ad illam alias canonice vocari seu promoveri seu alias quoquo modo eligi vel postulari contigerit, libere assumi ac eam etiam licite retinere valeas, ad quam te habilitamus et habilem reddimus, de apostolicae plenitudine potestatis (defectu et aliis praemissis et qualibet constitutione seu quibuscumque statutis et consuetudinibus ordinis antedicti, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, aut privilegiis et indulgentiis apostolicis contrariis, nequaquam obstantibus) auctoritate apostolica de uberioris dono gratiae dispensamus. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, III idus maii, anno sextodecimo.

979. Archiepiscopum Tholosan. et rectorem ecclesiae s. Martini de Layraco dioec. Tholosan. citari iubet responsuros super iniuriis monasterio Tholosan. ord. s. Clarae illatis. [1]

1332, maii 16, Avinione.

Dilectis filiis Petro Stephani, de Osville, capellano nostro, et Bertrando de Camiaco, de Briva, Tholosan. et Lemovicen. dioc., prioribus, ac Petro Andreae canonico Aquen.

Ad impendendum cuilibet imploranti iustitiae complementum *etc.* Dat. Avinione, XVII kal. iunii, anno sextodecimo.

980. Bartholinum de Perusio ord. Min., licet per ministrum generalem ab officio inquisitionis haer. prav. depositum, processus contra Tudertinos prosequi iubet. [2]

1332, maii 29, Avinione.

Bartholomeo de Perusio ord. fratrum Minorum.

Dudum tibi inquisitori haereticae pravitatis in partibus Tusciae auctoritate apostolica deputato procedendi contra Tudertinos eisque adhaerentes nobis et ecclesiae Romanae rebelles iuxta privilegia officio inquisitionis concessa et alias sub certa forma dedisse meminimus per nostras litteras potestatem, prout in ipsis litteris plenius continetur. Quarum auctoritate, sicut per tuas pridem nobis litteras intimasti, fuit per te usque ad calculum sententiae diffinitivae processum. Verum quia dilectus filius Geraldus Othonis fratrum Minorum generalis minister te interim ab officio inquisitionis huiusmodi revocavit, ad prolationem eiusdem sententiae procedere noluisti. Nos itaque nolentes, ut praetextu huiusmodi dictae sententiae prolatio amplius differatur, discretioni tuae, de qua plenam in Domino fiduciam gerimus, per apostolica scripta mandamus, quatinus, praemissa revocatione nequaquam obstante, virtute dictae commissionis tibi factae per nos, quam etiam tenore praesentium innovamus expresse, ad prolationem sententiae praefatae procedere ratione praevia non postponas. Datum [Avinione,] IV kalendas iunii, anno sextodecimo. [3]

981. Bonifatium (de Pisis ord. Min.) olim in episcopum Sulcitan. obstante reservatione apostolica electum et consecratum ad ecclesiam Corbavien. transfert. [4]

1332, iunii 3, Avinione.

Bonifatio episcopo Corbavien.

Apostolatus officium *etc.* Olim siquidem ecclesia Sulcitana per obitum bonae memoriae Comitae episcopi Sulcitani, qui in partibus illis diem clausit extremum, pastoris solatio destituta: nos vacatione huiusmodi fide dignis relatibus intellecta provisionem ipsius ecclesiae Sulcitan. ea vice dispositioni nostrae duximus specialiter reservandam: decernentes ex tunc *etc.* Deinde vero dilecti filii capitulum eiusdem ecclesiae, huiusmodi reservationis et decreti forsan ignari, te in sacerdotio constitutum, ordinem fratrum Minorum expresse professum, in Sulcitanum episcopum quamvis de facto concorditer elegerunt, tuque huiusmodi electioni de te factae ad capituli praedictorum instantiam (ignarus, ut asseris, reservationis et decreti huiusmodi) consensisti, dictaque tua electio metropolitica auctoritate quamvis de facto etiam extitit confirmata tibique subsequenter munus consecrationis impensum: in his omnibus alias statutis a iure temporibus observatis; ac huiusmodi electionis, confirmationis et consecrationis negotio nobis exposito,

---

[1] Reg. Vat. t. 103, ep. 1543; cfr. infra n. 995.

[2] Reg. Vat. t. 116, f. 343, ep. 1711; cfr. supra n. 859.

[3] Summus pontifex de his litteris Geraldum Othonis ministrum generalem reddit certiorem, haec verba adiungens: « ne mireris, si ad hoc idem Bartholinus etiam post dictam revocationem absque conscientia tua procedat » (l. c. ep. 1290).

[4] Reg. Vat. t. 103, ep. 21; apud *Wadd.* l. c. n. 145; cfr. supra n. 978.

nos electionem et confirmationem easdem, utpote post et contra reservationem et decretum praefata attentatas, irritas et inanes decernentes aliam personam ipsi Sulcitanae ecclesiae praefecimus in episcopum et pastorem, sicque tu episcopus nullius ecclesiae remansisti *etc.* Interim vacatione ecclesiae Corbavien. [1] ... per obitum bonae memoriae Petri episcopi Corbavien. fide dignis relatibus intellecta, de provisione ipsius ecclesiae Corbavien. celeri et felici, de qua nullus praeter nos hac vice se intromittere potest *etc.*, cogitare coepimus diligenter, et demum post deliberationem, quam ad praeficiendum eidem ecclesiae Corbavien. personam utilem ac etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem: demum consideratis virtutum donis, quibus personam tuam Dominus earum largitor multipliciter insignivit, ad te, ne in opprobrium episcopalis dignitatis langueas prae taedio egestatis, direximus aciem nostrae mentis. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua eidem Corbaviensi ecclesiae de ipsorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus teque illi in episcopum praeficimus et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus committendo *etc.* Datum Avinione, III nonas iunii, anno sextodecimo. [2]

982. Monet reginam Siciliae Fraticellis (aut saltem sequacibus Michaelis de Caesena) faventem, ut ad viam salutis revertatur. [3]

1332, iunii 4, Avinione.

[Sanciae] reginae Siciliae.

Non occurrerunt nobis, postquam dilectus filius magister Petrus de Piru physicus regius pridem a nostra discessit praesentia, per quem ea, quae tunc occurrebant, scripsimus, nova de hiis partibus alia nuncianda. Sane, filia carissima, quia saluti animae tuae ac honori status tui regii expedit, te per viam rectam sub timore et amore divinis dirigere gressus tuos, sublimitatem rogamus regiam et in Domino attentius exhortamur, quatinus, si malorum et perversorum serpentinis decepta seductionibus in devium declinaveris, ab illo te statim retrahas et ad viam salutis dirigas pedes tuos, in qua, si nunc sis, ut optamus, vel cum dirigente Domino fueris, stabiliter teneas, quod quorumcumque suggestionibus avelli ab illa nequeas vel averti, sed potius probata et firma regia sinceritas famam tibi conservet et augeat teque tandem ad vitam provehat sempiternam. Ceterum venerabilem fratrem nostrum Iacobum episcopum Lomberiensem ad ... regiam de nostro beneplacito accedentem tuae benevolentiae propensius commendamus. Datum [Avinione,] II nonas iunii, anno sextodecimo.

983. Contra quosdam fratres Min. in Scotia apostatantes et libros ac calices de domo sua asportantes inquiri iubet. [4]

1332, iunii 8, Avinione.

Episcopo sancti Andreae. [5]

Ex gravi dilectorum filiorum .. gardianorum et conventuum fratrum Minorum de Berwico et Rexburgen. [6] tuae sancti Andreae et Glascuensis [7] diocesium, conquestione nuper accepimus, quod Adam Hanupli, Thomas de Irwy et Adam de Adington, qui olim dictum professi fuerunt ordinem in eo diutius commorando, ad suggestionem et instigationem Guilelmi de Dalgernot abbatis et conventus monasterii de Kelton ordinis sancti Benedicti tuae dioecesis ab eodem Minorum apostatantes ordine seque ad nefanda et illum [8] diabolico exagitati spiritu convertentes de ecclesiis et domibus dictorum gardianorum et conventuum biblias et libros alios, calices, ornamenta et res alias sacras manibus ceperunt sacrilegis et secum nequiter asportarunt, nonnulla ex eis ad supradictum monasterium deferendo et custodienda tam memorato abbati quam quibusdam praedicti monasterii monachis assignando, in divinae maiestatis offensam et eorundem gardianorum et conventuum praeiudicium non modicum et gravamen. Cum itaque praedicti gardiani et conventus nobis fecerint humiliter supplicari, ut providere sibi super hoc de opportuno remedio dignaremur, nos nolentes eis in iustitia deficere, in qua sumus omnibus debitores, fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatinus super praedictis et ea tangentibus (summarie, de plano ac sine strepitu et figura iudicii, vocatis evocandis) veritatem inquirens ea, quae per dictos Adam et Thomam ac Adam vel eorum complices de ecclesiis et domibus fratrum Minorum praedictorum extracta et asportata repereris, ut praefertur, eis restitui facias indilate: ad hoc eosdem Thomam, Adam et Adam, necnon abbatem et monachos praelibatos ac alios, penes quos res praedictas esse cognoveris, auctoritate nostra appellatione postposita compellendo et excessus praedictos mediante iustitia corrigendo; non obstantibus *etc.* Ceterum nostrae intentionis existit, quod propter hoc exemptionis aliisque dicti monasterii privilegiis

[1] *Krbava* in Sclavonia.

[2] In e. m. capitulo et vassallis ecclesiae Corbavien., clero ac populo civ. et dioec. Corbavien., archiepiscopo Spalatensi, Carolo regi Hungariae.

[3] Reg. Vat. t. 116, f. 249, ep. 1305; cfr. supra n. 923 et 932.

[4] Reg. Vat. t. 116, f. 229, ep. 1185.

[5] *S. Andrews* in Scotia.

[6] *Berwik* et *Roxburg* in vicariatu Scotiae.

[7] *Glasgow.*

[8] Illicita?

super ceteris nullatenus derogetur. Datum [Avinione], VI idus iunii, anno sextodecimo.

984. Guilelmum Astre ord. Min. ecclesiae Apten. praeficit in episcopum. [1]

1332, iunii 12, Avinione.

Guillelmo Astre electo Apten.

Supremae dignitatis fastigio licet immeriti praesidentes *etc.* Nuper siquidem vacante Aptensi [2] ecclesia (pro eo quod nos dilectum filium Bertrandum Bononiensem tunc Aptensem electum, licet absentem, a vinculo, quo ipsi Apten. ecclesiae, cui praeerat, tunc tenebatur, de fratrum nostrorum consilio et apostolicae potestatis plenitudine absolventes, ipsum ad Bononien. ecclesiam tunc vacantem duximus transferendum, praeficiendo eum dictae Bononiensi ecclesiae in episcopum et pastorem) nos volentes eidem Aptensi ecclesiae, ne dispendia prolixae vacationis incurreret, paterna sollicitudine praecavere, cum nullus praeter nos hac vice de ipsius Apten. ecclesiae ordinatione se intromittere possit *etc.*, et ad provisionem ipsius Apten. ecclesiae celerem et felicem sollicitis studiis intendentes *etc.* demum ad te ordinis fratrum Minorum professorem, haereticae pravitatis inquisitorem in certis partibus auctoritate apostolica deputatum, in sacerdotio constitutum, cui religionis zelum, litterarum scientiam, honestatem morum et vitae munditiam, prudentiam spiritualium ac temporalium providentiam ex claris fide dignis testimoniis suffragari percepimus, direximus oculos nostrae mentis. Quibus omnibus attenta meditatione discussis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus nostris ob huiusmodi tuorum exigentiam meritorum accepta, praefatae Apten. ecclesiae de fratrum praefatorum consilio auctoritate apostolica providemus teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius Apten. ecclesiae tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo *etc.* Datum Avinione, II idus iunii, anno sextodecimo. [3]

985. Alvarum Pelagii ord. Min. praeficit ecclesiae Coronen. in episcopum. [4]

1332, iunii 16, Avinione.

Alvaro Pelagii electo Coronen.

Quam sit onusta periculis, quam plena dispendiis *etc.* Dudum siquidem bonae memoriae Albertino episcopo Coronensi regimini Coronen. [5] ecclesiae praesidente nos ... provisionem ipsius ecclesiae Coronen., cum eam quovis modo et ubicumque vacare contingeret, dispositioni nostrae ac sedis eiusdem duximus reservandam, decernentes ex tunc *etc.* Postmodum vero praefata ecclesia per obitum eiusdem Albertini, qui nuper extra Romanam curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, dilecti filii capitulum ipsius ecclesiae, huiusmodi reservationis et decreti nostrorum forsan ignari, dilectum filium Franciscum de Luca, canonicum Patracen., in subdiaconatus ordine constitutum, in episcopum Coronen. per formam compromissi quamvis de facto concorditer elegerunt, dictusque Franciscus huiusmodi reservationis et decreti, sicut asseritur, inscius huiusmodi electioni de se factae etiam de facto consensit. Ipsius igitur electionis negotio ad notitiam nostram deducto nos, attendentes electionem ipsam post et contra reservationem et decretum praefata de facto celebratam, illam, prout erat, reputavimus irritam et inanem; et nihilominus ad ipsius ecclesiae provisionem celerem et felicem, de qua nullus praeter nos hac vice se intromittere potest, reservatione et decreto huiusmodi obsistentibus, ne ipsa Coronen. ecclesia longae vacationis incommodis exponatur, paternis et sollicitis studiis intendentes *etc.*, post deliberationem, quam super his cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te ordinis fratrum Minorum professorem, in sacerdotio constitutum, litterarum scientia praeditum, morum honestate decorum, in spiritualibus providum et aliis multiplicibus virtutum meritis, prout fidedignorum habet assertio, insignitum, direximus oculos nostrae mentis. Quibus omnibus diligenti meditatione pensatis de persona tua, nobis et eisdem fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, ipsi Coronen. ecclesiae de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam ipsius ecclesiae Coronen. tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo *etc.* Datum Avinione, XVI kalendas iulii, anno sextodecimo. [6]

---

[1] Reg. Vat. t. 102, ep. 1086; apud *Wadd.* l. c. n. 146. Cfr. supra n. 936 et 922.

[2] *Apt* in Provincia *(Provence)*.

[3] In e. m. capitulo et vassallis ecclesiae Apten., clero et populo civitatis ac dioecesis Apten., archiepiscopo Aquen. tamquam metropolitano, Roberto regi Siciliae (et domino illarum partium).

[4] Reg. Vat. t. 102, ep. 1566; apud *Wadd.* l. c. n. 147; cfr. supra n. 962 et infra n. 1023.

[5] *Coron* in Graecia.

[6] In e. m. capitulo et vassallis ecclesiae Coronen., clero et populo civ. et dioec. Coronen., archiepiscopo Patracen. tamquam metropolitano, Ioanni principi Achaiae tamquam domino temporali illarum partium.

986. Friderico archiepiscopo Rigen. (ex ord. Min.) concedit facultatem libere disponendi de libris suis. [1]

1332, iunii 25, Avinione.

Venerabili fratri Friderico archiepiscopo Rigensi.

Sinceritas tuae devotionis exposcit, amor scientiae litteralis, quem tuis affectibus diuturnis prosequeris, exigit, tuaeque purae intentionis soliditas promeretur, ut tuis desideriis meritoriis et honestis pro tuae mentis solamine favorabiliter annuamus. Praesentatae siquidem nobis petitionis tuae series continebat, quod dudum, cum de ordine fratrum Minorum, cuius professor existis, assumptus fuisti et ad tuam Rigensem ecclesiam promotus, libros, quos in ordine ipso habueras, tecum portasti et hucusque retinuisti, sicut per praelatos de ordine praefato assumptos communiter fieri consuevit, quodque postea multos libros alios acquisisti. Unde, cum huiusmodi primos libros restituere intendas ordini praelibato et alios acquisitos pie distribuere et donare disponas, usu tamen tibi quoad vixeris retento librorum omnium praedictorum, nobis humiliter supplicasti, ut impertiri tibi super praemissis gratiosam iuxta nostrum beneplacitum licentiam dignaremur. Nos igitur, in hac parte zeli tui propositum laudabile attendentes et gratificari volentes liberaliter votis tuis huiusmodi super hoc, tuis devotis supplicationibus inclinati, fraternitati tuae, restitutis praedictis primis libris, quos in ordine ipso habuisti et tecum portasti, ut praefertur, ordini antedicto et de aliis iam dictis libris, per te ut praemittitur acquisitis, parte, de qua tibi conveniens visum fuerit, cuius in hoc conscientiam oneramus, eidem tuae ecclesiae assignatis, reliquos ex eisdem libris acquisitis infra dictum ordinem tuum distribuere valeas, tenore praesentium licentiam indulgemus. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, VII kalendas iulii, anno sextodecimo. [2]

987. Mandat inquisitori haer. prav. in civ. Massilien., ut Martinum haereticum, quem tenet captum, reddat inquisitori in partibus Pedemontis. [3]

1332, iulii 8, Avinione.

Dilecto filio Ioanni de Badis ordinis fratrum Minorum, inquisitori haereticae pravitatis in civitate et dioecesi Massilien. per sedem apostolicam deputato vel etiam eius vicesgerenti.

Nuper ex relatione dilecti filii Ioannis Alberti de Castellario ordinis fratrum Praedicatorum, inquisitoris haereticae pravitatis in partibus Pedemontis superioris Lombardiae auctoritate apostolica deputati, ad nostrum pervenit auditum, quod in vallibus Lucernae et Pelusiae, terris utique dilecti filii nobilis viri Philippi de Sabaudia domini Taurinensis temporali dominio subiectis, ita creverunt et multiplicati sunt haeretici, praecipue de secta Valdensium, quod frequentes congregationes per modum capituli facere inibi praesumpserunt, in quibus aliquando quingenti Valdenses fuerunt insimul congregati; quodque dudum, cum praefatus Albertus vellet ibi inquisitionis officium exercere, dicti Valdenses contra ipsum Albertum inquisitorem manu insurrexerunt armata et quod quadam die quondam Guillelmum rectorem parochialis ecclesiae de Engravia Taurinen. dioecesis, celebrata missa per eum, in platea dictae villae nequiter occiderunt, suspicantes, quod dictus rector eos penes inquisitorem praefatum de ipsorum haeresibus detulisset; quodque praenominati haeretici ipsum inquisitorem in quodam castello patenter et publice obsederunt, sic quod oportuit eum inde recedere inquisitionis huiusmodi officio relicto totaliter imperfecto; quodque tu Martinum Pastrae, qui alias se vocari facit Petrum Martinum alias Iuliani, dictae dioecesis, unum de haereticis supradictis, detines in tuis carceribus mancipatum: qui quidem Martinus principalis in dictis congregationibus et capitulis ipsorum haereticorum existebat ac fugitivus omnium inquisitorum, qui fuerunt in Pedemonte a viginti annis citra, et generalis praedicator haereticae pravitatis, quique specialiter praedicat contra incarnationis filii Dei et existentiam corporis Christi in sacramento altaris et qui etiam scit totam conditionem terrarum dilectorum filiorum nobilium virorum marchionis Salutiarum ac dominorum de Lucerna et Philippi de Sabaudia praelibati. Cupientes igitur, ut idem Albertus inquisitor de haeresibus huiusmodi et rerum circumstantiis universis plenam habere valeat veritatem, discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus eidem Alberto copiam dicti Martini haeretici faciens ipsum sibi in loco tuto tradere et assignare indilate procures, ut idem inquisitor possit inquirere super his tam contra Martinum quam alios haereticos memoratos et etiam ipsos quaestionare, si hoc iustitia patiatur. Datum Avinione, VIII idus iulii, anno sextodecimo.

988. Ministro fratrum ordinis Minorum provinciae Alamanniae indulget, quod interdicto ecclesiastico, cui civitas

---

[1] Reg. Vat. t. 102, ep. 1182; cfr. supra n. 366 et infra n. 1006.

[2] Postquam iste Fridericus mortuus est (a. 1340), 30 libri, qui ipsius erant, iure spolii ad cameram apostolicam devenerunt. Cfr. *Ehrle*, Hist. bibl. Rom. pont. I, 234.

[3] Reg. Vat. t. 102, ep. 1270; apud *Wadd.* l. c. a. 1332 n. 6.

Basiliensis certis ex causis subiacet, non obstante in ecclesia fratrum Minorum Basileen., ubi in proximo capitulum provinciale tenebitur, eo durante possint divina officia celebrari clausis vel apertis ianuis, excommunicatis tamen exclusis. [1]

1332, augusti 7, Avinione.

Ministro fratrum Minorum provinciae superioris Alamanniae.

Ut provinciale fratrum ordinis Minorum capitulum Basileae in proximo, disponente Domino, celebrandum ad honorem Dei et ecclesiae sanctae suae ac animarum salutem dictique directionem et exaltationem ordinis teneri decentius et ea, quae in Christo per te ac alios praelibati ordinis fratres, qui ad capitulum ipsum convenient, agenda erunt, melius et utilius valeant expediri, quod interdicto ecclesiastico, cui civitas Basileen. certis ex causis subiacere praesentialiter noscitur, non obstante in ecclesia fratrum eiusdem ordinis Basileen., ubi dictum tenebitur capitulum, eo durante dumtaxat possint divina officia clausis vel apertis ianuis celebrari solemniter (excommunicatis tamen exclusis), tibi et fratribus ipsius ordinis, qui praesentes in eodem capitulo fuerint, tenore praesentium indulgemus. Nulli ergo *etc.* Datum [Avinione,] VII idus augusti, anno sextodecimo.

989. Visitantibus ecclesiam monasterii Clarissarum de Merano dioec. Curien. indulgentias elargitur. [2]

1332, augusti 7, Avinione.

Universis Christi fidelibus.

Dum praeclara meritorum *etc.* Nos igitur cupientes, ut ecclesia monasterii sanctimonialium beatae Mariae Virginis in Merano ordinis sanctae Clarae Curien. dioecesis, quod dilecta in Christo filia nobilis mulier Offinia ducissa Carinthiae, prout sua petitio nuper nobis exhibita continebat, fundavit et dotavit, eo ferventius congruis honoribus a Christi fidelibus frequentetur, quo ipsi potioris dona specialis gratiae fuerint consecuti, ipsius ducissae nobis super hoc humiliter supplicantis supplicationibus inclinati, de omnipotentis Dei misericordia, qui in singulis quatuor festivitatibus ipsius Virginis gloriosae: centum, illis vero, qui per octavas dictarum festivitatum ecclesiam ipsam devote visitaverint annualiter, quadraginta dies de iniunctis eis poenitentiis misericorditer, singulis videlicet earundem festivitatum et octavarum diebus, quibus ipsam ecclesiam visitaverint, ut praefertur, relaxamus. Dat. Avinione, VII idus aug., anno sextodecimo. [3]

990. Reginae Siciliae scribit, se displicenter nimis audivisse, quae per ministrum generalem ord. Minorum et in capitulo provinciali (prov. Terrae laboris) attentata esse dicuntur, sed illa, quae ab ipsa relata sunt, discrepare ab his, quae alias nunciata sunt. [4]

1332, septembris 2, Avinione.

[Sanciae] Reginae Siciliae.

Displicenter nimis audivimus, quae nobis super hiis, quae per ministrum generalem ordinis Minorum et in provinciali capitulo attemptata dicuntur, [relata sunt]. Sane, filia carissima, quia relata tuae magnificentiae multum sunt contraria hiis, quae nobis sunt super hiis nunciata, ecce quod transcriptum litterae nobis missae celsitudini tuae mittimus praesentibus interclusum; et ut nos ad correctionem illorum possimus procedere iustius, dilecto filio Iohanni s. Theodori diacono cardinali, legato Tusciae, committimus et mandamus, ut super illis per se vel alium seu alios non suspectos se debeat informare, informationem ipsam perfectam nobis e vestigio transmissurus, ut sic promptius exequi, quod iustum fuerit, valeamus. Quia praedicta, qualitercumque fuerint acta, credimus a pacis aemulo et caritatis invido, qui tuae et fratrum caritati invidens ad ipsam inficiendam virus suae malitiae non omisit infundere, procurata, rogamus circumspectionem reginalem attente, ut illi cures resistere fortis in fide illudque sibi apostoli dicere: « quis me separabit a caritate Dei », ac eidem cum apostolo respondere: « certa sum, quod neque mors neque vita neque angeli neque principatus neque virtutes neque instantia neque futura neque fortitudo neque altitudo neque profundum neque creatura alia me a caritate Dei poterit separare »; et quia caritas Dei sine caritate proximi non habetur, attende, filia carissima, ne hostis illius astutia ab ea te valeat separare, quod ille dignetur concedere, cui, cum voluerit, subest posse. Amen. Datum [Avinione,] IV nonas septembris, anno sextodecimo. [5]

991. In processu contra Humilem custodem provinciae sancti Francisci ord. Minor. instituto sententiam ferri iubet. [6]

1332, septembris 3, Avinione.

Venerabili fratri Ugolino episcopo Perusino.

Publicae utilitatis interesse noscitur, ne crimina remaneant impunita, iurisque favor concedit innocentes absolvi, cum debita indago praeambula patefacit innocentiam eorundem. Sane dudum fama seu infamia potius publica referente perlato ad

---

[1] Reg. Vat. t. 116, f. 257, ep. 1326.

[2] Reg. Vat. t. 102, ep. 1573; *Wadd.* l. c. reg. pont. n. 148.

[3] Aliis litteris eodem die datis summus pontifex praedictae ducissae indulget, ut ipsum monasterium a se fundatum semel in anno cum quinque honestis mulieribus ingredi valeat (l. c. ep. 1574).

[4] Reg. Vat. t. 116, f. 244, ep. 1268; cfr. infra n. 992, 1001, 1016,

[5] Simili modo summus pontifex hac de re scribit regi Siciliae (l. c. ep. 1267).

[6] Reg. Vat. t. 102, ep. 1547; cfr. supra n. 742.

nostri apostolatus auditum, quod, licet nos antea contra Michaelem de Caesena olim fratrem ordinis Minorum generalem ministrum certum processum habuerimus, per quem ipsum suis gravibus culpis et excessibus detestandis exigentibus excommunicationis sententia innodavimus et etiam declaravimus innodatum ipsumque officio ministeriatus dicti ordinis privavimus et ad gradus, honores et status ac beneficia quaecumque ecclesiastica obtinenda reddidimus inhabilem et indignum, dictumque processum et contenta in eo fecerimus tam in illis quam diversis aliis partibus, ne fratres eiusdem ordinis aliique fideles per astutias, fraudes et calliditates dicti Michaelis eiusque complicum et sequacium circumveniri valerent quomodolibet, publicari ac moneri ministros, custodes, gardianos aliosque fratres ipsius ordinis sub excommunicationis in personas ac interdicti in ecclesias et loca ipsorum nec non depositionis ab officiis et inhabilitationis ad quoscumque honores, dignitates, gradus et status ecclesiasticos poenis et sententiis, quas (non obstantibus quibuscumque privilegiis apostolicis sibi vel eidem ordini suo sub quacumque forma vel expressione verborum concessis, quae quo ad hoc nulli voluimus suffragari eorum, qui contra monitionem huiusmodi aliquid attemptare praesumerent) incurrere voluimus ipso facto, ut nulli dictum Michaelem excommunicatum et depositum ac inhabilem ad honores, gradus, dignitates et status ecclesiasticos redditum, ut praefertur, haberent, reputarent seu tenerent pro ministro nec eidem parerent aut praestarent per se vel alium, publice vel occulte, super hiis auxilium, consilium aut favorem, sed tam ipsum quam dictos complices velut excommunicatos de haeresis et scismatis suspectos criminibus potius evitarent: quia tamen Humilis custos fratrum eiusdem ordinis in provincia sancti Francisci, ad illicita et inconsulta dilapsus, tam in capitulo suo dudum celebrato Perusii quam in locis aliis diversis, multa contra tenorem processus et monitionis praedictorum (adhaerendo dicto Michaeli ac in ipsius suorumque complicum et rebellium, haereticorum ac scismaticorum commendationem et favorem diffamationemque ac detractionem processus praedicti et contentorum in ipso) dixisse, procurasse ac fecisse non sine suspicione vehementi haeresis et scismatis criminum ferebatur, nos tibi tunc abbati monasterii s. Petri Perusini et bonae memoriae Francisco episcopo Perusino, proximo praedecessori tuo, eius et tuo propriis nominibus non expressis, per apostolica scripta commisimus et mandavimus, ut super praemissis et ea tangentibus (summarie, simpliciter et de plano, et sine strepitu ac figura iudicii) veritatem diligentius inquirentes praefatum Humilem, si eum reperiretis culpabilem in hac parte, excommunicationis, depositionis et inhabilitationis poenas declararetis incurrisse praedictas ipsumque alias iuxta sanctiones canonicas (etiam ad degradationem, si hoc delicti qualitas exigeret, procedendo) taliter corrigere ac punire non obstantibus supradictis omnibus studeretis, quod talia vel similia ex tunc minime attemptaret, aliisque ipsius exemplo perterritis merito praecluderetur aditus in similibus delinquendi, prout in nostris litteris inde confectis plenius continetur.

Nuper autem, sicut nobis expositum extitit ex parte Humilis praelibati, tu et idem praedecessor in huiusmodi negotio usque ad diffinitionis calculum processistis, dictoque praedecessore deinde sublato de medio tu a nobis fuisti promotus in episcopum Perusinum. Volentes igitur, ut praedicto negotio finis debitus imponatur, porrectis nobis super hoc pro parte ipsius Humilis piis supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, si praemissa nobis taliter exposita repereris ita esse, tuo et ipsius praedecessoris in dicto negotio habito legittime servato processu, contra praefatum Humilem, si eum super praedictis nobis de ipso perlatis culpabilem inveneris, sententialiter procedas iuxta praedictarum tibi et eidem praedecessori super hoc directarum continentiam litterarum; alioquin eundem Humilem per diffinitivam sententiam auctoritate nostra cures ab illis absolvere, prout iustitia exegerit et videris rationabiliter expedire, ac sententiam, sive condempnatoriam seu absolutoriam, quam super his a te fieri contigerit, studeas auctoritate praedicta executioni debitae demandare: contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, non obstante, si aliquibus communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Avinione, III nonas septembris, anno sextodecimo.

992. Inquiri iubet super iniuriis cuidam nuntio reginae Siciliae ad capitulum provinciale fratrum Min. prov. Terraelaboris misso illatis. [1]

[Ioanni s. Theodori diac. card.] legato Tusciae.

Cum, sicut displicenter nimis ad nostrum pervenit auditum, cuidam nuncio carissimae in Christo filiae nostrae Sanciae reginae Siciliae illustris, Ni-

[1] Reg. Vat. t. 116, f. 289, ep. 1491; et armar. XXXI, 41, f. 10; cfr. n. 990.

colao nomine, notario, ad Terram laboris una cum quodam capellano carissimi in Christo filii nostri Roberti regis Siciliae illustris misso ad provinciale capitulum fratrum Minorum in illis partibus in mense augusti proximo praeterito celebratum cum eleemosynis regis et reginae praedictorum ac certis litteris eidem capitulo destinandis per dilectum filium Geraldum Othonis ordinis fratrum Minorum praedictorum generalem ministrum et nonnullos fratres alios ipsius ordinis verbales et reales iniuriae fuerint irrogatae: nos de hiis, ut promptius ad correctionem debitam talium possimus procedere, volentes plenius informari, discretioni tuae per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus per te vel alium seu alios super praemissis et ea tangentibus (summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii) veritatem inquirens nobis referre fideliter et celeriter, quae in hac parte repereris, ut ad correctionem eorum possimus, sicut praefertur, procedere, non postponas. Datum II [Avinione], nonas septembris, anno sextodecimo.

993. Mandat archiepiscopo Neapolitano, ut Andream de Perusio ord. Min. in studio Neapolitano ad magisterium in theol. facultate promoveat. [1]

1332, septembris 15, Avinione.

Venerabili fratri .. archiepiscopo Neapolitano.

Relatione percepimus fide digna, quod dilectus filius Andreas de Perusio ordinis fratrum Minorum adeo in sacrae theologiae facultate studendo et legendo laudabiliter divina sibi gratia suffragante profecit, quod ad recipiendum in eadem facultate magisterii honorem idoneus reputatur. Nos igitur... fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus eumdem Andream, si per diligentem examinationem magistrorum et aliorum virorum expertorum in facultate praedicta, super quo tuam conscientiam onerare intendimus, ad huiusmodi magisterii honorem idoneus valeat reperiri, ad eiusdem magisterii statum in studio Neapolitano (non obstante, quod forsan in eodem studio magistri promoveri non consueverunt in facultate iam dicta) studeas servatis solemnitatibus, quae circa promotionem magistrorum in dicta facultate servari et adhiberi sunt solitae, promovere. Datum Avinione, XVII kalendas octobris, anno decimo septimo.

994. Angelum Minoritam praeficit ecclesiae Acien. in episcopum. [2]

1332, septembris 20, Avinione.

Angelo episcopo Acien.

Apostolatus officium *etc.* Dudum siquidem ex certis rationabilibus causis omnes et singulas cathedrales ecclesias saeculares et collegiatas civitatis et dioecesis ac provinciae Ianuensis tunc vacantes et in antea vacaturas ... provisioni nostrae ac sedis apostolicae auctoritate apostolica duximus reservandas, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus *etc.* Interim vero ecclesia Acien., [3] quae in provincia praedicta consistit, per obitum bonae mem. Benevenuti episcopi Acien., qui extra Romanam curiam debitum naturae persolvit, pastoris solatio destituta: nos vacatione huiusmodi fide dignis relatibus percepta *etc.* demum ad te ordinis fratrum Min. professorem, in sacerdotio constitutum, cui religionis zelus, vitae munditia, morum elegantia nec non et aliarum grandium virtutum merita, prout ex testimoniis fide dignis accepimus, multipliciter suffragantur, direximus aciem mentis nostrae. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua de dictorum fratrum nostrorum consilio eidem ecclesiae Acien. auctoritate apostolica providimus teque illi praefecimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesiae Acien. tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo, et subsequenter per venerabilem fratrem nostrum Bertrandum [4] episcopum Tusculanum munus tibi fecimus consecrationis impendi *etc.* Datum Avinione, XII kalendas octobris, anno decimo septimo. [5]

995. Suspendit sententias excommunicationis ab archiepiscopo Tolosan. contra Minorissas Tolosan. ob denegatam decimarum solutionem latas. [6]

1332, octobris 2, Avinione.

Ad futuram rei memoriam.

Provenire debet per nostrae provisionis auxilium, quod salus impediri nequeat animarum quodque ubique cultus divini nominis augeatur. Sane dudum ad supplicationem dilectarum in Christo filiarum abbatissae et conventus sororum Minorissarum monasterii sanctae Clarae Tholosan. ordinis eiusdem sanctae causam seu causas appellationis vel appellationum, quae vertebantur seu verti sperabantur inter dictas abbatissam et conventum ex parte una et venerabilem fratrem nostrum archie-

[1] Reg. Vat. t. 105, ep. 1254; *Chart. Univ. Paris.* t. II, n. 946.

[2] Reg. Vat. t. 105, ep. 4; apud *Wadd.* l. c. n. 149.

[3] Seu Accien. *(Accia)* in ins. Corsica.

[4] De Turre ex ord. Min.

[5] In e. m. capitulo et vassallis eccl. Acien., clero et populo civ. et dioec. Acien., archiepiscopo Ianuen. tamquam metropolitae.

[6] Reg. Vat. t. 105, ep. 1288; apud *Wadd.* l. c. n. 150. Cfr. supra n. 979.

piscopum Tholosan. ac dilectos filios vicarium et officiales ipsius nec non rectorem ecclesiae sancti Martini de Layraco Tholosan. dioec. (super eo, quod ipsi archiepiscopus, vicarius et officiales easdem abbatissam et conventum ad solvendum decimas de bonis earum contra specialia privilegia monasterio et ordini praefatis de non solvendis decimis de bonis earum a sede apostolica ut dicitur concessa indebite compellebant, dictusque rector de quibusdam bonis et possessionibus ipsius monasterii consistentibus intra fines parochialis ecclesiae antedictae deberi sibi decimas praetendebat), coniunctim vel divisim, ex altera, pro parte dictarum abbatissae et conventus interiectae seu interiectarum ad sedem eamdem, dilecto filio magistro Dino praeposito ecclesiae Ianuen., capellano nostro et apostolici palatii auditori causarum, commisimus audiendas et fine debito terminandas (non obstante, quod causa vel causae huiusmodi de sui natura in Romana curia tractandae et decidendae non essent) cum potestate citandi archiepiscopum, vicarium, officiales et rectorem praedictos extra dictam curiam et ad partes, quotiens extiterit opportunum; dictusque auditor archiepiscopum, vicarium, officiales et rectorem iam dictos per litteras suas ad partes easdem ad instantiam ipsarum abbatissae et conventus citari mandavit. Deinde vero ex petitionis tenore pro parte dictarum abbatissae et conventus nobis oblatae percepto, quod praefati archiepiscopus et rector occasione dictarum decimarum ... faciebant praedictas abbatissam et moniales excommunicatas publice nunciari et participantes eisdem excommunicationum vinculis innodari aliasque aggravationes fieri: adeo, quod in dicta civitate consortium earum et participatio minime habebantur, ac etiam vendentes eis panem et vinum et alia vitae necessaria ministrantes non reperiebantur, sed denegabantur eisdem, ita quod fame et victualium et necessariorum carentia ipsae moniales, quae numerum centenum ut fertur excedunt, in eodem monasterio inclusae deficiebant et vita peribant seu ex tali vexatione ac impressione huiusmodi ibi cedere cogebantur, nisi super his pie ac celeriter fuisset provisum eisdem per providentiam dictae sedis, [et] nobis ex parte dictarum abbatissae et conventus humiliter supplicato, ut providere ipsis super praemissis de ipsius sedis clementia et benignitate solita dignaremur: nos suadentibus rationabilibus causis huiusmodi excommunicationum, suspensionis et interdicti sententias usque ad festum beati Michaelis tunc proxime venturum, nunc praeteritum, eas auctoritate apostolica duximus relaxandas. Cum autem inter partes praedictas super praemissis apud sedem eamdem lis pendere noscatur, nos attendentes et auctoritate apostolica declarantes, dictum rectorem non debere gaudere de iure praefatis privilegiis concessis ut praemittitur civibus et habitantibus Tholosan. praedictis, et nihilominus periculis animarum aliisque damnis et scandalis plurimis, quae ex praemissis processibus et sententiis provenerant et provenire possent verisimiliter in futurum, quantum cum Deo possumus, praecavere volentes: his et aliis certis causis rationabilibus moti pariter et inducti, ipsarum abbatissae et conventus devotis supplicationibus inclinati, praedictos omnes et singulos processus, sententias atque poenas, in easdem abbatissam et conventum ac earum ecclesiam et monasterium supradicta occasione dictorum privilegiorum eisdem civibus et habitatoribus Tholosan. ut praemittitur concessorum factas, habitos ac prolatos et etiam promulgatos, auctoritate apostolica tenore praesentium suspendimus de gratia speciali. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, VI nonas octobris, anno decimo septimo.

In eumdem modum *dilectis filiis Petro Stephani, de Osville, cappellano nostro, et Bertrando de Caimaco, de Briva, Tholosan. et Lemovicen. dioecesis, prioribus et Ioanni de Castro novo, cancellario ecclesiae Tholosan.*

Provenire debet per nostrae provisionis auxilium *etc. usque* de gratia speciali. Quocirca vobis mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios huiusmodi suspensionem nostram, ubi et quando expedire videritis, cum pro parte ipsarum abbatissae et conventus fueritis requisiti, solemniter publicare curetis. Datum ut supra.

996. Vitum de Monteferreo ord. Minor. ecclesiae Milchovien. in episcopum praefici iubet. [1]

1332, octobris 4, Avinione.

Archiepiscopo Strigonien.

Licet ex suscepto a nobis apostolatus officio menti nostrae instanter immineat vigilantia studiosa, ut de ecclesiarum honoribus et profectibus sollicite cogitemus et, ut in illis exultent, exhibeamus, quantum nobis dignatio coelestis indulget, opem et operam efficaces: est tamen insitum cordi nostro, ut ipsis ecclesiis earumque populis, praesertim in orbis terrae christianae culturae ignaris partibus finitimis constitutis, ut illucescat in eis splendor evangelicae veritatis, nec non ecclesiae ipsae in suis bonis et iuribus iam prostratis salutis et prospe-

[1] Reg. Vat. t. 164, ep. 1338; apud *Wadd.* l. c. n. 151.

ritatis dextera Domini faciente virtutum felicia iuvamenta recipiant, apostolicae cooperationis praesidium impendamus, quae, prout fida spes suggerit, possunt verisimiliter provenire, si ecclesiae tales committantur regendae ac etiam gubernandae personis religione conspicuis et probatis et virtutum titulis insignitis. Nuper siquidem ad audientiam nostram relatio fide digna perduxit, quod episcopatus Mylchovien. [1] in regno Hungariae, in finibus videlicet Tartarorum, ex institutione ordinatus antiqua, a tempore, quo dicti Tartari potenter dictum regnum seu partes Hungaras (proh dolor) intraverunt, fuit per eos ferales et saevos omnino destructus et ecclesia ipsius episcopatus funditus extirpata, extinctis et defunctis successivis deinde temporibus canonicis ecclesiae antedictae, ac in extirpatione et destructione huiusmodi usque ad haec tempora ipse prostratus extitit et existit, possessionibus, bonis et iuribus episcopatus et ecclesiae praefatorum a potentibus illarum partium occupatis; quodque per dilectum filium Vitum de Monte ferreo ordinis fratrum Minorum, quem vita, moribus, scientia, fidelitate et experientia fore ad id aptum relatio perhibet supradicta, si de eo per clementiam sedis apostolicae ecclesiae provideatur praefatae, prout devota spes suggerit et nobis ex relatione innotuit praelibata, sub favoris praesidio carissimi in Christo filii nostri Caroli regis eiusdem Hungariae illustris, cuius idem Vitus cappellanus existere perhibetur, praedictus episcopatus ad statum pristinum reducetur et recuperabuntur possessiones, bona ac iura superius nominata. Nos igitur, ut tanti boni copia ex persona ipsius Viti cum gratiae coelestis augmento provenire valeat, plenis et devotis affectibus cupientes, gerentes quoque de tuae sinceritate fidei fiduciam in Domino specialem, fraternitati tuae per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, si est ita, de dicto Vito auctoritate apostolica ecclesiae provideas memoratae ipsumque Vitum eidem ecclesiae praeficias in episcopum et pastorem, curam ipsius ecclesiae Mylchovien. tam in spiritualibus quam in temporalibus, prout illas ab antiquo gesserunt sui episcopi successive, plenarie committendo, et subsequenter eidem Vito, si de illo ipsi ecclesiae provideris, ascitis et in hoc tibi assistentibus duobus vel tribus antistibus catholicis gratiam et communionem dictae sedis habentibus, munus consecrationis impendas, faciens sibi a suis subditis obedientiam et reverentiam exhiberi: contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione posposita compescendo, recepturus ab eo postmodum nostro et ecclesiae Romanae nomine fidelitatis debitae solitum iuramentum iuxta formam, quam tibi sub bulla nostra mittimus interclusam. Formam autem iuramenti, quod ipse Vitus, si de illo eidem ecclesiae ut praefertur provideris, praestabit, nobis de verbo ad verbum per patentes litteras harum seriem continentes, eiusdem Viti sigillo signatas, studeas per proprium nuntium [nobis] quantocius destinare. Datum Avinione, IV nonas octobris, anno decimo septimo. [2]

997. Ioannem (de Concivis) Minoritam in episcopum Isernien. electum et confirmatum ecclesiae Calven. praeficit in episcopum. [3]

1332, octobris 30, Avinione.

Ioanni episcopo Calvensi.

Pastoralis officii *etc.* Dudum siquidem bonae memoriae Henrico [4] episcopo Isernien. regimini Isernien. ecclesiae praesidente ... provisionem ipsius ecclesiae ea vice dispositioni nostrae ac sedis eiusdem duximus specialiter reservandam, decernendo ex tunc irritum *etc.* Ac deinde praefato Henrico episcopo in illis partibus viam universae carnis ingresso, dilecti filii capitulum eiusdem ecclesiae, huiusmodi reservationis et decreti forsan ignari, te ordinis fratrum Minorum professorem et in sacerdotio constitutum in Isernien. episcopum quamvis de facto concorditer elegerunt, tuque huiusmodi reservationis et decreti, sicut asseritur, inscius dictae electioni de tui superioris licentia ad dictorum capituli instantiam praestans assensum obtinuisti electionem huiusmodi a ven. fratre nostro archiepiscopo Capuano, loci metropolitano, reservationem et decretum praedicta similiter ignorante, auctoritate metropolitica confirmari et subsequenter te in Isernien. episcopum consecrari. Verum quia electio et confirmatio supradictae, utpote post et contra reservationem et decretum huiusmodi attentatae, erant irritae et inanes, tu nullius ecclesiae episcopus remansisti. Postmodum vero ecclesia Calven. [5] per obitum bonae memoriae Thadaei episcopi Calven., qui in partibus illis diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, nos vacatione huiusmodi ipsius Calven. ecclesiae fide dignis relatibus intellecta... provisionem ipsius ecclesiae Calven. dispositioni nostrae et sedis eiusdem ea vice modo simili duximus reservandam *etc.* Ac deinde considerantes, quod nullus praeter nos de ordinatione praefatae ecclesiae Calven. post reservationem et decretum

---

[1] *Milkow* in Walachia.

[2] Iste Vitus (alias cognom. de Castroferreo) in episcopum Mylchovien., sicut optavit summus pontifex, minime promotus, ab eo die 11 maii 1334 ecclesiae Nitrien. praefectus est in episcopum (cfr. infra n. 1061). Episcopatus autem Milchovien. non prius quam a.1353, cum Bernardus ord. Praed. ad eundem promoveretur, restitutus esse videtur.

[3] Reg. Vat. t. 105, ep. 30; apud *Wadd.* l. c. n. 152.

[4] Ex ord. Min.; cfr. supra n. 858.

[5] *Calvi* in partibus Neapolitanis.

praedicta ultimo per nos facta se hac vice intromittere poterat, de praeficiendo eidem ecclesiae Calven. personam utilem ac etiam fructuosam, ne longae vacationis deploraret incommoda, cogitare coepimus diligenter; et post deliberationem, quam cum fratribus nostris habuimus diligentem, ad te, de multiplicium virtutum meritis apud nos fide digno testimonio commendatum, aciem direximus nostrae mentis. Quibus omnibus attente discussis, de persona tua eidem Calven. ecclesiae de fratrum eorumdem consilio auctoritate apostolica providemus teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem illius tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo *etc.* Datum Avinione, III kal. novembris, anno decimo septimo. [1]

998. Archiepiscopo Rothomagensi mandat, ut Arnaldo de Claromonte ord. Min. auctoritate apostolica vacationibus proxime futuris sententias Parisiis legendi licentiam concedat. [2]

1332, novembris 8, Avinione.

Petro archiepiscopo Rothomagensi. [3]

Cum, sicut accepimus, dilectus filius Arnaldus de Claromonte ordinis fratrum Minorum, facultatis teologicae in conventu fratrum eiusdem ordinis Aurelianensi lector, qui diu in eadem facultate studuit eamque in Burdegalensi, Tolosano et Aurelianensi dictorum fratrum conventibus legit et docuit, pro maiori sui exercitio studii, et ut ad ipsius facultatis notitiam attingere divina sibi assistente gratia valeat pleniorem, libros sententiarum in proximis futuris vacationibus studii Parisiensis ibidem legere desideret, sicut nonnulli aliorum ordinum fratres in praeteritis vacationibus studii memorati legisse dicuntur: fuit nobis humiliter supplicatum, quod, quia obsistente quodam statuto edito per magistros facultatis praedictae Parisius commorantes et iuramento vallato, quo prohibetur expresse, ut aliquis dictas sententias in eiusdem studii vacationibus legere de cetero non praesumat, suum nequit in hac parte desiderium absque sedis apostolicae speciali licentia adimplere, providere sibi super hoc (praesertim cum nullus frater eiusdem ordinis ad legendum in praedictis vacationibus sententias fuerit ordinatus) paternae sollicitudinis studio dignaremur. Nos igitur de te, qui dudum in eodem studio magisterii honorem in facultate recepisti praedicta, plenam in Domino super his fiduciam obtinentes, fraternitati tuae per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus, si eundem Arnaldum ad lecturam dictarum sententiarum idoneum repereris et aliud rationabile non obsistat, eidem legendi dictas sententias in eisdem studii praedicti vacationibus (praedicto et aliis statutis factis per magistros facultatis iam dictae seu consuetudinibus contrariis studii et ordinis praedictorum, iuramento vel alia quacunque firmitate vallatis, nequaquam obstantibus) licentiam auctoritate nostra concedas, ipsum ad hoc faciendo per illos, quorum interest, recipi et admitti. Dat. [Avinione,] III nonas novembris, anno decimo septimo. [4]

999. Eliam de Nabinallis ord. Min., mag. theol., ecclesiae Nicosien. praeficit in archiepiscopum. [5]

1332, novembris 16, Avinione.

Dilecto filio Helyae [6] *de Nabinallis electo Nicosien.*

Militanti ecclesiae *etc.* Dudum siquidem bonae memoriae Ioanne archiepiscopo Nicosiensi regimini Nicosiensis [7] ecclesiae praesidente ... provisionem ipsius ecclesiae Nicosien., cum vacare contingeret, dispositioni nostrae et sedis apostolicae ea vice duximus reservandam, decernentes ex tunc *etc.* Postmodum autem dicto Ioanne archiepiscopo in illis partibus viam universae carnis ingresso, nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta ad provisionem eiusdem Nicosiensis ecclesiae ... intendentes *etc.*, demum ad te ordinis fratrum Minorum professorem, in sacerdotio constitutum, sacrae theologiae magistrum, quem, prout fidedigna relatione percepimus, morum insignit honestas, spiritualium et temporalium providentia pluraque alia virtutum dona commendant, direximus oculos mentis nostrae. Quibus omnibus diligenti meditatione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, ipsi Nicosiensi ecclesiae de dictorum fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica providemus teque illi praeficimus in archiepiscopum et pastorem, curam et administrationem dictae ecclesiae tam in spiritualibus quam in temporalibus tibi plenarie

---

[1] In e. m. capitulo ecclesiae Calven., clero ac populo civ. et dioec. Calven., archiepiscopo Capuan., Roberto regi Siciliae.

[2] Reg. Vat. t. 117, f. 75, ep. 406; *Chart. Univ. Paris.* t. II, n. 947.

[3] Futuro Clementi papae VI.

[4] Die 27 martii 1333 summus pontifex cancellario Parisien. iniungit, ut, quando Pastor de Serrescuderio ord. Min., qui libros Sententiarum in studio Parisien. « actu legens lectiones suas finire seu dimittere speratur in brevi », lecturam dimiserit, ipsum Arnaldum ad legendas sententias recipiat (l. c. f. 81, ep. 425). Qui iam anno sequenti (11 sept. 1333) fit magister ex gratia, pridie ecclesiae Tutellen. praefectus in episcopum (cfr. infra n. 1033).

[5] Reg. Vat. t. 104, ep. 108, apud *Wadd.* l. c. n. 154; cfr. supra 908.

[6] Sive « Eliae », minime autem « Ecclesiae », sicut legitur apud *Wadd.*

[7] *Levcosia* in insula Cypro.

committendo *etc.* Datum Avinione, XVI kalendas decembris, anno decimo septimo.[1]

1000. Franciscum de Spoleto ord. Min. ecclesiae Satrianen. praeficit in episcopum.[2]

1332, decembris 2, Avinione.

Dilecto filio Francisco de Spoleto electo Satrianen.

Pastoralis officii debitum exigit *etc.* Dudum siquidem bonae memoriae Arduino episcopo Satrianen. regimini Satrianen.[3] ecclesiae praesidente ... provisionem eiusdem ecclesiae, cum vacaret, ordinationi et dispositioni nostrae ac sedis apostolicae ea vice duximus specialiter reservandam, decernendo ex tunc irritum *etc.* Postmodum vero praefata ecclesia per obitum eiusdem Arduini episcopi, qui in partibus illis diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, nos, vacatione huiusmodi fide dignis relatibus intellecta *etc.* per deliberationem *etc.*, demum ad te ordinis fratrum Minorum, in sacerdotio constitutum, litterarum scientia praeditum, vitae et morum honestate decorum, prudentia spiritualium et temporalium providentia circumspectum aliisque grandium virtutum meritis, prout ex testimoniis fide dignis accepimus, insignitum, direximus oculos mentis nostrae. Quibus omnibus attente discussis, de persona tua, nobis et dictis fratribus nostris consideratione praemissorum accepta, praefatae Satrianen. ecclesiae ... providemus teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo *etc.* Datum Avinione, IV nonas decembris, anno decimo septimo.[4]

1001. Scribit regi et reginae Siciliae, se negotium tangens Petrum de Cadeneto et Andream de Galiano ord. Min. ad manum suam retinuisse.[5]

1332, decembris 4, Avinione.

Carissimo in Christo filio Roberto regi Siciliae illustri.

Celsitudini regiae volumus tenore praesentium esse notum, quod nos negotium tangens Petrum de Cadeneto et Andream de Galliano ordinis fratrum Minorum, pro quo venerabilis frater noster Guillelmus[6] episcopus Iuvenacensis et dilectus filius nobilis vir Bertrandus de Baucio comes Montiscaveosi et nonnulli alii ad nostram venerunt praesentiam noviter, ad manum nostram certis ex causis nostrum ad hoc moventibus animum duximus specialiter retinendum: volentes et concedentes, quod praefatis Petro et Andreae ac cuicumque alii quo ad decursum temporis, quamdiu negotium ipsum erit in nostris manibus, praeiudicium nullatenus generetur, sed eis et eorum cuilibet ac cuicumque alii, quem praedictum negotium tangeret seu posset quomodolibet tangere, ad suum prosequendum negotium servetur integrum et illaesum. Datum [Avinione,] II nonas decembris, anno decimo septimo.

In eundem modum *carissimae in Christo filiae Sanciae reginae Siciliae illustri.*

1002. Moniales mon. s. Gregorii Neapolitan. ad permutationem bonorum cum conventu fratrum Min. Neapolitan. faciendam compelli iubet.[7]

1332, decembris 8, Avinione.

Archiepiscopo Neapolitano.

Opus meritorium et virtutis exequimur, cum occurrimus periculis animarum et praebemus materiam, qualiter via praesertim inter personas religiosas scandalis praecludatur, sic quod eaedem personae favente illo, a quo bona cuncta procedunt, in honestatis ac pacis pulchritudine quiescentes liberis et quietis mentibus pensum exolvant Altissimo debitae servitutis. Sane petitio dilecti filii Geraldi ministri generalis ordinis fratrum Minorum nuper nobis exposita continebat, quod iuxta conventum sancti Laurentii de Neapoli fratrum dicti ordinis est quoddam monasterium monialium dictum sancti Gregorii ordinis sancti Benedicti sola carreria media inter conventum et monasterium praedicta, quod quidem monasterium habet unam domum seu cameram a parte dicti conventus ipsorum fratrum

---

[1] In eumdem modum capitulo, suffraganeis, vassallis ecclesiae Nicosien., clero et populo civ. et dioec. Nicosien., Hugoni regi Cypri illustri. Isti archiepiscopo summus pontifex die 9 aug. 1333 concedit conservatores iurium et bonorum ipsius, die autem 28 aug. 1333 dat facultatem mutuum usque ad summam 3000 flor. auri contrahendi (l. c. t. 105, ep. 1039 et 1335); die denique 15 sept. 1333 eidem indulget, ut possit celebrare ante auroram atque in locis interdicto ecclesiastico suppositis, ut ecclesias et coemeteria possit reconciliare per alium, ut possit testari, ut cum comitiva 50 personarum possit visitare sepulchrum Dominicum, ut ipse et familiares sui clerici possint dicere horas canonicas iuxta morem eccl. Romanae, ut confessarius sibi in articulo mortis indulgentiam plenariam possit impertiri (l. c. t. 106, epp. 1434, 1437, 1440, 1384, 29*h*, 29*c*, 1290).

[2] Reg. Vat. t. 104, ep. 335; apud *Wadd.* l. c. n. 153.

[3] *Satriano* in partibus Neapolitanis.

[4] In eundem modum capitulo ecclesiae Satrianen., clero et populo civ. et dioec. Satrianen., archiepiscopo Consan., Roberto Siciliae regi illustri.

[5] Reg. Vat. t. 117, f. 129, ep. 661; cfr. supra n. 945 et infra n. 1016 ac 1017.

[6] Cognom. « Alnwick » vel « Alnvich » ord. Min., mag. theol., Anglus, qui die 4 iun. 1322 determinationi de paupertate Christi in capitulo generali Perusii factae subscripsit (cfr. supra p. 234 not.) et c. 1329 episcopus Iuvenacen. (*Giovinazzo*) in prov. Barensi, non tamen provisione apostolica, sed electione capituli ipsius eccl., sine dubio inducti auctoritate regis Siciliae, a quo die 31 iulii 1330 tamquam noviter canonice promotus officialibus regiis commendatur (cfr. *Wadd.* ed. II, t. VII, p. 112 et 596), factus est.

[7] Reg. Vat. t. 104, ep. 1391; apud *Wadd.* l. c. n. 155.

iuxta ipsorum dormitorium, ad quam ipsae moniales veniunt per pontem, qui est supra carreriam quasi portale. Quare dictus minister pro utriusque ordinis et conventus honestate nobis humiliter supplicavit, ut dictas moniales ad dimittendum ipsis fratribus domum illam et ad recipiendum recompensationem bonam in domibus melioribus a parte claustri et conventus earum [sitis] per aliquem discretum induci et etiam compelli facere dignaremur. Nos igitur attendentes petitionem huiusmodi rationi fore consonam et de radice procedere honestatis, fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, praefatas moniales auctoritate nostra efficaciter ad praemissa faciendum inducas et, si opus fuerit, compellere non postponas, contradictores per censuram apostolicam appellatione postposita compescendo: non obstante *etc.* Datum Avinione, VI idus decembris, anno decimo septimo.

1002[a]. Ioanni *(de Châlons)* episcopo Lingonen. indulget, ut cum 3 vel 4 personis idoneis monasterium de Longocampo prope Parisius ord. s. Clarae (Blancam, monialem ipsius mon., filiam cl. m. Philippi V regis Franciae, consanguineam suam, visitandi causa) ingredi valeat, dummodo ibi neque comedat neque pernoctet. [1]

1332, decembris 8, Avinione.

Ven. fratri Ioanni episcopo Lingonen.

Devotionis tuae sinceritas *etc.* Dat. Avinione, VI idus decembris, anno decimo septimo. [2]

1003. Ministro generali ord. Min. concedit facultatem recipiendi locum in villa Maydenston Cantuarien. dioec. ad usum fratrum Min. a rege Angliae fundandum. [3]

1332, decembris 16, Avinione.

Dilectis filiis ministro generali et fratribus ordinis Minorum.

Merita vestrae religionis, in qua virtutum Domino militatis, exposcunt, ut apostolica sedes benigno vos favore confoveat et opportunis gratiis prosequatur. Cum itaque, sicut nobis pro parte carissimi in Christo filii nostri Eduardi regis Angliae illustris et dilecti filii nobilis viri Ioannis comitis Cornubiae fratris eius oblatae petitionis series continebat, idem rex ... pro ampliatione divini cultus ad Dei laudem et gloriam ac pro ipsorum nec non et clarae memoriae Eduardi regis Angliae, patris ipsorum, et progenitorum suorum animarum salute quemdam locum in regno Angliae, videlicet villam de Maydenstan [4] Cantuarien. dioecesis situatum, cum eiusdem aedificiis et pertinentiis ordini vestro ac vobis duxerit concedendum, vosque locum ipsum absque permissione sedis apostolicae recipere ac ecclesias seu oratoria, domos et officinas necessarias (constitutione fel. rec. Bonifatii papae VIII praedecessoris nostri de locis huiusmodi de novo non recipiendis absque dictae sedis licentia obsistente) construere nequeatis: nos eorundem regis et comitis supplicationibus inclinati, vobis recipiendi locum huiusmodi, sine iuris parochialis ecclesiae et cuiuslibet alterius praeiudicio alieni, dummodo dicta villa ad sustentationem duodecim fratrum ipsius ordinis fore sufficiens dignoscatur, ac construendi et habendi ibidem ecclesiam seu oratorium ac domos et officinas, ut in dicto loco fratres vestri ordinis perpetuo commorentur, praedicta et qualibet alia constitutione contraria non obstante, tenore praesentium indulgemus; volumus autem, ut, postquam dicti fratres in loco praefato extiterint deputati, praedictus locus privilegiis et libertatibus ordini praedicto concessis, sicut alia loca dicti ordinis, libere gaudere valeat et quiete. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, XVII kalendas Ianuarii, anno decimo septimo.

1004. Ministros et fratres diversarum provinciarum ord. Min. de ipsorum devotione commendat eosque monet, ut perseverent. [5]

1332, decembris 28, Avinione.

Ministro ceterisque fratribus ordinis Minorum provinciae sancti Angeli.

Ad nostram pridem veniens praesentiam dilectus filius Geraldus ordinis vestri generalis minister, nobis zelum sincerae devotionis et fidei, quibus erga nos et Romanam ecclesiam praefulgere tamquam filii benedictionis et gratiae noscimini, eas piis et laudandis operibus in apertum producentes continue, verbotenus exponere procuravit. Quibus nos laeto animo, cum filii sapientes patrem laetificent, intellectis, sinceritatem vestram exinde multipliciter in Domino commendantes et ei, qui rectum vobis spiritum et in eo recta dedit sapere, in humilitate spiritus labiorum vinculum exsolventes, vestram prudentiam in Domino exhortamur, quatinus, ut in sancta professione vestra proficientes de bono semper in melius coronam illam assequi promereamini, quam in bono perseverantibus repromittit veritas, in coeptis huiusmodi persistatis, pro nobis, ut onus apostolicae servitutis

---

[1] Reg. Vat. t. 105, ep. 1111. Cfr. supra nn. 414-416.

[2] Die 27 apr. 1337 Benedictus papa XII scribit Philippo VI regi Franciae, se litteras regias cum supplicationibus Blanchae supradictae recepisse, sed ea quae petuntur neque sese concedere neque Blancham ipsam, si concederentur, sine suae salutis animae periculo iis uti posse apparere, immo formidandum esse, ne in praedicti ordinis aliorumve perniciem redundent (l. c. t. 132, ep. 86).

[3] Reg. Vat. t. 105, ep. 1126; apud *Wadd.* l. c. n. 156.

[4] Qui locus in « provinciali » fratrum Minorum, utpote iam prius conscripto, non recensetur.

[5] Reg. Vat. t. 117, f. 144, ep. 726.

desuper nobis impositum ad divini laudem nominis ac nostrae totiusque gregis Dominici curae nostrae commissi salutem animarum utilius et salubrius supportemus, necnon et pro pace ac unitate prosperoque statu ecclesiae sanctae Dei apud divinam clementiam multiplicare devotarum precum et orationum suffragia non cessantes. Ceterum, quia salutem vestram desideranter appetimus, nos devotae supplicationi eiusdem generalis ministri benignius inclinati, tibi, fili minister, quod fratres ordinis praedicti tuae curae commissos, qui poenas et sententias a canonibus [in] septimo libro decretalium, quae Clementinae nuncupantur vulgariter, situatis promulgatas (non ex contemptu tamen) incurrerunt hactenus, semel tantum ab eisdem poenis et sententiis iuxta formam ecclesiae absolvendi ac dispensandi cum ipsis super irregularitate, si quam ligati dictis poenis et sententiis celebrando divina vel immiscendo se illis (claves non contempnendo ecclesiae) contraxerunt, eisque poenitentiam propterea iniungendi, de qua saluti animarum ipsorum expedire videris, plenam concedimus tenore praesentium facultatem.

In eundem modum *ministro ceterisque fratribus provinciae Terrae laboris,... Pennensis,... Apuliae,... Tusciae,... Bononiensis,... Mediolani, custodi ceterisque fratribus provinciae sancti Francisci,* [1] *custodi Romano ceterisque fratribus provinciae Romanae.* Datum Avinione, V kalendas ianuarii, anno decimo septimo.

1005. Ministro provinciali prov. Boemiae concedit facultatem recipiendi locum in oppido *Bechin* ad usum fratrum Min. [2]

1333, ianuarii 13, Avinione.

Dilecto filio Nicolao ministro fratrum ordinis Minorum Boemiae.

Sacrae religionis, in qua iugiter virtutum Domino devotum et sedulum famulatum tu et alii fratres tui ordinis impenditis, merita promerentur, ut in iis, quae ad prosperitatis augmentum dicti ordinis pro cultu divini nominis ampliando ac tibi et eisdem fratribus aliisque Christi fidelibus aeternae salutis praemio impetrando provenire valent, nos et apostolicam sedem reperias propitios, favorabiles ac etiam gratiosos. Cum autem, sicut ex tenore tuae petitionis nobis porrectae collegimus, cupias, ut fratres dicti ordinis in oppido Bechiniae [3] Pragen. dioecesis locum construant et in loco huiusmodi commorentur, nobis devote ac humiliter supplicasti, ut dictis fratribus recipiendi dictum locum, et quod in eo ipsi Domino famulentur, licentiam elargiri de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, cuiuslibet meritoriae actionis propositum volentes feliciter promovere, huiusmodi supplicationibus inclinati, devotioni tuae recipiendi locum in oppido antedicto, in quo quidem loco praedicti fratres ipsius ordinis Domino famulentur, constitutione fel. rec. Bonifatii papae VIII praedecessoris nostri prohibente, ne recipiantur loca de novo a fratribus *etc.*, contraria non obstante, dummodo parochiali ecclesiae vel alicui alii per hoc nullum praeiudicium generetur dictumque oppidum ad sustentationem duodecim fratrum dicti ordinis sufficiens fuerit, liberam licentiam auctoritate praesentium indulgemus. Volumus autem, quod, postquam dicti fratres in loco praefato construendo extiterint deputati, privilegiis ordini dicto concessis gaudeant et utantur. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, idibus ianuarii, anno decimo septimo.

1006. Friderico archiepiscopo Rigen. (ex ord. Min.) concedit facultatem reformandi monasterium monialium s. Crucis in Dubravnik ord. s. Aug. a progenitoribus suis fundatum. [4]

1333, ianuarii 14, Avinione.

Venerabili fratri Frederico archiepiscopo Rigensi.

Salutis et prosperitatis commoda ecclesiarum et monasteriorum omnium *etc.* Exhibitae siquidem nobis petitionis tuae series in nostram notitiam introduxit, quod quaedem nepos tua, Ofka nomine, monasterii sanctae Crucis in Dubravnik ordinis sancti Augustini Olomucensis diocesis, quod progenitores tui ut asseris construxerunt et dotarunt et in eo ius obtinent patronatus, fore dinoscitur abbatissa; quodque abbatissa eadem, prout ad te pervenit relatibus fidedignis, sic exhorbitat in moribus, ut verisimiliter praesumatur, ipsam praebuisse ac praebere deviationis causam monialibus monasterii antedicti; et quod abbatissa praefata curam spiritualium et temporalium eiusdem monasterii adeo negligit, quod in eo religionis observantia non habetur et ibidem alimentorum necessitas reperitur. Cum igitur praemissa, ex quibus non immerito te affligi percepimus, correctionis apostolicae limam et providentiam opportunam exposcere videantur, nos super his officii nostri debitum, prout tenemur, exolvere ac indempnitati dicti monasterii occurrere salubriter intendentes, tuis etiam humilibus et devotis supplicationibus inclinati, fraternitati tuae auctoritate nostra visi-

---

[1] Autographum istarum litterarum adhuc asservatur in archivo sacri conventus Assis.

[2] Reg. Vat. t. 104, ep. 1386; apud *Wadd.* l. c. n. 157.

[3] *Bechin* in custodia Pragensi; apud *Wadd.* minus recte legitur: « Rethiniae ».

[4] Reg. Vat. t. 105, ep. 1333; cfr. supra n. 986.

tandi, corrigendi et reformandi praedictum monasterium tam in capite quam in membris per te vel aliquam personam idoneam, quam ad haec duxeris deputandam, quae tu vel persona ipsa visitationis, correctionis et reformationis officio repereritis indigere, dictoque monasterio de statu salubri et prospero providendi (contradictores quoque per censuram ecclesiasticam sublato appellationis obstaculo compescendi, non obstantibus *etc.*) plenam atque liberam tenore praesentium concedimus potestatem. Datum Avinione, XIX kalendas februarii, anno decimo septimo.

1007. Velhildi comitissae de Hals concedit facultatem ingrediendi monasteria ord. Cist. et s. Clarae. [1]

1333, ianuarii 24, Avinione.

Dilectae in Christo filiae nobili mulieri Velyldi comitissae de Hals. [2]

Devotionis tuae sinceritas promeretur, ut, quae a nobis suppliciter postulas, affectu tibi benivolo concedamus. Hinc est, quod nos tuis supplicationibus inclinati, ut cum quatuor matronis honestis monasteria religiosarum inclusarum Cisterciensis et sanctae Clarae ordinum (quibuscunque ipsorum monasteriorum et ordinum statutis et consuetudinibus ac quibuscunque constitutionibus contrariis nequaquam obstantibus) semel in anno dumtaxat libere ingredi valeas, dummodo earum, quae monasteriis ipsis praefuerint, ad id accedat assensus et tu dictaeque matronae ibidem non comedatis vel etiam pernoctetis, tenore tibi praesentium indulgemus. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, IX kalendas februarii, anno decimoseptimo.

1008. Ministro generali ord. Min. concedit facultatem recipiendi unum locum ad usum fr. Min. in oppido Lubanien. [3]

1333, ianuarii 26, Avinione.

Dilectis filiis ministro generali et fratribus ordinis Minorum.

Sacrae vestrae religionis *etc. ut supra n. 1005.* Cum itaque, fili minister, tu ipsum ordinem desiderans ex animo salubriter dilatare, nobis humiliter supplicasti, ut recipiendi, aedificandi et construendi de novo in oppido Lubanien. [4] Misnen. dioecesis unum locum ad usum fratrum praedictorum licentiam auctoritate apostolica tibi et eisdem fratribus concedere dignaremur, praesertim cum consules et commune dicti oppidi suppliciter hoc exposcunt: nos volentes tuum in hac parte laudabile propositum felicius confovere ac cupientes cultum divini nominis ubilibet adaugeri, huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi et eisdem fratribus recipiendi et aedificandi locum praedictum in oppido antedicto et in eodem construendi ecclesiam *etc. ut supra n. 1005.* Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, VII kalendas februarii, anno decimo septimo.

1009. Comiti ac comitissae Gelren. *(Geldern)* concedit facultatem ingrediendi monasterium Clarissarum Colonien. [5]

1333, februarii 28, Avinione.

Dilecto filio nobili viro Reynaldo comiti Gelrensi et dilectae in Christo filiae nobili mulieri Alionorae eius uxori.

Devotionis vestrae sinceritas promeretur, ut, quae a nobis suppliciter postulatis, affectu vobis benivolo concedamus. Cum itaque, sicut ex serie tuae petitionis accepimus, fili comes, tu in monasterio monialium s. Clarae Coloniensi ordinis eiusdem sanctae duas habeas videlicet Philippam et Ysabellam sorores, ipsius monasterii moniales, quas causa devotionis, quam ad dictum monasterium etiam tu, filia Alionora, geritis, interdum visitare optatis: nos vestris in hac parte supplicationibus inclinati, ut quilibet vestrum praefatum monasterium cum sex personis honestis (praesertim cum ex ingressu tuo huiusmodi, comes, praefatis dilectis in Christo filiabus .. abbatissae et conventui dicti monasterii multae eleemosynae et alia caritatis subsidia sint, sicut asseris, proventura), quibuscumque ipsorum monasterii et ordinis statutis et consuetudinibus ac quibuscumque constitutionibus contrariis nequaquam obstantibus, semel in anno dumtaxat, libere ingredi valeatis, dummodo eiusdem abbatissae ad id accedat assensus et vos dictaeque personae non comedatis ibidem nec etiam pernoctetis, vobis et vestrum cuilibet tenore praesentium indulgemus. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, II kalendas martii, anno decimo septimo.

1010. Executoribus testamenti b. m. Bertrandi (de Turre ex ord. Min.) episcopi Tusculan. iustitiae complementum fieri iubet. [6]

1333, martii 8, Avinione.

Venerabilibus fratribus .. [7] *Aversano et ..* [8] *Nolano episcopis, ac dilecto filio .. praeposito ecclesiae Avinionensis.*

Pro parte venerabilis fratris Guaucelini Albanensis episcopi ac dilectorum filiorum nostrorum Neapoleonis s. Adriani et Bertrandi s. Mariae in Aquiro

[1] Reg. Vat. t. 104, ep. 1396.
[2] Dioecesis Patavien. *(Passau)*.
[3] Reg. Vat. t. 105, ep. 1150; apud *Wadd.* l. c. n. 158.
[4] *Lauban* in cust. Aurei montis *(Goldberg)* prov. Saxoniae.
[5] Reg. Vat. t. 105, ep. 1166; cfr. supra n. 915.
[6] Reg. Vat. t. 105, ep. 130; cfr. supra n. 866 et 595.
[7] Raymundo de Maussaco ex ord. Min.
[8] Nicolao.

diaconorum cardinalium, executorum testamenti seu ultimae voluntatis bonae memoriae Bertrandi episcopi Tusculani, [1] nobis fuit expositum cum querela, quod, cum idem episcopus dum viveret plures et diversos debitores haberet, qui ei tam ratione dignitatum, personatuum, officiorum et beneficiorum suorum ecclesiasticorum quam alias in diversis pecuniarum quantitatibus tenebantur, quas quidem pecuniae quantitates ipse (habens a sede apostolica testandi et disponendi de bonis suis ecclesiasticis et aliis undecunque per eum licite acquisitis liberam potestatem) in pios et alios usus in testamento suo per manus dictorum executorum erogari praecepit, dicti tamen debitores praedictis executoribus satisfacere de ipsarum pecuniarum quantitatibus indebite contrarium dicunt, propter quod ipsius episcopi dispositio impeditur. Quare pro parte dictorum executorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere super hoc paterna diligentia dignaremur. Quocirca discretioni vestrae per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus ..., cum ab eisdem executoribus vel procuratoribus eorundem fueritis requisiti, auctoritate nostra plenum exhibeatis iustitiae complementum, contradictores, cuiuscunque status, dignitatis, ordinis vel conditionis existant, etiam si pontificali praefulgeant dignitate, auctoritate eadem per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia vel odio vel timore subtraxerint, censura simili appellatione cessante cogatis veritati testimonium perhibere. Non obstantibus *etc.* Ceterum volumus et apostolica auctoritate decernimus, quod quilibet vestrum prosequi valeat articulum ... per alium inchoatum, quamvis inchoans nullo fuerit impedimento canonico impeditus, quodque a data praesentium sit vobis et unicuique vestrum in praemissis omnibus et eorum singulis, coeptis et non coeptis, praesentibus et futuris, perpetuata potestas et iurisdictio attributa, ut eo vigore eaque firmitate possitis in praemissis omnibus ... procedere, ac si praedicta omnia et singula coram vobis coepta fuissent et iurisdictio vestra et cuiuslibet vestrum in praedictis omnibus et singulis per citationem vel modum alium perpetuata legitimum extitisset, constitutione quacunque in contrarium edita non obstante. Datum Avinione, VIII idus martii, anno decimo septimo. [2]

1011. Inquiri iubet de iis, quae ab inquisitoribus haer. prav. in causa inter fratres Erem. s. Aug. et fratres Minores de loco ab illis in castro Murovallium construendo contra ipsos fratres Erem. s. Aug. attentata sunt. [3]

1333, martii 18, Avinione.

Venerabili fratri Bertrando episcopo Ostiensi, apostolicae sedis legato.

Praevisa et digesta fuisse noscitur legis institutio *etc.* Nuper siquidem ex tenore litterarum dilectorum filiorum Thomae prioris provincialis ceterorumque fratrum marchiae Anconitanae ordinis Heremitarum s. Augustini in nostra et fratrum nostrorum praesentia in consistorio lectarum nobis innotuit, quod, licet noviter in quodam castro Murrovallium nuncupato Firmanae diocesis de quaestione, quae per vigintiquinque annos inter priorem provincialem dictae marchiae, quae iuxta consuetudinem dicti ordinis Heremitarum provincia nominabatur in litteris antedictis, qui fuit pro tempore, ipsosque fratres Heremitarum ex parte una et dilectos filios fratres ordinis Minorum ex altera, de distantia locorum ordinum praefatorum in eodem castro sitorum habita fuerat, ad preces dilectorum filiorum populi dicti castri partes ipsae ad concordiam devenissent, prout iidem Thomas et fratres ipsius ordinis Heremitarum per quoddam instrumentum publicum apparere dicebant, deinde tamen concordia huiusmodi non obstante ad instantiam eorundem fratrum Minorum (forsan poenitentium devenisse ad concordiam antedictam) dilectus filius Raynaldus de Offida, inquisitor haereticae pravitatis praedicti ordinis Minorum in illis partibus, ad dictum castrum personaliter accessit cunctoque clero ipsius castri et praefatis populo inibi congregatis per excommunicationis sententiam generaliter omnibus de facto mandavit, ut eosdem fratres Heremitarum tam in divinis officiis quam in quacunque alia conversatione tanquam excommunicatos vitare deberent, et, si quem conspici[ebat] dictis fratribus Heremitarum in aliquo subvenire, contra illum tanquam contra haereticum toto nisu combusti inquisitionis huiusmodi potestate procedebat; quodque apud Racanatum olim civitatem ad suggestionem eorundem fratrum Minorum quidam dicti Racanati habitatores (Dei timore postposito, in eorum salutis dispendium et contra exemptionem dictis fratribus Heremitarum eorumque locis concessam) locum eorum ibidem aggressi fuerunt et quendam fratrem dicti ordinis Heremitarum, ordinem ipsum professum, ad religionem satis aptum et idoneum, manu rapuerunt armata, iniurias et verbera multis an-

---

[1] Exeunte a. 1332 vel ineunte a. 1333 defuncti. Cfr. supra p. 533 not. 4.

[2] In e. m. praeposito maioris et decano s. Agricoli Avinion. ac Bernardo de s. Genesio, capellano summi pont., decano Engolismen. eccl.

[3] Reg. Vat. t. 105, ep. 1302; cfr. infra n. 1030 et supra n 498.

tiquis fratribus dicti ordinis inferendo dictumque fratrem ad locum eorundem fratrum Minorum eiusdem loci Racanati deducendo, dictique fratres Minores statim sine aliqua mora eidem fratri ipsius ordinis Heremitarum habitum exuentes ipsum praedicti ordinis Minorum habitu induerunt. Et cum super hoc per eosdem fratres Heremitarum eiusdem loci Racanati apud conservatorem privilegiorum apostolicorum eis per sedem apostolicam deputatum querimonia, prout tam enormis requirebat excessus, exposita extitisset idemque conservator contra culpabiles dicti excessus, postquam de ipsorum contemptu sibi constitit, servato iuris ordine, excommunicationis et contra commune ipsius loci Racanati interdicti sententias, prout ex potestate sibi tradita poterat, protulisset, dilectus filius Laurentius de Ancona, inquisitor dictae pravitatis de eodem ordine Minorum, ad praefatum locum Racanati accessit et, hominibus maleficis in eius familiam et protectionem assumptis populoque dicti loci Racanati congregato, omnes sententias per eundem conservatorem iuridice latas de facto revocavit nulliusque censuit esse valoris ipsosque maleficos ab excommunicationis sententia coram cuncto populo antedicto ipsius loci Racanati absolvit et ab eisdem communi amovit praefatam sententiam interdicti omnibusque clericis per excommunicationis sententiam demandavit, quod neminem ipsorum excommunicatorum vitare deberent. Et insuper tam advocatos quam procuratores, quos in curia dicti conservatoris ipsi fratres Heremitarum habebant, per excommunicationis coegit sententiam, ut coram ipso personaliter comparerent, eos adiurando verbis et minis, ne in eorundem fratrum Heremitarum negotiis advocationem vel procurationem aliquas exercere praesumerent quoque modo: praefato etiam conservatori per sua scripta patentia pluries mandando, ut debeat a talibus processibus omnino desistere, alioquin contra ipsum procederet iustitia mediante. Pro parte etiam dictorum Thomae et fratrum Heremitarum coram nobis et eisdem fratribus in eodem consistorio propositum extitit et praemissis adiectum, quod idem inquisitor ultimus contra facientes eleemosynam eisdem fratribus Heremitarum excommunicationis sententiam promulgavit quodque dictos fratres impedit, ne praedicare valeant verbum Dei. Quare nobis ex parte ipsorum Thomae et fratrum Heremitarum supplicatum extitit humiliter et devote, ut super praedictis eis providere clementer de opportuno remedio dignaremur, ne tam viliter deludatur nec pereat iustitia contra eos neve in ipsos pauperes et insontes tam nequiter procedatur.

Cum igitur supradicta satisfaciendo iuri, prout debitum existit, non sint praetereunda silentio, ne pestifere serpant in alios in futurum, fraternitati tuae, de cuius circumspecta industria in hiis et aliis sinceram fiduciam obtinemus, de dictorum fratrum nostrorum consilio per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus per te vel alium seu alios (vocatis, qui fuerint evocandi, et auditis hinc inde propositis) super omnibus et singulis supradictis informationem sufficientem recipias et, si ea inveneris ita esse, illa nulla fore sententialiter auctoritate nostra declares, faciens supradictum fratrem ab eisdem fratribus Minoribus restitui Heremitarum fratribus memoratis et alias, quod decreveris, per censuram ecclesiasticam sublato appellationis obstaculo firmiter observari. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura simili appellatione cessante compellas veritati testimonium perhibere: non obstantibus, si supradictis priori, inquisitoribus et fratribus ordinum praedictorum vel alicui seu aliquibus eorundem aut quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Si vero dictos inquisitores super praemissis culpabiles ut praefertur inveneris, eos, alioquin supradictum Thomam priorem ex parte nostra peremptorie cites, ut infra certum peremptorium terminum competentem, quem eis ad hoc duxeris praefigendum, conspectui apostolico personaliter se praesentent: facturi et recepturi super praedictis omnibus et singulis, quod ordo dictaverit rationis, ac nostris et apostolicis beneplacitis et mandatis humiliter parituri. Diem vero huiusmodi citationis et formam, et quicquid exinde super praemissis duxeris faciendum, nobis per tuas litteras harum seriem continentes studeas fideliter intimare. Datum Avinione, III idus martii, anno decimo septimo.

1012. Franciscum de Perusio ecclesiae Sarnen. praeficit in episcopum. [1]

1333, martii 15, Avinione.

Dilecto filio Francisco de Perusio electo Sarnen.

Apostolatus officium *etc.* Dudum siquidem bonae mem. Nicolao episcopo Sarnen. regimini Sarnen. [2] ecclesiae praesidente nos ... provisionem eiusdem ecclesiae, cum vacaret, ordinationi *etc.* duximus reservandam: decernentes *etc.* Postmodum autem eadem ecclesia Sarnen. per obitum dicti Nicolai episcopi ... pastoris solatio destituta, nos vaca-

---

[1] Reg. Vat. t. 105, ep. 16; apud *Wadd.* l. c. n. 159.

[2] *Sarno* in partibus Neapolitanis.

tione huiusmodi ... percepta post deliberationem, quam ... cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te ordinis fratrum Minorum professorem, in sacerdotio constitutum, cui de religionis zelo, litterarum scientia, honestate morum et vitae aliarumque multiplicium virtutum meritis fidedigna testimonia perhibentur, direximus oculos nostrae mentis. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua praefatae ecclesiae Sarnen. de dictorum fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica providemus teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo *etc.* Datum Avinione, idibus martii, anno decimo septimo. [1]

1013. Huguccionem de Perusio ord. Min. ecclesiae Sutrin. praeficit in episcopum. [2]

1333, martii 19, Avinione.

Dilecto filio Hugucioni de Perusio electo Sutrin.

Pastoralis officii debitum *etc.* Nuper siquidem ecclesia Sutrina [3] dictae Romanae ecclesiae immediate subiecta pastoris solatio destituta (pro eo quod dilectus filius Berengarius de s. Africano, clericus Vabren. dioecesis, tunc electus Sutrin., regimini dictae ecclesiae Sutrin., cui tunc praeerat, apud sedem apostolicam sponte cessit in manibus venerabilis fratris nostri Petri episcopi Praenestin., de mandato nostro facto sibi oraculo vivae vocis cessionem huiusmodi admittentis) nos ad provisionem ipsius ecclesiae, ne diutius vacationis remaneret exposita detrimentis, cum nullus de provisione ipsius ecclesiae hac vice se intromittere possit, pro eo quod *etc.*, sollicitis studiis intendentes *etc.* post deliberationem, quam super hoc habuimus cum fratribus nostris diligentem, demum ad te fratrum Minorum ordinem expresse professum et in sacerdotio constitutum, virum utique litterarum scientia praeditum, in spiritualibus providum et temporalibus circumspectum, aliisque multiplicium virtutum meritis, prout fide dignorum testimonio accepimus, insignitum, direximus oculos nostrae mentis. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua ipsi ecclesiae Sutrin. de ipsorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus teque illi in episcopum praeficimus et pastorem, curam *etc.* plenarie committendo *etc.* Datum Avinione, XIV kalendas aprilis, anno decimo septimo. [4]

1014. Clarissis Condomien. indulget, ut privilegiis fratribus Min. concessis uti ac liberam sepulturam habere possint neque decimas aut procurationes paedagiave persolvere teneantur. [5]

1333, martii 31, Avinione.

Dilectis in Christo filiabus abbatissae et conventui monasterii sanctae Clarae Condomien. ordinis eiusdem sanctae.

Etsi pium et meritorium existere dignoscatur *etc.* Ex tenore siquidem petitionis vestrae nobis oblatae collegimus, quod monasterium vestrum, quod antiquum fore multaque favorabilia privilegia dignoscitur a multis praedecessoribus nostris Romanis pontificibus obtinere, [6] propter guerrarum discrimina, quae in illis partibus diu continuato tempore, ipsius temporis faciente malitia, ingruerunt, et propter gravamina et exactiones nobis exposita, quibus vexatae fuistis et vexamini, ad tantam inopiam est deductum, quod oportet moniales ipsius propter paupertatem illius de bonis parentum et consanguineorum suorum ac eleemosynis fidelium sustentari pro parte magna temporis annuatim, et quod vos sine favorabili et gratioso praesidio eiusdem sedis cum quiete respirare nequitis nec ad statum prosperum reduci potest monasterium praelibatum. Quare nobis, ut super praemissis iuxta clementiam et benignitatem ipsius sedis dignaremur opportunae provisionis suffragia impertiri, devote ac humiliter supplicastis.

Nos igitur tam divinae pietatis intuitu quam vestrae sacrae religionis obtentu huiusmodi vestris supplicationibus inclinati praesentium vobis auctoritate concedimus, ut illo exemptionis privilegio gaudeatis, quod ordini fratrum Minorum eiusque fratribus et personis a sede apostolica est concessum, et eodem exemptionis privilegio uti et gaudere plenarie valeatis; sepulturam quoque ecclesiae vestrae sine alieni iuris praeiudicio liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extremae voluntati, qui illic sepeliri deliberaverint, dummodo excommunicati vel interdicti aut publici usuarii non fuerint, nullus obsistat, salvis tamen canonica iustitia et parochiali iure illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Sane auctoritate indulgemus eadem, ut ad praestationem decimarum de quibuscunque possessionibus et aliis omnibus bonis vestris, quae in praesentiarum habetis et iustis modis praestante Domino acquisiveritis in futurum, sive decimalia dudum extiterint sive non decimalia, vel alias ad contribuendum in pro-

[1] In eumdem modum capitulo et vassallis ecclesiae Sarnen., clero et populo civ. et dioec. Sarnen., archiepiscopo Salernitan. et Roberto regi Siciliae.

[2] Reg. Vat. t. 104, ep. 401; apud *Wadd.* l. c. n. 162.

[3] *Sutri* prope Urbem.

[4] In e. m. capitulo et vassallis ecclesiae Sutrin. ac clero et populo civ. et dioec. Sutrin.

[5] Reg. Vat. t. 104, ep. 1418; apud *Wadd.* l. c. n. 160; cfr. supra n. 368.

[6] Cfr. huius op. t. IV, p. 295, not. h.

curationibus quorumcumque ordinariorum ac etiam legatorum et nuntiorum sedis praedictae et quibuslibet talliis et collectis et ad exhibendum pedagia, thelonia et alias exactiones quibusvis regibus, principibus seu aliis personis saecularibus minime teneamini nec ad illa compelli aliquatenus valeatis. Ceterum auctoritate praefata districtius inhibemus, ne quis de legatis, oblationibus seu aliis quibuscumque eleemosynis vobis pia fidelium oblatis devotione aliquid a vobis exigere vel extorquere praesumat. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, II kalendas aprilis, anno decimo septimo.

1015. Ministro generali ord. Min. committit officium protectoris ordinis s. Clarae. [1]

1338, martii 31, Avinione.

Dilecto filio Geraldo ministro generali ordinis fratrum Minorum.

Decens reputamus et pium, ut religiosis mulieribus, quae carnis abdicatis illecebris virginitatem suam filio Virginis dedicantes eidem in castris claustralibus devotis student mentibus famulari, favorem apostolicum, quantum cum Deo possumus, impendamus. Cum itaque ordo sororum sanctae Clarae ad praesens sit protectoris sibi deputati auctoritate apostolica solatio destitutus, [2] nos eisdem sororibus volentes paterna provisione consulere in hac parte, tibi, de cuius circumspectione ac fidelitate confidimus, officium protectoris huiusmodi, quousque aliter super hoc ordinaverimus, tenore praesentium commendamus per te fideliter exercendum. Datum [Avinione], II kalendas aprilis, anno decimo septimo.

1016. Regi Siciliae ad quosdam articulos super concordia inter reginam Siciliae et ministrum generalem ord. Min. in causa fratrum Petri de Cadeneto et Andreae de Galiano stabilienda sibi missos respondet. [3]

1338, aprilis 18, Avinione.

Eidem regi [Siciliae].

Ex litteris percepimus regiis evidenter, quod

---

[1] Reg. Vat. t. 117, f. 134, ep. 675; apud *Wadd.* l. c. n. 161.

[2] Eo quod Arnaldus s. Mariae in porticu diac. card., qui protector ord. fratrum Min. et sororum s. Clarae erat, mense augusto an. 1331 obierat. Cfr. infra n. 1068.

[3] Reg. Vat. t. 117, f. 145, ep. 732; cfr. *Denifle-Ehrle, Archiv*, IV, 84 et supra n. 945 ac 1001, infra n. 1017. - Quae litterae quo planius intelligantur, haec iuvat commemorare. Ordini fratrum Minorum maxime favebant Robertus Siciliae rex et coniux eius Sancia, Iacobi Maioricarum regis filia. Et hi quidem severiori ordinis parti, cuius asseclae vocabantur *Spirituales*, atque etiam *Fraticellis*, qui inde exorti sunt, et iis Minoribus, qui in controversia de paupertate *Michaeli de Caesena* adhaerebant, maximopere suffragabantur. Robertus rex, cuius nomine etiam tractatus, qui de apostolorum ac eos praecipue imitantium paupertate inscribitur (cfr. *Baluze*, Miscell., ed. *Mansi*, t. III, p. 270), usque ad annum 1331 litteras apostolicas contra Michaelem de Caesena scriptas in regno suo nondum publicasse, immo etiam Fraticellis patrocinatus esse videtur. In eo Michaelis de Caesena asseclarum numero etiam fratres Petrus de Cadeneto et Andreas de Galiano habebantur, qui officiis ecclesiasticis fungebantur in Clarissarum monasterio Corp. Chr. Neap. a regina Sancia fundato iidemque erant reginae ipsius capellani. Quapropter aspectui apostolico se praesentare sunt iussi (cfr. supra n. 945). Cum vero illis litteris non obtemperassent, excommunicationem incurrerunt. Regina tamen capellanorum suorum causam pro sua defendens ac ministro generali Geraldo succensus summum pontificem, ut illi censuris et poenis ecclesiasticis liberarentur atque ut monasterium Corp. Chr. ab iurisdictione ministri generalis magna ex parte eximeretur, supplicavit. Et Ioannes XXII, Siciliae regi ac reginae commodum se praebere utile esse ratus, preces eorum satis explevit. At successor eius Benedictus XII, quippe qui maiore libertate agere posset, nulla regis aut reginae ratione habita, denuo causam suscepit contra fr. Andream de Galiano (fr. Petrus de Cadeneto iam mortuus erat). Sed ille postremo absolutus est incusatione, quia testes eum opinionibus sive fr. Petri Ioannis Olivi sive fr. Bonagratiae de Pergamo sive fr. Michaelis de Caesena nunquam adhaesisse confirmarunt.

Imprimis crimini ei datum est, quod consuetudinem haberet cum fratribus rebellibus in castro Litterae prope castrum Maris (*Castellammare*) degentibus. Qua de re ipse haec dicit: « Cum pervenisset ad aures dominae reginae Siciliae, quod quidam fratres ord. Min. [e provincia marchiae Anconitanae, Michaeli de Caesena adhaerentes] ire vellent in Siciliam et aliqui incederent in habitu fratrum Min., aliqui in habitu saeculari, propter devotionem, quam habebat ad dictum ordinem, eisdem fratribus compatiens retinuit aliquos de eisdem (ac) pia intentione mota mandavit et fecit eisdem de necessariis provideri. Postea fuerunt positi in castro Literae, ne irent sine habitu vagabundi per mundum. Demum misit dicta domina regina praefatum fratrem Andream ad dictos fratres, ut disponerent se ad recessum et irent ad suas provincias, quae erant extra regnum (Siciliae) et obedirent praelatis (sui) ordinis. Dicti fratres asseruerunt dicto fratri Andreae, quod semper fuerunt et erant parati stare mandatis ecclesiae et stabant et quod propter metum et iniustitias eis factas et timorem incussum per fr. Geraldum generalem ab eius facie se averterunt ». — Simili modo idem fr. Andreas affirmavit, « quod non induxit nec instruxit dominum Philippum de Maioricis (cfr. supra n. 894) ad faciendum sermonem illum, de quo incusatur; immo episcopus Iuvenaciensis quondam (cfr. supra not. 2 ad n. 1001), fr. Raymundus (de Stranillis) guardianus Avinionensis, qui nunc (a. 1338) est, qui tunc erat vicarius (monasterii) s. Clarae (Neapolitan.) et idem fr. Andreas reprehenderunt dominum Philippum de dicto sermone ». — Iste frater Andreas, sicut eadem depositione erudimur, olim existens clericus saecularis, ductus devotione intravit ordinem b. Francisci Sulmonae in provincia Pennensi, ubi fecit expressam professionem in manibus fr. Gambii de Poperio tunc custodis Aquilensis. Postea a Gundisalvo ministro generali (1304-1313) ad studium infra provinciam promotus et successive a Iacobo de Bucellano ministro provinciali prov. Pennensis in socium domesticum assumptus est. Ab eodem provinciali de voluntate Alexandri tunc ministri generalis (1313-1314) Neapolim ad studium generale et postmodum a capitulo provinciali Parisios ad illud studium generale est missus. Post reditum de studio Parisiensi, lector in diversis conventibus et studiis suae provinciae, videlicet in conventu Aquilensi et aliis, postmodum autem custos custodiae Theatinae et demum minister provincialis suae provinciae Pennensis electus est. A quo officio (a. 1329) absolutus ivit Neapolim de licentia fr. Lucae de s. Georgio tunc vicarii provinciae Pennensis et ad requisitionem Raymundi episcopi Adversani (cfr. supra n. 1010). Ibi a rege et regina Siciliae, ut ipsorum servitiis insisteret, de licentia praelatorum suorum retentus stetit et permansit, usque dum a Benedicto XII in ius vocatur.

circa sopiendam discordiam inter filiam nostram in Christo carissimam Sanciam reginam Siciliae illustrem ac Petrum de Cadeneto et Andream de Gualiana (Galiano) ordinis Minorum ex parte una et dilectum filium Geraldum Othonis ordinis Minorum generalem ministrum ex altera a pacis aemulo suscitatam (extremis omissis) via, quae sequitur, velut media est sequenda. In primis quidem videtur circumspectioni regiae, quod fratres praefati ad actus legitimos ob ipsius reginae honorem restitui debeant, prout nobis placuerit et videbitur de gratia speciali. Ad quod dicimus, quod istud non videtur in praesenti posse compleri. Cum enim fratres praedicti sint excommunicationis vinculo innodati, eo durante nequeunt restitui ad praedicta. – Secundo eisdem necessario expedire videtur, quod fratrum dicti ordinis, qui praefatae reginae assistunt et in divino cultu serviunt seu in conventu monasterii corporis Christi existunt quosque continget conventuales dicti monasterii pro tempore assignari, ac monialium Deo famulantium in monasterio supradicto curam omnem et iurisdictionem ac provisionem .. ministro Terrae Laboris sub honestiori et decentiori titulo, quo fieri poterit, committimus, quam per ministros idoneos non suspectos idem minister Terrae Laboris debeat exercere; qui quidem Terrae Laboris minister ad requisitionem reginae fratres de toto ordine pro praefatae reginae servitio et dicti conventus Corporis Christi officiis, regimine atque cultu divino convocare valeat, ipsique vocati eidem ministro Terrae Laboris debeant obedire. Profecto, fili carissime, articulus iste videtur nimium esse gravis. Quod enim ab obedientia generalis ministri dicti ordinis capitulique generalis eximitur ac separatur membrum tam nobile, gravis nimium videtur esse iactura; sed et insuper ipsi monasterio non parum videtur fore damnum. Si enim gens sub maiore iudice constituta maiorem providentiam sentiat, sequitur, quod sub minori iudice constituta minorem providentiam assequatur. Constat autem generalem ministrum ac generale capitulum superiores esse ministro Terrae Laboris. Praeterea hoc non esset nisi inter ministrum generalem et generale capitulum ex una parte et ministrum Terrae Laboris ac fratres et sorores conventuum monasterii Corporis Christi ex altera ponere grave schisma, quod patet ad sensum. Videmus enim, quod praelati exemptis plurimum sunt infesti, nostraque tenet memoria, quod, quia felicis recordationis Clemens V praedecessor noster exemit fratres aliquos, licet in parvo numero, fuit totus Minorum orbis turbatus. Rursus, quod minister Terrae Laboris posset ad requisitionem reginae pro suo et dicti monasterii servitio fratres de toto ordine convocare quodque advocati sibi debeant obedire, periculosum nimium ordini posset esse. Cum enim regina seu minister Terrae Laboris, qui est vel erit pro tempore, conditiones fratrum ordinis ignorent, ut in pluribus, quod sic ignari possent fratres indistincte vocare, plerumque forsan contingeret ipsos minus idoneos evocare. Et dato quod hoc concederetur eidem, forsan generalis minister vel generale capitulum vel minister particularis, qui de conditionibus ipsorum vocatorum pleniorem habent notitiam, se opponerent vocationi praedictae, sic quod inter eos lites, odia et discordiae orirentur.

Capitula autem alia contenta in litteris regiis reputamus rationabilia et honesta. Sane quia quietem et pacem reginalem et ordinis ac generalis praedictorum intensis desideriis affectamus nec non et regio consilio, quantum secundum Deum possumus, nos volumus coaptare: ecce quid nobis videtur ad sopiendam dissensionem huiusmodi observandum. In primis, quod ob Dei reverentiam et ad preces nostras ac humilem supplicationem generalis praedicti regina suam restituat gratiam generali praedicto ipsoque utatur sicut servulo prompto ad eius obsequia et parato. Deinde, quod venerabiles fratres nostri .. Neapolitanus archiepiscopus vel Beneventanus et dilectus filius .. abbas sanctae Sophiae Beneventan. fratres P[etrum] et Andream praedictos ab excommunicationis sententia, qua ratione citationis et non comparitionis sunt innodati, in forma ecclesiae absolvant et iuramento ab eisdem fratribus et eorum quolibet in manibus alterius ex supradictis archiepiscopis et abbatis praedicti corporali praestito, quod nunquam dogmatizaverunt aut praedicaverunt contra determinationem nostram super hoc factam: utrum affirmare, quod Christus et eius apostoli non habuerunt aliquid in proprio vel communi; item super hoc: an pertinaciter asserere, quod Christo eiusque apostolis in iis, quae ipsos habuisse scriptura sacra testatur, nequaquam ius utendi seu consumendi competiit nec illa vendendi seu donandi ius habuerunt aut ex ipsis alia acquirendi (quae tamen ipsos de praemissis fecisse scriptura sacra testatur seu ipsos potuisse facere supponit aperte), haereticum sit censendum; nec, quod per quemvis alium contra illa praedicaretur vel dogmatizaretur, dederunt consilium occulte vel publice nec quomodolibet in causa fuerunt; quodque praemissa (scilicet praedicare vel dogmatizare contra praedicta seu impertiri tanquam consilium vel causam quomodolibet, quod contra praemissa praesumatur talia attentare) non facient nec attentabunt imposterum publice vel occulte, nec non quod non adhaerebunt damnato Bavaro nec Michaeli de Caesena dudum ordinis Minorum generali ministro de haeresi condemnato nec ei velut ministro parebunt

in aliquo publice vel occulte, fratres ipsos et eorum quemlibet auctoritate apostolica ad actus restituant legitimos, a quibus fuerant auctoritate praedicta suspensi, ipsosque fratres et eorum quemlibet liberent a citatione praedicta.

Ceterum, cum ad salubre regimen monasterii Corporis Iesu Christi per eamdem reginam non absque immensis fundati atque constructi sumptibus nec non et conventuum tam sororum quam fratrum eiusdem monasterii ac fratrum degentium in servitio reginae praedictae sollicitis studiis intendamus, eidemque reginae expediens admodum videatur, quod cura, iurisdictio ac provisio fratrum ac sororum ac conventuum praedictorum ministro Terrae Laboris, qui est et qui erit imposterum, specialiter committatur, licet e regione multis videatur, quod ordo Minorum separatione tam membri nobilis a cura generalis ministri et capituli generalis eiusdem ordinis nimium gravaretur quodque talis separatio potius in gravamen et periculum fratrum et conventuum praedictorum cederet quam favorem: nos ad tempus probare volentes, quid magistra rerum experientia super hoc suadebit, curam omnem, iurisdictionem ac provisionem dictorum fratrum, sororum et conventuum usque ad biennium nobis specialiter reservamus, intendentes secundum ea, quae expedientia ordini et dictis conventibus ac fratribus manifestabit experientia, pro futuro tempore dante Domino providere. Et quia propter nostram ab illis partibus absentiam per nos exercere nequimus praedicta, volentes indemnitati dictorum conventuum et fratrum salubriter providere, praedicto ministro Terrae Laboris, qui est vel qui erit pro tempore, quoad praedicta infra tempus praedictum usque ad nostrum beneplacitum intendimus committere vices nostras, eidem sub virtute sanctae obedientiae districtius iniungentes, ut iuxta ordinationem in dicta fundatione monasterii per nos factam ac statuta canonica nec non et privilegia concessa ordini et monasterio supradictis, curam et alia supradicta ad honorem et consolationem dictorum fratrum et conventuum sedule studeat adimplere.

Porro capitula reliqua in regiis contenta litteris, videlicet quod iniungamus ministro generali praedicto, ut desistat reginae praedictae honori detrahere; item etiam, quod fratres sibi devotos ab eorum promotionibus indebite non repellat, nec aemulos sibi loco illorum promoveat: reputantes rationabilia et honesta, offerimus praemissa nedum iuxta consilium regium adimplere, quin potius eidem ministro, quod honorem et famam reginales pro viribus extollere ac fratres indevotos sibi ad eius amorem et devotionem revocare et devotos eidem reginae idoneos opportunis prosequi curet promotionibus et favoribus et ipsi reginae super iis et aliis, quantum cum Deo poterit, complacere, districtius iniungemus. Datum [Avinione,] IV kalendas maii, anno decimoseptimo.

1017. Petrum de Cadeneto et Andream de Galiano, qui protecti a regina Siciliae obedientiae ecclesiae ac generalis sui ordinis ministri se subtraxerunt et citati ad Curiam non comparuerunt, ab excommunicationis sententia, quam hincinde incurrerunt, certis sub conditionibus absolvi iubet. [1]

1333, aprilis 19, Avinione.

Venerabilibus fratribus Iohanni Neapolitano et Arnaldo Beneventano archiepiscopis ac dilecto filio Guillelmo abbati monasterii s. Sophiae Beneventani.

Quia ex facti evidentia plenius edocemur, quod nonnisi pacis in tempore bene colitur a[u]ctor pacis quodque dissensiones et scandala pravis actibus aditum praeparant, rancores et odia suscitant et illicitis motibus ansam praebent, ferventibus votis intendimus, vacamus instantius ac operosae studium sollicitudinis impertimur, ut ad divini nominis gloriam, exaltationem fidei et fidelium (praescissis radicitus dissidiorum vepribus et litigiorum anfractibus omnino subductis) inter personas, quas Christiani nomen includit, pacis tranquillitas vigeat, fervor caritatis existat, invalescat concordiae unitas et animorum identitas perseveret. Sane, quia inter carissimam in Christo filiam nostram Sanciam reginam Siciliae illustrem ac Petrum de Cadoneto et Andream de Galiano [2] ordinis fratrum Minorum ex parte una et dilectum filium Geraldum Othonis ordinis praedicti generalem ministrum ex altera pacis hostis, caritatis aemulus, gravis dissensionis materiam suscitavit: super eo videlicet, quod dudum non sine grandi displicentia ad nostri apostolatus auditum perducto, quod praefati Petrus et Andreas velut suae professionis immemores, qua specialiter sanctae Romanae ecclesiae noscuntur astricti, contra statuta eiusdem ecclesiae, specialiter constitutionis *Cum inter*, docere alias [3] ac se ab obedientia ipsius ecclesiae dictique ministri subtrahere dampnabiliter et ad hoc alios inducere seu potius seducere praesumebant, nos de praemissis scire volentes plenius veritatem ipsos per eundem ministrum cum litteris nostris apostolicis citari fecimus, ut infra certum tunc eis praefixum terminum super hoc apostolico conspectui se persona-

[1] Reg. Vat. t. 117, f. 135, ep. 678. Cfr. supra nn. 915, 1001, 1016.

[2] *In registro:* Gualiana.
[3] *In registro:* alios.

liter, responsuri super praedictis ac facturi et recepturi, quod rationis existeret, praesentarent, eisque nihilominus per eundem ministrum confessiones audiendi, absolvendi confitentes, praedicandi vel actus alios dicti ordinis exercendi absque nostra speciali licentia eis imposterum concedenda per easdem litteras certis ex causis sub certis poenis in eos contentis potestatem interdiximus, sicut in ipsis litteris plenius continetur. Nos vero pii patris more laudabili reducentes ad exactae considerationis examen ac intra pectoris claustra sollicite revolventes, quantum foret indecens, si quod absit procederet discordia supradicta, et propterea intendentes paternae sollicitudinis studiis illam prorsus evellere ac omnimode submovere, modum suscriptum velut quoddam medium deliberatione praehabita cum nonnullis eiusdem pacis zelatoribus fervidis providimus observandum. Cum enim Petrus et Andreas praedicti sic citati, ut praemittitur, non curaverint in eodem praefixo termino nec etiam postea diutius expectati comparere personaliter coram nobis, propter quod fuerunt eorum exigente contumacia excommunicationis vinculo innodati, nos attendentes, quod ipsi de praedictis eis impositis se esse ac fuisse asserunt penitus innocentes, ac sicut accepimus offeruntur ipsi et eorum quilibet propriis iuramentis firmare, quod nunquam contra constitutionem praedictam *Cum inter* dogmatizaverunt aut praedicaverunt nec, quod per quemvis alium contra illam praedicaretur vel dogmatizaretur, dederunt consilium occulte vel publice nec in causa fuerint, quodque nec Ludovico de Bavaria et Michaeli de Caesena olim dicti ordinis generali ministro, condempnatis de diversis haeresibus, post condempnationes ipsas adhaeserunt (quae tamen eos fecisse ad audientiam nostram fuerunt multorum relatione perducta), eosque insuper carissimus in Christo filius noster Robertus rex Siciliae illustris et regina praedicta super praedictis multipliciter saepius nobis supplicaverunt, ut eisdem Petro et Andreae praefatae reginae obsequiis insistentibus providere super praedictis salubriter et benignitate solita dignaremur: nos ad hoc ob praedicta benignius inclinati decrevimus eis per modum qui sequitur provideri, videlicet quod per eosdem Petrum et Andream et quemlibet eorum coram vobis, de quorum fidelitate et prudentia gerimus in Domino fiduciam specialem, aut altero, fratres archiepiscopi, tecum, fili abbas, iuramentis praedictis praestitis necnon quod numquam imposterum aliquid contra constitutionem praedictam et contenta in ea praedicabunt vel dogmatizabunt nec, quod praedicetur seu dogmatizetur per aliquem, dabunt consilium sive causam praestabunt publice vel occulte nec Ludovico vel Michaeli praedictis adhaerebunt nec ipsi Michaeli tamquam ministro parebunt in aliquo publice vel occulte, praefati Petrus et Andreas per vos aut duos vestrum, ut supradictum est, ab huiusmodi excommunicationis sententia iuxta formam ecclesiae auctoritate apostolica absolvantur nec non et ob honorem dictae reginae ad actus praedictos restituantur legitimos de gratia speciali et a citatione nihilominus liberentur praedicta. Quocirca discretioni vestrae per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus vos omnes simul aut alter vestrum, archiepiscopi praedicti, tecum, abbas praedicte, praemissa omnia et singula, prout superius sunt expressa, exequi sedule studeatis; et ut fratres praedicti obtentu reginalis servitii uberiorem a nobis gratiam assequantur, volumus, ut super irregularitate, si quam forte immiscendo se divinis ut prius contraxerant, auctoritate praedicta cum ipsis hac vice vos vel duo vestrum, ut superius exprimitur, possitis etiam cum eorum quolibet dispensare. Datum [Avinione], XIII kalendas maii, anno decimoseptimo. [1]

1018. Bartholomaeum Ioanelli de Perusio (olim inquisitorem haer. prav. in prov. s. Francisci) instituit poenitentiarium apostolicum de Urbe. [2]

1333, maii 2, Avinione.

Bartholomaeo Ioanelli de Perusio ord. fratrum Min., poenitentiario nostro in Urbe.

Quia circa ea, quae salutem animarum concernunt fidelium, studia nostra, sicut iniunctae nobis desuper apostolicae servitutis indicit officium, libenter dirigimus, personas ad curam animarum ipsarum idoneas, per quarum solertem industriam et providentiam circumspectam exerceri et dirigi salubriter cura possit huiusmodi, deputamus. Hinc est, quod nos, religionis zelum, litterarum scientiam, fidei puritatem, morum maturitatem et alia virtutum merita, quae tibi suffragari percepimus, attendentes te poenitentiarium nostrum in Urbe modo et forma, quibus consueverunt ibidem poenitentiarii nostri deputari et constitui, tenore praesentium constituimus ac etiam deputamus: discretioni tuae per apostolica scripta mandantes, quatenus habens prae oculis solum Deum in officio huiusmodi sic te geras, quod tuum in hac parte

[1] Aliis litteris die 23 aprilis 1333 datis summus pontifex eisdem praelatis indulget, ut, postquam dicti Petrus et Andreas huiusmodi absolutionis et restitutionis gratiam meruerint obtinere, omnes et singulos tam clericos quam laicos, qui ratione participationis eorundem Petri et Andreae sententia huiusmodi ligatorum excommunicationis sententiam incurrerunt, ab eadem possint iuxta ecclesiae formam absolvere (l. c. f. 136, ep. 680).

[2] Reg. Vat. t. 117, f. 2, ep. 8; cfr. supra n. 980.

obsequium Deo reddatur acceptabile tuque proinde divinam et apostolicae sedis benedictionem et gratiam uberius merearis, summopere sub obtestatione divini iudicii praecavendo, ut potestatem dari consuetam aliis in Urbe praedicta poenitentiariis in supradicta executione officii non excedas. Datum Avinione, VI nonas maii, anno decimoseptimo. [1]

1019. Petit salvum conductum pro Lambertuccio de Frescobaldis de Lucca et Francisco de Bolzano ad curiam ituris. [2]

1333, maii 10, Avinione.

Venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis, etc.

Cum, sicut accepimus, dilecti fili Lambertucius de Friscobaldis, lector fratrum ordinis Minorum Lucensium, et Franciscus de Vulgano [3] eiusdem ordinis ad sedem apostolicam pro certis causis in proximo sint venturi, nos eos et eorum quemlibet in veniendo, morando et redeundo volentes plena securitate gaudere, universitatem vestram rogamus, monemus et in Domino attentius exhortamur, quatinus eosdem Lambertucium et Franciscum, exhibitores praesentium, et quemlibet eorumdem, cum per terras, districtus, portus et loca vestra veniendo ad eandem sedem vel ab ea recedendo transiverint, benigne recommendatos habentes nullam eis in personis aut rebus inferatis iniuriam vel offensam nec ab aliis inferri, quantum in vobis fuerit, permittatis, sed eis potius de securo conductu, si a vobis illum petierint, pro nostra et eiusdem sedis reverentia providere curetis: ita quod nos devotionem vestram debeamus exinde merito commendare. Praesentibus per quatuor menses tantummodo valituris. Datum Avinione, VI idus maii, anno decimoseptimo.

1020. Ioannae reginae Franciae quaedam e scriptura sacra et sanctorum scriptis excerpta per fr. Galterum de Divione in vulgari exponi iubet. [4]

1333, maii 14, Avinione.

Galtero de Divione ordinis fratrum Minorum, carissimae in Christo filiae Iohannae reginae Franciae confessoris.

Credebamus, quod venerabilis frater noster P[etrus] archiepiscopus Rothomagensis de multis auctoritatibus scripturae sacrae et sanctorum, quas ei assignavimus, copiam carissimae in Christo filiae nostrae Iohannae reginae Franciae illustri, si placeret recipere, facere debuisset; quod factum, sicut ad nos pervenit, non extitit, licet reginae praedictae gratum existeret, si impletum fuisset.

---

[1] Die 7 martii 1320 summus pontifex Thomam de Aquapendente ord. Min. poenitentiarium apostolicum infra muros Urbis constituerat (l. c. t. 70, ep. 1492) his litteris: « *Dil. filio Thomae de Aquapendente ord. Min., nostro in Urbe poenitentiario.* Sinceritatem tuae devotionis ac fidei, conversationem vitae laudabilis, litterarum scientiam aliarumque virtutum merita, super quibus apud nos fide dignorum testimonio commendaris, merito attendentes, te, in sacerdotio constitutum, poenitentiarium nostrum minorem infra muros Urbis tantummodo deputamus, discretioni tuae ibidem audiendi confessiones quorumcumque et undecumque sua tibi volentium confiteri peccata eosque absolvendi iuxta formam ecclesiae in illis dumtaxat casibus, in quibus ceteri minores poenitentiarii nostri potestatem habere noscuntur, et super irregularitatibus ab illis contractis in huiusmodi casibus, quatenus dictis poenitentiariis ex minoris poenitentiariae officio competit, dispensandi ipsisque pro modis culparum poenitentias salutares, prout secundum Deum animarum ipsorum saluti expedire noveris, iniungendi ac cetera, quae ad huiusmodi poenitentiariae officium pertinent, exequendi plenam et liberam concedentes tenore praesentium facultatem. Per hoc autem alios nostros poenitentiarios et eiusdem sedis existentes in Urbe praefata, praesentes et posteros, super executione poenitentiariae officii eorum non intendimus impedire, quominus huiusmodi commissum eis officium iuxta formam commissionis factam eisdem valeant exercere. Dat. Avinione, nonis martii, anno quarto ».

[2] Reg. Vat. t. 117, f. 71, ep. 384.

[3] *Vel potius:* Bolzano *(Botzen).*

[4] Reg. Vat. t. 117, f. 114, ep. 576. Cfr. *Chart. Univ. Paris.* t. II, p. 418, n. 974 unacum n. 972 et 976. Certe hic agitur de libello a Ioanne XXII de visione beatifica conscripto. Ipsum enim in suis sermonibus Avinione habitis opinionem pronuntiasse constat animas in gratia decedentium non videre Deum facialiter nec perfecte beatas esse nisi post resumptionem corporum et iudicium generale, daemones autem et damnatos non ire ad supplicium aeternum nisi post iudicium generale. Hi sermones, quorum plurimi in uno volumine reportati sunt per fr. Raymundum (de Lados) procuratorem ord. Min., ansam praebuerunt magnae in ecclesia turbationi. Diffuse de sermonibus huius generis adversarii ipsius summi pontificis ex ordine Min. loquuntur eumque hac de re acerrime impugnant. Codici Vat. bibl. Vat. lat. 4009 inest duplex appellatio fr. Bonaegratiae de Pergamo, prior a. 1332, posterior a. 1334 composita (cfr. l. c. f. 168 et 207); codex autem, qui proxime sequitur (n. 4010) continet sermonem « Quoniam, ut ait Leo papa », quo summus pontifex post ipsam opinionum suarum revocationem die 3 dec. 1334 factam acerrime impugnatur. Cfr. codicem, qui proxime praecedit (n. 4008), et bibl. nat. Paris. n. 5154. Inter reliquos scriptores adversarios Thomas Walleis ord. Praed., Iacobus tit. s. Priscae presb. card. (futurus Benedictus papa XII), Armandus de Bellovisu ord. Praed., magister sacri palatii, Durandus (de Porciano) episcopus Meldensis (ex ord. Praed.) notandi sunt. E libello Durandi episcopi Meldensis et sermone seu potius tractatu Thomae Walleis Ioannes XXII 18 articulos excerpsit et de eis aliquos magistros in theol., inter quos ex ordine Min. Elias (de Nabinallis) archiepiscopus Nicosien., Geraldus Othonis minister generalis, Galterus de Chatun et Guilelmus Bernardi de Podio erant, iudicium dare iussit, quod legas in *Chart. Univ. Paris.* l. c. p. 418, n. 975. Philippus autem rex Franciae ab aliis 29 magistris Parisien., inter quos ex ordine Minorum Nicolaus de Lyra, Guilelmus de Brena, Nicolaus Boneti erant, de statu animarum corpore exutarum iudicium petiit, quod legas l. c. p. 429, n. 981. Inter ceteros auctores, qui Ioanni XXII adhaeserunt, duo recensendi sunt, quorum scripta in bibl. Vat. cod. Vat. lat. 4004 et 4006 asservantur. Frater Nicolaus de Caritate in loco fratrum Min. Avin. « ex commissione et de voluntate Ioannis XXII sibi facta » publice praedicasse dicitur, quod, quicunque de cetero tenerent pertinaciter, animas sanctorum videre Dominum facialiter, haeretici sunt censendi. De Geraldo Othonis min. gen. ord. Min. et Arnaldo de s. Michaele ord. Praed. cfr. infra n. 1031.

Sane, quia ipsa latinum non intelligit, tibi, de cuius fidelitate et sapientia plenius confidimus, auctoritates praedictas assignare mandamus. Quas cura studere cum diligentia; et si qua tibi occurrant dubia super illis, cum devotis et fidelibus tui ordinis fratribus conferre cura et nobis, si qua remaneant tibi dubia, intimare, illasque reginae praefatae, cum opportunum videris, quasi loco solatii recitare paulatim, quousque, si sibi placuerit, omnia sint completa. Datum [Avinione], II idus maii, anno decimoseptimo.

1021. Clarissis mon. Campiregis (Königsfelden) concedit facultatem faciendi celebrari divina tempore cuiuslibet interdicti ecclesiastici. [1]

1333, maii 25, Avinione.

Dilectis in Christo filiabus .. abbatissae et conventui monasterii Campiregis ordinis sanctae Clarae Constantiensis dioecesis.

Sincerae devotionis affectus, quem ad nos et Romanam habetis ecclesiam, promeretur, ut votis vestris favorabiliter annuamus, illis praesertim, per quae, sicut pie desideratis, divinis officiis intentae existatis et specialis salutis vobis perveniat incrementum. Hinc est, quod nos devotis pro parte vestra nobis porrectis supplicationibus inclinati auctoritate vobis praesentium indulgemus, ut tempore cuiuslibet interdicti liceat vobis in ecclesia monasterii vestri usque quinquennium ianuis clausis, excomunicatis et interdictis exclusis, non pulsatis campanis, alta voce divina officia celebrare et facere celebrari: dummodo vos causam non dederitis huiusmodi interdicto nec id vobis contigerit specialiter interdici. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, VIII kalendas iunii, anno decimoseptimo.

1022. Episcopum Florentinum a processibus contra fratres Minores desistere iubet. [2]

1333, iunii 3, Avinione.

Episcopo Florentin.

Ex certis causis nos probabiliter moventibus in hac parte volumus et fraternitati tuae praesentium auctoritate mandamus, quatinus a processibus et inquisitionibus quibuscunque vigore litterarum nostrarum tibi dudum super visitandis personis et locis exemptis tuarum civitatis et dioecesis sub certa forma directarum contra fratres Minores [3] faciendis omnino supersedeas et desistas, quousque aliud a nobis super hoc receperis in mandatis. Datum [Avinione], III nonas iunii, anno decimoseptimo.

1023. Transfert Alvarum (Pelagii ex ord. Min.) episcopum Coronen. ad ecclesiam Silven. [4]

1333, iunii 9, Avinione.

Venerabili fratri Alvaro episcopo Silvensi.

Romani pontificis *etc.* Nuper siquidem vacante Silvensi [5] ecclesia (pro eo quod nos venerabilem fratrem nostrum Petrum Astoricensem tunc Silvensem episcopum, apud sedem apostolicam personaliter constitutum, ... ad Astoricensem ecclesiam tunc vacantem duximus transferendum *etc.*), nos attendentes, quod nullus praeter nos de ipsius ecclesiae Silvensis ordinatione se hac vice intromittere potest, pro eo quod *etc.*, ac de provisione ipsius ecclesiae Silvensis celeri et felici ... cogitantes *etc.*, post deliberationem, quam ad praeficiendum eidem ecclesiae Silvensi personam huiusmodi cum eisdem fratribus habuimus diligentem, demum ad te, tunc Coronensem episcopum, attendentes tuarum grandium virtutum merita, quibus personam tuam Dominus insignivit, convertimus aciem nostrae mentis. Intendentes igitur tam ipsi Silvensi ecclesiae quam gregi Dominico eiusdem salubriter providere ac sperantes, quod tu, qui Coronensi ecclesiae hactenus laudabiliter praefuisti, eandem Silvensem ecclesiam divina tibi propitiante clementia salubriter et utiliter gubernabis, te a vinculo, quo praefatae Coronensi ecclesiae, cui tunc praeeras, tenebaris, de dictorum fratrum consilio et eiusdem potestatis plenitudine absolventes, te ad eandem Silvensem ecclesiam transferimus teque ipsi Silvensi ecclesiae praeficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo liberamque tibi tribuendo licentiam ad praedictam Silvensem ecclesiam te transferendi *etc.* Datum Avinione, V idus iunii, anno decimoseptimo. [6]

1024. Simoni Philippi de Spoleto ord. Min. officium inquisitionis haer. prav. in prov. Romana committit. [7]

1333, iulii 1, Avinione.

Dilecto filio Simoni Philippi de Spoleto ordinis fratrum Minorum, in provincia Romana inquisitori haer. prav.

Excitamur cura sollicita, ut negotium catho-

---

[1] Reg. Vat. n. 104, ep. 1132; cfr. supra n. 371.
[2] Reg. Vat. t. 117, f. 45, ep. 2685.
[3] Qui istam visitationem in se non admisisse videntur.
[4] Reg. Vat. t. 105, ep. 28; cfr. supra n. 985.
[5] *Silves* in illis part. Lusitaniae, quae Algarbia appellantur.
[6] In e. m. capitulo et vassallis ecclesiae Silven., clero et populo civ. ac dioec. Silven., archiepiscopo Hispalen. tamquam metropolitae, Alfonso regi Portugaliae. — Die 13 iunii 1333 summus pontifex hanc translationem confirmat non obstante geniturae macula, quam iste Alvarus patitur, super qua quidem iam prius dispensatum est (cfr. supra n. 962); die autem 18 aug. 1334 Franciscum Petri archidiaconum Silvensem monet, ut desistat ab impedimentis, quae affert Alvaro episcopo Silven. (l. c. t. 117, ep. 1060).
[7] Reg. Vat. t. 105, ep. 1327; apud *Wadd.* l. c. ad a. 1333 n. 8, apud *Denifle-Ehrle* l. c. IV, 16. Cfr. infra n. 1056*a*.

licae fidei ad Dei gloriam et honorem ubique per personas salubriter dirigatur idoneas et nostris temporibus prosperetur. De tua igitur providentia plenam in Domino fiduciam obtinentes ac sperantes, quod divina tibi suffragante gratia negotium huiusmodi velut eiusdem fidei zelator fervidus utiliter exequeris, officium inquisitionis haereticae pravitatis in provincia Romana, prout inquisitor pravitatis ipsius, qui fuerit pro tempore auctoritate apostolica deputatus, illud consuevit hactenus exercere, auctoritate praesentium tibi usque ad apostolicae sedis beneplacitum duximus committendum, faciendi, gerendi et exercendi in dicta provincia omnia, quae ad officium ipsum pertinent, facultatem tibi plenariam concedendo. Quocirca discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus officium huiusmodi sic solerter et fideliter exequaris, quod exinde divinam et ipsius sedis gratiam uberius valeas promereri. Per hoc autem non intendimus ei, cui alias ex indulto sedis praedictae deputare inquisitorem pravitatis eiusdem in dicta provincia competit [1] aut ordini suo super praedictis quomodolibet imposterum derogare. Datum Avinione, kal. iulii, anno decimoseptimo. [2]

1025. Petit salvum conductum pro Henrico de Thalheim ord. Min., mag. theol., olim ministro prov. Alamanniae superioris. [3]

1333, iulii 23, Avinione.

Venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis etc.

Cum dilectus filius Henricus de Thalen [4] ordinis fratrum Minorum, sacrae theologiae professor, pro certis expediendis negotiis ad Romanam curiam sit venturus, universitatem vestram monemus, rogamus et in Domino attentius exhortamur, quatinus eidem Henrico, cum per terras, districtus, portus et loca vestra veniendo ad eandem curiam transiverit, benigne recommendatum habentes nullam eidem inferatis iniuriam vel offensam nec ab aliis, quantum in vobis fuerit, permittatis inferri, sed ei potius de securo conductu, si a vobis illum petierit, pro nostra et apostolicae sedis reverentia sic prompte providere curetis, quod nos devotionem vestram debeamus exinde merito commendare. Praesentibus per tres menses tantummodo valituris. Datum Avinione, X kalendas augusti, anno decimoseptimo. [5]

1026. Ioannem de Prestona ord. Min. praeficit ecclesiae Neocastren. in episcopum. [6]

1333, iulii 30, Avinione.

Dilecto filio Ioanni de Prestona electo Neocastren.

Ad universalis ecclesiae regimen *etc.* Nuper siquidem ecclesiae Neocastren. [7] per obitum b. m. Ambrosii episcopi Neocastren., qui extra Romanam curiam debitum naturae persolvit, pastoris solatio destituta, nos vacatione huiusmodi ipsius ecclesiae fide dignis relatibus intellecta, cupientes eidem ecclesiae per apostolicae sedis providentiam utilem et idoneam praeesse personam, provisionem eiusdem ecclesiae ... duximus reservandam, decernentes ex tunc *etc.* Ac deinde ad provisionem ipsius ecclesiae celerem et felicem, de qua nullus praeter nos se post reservationem et decretum praefata intromittere ... potest, ... paternis et sollicitis studiis intendentes *etc.*, demum ad te ordinis fratrum Minorum professorem, in sacerdotio constitutum, cui de litterarum scientia, honestate morum et vitae, religionis zelo, prudentia spiritualium et temporalium providentia aliisque virtutum meritis laudabilia testimonia perhibentur, convertimus oculos nostrae mentis. Quibus omnibus attente discussis, de persona tua nobis et eisdem fratribus ob huiusmodi tuorum exigentiam meritorum accepta praefatae Neocastren. ecclesiae de eorumdem fratrum consilio auctoritate apostolica providemus teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius Neocastren. ecclesiae tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo *etc.* Datum Avinione, III kalendas augusti, anno decimoseptimo. [8]

1027. Ministro generali ord. Min. concedit facultatem recipiendi ad usum fratrum Min. unum locum in villa dicta Berga Urgellen. dioec. [9]

1333, augusti 1, Avinione.

Dilecto filio Geraldo ministro generali ordinis fratrum Minorum.

Ex zelo tuae devotionis et fidei prodire con-

[1] *Scilicet:* ministro generali ord. Min.

[2] Istum Simonem ineunte a. 1332 Avinione fuisse, liquet ex hac inscriptione in libr. introitus et exitus camerae apost. t. 32, f. 75, facta: « Die XVI m. martii [1332] de mandato domini nostri papae tradidimus fr. Symoni de Spoleto ord. Min. ex dono ipsius domini nostri papae de pecunia camerae XX flor. auri ». Ipsum praesertim ad inquirendum contra Fraticellos institutum esse, apparet e documentis infra n. 1056 et 1058 exhibendis.

[3] Reg. Vat. t. 117, f. 73, ep. 397.

[4] *Vel potius:* Thalheim. Cfr. supra n. 892 et not. ad n. 910.

[5] Iste Henricus, olim provinciae Alamanniae superioris minister provincialis, illo tempore ad sedem apostolicam non se contulisse videtur; scimus enim, cum adhuc ulterius Michaeli de Caesena, quocum Monachii morabatur, adhaesisse.

[6] Reg. Vat. t. 104, ep. 779; apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 163.

[7] *Nicastro* in Calabria.

[8] In e. m. capitulo et vassallis ecclesiae Neocastren., populo et clero civ. ac dioec. Neocastren., archiepiscopo Regin., Roberto regi Siciliae. Die 27 sept. 1333 summus pontifex eidem electo concedit facultatem munus consecrationis extra curiam recipiendi (l. c. t. 106, ep. 1412).

[9] Reg. Vat. t. 104, ep. 1497; apud *Wadd.* l. c. n. 164.

spicimus, quod in ordine tuo per novorum locorum adiectionem cultum divini nominis desideras ampliari et per hoc lucrifieri animas fidelium Iesu Christo. Nos quoque tecum in idipsum desiderabiliter occurrentes, huiusmodi tuum desiderium, utpote Dominico beneplacito consonum, titulo plenae commendationis efferimus illudque brachiis internae caritatis amplectimur et, quantum cum Deo possumus, debito servato moderamine promovemus. Cum itaque nuper per oblatae nobis tuae petitionis seriem tua devota sinceritas nobis duxerit humiliter supplicandum, ut de speciali gratia, quod fratres dicti ordinis possent de novo locum construere cum ecclesia, coemeterio et aliis necessariis officinis in villa vocata Berga [1] Urgellen. dioec. et ibidem Domino serviendo morari, maxime cum carissimus in Christo filius Alphonsus rex Aragonum illustris et venerabilis frater noster [Arnaldus] episcopus Urgellen. ac dilecti filii consules dictae villae nobis super hoc supplicassent per litteras efficaces, concedere dignaremur: nos huiusmodi supplicationibus annuentes, devotioni tuae, quod dicti fratres in eadem villa locum de novo recipere et construere cum ecclesia, coemeterio et aliis necessariis officinis praedictis et inibi Domino serviendo morari valeant, si ad id locus huiusmodi sit competens et in villa praefata conventus alicuius ordinum Mendicantium non existat dictaque villa ad sustentationem duodecim fratrum dicti ordinis in loco praefato fore sufficiens dignoscatur idque dicto episcopo visum fuerit expedire, constitutione fel. rec. Bonifatii papae VIII ... non obstante, licentiam elargimur. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, kal. augusti, anno decimoseptimo.

1028. Visitantibus ecclesiam mon. Tricaricen. ord. s. Clarae concedit indulgentias. [2]

1333, augusti 25, Avinione.

Universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis.

Splendor paternae gloriae *etc.* Cupientes igitur, ut ecclesia monasterii ordinis sanctae Clarae, quam una cum eodem monasterio dilecta in Christo filia Sueva comitissa Tricarici in civitate Tricaricensi [3] in honore ac sub vocabulo sanctorum apostolorum Petri et Pauli construi et dotari fecisse dicitur, congruis honoribus frequentetur, et ut Christi fideles eo libentius causa devotionis confluant ad eamdem, quo uberius ibidem dono coelestis gratiae senserint se refectos: de omnipotentis Dei misericordia et dictorum apostolorum auctoritate confisi, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui in festo eorundem apostolorum: centum, illis vero, qui per octabas eiusdem festi praefatam ecclesiam devote visitaverint annuatim, quadraginta dies de iniunctis eis poenitentiis, singulis videlicet festi et octabarum praedictorum diebus, quibus ecclesiam ipsam visitaverint, ut praefertur, misericorditer relaxamus. Datum Avinione, VIII kalendas septembris, anno decimoseptimo.

1029. Blasium Argentellum de Interamna ord. Min. apostatam ab excommunicationis sententia, quam propter apostasiam incurrit, absolvi iubet eique licentiam ad alium ordinem religiosum se transferendi concedit. [4]

1333, augusti 27, Avinione.

Venerabili fratri Gaucelino episcopo Albanensi.

Exhibita nobis pro parte Blasii dicti Argentelli de Interamna ordinis fratrum Minorum petitio continebat, quod ipse, iam est diu, eumdem ordinem, quem professus extiterat, exivit animi levitate ipsius habitum penitus dimittendo et quod ad ipsum ordinem redire aliqualiter non intendit nec desiderat seu proponit, sed propriam salutem cupit in alio ordine impetrare. Quare pro parte sua fuit nobis humiliter supplicatum, ut secum dispensare super apostasia et ab excommunicationis sententia, quam propterea ipse incurrit, misericorditer eum absolvere sibique ad alium ordinem transeundi licentiam concedere auctoritate apostolica misericorditer dignaremur. Nos itaque volentes secum misericorditer agere in hac parte, carissimi in Christo filii nostri Iohannis regis Boemiae illustris pro eodem Blasio super hoc nobis humiliter supplicantis ac ipsius Blasii supplicationibus inclinati, fraternitati tuae, de qua plenam in Domino fiduciam gerimus, absolvendi eundem Blasium ab excommunicationis sententia secumque dispensandi super apostasia praedictis, dummodo ipse infra certi temporis spatium per te sibi super hoc assignandum aliquem iniret de religionibus Mendicantium approbatis vel Cysterciensem ordinem, plenam et liberam tibi auctoritate apostolica concedimus facultatem. Datum Avinione, VI kalendas septembris, anno decimoseptimo.

1030. Inquiri iterum iubet de processibus contra nonnullos fratres Erem. s. Aug. super distantia locorum in castro Murovallium habitis. [5]

1333, septembris 5, Avinione.

Venerabili fratri Bertrando episcopo Ostiensi apostolicae sedis legato.

Si susceptum apostolicae servitutis officium nos

[1] *Berga* in Catalonia, qui locus in « provinciali » fratrum Min. non invenitur.
[2] Reg. Vat. t. 104, ep. 836; cfr. supra not. ad n. 223.
[3] *Tricarico* in custodia Materana prov. Apuliae.
[4] Reg. Vat. t. 105, ep. 1231.
[5] Reg. Vat. t. 107, ep. 947; cfr. supra n. 1011.

omnibus constituit in ministranda iustitia debitores, eam tamen inter viros religiosos, quos agitari dissentionibus audimus invicem, ad eorum removenda scandala eo promtius et libentius ministramus, quo magis scandala huiusmodi velut puritati eorum obvia detestamur. Nuper siquidem pro parte dilectorum filiorum fratrum ordinis Heremitarum s. Augustini dudum congregatorum in provinciali eiusdem ordinis capitulo in marchia nostra Anconitana celebrato ipsiusque difinitorum capituli propositum extitit coram nobis, quod inter priorem provincialem dictae marchiae, quae iuxta consuetudinem dicti ordinis Heremitarum provincia nominatur, qui tunc erat, dictosque fratres Heremitarum ex parte una et dilectos filios fratres ordinis Minorum ex altera super distantia locorum eorundem ordinum in castro Murovallium nuncupato Firmanae diocesis sitorum quaestione pendente Guilelmus de Massa ordinis Minorum, haereticae pravitatis in illis partibus inquisitor auctoritate apostolica deputatus, nonnullos earum partium clericos et laicos, quosdam ex eis videlicet minis et terroribus, alios vero blanditiis et promissionibus, per sui potentiam officii monuit et induxit, ut memoratos fratres Heremitarum excommunicatos publice nunciarent et arctius evitarent de facto; et quia bo. me. Albericus episcopus [1] et nonnulli canonici Firmani non vitabant tanquam excommunicatos fratres eosdem, sed simul processionaliter cum clero et populo cantando per castrum illud ivissent, Nicholaus de Offida eiusdem ordinis, inquisitor pravitatis praedictae (non obstante, quod super quaestione praedicta, quae per tempus non modicum duraverat, esset inter dictos fratres Heremitarum et Minorum ordinum mutua concordia reformata, sicut in instrumento publico inde confecto dicitur contineri) ad ipsum castrum accedens personaliter, eiusdem castri clero et populo congregatis ibidem, per excommunicationis sententiam generaliter omnibus de facto mandavit *etc. ut supra n. 1011 usque* induerunt. Quo facto Laurentius de Ancona [2] ordinis praedicti Minorum, inquisitor pravitatis praedictae, vocatis potestate, prioribus aliisque officialibus dicti loci de Racaneto, eis sub certa poena et bannis mandavit districtius et iniunxit, ut dictum fratrem, ne per fratres dicti Heremitarum ordinis vel quosvis alios eiusdem fratribus Minoribus posset auferri, taliter custodirent et facerent custodiri, quod exinde nequiret per quemcunque transferri. Et cum per fratres Heremitarum praedictos ad conservatorem privilegiorum suorum eis auctoritate apostolica deputatum recursu habito ab ipso citatorias obtinuissent litteras contra iniuriatores praedictos easdemque litteras tribus adhibitis publicis notariis memoratis iniuriatoribus praesentarent, Raynaldus de Fallerone dicti ordinis Minorum, vicarius inquisitoris dictae pravitatis deputati in illis partibus auctoritate praedicta, citari mandavit dictos notarios, ut super quadam inquisitione, quam contra eos facere proponebat, se excusaturos coram eo, certo eis super hoc praefixo termino, comparerent. Ex qua quidem citatione tam ipsi quam alii partium illarum notarii et advocati territi non fuerunt ausi ex tunc dictis fratribus Heremitarum instrumenta publica conficere vel procuratorium impertiri. Praeterea supradictus Laurentius intellecto, quod dilectus filius Mathiolus Hominis sancti Angeli de Pensauro pro dictis fratribus Heremitarum et ordine suo praedicto in curia venerabilis fratris nostri episcopi Forosimfroniensis, conservatoris privilegiorum eiusdem ordinis, syndicatus officium exercebat, ipsum taliter terruit, quod ex tunc ausus non extitit pro eodem ordine dictum officium exercere, destinando etiam litteras comminatorias conservatori praedicto, si ulterius in negotio conservationis huiusmodi procedere attemptaret. — Rursus cum praefatus episcopus, eorum ut praemittitur conservator, contra supradictos iniuriatores, iuris ordine servato, procedens in eos excommunicationis sententiam canonice pertulisset eosque mandasset arctius evitari, Iacobus de Auximo alias dictus de Montefano supradicti Minorum ordinis, pravitatis inquisitor praedictae, ad locum eorundem fratrum Minorum loci praedicti de Racaneto [se conferens], convocatis ipsius loci clero et populo, ipsos ab eadem sententia excommunicationis absolvit de facto.

Cum autem tot et tanti excessus horribiles non sint sub silentio, si veritas suffragetur relatibus, absque correctione debita relinquenda, fraternitati tuae, de qua in hiis et aliis fiduciam in Domino gerimus pleniorem, per apostolica scripta committimus *etc. ut supra n. 1011.* Datum Avinione, nonis septembris, anno decimoctavo.

1031. Geraldum Othonis ministrum generalem ord. Min. et Arnaldum de s. Michaele ord. Praed. instituit nuntios suos ad tractandam pacem inter reges Angliae et Scotiae. [3]

1333, septembris 5, Avinione.

Geraldo Othonis, generali ministro Minorum, et Arnaldo de s. Michaele Praedicatorum ordinum fratrum, poenitentiario nostro, sacrae theologiae professoribus.

Cum, sicut nimis displicenter percepimus, his

---

[1] Promotus 1301 febr. 28, obiit 1314 iul. 13.
[2] Cfr. supra n. 1011 et infra n. 1062.
[3] Reg. Vat. t. 117, f. 209, ep. 1059 (cfr. 1060-1066); apud *Wadd.* l. c. ad a. 1332, n. 1-4, et ad a. 1333, n. 11 et 12.

diebus pacis aemulus et humani generis inimicus inter carissimos in Christo filios nostros Eduardum Angliae ex parte una et David Scotiae reges illustres ex altera gravis dissensionis materiam suscitarit, adeo reges ipsos commovens dissidentes, quod non iuribus sed congressibus bellicis decrevisse videntur et velle exortam dirimere quaestionem (qui tamen affinitatis attento vinculo, quo iunguntur invicem, praeter cognationem naturalem, quam natura constituit inter homines, se deberent potius mutuis fulcire praesidiis et favoribus confovere ac illa, quae pro temporum diversitate contingit emergere, quantumcumque gravia, quantumcumque difficilia, tractatibus ordinare domesticis et familiaribus collationibus expedire): nos animarum pericula, strages corporum, damna rerum, quae dicta dissensio, proh dolor, intulisse dicitur, ante mentis nostrae oculos expendentes nec non et considerantes attente, quantis sit onusta periculis quantisque plena dispendiis. quantaque multorum discrimina secum trahat dicta dissensio quantaque impedimenta comminetur Terrae sanctae negotio, nisi ocius occurratur ad huiusmodi sedandam discordiam et turbatae pacis foedera reformanda, vigilantibus studiis intendentes, ac de circumspectione vestra gerentes fiduciam pleniorem, vobis districte praecipimus et mandamus, quatenus ad partes illas vos personaliter conferentes reges ipsos ad pacem et concordiam iuxta datam vobis ex alto prudentiam sollicitis monitis et efficacibus suasionibus inducatis, ut auxiliante Domino, qui pacis est auctor et humanae salutis amator, vestraque cooperante vigilantia tam utilis et necessaria fidei orthodoxae concordia possit utiliter provenire *etc.* Datum Avinione, nonis septembris, anno decimoctavo. [1]

1032. Matthaeum episcopum Beryten. (ex ord. Min.) transfert ad ecclesiam Mothonen. (*Modon* in Graecia). [2]

1333, septembris 10, Avinione.

Venerabili fratri Mathaeo episcopo Mothonensi.

Creditae nobis dispensationis urgemur officio *etc.* Olim siquidem bo. me. Iacobo episcopo Mothonensi ecclesiae Mothonensis regimini praesidente nos ... provisionem eiusdem ecclesiae, cum vacaret, dispositioni nostrae ac dictae sedis ea vice duximus specialiter reservandam, decernentes extunc *etc.* Postmodum vero dicta ecclesia per obitum ipsius Iacobi, qui nuper extra Romanam curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta ..., post deliberationem, quam de praeficiendo ecclesiae praefatae virum talem, per quem possit circumspecte regi ac dirigi *etc.*, cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum in te tunc Berithensem episcopum, consideratis grandium virtutum meritis, quibus personam tuam Altissimus insignivit, et quod Berithensi ecclesiae ut fertur laudabiliter praefuisti, convertimus oculos nostrae mentis. Intendentes itaque tam dictae Mothonensi ecclesiae quam gregi Dominico eiusdem salubriter et utiliter providere, te a vinculo, quo tenebaris eidem Berithensi ecclesiae, cui tunc praeeras, de fratrum praedictorum consilio et apostolicae potestatis plenitudine absolventes, ad dictam Mothonensem ecclesiam te duximus transferendum teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesiae Mothonensis tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo liberamque tibi tribuendo licentiam ad dictam Mothonensem ecclesiam transeundi *etc.* Datum Avinione, IV idus septembris, anno decimoctavo. [3]

---

[1] Die 16 sept. 1333 summus pont. Itherio de Concoreto apost. sedis nuntio in Anglia mandat, ut supradictis nuntiis, quamdiu isto officio Anglia funguntur, quotidie 7 flor. auri solvat (l. c. f. 208, ep. 1057). Cfr. infra n. 1044. In Arch. Vat. libro introitus et exitus n. 136, f. 72, legimus haec: « Die 16 septembris 1333. Cum fratres Gerardus Oth[onis] generalis minister ord. Min. ac Arnaldus de s. Michaele domini papae poenitentiarius, magistri in theologia, pro negotiis pacis regum Angliae et Scotiae ... mitterentur, cum essent eisdem magistris pro expensis eorum et familiae cum decem equitaturis deputata stipendia septem florenorum auri pro singulis diebus, quibus tam eundo quam morando in partibus supradictis et redeundo ad Romanam curiam soluti sunt eidem fr. Arnaldo poenitentiario pro expensis suis et collegae sui cum familia pro duobus mensibus CCCCXX flor. auri in CCX paris. auri ». De Geraldo Othonis ibidem f. 74 notatur: « qui ad partes Franciae accesserat ». Geraldus igitur ante Arnaldum iter versus Parisios arripuit ibique se postea Arnaldo coniunxit. Parisiis autem dicebatur, eos minime, ut reformarent pacem inter reges Angliae Scotiaeque, missos esse, sed ut magistros Parisienses subverterent et ad opinionem papae circa visionem beatificam (cfr. supra not. ad n. 1020) adducerent; Geraldum insuper quaestionem et opinionem summi pontificis « in praesentia scholarium quasi infinitorum » determinasse, ex quo « magnum murmur inter scholares auditum est »; ab Arnaldo autem, qui summum pontificem in quodam sermone super errore praedicto excusavit, negatum esse, ipsum hanc opinionem docuisse. Die denique 18 dec. 1333 Philippus rex Franciae decem magistros in theologia, quorum quatuor de ordine Min. erant, convocasse eosque interrogasse dicitur, quid eis de doctrina ab ipso Geraldo praesente nuper Parisius seminata videretur: qui omnes eam falsam et haereticam pronuntiarunt. Haec narrat continuator chron. Guil. de Nang. (ed. Géraud, II, 136). Qui quidem certe non ad veritatem loquitur, Geraldum et Arnaldum praedictos finxisse tantum se in Angliam missos esse; quae vero de sermone Geraldi Parisiis habito eiusdemque reprobatione per Philippum regem enarrat, universe a Ioanne Villani, *Istorie Fiorentine* (l. X, c. 228), confirmantur. Cfr. *Chart. Univ. Paris.* t. II, p. 425, n. 977 et 984.

[2] Reg. Vat. t. 106, ep. 25; cfr. supra n. 488.

[3] In e. m. capitulo et vassallis ecclesiae Mothonen., clero et populo civ. et dioec. Mothonen., archiepiscopo Patracen. tamquam metropolitae, Francisco Dandulo duci Venetiarum. — Die 30 sept. 1333 summus pontifex isti episcopo concedit facultatem contrahendi mutuum usque ad summam 300 flor. auri (l. c. ep. 14).

1033. Arnaldum de Claromonte ord. Min. praeficit ecclesiae Tutellen. in episcopum. [1]

1333, septembris 10, Avinione.

Arnaldo de Claromonte electo Tutellen.

Pastoralis officii debitum *etc.* Dudum siquidem bo. me. Arnaldo episcopo Tutellen. regimini Tutellen. [2] ecclesiae praesidente nos ... provisionem eiusdem ecclesiae ... ordinationi et dispositioni nostrae et sedis apostolicae ea vice duximus specialiter reservandam *etc.* Postmodum vero praefata ecclesia per obitum eiusdem Arnaldi episcopi, qui in partibus illis diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, nos ... post deliberationem, quam ad praeficiendum eidem ecclesiae personam huiusmodi [idoneam] cum nostris fratribus habuimus diligentem, demum ad te, ordinis fratrum Minorum professorem et in sacerdotio constitutum, cui religionis zelus, litterarum scientia, vitae munditia et alia multiplicia dona virtutum suffragari dicuntur, direximus aciem nostrae mentis. Quibus omnibus debita meditatione pensatis de persona tua eidem Tutellen. ecclesiae de ipsorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo *etc.* Datum Avinione, IV idus septembris, anno decimoctavo. [3]

1034. Mandat archiepiscopo Ianuen., ut iuvet Iacobum de Portuli in capiendis nonnullis fratribus Minoribus haereticis seu de haeresi suspectis. [4]

1333, septembris 10, Avinione.

Bartholomaeo archiepiscopo Ianuensi.

Assertione fide digna percepto, nonnullos fratres ordinis Minorum haereticos seu de haeretica [5] pravitate vehementer suspectos, quorum nótitiam dilectus filius Iacobus de Portuli familiaris noster se habere asserit, in illis partibus existere, errores ac haereses in eisdem dogmatizantes partibus, ut alios in praecipitium secum trahant, nos super hoc providere volentes, fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatinus circa eorundem fratrum captionem, quos tamen per informationem summariam vel alias tibi constiterit praefata labe notatos vel de ipsa ut praefertur suspectos, dicto Iacobo assistas viriliter et solerter ac fratres ipsos, quos capi continget, fideliter custodire studeas, donec a nobis aliud receperis in mandatis: rescripturus eorum, qui capti fuerint, nomina et captionis causam ac alia, quae circa hoc opportuna cognoveris, ut possimus super hiis procedere, prout fuerit rationis. Datum [Avinione], IV idus septembris, anno decimoctavo.

1035. Aycardo archiepiscopo Mediolan. (ex ord. Min.) concedit facultatem testandi. [6]

1333, septembris 13, Avinione.

Venerabili fratri Aycardo archiepiscopo Mediolanensi.

Quia praesentis vitae conditio statum instabilem, et quae visibilem habent essentiam, tendunt visibiliter ad non esse, tu hoc salubri meditatione praemeditans diem tuae peregrinationis extremum dispositione suprema desideras praevenire. Nos itaque tuis in hac parte supplicationibus inclinati, ut de bonis mobilibus a te per ecclesiam Mediolanensem, cui praeesse dignosceris, licite acquisitis, quae non fuerint altaris seu altarium ipsius ecclesiae ministerio seu speciali eorumdem divino cultui vel usui deputata, pro decentibus et honestis expensis tui funeris et pro remuneratione illorum, qui tibi viventi servierint, sive sint consanguinei sive alii, iuxta servitii meritum, moderate tamen, disponere et erogare possis et alias (prius de ipsis aere alieno deducto, ut ipsa ecclesia non remaneat debitis obligata) in pios usus ac licitos convertere valeas, non obstante, quod ordinis fratrum Minorum professor existis, fraternitati tuae plenam et liberam concedimus tenore praesentium facultatem. Volumus autem, quod in eorumdem dispositione bonorum iuxta quantitatem residui erga dictam ecclesiam te liberalem exhibeas, prout conscientia tibi dictaverit et saluti animae tuae videris expedire. Datum Avinione, idibus septembris, anno decimoctavo. [7]

---

[1] Reg. Vat. t. 106, ep. 45; apud *Wadd.* l. c. (reg. Io. XXII) n. 166.

[2] *Tulle* in Gallia meridionali.

[3] In e. m. capitulo et vassallis ecclesiae Tutellen., clero et populo civ. et dioec. Tutellen., archiepiscopo Bituricen. tamquam metropolitae, Philippo regi Franciae. — Die 11 sept. 1333 summus pontifex cancellario Parisien. mandat, ut eidem Arnaldo honorem magisterii in theol. facultate conferat (l. c. t. 117, f. 164, ep. 835, cfr. *Chart. Univ. Paris.* II, p. 409, n. 959, et supra n. 998); die 5 dec. 1333 ipsi electo prorogat tempus recipiendi munus consecrationis (l. c. t. 106, ep. 1410), die autem 15 mart. 1334 ei concedit, ut ecclesias et coemeteria per aliam personam idoneam reconciliare possit (l. c. t. 107, ep. 820).

[4] Reg. Vat. t. 117, f. 271, ep. 1400; cfr. *Denifle-Ehrle*, l. c. IV, 69.

[5] *In registro:* haeresi.

[6] Reg. Vat. t. 117, f. 262, ep. 1363, et t. 107, ep. 760; cfr. supra n. 285 et 718.

[7] Die 8 febr. 1334 summus pontifex eidem archiepiscopo concedit facultatem a censuris ecclesiasticis absolvendi Cumanos, olim sequaces Ludovici Bavari, ad devotionem ecclesiae redire desiderantes (l. c. t. 117, f. 267, ep. 1380).

1036. Elisabethae abbatissae mon. Clariss. de Barletta concedit indulgentiam plenariam in articulo mortis sibi impertiendam. [1]

1333, septembris 16, Avinione.

Dilectae in Christo filiae Helisabeth abbatissae monasterii s. Clarae de Barletta [2] *Tranensis diocesis.*

Provenit ex tuae devotionis affectu, quo nos et Romanam ecclesiam revereris, ut petitiones illas, praesertim quae animae tuae salutem respiciunt, ad exauditionis gratiam admittamus. Hinc est, quod nos tuis supplicationibus inclinati, ut confessor tuus, quem duxeris eligendum, omnium peccatorum tuorum, de quibus corde contrita et ore confessa fueris, eam plenam remissionem, quam Romani pontifices consueverunt interdum per speciale privilegium personis aliquibus impertiri, quatenus claves ecclesiae se extendunt et gratum in oculis divinae maiestatis extiterit, semel tantum in mortis articulo, tibi in sinceritate fidei et devotionis sanctae matris ecclesiae persistenti auctoritate apostolica concedere valeat, devotioni tuae tenore praesentium indulgemus: sic tamen, quod idem confessor de hiis, de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda, eam tibi per te, si supervixeris, aut per alios, si tunc forte transieris, faciendam iniungat, quam tu vel illi facere teneamini, ut praefertur; et ne, quod absit, propter huiusmodi gratiam reddaris proclivior ad illicita imposterum committenda, volumus, quod, si ex confidentia remissionis huiusmodi aliqua forte committeres, quoad illa praedicta remissio tibi nullatenus suffragetur. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, XVI kal. octobris, anno decimo octavo.

1037. Nicolaum Minoritam ecclesiae Cambalien. praeficit in archiepiscopum. [3]

1333, septembris 18, Avinione.

Venerabili fratri Nicolao archiepiscopo Cambalien.

Militanti ecclesiae *etc.* Dudum siquidem ecclesia Cambalien. [4] per obitum bon. mem. Ioannis [5] archiepiscopi Cambalien., qui in partibus illis diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta, cupientes, prout tenemur, dictam ecclesiam a damnis et incommodis, quae ex longiori vacatione possent incurrere, praeservare ac talem illi praeesse pastorem, per quem eadem ecclesia salubriter dirigi valeat ac etiam conservari *etc.*, demum ad te ordinis fratrum Minorum professorem, in sacerdotio constitutum, cui religionis zelus, litterarum scientia, vitae munditia et alia multiplicia dona virtutum, prout ex testimoniis fidedignis accepimus, suffragantur, dereximus oculos mentis nostrae. Quibus omnibus debita meditatione pensatis *etc.* de persona tua eidem Cambalien. ecclesiae de ipsorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus teque illi praeficimus in archiepiscopum et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo; ac deinde per venerabilem fratrem nostrum Anibaldum episcopum Tusculanum munus tibi consecrationis impendi, et subsequenter per dilectos filios nostros Neapoleonem s. Adriani ac Iacobum s. Georgii ad vellum aureum diaconos cardinales pallium de corpore beati Petri sumptum, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii, a te cum ea qua decuit reverentia et instantia postulatum, tibi fecimus assignari *etc.* Datum Avinione, XIV kal. octobris, anno decimo octavo. [6]

1038. Ministro generali ord. Min. concedit facultatem a censuris eccl. absolvendi illos fratres Min. in Sardinia, qui fratres a Michaele de Caesena illuc missos receperunt. [7]

1333, septembris 19, Avinione.

Dilecto filio Geraldo ministro generali ordinis fratrum Minorum.

Romanus pontifex ad instar misericordiarum Patris et Domini, cuius vices in orbe terrarum exercet, rigoris asperitate cum lenitatis mansuetudine temperata, se ad aequae ac piae miserationis gratiam pronum exhibet et benignum, cum ex paternae caritatis affectu salutem appetat singulorum. Sic ergo dignum et debitum fore noscitur, ut filii, qui a recto declinarunt iustitiae, reperta et obtenta liberali reconciliationis gratia, gratis data provide, nexu devotionis et fidei fortius astringantur. Ex tenore siquidem petitionis dilectorum filiorum fratrum tui ordinis Minorum de Sardinia nobis porrectae collegimus, quod occasione duorum fratrum ipsius ordinis rebellium, quos Michael de Caesena, olim eiusdem ordinis generalis minister, praedecessor tuus, scismatis crimine labefactus et a nobis ex causa rationabili excommunicationis vinculo innodatus, tempore, quo ipse de Romana curia, in qua de mandato nostro manebat, se per fugae subsidium velut male sui conscius absentavit, ad eosdem fratres dictae Sardiniae seducendos miserat et ad suorum errorum devium reducendos,

---

[1] Reg. Vat. t. 106, ep. 1270.

[2] In custodia Barolitana *(Barletta)* prov. Apuliae.

[3] Reg. Vat. t. 106, ep. 164; apud *Wadd.* l. c. n. 167. Cfr. infra n. 1039, 1043, 1057.

[4] *Cambalu* sive *Pecking* in Sinarum partibus.

[5] Ex ord. Min., primi archiepiscopi Cambalien.; cfr. supra n. 85-88, 112.

[6] In e. m. clero ac populo civ. et dioec. Cambalien. necnon suffraganeis et vassallis (!) eccl. Cambalien.

[7] Reg. Vat. t. 106, ep. 129.

qui siquidem duo fratres ex ignorantia per eosdem fratres ipsius Sardiniae recepti fuerant in locis aliquibus ordinis praelibati, venerabilis frater noster Guido archiepiscopus Arborensis, inquisitor haereticae pravitatis in regno praefatae Sardiniae per sedem apostolicam deputatus, auctoritate inquisitionis officii eidem in ipso regno commissi dictos fratres praefatae Sardiniae diversimode impetit et molestat. Quare nobis iidem fratres dictae Sardiniae humiliter supplicarunt, ut, cum non per excogitatam malitiam sed per ignorantiam excesserunt in praemissis nullusque ipsorum unquam eidem Michaeli post suam rebellionem contra nos et sanctam Romanam ecclesiam ab ipso perpetratam adhaesisset eidem neque in nos et eandem ecclesiam rebellionis calcaneum aliquatenus erexisset, hanc cum eis misericordiam faceremus, ut illa, quae tunc per eos ex ignorantia facta, dicta vel quomodolibet acta erant, usque ad tempus supplicationum huiusmodi dignaremur ipsis misericorditer indulgere. Nos igitur, qui humiles et devotos filios, licet non ex propositi malignitate deliros ac devios, ad gremium sanctae matris ecclesiae fiducialiter ac suppliciter revertentes benigne suscipimus ad ianuam pietatis ipsisque libenter ex paternae suavitate dulcedinis sinum misericordiae aperimus, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuae iuxta formam ecclesiae auctoritate nostra iam dictos fratres ipsius Sardiniae absolvendi quo ad praemissa a sententiis et poenis, quas propterea incurrissent, iniunctis eis poenitentia salutari et aliis, quae fuerint iniungenda, plenam et liberam tenore praesentium concedimus facultatem. Datum Avinione, XIII kal. octobris, anno decimo octavo. [1]

1039. Imperatori regibusque ac populo Tartarorum commendat Nicolaum archiepiscopum Cambalien. aliosque fratres Min. verbum Dei in istis partibus praedicantes. [2]

1333, octobris 1, Avinione.

a) *Magnifico viro Magno Cani, regi Tartarorum, Deum diligere ac timere.*

Accedit ad tuae magnitudinis laudem, gloriam et honorem, quod, sicut famae praeconium et fidedignorum relationis effectus ad apostolatus nostri audientiam perduxerunt, tu, iactans tuum in Domino cogitatum et promereri cupiens apud eum, Christianis in regno et terra tui dominii commorantibus et aliis indigenis ad fidem orthodoxam conversis et in ea neophytis mansuetudinem favoris impendis et benignitate favorabili tractas illos; ad nos quoque, qui licet immeriti domini nostri Iesu Christi vicariatus officium in orbe terrarum gerimus, habes et ostendis admodum affectum reverentiae filialis, ex quibus nomini et statui tuis titulus amplae et dignae commendationis attribuitur, tuque tibi proinde creatoris coeli et terrae gratiam vindicabis, per quam in praesentis vitae cursu dominii altitudo suscipiet firmitatem, et, postquam carne solutus fueris, sicut naturaliter solvitur omnis caro, apud maiestatem regis regum aeternam, qui potens est salvare rationalium et mortalium animas universas, si credideris in eum et baptizatus fueris legemque susceperis christianam, requiem impetrabis sempiternam. Ecce igitur nos, qui tuam et totius regni tui salutem perpetuam sincera in Domino dilectione zelamus eiusque fructum salutiferum et perennem tibi et ipsi regno cupimus provenire, ut haec feliciter et efficaciter valeant per misericordiam summi Patris succedere, venerabilem fratrem nostrum Nicolaum archiepiscopum Cambalien., ordinis fratrum Minorum professorem, virum quidem in devotione ac fide catholica fervidum, eminenter in sacra scriptura peritum et expertum in opere ac sermone, virtutum comitiva stipatum, fama praeclarum, a nobis ex multis bonis et idoneis religiosis electum et ad Cambalien. archiepiscopatum de fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium consilio promotum, praesentium exhibitorem, cum decenti et sufficienti, honesta et virtuosa comitiva fratrum dicti ordinis ad ecclesiam suam Cambalien. tuamque praesentiam ac partes et loca et terras tui dominii providimus salubriter destinandum, ut ipse ac dicti fratres, collaterales eidem, more sanctorum apostolorum, qui dispartiti ore Dominico et Spiritus sancti gratia illustrati serendo verbum Dominicum cuncta mundi climata, prout eis adscripta fuerant, peragrarunt, coniunctim et separatim, prout eisdem archiepiscopo et fratribus visum fuerit salubrius expedire, regnum et terram praedicta aliasque regiones adiacentes circumeant et frequentent ac iuxta datam eis a Domino prudentiam verbum Dei evangelizare studeant cum diligentia operosa, medela praedicationis salutiferae linientes illorum oculos, qui adhuc gloriam Domini non viderunt, eosque ad dictam fidem perfectam ac lucidam Christi, sanctorum et sanctarum miraculis certissimis comprobatam, dulciter convertentes et tam ipsos quam alios ad fidem ipsam iam feliciter conversos et neophytos in eadem pascentes eruditionis salutiferae nutrimento, etiam in fide praedicta cum infusione coelestis miserationis et gratiae roborando. Haec est enim fides recta, meritoria et salubris,

[1] Die 19 sept. 1332 summus pontifex ipsum archiepiscopum Arboren. de his certiorem reddit eique mandat, ut ab eorundem fratrum impetitione ac molestia desistat et cesset (l. c. ep. 130).

[2] Reg. Vat. t. 106, epp. 4-8 de curia; apud *Wadd.* l. c. ad a. 1333, n. 1-4. Cfr. supra n. 1037 et infra n. 1043 ac 1057.

quam caelestis agricola seminavit et irrigavit, ad fructus copiosos perduxit, diffudit et divulgavit usque ad terminos orbis terrae mundialis, et quam dicta Romana ecclesia mater cunctorum Christi fidelium et magistra docet, praedicat atque credit, extra quam non est penitus ulla salus. Per istam innocens anima christiana, quam fore pretiosorem corruptibili corpore utpote perpetuam ambiguum non existit, inter agmina collocatur civium coelicorum. Cum ergo sit thesaurus incomparabilis praemium beatorum: felix, qui per temporalia sic pertransit, quod aeternae felicitatis bravium assequatur. Hoc siquidem bravium per susceptionem et observationem dictae fidei bonorumque operum executionem acquiritur, et quamvis per ipsius fidei callem recte incedere difficile videatur, mentalis tamen oculus, fide ipsa catholica media, dum eam credit, intellectualiter intuetur divinam omnipotentiam et gloriam supernorum, sicut luce videt materialiter cernens oculus mediante. Magnitudinem tuam itaque attente rogamus et hortamur in domino Iesu Christo, quatenus pro eius reverentia et honore, qui te produxit ad esse, conservat in esse tibique imperanti super tam gloriosum quamquam transitorium et pompale fastigium subiecit tantam et tam diffusam multitudinem populorum, praelibatos archiepiscopum et fratres, cum ad regnum et terram tua iam dicta tuumque conspectum pervenerint, vultu sereno recipias et a tuis subditis recipi iubeas, sincero et mansueto affectu pertractes et facias pertractari, habeasque tam illos quam eandem ecclesiam Cambaliensem cunctosque Christianos in regno et terra praedictis manentes nec non conversos et Deo propitio convertendos ad fidem eandem, infra tuum dominium constitutos, cum piae humilitatis dulcedine affluente favorabiliter commendatos, eis in iis, quae circa suscipiendam per te, Deo vivo et vero inspirante, sacri baptismatis gratiam legemque Christi et alia tuae salutis commoda duxerint exprimenda, praedicanda et consulenda, benignum auditum aperiens et attentum exhibens intellectum, illaque recipiens tamquam donum divinitus missum tenaciter in tabulis memoriae tuae scribas, credas firmiter, operose, fideliter et perpetuo exequaris, sisque aliis tuis subditis salutis exemplar, ut una tecum tuique ad instar ad Dominum convertantur dictamque legem Christi suscipiant et observent tecumque glorientur nomine Christiano et salvi fiant nec pereant in aeternum. Itaque misericordiarum dominus atque pater tui abundanter misereri dignetur conferatque tibi iugiter in huius vitae studio plenitudinem pacis et gaudii et post tui dissolutionem carneam ad aeternae iucunditatis ferias te perducat et glorianter collocet in excelsis. Nos nempe ac eadem Romana ecclesia tibi copiam benedictionis uberrimae pollicemur omni tempore proventuram et devotis affectibus exorabimus miserantem clementiam summi patris, ut nunquam in te deficiat fides sua, quam in tuis praecordiis duxerit inserendum, sed pro bonis, quae feceris, centuplum de polorum altitudine in terris percipias et supernis. Datum Avinione, kalendis octobris, anno decimo octavo.

b) *Magnifico viro Soco de Chigista, regi Corum, Deum diligere et timere.*

Deo vivo et vero, regi regum et dominantium domino gratum praestas obsequium, cum christianos sive antiquos sive novellos in fide Christi, commorantes in regno tuo, benigna humanitate prosequeris et favoris mansuetudine tractas illos: quod quidem laetanter audivimus te fecisse. Unde, cum hoc nomini tuo bonam famam adiiciat et honorem, tu levans mentis tuae oculos ad divinae omnipotentiam maiestatis circa id benigne continues in posterum, quod hucusque laudabiliter effecisti; nam ad hoc in gloria firmabitur tuum solium dicti regni, et si credideris in dominum Iesum Christum et fueris baptizatus legemque christianam, sine qua nullus salvatur, susceperis et impleveris, salvus eris. Quare nos, qui licet immeriti beato Petro principi sanctorum apostolorum succedimus et vicariatus officium pro eodem domino nostro Iesu Christo, eo disponente, gerimus super terram, tuam et ipsius regni salutem zelantes in Domino, qui te omnesque alios extra catholicam et apostolicam ecclesiam existentes et in tenebris ambulantes ad conversionem suamque veram lucem expectat, ad te dictumque regnum aliasque circumpositas regiones et partes, ad praedicandum tibi et gentibus earum verbum Dominicum teque et gentes ipsas ad Deum suamque fidem orthodoxam salubriter per ipsius infusionem gratiae convertendum, venerabilem fratrem nostrum Nicolaum archiepiscopum Cambalien., ordinis fratrum Minorum professorem, virum quidem in dicta fide fervidum, devotione sincerum, plene in sacra pagina eruditum, in praedicatione ipsius verbi Dominici expertum et alias potentem in opere et sermone famaque praeclarum, cum sufficienti et honesta comitiva dicti ordinis Deum diligentium et timentium, sufficienter in sacra pagina litteratorum et in divinis laudibus expertorum, quem quidem Nicolaum ob suorum exigentiam laudabilium meritorum ad archiepiscopatum Cambalien. de fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium consilio promovimus quique ad ecclesiam etiam suam Cambaliensem accedit, salubriter providimus destinandum, ut tibi et eisdem gentibus archiepiscopus et fratres praedicti evangelizare satagant legem Christi. Eapropter magnitudinem tuam attente rogamus et hortamur in domino Deo nostro, per quem vivis et regnas, quatenus pro eius reverentia et honore,

qui te ad imaginem suam creavit et permittit multitudini gentium imperare et ad cuius imperium solvitur omnis caro, praefatos archiepiscopum et fratres, cum ad te idemque regnum pervenerint, vultu sereno recipias et a subditis tuis recipi facias et iubeas, benigno affectu pertractes et ab illis facias pertractari, et tam eos quam alios christianos indigenas, in praedicto regno morantes, ad eandem fidem christianam conversos et propitiante Domino convertendos, cum humanitatis dulcedine affluente habeas favorabiliter commendatos, ipsis archiepiscopo et fratribus in illis, quae circa suscipiendam per te (de beneplacito ipsius domini nostri Iesu Christi eoque inspirante ac tuae mentis praecordia inflammante) sacri baptismatis gratiam dictamque legem christianam et alia tuae ipsorumque subditorum salutis commoda exprimenda et praedicanda duxerint, benignum auditum aperiens et attentum exhibens intellectum illaque recipiens tamquam donum divinitus tibi missum, credas in eundem dominum nostrum Iesum Christum, baptismum et fidem suscipias supradicta ipsamque fidem semper colas teque in operibus bonis exerceas, quia per illa pervenies ad gloriam sempiternam, ubi post mundanam et transitoriam gloriam, quam conspicis atque palpas, succedet tibi gloriosa suavitas sine fine. Nos enim altissimum Salvatorem nostrum devote et suppliciter exoramus, ut sua clementia miserans tuum illuminet intellectum, ab eo errorum tenebris profugatis, ut viam suae videas veritatis ipsamque legem christianam suscipias et observes, per quas videre suam ineffabilem gloriam merearis. Datum ut supra.

c) *Magnifico viro Usbech in Gazaria imperanti, Deum diligere ac timere.*

Deo vivo et vero *etc. (m. m.) ut supra.* Datum ut supra.

d) *Universo populo Tartarorum.*

Salvator noster, summus pontifex in aeternum, rex regum et dominus dominantium, dominus noster Iesus Christus, beato Petro sanctorum apostolorum principi claves regni coelorum tribuit eique ligandi atque solvendi contulit potestatem, ut, quodcumque per ipsum super terram ligatum et solutum foret, in coelis ligatum existeret et solutum. Hanc siquidem potestatem transfudit in Romanum pontificem suosque posteros Romanos pontifices, eiusdem beati Petri usque in finem saeculi successores, constituens illos in sede ipsius beati Petri successive sessuros suos vicarios super machinam mundialem. Unde nos, qui licet immeriti praefato beato Petro succedimus et in regno mundi vice fungimur coelestis pastoris et domini animarum, exigente officii nostri debito tenemur et totis desideriis affectamus, omnem humanam creaturam extra sanctam Romanam ecclesiam existentem fideique christianae inscíam et deviam ab eadem Dominici gregis inducere ac reducere in ovile, unire et reconciliare penitus ecclesiae praelibatae. Ceterum, quia haec possunt gratia divina praeambula et eius infundente misericordia efficaciter provenire, si talibus fidei iam dictae insciis et ab ipsa deviis verbi Dominici sanctimonia praedicetur ipsique praefatae fidei articulis et regulis dulciter informentur, ut ex hoc Deo lucrifaciamus animas eorumdem ipsisque salutis aeternae praemium procuremus: nos diligentia paterna providimus ad vos et partes vestras personas religiosas, spe, fide caritateque placidas, sufficienter in sacra pagina eruditas et expertas, Deo gratas et vobis acceptas, pro salutis vestrae, quam ferventer optamus, impetrandis a Domino commodis destinare.

Ad evangelizandum itaque vobis salutifera verba Christi vosque ad supernae maiestatis miserantem gratiam suamque fidem rectissimam suaviter convertendos et fovendos in illa venerabilem fratrem nostrum Nicolaum archiepiscopum Cambalien., ordinis fratrum Minorum professorem, Deum diligentem et timentem, in divina et humana sapientia et scientia illustratum, facundum et probatum et a nobis ex multis viris religiosis devotis et virtuosis electum et de fratrum nostrorum sanctae Romanae ecclesiae cardinalium consilio ad archiepiscopatum Cambalien. promotum, cum decenti comitiva fratrum dicti ordinis iamdiu in divinis obsequiis expertorum, sufficienter in sacra scriptura litteratorum aliarumque virtutum muneribus dotatorum, ad vos et partes transmittentes easdem, ut vobis et sibi ipsis proficiant ad salutem: universitatem vestram attente requirimus, monemus, rogamus et hortamur in domino Iesu Christo, quatenus diligenter vestram memoriam excitantes et reducentes ad illam, qua protoplastus, ex quo genus humanum descendit, extitit divinae manus operatione formatus, in paradisi terrestris deliciis collocatus sibique boni et mali cognitio data fuit, et quod homines estis ad imaginem Dei facti, quodque creatura non possit suo creatori pro meritis respondere, levetis ad Deum vestrae intelligentiae oculos et consideretis, quod ipse vos creavit et pascit assidue ac vivitis per eumdem et quod, cum vult, omnis carnis figmenta dissolvit, quodque sacrae scripturae attestatione inducitur, quod omnis spiritus Deum laudet omniaque animantia et inanimata Dominum benedicant, pro ipsius Creatoris reverentia et honore et, ut sibi reddatis humanae gratitudinis holocaustum, et contemplatione nostri, qui vos Deo vivo et vero coniungere cupimus et etiam laboramus, eosdem archiepiscopum et fratres recipere curetis, quoties ad vos pervenerint, reverenter, humiliter et laetanter eorumque praedicationibus et verbis salubribus vestrum attentum patefaciatis auditum, aperiatis sol-

licitum intellectum et, quae pro vestrae perfectione salutis vobis expresserint, in memoriae vestrae tabulis tenaciter inscribatis, corda vestra omnimode disponentes ad suscipiendam sacri baptismatis gratiam legemque Christi, doctrinam evangelicam et fidem catholicam domini nostri Iesu Christi, quam dicta Romana ecclesia docet, praedicat atque credit; et, cum fidem ipsam susceperitis, eam firmiter et perpetuo custodite, ut cum aliis christianis efficiamini de cetero fortia membra Christi et, quibuslibet Satanae quibus decipimini erroribus procul pulsis, ab eius sitis vinculis penitus liberati et mereamini post vitae praesentis exilium in aeterna Domini tabernacula introire, cum aliis coelestibus civibusglorianter et feliciter collocandi. Et quia coeli et terra plena sunt divina gloria, ipse manum aperit suaque benedictione animal omne implet, dum in hac luce manebitis et per dictam fidem Iesu Christi eritis coniuncti, abundabitis in bonis temporalibus per suam gratiam copiosam. Nos insuper omnipotentiam Altissimi, qui essentialiter in coelis et potentialiter in terris permanet quique regnat et principatur omnipotenter et aeternaliter in utrisque, devotis affectibus exoramus, ut illuminet corda vestra et intelligentias vestras ad suscipiendum eiusdem baptismatis gratiam ipsamque Christi legem credendum et eam firmiter ac perpetuo adimplendum, quia sine illis nullus salvatur, ac per illas salvi eritis et pervenietis ad sempiternam gloriam beatorum: praedictos quoque archiepiscopum et fratres habeatis cum humanae suavitate dulcedinis favorabiliter et efficaciter commendatos, consideratis humaniter et exacte omnibus et singulis praenarratis, ut exinde apud ineffabilem gloriam Dei Patris, Filii et Spiritus sancti cum multiplicato fructu aeternae messis manipulos colligere valeatis. Datum Avinione, kalendis octobris, anno decimo octavo.

e) *Magnificis viris cunctis regibus Tartarorum, Deum diligere ac timere.*

Deo vivo et vero *etc. (m. m.) ut supra litt.* b. Dat. Avinione, II kal. novembris, anno decimo octavo.

1039[a]. Guilelmum cancellarium Parisien. Antonio de Aribaldis de Valentia ord. Min. magisterium in theologia elargiri iubet. [1]

1333, octobris 1, Avinione.

Dilecto filio Guilelmo cancellario ecclesiae Parisien.

Decens et congruum *etc.* Cum itaque, sicut fidedignorum relatio ad nostram notitiam perduxit, dilectus filius Anthonius de Aribaldis [2] de Valentia [3] ordinis fratrum Minorum, qui, sicut asseritur, de nostra speciali gratia Parisius sententias legit et in studio Parisiensi pro bacallario habetur et communiter reputatur, sic in sacrae theologiae scientia profecisse noscatur, quod ad obtinendum magisterii et cathedrae memoratae dignus et idoneus reputatur honorem: ... discretionem tuam attente rogamus et hortamur in Domino, tibi nihilominus iniungentes, quatenus ... praedictum Anthonium, si eum idoneum repereris iudicio magistrorum in theologia Parisius regentium (illorum videlicet, qui in talibus soliti sunt requiri), infra unum mensem post receptionem praesentium ad magisterium sine dilatione alia promoveas, ut est moris *etc.* Datum Avinione, kalendis octobris, anno decimo octavo.

1040. Dispensat cum Ymberto de Cabanis ord. s. Ben., ita ut in suo ordine habeat vocem in capitulo et locum in stallo atque ad prioratum conventualem promoveri possit, non obstante, quod olim professus fuerit ordinem fratrum Min. [4]

1333, octobris 4, Avinione.

Dil. filio Ymberto de Cabanis, monacho mon. s. Sigiranni in Brenna ord. s. Ben. Bituricen. dioec.

Religionis zelus *etc.* Datum Avinione, IV nonas octobris, anno decimo octavo.

1041. Assignat Guilelmum de Meleduno ord. Min. ad sententias aestate proxime futura in conventu fratrum Min. Parisien. legendas. [5]

1333, septembris 30, Avinione.

Dilecto filio Guilelmo de Meleduno ordinis fratrum Minorum.

Personam tuam, de religionis zelo, litterarum scientia, vitae ac morum honestate et aliis multiplicium virtutum meritis apud nos fidedignorum testimonio commendatam, libenter prosequimur condignis gratiis et favoribus opportunis. Hinc est, quod nos tuis in hac parte supplicationibus inclinati te, qui ad praesens in conventu fratrum ord. Min. Andegavensi, ut asseritur, lector existis, ad legendum sententias in conventu fratrum Parisien. dicti ordinis in aestate proxime ventura (quacumque ordinatione ac quibusvis statutis et consuetudinibus contrariis studii ac universitatis eiusdem studii Parisiensis et ordinis praefati nequaquam obstantibus) auctoritate apostolica tenore praesentium assignamus. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, II kal. octobris, anno decimo octavo.

---

[1] Reg. Vat. t. 106, f. 62; cfr. *Chart. Univ. Paris.* t. II, p. 410, n. 962.

[2] Sive de Aribandis. Cfr. supra n. 724 et *Sbar.* Suppl. ad script. ord. Min. p. 94 ac *Wadd.* Ann. Min. ad a. 1343, n. 17.

[3] *Valenza* prope *Alessandria* in Italia superiore.

[4] Reg. Vat. t. 106, ep. 23.

[5] Reg. Vat. t. 106, ep. 77, *Chart. Univ. Paris.* t. II, p. 410, n. 961.

1042. Robertum Campuli de Messana ord. Min. praeficit ecclesiae Cephaluden. in episcopum. [1]

1333, octobris 14, Avinione.

Roberto Campuli de Messana electo Cephaluden.

Apostolatus officium *etc.* Dudum siquidem quondam Rogerio electo Cephaludensi ecclesiae Cephaludensis [2] regimine praesidente nos ... provisionem ipsius ecclesiae, cum ut praefertur vacaret, dispositioni nostrae ac sedis apostolicae duximus reservandam, decernentes ex tunc *etc.* Deinde vero praefata ecclesia per obitum bo. me. dicti Rogerii electi, qui in partibus illis diem clausit extremum, vacante, dilecti filii capitulum ipsius ecclesiae, huiusmodi reservationis et decreti forsan ignari, dilectum filium Thomam de Butera canonicum Syracusan. de facto in eorum episcopum elegerunt, cuius electio per loci metropolitanum similiter de facto extitit confirmata. Huiusmodi ergo electionis et confirmationis negotio ad notitiam nostram perlato nos attendentes, easdem electionem et confirmationem, utpote post et contra reservationem et decretum iam dicta factas, fore irritas et inanes, de praeficiendo personam utilem ecclesiae antedictae, ne prolixioris vacationis dispendiis subiaceret, cogitare coepimus diligenter; et post deliberationem, quam cum fratribus nostris super hoc attentam habuimus, demum in te ordinis fratrum Minorum professorem, in sacerdotio constitutum, cui religionis zelus, vitae munditia, morum elegantia, literarum scientia et alia virtutum merita, prout ex testimoniis fidedignis accepimus, laudabiliter suffragantur,... dreximus aciem nostrae mentis. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua eidem Cephaluden. ecclesiae ... auctoritate apostolica providemus teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo *etc.* Datum Avinione, II idus octobris, anno decimo octavo. [3]

1043. Regi Armeniae atque « catholico » Armenorum commendat Nicolaum archiepiscopum Cambalien. [4]

1333, octobris 31, Avinione.

Carissimo in Christo filio Leoni regi Armeniae illustri.

Ad salutem cunctorum Christi fidelium et etiam aliorum, qui extra catholicam et apostolicam ecclesiam infeliciter esse noscuntur, paternis et sollicitis studiis intendentes, operam et opem opportunas libenter impendimus, ut debemus, qualiter ii, qui per fidem rectam et operationem bonam adhuc Domino misericordiae non placuerunt, connectantur eiusdem ecclesiae veritati, et alii, qui a dictae fidei semitis deviarunt, ad caulam gregis Dominici reducantur. Habet nempe fide digna relatio, veritatis suffulta suffragiis, notumque tuae celsitudini esse potest, quod in terra Tartarorum iamdudum per divinae miserationis gratiam et ministerium praedicationis verbi Dominici, quod nonnulli fratres ordinis Minorum in terra praedicta exercuerunt et non desinunt exercere, multitudo indigenarum ad veram eiusdem fidei lucem de suorum errorum tenebris est conversa, et multi alii, qui ab ipsius fidei rectitudine declinabant, ad eiusdem ecclesiae gremium sunt reversi, et, sicut devote creditur et verisimiliter speratur in Domino, terrae praefatae hominum necdum conversorum diffusioris multitudinis conversio Deo largiente succedet. Ecce igitur venerabilis frater noster Nicolaus, archiepiscopus Cambalien., dicti ordinis Minorum professor, devotione, fide, theologica scientia, experientia et fama praeclarus, quem de fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium consilio ecclesiae Cambalien. tunc vacanti nuper in archiepiscopum praefecimus et pastorem, ad eamdem Cambalien. ecclesiam, sponsam suam, cum decenti, honesta et virtuosa comitiva fratrum dicti ordinis necnon ad alias terrae iam dictae partes cum gratia nostrae benedictionis accedit, ut ipsi Dominici dogmatis evangelica grana serant et eos, quos ad legem Christi converterint, pascant dulciter verbo Dei ac ipsos doceant normam fidei nominatae, aliosque iam conversos in observantia ipsius fidei suaviter foveant et confirment. Cum itaque dictis archiepiscopo et fratribus sit tui culminis favoris praesidium opportunum, serenitatem regiam attente rogamus et hortamur in domino Iesu Christo, quatenus pro divina et apostolicae sedis reverentia et pro eiusdem fidei honore ac nostrae hortationis huiusmodi obtentu ipsos, cum ad tuum conspectum et loca tui regni pervenerint, regalis benignitatis affectu recipias atque tractes et recipi facias ac tractari eosque habeas favorabiliter et efficaciter commendatos, ut regalis devotionis sinceritas exinde assequatur titulum humanae laudis ac divinae misericordiae fructum percipere mereatur. Datum Avinione, II kal. novembris, anno decimo octavo.

Dilecto in Christo fratri Iacobo catholico Armenorum spiritum gratiae salutaris.

Ad salutem cunctorum Christifidelium *etc. ut supra m. m.* Dat. ut supra.

---

[1] Reg. Vat. t. 107, ep. 9, apud *Wadd.* l. c. (reg. Io. XXII) n. 168.

[2] *Cefalù* in insula Siciliae.

[3] In eundem modum capitulo et vassallis ecclesiae Cephaluden. necnon clero ac populo civitatis et dioecesis Cephaluden.

[4] Reg. Vat. t. 106, ep. 304 et 305; apud *Wadd.* l. c. ad a. 1333, n. 5. Cfr. supra n. 1037 et 1039.

1044. Revocat nuntios in Angliam missos, sc. Geraldum Othonis min. gen. ord. Min. et Arnaldum de s. Michaele ord. Praed. [1]

1333, octobris 31, Avinione.

Geraldo Ottonis ministro generali Minorum et Arnaldo de s. Michaele [Praedicatorum ordinum], poenitentiario nostro, apostolicae sedis nunciis.

Quia per litteras vestras, quas benigne recepimus, causas certas, quibus accessum vestrum in Angliam reputatis prorsus inutilem, exprimere curavistis, volumus vestraeque discretioni mandamus, quatenus ad nostram praesentiam redeatis; non tamen intelligimus, quin tu, fili minister, ad partes Angliae vel alibi possis accedere, si id pro tuis vel ordinis tui negotiis expedire videris. Datum Avinione, II kal. novembris, anno decimo octavo.

1045. Guardiano fratrum Min. Avinionen. concedit facultatem dispensandi super irregularitate cum Petro de Sala Gironcii ord. Min. sacerdote. [2]

1333, novembris 2, Avinione.

Dilecto filio .. guardiano fratrum ordinis Minorum Avinionensium.

Plerumque regularis ordinis professores *etc.* Datum Avinione, IV nonas novembris, anno decimo octavo.

1046. Mandat rectori ducatus Spoletani, ut in negotiis fidei procedat simul cum inquisitoribus haer. prav. (ex ord. Min.). [3]

1333, novembris 11, Avinione.

Dilecto filio mag. Petro de Castaneto archidiacono Belvacensi, rectori ducatus Spoletani, capellano nostro.

Ut super negotio fidei, quod ubique cupimus prosperari, contra quascumque personas de ducatu nostro Spoletano, cuius rector existis, de haeresi vel fautoria haereticorum delatas vel suspectas quavis sinistra suspicione cessante purius procedatur, volumus tuaeque discretioni tenore praesentium concedimus potestatem, quod una cum dilecto filio inquisitore haereticae pravitatis in eis partibus auctoritate apostolica deputato iuxta statuta canonum et privilegia officio dictae inquisitionis concessa procedere valeas contra tales: districtius inhibentes, ne praefatus inquisitor cum aliquo vel aliquibus compositiones absque tuo consilio in eodem ducatu praesumat facere ratione criminis antedicti, quas, si secus facere praesumpserit, eas ex nunc irritas esse decernimus atque nullas. Datum Avinione, III idus novembris, anno decimo octavo.

1047. Ecclesiam mon. Clarissarum Condomien. visitantibus ipsisque Clarissis paupertate nimis gravatis caritatis subsidia erogantibus indulgentias elargitur. [4]

1333, novembris 20, Avinione.

Universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis.

Quoniam, ut ait apostolus *etc.* Cum itaque, sicut ex tenore petitionis pro parte dilectarum in Christo filiarum .. abbatissae et conventus monasterii monialium s. Clarae Condomiensis nobis nuper oblatae percepimus, in dicto monasterio sint quadraginta moniales Domino in orationibus servientes adeo paupertate gravatae, quod eas oportet monasterium exire et dimittere supradictum, ut possint quaerere victum suum: nos eisdem abbatissae et conventui, quae spretis mundanis illecebris elegerunt sub religionis habitu virtutum Domino perpetuo deservire, paterno in hac parte compatientes affectu ac cupientes, ut erga ipsas et praefatum monasterium fidelium devotio augeatur et eisdem a Christi fidelibus pia caritatis subsidia erogentur, quodque ipsi fideles ad monasterium ipsum eo libentius confluant dictisque abbatissae et conventui huiusmodi caritatis subsidia largiantur, quo per hoc dono coelestis gratiae senserint se refectos, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius confisi, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui in Nativitatis, Resurrectionis, Ascensionis Domini, Penthecostes, s. Trinitatis et singulis quatuor beatae Mariae Virginis festivitatibus ecclesiam dicti monasterii visitaverint annuatim et eisdem abbatissae et conventui manus porrexerint adiutrices, singulis videlicet earumdem festivitatum diebus, quibus dictam ecclesiam visitaverint manusque porrexerint, ut praefertur, sexaginta dies de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus. Datum Avinione, XII kalendas decembris, anno decimo octavo.

---

[1] Reg. Vat. t. 117, f. 210, ep. 1068; apud *Wadd.* l. c. ad a. 1333, n. 11 et 12. Cfr. supra n. 1031.

[2] Reg. Vat. t. 107, ep. 968. Cum enim iste Petrus olim, antequam ingressus est ordinem Min., dum annos 14 agens scholasticis disciplinis insistit, alterum scholarem, a quo occurrente quadam rixa in capite percussus et vulneratus est, socio quodam suadente et baculum ad id sibi praebente in spatulis simul et capite percussisset, accidit, ut ille scholaris istum socium ense evaginato aggrederetur, sed ab ipso cum cultello ita percuteretur, ut de illo vulnere expiraret. Processu temporis praedictus Petrus ordinem Min. intravit, aliquibus ipsius ordinis fratribus sibi dicentibus, se non esse irregularem propter praedicta, ac tandem promotus est ad sacerdotium. Cum autem remaneret in eo quidam conscientiae remorsus, summo pontifici supplicavit, ut sibi de opportunae dispensationis beneficio ad cautelam, ut posset absque scrupulo conscientiae celebrare, misericorditer providere dignaretur. Litteris igitur supra allegatis, in quibus hac de re diffusius agitur, dispensationem quam petiit impetrat.

[3] Reg. Vat. t. 117, f. 280, ep. 1463.

[4] Reg. Vat. t. 106, ep. 366; cfr. supra n. 1014.

1048. Dominicam filiam Nicolai Christophori de Montemelino in monasterio s. Mariae Angelorum prope Perusium ord. s. Clarae recipi iubet. [1]

1333, decembris 5, Avinione.

Dilectis filiis .. priori s. Trinitatis de Pregro et Tiberatio de Montemelino archipresbytero de Conefino ac .. plebano s. Mariae de Funtignano plebium Perusinae diocesis.

Prudentum virginum votis *etc.* Cum itaque dilecta in Christo filia Dominica nata dilecti filii Nicolae Christofori de Montemelino, puella litterata Perusinae diocesis, cupiat, sicut ccepimus, una cum dilectis in Christo filiabus .. abbatissa et conventu monasterii s. Mariae Angelorum prope Perusium [2] ordinis s. Clarae in dicto monasterio sub regulari habitu virtutum Domino famulari: nos volentes eandem Dominicam in huiusmodi suo laudabili proposito confovere, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus ... eandem Dominicam, si est idonea et aliud canonicum non obstat, auctoritate nostra recipi faciatis in eodem monasterio, si in eo certus monialium numerus non habetur vel etiam, si huiusmodi numerus forsan existat, et de ipso numero aliqua deest ad presens, ex nunc, alioquin quamprimum deesse continget, in monacham et sororem sibique iuxta ipsius monasterii consuetudinem regularem habitum exhiberi ac de communibus eiusdem monasterii proventibus, sicut uni ex aliis dicti monasterii monialibus, integre provideri eamque ibidem sincera in Domino caritate tractari *etc.*: non obstantibus *etc.*, contradictores *etc.* Datum Avinione, nonis decembris, anno decimo octavo.

1049. Guillelmum episcopum Alben. (ex ord. Min.) transfert ad ecclesiam Brundusin. [3]

1333, decembris 6, Avinione.

Venerabili fratri Guillelmo archiepiscopo Brundusin.

Romani pontificis *etc.* Dudum siquidem ecclesia Brundusina [4] per obitum bo. me. Bertrandi archiepiscopi Brundusino, qui in partibus illis diem clausit extremum, pastoris solatio destituta a dilectis filiis capitulo eiusdem ecclesiae Brundusinae pro futuri substitutione pastoris insimul congregatis (vocatis omnibus, qui debuerunt, voluerunt, et potuerunt commode interesse) contigit duas electiones, unam videlicet de dilectis filiis Petro decano Capuano et alteram de Nicolao Caballerio canonico eiusdem Brundusinae ecclesiae, per formam scrutinii in discordia celebrari. Quibus electionibus de se factis praefati Petrus et Nicolaus ad instantiam ipsorum eligentium, illarum sibi praesentatis decretis, infra tempus debitum consenserunt, licet idem Petrus postmodum negotium electionis huiusmodi prosequi non curaverit. Deinde praefato Nicolao ad sedem apostolicam pro prosecutione electionis suae huiusmodi personaliter accedente ac pro parte sua huiusmodi eius electionis negotio in consistorio proposito coram nobis, in his omnibus pro parte dicti Nicolai statutis a iure temporibus observatis, et dilectis filiis Richardo de Comay archidiacono et Angelo magistri Stephani canonico praefatae ecclesiae Brundusin. se electioni huiusmodi certis ex causis opponentibus: nos negotium ipsum venerabili fratri nostro Guilelmo episcopo Sabinen. audiendum commisimus et nobis postmodum referendum. Coram quo cum esset inter Nicolaum et oppositores praefatos processum ad certos actus in negotio praelibato, tandem praefatus Nicolaus volens praecavere dispendiis, quae ex vacatione diutina eidem ecclesiae poterant provenire, omni iuri, quod sibi ex electione huiusmodi quomodolibet competebat, in nostris manibus sponte cessit. Nos igitur huiusmodi cessione admissa de provisione celeri eiusdem ecclesiae Brundusinae cogitare coepimus diligenter et post deliberationem, quam de praeficiendo eidem ecclesiae personam utilem ac etiam fructuosam cum nostris fratribus habuimus diligentem, demum attendentes tuarum virtutum multiplicium merita, quibus personam tuam Dominus illustravit, in te tunc episcopum Alben. convertimus aciem nostrae mentis. Intendentes igitur tam eidem Brundusinae ecclesiae quam gregi Dominico eiusdem salubriter et utiliter providere ac sperantes, quod tu, qui Alben. ecclesiae laudabiliter hactenus praefuisti, eamdem Brundusinam ecclesiam divina tibi propitiante clementia salubriter et utiliter gubernabis, te a vinculo, quo praefatae Alben. ecclesiae, cui tunc praeeras, tenebaris, de dictorum fratrum consilio et apostolicae potestatis plenitudine absolventes, te ad praedictam Brundusinam ecclesiam transtulimus teque illi praefecimus in archiepiscopum et pastorem, curam et administrationem praedictas tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo liberamque tibi tribuendo licentiam ad eamdem ecclesiam Brundusinam transeundi, et subsequenter pallium de corpore beati Petri sumptum, pro parte tua a nobis cum ea qua decuit instantia postulatum, per dilectos filios nostros Napoleonem s. Adriani et Raymundum s. Mariae Novae ac Ioannem s. Angeli diaconos cardinales tibi fecimus exhiberi *etc.*

---

[1] Reg. Vat. t. 106, ep. 1466.

[2] *Perugia* in custodia cognomini prov. s. Francisci.

[3] Reg. Vat. t. 107, ep. 11; apud *Wadd.* l. c. reg. pont. Io. XXII, n. 169. Cfr. supra n. 420 et 890, atque infra n. 1053 et 1054.

[4] *Brindisi* in partibus Neapolitanis.

Datum Avinione, VIII idus decembris, anno decimo octavo. [1]

1050. Iniungit Mino de s. Quirico ord. Min., inquisitori haer. prav. in Tuscia, ut in processibus faciendis admittat episcopos locorum. [2]

1333, decembris 30, Avinione.

Dilecto filio Mino de s. Quirico ordinis fratrum Minorum, inquisitori haer. prav. in Tuscia auctoritate apostolica deputato.

Cupientes, ut negotium inquisitionis pravitatis haereticae pure (cessante quavis sinistra suspicione) procedat, discretioni tuae per apostolica scripta in virtute obedientiae districtius iniungendo mandamus, quatinus, quotiescumque super negotio inquisitionis praedictae te continget in provincia tibi decreta praecedere, locorum ordinarios eiusdem provinciae vel eorum vicarios, qui tecum interesse voluerint in processibus faciendis et sententiis proferendis (communicatis nihilominus processibus habitis et habendis), in sententiarum prolationibus iuxta canonum statuta admittere non postponas, quod, si secus feceris, irritum decernimus et inane. Ceterum volentes per te super quibusdam officium praedictum tangentibus plenius informari, tibi tenore praesentium mandamus expresse, quatinus, sublata qualibet dilatione morosa, personaliter ad nostram praesentiam studeas te conferre. Datum [Avinione], III kalendas ianuarii, anno decimo octavo.

1051. Transfert Raymundum episcopum Vencien. (ex ord. Min.) ad eccl. Nicien. [3]

1334, ianuarii 10, Avinione.

Venerabili fratri Raymundo episcopo Niciensi.

Creditae nobis dispensationis urgemur officio *etc.* Nuper siquidem ecclesia Niciensi ex eo vacante, quod nos venerabilem fratrem nostrum Iohannem Massiliensem, olim Niciensem episcopum, apud sedem apostolicam constitutum, a vinculo, quo ipsi Niciensi ecclesiae, cui tunc praeerat, tenebatur, de fratrum nostrorum consilio et apostolicae potestatis plenitudine absolventes, ipsum ad Massiliensem ecclesiam tunc vacantem duximus transferendum, nos attendentes, quod nullus praeter nos ea vice de ordinatione ipsius Niciensis ecclesiae se intromittere potest, pro eo quod *etc.*, post deliberationem, quam super hoc cum eisdem fratribus habuimus diligentem, demum ad te tunc episcopum Venciensem, consideratis muneribus gratiarum, quibus personam tuam Dominus earum largitor multipliciter illustravit, et quod praefata Niciensis ecclesia per te, qui eidem Venciensi ecclesiae laudabiliter praefuisti, poterit in eisdem spiritualibus et temporalibus dirigi et in suis manuteneri iuribus et etiam adaugeri, direximus oculos nostrae mentis. Intendentes igitur tam eidem ecclesiae Niciensi quam eius gregi Dominico salubriter ... providere, te a vinculo, quo tenebaris Venciensi ecclesiae, cui tunc praeeras, de dictorum fratrum consilio et eiusdem potestatis plenitudine absolventes, te ad praefatam Niciensem ecclesiam transferimus teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo ac liberam tibi tribuentes licentiam ad dictam Niciensem ecclesiam transeundi *etc.* Datum Avinione, IV idus ianuarii, anno decimo octavo. [4]

1052. Henricum de Cephaludo ord. Min. praeficit ecclesiae Milevitan. in episcopum. [5]

1334, ianuarii 10, Avinione.

Dilecto filio Henrico de Cephaludo electo Milevitan.

Inter cetera, quae superna dispositione nobis imminent peragenda *etc.* Dudum siquidem bo. me. Alduino episcopo Milevitan. ecclesiae Milevitan. [6] regimini praesidente, nos ... provisionem eiusdem ecclesiae, cum vacaret, ordinationi et dispositioni nos-

[1] In eumdem modum capitulo et suffraganeis ecclesiae Brundusinae, clero ac populo civ. et dioec. Brundusin., Roberto regi Siciliae. — Die 22 iun. 1334 summus pontifex declarat, praedictas provisionis litteras ad ecclesiam quoque Horitan. (*Oria*) utpote ecclesiae Brundusinae annexam se extendere (l. c. ep. 941).

[2] Reg. Vat. t. 117, f. 274, ep. 1425. Eodem die summus pontifex *episcopo Florentino* has litteras mittit (l. c. f. 253, ep. 1292): « Cum nos dilecto filio Mino de s. Quirico ordinis fratrum Minorum, inquisitori haereticae pravitatis in Tuscia, demus per alias nostras litteras in mandatis, ut, quotiescumque ipsum in negotio inquisitionis continget in provincia sibi decreta procedere, locorum ordinarios eiusdem provinciae vel eorum vicarios, communicatis eis iuxta canonum statuta processibus, admittere non postponat et nihilominus, morosa dilatione sublata, personaliter ad praesentiam nostram studeat se conferre: volumus et mandamus, quatinus litteras huiusmodi sibi faciens praesentari super hiis personam et officium eius tangentibus, de quibus expedire videris, nos informare plenius veritate comite non postponas. Ceterum scire te volumus, quod pro reductione ac reconciliatione dilectorum filiorum Saguerii militis ac germani et nepotum ac aliorum consanguineorum suorum venerabilibus fratribus nostris B[ertrando] Ostiensi, apostolicae sedis legato, et Petro Mirapiscensi episcopis per litteras scribimus opportunas ». — Die autem 5 martii 1334 *eidem episcopo* haec scribit (l. c. f. 253, ep. 1293). « Utrum vel quamdiu praesentationi litterarum nostrarum, per quas dilectum filium Minum ordinis fratrum Minorum, inquisitorem haer. prav. in partibus Florentinis, ad nostram praesentiam evocamus, supersedere debeas, prudentiae tuae duximus relinquendum. Super quo, quod te continget agere, per tuas nos efficias litteras certiores » (Cfr. infra n. 1074).

[3] Reg. Vat. t. 106, ep. 255; cfr. supra n. 730 et 264.

[4] In e. m. capitulo eccl. Nicien. necnon clero ac populo civ. et dioec. Nicien.

[5] Reg. Vat. t. 106, ep. 264; apud *Wadd.* l. c. n. 170.

[6] *Malta* in insula cognomini.

trae ac sedis apostolicae ea vice duximus specialiter reservandam, decernentes ex tunc *etc.* Postmodum vero praefata ecclesia per obitum eiusdem Alduini episcopi, qui in partibus illis diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, nos vacatione huiusmodi fide dignis relatibus intellecta ad provisionem ipsius ecclesiae celerem et felicem, de qua nullus praeter nos se hac vice intromittere potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis *etc.*, cogitare coepimus diligenter; tamdem ... ad te ordinis fratrum Minorum professorem, in sacerdotio constitutum, cui de litterarum scientia, religionis observantia, honestate morum, spiritualium providentia, temporalium prudentia et multiplicium virtutum meritis aliis laudabilia testimonia perhibentur, convertimus aciem nostrae mentis. Quibus omnibus debita meditatione pensatis de persona tua eidem Milevitan. ecclesiae de ipsorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi tam in temporalibus quam in spiritualibus plenarie committendo *etc.* Datum Avinione, IV idus ianuarii, anno decimo octavo. [1]

1053. Capellam s. Ludovici conf. Civitellae a Guilelmo archiepiscopo Brundusin. constructam visitantibus indulgentias elargitur. [2]

1334, ianuarii 18, Avinione.

Universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis.

Splendor paternae gloriae *etc.* Cupientes igitur, ut capella s. Ludovici confessoris de Civitella Aprutinae dioecesis, quam, sicut accepimus, venerabilis frater noster Guilelmus archiepiscopus Brundusinus construi fecit ibidem et in qua divina officia continue celebrantur, congruis honoribus frequentetur, et ut Christi fideles eo libentius causa devotionis confluant ad eandem, quo ibidem uberius dono coelestis gratiae conspexerint se refectos, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius confisi, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui in singulis ipsius sancti festivitatibus praefatam capellam devote visitaverint annuatim, centum dies de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus. Datum Avinione, XV kalendas februarii, anno decimo octavo.

1054. Eidem archiepiscopo concedit facultatem testandi. [3]

1334, ianuarii 18, Avinione.

Venerabili fratri Guillelmo archiepiscopo Brundusino.

Quia praesentis vitae conditio *etc. ut supra n. 1035.* Nos itaque in hac parte tuis supplicationibus inclinati, ut de bonis mobilibus a te per ecclesiam Brundusinam ... licite acquisitis ... disponere et erogare possis et alias ... in pios usus ac licitos convertere valeas, non obstante, quod ordinis fratrum Minorum professor existis, fraternitati tuae plenam et liberam concedimus tenore praesentium facultatem. Volumus autem *etc.* Datum Avinione, XV kalendas februarii, anno decimo octavo. [4]

1055. Arnaldum de Antesaco ord. Min. ecclesiae Vencien. praeficit in episcopum. [5]

1334, februarii 7, Avinione.

Arnaldo de Antesaco electo Vencien.

Pastoralis officii debitum *etc.* Nuper siquidem vacante ecclesia Vencien. [6] pro eo, quod nos venerabilem fratrem nostrum Raymundum [7] Nicien. tunc Vencien. episcopum, apud sedem apostolicam constitutum, ... ad Nicien. ecclesiam tunc vacantem duximus transferendum *etc.*, nos ... post deliberationem, quam de praeficiendo ipsi Vencien. ecclesiae personam utilem ac etiam fructuosam habuimus cum eisdem fratribus diligentem, demum ad te ordinis fratrum Minorum professorem, poenitentiarium nostrum, virum utique de religionis observantia comprobatum, litterarum scientia praeditum, morum gravitate conspicuum, in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum, et aliis virtutum meritis laudabiliter insignitum, direximus oculos mentis nostrae. Quibus omnibus debita meditatione pensatis de persona tua ipsi Vencien. ecclesiae ... providemus teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo *etc.* Datum Avinione, VII idus februarii, anno decimo octavo. [8]

---

[1] In e. m. capitulo et vassallis eccl. Milevitan., clero ac populo civ. et dioec. Milevitan., archiepiscopo Panormitan.

[2] Reg. Vat. t. 106, ep. 527; cfr. supra n. 1049 et 612.

[3] Reg. Vat. t. 106, ep. 1387; cfr. supra n. 1053, 1049, 612.

[4] Eidem archiepiscopo summus pontifex ipsa die 18 ian. 1334 concedit conservatores iurium et bonorum suorum, sc. archiepiscopum Tranen., episcopum Rapollan., abbatem mon. Baren. ord. s. Ben. (l. c.), et die 10 mart. 1334 pro pace inter Imbertum Dalphinum Viennen. et Aymonem comitem Sabaudiae tractanda eum se interponere iubet (l. c. t. 117, f. 301, ep. 1580); die autem 22 sept. 1334 archiepiscopo Ianuen. mandat, ut capitaneum et commune Ianuen. moneat, ut quosdam Ianuenses ad restituendum nonnulla bona Guilelmo archiepiscopo Brundusin. ablata compellant (l. c. t. 106).

[5] Reg. Vat. t. 107, ep. 29; apud *Wadd.* l. c. n. 171.

[6] *Vence* in Provincia.

[7] Ex ord. Min.; cfr. supra n. 1051.

[8] In e. m. capitulo Vencien., clero ac populo civ. et dioec. Vencien., archiepiscopo Ebredunen. tamquam metropolitae. Iste Arnaldus (al. cogn. Barcillon) obiit a. 1347.

1056. Contra Fraticellos et alios Beguinos in provincia Romana procedi iubet. [1]

1334, februarii 11, Avinione.

a) *Venerabili fratri Angelo episcopo Viterbiensi, nostro in spiritualibus in Urbe vicario, et dilectis filiis Philippo de Cambarlhaco canonico basilicae principis apostolorum de dicta Urbe, rectori patrimonii beati Petri in Tuscia, necnon inquisitoribus haer. prav. in patrimonio et Urbe praedictis ac provincia Romana auctoritate apostolica deputatis.*

Dudum ad audientiam nostri apostolatus perducto, quod nonnulli profanae multitudinis viri, qui vulgariter Fraticelli seu fratres de paupere vita aut Bisochi sive Beguini vel aliis nominibus nuncupantur *etc. ut supra n. 896 usque:* virtutes serere ac vitia radicitus extirpare.

Sane quia, sicut habet multorum insinuatio fide digna, adhuc nonnulli de diversis mundi partibus, velut in reprobum sensum dati, unam de religionibus approbatis per sedem apostolicam ingredi contemnentes, praedictorum Fraticellorum seu fratrum de vita paupere seu alterius novae religionis assumere habitum, congregationes et conventiculas facere ac loca construere, in quibus in communi habitare [dicuntur], divina celebrare (seu profanare verius) ac publice mendicare praesumptione damnabili non verentur et, ut suam nequitiam pallient et occultent, nonnulli eorum regulam ordinis fratrum Minorum, quam beatus Franciscus instituit, se profiteri asserunt et ad litteram se servare confingunt: discretioni vestrae districte praecipimus et mandamus, quatenus vos et vestrum quilibet omnes et singulos, qui sub quovis nomine vel colore sectam praedictam absque apostolicae sedis licentia post praefatam constitutionem assumpserunt vel attentabunt assumere in posterum, diebus dominicis et aliis, de quibus expedire videritis, in ecclesiis et locis Urbis et Romanae provinciae ac patrimonii beati Petri in Tuscia et partium vicinarum excommunicatos publice nuntietis; et quia in errorum baratrum faciliter ruunt, qui conceptus proprios patrum definitionibus anteponunt, nos, vitam talium habentes non indigne suspectam, huiusmodi mandatis nostris subiungimus, quatenus, ne sub ovina pelle gregem Dominicum truculentia lupi rapacis invadat, in locis vestrae iurisdictioni subiectis de vita talium et conversatione ipsorum, qualiterve de articulis fidei et potestate clavium ecclesiae ac ecclesiasticis sacramentis sentiant, vos (simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura iudicii) informare curetis ac in illos, quos culpabiles repereritis, nisi abiuratis sponte praedictis erroribus poenituerint et satisfactionem exhibuerint competentem, exercere curetis debitam ultionem. Tenorem autem praedictae constitutionis sub bulla nostra vobis transmittimus, ut eam, quoties et ubi expedire videritis, solemniter publicetis. Datum [Avinione,] V idus februarii, anno decimo octavo.

b) *Eidem fratri Angelo episcopo Viterbiensi, Philippo de Cambarlhaco ac .. inquisitoribus haer. prav. in patrimonio et Urbe praedictis ac provincia Romana auctoritate apostolica deputatis.*

Dudum ad audientiam apostolicae sedis multorum insinuatione perducto *etc. ut (m. m.) supra n. 896 usque:* auxilio brachii saecularis.

Volumus autem, quod de publicatione, monitione, nuntiatione et aliis supradictis confici faciatis publica instrumenta, illa nobis postmodum fideliter transmissuri. Datum Avinione, V idus februarii, anno decimo octavo.

c) *Venerabili fratri Angelo episcopo Viterbiensi, nostro in spiritualibus in Urbe vicario, et dilecto filio Simoni Philippi de Spoleto ordinis fratrum Minorum, inquisitori haer. prav. in Urbe et provincia Romana auctoritate apostolica deputato.*

Ad nostri apostolatus pervenit auditum, quod ad tuam, fili inquisitor, dudum perducto notitiam, quod quidam pestilentes homines, qui se faciunt Fratricellos seu fratres de paupere vita vulgariter nominari, quorum secta, ritus ac status damnati et sub excommunicationis poena promulgata in quoscumque praesumentes contrarium tenere perpetuae prohibitioni subiecti dudum per sedem apostolicam extiterunt, in Urbe et circumvicinis partibus occulte quandoque et interdum publice morabantur, pessimas haereses et errores damnatissimos profitentes et etiam seminantes, quibus alios inficere periculose nimium satagebant, tu (volens, exequendo debitum inquisitionis tibi commissi officii, ut tenebaris, procedere contra eos ac fautores, receptatores et consiliatores ipsorum) certos processus fecisti et sententias post eorum confessiones exigente iustitia protulisti.

Sane quia nonnulli alii tam principales quam receptatores, fautores et consiliatores ipsorum in partibus supradictis esse dicuntur, nos cupientes huiusmodi et alios haereses et errores de illis et aliis partibus radicitus extirpari, discretioni vestrae per apostolica scripta in virtute sanctae obedientiae districtius iniungendo mandamus, quatenus tu, frater episcope, ordinaria, qua ratione vicariatus nostri in Urbe fungeris, et tu, inquisitor praefate, apostolica auctoritate, et vestrum quilibet processus praedictos, si quod in eis restat ad perficiendum,

---

[1] Reg. Vat. t. 117, f. 249, epp. 1274-1279; cfr. infra n. 1058 et *Denifle-Ehrle*, l. c. IV, 17-20.

complentes et ad finem debitum perducentes, omnes et singulos clericos et laicos, cuiuscumque status, ordinis vel conditionis existant, sectam, ritum et statum praedictos (per dictam sedem, ut praedicitur, damnatos) sectantes excommunicatos publice in ecclesiis et locis dictarum Urbis et partium vicinarum, de quibus vobis videbitur, nuntietis et faciatis etiam nuntiari; adversus eos vero, quos de haeresibus et erroribus huiusmodi culpabiles vel haereticorum fautores, receptatores, adiutores vel consiliarios (summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii) repereritis, iuxta statuta canonum et privilegia concessa inquisitionis officio, adhibendo tam [1] super hiis haereticis, fautoribus, receptatoribus, valitoribus et consiliatoribus perquirendis et investigandis, viriliter, invocato ad hoc, si necesse fuerit, brachii saecularis auxilio, procedatis. Et ut fideles a talium infectione valeant cautius praecaveri, per ecclesias et loca Urbis et partium praedictarum, de quibus videbitis expedire, praesente cleri et populi copiosa multitudine, dum ad divina vel sermones audiendos convenerint, solemniter et publice moneatis (per vos et alios, religiosos et saeculares, quos ad hoc per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellere possitis, si necesse fuerit, non obstantibus quibusvis exemptionis vel aliis privilegiis *etc.*), ut nullus eosdem Fraticellos seu fratres de paupere vita vel quosvis alios habitum, ritum et statum eorum sectantes seu tenentes vel ipsorum aliquem receptet aut eis vel eorum alicui faveat seu praestet per se vel alium (directe vel indirecte, publice vel occulte) auxilium, consilium vel favorem; et qui aliquos Fraticellos praedictos, quos de fide catholica merito reputamus suspectos, aut eorum aliquem sciverint, vobis aut alteri vestrum statim, cum commode poterit, per se vel per litteras aut nuntium manifestare ac denuntiare absque palliatione quacumque procurent: alioquin, qui monitione huiusmodi (postquam ad eorum notitiam pervenerit vel per ipsos steterit, quominus potuerit pervenisse) non paruerint cum effectu, personas videlicet singulares ecclesiasticas excommunicationis, communitates vero, universitates ac collegia, quae in praemissis et circa ea deliquerint, interdicti sententiis ex tunc (praeter poenas alias contra fautores, receptatores et consiliatores haereticorum a iure inflictas) subiacere volumus ipso facto. Datum Avinione, III idus februarii, anno decimo octavo.

1056[a]. Simonem ord. Min., inquisitorem haereticae pravitatis in provincia Romana, in exequendo officio impediri vetat. [2]

1334, februarii 13, Avinione.

a) *Dilecto filio Simoni Philippi de Spoleto ord. Min., in provincia Romana inquisitori haereticae pravitatis.*

Nuper accepimus, quod, licet nos dudum te, de cuius fidelitate et circumspectione confidimus, inquisitorem haer. prav. in Romana provincia duxerimus per nostras certi tenoris litteras deputandum, tuque inquisitionis huiusmodi officium coeperis exequi diligenter: tamen quidam fratres tui ordinis Minorum, asserentes se per dilectum filium ministrum provincialem fratrum ordinis praedicti eiusdem provinciae inquisitores haer. prav. in memorata provincia deputatos, te in ipsius executione officii satagunt impedire. Cum igitur nostrae intentionis et voluntatis existat, quod tu solus secundum litterarum seriem praedictarum supradictum officium exequaris, praefatis ministro et fratribus tenore praesentium districtius inhibemus, ne de dicto officio, quamdiu tu illud de nostro beneplacito exercueris, se quomodolibet absque nostra speciali licentia intromittant: extunc decernentes nihilominus irritum et inane, quicquid per eos contigerit in contrarium attemptari. Quocirca discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus circa ipsius executionem sic te gerere studeas fideliter et solerter, quod praeter divinae retributionis mercedem nostram et apostolicae sedis gratiam propter hoc uberius assequaris. Per hoc autem privilegiis ordini praedicto vel personis ipsius super deputandis inquisitoribus ab eadem sede concessis nolumus nec intendimus praeiudicium quomodolibet imposterum generari. Datum Avinione, idibus februarii, anno decimo octavo.

b) *Eidem ministro [prov. Romanae].*

Cum velimus, quod dilectus filius Simon Philippi de Spoleto ordinis tui Minorum, inquisitor haer. prav. in provincia Romana per nostras certi tenoris litteras deputatus, solus in eadem provincia inquisitionis huiusmodi officium exequatur, discretionem tuam requirimus et in Domino exortamur, quatinus ipsum circa haec nullatenus impedias nec permittas, quantum in te fuerit, per alios impediri, sed ei potius auxiliis, consiliis et opportunis favoribus assistere studeas in praemissis. Datum ut supra.

---

[1] *Loco huius verbi legendum esse videtur:* summam diligentiam.

[2] Reg. Vat. t. 117, f. 251, ep. 1277 et 1278; cfr. supra n. 1024 et 1056 litt. *c.*

1057. Nicolao archiepiscopo Cambalien. concedit facultatem assumendi secumque ad ecclesiam suam adducendi 20 clericos et 6 laicos fratres ord. Min. [1]

1334, februarii 13, Avinione.

Nicolao archiepiscopo Cambalien.

Summis desideriis affectantes negotium fidei pro reverentia illius, qui nos creavit, redemit et pascit nedum pabulo verbi sui sed alimonia corporali pro salute nostra cunctorumque fidelium, tam favorabiliter quam efficaciter promovere, ad ea libenter intendimus et operam studiosam impendimus diligenter, per quae negotium ipsum feliciter prosperetur et salutiferum, dextera Domini faciente virtutum, suscipiat incrementum. Cum itaque nos pridem (aromatico virtutum tibi desuper concessarum odore percepto) te ordinis fratrum Minorum professorem, scientia, moribus et vita praeclarum, ecclesiae Cambalien. tunc pastore carenti de fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium consilio duxerimus providendum teque illi praefecerimus in archiepiscopum et pastorem, tuque cum nostrae benedictionis gratia dictam ecclesiam sponsam tuam adire et laetificare debeas Deo gratis operibus et exemplis, et de nostro beneplacito partes illas infidelium nationum, in quibus ad veram christianae fidei lucem eorum multitudo conversa est, ut gaudenter et veraciter accepimus, habeas peragrare: nos volentes, ut in tam sancti operis officio tibi non desint assistentes et cooperantes viri virtuosi, fervidi et maturi, quod per teipsum et cum eis neophytos et conversos in observantia et perseverantia fidei praedictae corrobores et aliis in tenebris ambulantibus umbrae mortis evangelizes verbum Dominicum, ut dictae veritatis videant claritatem: devotioni tuae assumendi viginti fratres clericos et sex laicos de tuo, cuius alumnus existis, ordine supradicto eosque tecum ad ecclesiam et partes praelibatas ducendi necnon retinendi eosdem in ecclesia et partibus memoratis pro tempore omni, quod tibi fuerit opportunum (praehabito prius de dictis fratribus testimonio laudabili de vita, fama et sufficientia eorumdem a dilectis filiis ministro generali eiusdem ordinis vel custode seu guardiano fratrum praedictorum, ac de licentia dilectorum filiorum ministri provincialis vel sui vicarii generalis ordinis antedicti expressa vel alterius eorumdem), tenore praesentium concedimus potestatem. Volumus autem, quod ipsi ministri provinciales vel eorum vicarii teneantur bona fide tibi de ipsorum fratrum vita, fama et sufficientia huiusmodi testimonium perhibere. Tu ergo dictam ecclesiam sic gubernes teque tam per te quam cum eisdem fratribus in eodem negotio gerere satagas fideliter et solerter, quod exinde praemium aeternae retributionis acquiras ac nostram et sedis apostolicae benedictionem uberiorem et gratiam ampliorem consequi merearis. Dat. Avinione, idibus februarii, anno decimo octavo. [2]

1058. Guardiano (conventus Aracoelitani) de Urbe ord. Min. atque inquisitori haer. prav. in prov. Rom. mandat, ut capiant illum (Angelum de Clarino), qui se ministrum Fraticellorum facit. [3]

1334, februarii 21, Avinione.

a) *Guardiano fratrum Minorum in Ara Coeli de Urbe.*

Intelleximus, quod, si adhibere curares diligen-

---

[1] Reg. Vat. t. 107, ep. 901; apud *Wadd.* l. c. n. 172. Cfr. supra n. 1037.

[2] Istam concessionem summus pontifex revocat his litteris die 10 oct. 1334 ad eundem archiepiscopum destinatis (l. c. t. 106, ep. 1528): « Sedes apostolica, quae iuxta suae magnae circumspectionis industriam consuevit tam personis quam negotiis salubriter et utiliter providere, auriga semper et praevia ratione ordinat et disponit ac pro varietate personarum, locorum et temporum gesta sua interdum alternat, prout conspicit rationabiliter expedire. Sane dudum attendentes negotium fidei promovere, prout summopere insidet cordi nostro, tibi, quem ecclesiae Cambaliensi tunc vacanti praefeceramus in archiepiscopum et pastorem quique dictam ecclesiam adire debebas et de nostro beneplacito peragrare partes illas infidelium nationum ad serendum in illis grana evangelicae veritatis, assumendi pro huiusmodi evangelizationis officio salutifero exequendo viginti fratres clericos et sex laicos de ordine fratrum Minorum, cuius tu professor existis, eosque tecum ad ecclesiam et partes praefatas ducendi ac illos in ecclesia et partibus antedictis retinendi pro tempore omni, quod tibi opportunum foret (praehabito prius de dictis fratribus testimonio laudabili de vita, fama et sufficientia eorum a dilectis filiis ministro generali eiusdem ordinis vel custode seu gardiano fratrum praedictorum, et de licentia expressa dilectorum filiorum ministri provincialis vel sui vicarii generalis dicti ordinis), per nostras litteras concessimus potestatem. Nos itaque processu temporis super praemissis plenius informati, pensata moderni temporis qualitate et etiam ex certis aliis rationabilibus causis, quae ad id nostrum animum induxerunt, praetactam ipsius potestatis concessionem hac vice de fratrum nostrorum consilio auctoritate praesentium penitus revocamus, eam omnino carere iuribus decernentes. Tu vero in executione commissi tibi officii pastoralis sic te gerere satagas sollicite ac prudenter, quod exinde divinae miserationis gratiam ac nostram et dictae sedis benedictionem uberem iugiter merearis. Datum Avinione, VI idus octobris anno decimonono ». — Iste Nicolaus, qui die 11 iunii 1334 centum florenos aureos a summo pontifice viaticum acceperat, civitatem Cambaliensem petiturus morte abreptus est, quum iter suum ad eam usque terram perfecisset, quae antea *Tschatagai* nuncupata modo *Buchara* appellatur. Cuius terrae princeps sive chana, Cazan nomine, Nicolaum benigne atque humane apud se receperat.

[3] Reg. Vat. t. 117, f. 252, ep. 1281; cfr. ep. 1282 et supra n. 1056 ac *Denifle-Ehrle* l. c. IV, 16. - Supra diximus, Angelum de Cl., quamquam ex ordine Minorum in ordinem Caelestinorum transire ac congregationem suam solvere iussus erat, Avenione a. 1318 in Italiam reversum fratres suos, ut prius, coadunatos tenuisse ac rexisse. Ipse praeerat congregationi ut minister generalis; praeterea existebant ministri provinciales, custodes ac guardiani. Ille per socium singulas domos visitandas curabat, sigillo utebatur, obedientias tribuebat, litteras circulares mit-

tiam operosam, ille nequam haereticus, qui se damnatae sectae Fraticellorum maiorem seu ministrum generalem nominat, posset capi. Cum autem id Deo gratum ac nobis ac apostolicae sedi acceptum existeret admodum ac fidei catholicae tuoque ordini, cui ipse cum suis ... complicibus et sequacibus detrahere non parum satagit, multipliciter opportunum, sinceritatem tuam requirimus et in Domino attentius exhortamur, quatenus praemissis consideranter attentis circa captionem eamdem sic cures operosum studium adhibere, quod praeter mercedem perennis praemii tuae circumspectionis devotio possit apud nos et sedem praedictam merito commendari. Datum [Avinione], IX kalendas martii, anno decimo octavo.

b) *Simoni Philippi de Spoleto ord. fratrum Min., inquisitori haer. prav. in Romana provincia auctoritate apostolica deputato.*

Intelleximus *etc. ut supra usque* opportunum, discretioni tuae praesentium tenore mandamus, quatenus praemissa necnon, quod ad officium tibi commissum talia pertinent, consideranter attendens circa captionem eandem cures efficaciter interponere sollicitudinis tuae partes, praedictum officium circa haec et alia emergentia solerter et fideliter exequendo, quod praeter *etc. ut supra.* Datum ut supra.

1059. Isabellam et Henrietam, filias Henrici de Soliaco, in monasterio de Longocampo ord. s. Clarae recipi iubet. [1]

1334, martii 15, Avinione.

Dilectis in Christo filiabus .. abbatissae et conventui monasterii de Longocampo ordinis s. Clarae Parisiensis diocesis.

Prudentum virginum votis *etc.* Dudum siquidem intellecto, quod dilectae in Christo filiae Isabellis et Henrieta, natae dilecti filii nobilis viri Henrici domini de Soliaco, puellae litteratae, Aurelianensis diocesis, cupiebant, sicut adhuc cupiunt, in monasterio vestro, in quo certus monialium numerus esse dicitur constitutus, una vobiscum sub regulari habitu virtutum Domino famulari: nos volentes ipsas Isabellem et Henrietam in huiusmodi suo laudabili proposito confovere, dilectis filiis .. abbati monasterii s. Genovefae Parisiensis et .. archidiacono Remensis ac Iohanni de Mendone canonico Noviomensis ecclesiarum dedimus per nostras certi tenoris litteras [2] in mandatis, ut ipsi dictas Isabellem et Henrietam, si essent idoneae et aliud canonicum non obstaret, auctoritate nostra facerent in eodem monasterio, si quae de dicto numero tunc deerant vel quam primum deessent, in moniales recipi et sorores sibique regularem habitum iuxta ipsius monasterii consuetudinem exhiberi ac de communibus eiusdem monasterii proventibus sicut aliis dicti monasterii monialibus integre provideri ipsasque ibidem sincera in Domino caritate tractari, prout in dictis litteris plenius continetur. Verum quia, sicut petitio dicti Henrici nobis nuper exhibita continebat, idem Henricus exnunc Isabellem et Henrietam praedictas desiderat in dicto monasterio Domino perpetuo famulari, idem Henricus nobis humiliter supplicavit, ut providere eisdem puellis super hoc de opportuno remedio dignaremur. Nos igitur huiusmodi dictorum Henrici ac Isabellis et Henrietae pium et laudabilem propositum in Domino commendantes, discretioni vestrae recipiendi exnunc dictas Isabellem et Henrietam in eodem monasterio in monachas et sorores sibique regularem habitum iuxta ipsius monasterii consuetudinem exhibendi ac eis de communibus eiusdem monasterii proventibus sicut aliis dicti monasterii monialibus integre providendi ipsasque ibidem sincera in Domino caritate tractandi (praedicto numero, etiam iuramento firmato, quem alias in suo robore volumus permanere, nequaquam obstante) plenam et liberam tenore praesentium concedimus facultatem. Datum Avinione, idibus martii, anno decimo octavo.

1060. Confirmat electionem de Dietrico de Velsperch (*Feldsberg*) in fratrum ord. Min. prov. Austriae provincialem ministrum factam. [3]

1334, aprilis 13, Avinione.

Dieterico [4] de Velsperch fratrum ord. Min. provinciae Austriae provinciali ministro.

Ex parte dilectorum filiorum fratrum ordinis

tebat; provinciales autem fratres in ordinem recipiebant ac recepti in professione non regulam tantum, sed etiam testamentum s. Francisci vovebant se esse servaturos. Hi « Clareni » se solos esse veros Minoritas opinati communitatis fratres, quia regulam non ad litteram observarent, in via aeternae damnationis esse censebant. Ioannem papam XXII, quod destrueret evangelicam Iesu Christi vitam, quae ne communem quidem possessionem rerum temporalium admitteret, verum papam non esse existimabant ideoque constitutiones eius nullas esse atque invalidas Praelatos etiam aliosque religiosos propter paupertatis neglectum aeternae damnationi addicebant et s. Silvestrum papam atque Constantinum imperatorem magnum crimen commisisse, quod ecclesiam locupletassent. Quin etiam nonnulli ex eis eo progressi erant, ut presbyteros et superiores ecclesiasticos peccato gravi dignitatem suam amittere affirmarent; alii turpes ritus sectae, quae appellatur liberi spiritus, adoptabant. Domus eorum maxime erant in montibus Sabinis, sed etiam Romae apud s. Ioannem ante portam Latinam atque in confinibus Urbis. Haec monasteria « provinciam Romanam » constituebant, alia provincia erat in Umbria, alia in marchia Anconitana fuisse videtur. Haec omnia ex testimoniis colligimus, quae testes in causa a. 1334 contra Fraticellos instituta deposuerunt.

[1] Reg. Vat. t. 107, ep. 654.

[2] Die 27 apr. 1333 datas (l. c. t. 105, ep. 891).

[3] Reg. Vat. t. 117, f. 229, ep. 1103, et t. 106, ep. 536.

[4] *In registro:* Duterico.

Minorum provinciae Austriae nuper accepimus, quod, cum dilectus filius Geraldus fratrum praelibati ordinis generalis minister ex causis tunc ipsum moventibus te tunc provincialem ministrum fratrum dictae provinciae ab officio ministeriatus huiusmodi duxerit absolvendum, praelibati fratres dictae provinciae in proximo extunc post absolutionem praedictam sequenti provinciali capitulo congregati, illi videlicet, ad quos provincialis ministri memoratae provinciae pertinebat electio, provide attendentes, quod absolutio huiusmodi in eorundem fratrum et provinciae scandalum et iacturam pro eo praesertim vergebat, quia tu valde necessarius regimini fratrum eiusdem provinciae considerata qualitate temporis existebas, communi concursu seu consensu te, non obstante absolutione praedicta, in ministrum provincialem supradictae provinciae iuxta saepefati statuta ordinis elegerunt. Quare dilecti filii Galhardus [1], custos Anassensis fratrum ordinis praedicti pro custodibus fratrum ordinis iamdicti partium illarum ad instans capitulum praelibati ordinis generale secundum regulam et statuta ordinis supradicti electus, et Franciscus, lector fratrum ordinis eiusdem Bozanen. in eadem provincia consistentium, [2] professores eiusdem ordinis, in nostra praesentia constituti nobis humiliter supplicaverunt, ut, cum fratres memoratae provinciae diutius absque periculo et scandalo ministro provinciali carere non possint nec dicti generalis ministri haberi possit commode praesentia de praesenti, providere super his de opportuno remedio paterna diligentia curaremus. Nos igitur, qui ordinem ipsum sincera dilectione prosequimur et libenter ipsius dispendiis, quantum cum Deo possumus, obviamus, supplicationi huiusmodi benignius inclinati, dilecto filio Pastori eiusdem ordinis, sacrae theologiae professori, [3] coram nobis tunc praesenti, vivae vocis oraculo dedimus in mandatis, ut deliberatione praehabita diligenti cum aliquibus fratribus dicti ordinis expertis in talibus, si viso et examinato electionis praedictae decreto electionem eandem rite et canonice reperiret iuxta statuta et observantias supradicti ordinis esse factam, eam auctoritate nostra confirmare curaret. Qui quidem Pastor, sicut sua relatione fideli didicimus, visis et examinatis omnibus supradictis unacum pluribus fratribus eiusdem ordinis expertis in talibus et in ordine approbatis et discussis aliis, quae negotium electionis huiusmodi contingebant, deliberationeque provida et matura praevia in hac parte, praedictam electionem auctoritate confirmavit praedicta. Nos autem confirmationem huiusmodi ratam habentes et gratam, discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus officium ministeriatus praedicti sic ad honorem Dei suaeque sacrosanctae ecclesiae ad ordinis et fratrum ipsius consolationem et commodum, Deum solum habendo prae oculis, gerere studeas, quod perennis retributionis exinde praemium in retributione iustorum assequi merearis. Per praemissa autem non intendimus nec volumus derogare in aliquo potestati ordinariae dicti generalis ministri, quin eidem quoad omnia sicut alii ministri provinciales dicti ordinis subiectus existas. Datum [Avinione,] idibus aprilis, anno decimo octavo.

1061. Ministrum generalem aliosque superiores ord. Min. in capitulo generali Assisii congregandos monet, ut erga subditos, et subditos, ut erga superiores bene recteque se habeant. [4]

1334, aprilis 23, Avinione.

Dilectis filiis generali et aliis ministris, custodibus et fratribus ordinis Minorum in generali capitulo celebrando Assisii congregandis.

Ad vestri ordinis generale capitulum certi fratres eiusdem ordinis, tam praesidentes quam subditi, ut magna in eodem tractentur opera Domini, debent, ut percepimus, in Assisio convenire. Et quia haec in eodem compleri capitulo intentis desideriis affectamus, vos fratres hortamur in Domino et rogamus, ut dilectum filium Geraldum Ottonis, ordinis vestri generalem ministrum, aliosque vobis in eodem ordine praesidentes, qui pro vobis laborare non cessant, abundantius habeatis recommendatos in caritatis visceribus et pacem cum ipsis studiose habere curetis. Vos autem generalem ministrum aliosque praesidentes in eodem ordine hortamur in Domino et rogamus, ut debita reddatis singulis fratribus, prout ad singulorum spectat officium, tam in distribuendis (sine personarum acceptione, iuxta eorundem fratrum sufficientiam) honoribus et officiis quam in excessibus corrigendis, doctrinae memores apostolicae suadentis, quod *inquietos corripere, consolari pusillanimes infirmosque debeatis suscipere et patientes esse ad omnes;* nec non et instruentis, ut, *si praeoccupatus fuerit aliquis in delicto aliquo, vos, qui spirituales estis, huiusmodi instruere in spiritu debeatis lenitatis.* Et quia iuxta doctrinam beati Gregorii *disciplina vel misericordia nimis destituitur, si una sine alia teneatur, propter quod circa subditos inesse debet rectoribus et iuste consulens misericordia et pie saeviens disciplina:* haec profecto sic a vobis rectoribus optamus summopere observari, ut nec in

[1] Gothardus?
[2] Cfr. supra n. 1019.
[3] Cfr. infra n. 1071.

[4] Reg. Vat. t. 117, f. 282, ep. 1487; apud *Wadd.* l. c. ad a. 1334, n. 29 et 30, n. 31 legas litteras a Sancia regina Siciliae ad illud capitulum scriptas.

disciplinae rigore benignitatem mansuetudinis nec rursus in mansuetudine districtionem disciplinae aliquatenus deseratis, quatenus nec a compassione pietatis obdurescatis, cum contumacem corrigitis, nec disciplinae rigorem molliatis, cum vos infirmorum contingit animos consolari. Regat ergo in vobis, quaesumus, vigor disciplinae mansuetudinem et mansuetudo ornet sermone vigorem, sicque alterum condiatur ex altero, ut nec vigor sit rigidus nec misericordia dissoluta. Ad omnes autem vos sermonem nostrum, immo apostoli potius, dirigimus sic dicentis: *Induite vos sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam et patientiam, supportantes invicem et donantes vobismet ipsis, si quis querelam habet adversus aliquem, sicut et donavit Christus; super omnia autem caritatem, quae est perfectionis vinculum, habeatis. Et pax Christi, quae exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras illuminet* ad ordinandum et prompte, quae sibi placita sunt, exequendum. Quantum autem ecclesia Dei et nos sanctorum egeamus orationibus, sic notum est vobis et aliis, quod exprimi non oportet; ideoque tam ipsam quam nos vestris devotis orationibus humiliter commendamus. Gratia Domini nostri Iesu Christi santificet vos per omnia, ut integer spiritus vester et anima et corpus sine querela in adventu domini nostri Iesu Christi servetur. Amen. Dat. [Avinione,] IX kalendas maii, anno decimo octavo.[1]

1062. Illos fratres Minores in regno Siciliae et in partibus Venetis, qui olim Michaeli de Caesena adhaerentes ab eius obedientia recesserunt, a censuris eccl. absolvi et cum ipsis super irregularitate dispensari iubet.[2]

1334, aprilis 22, Avinione.

Laurentio de Ancona ordinis fratrum Minorum, inquisitori haer. prav. in marchia Anchonitana auctoritate apostolica deputato.

Multorum relatio ad nostrum perduxit auditum, quod nonnulli fratres tui ordinis Minorum de regni Siciliae citra Farum et Venetiarum partibus, qui dudum serpentina deceptione seducti se ab obedientia Romanae ecclesiae ac ordinis praedicti et praelatorum eiusdem in suarum animarum salutis dispendium subtrahentes illius hominis reprobi Michaelis de Caesena, olim supradicti ordinis generalis ministri, de haeresi sententialiter condempnati, eiusque sequacium et complicum damnatorum secuti fuerant (deambulando per diversoria mortis praecipites, dampnabilia devia et errores), nunc saniori ducti consilio, apertis inspirante Domino rationis oculis, quos detestanda delictorum huiusmodi clauserat enormitas, se cognoscunt ab unitate ecclesiae dampnabiliter separasse tactique dolore cordis intrinsecus ad eandem redire desiderant unitatem. Nos autem, qui summi et aeterni pastoris vices insufficientibus meritis in terris gerimus, confovere volentes in votis tam salutaribus fratres ipsos, attendentes quoque, quod tu ordinis praelibati professor fratrum eorumdem salutis animarum zelator

---

[1] Hae litterae inclusae erant illis, quae sequuntur: « *Geraldo Ottonis, ordinis fratrum Minorum generali ministro.* Ecce fili, quod tibi et capitulo generali scribimus, prout in litteris nostris una cum eis poteris intueri. Mandamus enim rectori et thesaurario Spoleti, ut ipsi vel alter eorum ad dictum accedant capitulum, benevolentiam offerant, instent pro devotis ordinis praedicti orationibus, ac tibi et procuratori dicti ordinis centum florenos auri de pecunia nostrae camerae in subsidium expensarum eiusdem capituli largiantur. Et insuper te aliosque ministros et fratres accedentes ad ipsum capitulum dilectis filiis Assisinati et Perusino communibus commendamus. Sis igitur sollicitus, quod pro nobis et eadem ecclesia per eumdem ordinem devotae preces ad Dominum effundantur. Datum ut supra [XVI kalendas maii, anno decimo octavo] ». *Rectori et thesaurario ducatus Spoletani* summus pontifex haec scribit: « Cum generale fratrum ordinis Minorum instare noscitur capitulum in civitate Assisinate actore Domino celebrandum, volumus vobisque praesentium tenore mandamus, quatenus vos vel alter vestrum apud Assisium, cum dictum celebrabitur capitulum, [vos] conferentes et dilectis filiis generali et aliis eiusdem ordinis ministris et fratribus ibidem pro ipso capitulo congregandis pro parte nostra benivolentiam offerentes apud eos, ut pro nobis et statu totius ecclesiae sanctae Dei devotas orationes fundant ad Dominum et per fratres ordinis praelibati fundi generaliter ordinent, exhortatione caritativa insistere procuretis et nihilominus eisdem generali ministro ac procuratori ipsius ordinis centum florenos de pecunia camerae nostrae in subsidium expensarum dicti capituli erogetis: rescripturi nobis quantocius, quid circa [haec] egeritis et alia, quae de praedicto capitulo et illis partibus videritis nuncianda. Datum XVI kalendas maii, anno decimo octavo ».

Eisdem: « Scripsimus vobis nuper post salutationis eloquium in haec verba: Cum generale *etc. ut supra usque:* Dat. Cum itaque generali et aliis ministris ac custodibus et fratribus in eodem capitulo congregandis litteras nostras clausas iam direxerimus, et nunc alias, quas vobis mittimus cum praesentibus, destinemus, volumus, quod huiusmodi litteras praesentetis, etiam si aliae, quas ut praefertur iam misimus, praesentatae fuissent et lectae; centum florenos praedictos dictis generali ministro et procuratori praedicti ordinis, prout in praelibatis litteris exprimitur, assignantes et alia complentes nihilominus, quae in ipsis litteris continentur. Datum VI kal. maii anno decimo octavo ». Communibus Assis. et Perusin. summus pontifex haec scripserat: « *Communi civitatis Assisinat.* Cum generale capitulum fratrum ordinis Minorum Assisii celebrandum instare noscatur, dilectos filios generalem et alios ministros et fratres eiusdem ordinis ad ipsum convenientes capitulum vestrae caritativae benivolentiae propensius commendamus. Datum XVI kal. maii, anno decimo octavo. In eundem modum *Communi Perusin.* ».

Codici bibl. nat. Paris. lat. 3387, f. 262-263, insunt litterae a Guilelmo Okam ad fratres a. 1334 in festo Pentecostes (16 maii) apud Assisium congregatos missae, quibus rationem reddit de his, quae egit, agit atque aget, et de causa suae absentiae a multitudine fratrum. Cfr. *Zeitschrift für Kirchengeschichte* ed. *Brieger* VI, 108-112.

[2] Reg. Vat. t. 117, f. 228, ep. 1145. De illis praesertim fratribus agi videtur, qui olim in castro Litterae degebant. Cfr. supra p. 544 not. 3.

ex debito caritatis existis, discretioni tuae, de qua plenam in Domino fiduciam gerimus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus, ut fratres ipsi conceptum tam laudabilem ad partum usque perducant, operosum studium et studiosam operam interponens fratres praedictos, qui relictis omnino praedictis inviis ad eandem unitatem redire voluerint ac contritis et humiliatis cordibus ad id petierint humiliter se admitti sibique provideri de absolutionis beneficio ab excommunicationis sententiis, quas propter haec praemissa incurrisse noscuntur, eiusdem unitati ecclesiae reincorporare ac ad nostram et ipsius ecclesiae gratiam admittere sibique de absolutionis praedictae beneficio iuxta formam ecclesiae ab eisdem sententiis providere [et] poenitentias iniungere salutares auctoritate nostra procures hac vice: adiiciendo tamen spécialiter et expresse, quod nos ex nunc etiam haberi volumus pro adiecto, quod, si ipsi ad talia vel similia facinora redirent imposterum committenda, quod absit, in easdem sententias recidant ipso facto. Volumus autem, quod super absolutione huiusmodi, dum et quotiens ad eam procedere te continget, et forma ipsius confici facias publica instrumenta praesentium seriem continentia, illa nobis fideliter transmissurus, quodque potestas tibi per praesentes litteras attributa duret usque ad sex menses dumtaxat. Datum [Avinione], X kalendas maii, anno decimo octavo.

1063. Mandat episcopo Olomucen., quod fratribus Min. concedat facultatem unum locum in oppido Hradicz ad usum suum recipiendi. [1]

1334, maii 1, Avinione.

Episcopo Olomucen.

Magna laetitia fidelium cordibus affluenter innascitur, cum divina virtus omnipotentiae mira et miranda plerumque vere miracula sanctorum meritis visibiliter operatur, unde fidelium ipsorum fidei firmitas dignae zelo devotionis incenditur et igne accenditur caritatis, debitumque et meritorium opus efficitur, cum pro donis coelestibus aeternae maiestatis gloriae temporaliter offerunt devotae gratitudinis holocaustum. Ex tenore siquidem petitionis dilecti filii Nicolai ministri provincialis ordinis Minorum in Boemia et Polonia nobis oblatae percepimus, quod olim circa moderna tempora in die festivitatis beati Francisci oppidum Hraditz [2] tuae dioecesis per inimicos hostiliter vallatum extitit, iamque dictis inimicis per muros trascendentibus incolae dicti oppidi, resistere non valentes, ad ipsius beati Francisci patrocinium confugerunt, moxque misericors Deus praefatos inimicos taliter perterruit, quod nullus ipsorum arcum tendere vel gladium evaginare potuit, sed quasi amentes et caeci recesserunt ab inde. Quo quidem viso miraculo, dilecti filii iudex et scabini praedicti oppidi cum aliis eiusdem oppidi incolis voverunt, ad honorem beati Francisci locum in dicto oppido construere ac in eo fratres Minores dicti ordinis collocare; necnon carissimus in Christo filius noster Ioannes rex Boemiae illustris oppidanis praedictis suum beneplacitum praebuit gratumque gerit, ut ipsi fratres Minores collocentur in loco huiusmodi construendo. Quare nobis dictus minister humiliter supplicavit, quod, ut huiusmodi votum executionem debitam et optatam suscipiat, dignaremur apostolici favoris impertiri praesidium et opportunam licentiam elargiri. Nos igitur, si praemissa veritate nitantur, merito in Domino exultantes et cupientes eiusdem ordinis salubris et felicis status pro cultu divini nominis ampliando et salute christicolarum assiduum incrementum, huiusmodi etiam supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, si praedicta inveneris ita esse, fratribus dicti ordinis recipiendi praefatum locum in eodem oppido et in eo construendi ecclesiam seu oratorium et alias necessarias officinas et in ipso coemeterium habendi necnon in dicto loco fratres dicti ordinis deputandi ad morandum in illo et Deo perpetuo serviendum, dummodo praedictum oppidum sit sufficiens ad sustentationem duodecim fratrum ordinis memorati, plenam et liberam licentiam, sine iuris praeiudicio alieni, apostolica auctoritate concedas: fel. rec. Bonifatii papae VIII praedecessoris nostri prohibente, ne loca de novo recipiantur a fratribus ordinum Mendicantium absque licentia dictae sedis, faciente plenam et expressam de prohibitione huiusmodi mentionem, et qualibet alia constitutione contraria non obstante. Datum Avinione, kalendas maii, anno decimo octavo. [3]

1064. Vitum de Castroferreo ord. Min. praeficit ecclesiae Nitrien. in episcopum. [4]

1334, maii 11, Avinione.

Dilecto filio Vito de Castroferreo electo Nitrien.

Sedulo nos pastoralis officii cura sollicitat *etc.* Nuper siquidem ecclesia Nitrien. [5] vacante (pro eo quod nos ven. fratrem nostrum Mesconem Vesprimen. tunc Nitrien. episcopum licet absentem a

---

[1] Reg. Vat. t. 107, ep. 832; apud *Wadd.* l. c. n. 173.

[2] I. e. Hradisch Hungaricum. *Wadd. scribit perperam:* Braditz.

[3] Haec fundatio eo tempore minime perfecta est: anno autem 1490 Ioannes episcopus Varadiensis et administrator Olomucensis in praedicto oppido Hradisch pro fratribus Min., qui de Observantia appellantur, domum construxit, quae adhuc existit.

[4] Reg. Vat. t. 106, ep. 966; cfr. supra p. 535 not. 2.

[5] *Nyitra* vel *Neutra* in Hungaria.

vinculo, quo ipsi Nitrien. ecclesiae ... tenebatur, de fratrum nostrorum consilio et apostolicae potestatis plenitudine absolventes ipsum ad Vesprimen. ecclesiam tunc vacantem duximus transferendum *etc.*), nos ... post deliberationem, quam de praeficiendo ipsi ecclesiae Nitrien. personam utilem ac etiam fructuosam cum eisdem fratribus habuimus diligentem, demum ad te ordinis fratrum Minorum professorem, in sacerdotio constitutum, cui de litterarum scientia *etc. ut supra n. 1052* testimonia suffragantur, direximus aciem nostrae mentis. Quibus omnibus debita meditatione discussis, de persona tua nobis et eisdem fratribus nostris ob huiusmodi tuorum exigentiam meritorum accepta de fratrum nostrorum consilio eidem Nitrien. ecclesiae auctoritate apostolica providemus teque ipsi Nitrien. ecclesiae in episcopum praeficimus et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo *etc.* Dat. Avinione, V idus maii, anno decimo octavo. [1]

1065. Gregorium Minoritam praeficit ecclesiae Sir(i)mien. in episcopum. [2]

1334, iunii 16, Avinione.

Venerabili fratri Gregorio episcopo Syrimien.

In supremae dignitatis specula *etc.* Olim siquidem bo. me. Georgio Syrimien. episcopo regimini Syrimien.[3] ecclesiae praesidente nos ... provisionem eiusdem ecclesiae, cum vacaret, ordinationi ac dispositioni nostrae et sedis apostolicae ea vice duximus specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum *etc.* Postmodum vero praefata ecclesia per obitum eiusdem Georgii episcopi, qui in partibus illis diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta ad provisionem ipsius ecclesiae celerem et felicem, de qua nullus praeter nos se hac vice intromittere potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, sollicite cogitantes *etc.*, post deliberationem, quam super his cum fratribus nostris attentam habuimus, demum ad te ordinis fratrum Minorum professorem, in sacerdotio constitutum, litterarum scientia praeditum, elegantia morum conspicuum, vitae munditia nitidum, religionis zelo fervidum, honestate decorum, in spiritualibus providum et temporalibus circumspectum ac aliis multiplicibus virtutum meritis, prout ex testimoniis fide dignis accepimus, insignitum, direximus oculos mentis nostrae. Quibus omnibus debita meditatione pensatis de persona tua eidem Syrimien. ecclesiae de ipsorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo; et subsequenter per venerabilem fratrem nostrum Gaucelinum episcopum Albanensem fecimus tibi munus consecrationis impendi *etc.* Datum Avinione, XVI kalendas iulii, anno decimo octavo. [4]

1066. Fratribus Min. in provinciae Daciae (vel potius Daniae) indulget, quod durante capitulo provinciali in oppido Swineborg divina officia publice celebrare possint, non obstante interdicto ecclesiastico. [5]

1334, iunii 28, Avinione.

Dilectis filiis .. ministro provinciali et fratribus ordinis Minorum de regno Daciae.

Cum tam in generali quam in provincialibus capitulis vestri ordinis consueverint cooptante Domino salubria et utilia ordinari, dignum fore conspicimus, ut vobis apostolici favoris praesidium impendamus, per quod ad salubria et utilia huiusmodi Deo auctore valeatis pervenire. Cum itaque, sicut ex tenore petitionis vestrae nobis oblatae percepimus, vos generali capitulo dicti ordinis Assisii novissime celebrato habeatis provinciale capitulum in oppido Swineburg [6] Ottoniensis diocesis, ecclesiastico interdicto subiecto, etiam in regno Daciae consistente, in festo assumptionis beatae ac gloriosae semperque Virginis Mariae proxime futuro necessario celebrare ac celebrationi huiusmodi provincialis capituli generale interdictum ecclesiasticum, cui dictum regnum vigore cuiusdam statuti provincialis per archiepiscopum Lundensem, in eodem regno metropolitanum, qui tunc erat, eiusque suffraganeos editi et per sedem apostolicam ex certa scientia, ut asseritur, confirmati suppositum extitit, quod quidem interdictum in dicto regno generaliter observari dicitur, obsistere dinoscatur: nobis devote ac humiliter supplicastis, ut dignaremur vobis in hac parte de ipsius sedis clementia et benignitate apostolica providere. Nos igitur, huiusmodi pio et honesto negotio eius-

[1] In e. m. capitulo et vassallis ecclesiae Nitrien., clero ac populo civ. et dioec. Nitrien., archiepiscopo Strigonien. tamquam metropolitae, Carolo regi Hungariae. - Die 29 aug. 1334 summus pontifex eidem Vito indulget, ut munus consecrationis extra curiam Rom. possit recipere (l. c. ep. 1427).

[2] Reg. Vat. t. 106, ep. 885; apud *Wadd.* l. c. n. 174.

[3] *Sirmium* in Hungaria.

[4] In e. m. capitulo et vassallis ecclesiae Syrimien., clero ac populo civ. et dioec. Syrimien., archiep. Colocen. tamquam metropolitae, Carolo regi Hungariae. - Die 21 iulii 1334 summus pontifex eidem Gregorio concedit litteras plenae peccatorum absolutionis in articulo mortis sibi impertiendae (l. c. ep. 1338).

[5] Reg. Vat. n. 107, ep. 844.

[6] *Svendborg* in custodia Ottoniensi (*Odense*).

dem provincialis capituli nedum favere, sed illud promovere, quantum cum Deo possumus, intendentes, huiusmodi vestris supplicationibus inclinati, devotioni vestrae praesentium auctoritate concedimus, quod per octabas dicti festi praefato capitulo provinciali durante possitis (excommunicatis tamen exclusis) in ecclesia vestra dicti oppidi divina officia solempniter celebrare, cum ibidem non sit aliqua collegiata ecclesiastica, cui super hoc valeat, prout asseritis, derogari (praedicto interdicto, quod per easdem octabas, quantum ad vos, auctoritate praedicta ex nunc prout ex tunc suspendimus, non obstante). Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, IV kalendas iulii, anno decimo octavo.

1067. Reginae Hungariae concedit facultatem in oppido Budae unum monasterium Clarissarum fundandi. [1]

1334, iulii 15, Avinione.

Carissimae in Christo filiae Elisabethae reginae Hungariae illustri. [2]

Eximiae devotionis sinceritas *etc.* Cum itaque, sicut ex porrectae tuae petitionis tenore collegimus, tu tamquam filia benedictionis et gratiae, pio ducta proposito, ... ad divini nominis et beatae Clarae laudem et gloriam unum monasterium cum ecclesia, coemeterio, domibus et aliis officinis necessariis, in quo decens conventus monialium seu sororum ordinis dictae sanctae commode valeat immorari, in oppido Budae, loco utique populoso, Vesprimiensis dioecesis, pro tuae ac progenitorum tuorum animarum salute de bonis propriis fundare, construere et aedificare proponas: nos huiusmodi pium propositum multipliciter in Domino commendantes ac volentes tibi, ut illud exequi valeas, favorem apostolicum impertiri, tuis supplicationibus inclinati, tibi, ut huiusmodi monasterium cum ecclesia, coemeterio, domibus et aliis officinis necessariis (certo decenti monialium seu sororum collocandarum ibidem, postquam monasterium ipsum constructum fuerit, numero inibi constituto, ac dote sufficienti pro ipsis et aliis personis ad servitium ipsarum necessariis aliisque oneribus supportandis assignata primitus ad loci dioecesani arbitrium) in loco congruo et honesto fundare, construere ac aedificare licite valeas, iure tamen parrochialis ecclesiae dicti loci et cuiuslibet alterius semper salvo in omnibus, praesentium tenore concedimus de gratia speciali. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, idibus iulii, anno decimo octavo.

1068. Iacobum (de Stephanescis) s. Georgii ad velum aureum diac. card. instituit protectorem ordinis Minorum. [3]

1334, iulii 23, Avinione.

Dilecto filio Iacobo s. Georgii ad velum aureum diacono cardinali.

Nuper dilecti filii generalis et provinciales ministri ordinis fratrum Minorum, de generali eiusdem ordinis capitulo novissime in Assisio celebrato ad sedem apostolicam accedentes, nobis iuxta praeceptum regulae ipsius ordinis humiliter supplicarunt, ut, cum ordo ipse protectore, gubernatore et correctore careat ad praesens, te, quem ad ordinem ipsum noscunt specialis devotionis et dilectionis affectum habere, in protectorem, gubernatorem et correctorem eidem ordini concedere dignaremur. Nos igitur, qui ordinem ipsum sincere diligimus, supplicationi huiusmodi benignius annuentes, te, de cuius probitate, scientia et providentia circumspecta plene confidimus, in protectorem, gubernatorem et correctorem auctoritate apostolica ordini et fratribus concedimus memoratis. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, X kalendas augusti, anno decimo octavo.

1069. Ministrum provincialem Thusciae monet, ut Iacobum de Pistorio, qui ab ordine Min. ad legem Saracenorum olim transgressus ad fidem cath. et ordinem Min. vult redire, misericorditer recipiat et a censuris eccl. absolvat. [4]

1334, iulii 31, Avinione.

Dilecto filio .. ministro provinciali fratrum ordinis Minorum in provincia Tusciae.

Clemens et mitis sancta mater ecclesia lapsis filiis cupientibus ad virtutum exercitium resurgere post ruinam prompte manum reconciliationis porrigit et dulcoris, se pronam et mitem illis exhibens ad piam remissionis veniam, ne in desperationis praecipitia praelabantur, sed tantae misericordiae perceptione grati corda eorum perpetuo stabiliant in observantia fidei orthodoxae. Pro parte siquidem Iacobi de Pistorio, fratris tui ordinis eundem ordinem professi, nobis extitit intimatum, quod ipse Iacobus, qui tunc temporis cum aliis fratribus praefati ordinis in imperio Usbechi Tartarorum imperatoris, ut suam et aliorum infidelium illarum partium animas domino nostro Ihesu Christo lucrifaceret, morabatur et nunc etiam inibi commoratur, pro certis culpis tunc ab eo instinctu maligno commissis ob fragilitatem suae carnis eius spiritum superantis, ut evaderet ipsius ordinis disciplinam, in mortiferae desperationis abyssum corruit et se in Saracenorum easdem partes colentium transtulit

[1] Reg. Vat. t. 106, ep. 929 (cfr. ep. 932); apud *Wadd.* l. c. n. 175.

[2] Caroli regis uxori, Wladislai regis Poloniae filiae.

[3] Reg. Vat. t. 106, ep. 977, et t. 117, f. 300, ep. 1574; apud *Wadd.* l. c. ad a. 1334, n. 33 et 34; cfr. supra n. 1015.

[4] Reg. Vat. t. 106, ep. 1061.

potestatem et tanquam exominatus ex privatione nobilis intellectus et mentaliter occaecatus ritum ipsorum Saracenorum abominabilem et obscoenum assumpsit cultumque professus expresse fuit execratissimi Machometi et se more eorundem Saracenorum circumcidi fecit seu permisit, supradicta fide verissima publice abnegata; praefatus quoque Iacobus, qui antea satagebat infideles praedictos rationibus veracissimis superare et ad fidem convertere praelibatam, iacens in volutabro peccatorum, Christi fideles in dictis partibus existentes et ad eas etiam attendentes suis falsis et sophisticis argumentis confundere ac prosequi coram ipsis infidelibus dampnabiliter est molitus, ex quo fideles ipsi multas et diversas contumelias pertulerunt. Nuper autem praedictus Iacobus ad cor suum rediens et poenitens etiam de commissis a nobis fecit humiliter postulari, desiderans reincorporari sanctae ecclesiae unitati, de qua sicut membrum putridum est praecisus, ut sibi misericordis indulgentiae aperire ianuam dignaremur. Quia igitur eadem ecclesia velut mater piissima non claudit gremium redeunti nec potest suos filios quos genuerat oblivisci, nos more Salvatoris nostri, cuius vice quamquam immeriti fungimur super terram, quique non vult ipsorum interitum sed eos ad conversionem expectat, ut supervivant, plene poeniteant et per innocentis vitae fastigium coelestis Ierusalem gloriam et immarcescibilem coronam assequantur, discretioni tuae per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, eiusdem Iacobi, cum ipse ad te pervenerit, confessione super hiis diligenter audita et per eum solemniter et publice (ut moris et iuris est in talibus fieri) ritu et cultu praetactis ac erroribus, in quos inciderat, primitus abiuratis, ipsum a generalibus excommunicationum sententiis, quas ob praedicta incurrit, et a reatibus, quibus proinde irretitus existit, aliisque peccatis suis auctoritate nostra cures absolvere eumque incorporare et reintegrare ecclesiae sanctae Dei in forma ecclesiae consueta: iniungens eidem pro praemissis poenitentiam salutarem, nullam propterea sibi poenam aliam infligendo. Datum Avinione, II kalendas augusti, anno decimo octavo.

1070. Guilelmo archiepiscopo Patracen. (ex ord. Min.) concedit facultatem testandi. [1]

1334, augusti 1, Avinione.

Venerabili fratri Guillelmo archiepiscopo Patracensi.

Quia praesentis vitae conditio *etc. ut supra n. 1054.* Nos itaque *etc.* ut de bonis *etc.* per ecclesiam Patracensem ... licite acquisitis *etc.* disponere et erogare possis et alias ... in pios usus et licitos committere valeas. Non obstante *etc.* Volumus autem *etc.* Datum Avinione, kalendis augusti, anno decimo octavo. [2]

1071. Pastorem de Serrescuderio ord. Min., mag. theol., ab obedientia ministri generalis eximit. [3]

1334, augusti 1, Avinione.

Dilecto filio Pastori de Serrescuderio ordinis fratrum Minorum, s. theologiae professori. [4]

Exposcit tuae sinceritatis devotio, qua nos et sedem apostolicam revereris, ut personam tuam opportunis favoribus prosequamur. Hinc est, quod nos ex certis causis ad id nostrum animum moventibus te ab obedientia et subiectione dilecti filii Geraldi Othonis, ordinis fratrum Minorum, cuius professor existis, generalis ministri, auctoritate apostolica duximus usque ad nostrum beneplacitum tenore praesentium eximendum: nolentes tamen, quod propter hoc ab obedientia et subiectione praelibati ordinis aut provincialis ministri seu custodum et guardianorum aliorumque praelatorum ipsius ordinis (praeterquam dicti Geraldi generalis ministri) quomodolibet intelligaris exemptus. Nulli ergo *etc.* Datum Avinione, kalendis augusti, anno decimo octavo.

1072. Gratiam de Aquila ord. Min. ecclesiae Dulc(h)inen. praeficit in episcopum. [5]

1334, augusti 17, Avinione.

Dilecto filio Gratiae de Aquila electo Dulchinen.

Apostolatus officium *etc.* Vacante siquidem nuper ecclesia Dulchinen. [6] (pro eo, quod nos ven. fratrem nostrum Thomam Catharen. tunc Dulchinen. episcopum, apud sedem apostolicam constitutum, a vinculo, quo ipsi ecclesiae Dulchinen., cui tunc praeerat, tenebatur, de fratrum nostrorum consilio et apostolicae plenitudine potestatis absol-

[1] Reg. Vat. t. 106, ep. 1402; cfr. supra n. 234.

[2] Aliis litteris eodem die datis summus pontifex ipsi Guilelmo concedit indulgentiam sive absolutionem peccatorum plenariam in articulo mortis sibi impertiendam (l. c. ep. 1335). Hanc ipsam indulgentiam die 23 maii 1332 Ladislao archiepiscopo Colocen. (ex ord. Min., cfr. supra n. 281) concesserat (l. c. t. 102, ep. 1011).

[3] Reg. Vat. t. 106, ep. 920.

[4] Qui a. 1329 capitulo generali Parisiis celebrato aderat ut minister provincialis Provinciae (cfr. supra not. ad n. 795), a. 1337 fit Assisiensis episcopus et a. 1339 archiepiscopus Ebredun., a. autem 1350 promovetur ad dign. cardinalitiam.

[5] Reg. Vat. t. 106, ep. 1127; apud *Wadd.* l. c. n. 165.

[6] *Dulcigno* sive *Olgun* in Dalmatia.

ventes ipsum ad Catharen. ecclesiam tunc vacantem duximus transferendum *etc.*), nos attendentes, quod nullus praeter nos de ordinatione ipsius ecclesiae Dulchinen. se hac vice intromittere potest, pro eo quod *etc.*, de praeficiendo eidem ecclesiae Dulchinen. personam utilem ... cogitare coepimus diligenter et post deliberationem, quam de praeficiendo praefatae ecclesiae Dulchinen. personam talem cum iisdem fratribus attentam habuimus, demum ad te ordinis Minorum professorem, in sacerdotio constitutum, cui religionis zelus, vitae munditia, morum honestas, litterarum scientia et alia virtutum merita, prout ex testimoniis fidedignis accepimus, laudabiliter suffragantur, direximus oculos nostrae mentis. Quibus omnibus debita meditatione pensatis de persona tua praedictae Dulchinen. ecclesiae ... auctoritate apostolica providemus teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem eiusdem tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo *etc.* Datum Avinione, XVI kal. septembris, anno decimo octavo. [1]

1073. Mariae Barrili moniali mon. s. Mariae domnae reginae Neapolitan. concedit plenariam peccatorum absolutionem in articulo mortis sibi impertiendam. [2]

1334, augusti 18, Avinione.

Dilectae in Christo filiae Mariae Barrili moniali monasterii s. Mariae domnae reginae Neapolitani ordinis s. Clarae. [3]

Sincerae devotionis affectus, quo nos et Romanam revereris ecclesiam, promeretur, ut petitiones tuas, praesertim quae animae tuae salutem conspiciunt, ad exauditionis gratiam admittamus. Hinc est *etc. ut supra n. 1036.* Datum Avinione, XV kalendas septembris, anno decimo octavo.

1074. Certam quandam pecuniae quantitatem a Mino de s. Quirico ord. Min., inquisitore haer. prav., receptam et apud Guidonem Thege mercatorem Florentinum depositam ab eodem exigi iubet. [4]

1334, augusti 29, Avinione.

Magistro Pontio Stephani canonico Biterrensi, apostolicae sedis in partibus Tusciae nuncio.

Cum dilectus filius Minus de s. Quirico ordinis fratrum Minorum, olim inquisitor haer. prav. in partibus Tusciae auctoritate apostolica deputatus, mille quadringentos viginti sex florenos et duas partes unius floreni auri, per eum ratione officii inquisitionis pravitatis eiusdem collectos, penes dilectum filium Guidonem Thege de Tholefinis mercatorem Florentinum dudum duxerit, sicut accepimus, deponendos, summaque florenorum huiusmodi ad cameram nostram iuxta rationes, quas eidem reddidit dictus Minus de his, quae ad eum ratione dicti officii pervenerant, pertinere noscuntur: discretioni tuae per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus ab eodem mercatore petere, exigere ac recipere nomine praedictae camerae studeas dictam summam, ipsum mercatorem ad eam tibi dicto nomine assignandam, si de plano, simpliciter, sine strepitu et figura iudicii de deposito praedicto tibi constiterit, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellendo: invocato *etc.* Non obstante *etc.* Volumus autem, quod praefatos Minum et mercatorem de hoc, quod inde tibi assignatum extiterit, absolvere valeas plenius et quitare, faciendo super hoc duo fieri consimilia publica instrumenta, quorum altero penes mercatorem ipsum dimisso reliquum ad eandem mittere cameram non postponas. Datum [Avinione,] IV kalendas septembris, anno decimo octavo.

1075. Inquisitores haer. prav. in partibus Thusciae ad computum faciendum induci iubet. [5]

1334, augusti 29, Avinione.

Eidem nuncio (cfr. supra n. 1074).

Dudum tibi per nostras certi tenoris litteras meminimus commisisse, ut ab inquisitoribus haer. prav. in partibus Tusciae auctoritate apostolica deputatis de hiis, quae ratione dicti officii ad eos pervenerant, rationes exigere procurares, sicut in eisdem litteris plenius continetur. Volentes igitur per te circa hoc solertem diligentiam adhiberi, discretioni tuae per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus ab eisdem inquisitoribus, qui nunc sunt et hactenus tempore nostri apostolatus fuerunt in partibus supradictis, de omnibus et singulis, quae ad eos ratione praedicti officii pervenerunt, de quibus nostrae camerae vel alii nomine ipsius rationes non reddiderunt huiusmodi, rationes illas exigere et audire ac examinare solerti adhibita diligentia non postponas: ea, quae de praemissis ad cameram nostram spectare repereris, exigendo, petendo et recipiendo dictae camerae nomine nihilominus ab eisdem: contradictores *etc.*,

---

[1] In e. m. capitulo eccl. Dulchinen., clero ac populo civ. et dioec. Dulchinen., archiep. Antibaren. tamquam metropolitae, Stephano regi Rassiae. Die 9 sept. 1334 idem Gratias, qui per Anibaldum episc. Tusculan. munus consecrationis iam recepit, a summo pont. licentiam ad eccl. suam se conferendi obtinet (l. c. ep. 1526), die autem 31 maii 1342 ad eccl. Polen. (*Pola* in Istria) transfertur.

[2] Reg. Vat. t. 106, ep. 1353.

[3] Cfr. supra n. 231, 232, 345, 373.

[4] Reg. Vat. t. 117, f. 277, ep. 1439; cfr. supra n. 921 et 1050 atque infra n. 1075.

[5] Reg. Vat. t. 117, f. 277, ep. 1440; cfr. supra n. 921, 1050, 1074.

non obstante *etc.* Volumus autem, quod eos, a quibus ea receperis, absolvere valeas plenius et quitare: de hoc, quod inde receperis ab eisdem, faciendo exinde duo confici consimilia publica instrumenta, quorum altero penes ea assignantes dimisso reliquum ad ipsam procures cameram destinare. Datum [Avinione,] IV kal. sept., anno decimo octavo. [1]

1076. Guillelmo cancellario Parisien. mandat, ut Fortanerio Vassalli ord. Min. magisterium in theologia tribuat. [2]

1334, septembris 1, Avinione.

Dilecto filio .. cancellario ecclesiae Parisiensis.

Habet assertio fidedigna, quod dilectus filius Fortanerius Vassalli ordinis fratrum Minorum, in sacrae theologiae facultate bacallarius, adeo in facultate ipsa laudabiliter divina sibi gratia suffragante profecit, quod ad recipiendum magisterii honorem in eadem facultate idoneus reputatus per eundem ordinem extitit ad magisterium promovendus huiusmodi praesentatus. Nos igitur ... discretioni tuae per apostolita scripta mandamus, quatinus dictum Fortanerium, si eum ad huiusmodi [honorem] magisterii idoneum fore repereris praesentatusque ad illum pro parte ordinis praedicti fuerit, ut praefertur, ad eiusdem magisterii statum (non obstante, quod aliqui bacallarii in facultate praedicta in ordine recipiendi magisterium huiusmodi praecedant eundem, seu quod hoc anno bacallarii eiusdem ordinis vel alii ex ordinatione seu statuto studii Parisiensis aut memorati ordinis non debeant promoveri ad praedictum magisterium) infra unum mensem a die receptionis praesentium computandum, nisi aliud legitimum impedimentum circa haec occurrerit, studeas promovere. Nos enim bacallariis ipsis, quin ipsi ad eiusdem magisterii honorem post promotionem huiusmodi ordine et temporibus debitis valeant promoveri, aut eisdem statuto et ordinationi nullum per hoc volumus praeiudicium generari. Dat. Avinione, kal. septembris, anno decimo octavo. [3]

1077. Petro de Engolisma ord. Min. concedit plenariam peccatorum absolutionem in articulo mortis ipsi impertiendam. [4]

1334, septembris 5, Avinione.

Dilecto filio Petro de Engolisma ordinis fratrum Minorum.

Provenit ex tuae devotionis affectu *etc. ut supra n. 1036.* Datum Avinione, nonis septembris, anno decimo nono.

1078. Ministrum provinciae Daciae (Daniae) ord. Min. monet, ut a molestatione duorum fratrum ab ipso ordine Min. ad ordinem Cist. translatorum desistat. [5]

1334, septembris 13, Avinione.

Dilectis filiis .. ministro ac universis custodibus et gardianis fratrum ordinis Minorum et eisdem fratribus per provinciam Daciae constitutis.

Devotioni congruit, caritati concordat et consonat rationi, ut hii, qui se misericordiarum Patri et Domino pro eius miserationis gratia impetranda in humilitatis spiritu perpetuo servituros regularis professionis astricti vinculo dedicarunt, in huiusmodi eorum honesto et salubri proposito foveantur nec in illo aliquatenus perturbentur, sed pacifice permittantur excellentiae divinae quietis mentibus pensum exsolvere debitae servitutis. Sane dilectus filius Kanutus Aghonis de Ripis, monachus monasterii Locidei Cisterciensis ordinis Ripensis diocesis, sua nobis humili et devota insinuatione monstravit, quod olim ipse ab observantia et obedientia vestri ordinis, in quo se vinculo professionis astrinxerat, per litteras venerabilis fratris nostri Gaucelini episcopi Albanensis, poenitentiariae nostrae curam gerentis, auctoritate nostra et de speciali nostro mandato, super hoc vivae vocis oraculo sibi facto, penitus absolutus, ad ordinem Cisterciensem de licentia ipsius episcopi et auctoritate praedicta sibi a nobis concessa sine mora se transtulit, in quo pluribus annis extitit iam professus et in dicto monasterio laudabiliter conversatus. Verum, quia vos vel aliqui vestrum minus veraciter asserentes, huiusmodi absolutionem et licentiam per eundem episcopum auctoritate et de mandato nostris praedictis habitas et factas non valere, pro eo quod de potestate sua, quam super hoc a nobis receperat, sub bulla nostra non apparent absolutio et licentia praelibatae, dictum Kanutum temere capere necnon ad eundem vestrum ordinem, de quo auctoritate et mandato praefatis absolutus ut praefertur fuerat, reducere nitimini, et tam Kanutum quam monasterium praedicta per impetitionem huiusmodi vexatis multipliciter et etiam perturbatis. Cum itaque idem Kanutus intendat, ut asserit, in ordine Cisterciensi iamdicto virtutum

[1] Aliis litteris eodem die datis summus pontifex eidem nuntio mandat, ut « nonnulla bona mobilia et immobilia in partibus Tusciae consistentia, quae per officium inquisitionis haer. prav. confiscata ratione criminis haeresis esse dicuntur, vocato inquisitore pravitatis eiusdem in partibus eisdem auctoritate apostolica constituto, subhastationibus legitimis praecedentibus vendat et, quo pretio vendita fuerint, cameram apostolicam certiorem efficiat » (l. c. ep. 1441).

[2] Reg. Vat. t. 117, f. 184, ep. 916; *Chart. Univ. Paris.* t. II, p. 412, n. 968.

[3] Iste Fortanerius a. 1343 fit minister generalis ord. Min. et a. 1347 archiep. Ravennaten., a. 1351 ad patriarchatum Graden. transfertur et die 17 sept. 1361 in S. R. E. cardinalem promovetur, sed iam 13 nov. 1361 moritur (titulo card. non accepto).

[4] Reg. Vat. t. 106, ep. 1516.

[5] Reg. Vat. t. 106, ep. 1495, et t. 108, ep. 230.

Domino in perpetuum famulari, nobis supplicavit humiliter et devote, ut providere sibi super hoc de apostolicae sedis clementia et benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, huiusmodi praefati Kanuti supplicationibus inclinati, universitati vestrae per apostolica rescripta districte mandamus, quatenus Kanutum et monasterium antedicta praemissorum occasione deinceps nullatenus perturbetis nec per alios perturbari quomodolibet procuretis, sed permittatis in pace praedictum Kanutum degere Deoque servire in monasterio et Cisterciensi ordine memoratis. Sic igitur huiusmodi mandatum apostolicum vobis directum obedienter adimplere curetis, quod exinde de virtute obedientiae humilis et devotae, ad quam etiam vos regularis observantiae vigor astringit, commendari merito valeatis. Datum Avinione, idus septembris, anno decimonono.

In e. m. *eisdem* quoad Laghonem Petri de Daldemp monachum mon. Rurisregii ord. Cist. dioec. Sleswicen., olim ordinis fratrum Min.

1079. Monasterio de Waterbech ord. s. Clarae quandam ecclesiam incorporari iubet. [1]

1334, septembris 25, Avinione.

Dilecto filio Itherio de Concoreto archidiacono Londonien., nostro et apostolicae sedis in Anglia nuncio.

Pro parte dilectarum in Christo filiarum abbatissae et conventus monasterii de Waterbeche [2] ordinis sanctae Clarae Elien. dioecesis nobis extitit humiliter supplicatum, ut ecclesiam de Bydinh Lincolnien. dioecesis, quae, ut asseritur, de earum patronatu existit cuiusque fructus, redditus et proventus quindecim marcharum argenti secundum taxationem decimae valorem annuum non excedunt, mensae earumdem per te uniri et appropriari auctoritate apostolica mandaremus. Nos igitur volentes de praemissis plenius informari, discretioni tuae, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, utrum dictae abbatissa et conventus sine unione huiusmodi possint sustentari sufficienter vel non, et an dicta ecclesia de earum patronatu ut praefertur existat, ac de ipsius ecclesiae redditibus auctoritate nostra diligentius te informes, et quaecumque super his per informationem huiusmodi repereris, nobis per tuas patentes litteras vel instrumentum publicum, harum seriem continentia, sub tuo sigillo quam citius fideliter referre et intimare procures. Datum Avinione, VII kalendas octobris, anno decimo nono.

1080. Mandat rectori marchiae Anconitanae, ut quandam donationem fratribus Min. in Monte s. Mariae (in Georgio) factam, si eam legitime factam invenerit, confirmet. [3]

1334, octobris 4, Avinione.

Dilecto filio mag. Bernardo de Piano, sacristae eccl. Magalonen., capellano nostro, marchiae Anconitanae rectori.

Ex tenore petitionis dilectorum filiorum guardiani et fratrum ordinis Minorum loci de Monte sanctae Mariae [4] Firmanae dioecesis oblatae nobis nuper accepimus, quod olim pro parte ipsorum nobis exposito, quod, licet ipsi praedictum locum de Monte sanctae Mariae iusto titulo acquisivissent et recepissent ipsumque per sexaginta annos et amplius tenuissent et possedissent ac inhabitassent pacifice et quiete, tamen dilecti filii abbas et conventus monasterii Farfen. ordinis sancti Benedicti Sabinensis dioecesis falso asserentes, praefatum locum ad praefatum monasterium pertinere, et quod ipsi guardianus et fratres locum ipsum indebite detinebant, eosdem guardianum et fratres ipsis abbati et conventui super dicto loco de iustitia responsuros coram dilecto filio Angelo de Reate canonico Reatino, cui venerabilis frater noster episcopus Anagninus (asserens se conservatorem eisdem abbati et conventui contra inferentes eis iniurias et iacturas super bonis et locis ad dictum monasterium spectantibus a sede apostolica per ipsius sedis sub certa forma litteras deputatum, et habere cognoscendi de his, iudicialem indaginem quae exigunt, specialem per easdem litteras potestatem) commisisse dicebatur super hoc totaliter vices suas, prout sibi per dictas litteras competere asserebat, auctoritate litterarum et commissionis huiusmodi fecerant ad iudicium evocari; et quod, quamvis dictus canonicus copiam litterarum et commissionis huiusmodi et quorumdam aliorum iurium pro parte dicti abbatis et conventus coram eo in iudicio in causa huiusmodi productorum, ab eisdem guardiano et fratribus postulatam, ipsis guardiano et fratribus fieri decrevisset, quia tamen dictus canonicus ad recipiendum copiam huiusmodi et dicendum, quidquid dicere vellent contra praedicta, eis assignaverat terminum peremptorium nimis brevem, infra quem huiusmodi termino satisfacere nequiverant, aliumque longiorem terminum, infra quem copiam

[1] Reg. Vat. t. 106, ep. 1528; apud *Wadd.* l. c. n. 176.
[2] Sive de « Beche »; cfr. supra n. 177.
[3] Reg. Vat. t. 108, ep. 223; apud *Wadd.* l. c. n. 177.
[4] In Georgio (*Monte Giorgio*) in custodia Firmana prov. marchiae Anconitanae. Extant litterae die 4 nov. 1332 datae, sed cancellatae (l. c. t. 105 inter ep. 1338 et 1339), quibus summus pontifex Bertrando episcopo Ostien. et in Lombardia apostolicae sedis legato mandaverat, ut donationem quandam fratribus Minorum in loco castri montis s. Mariae in Georgio factam confirmaret.

praefatam habere valerent, assignare contra iustitiam recusarat, super hoc humiliter requisitus: pro parte dictorum guardiani et fratrum sentientium se exinde indebite aggravari fuerat ad sedem appellatum eamdem, et quod idem canonicus, huiusmodi appellatione contempta, tulerat excommunicationis sententiam in eosdem: nos ad instantiam dictorum guardiani et fratrum venerabili fratri nostro Angelo episcopo Viterbiensi, vicario nostro in Urbe, ac dilectis filiis abbati monasterii sancti Laurentii de dicta Urbe ac Petro de Columna canonico Lateranensi sub certa forma nostris litteris dedimus in mandatis, ut ipsi (vocatis, qui forent evocandi, et auditis hinc inde propositis) super praemissis, quod iustum esset, appellatione postposita, decernere procurarent (faciendo, quod decernerent, per censuram ecclesiasticam firmiter observari), prout in eisdem litteris dicitur plenius contineri; denique cum per certos subdelegatos, quibus episcopus Viterbiensis, abbas monasterii s. Laurentii et praepositus supradicti super praemissis commiserant vices suas, donec illas ad se ducerent revocandas, fuisset ad nonnullos actus in huiusmodi causa processum, praefatus episcopus Viterbiensis commissionem huiusmodi minus debite revocavit: propter quod pro parte dictorum guardiani et fratrum sentientium ex his et certis aliis gravaminibus ab eodem episcopo ut dicebant illatis eisdem contra iustitiam indebite se gravari, extitit, ut asseritur, ad nostram audientiam appellatum.

Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, guardianus et fratres eiusdem ordinis Minorum, qui in dicto loco fuerunt pro tempore, locum ipsum, qui alias fuerat ab olim praepositura regularis beatae Mariae dicti ordinis sancti Benedicti praefato monasterio Farfensi immediate subiecta, ex pura et libera donatione (facta olim fel. rec. Nicolao papae III praedecessori nostro, tunc Ioanni s. Nicolai in carcere Tulliano diacono cardinali, tunc temporis protectori eiusdem ordinis Minorum, et procuratori ecclesiae Romanae, qui tunc erat, recipientibus donationem huiusmodi pro ipsa Romana ecclesia et dictorum guardiani et fratrum habitatione, prout in instrumentis publicis inde confectis contineri dicitur) tenuerint et possederint a tempore supradicto et ante tempus ipsum sine aliqua praescriptionis et temporis interruptione et contradictione cuiusquam pacifice et quiete, licet, ut asseritur, abbas et conventus monasterii Farfensis praedicti (asserentes, praefatam donationem ex eo nullam fore, quod absque consensu dictae sedis, cui dictum monasterium tam in capite quam in membris immediate dicitur esse subiectum, facta fuit, quam quidem subiectionem guardianus et fratres praedicti se asserunt penitus ignorasse) eosdem guardianum et fratres super dicto loco, ut praemittitur, molestaverint et perturbent, pro guardiani et fratrum ipsorum fuit nobis humiliter supplicatum, ut eorum quieti providere in hac parte de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, considerantes attente, quod propter causam huiusmodi eiusque protractionem abbas et conventus et guardianus et fratres praedicti a divinis obsequiis, ad quae sunt specialiter deputati, non modico verisimiliter retrahuntur, et finem litibus, ut utrimque parcatur laboribus et expensis, cupientes imponi, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuae tenore praesentium committimus et mandamus, quatenus (vocatis, qui fuerint evocandi, et auditis hinc inde propositis), si tibi legitime constiterit, donationem huiusmodi de praedicto loco eisdem guardiano et fratribus factam fore legitimam, illam apostolica auctoritate confirmes: alioquin locum ipsum eisdem guardiano et fratribus, sine praeiudicio tamen parochialis ecclesiae ac iuris cuiuslibet alieni (litteris, commissionibus et processibus praefatis ac fel. rec. Bonifatii papae VIII praedecessoris nostri aut alia quacumque constitutione contraria nequaquam obstantibus, dummodo in dicto loco duodecim fratres dicti ordinis Minorum inibi commorantes honeste et congrue sustentari valeant), de novo, auctoritate praefata, concedas, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Testes autem, qui fuerint nominati, si se *etc.;* non obstantibus *etc.* Dat. Avinione, III nonas octobris, anno decimo nono. [1]

---

[1] Die 21 sept. 1334 summus pontifex eidem rectori mandavit, ut processus olim per Laurentium de Mondaino ord. Min., inquisitorem haer. prav., contra Fredericum de Monteferetro habitas inspiceret et referret (cfr. supra n. 405).

APPENDIX I

PROVINCIALE ORDINIS FRATRUM MINORUM VETUSTISSIMUM

Vetustissimus qui superest provinciarum locorumque ordinis fratrum Minorum catalogus, cui nomen *provinciale* esse solet, tum in codice Vaticano lat. n.° 1960 tum in cod. Bambergensi sign. « E, III, 11 » invenitur. Quos, quamquam alter ex altero non exscriptus est, tamen esse tam similes, ut uterque eundem autographum sequi videatur, multis probatur rationibus, quas hic afferre longum est. In utroque codice proxime procedit provinciale ecclesiae Romanae i. e. orbis catholici series provinciarum ecclesiasticarum earumque dioecesium suffraganearum; sed potiorem partem occupat historia satyrica a Paulino de Venetiis ord. Min., qui annis 1324-1344 episcopus Puteolanus erat, conscripta, ex quo nobis coniicere licet, illud quoque *provinciale* ab eodem esse compositum. Ipsum *provinciale* et Lucas Waddingus ord. Min. Rec. et Franc. Ant. Righini ord. Min. Conv., ille in celeberrimis Annalibus Minorum ad annos 1399-1400 saeculo septimo decimo, hic a. 1771 in eo libro, qui inscribitur « Provinciale ord. Min. S. Franc. Conv. seu Polychronicon Iordanis », quod quidem nihil aliud est nisi illa historia satyrica fr. Paulini supradicti, iam ediderunt. Ille vero non solum omisit, quae nominibus nonnullorum locorum adduntur, notas, sed etiam nusquam declaravit, quo nomine singula loca lingua vernacula appellarentur; hic, quamquam praeter notas compluribus locis nomina, sicut in lingua Italica sonant, adiunxerat, tamen et apud multa alia loca hoc omisit et in nonnullis rebus erravit.

Porro Bartholomaeus Pisanus in libro illo, qui inscribitur « Conformitates vitae s. Francisci ad vitam Iesu Christi », quinquaginta circiter annis post Provinciale de quo agimus conscripto, conformitate seu fructu XI alium similem catalogum ordinis fratrum Minorum edidit. Qui quidem catalogus a *provinciali,* quod in codicibus Vaticano et Bambergensi inest, non solum discrepat scriptione numeroque locorum, sed etiam provinciarum, custodiarum, singulorum locorum ordine. Ille enim, ut solet, a provincia s. Francisci incipit, sequuntur primum aliae provinciae Italiae, dein ceterae extra Italiam constitutae; hoc orditur a provincia Angliae ceterisque fere omnibus provinciis extra Italiam existentibus, postremo ponuntur provinciae Italicae. Sed numero provinciarum hoc cum illo concordat, sunt in utroque 34; id quod non est mirum. Hunc enim numerum Nicolaus papa IV, antea ipse frater Minor, anno 1288 constituit, cum decerneret, ne posthac ulla provinciarum divisio aut erectio sine speciali sedis apostolicae licentia fieret ultra eas, quae a generali capitulo praesente et annuente Gregorio papa IX decessore suo distinctae essent (in capitulo generali tempore Pentecostes anni 1239 Romae habito, a quo numerus provinciarum ad 32, 16 citramontanas et 16 ultramontanas, statutus erat) cum duabus, quae postea divisione duarum provinciarum (in binas) facta accessissent. Simulatque igitur posteriore tempore nova loca in novis regionibus acquisita erant, tantum in vicariatus sive in vicarias, non in provincias, redigebantur, id, quod iam videmus in eo de quo agimus *provinciali,* multo autem magis apud Bartholomaeum Pisanum, qui alias tres tales vicarias recenset, Bosniae, Russiae, Corsicae, quarum primam « multis provinciis aequipollere » recte dicere potuit.

Illud quidem *provinciale* cum catalogo Bartholomaei Pisani comparatum nostris curis denuo iam prodiit a. 1892 ex typographia collegii s. Bonaventurae ad Claras aquas (*Quaracchi*) apud Florentiam; sed huic quoque Bullarii Franciscani tomo quinto inserendum nobis visum est eoque modo edendum, quo in editione Quaracchiana usi sumus. Tum de isto modo edendi haec scripsimus: « Etsi ordo, quem sequitur *provinciale*, insolitus est, sicut diximus, tamen eum recipiendum esse putavimus. Notas vero nominibus locorum in contextu additas (unacum similibus, quae in catalogo Pisano inveniuntur, notis) maioris perspicuitatis causa in margine poni opus fuit, ita ut, quae Pisani sunt, et hic et in contextu uncis quadratis includerentur. Quae ad locorum nomina vel alias notaverat editor, rotundis uncis inclusa aut litteris, quas vocant italicas, sunt impressa ». Insuper etiam monemus, ea fere omnia, quae in illis notis referuntur, in chronicis quoque XXIV generalium ordinis Minorum nuperrime a patribus collegii s. Bonaventurae supradicti in tomo tertio Analectorum Franciscanorum editis enarrari.

INCIPIT

PROVINCIALE SECUNDUM ORDINEM FRATRUM MINORUM

I. ANGLIA.

I. LONDONIENSIS: [1] Londoniam (*London*), Salisbriam (*Salisbury*), Cantuariam (*Canterbury*), [2] Vinchisexam (*al.* Winchelseye, *Winchelsea*), Southantonam (*Southampton*), Levisiam (*Lewes*), Vintoniam (*Winchester*), Chichestriam (*Chichester*), [Vuarre (*Ware* prope Hertford)]; [3]

II. OXONIENSIS: Oxoniam (*Oxford*), [4] Radingiam (*Reading*), Bethfordiam (*Bedford*), Stanfordiam (*Stamford*), [5] Notingamiam (*Nottingham*), Northantonam (*Northampton*), Leycestriam (*Leicester*), Grahamiam (*Graham*);

III. BRISTOLENSIS: Bruggewatter (*Bridgewater*), Exoniam (*Exeter*), Dorcestriam (*Dorchester*), Bodminiam (*Bodmin*), Bristolium (*Bristol*), Gloucestriam (*Glocester*), Herfordiam (*Hereford*), Carmerdimiam (*Carmarthen*), Kardivia (*Cardiff*);

IV. GRANTBIGIA: Grantbigiam (*Cambridge*), Norvicum (*Norwich*), S. Emundum (*Bury St. Edmunds*), Lenniam (*Kings Lynn*), Grememirtam (*Greenwich*), Cepvicum (*Ipswich*), Calcestriam (*Colchester*), Dunvicum (*Dunwich*), [Balsingin (*Walsingham*)];

V. VINGORNIA: Vingorniam (*Worchester*), Convyntreiam (*Conventry*), Lichfeldiam (*Lichfield*), Stafordiam (*Stafford*), Prestonam (*Preston*), Salopiam (*Shrewsbury*), Cestriam (*Chester*), Lamasiam (*Hamely*), Briguorth (*Broughton*);

VI. EBORICENSIS: Eboracum (*York*), Licolniam (*Lincoln*), Beverlacum (*Beverley*), Ducastriam (*Doncaster*), S. Botulfum (*Bolton*), Gainisbriam (*Gainsborough*), [Scardebrigiae (*Scarborough*)];

VII. NOVICASTRI: [6] Novumcastrum (*Newcastle*), Richemundium (*Richmond*), Herthepeliam (*Hartlepool*), Carliolum (*Carlisle*), Bervuicum, Rochisbugiam, Hadyntoniam, Dunde, Dumfres. [7]

II. FRANCIA.

I. PARISIENSIS: Parisius (*Paris*), [8] Carnotum (*Chartres*), Meduntam (*Mantes*), Pontisaram (*Pon-*

---

[1] *Scilicet* custodia. *In cod. singulis provinciis haec verba:* habet *(tot)* custodias, *custodiis autem haec verba:* habens *(tot)* loca *apposita sunt, quae verba hic brevitatis causa omittuntur. Nomina locorum non solum in accusativo, sed etiam in nominativo, genetivo, ablativo poni, nemo non intelligit.*

[2] [In qua ecclesia magister Iohannes Peccian (Peccham) factus fuit archiepiscopus (1279-1292), homo magnae sanctitatis et scientiae, qui multos in diversis scientiis tractatus edidit.] *Cfr. Sbar. Suppl. ad Script. Min. p. 447 n. 2343.*

[3] [De quo fuit magister Ioannes, qui scripsit super sententiis et fuit, ut dicitur, magister doctoris subtilis Scoti.] *Magistrum tamen Scoti* Guilelmum Ware *fuisse constat. Cfr. Sbar. l. c. p. 331 n. 1713.*

[4] [Quem locum aedificavit fr. Agnellus de Pisis, factus primus minister Angliae a b. Francisco, ubi sepultus fuit miraculis pluribus decoratus.] *Plura de eo insuper conform. seu fructu VIII.*

[5] Ubi quiescit fr. Adam, qui in vita et post mortem fecit miracula.

[6] *Posteriora 5 loca huius custodiae etiam inferius n. XVII in vicariatu Scotiae recensentur, quare hic 4 loca remanent. Anno 1359 illa 5 loca iterum provinciae Angliae unita sunt. Cfr. Anal. Franc. II, 193.*

[7] [In hac siquidem provincia fratres semper fuerunt et sunt ad divinum officium, missas et alias ordinationes nostri ordinis specialiter ordinati, propter quae Deus auxit eos numero, bonis temporalibus et scientia; habuit enim magnam copiam semper magistrorum et proborum. De hac siquidem provincia fuit magister Ioannes Scotus doctor subtilis, cuius memoria quoad sufficientiam erit perpetua, qui multa opera fecit; magister Alexander de[H]ales, etsi Parisius steterit magno tempore; Guilelmus Ocham, qui multa opera fecit in logica et philosophia et alios libros plures; fr. Robertus *(Rogerus)* Bachon homo singularissimus, in omnibus scientiis expertissimus, qui etiam plures libros fecit et tractatus innumeros.... Ac multi praelati et magistri in theologia et aliis scientiis decorati, vitam attendentes sanctam fratrum, ordinem in hac Angliae provincia intraverunt....]

[8] Ubi quiescit fr. Iuliann Theotonicus mirae sanctitatis, qui fecit historias beatorum Francisci et Antonii; et fr. Venantius, in cuius obitu multae animae secum evolarunt ad paradisum, sicut cuidam fratri fuit Coloniae revelatum. [Quem (sc. locum) aedificavit fr. Agnellus de Pisis, qui fuit primus custos Parisiensis et deinde factus est Angliae minister. In hoc loco iacent mag. Alexander de(H)ales, qui, etsi Anglicus fuerit natione, in civitate tamen Parisiensi magno tempore legit; hic magister prae aliis magistris in universitate Parisiensi in magna habetur re-

toise), Meldis (*Meaux*), Silvanetum (*Senlis*), Stampis (*Etampes*);

II. Remensis: Remis (*Reims*), Catalanum (*Châlons-sur-Marne*), Suesionem (*Soissons*), Laudunum (*Laon*), Compendium (*Compiègne*);

III. Campaniae (*Champagne*): Pruinum (*Provins*), [8a] Trecas (*Troyes*), Senones (*Sens*), Altisiodorum (*Auxerre*), Visiliacum (*Vézelay*), Sesanie (*Sézanne*);

IV. Normaniae (*Normandie*): Rhotomagum (*Rouen*), Vernonam (*Vernon*), [9] Hebroicis (*Evreux*), Vernolium (*Verneuil*), Fagium (*Faches*), Falesium (*Falaise*), Cetenum (*Séez*), Cadome (*Caen*), Baiocis (*Bayeux*), Bernayo (*Bernay*);

V. Atrebatensis: Tornacum (*Tournay*), Valencenas (*Valenciennes*), Montes (*Mons*), Cameram (*Cambray*), Atrebatum (*Arras*), Insulas (*Lille*), Lendium (*Lens*), Bethunium (*Bethune*), Duacum (*Douai*);

VI. Lotaringiae: Metis (*Metz*), Virdunum (*Verdun*), Tullum (*Toul*), Novum castrum (*Neufchâteau*);

VII. Leodiensis: Leodium (*Liège*, *Lüttich*), Hoyum (*Huy*), Dinantum (*Dinant*), Namurcum (*Namur*), Nivellam (*Nivelles*);

VIII. Flandriae: Burgum (*Bruges*, *Brügge*), Gandavum (*Gand*, *Gent*), Ypriam (*Ypres*, *Yperen*), Altenardum (*Audenarde*, *Oudenaarden*), S. Odomarum (*St-Omer*);

IX. Viromandiae: Ambianis (*Amiens*), Belvacum (*Beauvais*), S. Quintinum (*St-Quentin*), Noviomum (*Noyon*), Abbatisvillam (*Abbeville*), Hirdinum (*Hesdin*), Royum (*Roye*), Peronam (*Péronne*). [10]

III. TURONIA.

I. Aurelianensis: Aurelianum (*Orléans*), Castrodunum (*Châteaudun*), Cenomani (*le Mans*), [11] Vendomium (*Vendôme*), Blesis (*Blois*);

II. Bituricensis: Bituricis (*Bourges*), [12] Niveris (*Nevers*), Esoldunum (*Issoudun*), Andegavis (*Angers*), Castrum Rodulfi (*Châteauroux*), Salmurum (*Saumur*), Turonis (*Tours*), Lochas (*Loches*);

III. Britaniae (*Bretagne*): Nonetis (*Nantes*), Redonis (*Rennes*), [13] Dinanum (*Dinan*), [14] Guicampum (*Guingamp*), Corizopitum (*Quimper*), Venetum (*Vannes*), Burgum novum (*Bourgneuf*);

IV. Santonensis: Insulam Oleronis (*Ile d'Oléron*), Rupellam (*la Rochelle*), [15] S. Ioannem (*St-Jean-d'Angely*), Xantonas (*Saintes*), Compriacum (*Compreignac*), Engolismam (*Angoulême*), Berbezillum (*Barbezieux*), Pontes (*Pons*);

V. Pictaviensis: Niortum (*Niort*), S. Maxentium (*St-Maixent*), Pictavis (*Poitiers*), [16] Castrum Eraudi (*Châtellerault*), Mirabellum (*Mirabeau*), Losdunum (*Loudun*), Partiniacum (*Parthenay*). [17]

---

verentia opusque suum a LXXII magistris scriptura propria ac sigillis est approbatum et demum per bullam dom. papae Alexandri IV, quae omnia habentur Parisius in sacristia conventus. Iacet et Parisius mag. Ioannes Gualensis natione Anglicus, Parisius magistratus, sanctitate vitae et doctrina ibidem tam fratribus quam saecularibus positus extitit in speculum singulare; summam enim multum utilem cum diversis tractatibus compegit, scripsit luculenter supra sacram scripturam et theologiam, qui promeruit, ut « arbor vitae » sit post mortem vocitatus; et in huius signum arbor sculpta manet in lapide sui sepulchri; hic securus de sua glorificatione cum gaudio magno perrexit ad Dominum. In hoc etiam loco iacet mag. Nicolaus de Lira natione Gallicus, qui totam scripturam divinam postillavit et alia opera fecit; celebratur in toto orbe sua doctrina. Iacet etiam in dicto loco mag. Ugo de Castro novo, qui luculenter scripsit in theologia et tractatum pulcherrimum edidit de Antichristo et de finali iudicio. Multi alii magistri fuerunt in hoc loco famosi, sc. mag. Bonaventura de Balneo regio, mag. Ioannes de Rupella, mag. Gualterius, mag. Rigaldus (Oddo Rigaldi, archiep. Rothomagen. 1247-1275), mag. Alexander de Alexandria, mag. Ioannes Scotus, mag. Petrus Aureoli, mag. Franciscus de Marchia (*de Aesculo*), mag. Franciscus de Maironis, mag. Ioannes de Marra (*Murro?*), mag. Ioannes de Marchia (?), mag. Astensius de Aquitania, mag. Iacobus de Spinello et sic de aliis. Qui omnes fuerunt magistri in dicta universitate, et bachalarei dum essent, facti sunt magistri famosissimi.... In hoc loco iacent duo generales ministri, videlicet frater Arlottus de Prato et frater Gonsalvus de provincia s. Iacobi, ambo magistri Parisienses praeclari.]

[8a] *Deest in cod. Bamb.*

[9] *Hunc locum Barth. Pis. nominat* Uernonacentensem, *confunditque* Vernonam *et* Cetenum *(v. inferius), quem locum omittit.*

[10] [Haec Franciae provincia semper decorata fuit multis probis et valentibus fratribus tam in theologia magistris quam non magistris, qui multa opera ediderunt tam super bibliam quam in theologia quam etiam in decretalibus. Frater Durandus, qui edidit summam magnam et pulchram de casibus conscientiae, fuit de provincia Franciae; qui librum edidit de proprietatibus rerum, de provincia Franciae fuit; sic et qui summam composuit de virtutibus, frater provinciae Franciae fuit.]

[11] Ubi accidit, quod frater *(quidam, a Barth. Pis. conf. VIII* Electus *nominatus)* extremam suscipiens unctionem, quando sancti in letania nominabantur, apparebant ei, quibus cum risu et magna laetitia reverentiam faciebat, licet prius tribus diebus amisisset loquelam.

[12] [Ubi, dum sanctus Antonius noster praedicaret, tempestas, grando et pluvia, quae supervenerunt, eius interventu nullum de audientibus tetigit.]

[13] [In Rodoniis *(sic)* iacet frater Rodulphus, cui angeli in missa servierunt.]

[14] *Hunc locum Pis. non habet.*

[15] *Hunc locum et praecedentem Pis. sic confundit:* locum de Rupella Olerum, locum de Insula; *omittit insuper* locum Engolismam.

[16] Ubi quiescit fr. Simon minister Turoniae, ad cuius os visus est Spiritus sanctus in specie columbae; similiter fr. Gualterus, qui fuit Pictaviensis episcopus (1278-1307) et multa fecit miracula, maxime contra quartanas, et illuminavit caecos, et ad praeceptum do. Clementis papae quinti discooperto sepulcro extendit brachium et ostendit, quod tenebat in manu.

[17] *Pro hoc loco Pis. habet* locum Columbae. [Haec provincia habuit fratres valoris plures, et praecipue mag. Ioannem de Rupella, qui opus fecit in theologia et tempore suo in ordine sicut et Parisius magister fuit verbo, scientia et vita famosus.]

IV. AQUITANIA.

I. Agenensis: Agenum (*Agen*), Conomium (*Condom*), Neriacum (*Nérac*), Castrum gelosium (*Casteljaloux*), Mansum (*le Mas-d'Agenais*), Marmandam (*Marmande*), Pennam (*Penne*);

II. Burdegalensis: Burdegalam (*Bordeaux*), Vasacii (*Bazas*), Reulam (*la Réole*), S. Macharium (*St-Macaire*), Rinotium (*Rioms*), [17a] S. Emilianum (*St-Emilion*), Liburnam (*Libourne*), Spartam (*Lesparre*);

III. Baionensis: Baionam (*Bayonne*), Aquis (*Dax*), (Montis) Marciani (*Mont-de-Marsan*), Morlanis (*Morlas*), Olorum (*Oloron*);

IV. Auxitana: (S)auxium (*Auch*), Lectoram (*Lectoure*), Nugarolium (*Nogaro*), Tarbiam (*Tarbes*), Vallem caprariam (*Valcabrère*), Mirandam (*Mirande*);

V. Tholosana: Tholosam (*Toulouse*), [18] Apamiarum (*Pamiers*), Samartani (*Samatan*), [19] Insulam (*l'Ile Jourdain*), Rivis (*Rieux*), Murellum (*Muret*), Merapisis (*Mirepoix*), Castrum novum (*Castelnaudary*), [20] Vaurum (*Lavaur*); [21]

VI. Albigensis: Albium (*Albi*), Rapistanum (*Rabastens*), Lautercium (*Lautrec*), Castris (*Castres*);

VII. Rutenensis: Rutenam (*Rodez*), [22] Figiacum (*Figeac*), [23] Aureliacum (*Aurillac*), [24] Villam francam (*Villefranche*), S. Affricanum (*St-Affrique*), [25] Ameliacum (*Amilly*);

VIII. Caturcensis: Caturcum (*Cahors*), Montem albanum (*Montauban*), S. Antonium (*St-Antoine-de-Salins*), Montem Cussi (*Montcuq*), Gordonium (*Gourdon*), [26] Martellum (*Martel*);

IX. Petrogoricensis: Petrogoras (*Périgueux*), Bergeriacum (*Bergerac*), Sarlatum (*Sarlat*), Sanctam Fidem (*Ste-Foy*), Montiniacum (*Montignac*), Albam terram (*Aubeterre*), Modolium (Exidolium, *Exideuil*);

X. Lemovicensis: Lemovicas (*Limoges*), Buiam (Brivam, *Brive*), Doncinac (*Donzenac*), Nuntidunum (*Nontron*), S. Iunianum (*St-Junien*). [27]

V. ARAGONIA.

I. Barcinona: Barcinonam (*Barcellona*), [28] Maioricarum (*Mallorca seu Palma*), Minoricarum (*Menorca seu Ciudadela*), [29] Gerundae (*Gerona*), Castilionis (*Castellon de Ampurias*), Vici (*Vich*), Villae francae (*Villafranca*), Inchae (*Iviza*), Tunisii in terra Saracenorum (*Tunis*); [30]

17a *Loca* s. *Macharii et Rinotii, quae habet cod. Bamb., desunt in cod. Vat.*

18 Ubi fr. Stephanus, prius in ordine s. Benedicti, postea frater Minor et inquisitor, coronatus martyrio fulsit; ibi etiam fr. Michael laicus, vir virtutis et magni zeli, post mortem multos sanavit infirmos,

19 *Ap. Pis. legitur* « de Sarnano », [qui (sc. locus) habuit magistrum venerabilem Arnaldum de Sarano *(sic)*, qui magno tempore fuit Aquitaniae minister, homo vitae laudabilis et sufficientiae, qui omnia, quae potuit de beato Francisco venire, transcripsit (in libro siquidem nuper in Anal. Franc. t. III edito, cui titulus est « Chronica XXIV Generalium »).]

20 [De quo fuit Guilelmus de Podio, prae aliis tempore suo singularissimus praedicator ad populum et ad clerum.]

21 [Haec custodia Tholosana habuit famosum virum mag. F(ranciscum) de Fabrica, ministrum provinciae s. Francisci (1369-1372), qui in partibus Auxitanis famosus fuit plurimum vita, scientia et praedicatione; et plures alios habuit fratres magistros et non magistros praedicatione praeclaros et populo acceptos.]

22 [De quo fuit magister Geraldus Oddonis, scientia et verbo famosissimus, generalis minister ordinis Minorum (1329-1342), patriarcha Antiochenus et administrator ecclesiae Cathanensis in Sicilia (1342-1349), qui opera in logica, in philosophia morali et in theologia et alia opuscula edidit et officium de stigmatibus beati Francisci fecit.]

23 Ubi est fr. Aldimarus de Filsuno (Ademarus de Felzinio), qui mortuos suscitavit, caecos illuminavit, daemones effugavit. [De isto loco fuit dominus cardinalis frater Beltrandus de Turri in theologia magister, qui postillavit omnia evangelia et epistolas totius anni; et plura alia fecit: factus cardinalis per d. Gregorium XI.] *Pisanus confundit hic fr. Bertrandum de Turri a Iohanne XXII ad Cardinalatum promotum cum fr. Bertrando Atgerio seu Lagerio de Figiaco.*

24 [In quo iacet frater Rigaldus sanctus homo.]

25 [In quo obiit frater Guilelmus, qui multa fecit miranda.]

26 [Qui locus habuit magistros tres generales ministros successive ordinis Minorum, sc. mag. Fortonerium (Fortanerium Vassalli, min. gen. 1343-1347) archiepiscopum Ravennaten. (1347-1351), patriarcham Gradensem (1351-1361) et demum cardinalem ecclesiae sanctae Dei (1361), factum per d. Innocentium VI; mag. Gulielmum (Farinerii, min. gen. 1348-1356) cardinalem (1356-1361), factum per d. Innocentium VI; et mag. Ioannem de Bucho, qui uno anno fuit generalis minister (1357-1358).]

27 [Ista provincia Aquitaniae sufficientibus et bonis praedicatoribus semper claret et claruit et habuit illum magistrum fecundum fratrem Petrum Aureoli, qui luculenter scripsit super sententias, fecit compendium bibliae et plura alia; tandem fuit archiepiscopus Aquensis (1321-1322)... Habuit etiam praeter iam dictos duos alios cardinales, videlicet magistrum Vitalem de Furno (1312-1327) et magistrum Helyam de Hanibalis (Nabinalis) (1342-1349), qui et in scriptura opera ediderunt et praesertim super Apocalypsi Ioannis. De ista siquidem provincia Aquitaniae fuit frater Ioannes de Blesa (Bernardus de Bessa), qui de triplici ordine b. Francisci tres tractatus edidit, etsi solum de primo ordine sc. Minorum parvum viderim tractatum. De ista provincia plures fratres assumpti sunt ad praelationis officia, videlicet archiepiscopatus et episcopatus.]

28 [In quo est sepultus fr. Pontius Carbonelli, sanctus homo, magister sancti Ludovici nostri, qui totam bibliam postillavit dicta omnium doctorum ponendo. In loco fratrum cum habitu iacent duo reges sc. Alfonsus et Iacobus, qui in morte habitum assumpserunt.]

29 *Deest in cod. Bamb.* [In quo diabolus asportavit fratrem, qui peccatum commissum noluit unquam confessione purgare.]

30 *Hunc locum non habet Pis. et loca* Maioricarum, Civitadellae, Iussae (*Iviza*) *recensentur apud eum in propria* custodia Maioricarum.

II. Ylerdae: Ylerdam (*Lerida*), [31] Taraconam (*Tarragona*), Dertusae (*Tortosa*), Montem album (*Montalban*), Montem sonum (*Mosone*), Servariam (*Cervera*), Taragam (*Tarrega*), Morelam (*Morella*);

III. Valenciae: Valenciam (*Valencia*), [32] Xativam (*Xativa*), Molinam (*Molina*), Calataiubii (*Calatayud*), Tarolii (*Teruel*), Darocae (*Daroca*), [33] Murum veterem (*Murviedro*);

IV. Caesaraugustae: Caesaraugustam (*Zaragoza*), [34] Foscam (Oscam, *Huesca*), Tirazonam (*Tarazona*), Barbastrum (*Barbastro*), Exeam (*Exea*), Iacam (*Iaca*), Burgiam (*Boria*), Sarayenam (*Cariñena*);

V. Navarrae: Papilionem (*Pamplona*), Stellam (*Estella*), Sangosam (*Sanguesa*), Tutelam (*Tudella*), Oletum (*Olite*);

VI. Seraviae: Calataiubium, Darocam, Mulinam, Turolium. [35]

VI. S. IACOBUS.

I. S. Iacobi: S. Iacobum (*Santiago*), Pontem veterem (*Pontevedra*), Cruniam (*Coruña*), Betannos (*Betanzos*);

II. Ulixbonensis: Ulixbonam (*Lisboa*), Beziam (*Beia*), [36] Tamira (*Tomar*), Laulae (*Tavila*);

III. Auriensis: Auriam (*Orense*), [37] Villam francam (*Villafranca*), [38] Lucum (*Lugo*), Montem regium (*Monterey*), Vivarium (*Vivero*), Ripam Evii (*Rivadavia*);

IV. Zamorensis: Zamoram (*Zamora*), Taurum (*Toro*), [39] Beneventum (*Benavente*), Majoricam (*Mayorga*), Villam ripandam (*Villalpando*);

V. Legionensis: Legionem (*Leon*), Astarium (*Astorga*), [40] Ovetum (*Oviedo*), Abelesium (*Aviles*), Tinesium (*Gijon?*);

VI. Salamantina: Salamanticam (*Salamanca*), [41] Civitatem Roderici (*Ciudad Rodrigo*), [42] Placenciam (*Plasencia*), Placam (*Badaioz*), Bezeram (*Bejar*); [43]

VII. Colimbriensis: Colimbriam (*Coimbra*), Portum (*Porto*), Umerionis (*Guimeraes*), Lamecum (*Lamego*), Bregantiam (*Braganza*), Guardiam (*Guarda*), Covillianam (*Commarca di Covilhan*). [44]

---

[31] [Ubi iacet rex Alfonsus cum habitu nostro, quem sumpsit ante mortem. In hoc loco s. Franciscus facit miracula multa et specialiter, quia subito quendam Ioannem atrociter vulneratum sanavit. In Ilerda iacet fr. Segrianus, super cuius corpus visa sunt luminaria post mortem descendere de coelo; hic in vita fecit miracula et post mortem.]

[32] [Ubi duo fratres nostri tempore infidelium (*conf. VIII:* tempore generalatus fratris Helyae) a Saracenis pro fide martyrizati sunt (sc. b. Ioannes Perusinus et b. Petrus a Saxoferrato).]

[33] *Hic locus et tria quae proxime praecedunt loca inferius quoque in custodia VI nominantur, sicut in Pisano, quare custodiae III remanent 3 loca.*

[34] [In quo (loco) cum habitu sepultus est dominus Petrus infans primogenitus regis Aragoniae.]

[35] [Haec provincia Aragoniae plures habuit fratres scientia et verbo gratos, qui fructum magnum suis praedicationibus fecerunt et plures libros pro praedicationibus ediderunt; et in theologia habuit magistros sufficientes.]

[36] *Hunc locum, eum qui sequitur, atque* Elborensem *(Evora)*, Extrimocensem *(Extremoz)*, Portolacrensem (*Portalegre*) *Pis. propriam* custodiam Elborensem *facit habetque in cust. Ulixb.* locum Lancariensem (*Alemquer*), *qui in Cod. Vat., cum indicentur V loca, nominentur IV, omitti videtur, nisi* s. Renae (*Santarem*) *hic est locus.*

[37] [In quo (loco) iacet fr. Gonsalvus Santii, qui fuit nobilis genere et latro magnus et homicida, sed ad Dominum conversus factus est frater Minor fuitque tantae perfectionis, ut tam in vita quam post miracula effecerit.]

[38] [In quo (loco) iacet quidam sanctus frater, qui signis perluxit.]

[39] [In quo (loco) quidam sanctus frater sacrista, dum Crucifixum in ecclesia vellet aptare et iam scalas posuisset, daemone scalas elevante cecidit frater et crus habuit fractum usque ad diem mortis suae; hoc tamen Deus operabatur in eo, quod, cum non posset pedibus stare, et tamen celebrando nullam laesionem vel fracturam cruris pro illo tempore habere videbatur.]

[40] [In quo (loco) est sepultus frater quidam Ioannes, qui mirabilis et illustris fuit et habetur, et alius Ioannes laicus, qui etiam signa facit.]

[41] [In quo (loco) b. Franciscus singulare prodigium his ostendit temporibus. Cum enim rex Castellae olim Ioannes pro antipapa se determinare vellet (*cf. infra n. 44*), in dicto loco fratrum id fieri decrevit. Superveniente hora, qua a suo palatio progredi debebat ad fratrum locum perrecturus pro dicta determinatione peragenda, subito tot tonitrua, tot fulgura et tanta pluvia descendit, quod ipse rex limen ostii regii exire non valuit. Quod factum totus populus beato Francisco tribuit, ne in ipsius ecclesia et loco tam enorme committeretur piaculum.]

[42] [In quo (loco) b. Franciscus episcopum suscitavit a mortuis.]

[43] *Pis. addit* locum heremitorii S. Mariae de Angelis.

[44] *Hunc locum ponit Pisanus in* custodia Uixb. [De ista provincia fuit fr. Gonsalvus (de Vallebona) sanctus homo, magister in theologia et ordinis Minorum generalis minister (1304-1313), qui in suo officio singularem habuit curam, ne aedificia fierent sumptuosa in ordine, et iam facta plura destruxit. Ipsius tempore fr. Iacobus primogenitus regis Maioricarum factus est frater Minor, et rex Ioannes Armeniae dimisso regno nepoti suo Leoni ordinem intravit Minorum. In hac provincia s. Iacobi sc. in loco Ulixbonae iacent tres reges Portugalliae: rex Alfonsus cum habitu, quem sumpsit ante mortem cum uxore sua Minorissa in ecclesia cathedrali Ulixbonae; rex Petrus et rex Fernandus in conventu Ulixbonae cum habitu iacent, quem ante mortem cum mira sumpsere devotione. — In hac provincia in monte de Valdearo iacet fr. Rodericus Çabicii, qui locum ibidem cepit, et fuit homo poenitentiae mirabilis, paupertatis amator, despector mundi et spiritu prophetico clarus, ut dictum est supra conformitate VIII. *Ibi legitur:* Ad hunc cum regina Castellae uxor regis Henrici et mater istius regis Ioannis Castellae fratres misisset, ut sibi infirmae diceret, quid acturus esset eius filius rex Ioannes quo ad adhaerentiam pontificum, qui nunc sunt, an adhaereret domino papae Urbano vel alteri; cumque fratres ad ipsum venissent, antequam eidem intimarent aliquid, propter quod missi essent, ipse eis dixit: Sciatis dominam reginam, quae vos misit, mortuam; dominum regem Ioannem Castellae se pro alio a domino Urbano determinaturum, et male eveniet sibi; ac regem Carolum Francorum regem nuper mortuum sepultum me vidisse in profundo inferni propter scisma, quod posuit et tenuit in ecclesia sancta Dei. Quae fratres audientes, sicut praedixit, sic et invenerunt.]

VII. CASTELLA.

I. Yspalensis: Yspalim (*Sevilla*), Cordubam (*Cordoba*), Gehennium (*Iaen*), Xericium (*Xerez*), Beatiam (*Baeza*), Obetam (*Ubeda*), [locum Insulae viridis s. de Algizara (*Algeciras*)];

II. Toletana: Toletum (*Toledo*),[45] Talavariam (*Talavera*), Gualdafaiariam (*Guadalajara*), Maioritum (*Madrid*), Villam regalem (*Ciudad real*);

III. Murciensis: Murciam (*Murcia*), Concam (*Cuenca*), Aptam (*Huerte*), [Liveti (*Albacete*)];

IV. Soriensis: Soriam (*Soria*), Almazanum (*Almazan*), Atenciam (*Atienza*), Axillonem (*Ayles*),[46] S. Stephanum (*S. Stevan de Gormes*),[47] S. Dominicum (*S. Domingo*);

V. Segobiensis: Segobia (*Segovia*), Abulam (*Avila*),[48] Metinam (*Medina del Campo*), Ulmetum (*Olmedo*), Coleram (*Collada?*),[49] [Aiellaris (*Ayles*), Arevoli (*Arevalo*)];

VI. Palentina: Palenciam (*Palencia*), Vallem oleti (*Valladolid*), Penam fidelem (*Peñafiel*), Carionem (*Carion de las Condes*), S. Facundus (*S. Facundo*);

VII. Burgensis: Burgis (*Burgos*), Lucronium (*Logroño*), Benaforatum (*Villorad*), Castrum Xericii (*Castrogeriz*), Palentiolam (*Palenzuela*);

VIII. Victoriensis: Victoriam (*Vitoria*), Frigeum (*Frias*), Castro (*Castro de Ordiales*), Metinam de Pomerio (*Medina de Pomar*), Mirandam (*Miranda*), S. Andericum (*Santander*).

VIII. COLONIA.

I. Coloniae: Coloniam (*Köln*),[50] Bunam (*Bonn*), Vallemfelicem (*Seligenthal*), Nussiam (*Neuss*),[51] Dusbruch (*Duisburg*), Clivum (*Cleve*), Roremundam (*Roermonde*), Aquisgrani (*Aachen*);

II. Treverensis: Treverim (*Trier*), Lucemburch (*Luxemburg*), Merlam (*Merl*), Confluenciam (*Coblenz*), Visaliam (*Oberwesel*), Andernacum (*Andernach*),[52] Leporch (*Limburg*), Vesthflariam (*Wetzlar*);

III. Assiae (*Hessen*): Groneberch (*Grünberg*), Marpurch (*Marburg*),[52a] Frirdanam (*Fritzlar*), Geismariam (*Geismar*), Guethting (*Göttingen*), Herfeliam (*Hersfeld*), Fuldam (*Fulda*);

IV. Vesfalae (*Westfalen*): Tremoniam (*Dortmund*), Susatum (*Soest*), Paderbrunae (*Paderborn*), Huxariam (*Höxter*),[53] Hervordiam (*Herford*), Honabrugge (*Osnabrück*),[54] Monasterium (*Münster*);[55]

V. Olandiae (*Holland*): Trajectum inferius (*Utrecht*), Dordracum (*Dordrecht*), Busciducis (*s'Hertogenbosch*), Cirxe (*Zierikzee*), Midilburch (*Middelburg*);

VI. Daventriae: Daventriam (*Deventer*), Herdervike (*Harderwijk*), Campis (*Kampen*), Groni-

---

[45] [In quo (loco) iacent fr. Hervaeus et fr. Antonius laicus de Burgis Hyspaniae, qui clari miraculis in vita et post insignes fuerunt et habentur. In hoc loco iacet cum habitu nostro quidam primogenitus regis Castellae. In Tolleto in ecclesia cathedrali iacet cum habitu, quem sumpsit ante mortem, rex Sancius; alius rex sc. Fernandus Castellae infirmatus in civitate Ghiensi (*Iaen*) habitum assumpsit et cum ipso decessit sepultus Tolleti, qui habitus assumptione per beatum Franciscum tamquam frater ipsius a damnatione aeterna fuit liberatus.]

[46] *Idem esse videtur ac* locus Aiellaris, *quem Pis. inter loca cust. Segobiensis nominat.*

[47] *Hunc locum Pis. non habet.*

[48] *Hic locus deest in cod. Bamb.*

[49] *Hic locus deest in Pisano.*

[50] Ubi requiescit frater Gu(n)terus de Bravia (*Brabantia?*), cui cum esset monachus quondam b. Franciscus oranti, ut salutis sibi viam ostenderet, apparuit cum textu evangelii et regula superposita et stupenti regulam superpositam ait, quia super evangelium esset fundata; ille tandem a quadam gravi infirmitate sanatus ad ordinem receptus sanctissime vixit. *Cfr. Wadd. Ann. ad a. 1248, ubi iste Gu(n)terus dicitur* de Barbaria. [In quo (loco) iacet doctor subtilis frater Ioannes Scotus, qui ibidem lector decessit.]

[51] Ubi quiescit fr. Nicolaus, qui in vita et post mortem multa fecit miracula; inter cetera caecum per decennium sanavit; et alius, qui tactu manuum infirmos sanavit et peccatricem suis meritis convertit. *Hunc (sicut multos alios) Pis. nominat* Electum.

[52] *Pis., qui locum falso* Ardenati *nominat, haec adiungit:* In quo iacent sancti viri frater Theodoricus et frater Hogerus de Saxonia.

[52a] *Ubi sanctissime obiit s. Elisabeth, Andreae regis Hungariae filia, Ludovici lantgravii Thuringiae vidua relicta, patrona tertii ordinis s. Francisci. In ipsius vita, quae in hist. sat. cap. 231 proxime praecedit vitam b. Antonii, agitur de his rebus: Part. 25:* De eius bona indole (Floruit tunc [a. 1228] — in ymo locabat). *Part. 26:* Quomodo in statu matrimoniali nescivit thorum in delicto (Postquam vero urgente patre — ad divinum amorem plurimos accenderet). *Part. 27:* Quomodo erat ad orationem sollicita (Ad ecclesiam praeveniebat ancillas — in orationibus pernoctabat). *Part. 28:* De humilitate ipsius (Nil abiectum — fortiter verberari fecit). *Part. 29:* De austeritate vitae ipsius (Saepe per manus ancillarum faciebat se — ad statum venero paupertatis). *Part. 30:* De pietate ipsius ad pauperes (Nullum oprimi sinebat inedia — pro Dei honore et animae suae salute). *Part. 31:* De mirabili patientia ipsius post mortem viri (Cupiens beata Helysabeth — surgens vestimenta gaudens et ridens abstergit). *Part. 32:* De fervore ipsius ad votum castitatis servandum (Post haec ad Bambergensem episcopum ipsius avunculum adducitur — vestes de panno alterius coloris repetiatas). *Part. 33:* De gratia perseverantiae et despectu mundanorum (Audiens vero pater suus — de aliis proximis curare). *Part. 34:* De visionibus sibi a Deo monstratis (Coelestes visiones — reversusque in se iuvenis et divina gratia illustratus ordinem Minorum intravit). *Part. 35:* De hospitali et quam diligenter pauperibus serviebat (Pro sua dote — tandem correptam induxit). *Part 36:* De felici eius transitu (Appropinquante termino — quod miraculose oleo repletum est).

[53] [In Huxaria iacet frater Hugo sanctus homo.]

[54] *Pro uno loco in Pisano duo:* Hosne *et* Brugge.

[55] Ubi quiescunt duo sancti fratres: Henricus de Africa et Iohannes de Peyrna.

gniae (*Gröningen*), Bodelstuerde (*Bolsward*), Falerne (*Gross-Faldern*); [56]

VII. Brabantiae:[57] Machiliniam (*Malines seu Mecheln*), Bruxellam (*Bruxelles seu Brüssel*), Lovaniam (*Louvain seu Löwen*), Tenis (*Tienen*), Sanctus Trudo (*Saint-Trond*), Traiectum super Mosam (*Maastricht*), Deriste (*Diest*). [58]

IX. ARGENTINA
(seu Alamanniae superioris). [59]

I. Alsaciae (*Elsass*): Argentinam (*Strassburg*), Columbariam (*Colmar*), Rubiacum (*Ruffach*), Offinburch (*Offenburg*), Sarburch (*Saarburg*), Agnoniam (*Hagenau*), Misimburch (*Weissenburg*), [locum Prisaci (*Breisach*)]; [60]

II. Basiliensis: Basiliam (*Basel*), Novum Castrum (*Neuburg ad Rhenum*), Friburgum inferius (*Freiburg in Brisgovia*), Annis (l. Tannis, *Thann*), Enshusim (*ap. Pis.* Mishusin, *Mühlhausen*), Solodorum (*Solothurn*), Burgthorf (*Burgdorf*), Bernium (*Bern*), Friburgum superius (*Freiburg seu Fribourg in Helvetia*);

III. Renensis (*Rhein*): Spiram (*Speyer*), [61] Lutrum (*Kaiserslautern*), Vormaciam (*Worms*), Opinchenae (*Oppenheim*), Maguneiam (*Mainz*), [62] Francivorde (*Frankfurt*), Friedebercae (*Friedberg*), Kelinhusin (*Gelnhausen*), Tepurch (*Dieburg*), Heydilberch (*Heidelberg*);

IV. Seviae (*Schwaben*): Herbipolis (*Würzburg*), Rotinburch (*Rothenburg super Tuberam*), Sis, [63] Kamundiam (*Schwäbisch Gmünd*), Ruterlinguenae (*Reutlingen*), Hulma (*Ulm*), [Oblingam (*Esslingen*), Forsinae (*Pforzheim*), Tuingensis (*Tübingen*), Eilithpii (*Heilbronn*)];

V. Laci (*Boden-See*): Constanciam (*Konstanz*), Lindaviam (*Lindau*), Vorlinguenae (*Ueberlingen*), Filinguenae (*Villingen*), Scafusaniae (*Schaffhausen*), Zurecum (*Zürich*), Lucernam (*Luzern*), Campum regis (*Königsfelden*);

VI. Bavariae (*Bayern*): Ratisponam (*Regensburg*), [64] Lansotham (*Landshut*), Monachum (*München*), Augustam (*Augsburg*), [65] Nicoldast (*Ingolstadt*), Nordlingam (*Nördlingen*), Norinberch (*Nürnberg*), Pabenberch (*Bamberg*). [66]

X. SAXONIA.

I. Maidenburgensis: Maydiburg (*Magdeburg*), [67] Hallis (*Halle*), Ascaria (*Aschersleben*), Vilimburch (*Wittenberg*), Barebi (*Barby*), Borith (*Baruth*), Servist (*Zerbst*);

II. Albers[t]adensis: Alberstath (*Halberstadt*), [68] Brunsvich (*Braunschweig*), Heldensem (*Hildesheim*), [69] Honover (*Hannover*), Quedelinburch (*Quedlinburg*); [70]

---

[56] *Qui locus modo coniunctus est civitati* Emden. *In Pisano nullus horum locorum, sed alia:* locus de Folda, locus Firclarie, locus Grismarie, *quae sunt custodiae Hassiae, ubi iterum in Pisano.*

[57] In qua puer vix sciens loqui notificavit, se vidisse fr. Petrum missam celebrantem Christi corpus sumere in specie pueri parvuli.

[58] [In provincia hac Coloniae in Turgone (*Torgau in prov. Saxoniae sito?*) iacet frater Hasso. In Kilone (*Kiel, qui locus est provinciae Saxoniae*) iacet frater Adolfus quondam comes Alsathiae (Holsatiae, *Holstein*), cui ante mortem suam apparuit beata Virgo cum immenso lumine et multis sanctis dicens: « Fili, quare invite moreris? quid trepidas? Securus morere, quia filius meus bene te remunerabit ». In eodem loco iacet frater Electus, cui apparuit beata Maria cum beata Agnete et beata Catherina et ei mortem praedixit. In eodem loco iacet alius fr. Electus, cuius animam vidit alius frater in palafredo nimio decore fulgere (et) a duobus angelis in coelum deduci. Haec provincia Coloniae est notabilis provincia in fratribus valoris et bonitatis, et multi fuerunt in dicta provincia notabiles praedicatores et sunt, quorum fructus in aula coeli reperitur.]

[59] Cuius minister fr. Collinus (1279-1289) multa fecit miracula. *Haec provincia ab initio et per totum primum ordinis saeculum appellabatur* Alamannia superior.

[60] *Et in cod. Vat., qui IX loca numerat, VIII nominat, et apud Pis. deest* locus Selestadii (*Schlettstadt*), *iam anno 1280 fundatus. Cfr. Eubel, Geschichte der oberdeutschen (Strassburger) Minoriten-Provinz p. 12 n. 93.*

[61] Ubi quiescit fr. Ioannes († *die 30 Iunii a. 1245*), qui post mortem mortuum suscitavit.

[62] [In quo quidam frater noster fuit archiepiscopus (*Henricus de Isny ab a. 1286 usque ad a. 1288, qui antea, ab a. 1275 usque ad a. 1286, episcopus Basileen. fuerat*). *De eo et fr. Conrado Probo, episcopo Tullensi (1279-1296), antea ministro provinciali istius provinciae, cfr. illa, quae scripsimus in periodico « Historisches Iahrbuch der Görresgesellschaft » 1888.*

[63] *Intellege* Lis *vel potius* Hallis (*Schawäbisch Hall*); *scriptor codicis, quem et Vat. et Bamb. secuti sunt, quadam neglegentia unam libri lineam, in qua post loca inferius secundum Pis. recensita prima syllaba nominis* Hal *inerat, omisisse videtur.*

[64] Ubi quiescit fr. Bertuldus († 14 dec. 1272) praedicator egregius, qui in vita sua splenduit miraculis.

[65] Ubi quiescit (fr. David) socius praedicti Bertoldi, vir in omni disciplina morum conspicuus; *obiit paulo ante fr. Bertoldum.* Cfr. n. 66.

[66] De quo (?) fratres Conradus et Voyslaus in Pruscia pro fide martirizati sunt. *Cfr. Wadd. l. c. ad a. 1249 n. XI.* [In hac Argentinae provincia sc. in Augusta iacent fr. David et fr. Tertericus Argentinae minister (1229-1244), viri sanctitatis magnae et perfectionis... Multos habuit haec provincia fratres praeclaros et literaturae, per quos multi ad Dominum sunt conversi.]

[67] Ubi quiescit fr. Simon (Anglicus) venerabilis et primus lector Theotoniae; et fr. Eufredus, qui vidit angelum cum turibulo aureo turificantem fratres in choro cantantes; cui etiam beata Virgo multas consolationes exhibuit et spirituales et corporales.

[68] Ubi quiescit fr. Ioannes, qui revelavit papam electum.

[69] [In quo (loco) iacet fr. Corradus cognomine « Pater sancte ».]

[70] *Sextus locus, qui et in Cod. Vat. atque Bamb. et apud Pis. desideratur, fuit* Goslaria (*Goslar*), *ubi fratres Minores, postquam anno 1223 advenerunt, domum acceperant. Cfr. Banasch, Die Niederlassungen der Minoriten zwischen Weser und Elbe (Breslau 1891) p. 9.*

III. Bremensis: Bremam (*Bremen*),[71] Hanburch (*Hamburg*), Luneburch (*Lüneburg*), Stadium (*Stade*), Killonem (*Kiel*);

IV. Lubicensis: Lubech (*Lübek*),[72] Rostoch (*Rostok*), Vismar (*Wismar*), Riga (*Riga*), Fundis (l. Sundis, *Stralsund*), Parchem (*Parchim*), Gripesvald (*Greifswalde*), Verinae (*Schwerin*);

V. Stetinensis: Stetin (*Stetin*), Premisclavae (*Prenzlau*),[73] Anguermunde (*Angermünde*), Novabrandeborch (*Neubrandenburg*), Arnswalde (*Arnswalde*), Piris (*Pyritz*), Grifenberch (*Greifenberg*), Trauenburch (*Dramburg*); [73a]

VI. Brandeburgensis: Berlinum (*Berlin*), Stenidal (*Stendal*), Vrankenvorde (*Frankfurt a. O.*), Kiris (*Kyritz*),[74] Saltveldie (*Salzwedel*), Antiqua Brandeburch (*Brandenburg*), Gransoi (*Gransee*),[75] Bobavia (l. Lobavia, *Löbau*), Locus S. Helyzabeth prope *Brandenburg* (vel potius *Eisenach?*);

VII. Turingia: Helfordiam (*Erfurt*),[76] Molusin (*Mühlhausen*), Nortusin (*Nordhausen*), Ysenach (*Eisenach*), Arnstude (*Arnstad*),[77] Meynege (*Meiningen*), Chouburch (*Coburg*), Alvel (*Saalfeld*);

VIII. Lipsensis: Lipske (*Leipzig*), Egra (*Eger*), Ceitz (*Zeitz*), Curia (*Hof*), Vida (*Weida*), Suicavia (*Zwickau*), Visenvelke (*Weissenfels*), Aldenburch (*Altenburg*);

IX. Misnensis: Misna (*Meissen*),[78] Vrisbuch (*Freiberg*), Dresenden (*Dresden*), Codebus (*Cottbus*), Osses (*Oschatz*),[79] Corecton (*Torgau*), Suselis (*Seuselitz*);

X. Aurei Montis (*Goldberg*): Goldiberich (*Goldberg*), Gorlis (*Görlitz*), Budesin (*Bautzen*), Ycavia (*Zittau?*), Sarovia (*Sorau*), Transne (*Dresna*), Levenberic (*Löwenberg*), Lubaraitz (*Lauban*), Legenis (*Liegnitz*), Aganum (*Sagan*);

XI. Vratislaviensis: Fratislavia (*Breslau*),[80] Suidnes (*Schweidnitz*), Novum forum (*Neumarkt*), Nansclauia (*Namslau*), Stralin (*Strehlen*), Nisza (*Neisse*), Brega (*Brieg*), Munstiberium (*Münsterberg*);

XII. Bruciae (*Preussen*): Brunsberch (*Braunsberg*), Novae (sc. Civitatis, *Neustadt*), Culmen (*Culm*), Toorun (*Thorn*).[81]

XI. AUSTRIA.

I. Viennensis: Vienam (*Wien*), Novam civitatem (*Wiener Neustadt*),[82] Haynburgum (*Hainburg*), Velsperch (*Feldsberg*), [Cistensterch (*Zistersdorf*)];

II. Danubii (*Donau*): Stayn (*Stein*), Tulam (*Tulln*), La (*Laa*), [Nerenstan (*Dürnstein*)];

III. Anatensis (*Ens*): Linzam (*Linz*), Anasum (*Ens*), Welsam (*Wels*), [de Pamia al. Panna];[83]

IV. Styriae (*Steiermark*): Greze (*Graz*), Iundeburgam (*Iudenburg*), Prucam (*Bruck*), Wolfspech (*Wolfsberg*);

V. Marchiae (*Windischmark*): Petoviam (*Pettau*), Marburgam (*Marburg*), Ciliam (*Cilli*), Laybacum (*Laibach*);

VI. Villacensis: Filacum (*Villach*), Bozanum (*Bozen*).[84]

---

[71] Ubi quiescit frater iuvenis, qui morte appropinquante summisse coepit cantare: « Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum », secundo altius, tertio perfecta voce et alta, ita ut omnes fratres convenirent; et sic reddidit spiritum Creatori.

[72] Ubi guardianus et procurator loci post mortem cum ingenti lumine apparuerunt et tres alios fratres eodem anno et quidem determinato tempore morituros praedixerunt; et ita accidit. *Huius civitatis episcopus fuit a. 1254-1259 Ioannes de Diest ex ordine Min., qui antea (1252-1254) ecclesiae Sambiensi praeerat.*

[73] In Princilavia fr. Geveardus in vita et post mortem coruscavit miraculis. *Cod. Vat. haec refert inferius apud prov. Bohemiae.*

[73a] *Deest in cod. Bamb.*

[74] Ubi quiescit fr. Conradus (de Stegelen al. Stongelem), qui in vita et post mortem miraculis claruit.

[75] *Omissus est a Pisano.*

[76] [In quo (loco) iacet fr. Benedictus, qui fuit pincerna beatae Mariae.]

[77] *Eum locum fratres Minores circa medium saeculum tertium decimum (derelicto alio in oppido Gotha ad id tempus existente) receperunt. Cfr. Banasch l. c. p. 28.*

[78] [In quo (loco) iacet sanctus frater Odoricus Saxo.]

[79] Ubi quiescit fr. Ioannes Vaberch (de Saxonia), quem Dominus in vita et post mortem fecit miraculis gloriosum.

[80] In Vratislavia fr. Marquardus multis coruscavit miraculis. *Cod. Vat. haec refert inferius apud prov. Bohemiae.*

[81] [Haec provincia maior est fratribus et locis aliqua provincia, quae sit in ordine Minorum, et habuit fratres sanctitate insignes. Siquidem in Meandeburch (*Magdeburg*) iacet fr. Simon primus lector in Theutonia (*de quo etiam supra n. 67*), fr. Iacobus primus custos Saxoniae, fr. Luculfus, cuius lotura pedum infirmos curavit et (qui) multa miracula edidit, fr. Iordanus de Italia (de Iano), fr. Gilbertus et fr. Eretfridus (*qui supra n. 67 nominatus est* Eufredus); in Mulhusen iacet fr. Hermannus de Gerstagen; in civitate Halverstaden frater Osto, qui miraculose intravit ordinem et post mortem signis claruit. Alii fratres sancti viri in hac fuere provincia, etsi eorum memoria silentio sit suppressa.]

[82] Ubi fr. Conradus vir sanctus multorum patratorum miraculorum post mortem, cum non esset sepultus apud fratres, mandante sibi ministro, ne miracula faceret, a miraculis cessavit continuo.

[83] *Qui sit hic locus, inveniri non potest, sed pro certo habendum, Friessium (Geschichte der österreichischen Minoritenprovinz) errasse, qui eum locum esse* Patavium (*Passau*) *putabat; ibi enim ante saeculum sextum decimum locum fratrum Minorum extitisse minime probari potest; praeterea non est custodiae Danubii adscriptus, ut temere Friess asserit, sed custodiae Anatensi.*

[84] *Hanc custodiam cum duobus locis, quibus adiungendus est locus* Brixinae *(Brixen), uti ex opere n. 83 citato p. 38 apparet, Pisanus omisit. Fratribus Brixinen. cura Clarissarum in eodem loco existentium commissa est.*

XII. BOEMIA.[85]

I. PRAGENSIS: S. Iacobum et S. Franciscum in eadem civitate (*Praha, Prag*),[86] Bolesclaviam (*Mladá Boleslav, Iung-Bunzlau*), Novam domum (*Iindrichuv hradec, Neuhaus*), Becchinam (*Bechyne, Bechin*), Benesau (*Benesov, Beneschau*);

II. MORAVIAE: Olomuz (*Holomouce, Olmütz*), Brunam (*Brno, Brünn*), Opaviam (*Opava, Troppau*), Znoimam (*Znojmo, Znaim*), Yglaviam (*Iihlava, Iglau*), Novam civitatem (*Uncov, Mährisch Neustadt*), Carnoviam (*Krnov, Iägerndorf*);

III. LUTOMIRCENSIS: Lutomoris (*Litomerice, Leitmeritz*), Pontem (*Most, Brüx*), Zatheze (*Zatec, Saatz*), Miesam (*Stribro, Mies*), Pilisnam (*Plzen, Pilsen*), Cadanum (*Kadan, Kaden*), Tinetz (*Tynice, Elbe-Teinitz*);

IV. CRACAUENSIS: Cracoviam (*Kraków, Krakau*), Zavicost (*Zawichost*), Corchin (*Korczin*),[87] Sandezae (sc. antiquae, *Stary Sacz*), Leloviam (*Lelow*), Radomiscae (*Radomsk*);

V. GENENSIS (Gnesnensis): Gnesnam (*Gniezno, Gnesen*), Glogauiam (*Gross-Glogau*), Cuiaviam (*Wloclawek*), Radieyov (*Radziejów*), Pisdram (*Pyzdry*), Kalis (*Kalisz*), Oborvalde (*Obornik*), Secretum *al.* Sremum (*Szrem, Schrimm*);

VI. GRECENSIS: Grez (*Kralóvé hradec, Königgrätz*), Slaviam (*Cáslar, Czaslau*), Glaz (*Glatz*), Mutam (*Myto Vysoké, Hohenmauth*), Bidzoviam (*Bydzov Novy, Neu-Bidschow*);

VII. OPOLIENSIS: Opol (*Oppeln*), Boon (*Beuthen*), Glogaviam (*Oberglogau*), Vladislaviam (*Loslau*).

XIII. UNGARIA.

I. IAURINENSIS: Iaurinum (*Györ, Raab*),[88] Posonium (*Pozsony, Pressburg*), Supronium (*Soprony, Oedenburg*), Leucam (*Léka*);

II. STRIGONIENSIS: Strigonium (*Esztergom, Gran*),[89] Nitriam (*Nyitra, Neutra*), Tirnaviam (*Nagy Szombath, Tyrnau*), Trinchinium (*Trencsén*), Lypsam (*Lippa*), Seccze (*Szécseny*);

III. AGRIENSIS: Agriam (*Eger, Erlau*), Potocam (*Sáros-Patak*), Varadinum (*Nagy Várad, Grosswardein*), Ceps (*Zips*) superius (*Szepesvár*) et inferius (*Szepesváralja*), duo loca, Zathmar (*Szathmár*);

IV. TRANSMARINA (Transilvana): Besterceam (*Bestercze, Bistriz*), Cemenium (al. Cibinium, *Nagy Szeben, Herrmannstadt*), Varasinum (*Kolosvár, Klausenburg*), Clicum (Siclorum) forum in metis Tartariae (*Székelyndvarhely*);

V. ALBIENSIS: in Buda (*Budapest*) tres,[90] Albam regalem (*Székes-Fehérvár, Stuhlweissenburg*), Zegedinum (*Szegedin*);

VI. QUINQUEECCLESIENSIS: Quinqueecclesiensem (*Pécs, Fünfkirchen*), Zezusdinum (*Següsd*), Scemenyam (*Szemenye*), Varasdinum (*Varasd*), Caprinicam (*Koprirnica*), [locum Lobrigi (*Ludbreg*), locum Falkas (*Falkos*)];

VII. AGRABIENSIS: Agrabiam (*Zagreb, Agram*), Vereucam (*Verócze*), Gurbonich (*Gurbonak*), Nerthem (*Nasice*), [locum de Posega (*Pozega*), l. Constannicae (*Kostajnica*)];

VIII. SYRMIENSIS: Bachinum (*Bács*), Vyilach (*Ilok*), ad s. Demetrium (*Mitrovica*), Ench (*Indija*), Francavilla (*Mangyalos*),[91] Zemlinium (*Zemun, Semlin*), Rednich (*Rednik*), Monasterium Banum (*al.* Bani, *Banostor*) in metis Graeciae,[92] ad s. Yreneum (*Ireg*), Rodua (*al.* Todua, *Tordinci*).

XIV. BURGUNDIA.

I. ALVERNAE (*Auvergne*): Silviniacum (*Seignelay*), S. Porcianum (*St-Pourçain*), Riomum (*Riom*), Montem ferandum (*Montferrand*), Clarum montem (*Clermont*), Brivatam (*Brioude*);

II. VIENNENSIS: Podium B. Virginis (*le Puy*),[93] Annoniacum (*Annonay*),[94] Montilium (*Montélimar*),

---

[85] *Cfr. superius n. 73 et 80. Praeter sequentia loca a* « *Polykarp, Dejiny Klásteru sv. Otce Frantiska, V Cechách, na Morivě a ve Slesku (p. 23)* » *nominatur* Domazlicich *ut saeculo XIII jam existens.*

[86] *Ad s. Franciscum non erant fratres Minores, sed locus a beata Agnete, filia Ottacari regis Bohemiae, Cruciferis fundatus est: apud s. Barbaram vero prope monasterium Clarissarum eadem beata Agnes pro fratribus quoque Minoribus domum construxit, sicut aliis in locis ad curam Clarissarum parvi conventus fratrum instituebantur. In Pisano:* « locum Pragae, locum s. Iacobi, locum s. Francisci », *velut Pragae tria loca fuerint.*

[87] *Hunc locum Pis. omisit.*

[88] *Deest in Pisano. Satis accurate de antiquis provinciae Hungariae locis scribitur in opusculo* « A Magyarországi Minorita-Rend Nevtára 1882/3-ik Évre-Sz. Ferenez Pátriárka születése hétszádos évfordulojának emlékére (Aradon 1882) ».

[89] Ubi fr. Gallus lector devotissimus tantae fuit virtutis, quod pulvis sepulturae eius sanabat infirmos.

[90] *Pis. habet:* quatuor, *et quidem rectius, quia nonnisi sic habemus in ista custodia VI loca, quot vel ipse cod. numerat.*

[91] Ubi fr. Ioannes ibi minister multis coruscat miraculis; inter cetera, cum eius corpus deberet transferri de loco ad locum navigio per profundam aquam, corpus de una ripa ad alteram sine navis adminiculo translatum est. *Quae tamen hic referuntur, pertinere videntur ad locum Budae (cfr. supra n. 90), ubi iacet (in ecclesia s. Io. Ev.) fr. Ioannes dictus Beatus, secundus minister Hungariae.*

[92] *Pisanus hunc unum locum dividit in duo, enumerans* locum Monasterii *necnon* locum Bani.

[93] [Ubi b. Antonius noster in magna habetur reverentia, quia ibidem praedicavit et plura tam in vita quam post miracula edidit.]

[94] Ubi quiescit fr. Guillelmus, ad cuius orationem navis distans ad eum miraculose accessit.

Dyam (*Die*),[95] Cristam (*Chrest*), Valenciam (*Valence*),[96] Romanis (*Romans*), Vienna (*Vienne*);[97]

III. Lugdunensis: Lugdunum (*Lyon*),[98] Montembrisonem (*Montbrison*), Karilocum (*Charlieu*), Villamfrancam (*Villefranche*), Matisconam (*Mâcon*), [Burgi (*Bourg*)];

IV. Divionensis: Belnam (*Beaune*), Divionem (*Dijon*), Castellionem (*Châtillon*), Barrum (*Bar-sur-Aube*), Castrumvilani (*Château-Villain*);

V. Bizuntinensis: Greiacum (*Gray*), Bizuntium (*Besançon*), Salinum (*Salins*), Ledonem (*Lons-le-Saunier*), [locum Dolensem (*Dôle*)];

VI. Losanensis: Grandisonem (*Grandson*), Losanam (*Lausanne*), Nividunum (*Yverdon*), Gebenas (*Genève, Genf*), Camberiacum (*Chambéry*), Gratianopolim (*Grenoble*), Morentam (*Moirans*), [Camerae (*la Chambre*)].[99]

XV. PROVINCIA.

I. Narbonensis: Narbonam (*Narbonne*),[100] Pirpinianum (*Perpignan*), Biterris (*Béziers*),[101] Asilam (*Azille*), Carcasonam (*Carcassonne*), Limosi (*Limoux*), Villamfrancam (*Villefranche*), Podium Sardani (*Puigcerda*);[102]

II. Montis Pesulani: Montispesulani (*Montpellier*),[103] Lodovae (*Lodève*), Agatae (*Agde*), Florentiacum (*Florensac*), Giniaci (*Gignac*), Aga[n]tici (*Ganges*);

III. Alesti: Alestum (*Alais*), Marologii (*Marvejols*), Mimatis (*Mende*), S. Egydii (*St-Chély*), Argentariae (*Largentière*), Albenacii (*Aubenas*), Usseciae (*Uzès*), Balneolis (*Bagnols*), Andusiae (*Anduze*);

IV. Nemausi:[104] Nemausum (*Nîmes*), Belicadrum (*Beaucaire*), Lunellum (*Lunel*), Aquarum mortuarum (*Aigues-Mortes*), Sumidrii (*Sommières*);

V. Avinionis: Avinionem (*Avignon*),[105] Aureacum (*al.* Aurasiacum, *Orange*), Valeriacum (*Valréas*), Montilliorum (*Montellier*), Insulae (*l'Isle-Venaissin*), Aptae (*Apt*);

---

[95] [In quo loco frater Electus sanctissimus cum honore requiescit.]

[96] Ubi fr. Petrus et fr. Cathalanus ab haereticis martirizati requiescunt, qui in hora mortis suae apparuerunt cuidam sanctimoniali infirmae, primo sanguinolenti transeuntes ante illam, postea totaliter gloriosi innuentes ei, quod in crastino iret obviam corporibus eorum pro recuperanda salute; quo facto perfecte curata est. *Cfr. supra p. 215 n. 453.*

[97] Ubi quiescit fr. Michael, qui inter cetera miracula mutavit aquam in vinum. Ubi et fr. D[r]odo, cui in ecclesia deserta et derelicta angelus omnia necessaria praeparavit et ei servivit in missa; item eidem fratri angelus equos praeparavit, ut perficeret iter suum. Ibi etiam quiescit fr. Guillelmus, qui per spiritum statim praedicebat futura.

[98] Ubi quiescit venerabilis fr. Bonaventura [S. R. E. cardinalis,] de quo (*in historia satyrica in eodem cod. contenta*) C(apite) CCXXXIIII p(arte) XIII, *ubi legitur ad a. 1263:* Eodem anno fr. Bonaventura generalis Minorum generale capitulum celebravit Pisis, et communi voto petitur protector ordinis dominus Ioannes Gagetani (Caietani de Ursinis, s. Nicolai in carcere Tull. diaconus cardinalis, postmodum Nicolaus papa III). Hic Bonaventura, cum esset iuvenis alti et clarissimi ingenii, in gratia devotionis adeo excrevit, ut omnem pene veritatem mente conceptam in formam divinae laudis et devotae orationis reduceret. Ideo brevi tempore infuso sibi supranaturali lumine anno VII ad bazalariatum Parisiensem et anno X post religionis ingressum ad magisterium est promotus, et XII (XVII?) vel XIII (XVIII?) ad regimen ordinis assumptus, in facundia nulli sui temporis secundus, et (annos) XVIII ordinem rexit. Factus episcopus Albanensis, in concilio Lugdunensi quasi lucerna posita super candelabrum mire splenduit et pro defensione Mendicantium visus est coelitus destinatus; sed laborum ipsius concilii pressus onere vita functus est aetatis suae anno LIII. Cuius mors omnes in concilio existentes incredibili affecit moestitia.

[99] [Haec provincia Burgundiae multos habuit fratres notabiles verbo, scientia et vita, qui accepti fuerunt tam Deo quam hominibus, et specialiter mag. Ioannem de Mirabello, qui sermone ad clerum et populum fulsit.]

[100] Ubi frater laicus septem fratres curavit a diversis infirmitatibus. [In quo (loco) facta sunt plura capitula generalia, et tempore unius, cum diu non pluisset et cives fratres rogassent, ut Dominum exorarent, precibus eorum Dominus pluviam largifluam dedit terris. Id ipsum evenit in capitulo quodam Barchinonae celebrato.]

[101] [De hoc loco fuit frater Petrus Ioannis (Olivi), qui famosissimus fuit vita et scientia et quasi totam bibliam postillavit multum profunde; composuit in theologia opus et plura alia opuscula edidit. Verum quaedam dixit, quae in capitulo generali per fratrem Hieronymum tunc generalem et postmodum summum pontificem fuit coactus retractare, et idipsum fecit in capitulo suae provinciae.] *Cfr. supra in corpore Bullarii passim.*

[102] *Unum locum* (*situm in Catalonia*) *Barth. Pis. in duo loca divisit, cum scriberet:* locum Podii, locum Fordani *(sic).*

[103] Ubi fr. Stephanus infirmus ad mortem, cum disperaretur a medicis, tanto gaudio de morte repletus est, quod evasit mortem optatam; interrogatus postea a fratre Hugone nunc episcopo Suessano (c. 1340-1344), cur tantum gauderet de morte, respondit: « iam sunt L anni, quod fui in ordine, et non recordor, quod mortale peccatum commiserim contra consilium in ordine ». Alter frater moriens gaudebat de morte, super quo interrogatus respondit: « melius est mihi mori quam videre mala gentis nostrae et sanctorum »; et magna disturbia secuta sunt. Ibi etiam procurator loci hora prandii non habens vinum pro fratribus, barriletum, cum quo consueverat mendicare vinum, ante altare posuit et devotus oravit, post orationem autem optato vino repletum reperit. [In quo (loco) fuit lector s. Antonius noster et quidam fr. Bernardus, qui s. fratri Rogerio (*de quo plura Conform. VIII*) diem sui obitus pro Dei parte apparendo eidem nuntiavit. In hoc loco s. frater Ludovicus noster praedicavit populo (*et plura miracula fecit*). In hoc loco semper fuerunt fratres lectores, qui fuerunt scientia et praedicatione famosi.]

[104] *In Pisano deest haec custodia; loca Nemausi, Lunelli, Agare (Agate), de Aquis mortuis numerantur in custodia Montispessulani, loca Belicadri et Sumidrii omittuntur omnino.*

[105] Ubi requiescit fr. Bonagratia generalis (1279-1284), de quo (*in hist. satyr. eiusdem cod.*) cap. CCXXXVI p. VII, *ubi legimus haec:* Martini papae tempore frater Bonagratia generalis Minorum obiit Avinione, vir magnae religionis et ardentis zeli, in cuius morte nullo funem trahente campana multis cernentibus pulsabatur.

VI. Arelatensis: Arelate (*Arles*),[106] Tarasconem (*Tarascon*), Sellonis (*Salon*), Manuascae (*Manosque*), Relaniae (*Reillanne*);

VII. Massiliae: Massiliam (*Marseille*),[107] Aquis (*Aix*), Draguniacum (*Draguignan*), Briononiam (*Brignoles*),[108] Arearum (*Hyères*), Grassam (*Grasse*), Niceiam (*Nice, Nizza*);

VIII. Cistaricii: Cistaricum (*Sisteron*),[109] Vapinchi (*Gap*), Ebrudunum (*Embrun*), Regium (*Riez*), Dignam (*Digne*),[110] Folquiliaquur (*Forcalquier*), [Carpetras (*Carpentras*)]. [111]

XVI. DACIA (DANIA).

I. Norvegiae: Mastrant (*Marstrand*), Onigelliam (*al.* Konolenge, *Konghelle*), Asloiam (*Oslo, modo Kristiania*), Tunsberc (*Tönsberg*), Bergis (*Bergen*);

II. Lincopensis: Scaris (*Skara*), Lincopiam (*Linköping*), Sarincopiam (*Falköping*), Ynnicopiam (*Iönköping*), Visbi (*Wisby*);

III. Stocolmensis: Stocolmae (*Stokholm*), Arbu (*Arboga*), Obsaliam (*Upsala*), Nicopiam (*Nyköping*), Enecopiam (*Enköping*); [112]

IV. Lundensis: Lundis (*Lund*), Treburch (*Trelleborg*), Ustach (*Ystad*);

V. Rochildensis: Rochildis (*Roeskilde*), Haums (*Kjöben-havn, Kopenhagen*), Nestveth (*Nestved*), Calsiburch (*Kallundborg*);

VI. Octoniensis: Othoniam (*Odense*), Sumelburch (*Svendborg*), Nustath (*Nyborg*);

VII. Vibergensis: Viberich (*Viborg*), Alaburg (*Aalborg*), Randrus (*Randres*), Horsins (*Horsens*);

VIII. Ripensis: Ripis (*Ribe, Ripen*), Calding (*Gelting*), Tundir (*Tondern*), Flensburch (*Flensburg*), Selesvich (*Schleswig*). [113]

XVII. YBERNIA. [114]

I. Dublinensis: Dubliniam (*Dublin*), Baldariam (*Kildare*), Clane (*Clane*), Moytuto (*Totmoy*, postmodum *Monasteroris* sive *Mainistir-Feorais*),[114a] Desertum (?), Veisefordiam (*Wexford*), Vichilo (*Wicklow*);

II. Pontensis: Pontem (*Drogheda*), Trum (*Trim*), Dundaliae (*Dundalk*), Molitifaznam (*Multyfarnham*), Daum (*Down*), Gragferge (*Carrikfergus*);

III. Cassellensis:[115] Cassellum (*Cashel*), Kilkeniam (*Kilkenny*), Rosse (*Ross*), Vaterfordiam (*Waterford*), Clonmel (*Clonmel*), Iochill (*Ioughall*);

IV. Corcagensis: Korcagiam (*Cork*), Botoniam (*Buttevant*), Limercium (*Limerick*), Tagmolagi (*Timoleague*), Ardarth (*Ardare*);

V. Nenachtensis: Nenach (*Nenagh*), Athlon

---

[106] Ubi quiescit angelicus vir Monaldus, de quo (*ut supra n. 98*) cap. CCXXXI p. XIII *(sed neque ibi neque alibi de isto fr. Monaldo quidquam inveniri potest);* ibi etiam fr. Bertrandus Bollega, vir maximae perfectionis et vitae. [Ubi beato Antonio de titulo crucis fratribus in capitulo praedicante beatus Franciscus in remotis agens in aëre ad ostium capituli in modum crucis benedicens fratribus apparuit, ut frater Monaldus aspexit, qui fr. Monaldus fulgens signis una cum fr. Beltrando (de Bollega) est tumulatus in hoc loco.]

[107] Ubi requiescit sanctus frater Ludovicus episcopus Tholosanus *(canoniz. a. 1317, cfr. supra pag. 111, cuius corpus a. 1425 ab Alfonso rege Aragoniae Valentiam translatum est)*, de quo (*ut supra n. 98*) cap. CCXXXVII p. IV *ad a. 1305 (!) haec legis:* Beatus Ludovicus de ordine Minorum episcopus Tholosanus ex hoc saeculo migravit ad Christum. *Agitur denique breviter* de eius bona indole, patientia, mundi contemptu, Dei timore, honestate et austeritate, oratione et studio, quomodo vovet castitatem et religionem, quomodo fit clericus, de eius zelo animarum, affectu ad pauperes, morte et sepultura, miraculis, canonizatione, translatione (Hic admodum puer — et confirmata est praestito iuramento). — Ibi fuit infirmarius, quem in oratione perseverantem laetificavit angelus se illi ostendens multum loquens; et cum frater infirmus illum vocaret, ut illi (sc. infirmo) potum tribueret, charitate movente reliquit consolationem, quam habebat de angeli aspectu, et ivit ad consolandum infirmum; et cum rediisset ad orationem, angelus iterum ei apparens ait: « Bonum nimium fecisti, quia plus ibi meruisti quam si ivisses ad s. Iacobum (de Compostella) ». Ibi etiam fr. Hugo plenus spiritu sapientiae et intellectus et vitae sublimis suam sanctitatem multis ostendit miraculis.

[108] [In quo (loco) b. Ludovicus noster ortus est (m. febr. a. 1274) et ibidem, cum ad renuntiandum episcopatui Romam iret (?), diem clausit supremum (die 18 aug. a. 1297).]

[109] [De quo loco fuit magister Franciscus de Mayronis, qui fuit excellens homo verbo, scientia et vita, qui opera plura sermonum super libros Aug. et super sententias composuit.] *Secundum conform. VIII iacet Marsiliae.*

[110] [De quo (loco) fuit fr. Ugo de Digna, qui regulam nostram multum compte et laudabiliter declaravit.]

[111] [Haec provincia Provinciae multos habuit magistros solemnes et famosos. Frater Raimundus Guaufredi nobilis genere fuit generalis ordinis Minorum (1289-1296) et in theologia magister; hic absolutus a generalatu per D. Bonifatium VIII et factus archiepiscopus Mediolani episcopatum noluit et frater simplex remansit. Postea, quia scandala plura in ordine suscitavit, malo fine terminavit *(cfr. supra p.* 65 *n.* 7) Haec provincia habuit quendam fratrem singularissimum sanctitate sc. fratrem Rogerium (*v. supra n.* 103). De ista provincia multi fratres doctrinam fratris Petri Ioannis (Olivi) sequentes unacum fratre Ubertino de Casali provinciae Ianuae et aliis pluribus fratribus diversarum provinciarum scisma in ordine magnum posuerunt, sed tandem omnes sunt auctoritate apostolica per ordinem exterminati.]

[112] *Desideratur apud Barth. Pis.*

[113] [Haec provincia multum est in territorio lata, habet enim tria regna sc. Daciae, Novergiae et Sueciae. Nec dubitandum habuisse et habere eam fratres, qui suis praedicationibus et vita ad Christum plures convertunt et adducunt.]

[114] Ubi frater Nicolaus de Guatfordia *(Waterford)* praedixit diem mortis suae.

[114a] *Quod nomen iste locus assumpsit ab ipso fundatore, scilicet Ioanne Mac-Feorais de Birmingham. Cfr. supra p. 291 n. 586.*

[115] Fr. Ioannes eiusdem custodiae de Vasfordia *(Waterford)* coruscavit miraculis et ad eius sepulchrum curantur infirmi et ad vitam restituuntur occisi et perfecte curantur.

(*Athlone*), Cloramada (*Clonard*), Clar (*Clare*), Galvi (*Galway*), Arthmaciam (*Armagh*), Brefunam (al. Blessinam, *Brefny*), Kalleyth (*Killaloe*).

XVIII. VICARIATUS SCOTIAE.

Bervici (*Berwik*), Aditonia (*Haddington*), Rexburgiae (*Roxburg*), Dufrenis (*Dumfries*), Lamargum (*Lanark*), Donum Dei (*Dundee*).

XIX. PROVINCIA S. FRANCISCI.

I. Assisinas: Assisium (*Assisi*),[116] Portiunculam (*Porziuncula*),[117] locum Carceris in Monte (Subasio, *Carceri*),[118] S. Claram (Assisii, *S. Chiara*),[119] Spellum (*Spello*),[120] Bictonium (*Bettona*),[121] Insulam (*Bastia*),[122] S. Damianum (*S. Damiano*),[123] Rocheciolam (*Rocchiciola*); [124]

II. Perusina: Perusium (*Perugia*),[125] locum Montis (Perusini, *Perugia al Monte*),[126] Farnetum (*Farneto*), Civitellae (*Civitella di Benezone*), Pregium (*Preggio*), Insulam laci (*Isola del lago*),[127] Agellum (*Agello*),[128] Corcianum (*Corciano*), Cibictolum (*Cibotollo*),[129] Marsianum (*Marsiano*), Dirutum (*Diruta*),[130] Montem Iovis (*Monte di Giove*),[131] [Montis lucidi (*Monte lucido*),[132] S. Mariae de angelis (*Santa Maria degli Angeli*)]; [133]

III. Vallis (sc. Spoletanae): Spoletum (*Spoleto*),[134] Fulgineum (*Foligno*),[135] Trevium (*Trevi*), Ianum (*Giano*), Montemfalconem (*Montefalcone*), Me-

---

[116] Ubi requiescit beatus Franciscus, de quo et eius sociis et fratribus primis *(v. hist. satyr. supradictam)* cap. CCXXXI p. XXX, *ubi vita eiusdem Sancti, sicut a s. Bonaventura conscripta est, invenitur in novenas distincta lectiones pro die festo et singulis octavae diebus* (Apparuit gratia Salvatoris — cum maximis quae longum foret enarrare solemniis beatum patrem catalogo sanctorum ascripsit). [In quo (loco) sunt hi solemnes praedicatores verbo, vita et miraculis praedicantes in vita et post mortem. Primus est beatus pater noster Franciscus, 2. fr. Bernardus de Quintavalle, 3. fr. Silvester, 4. fr. Electus, 5. fr. Leo, 6. fr. Guilelmus de Anglia, 7. fr. Angelus de Reate, 8. fr. Masseus Marignani, 9. fr. Rufinus, 10. fr. Guido de Senis laicus, 11. fr. Aegidius de Capociis, 12. fr. Valentinus de Narnia. Quales hi fuerint, dictum est supra fructu VIII et conformitate in tractatu de provincia s. Francisci.]

[117] [Ubi ordo Minorum incepit.] Ubi requiescit fr. Petrus Catani et quatuor de sociis beati Francisci et sex fratres, qui audierunt et viderunt alaudas in obitu b. Francisci.

[118] [In quo (loco) fuerunt hactenus fratres sanctissimi et nunc exemplo suo, dum ibi stant, poenitentiam peragendam praedicantes.]

[119] [Ubi beatus Franciscus fuit primo tumulatus, et ibi iacet nunc beata Clara cum multis sanctis fratribus et sororibus.] *De s. Clara in hist. satyr. cap. 233 part. 3:* Beata Clara canonizata est MCCLVII (Haec videns se positam sacrae religionis primarium fundamentum — complantaret). *Part. 4:* De eius paupertate (In his etiam s. Patris sequens vestigia — impetravit). *Part. 5:* De austeritate vitae eius (Simpla tunica et vili paliolo — prorsus coegit servire spiritui). *Part. 6:* De oratione et lacrimis eius (Quantae vero devotionis — destitit perturbare). *Part. 7:* De ipsius devotione ad Crucifixum (Peculiaris illi praecipue planctus erat — gladio interemptus occubuit). *Part. 8:* De patientia ipsius in infirmitatibus et transitu mortis et canonizatione (Quadraginta duobus annis — duxit sanctorum catalogo solemniter ascribendam).

[120] Ubi quiescit fr. Andreas, qui multa fecit miracula († 1254 iunii 3).

[121] Ubi quiescit fr. Ioannes de Laudibus, qui vivente b. Francisco eius laterale vulnus tangere meruit.

[122] [Ubi fuit sepultus ille praedicator excellens fr. Corradus de Offida, qui quinque mortuos suscitavit († 1306 dec. 15).]

[123] [Cuius ecclesiam Crucifixi mandato b. Franciscus reparavit et mulla mira ibi fecit Deus per ipsum b. Franciscum et b. Claram, sicut acta utriusque attestantur.]

[124] [In quo (loco) multi sancti fratres fuerunt, qui suo tempore vita et verbo homines informarunt.]

[125] Ubi quiescit fr. Aegidius de Assisio, de quo dicitur, quod hanc gratiam consecutus est a Domino, ut in hiis, quae ad bonum animae pertinent, efficaciter adiuvet invocatus. Fr. Gratianus socius eius dixit, quod in XX annis, quibus fuit secum, non audivit unum verbum otiosum ab eo; erat enim vir sublimis contemplationis. *Cfr. de illo « Fioretti di san Francesco d'Assisi » ed. Amoni, Romae 1889, l. c. p. 294-375.* Ibi est etiam fr. Conradus de Offida de Marchia, a Perusinis illuc portatus (a. 1320) de Insula Assisii (*cfr. n. 122*). Hic inter miracula etiam mortuos suscitavit; hic etiam cuidam matronae lugubrie querelanti, cur non multiplicaret miracula, ita ut notus fieret toti orbi, respondit: « Ego de hoc in morte Deum rogavi, sed loco miraculorum habeo gratiam, ut, quicunque in me habet devotionem et fidem, post eius mortem in die festi mei traho eum de purgatorio ». *Cfr. de eo « Fioretti » p. 146 seqq.* Ibi etiam fr. Petrus de Splaga, qui mortem suam praedixit, et ei apparuit Christus dicens: « Veni, fili, quia si fecisses omnia peccata, quae facta fuerunt a tempore Ioannis Baptistae usque nunc, omnia sunt tibi dimissa ». Iste dimisso studio totaliter dabat se orationi et memoriae Crucifixi. [Iacent ibi fr. Ventura et fr. Nicolaus de Assisio (*de quo plura conform. VIII*) signis in vita et post mortem homines quotidie informantes. Multi etiam fratres egregii praedicatores fuerunt de Perusio, et in sacra pagina magistri, eorum lingua erudite populum edocentes.]

[126] [In quo sanctus frater Aegidius longo tempore stetit et (quem) famosum fecit et facit sua singulari conversatione.]

[127] [Ubi beatus Franciscus fecit unam quadragesimam, in qua solum medietatem unius panis parvi comedit, in quo loco ipse b. Franciscus multis coruscat signis.]

[128] [In quo loco fr. sanctus fr. Aegidius fuit raptus a post vesperas usque ad galli cantum, et demum apparuit tantum lumen, quod lumen lunae absorbuit et accepit.]

[129] [In quo (loco) sanctus Ludovicus noster claret signis et miraculis gloriosis.]

[130] [Ubi etiam fr. Aegidius moram fecit.]

[131] Ubi quiescit fr. Sensus, qui fuit vir mirae contemplationis et raptus (i. e. ecstaseos).

[132] Quem fecit papa Martinus (IV).

[133] Ubi iacet fr. Philippus, socius b. Francisci et primus visitator sororum (ord. s. Clarae).

[134] Ubi quiescit fr. Simon (de Colazone), qui inter multa miracula in illa valle mortuum suscitavit. [Etiam post mortem clamat converti ad Dominum. Idipsum peragit sanctus frater Theobaldus in dicto loco tumulatus.]

[135] Ubi quiescit fr. Armanus (Hermanus), qui multa fecit miracula. [Ubi praedicat et docet continue de regno Dei fr. Martinus suis signis et miraculis.]

vanium (*Bevagna*),[136] Pistiam (*Brogliano*),[137] [de Monte Luco prope Spoletum (*Monte Luco*)]; [138]

IV. Eugubina: Eugubium (*Gubbio*),[139] Gualdum (*Gualdo*), Nucerium (*Nocera*), Collestaciarium (*Costacciaro*), Caprinonum (*Capraia*);

V. Castellana: Castellum (*Città di Castello*),[140] Burgum (*Borgo San Sepolcro*),[141] Citernam (*Citerna*),[142] Cerbarolum (*Cerbarolo*), Montonium (*Montone*), Fractam (*Fratta*), [Montis Casalis (*Monte Casale*)]; [143]

VI. Tudertina: Tudertum (*Todi*) [144] Aquasparta (*Aquasparta*), Ameliam (*Amelia*),[145] Lugnanum (*Lognano*), S. Illuminatam (*Alviano*),[146] Heremitarum (*Romita Arnolfo*),[147] Pantanellum (*Pantalla*), Montionem (*Moncione*), Canallem (*Canale*);

VII. Narniensis: Narniam (*Narni*),[148] Interamnem (*Terni*), [149] S. Geminum (*S. Gemino*), [150] Aronem (*Castel di Lago*), Struncomem (*Stroncone*), [151] Carvium (*Calvi*), Pedislucum (*Piediluco*);

VIII. Montanorum: Amatricem (*Amatrice*), Montis s. Martini (*Monte San Martino*), Arquatum (*Arquata*),[152] Ceretum (*Cerreto*), Cassiam (*Cascia*),[153] Vissum (*Visso*), Nursiam (*Norcia*),[154] Vallem (*Vallo*);[155]

IX. Regni: Montemleonem (*Monteleone*), Lapostam (*Posta*), Occosium (*Occosce*), Monticellum (*Monticelli*), Gonissam (*Leonessa*), Accumulum (*Accumulo*), Hospitale (*Ospitale S. Lazaro*), [s. Mariae Magdalenae (*S. Maria Maddalena*), Montisregalis (*Monte reale*), Civitatis regalis (*Civita reale*)]. [156]

XX. ROMANA. [157]

I. Romana: Romae duo (sc. S. Francisci ad Ripam trans Tiberim et S. Mariam in Aracoeli),[158] Castellanae (*Civita Castellana*), Sutrii (*Sutri*), Campaniani (*Campagnano*), in Monte Compatrum (*Monte Compatri*); [159]

II. Viterbiensis: Viterbium (*Viterbo*),[160] Tuscanelam (*Toscanella*),[161] Cornetum (*Corneto*),[162] Mons-

---

[136] [In quo (loco) fr. Nicolaus de « Pater noster » suis signis praedicationem agit ad populum.]

[137] [Ubi clamat suis assiduis miraculis et praedicat sanctus frater Ioannes de Vallibus.]

[138] [In quo fratres sunt vita austera coetum mundi ad bonum provocantes.] *Conf. VIII specialis sermo est de fr. Antonio de Tegrinis de Pisis tamquam celebri thaumaturgo.*

[139] Ubi quiescit fr. Thomas, qui plura fecit miracula.

[140] Ubi quiescit fr. Iacobus laycus, qui post mortem multa miracula fecit.

[141] Ubi fr. Raynerius (de Aretio, † 1304 nov. 1) laycus multa miracula fecit post mortem.

[142] [Ubi b. Franciscus fecit miraculum de formicis et de muliere portata per daemones, quia eius impediebat praedicationem.]

[143] [In quo beatus Franciscus stetit et fecit plura et praecipue tres famosissimos convertit latrones, qui hoc modo sunt conversi. *Sequitur longa narratio huius conversionis, quam etiam legas in « Fioretti » l. c. p. 90.* Sed hic locus a fratribus relictus, incolitur modo per fratres de tertio ordine ibidem poenitentiam agentes.]

[144] Ubi fr. Rogerius, cuius memoriam Gregorius IX concessit ibi celebrari. [In quo loco praedicant continue fr. Guillelmus, qui tres mortuos suscitavit, fr. Petrus de Galliendo et fr. Iacobus Benedictoli *(de quo plura Conf. VIII)*. Alii fratres fuerunt ibi notabiles sc. fr. magister Matthaeus de Aquasparta cardinalis *(1288-1302, antea sc. 1287 minister generalis)*, qui opus fecit pulcherrimum ad praedicandum, et fr. Bentivenga cardinalis (1278-1289).]

[145] [Qui (locus) praedicantem ante mortem et post habuit fr. Simonem de Cor(s)ciano miraculis corruscando.]

[146] [In quo (loco) iacent duo sancti sc. Tientealbene et fr. Ioannes de Alviano, qui miraculis advocant ad vitam perfectam christicolas indesinenter.]

[147] [Quem (locum) fecit beatus pater Franciscus, et continue tenuit fratres regulam ad litteram observantes.]

[148] [In quo loco iacet fr. Matthaeus praedicationem suam firmans multis signis; (hic locus) habuit multos praedicatores praeclaros etiam nostris diebus.]

[149] [Ubi beatus Franciscus praedicavit et miracula fecit; ibi gloriose praedicavit signis fr. Petrus de Podio et Simon de Campo regali.]

[150] [In quo (loco) beatus Franciscus uxorem cuiusdam sui hospitis a daemonio, a quo vexabatur, liberavit.]

[151] [In quo (loco) fuerunt fratres devoti verbo et exemplo populum assidue informantes.]

[152] [In quo (loco) fr. Paulus suis signis praedicationem facit continue.]

[153] [In quo (loco) fr. Pax clamat ad populum suis virtutibus et miraculis.]

[154] [In quo (loco) fr. Antonius praedicat suis signis.]

[155] *Barth. Pis. aliquot loca custodiae Montanorum inter loca cust. Regni recenset et vice versa.*

[156] [Et ista sunt loca, quae sunt in provincia sancti Francisci, in quibus fratres vita et verbo notabiles fuerunt et sunt, qui praedicationibus et exemplis ad Dominum multos convertunt.]

[157] In Sceptone fr. Guido miraculis coruscavit et habuit spiritum prophetiae et a fratribus visus est altissime elevatus a terra. *Quae quidem nota spectat ad prov. Thusciae, ad quam pertinet locus de Sceptone. V. infra n. 238.*

[158] Ubi frater (quidam) sepultus annis septem multis videntibus surrexit et se ipsum composuit in sepulchro. Fr. Iuniperus, qui tanta patientia emicuit, ut eum licet multa perpessum nemo turbatum viderit, in s. Maria de Capitolio (sive de Aracoeli) requiescit. *Cfr. de eo « Fioretti » l. c. p. 267-292 et Barth. Pis. conf. VIII et XI, qui de hoc loco insuper refert haec:* Fuit palatium et camera Octaviani imperatoris, prout habetur in legenda nativitatis Domini. Multi in dicto loco fratres fuerunt notabiles de domo Columnensium, Ursinorum, s. Eustachii et aliorum principum Romanorum pro tempore suo verbo et opere ad Christi imitationem populum invitantes.

[159] Ubi fr. Angelus de Monteleone lector pauperrimus et despectus in morte a multitudine fratrum miraculose visitatur sequentium unum, solemniter portatus prius positis cortinis pulcherrimis a duobus iuvenibus per totam infirmariam; quod vidit et retulit quidam frater ibidem decubans, existentibus fratribus illius loci in ecclesia.

[160] [In quo (loco) est sepultus ob devotionem ordinis papa Adrianus (V, † 1276) de Flisco. De isto loco fuit fr. Marcus magister in theologia, generalis minister ordinis (1359-1366) et S. R. E. presbyter cardinalis (1366-1369). Iacet ibidem nobilis praedicator fr. Soldanerius, qui solem dedit mundo vita et doctrina.]

[161] Ubi fr. Guillelmus de Cordella unum caecum et alterum contractum signo crucis adhuc vivens curavit.

[162] [Ubi beatus Franciscus post suam mortem quendam a valvis ecclesiae oppressum et conquassatum resuscitavit.]

altus (*Montalto*), Mons flasconis (*Montefiascone*), Ortanum (*Orte*); [163]

III. Urbevetana: Urbsvetus (*Orvieto*),[164] Balneumregium (*Bagnorea*), [165] Bulcinum (*Bolsena*), Aquam pendentem (*Aquapendente*), Procenum (*Proceno*),[166] Pitilianum (*Pitigliano*);

IV. Reatina: Reate (*Rieti*), [167] Tarrani (*Tarrani*), Malliani (*Magliano*), S. Alexandri (*Toffia*), Montis leonis (*Monteleone*), Archis Sinibaldi (*Rocca Sinibalda*), Longoni (*Longone*), S. Iacobi de Radicaria (*Radicaro*), Valintroduci (*Interdocco*, *alias Borghetto*), Podii bastonis (*Poggio bastone*), Fontis columbae (*Fonte Colombo*), [168] Grecii (*Greccio*); [169]

V. Tiburtina: Tiburis (*Tivoli*), Vicovarii (*Vicovaro*), Rubiani (*Roviano*), Civitatellae (*Civitella*), Sublaci (*Subiaco*), Cellarum (*Carsoli*);

VI. Campaniae: Anagniae (*Anagni*), [170] Pilei (*Pileo*), [171] Alatri (*Alatri*), Florentini (*Ferentino*), Vallis Montonis (*Valmontone*), [Segaroli (*Zagarolo*), Somnini (*Sonnino*)];

VII. Velletrensis (*apud Barth. Pis.* Maritimae): Veletri (*Velletri*), Albani (*Albano*), Notoni (*Nettuno*), Nymphae (*Sermoneta*), Seciae (*Sezze*), Pipernae (*Piperno*),[172] Terracenae (*Terracina*). [173]

XXI. TERRAE LABORIS.

I. Neapolitana: in Neapoli (*Napoli*) loca III (sc. S. Laurentii,[174] S. Mariae Novae, S. Clarae sive Corporis Christi,[175] [*quibus locis Barth. Pis. adiungit IV alia sc.* S. Crucis, S. Mariae dominae reginae, S. Mariae Magdalenae, S. Mariae Aegyp-

---

[163] [Ubi beatus Franciscus puerum conglomeratum signo crucis extendit et reformavit. *Conf. VIII:* In civitate Hortense iacet sanctus fr. Theobaldus de Assisio *miraculis clarus.*]

[164] [In quo (loco) inter alios praedicatores excellentes ibidem praedicavit fr. Ambrosius, qui plures mortuos suscitavit, et fr. Moricus, unus de duodecim beati Francisci sociis sanctis exemplo et miris.] *De utroque narrantur plura conf. VIII, ubi etiam* fr. Severinus miraculorum gloria coruscare *dicitur. Loca* Cornetum-Urbsvetus *desunt in cod. Bamb.*

[165] [De quo fuit ille magister praecipuus et praedicator fr. Bonaventura, decem et octo annis generalis minister ordinis Minorum (1257-1273) et S. R. E. primus de ordine nostro cardinalis, episcopus Albanensis (1273-1274).]

[166] Ubi quiescit fr. Tobias, qui habuit spiritum prophetiae.

[167] [De quo fuit fr. Angelus (Tancredi), primus miles, qui ordinem intravit et multa de beato Francisco novit, iacens Assisii in ecclesia s. Francisci tumulatus.]

[168] [In quo (loco) b. Franciscus ieiunando quadraginta diebus regulam nostram, qua nunc ordo utitur, confecit, prout a Christo audivit; et sic esse Christus ter de coelo coram ministris inclamando asseruit. In hoc loco antiquitus fuerunt multi sancti fratres singulares Deo devoti et mundo praedicatores exemplo sanctitatis.]

[169] [In quo beatus Franciscus fecit miraculum de grandine destruente annuarie blada et vineas, et a lupis incolas liberavit. In hoc loco beatus Franciscus faciens repraesentationem dominicae nativitatis a domino Ioanne milite de Grecio visus est Iesum tenere puerum in ulnis; et plura alia miranda hic fecit. In hoc loco stetit magno tempore sanctus frater Iohannes de Parma, qui fuit ordinis generalis (1247-1257) et Camerini miraculis coruscat.]

[170] Ibi quiescit (*sic*) b. Andreas (de Comitibus) nepos dni. Alexandri papae (IV), qui cardinalatum renuit, et propter miracula, quae faciebat in vita, Bonifatius VIII dixit, quod eum canonizaret, si moreretur tempore suo. Ibi etiam est fr. Rainaldus de partibus Reatinis, vir mirae perfectionis et vitae; hic cum triennio fuisset in sepulcro integro corpore, aperto sepulcro, ut alter sanctus frater ibi poneretur, praesentibus fratribus et multo populo surrexit, cedens fratri sepeliendo, et stans sic per spatium unius « Pater noster »; postea socialiter requievit. Hic fr. Rainaldus, cum moreretur, pro sudore emittebat flores pulcherrimos. *De b. illo Andrea rectius refert Barth. Pis., cum scribat:* De hoc loco fuit (oriundus) sanctus frater Andreas, qui Pilei iacet, nepos papae Alexandri IV, et fr. Iacobus (Caietanus), nepos domini Bonifatii VIII, qui fuit S. R. E. cardinalis (1295-1304). [In quo (loco) iacet fr. Haimo in theologia magister et ordinis Minorum generalis minister (1240-1244), qui Breviarium correxit et plures rubricas posuit ac antiphonas ad laudandam beatam Virginem post completorium instituit et ordinavit. *Eius epitaphium extat in Anal. Francisc. II, 65.* Multique alii fratres sunt ibidem sepulti et notabiles et singulares.]

[171] [Ubi iacet praefatus frater Andreas, qui cardinalatum renuntiavit et nunc tuba miraculorum ad contemptum mundi omnes convocat et inducit.]

[172] [Ubi egit Deus miraculum, quia, dum more solito fratres irent pro pane et quaedam mulier avaritia ducta eis dare noluisset, filio ferens panem exeunti in agro, dum scinditur, totus sanguinolentus ab intus invenitur, quo miraculo perculsa mater cum filio proponens semper panem fratribus dare, panis cruoris vestigium statim amisit. In loco de Piperno iacet fr. Leonardus de Fulgineo miraculis clarus.]

[173] [Romana provincia notabiles habuit fratres, qui in provinciis ordinis gubernacula exercentes verbo pariter et exemplo cunctis se praedicatores egregios ostenderunt. Hanc provinciam beatus Franciscus frequentando, specialiter Reatinas partes et Romanas, mira faciendo et docendo venerabilem reddidit et insignem.]

[174] [Ubi requiescit fr. Augustinus de Assisio, primus minister dictae provinciae, qui b. Franciscum post mortem vidit coelum adire.] *Cfr. infra not. 177. De fr. Augustino in hist. satyr. cap. 231 part. 22, qua sermo est de transitu b. Francisci, haec legis scripta:* Minister quoque Terrae laboris, fr. Augustinus, vir utique sanctus et iustus, in hora ultima positus, cum diu iam prius amisisset loquelam, clamavit et dixit: « Expecta me, pater, expecta; ecce ego venio tecum »; et quaerentibus fratribus, cur loqueretur, ait: « Nonne videtis patrem nostrum Franciscum, qui vadit in coelum »; statimque anima eius migrans a carne patrem est secuta.

[175] [In monasterio s. Clarae iacet fr. Philippus de Aquis de provincia Provinciae, qui ab ipsa recedens ad montem Alvernae accessit; ibi diu moratus tandem ad morandum Assisium ivit ad locum de Carceribus; sed fama eius sanctitatis crescente ad petitionem domini regis Roberti et dominae Sanctiae reginae consortis suae per generalem ministrum factus confessor sororum de s. Clara Neapolim adiit, ubi degens paupertatis, humilitatis, morum honestatis, gravitatis, austeritatis ceterarumque virtutum exemplar fuit. Huius doctrina sanctum Elziarium nunc sanctorum catalogo ascriptum, tunc vero comitem Ariani, et sanctam Thalpinam (Delphinam) ad Christum convertit... Anno circiter centesimo vitae suae ad Christum perrexit anno Domini MCCCLXIX die VIII iunii die Veneris...]

tiachae),[176]] Aversa (*Aversa*), Capuae (*Capua*),[177] Teanum (*Teano*), Suessae (*Sessa*), Caleni (*Carinola*), Miniani (*Mignani*), Nolae (*Nola*), Matoloni (*Maddaloni*);

II. Salernitana: Salernum (*Salerno*),[178] Amalfiae (*Amalfi*), Ravelli (*Ravello*), Surenti (*Sorrento*), Castrum maris (*Castellamare*), Sarni (*Sarno*), Giffoni (*Giffoni*),[179] Nuceriae (*Nocera*);

III. Principatus: Ebuli (*Eboli*), Dyani (*Diano*), Potentiae (*Potenza*), Oletae (*Auletta*), Agloboli (*Agropoli*), Muri (*Muro*), Saponariae (*Saponara*), Cuculi (*Cuccari*), Montem Larum (*Montella*), S. M[ariae],[180] Mar[si]ci (*Marsico*);

IV. Beneventana: Beneventi (*Benevento*), Aquaeputridae (*Mirabella*),[181] Ariani (*Ariano*), Montis Sarculi (*Monte Sarchio*), S. Agatae (*S. Agata*), Alifiae (*Alife*), Montisfuscoli (*Montefusco*),[181a] Avelini (*Avellino*), Cereti (*Cerreto*);

V. S. Benedicti: S. Germanum (*San Germano*), Albeti (*Alvito*), Vicarbo (*Vicalvi*), Locus Tyri (*Itri*), Tergeti (*Traietto*), Gagetae (*Gaeta*),[182] Arpini (*Arpino*),[183] de Fundis (*Fondi*), Sorae (*Sora*), Temperani (Ceprani, *Ceprano*), Aquini (*Aquino*), [Maranulae (*Maranola*)]. [184]

XXII. PENNENSIS.

I. Teatina: Teatinam (*Chieti*), Pîscariam (*Pescara*), Francamvillam (*Francavilla*), Ortonam (*Ortona*), Lasanum (*Lanciano*), Palenam (*Palena*), Guardiam (*Guardiagrele*), Buclanum(*Buchianico*);[185]

II. Pennensis: Civitatem Pennensem (*Penne*), Lauretum (*Loreto*), Catenianum (*Catignano*), Pontariam (?), Tectum (*Tocco*), Manupellum (*Manoppello*), [Aladi (*Alanno*)]; [186]

III. Adriensis: Adriam (*Atri*), [187] Pellinum (*al.* Peleni?), Vallem (*Valle San Giovanni*), Civitatem s. Angeli (*Cività Sant' Angelo*), Silurum (*Cellino*), Montem silvanum (*Montesilvano*);

IV. Abrutina:[188] S. Iustam (?), Teramum (*Teramo*), Camplum (*Campli*), Civitatellam (*Civitella del Tronto*), Contragueram (*Controguerra*), S. Cinerum (*recte* Omerum, *S. Omero*), S. Flavianum,[189] Mirrum (*Morro*);

V. Aquilensis: Aquilam (*Aquila*),[190] Fonticulas

---

[176] Ibi quiescit fr. Donatus laicus e marchia Anconitana, qui multis miraculis splenduit; hic fuit austeritate singularis et contemplatione sublimis; hic Gagete (Gaietae) aestivo tempore in meridie Christum in forma puerilis aetatis, sicut per annos XXX desideraverat et oraverat, vidit, in brachiis tenuit se dulciter alloquentem et amplexantem et in fronte oscula porrigentem. Quaedam nobilis domina de Castro VII fratrum Soranae dioecesis lepra infecta loturam pedum huius fratris procuravit habere, cuius lotione a lepra protinus est mundata. Hic frequenter cum daemonibus eum ab orationibus et ceteris bonis (operibus) perturbantibus manualiter confligebat. [De Neapoli fuit magister Landulphus (Carracciolo) magnus praedicator ad populum et clerum, qui postillam pulcherrimam incepit super omnia evangelia et super epistolam ad Hebraeos et super Zachariam et multos sermones scholasticos et collationes fecit; scripsit multum luculenter super quatuor libros sententiarum vestigia sequendo Scoti, ipsum in omnibus declarando; et fuit archiepiscopus Amalfitanus *(1331-1351, antea ep. Stabien. 1326-1331).*]

[177] Ubi fr. Augustinus minister vidit animam b. Francisci euntem in caelum. *Cfr. supra n. 174.*

[178] Ubi fr. Lucas episcopus (Acernen. c. 1274-1290) pluribus fulsit miraculis.

[179] [De quo (loco) fuit frater Leonardus magister in theologia et generalis minister ordinis Minorum *(el. 1373, cardinalis creatus ab antipapa Clemente VII, obiit Avinione 1407).*]

[180] « Quis sit, requirant alii », *scribit Righinius l. c. p. 38.*

[181] [De quo (loco) fuit frater Franciscus, qui conclusiones fecit librorum philosophiae.]

[181a] *Loca* s. Agathae, Alifiae, Montisfuscoli *desunt in cod. Bamb.*

[182] [Ubi beato Francisco praedicante populo navis in mari stetit immobilis.]

[183] Ubi requiescit fr. Iacobus Aquensis dioecesis, qui fuit minister Terraelaboris; hic redeuntibus post peccatum subditis tantum compatiebatur, ut non solum dolorem sed etiam poenam eis debitam compatiri (compati) niteretur. Fuit quoque quam maximae orationis et in vita et post mortem miraculis claruit; mulier enim biduo in partu laborans eo adveniente et devote orante a periculo liberata est. Alia nobilis domina de Alberto particula tunicae eius filium a gravibus febribus liberavit. *Loca* de Fundis-Aquini, *quae habet cod. Bamb., desunt in cod. Vat.*

[184] [Praefata loca habet provincia Terraelaboris, de qua praesumendum est notabiles fuisse fratres, ubi tantus rex fuit et dominus inclitus rex Robertus, cui complacuit et filio suo sc. Carolo Calabriae duci per dies plures habitum assumere Minorum, ut apud Christum sicut prius semper corde sic et ultimo veste fratres haberentur Minores.]

[185] Ubi fr. Benedictus hydropicus propter unum peccatum invidiae in visu ad iudicium trahebatur et cum multis a Christo damnabatur, sed liberatus precibus beatorum Francisci et Antonii pro dimissa physica, in qua multum studuerat, infusam a Deo recepit theologiam et sanctissimam vitam duxit.

[186] *Barth. Pis. praeterea nominat* locum Celani, *qui tamen secundum Righinium idem est ac locus Sellani a cod. Vat. infra inter loca cust. Marsic. relatus, quamquam Pis. ibidem etiam locum Selani distinguit a loco Celani.*

[187] Ubi fr. Andreas de corona vitae, cum adhuc viveret, certificari meruit.

[188] In Abrutio fr. Franciscus dicens missam et reperiens araneam in calice, pro reverentia sacramenti totum sumpsit et post missam, fricans cum digitis in crure (ore?), vidit araneam inde exire absque ulla laesione.

[189] *Hic locus neque a Barth. Pis. recensetur neque definiri potest.*

[190] Ubi fr. Franciscus provinciae s. Francisci visus fuit in morte cum multis centenariis fratrum portantium palmas, praecedente eos b. Francisco cum cruce, et ducebatur ad vitam aeternam cum palma victoriae. [De quo (loco) fuit fr. Petrus magister in theologia, et fecit opus super sententias, abbreviavit opus Scoti, quod dicitur « Scotellus », satis pulchre et sententiose. In dicto loco iacet fr. Thomas Hibernicus, qui sibi pollicem amputavit, ne ad sacerdotium cogeretur. Item noviter in dicto loco iacet s. Bernardinus de Senis magnus praedicator et multis miraculis coruscans post mortem MCCCCXLIIII.] *Cod. Aracoel. exibet in textu ipso haec:* Et sanctus frater Bernardinus de Senis, qui extitit praedicator magnus, qui innumeris coruscat miraculis.

(*Fontecchio*), Castrum vetus (*Castel vecchio*), Ofenum (*Ofena*), Paperum (*Popoli*), Sulmonam (*Sulmona*); [191]

VI. Marsicana: Civitatem Marsicanam (*Piscina*), Sellanum (*Celano*),[192] Avezanum (*Avezzano*), Corbarium (*Corvara*), Tollacotium (*Tagliacozzo*), S. Petrum (*Albe*), Balsoranum (*Balsorano*). [193]

XXIII. S. ANGELI.

I. Civitatis: Civitatem (*Civitate*),[194] Precinae (*Procina*), Gulion (*Guglionesi*), Scialeram (*Larino*), Termonarum (*Termoli*), Vasti (*Vasto d' Amone*), Montis Odorici (*Monte Odorisio*);

II. Comitatus: Yserniae (*Isernia*), Boiani (*Boiano*), Venafri (*Venafro*), Angloni (*Agnone*), Campibassi (*Campobasso*), Limosani (*Limosano*), Planitii (?);

III. Capitinatae (Capitanatus): Lugeriae (*Lucera*), S. Severi (*San Severo*), Foggiae (*Foggia*),[195] Troiae (*Troia*), Aesculi (*Ascoli-Satriano*), Corneti,[196] (de) Casali novo (?);

IV. Montana [Montis S. Angeli]: Manfredonia (*Manfredonia*), S. Angeli (*Monte Gargano*), Vestarum (*Viesti*), S. Iohannes rotundus (*San Giovanni rotondo*), Pesquitii (*Peschici*), Rodi (*Rodi*),[197] Iskitelli (*Ischitelli*), Caniani (*Cagnano*). [198]

XXIV. CALABRIAE. [199]

I. Regina: Regium (*Reggio*), Semahariam (*Seminara*), Gerasium (*Gerace*), Nicoterram (*Nicotera*),[200] Tropeiam (*Tropeia*), Montem leonis (*Monte Leone*);

II. Cotrone: Cotronum (*Cotrone*), Catanzarium (*Catanzaro*), Squilacium (*Squillace*), Nicastrum (*Nicastro*);

III. Castrovillerii: Castrovillarum (*Castrovillari*), S. Marcum (*S. Marco*), Curilianum (*Coriliano*), Scaleam (*Scalea*);

IV. Vallis Gratis: Cusenciam (*Cosenza*), Bisinianum (*Bisignano*),[201] Martoranum (*Martirano*), Amanteam (*Amantea*). [202]

XXV. APULIAE.

I. Barolitana: Barrum (Barolum, *Barletta*),[203] Andriam (*Andria*),[204] Canusium (*Canosa*), Venusium (*Venosa*), Melfiam (*Melfi*);

II. Barensis: Barum (*Bari*), Botontum (*Bitonto*), Vigiliensem (*Biseglia*), Tranensem (*Trani*),[205] Caurati (*Corato*), Iuvenacius (*Giovenazzo*), [locum Melfitanum (*Molfetta*)];

III. Materana: Materam (*Matera*), Gravinam (*Gravina*), Montempilosum (*Monte peloso*), Tricaricum (*Tricarico*);

IV. Tarentina: Tarentum (*Taranto*), Oream (*Oria*),[206] Hostunium (*Ostuno*), Monopolum (*Monopoli*), Ioam (*Gioia*);

V. Brundusina: Brundusium (*Brindisi*), Licium

---

191 [De quo (loco) fuit fr. Petrus de Cansano magister in theologia et ordinis Minorum generalis minister (1383-1384).]

192 [De quo (loco) fuit fr. Thomas, qui mandato apostolico scripsit sermone polito legendam primam beati Francisci et prosam de mortuis, quae cantatur in missa, sc. « Dies irae dies illa etc. » dicitur fecisse. In hoc castro beatus Franciscus, dum deberet cum milite comedere, eius mortem praevidit et praedixit.]

193 [Dicta loca sunt provinciae Pennensis.]

194 *Olim* Theanum Apulum, *postea dirutum, cuius dignitas episcopalis ad s. Severum translata est, sicut scribit Righinius.*

195 [In quo loco iacet fr. Iacobus de Assisio, liberans multos ab infirmitatibus.]

196 *Oppidi, ut scribit Righinius, iam pridem funditus excisi, ut ne vicini quidem noverint, ubinam fuerit.* Ubi fr. Benvenutus [de Eugubio] laicus multa fecit miracula et est in illo episcopatu canonizatus.

197 Ubi fr. Salimbene, quem Deus multis miraculis decoravit.

198 Ubi fr. Petrus, qui pluribus miraculis claruit; post mortem inter alia sanavit unam dominam infirmam et post multos annos inventus est in cymiterio fratrum integro corpore et tunica intacta, quo viso statim custos illud transtulit in ecclesiam iuxta altare.

199 Ubi fr. Petrus de s. Andrea Cassinensis dioecesis de genere militari multis miraculis in vita claruit; hic daemonem gravi tentatione carnis impellentem quendam fratrem, ut rediret ad saeculum, increpando praecepit, ut tamquam animal foetidum in latrinis aliquanto tempore moraretur et postea vadens ad poenas suas numquam de similibus ulli fratri esset infestus; hic pro secreto confessionis servando .... a Federico II martyrio coronatus est. *Waddingus affert Petrum quendam simili modo anno 1264 martyrizatum; sed hic aut alius est atque ille Petrus, cum Fridericus II iam anno 1250 mortuus sit, aut si de eodem Petro de s. Andrea agitur, vel in cod. Vat. vel apud Waddingum occurrit temporis error.*

200 *Hic locus non invenitur apud Barth. Pis.*

201 Ubi fr. Andreas laycus existens in coquina et occupatus, desiderans sed non valens videre Corpus Domini in altari, subito patefactis muris intermediis vidit et adoravit Corpus Domini; post mortem eius quidam contractus tetigit terram, ubi erat sepultus, deinde tetigit corpus proprium et sanatus est, quo viso fratres protinus exhumaverunt eum et in ecclesiam honorifice posuerunt.

202 [De ista provincia fuit minister Daniel, qui cum sex sociis in civitate Septae (Ceuta) passus est martyrium pro fide Christi (1227 oct. 10). In praedicta provincia iacet fr. Petrus minister vir sanctitate praeclarus.]

203 [In quo (loco) praedicavit suis exemplis et miraculis fr. Adam Rufus, *de quo plura invenies Conf. VIII.*]

204 [In quo (loco) iacet fr. Landus de Tarento minister Apuliae, sanctitate praedicationem suam et signis decorans.]

205 [In quo (loco) iacet fr. Petrus, qui signa multa fecit. *Cfr. Conform. VIII.*]

206 Ubi (*secundum Barth. Pis. Conf. VIII:* in silva de Melfia, ubi antiquitus fuit locus fratrum) fuit fr. Gismundus vir mirabilis sanctitatis, qui post mortem fecit miracula, sepultus in ecclesia s. Stephani de Ripa (O. S. B.). [In Oria iacet fr. Franciscus de Duratio, qui septem annis panem non comedit et signis inclitus fuit.]

(*Lecce*), Ydrontum (*Otranto*), Alexanum (*Alessano*), Neritonam (*Nardò*).

XXVI. BONONIAE.

I. Forliviensis: S. Agatam (*S. Agata*), Veruculi (*Verucchio*),[207] Arimini (*Rimini*),[208] Fracte (*Fratta*), S. Angeli (*Sant' Arcangelo*), Loniani (*Longiano*), Caesenae (*Cesena*),[209] Bertinorii (*Bertinoro*), Forolivii Papilii (*Forlimpopoli*), Ymaldulae (*Meldola*), Forolivium (*Forlì*), Castrocarum (*Castrocaro*);

II. Ravennae: Gaufignani (*Fossignano*), Ravennae (*Ravenna*), Faventiae (*Faenza*), Banacavalli (*Bagnacavallo*), Luci (*Lugo*), Ymolae (*Imola*),[210] Montis Regis (*Monte del Rè*), Toxiniani (*Tossignano*), [Cerviae (*Cervia*)];

III. Bononiensis: Bononiae (*Bologna*),[211] S. Franciscum prope Bononiam (*S. Maria della Pugliola*), Domini Pacis (*Lugo de Paci*), Vernanae (*Vergnana*), Ricardinae (*Riccardina*), Planorii (*Pianoro*), Craspellani (*Crespellano*), Confortini (*Confortino*), Caldarariae (*Calderara*), Argellatae (*Ronchi*), S. Ioannis (*San Giovanni in Persiceto*);[212]

IV. Ferrariae: Ferrariae (*Ferrara*),[213] Mutinae (*Modena*),[214] Carpi (*Carpi*), Regii (*Reggio*),[215] Montisfalconis (*Montefalcone*), [de Fenano (*Fanano*), Admirandolae (*Mirandola*)];

V. Parmae: Parmam (*Parma*),[216] Burgi S. Donini (*Borgo San Donnino*),[217] Cremonae (*Cremona*),[218] Placentiae (*Piacenza*),[219] Bobii (*Bobbio*), [Casalis maioris (*Casalmaggiore*)].[220]

XXVII. TUSCIAE.

I. Florentina: Florentiam (*Firenze*),[221] Pra-

---

[207] *Barth. Pis. recenset* loca duo in Veruschio, *sed omisit* locum Forolivii Papilii.

[208] [In quo beatus Franciscus plura fecit miracula; beatus Antonius ibidem fecit miraculum de pisciculis ad suam praedicationem audiendam (advenientibus), veritatem Corporis Christi asinae adoratione haereticis monstravit et plura alia mira ibidem peregit. Iacent ibidem fratres Ioannes Baroncii et Andreas vitae primo exemplaritate et nunc signis hominibus praedicantes.]

[209] [De quo fuit fr. Michael in theologia magister et ord Min. gen. min. (1316-1328).]

[210] [Ubi beatus Franciscus primo ab episcopo repulsus, ne praedicaret, deinde idem episcopus victus ipsius beati Francisci humilitate sibi et aliis fratribus suis liberrime praedicandi licentiam impertivit.]

[211] Ubi quiescit fr. Nicolaus, qui vivens inter alia mortuum de lecto efferendum dicitur suscitasse, et erutis cuidam oculis novos restituit; item fr. Matthaeus de Faventia magna dicitur fecisse miracula. [Iacet ibidem in eodem sepulchro cum fr. Nicolao praefato fr. Bonizus, homo sanctissimus, qui fuit in Monte *(sic)* polumbarum *(v. supra n. 168)* cum b. Francisco, quando fecit regulam, quam habemus; fr. Guido de Spatis praedicator devotus et fr. Guillelmus de Cortimilio, quorum miraculis et praedicatione tota renovata fuit Bononia.]

[212] [De quo (loco) oriundus fuit frater Bonagratia, qui fuit ordinis Minorum generalis minister (1279-1284).] *Apud Barth. Pis. scriptum legimus etiam* locum s. Pauli in monte *et* locum s. Mariae in monte; *sed ille tandem a 1406 pro fratribus Observantibus fundatus esse dicitur, hic vero idem esse putatur atque* Hospitale Monzoni (*Monzone*).

[213] [In Ferraria extra muros est alius locus devotorum fratrum.]

[214] Ubi fr. Gera(r)dus multis miraculis splenduit. [De hoc loco fuit fr. Thomas de F(e)rignano in theologia magister, praedicator maximus, qui fuit generalis minister ordinis Minorum (1367-1372), deinde patriarcha Gradensis, postmodum S. R. E. cardinalis (primum tit. ss. Nerei et Achillei presb., dein) episcopus Tusculanus (1378-1381).]

[215] [De quo fuit frater (Marchesinus), qui fecit librum, qui dicitur « Mamotre(c)tus ».]

[216] [De quo fuit sanctus frater Ioannes de Parma, magister in theologia et ordinis Minorum generalis minister (1247-1257), et iacet Camerini coruscans assidue miraculis... Habuit et iste locus et alios magistros et fratres praedicatores egregios et probitate vitae praeclaros. Habuit istis temporibus quendam fratrem, licet parum vixerit in ordine, filium cuiusdam marchionis Malaspinae; cuius castrum cum inimici cepissent, patrem et fratrem eius interfecerunt, ipsum vero, quia puer erat forte quinque annorum, per fenestram arcis proiecerunt coram sua matre sine dubio propter altitudinem maximam loci vita cariturum. Sed invocato per matrem s. Francisco in nullo fuit laesus, ex quo mater eum etiam filium s. Francisci fore voluit et veniens Parmam fecit eum indui; sed tempore pestis secundae decessit.]

[217] [In quo beatus Franciscus fecit miraculum de panibus.]

[218] [In quo fuerunt duo fratres ambo sufficientes et in theologia magistri.]

[219] [In quo multi fratres fuerunt insigniti titulo magisterii et multos fratres probos habuit et bonos praedicatores; in quo sepultus fuit fr. Franciscus de Mayronis praeclarissimus theologiae magister.]

[220] [In hac siquidem provincia Bononiae rigiditas magna viguit observantiae regularis ac studia scientiarum; et de ista provincia fuerunt fratres plures vita, fama, verbo et scientia singulares, a quibus fratres aliarum provinciarum de praefatis trahentes exemplum suis personis in moribus et scientia nativas provincias decorarunt.]

[221] Ubi fr. Accursius infirmarius, vir tantae caritate ad infirmos, ut, cum die quadam mire consolaretur in capella infirmorum apparente et colloquente gloriosa Virgine Matre Christi, audiens graviter infirmum eiulantem, dimissa tanta consolatione cucurrit ad serviendum infirmo. Ibi etiam fr. Humilis de Perusio multa miracula fecit; hic monente Christo ordinem intravit et interroganti, quem modum deberet tenere, Christus respondit: « Teneas vitam communem, fugias fratres (familiaritates?) et alios non iudices ». Frater etiam Benedictus laicus de Mugello fecit multa miracula. [In quo multi fuerunt fratres singulares. Habuit enim fr. Ioannem Parentis, qui fuit primus minister generalis post mortem s. Francisci istius ordinis (1227-1232); etsi dicatur de provincia Romana, fuit tamen de Florentia natione. Hunc locum primo fundavit beatus Bernardus de Quintavalle, qui fuit primus a beato Francisco Florentiam missus. Hic locus semper aliquem habuit fratrem notabilem prae aliis vita et exemplo. Ad informandum huius civitatis populum annuatim praedicator eligitur potior inter fratres, qui non modicum fructum facit animarum. *Conform. VIII legitur:* De Florentia etiam fuerunt frater Rolandinus orationi addictissimus et fr. Franciscus de Maleficiis, homo devotus et paupertatis ac regulae suae zelator, qui in Corsica in Silva (Siliqua?) est humatus.]

tum (*Prato*),[222] Figinum (*Figline*), Burgum S. Laurentii (*Borgo San Lorenzo*), Locum nemoris (*Scarpara*),[223] Barbarinum (*Barberino*), [Castri Florentini (*Castel Fiorentino*)]; [224]

II. Senensis: Senas (*Siena*),[225] Vulteras (*Volterra*), S. Geminianum (*S. Geminiano*),[226] Collem (*Colle*), Podium Bonici (*Poggibonsi*), Assianum (*Asciano*);

III. Pisana: Pisas (*Pisa*),[227] Sarsanam (*Sarzana*), Pontremulum (*Pontremoli*), Vicum (*Vico Pisano*); [228]

IV. Lucana: Lucam (*Lucca*),[229] Pistorium (*Pistoia*),[230] S. Miniatum (*San Miniato*),[231] Ficeculum (*Fucecchio*), Pisciae (*Pescia*), Carmignanum (*Carmignano*);

V. Areatina: Aretium (*Arezzo*),[232] M. Alvernia (*Alverna*),[233] Cortonam (*Cortona*),[234] Castellionem (*Castiglione*),[235] Listignanum (*Lucignano*), Pucoii (*Poppi*),[236] Gagareti (*Gangareto*);

VI. Clusina: Clusium (*Chiusi*), Montem Politianum (*Montepulciano*),[237] Castrum plebis (*Città della Pieve*), Scetone (*Cetona*),[238] Monsalcinus (*Montalcino*),[239] Radicofanum (*Radicofani*), Planum (*Piano*),[240] Columbarii (*Colombaro*),[241] Corcignani (*Pienza*), S. Quirici (*San Quirico*), S. Processi (*San Processo*), Sartianum (*Sarteano*);

---

[222] [De quo oriundus fuit frater Arlottus magister in theologia et ordinis generalis minister (1285-1286), qui concordantiarum librum pro magna parte fecit. Habuit (hic locus) et alios fratres in ministeriatus officiis in provinciis ordinis exemplo et regimine venustos.]

[223] [In quo fuerunt plures fratres regulae observantia decorati; in hoc loco etiam fuit beatus Franciscus, et fr. Bonaventura cardinalis noster primus ibidem capellum (cardinalitium) recepit.]

[224] [Qui (locus) habet apud se sepultum fr. Donatum de Ferraria spiritu prophetico radiatum et fr. Iacobum de Trisanto, qui XXXII quadragesimalia et multos alios sermones tam dominicales quam festivos ad praedicandum peregit.]

[225] [Qui ab antiquo loco per iactum distat balistae, in quo loco antiquo beatus Franciscus redeundo de Roma de sero figendo baculum in terram in arborem excrevisse pulcherrimam invenit de mane... In loco, ubi nunc fratres stant, fuerunt multi venerabiles fratres, scientia, regimine, exemplo vitae et doctrina in ordine singulares et praedicatores nominati; et inter alios fuit fr. Bindus, qui multos sermones praedicabiles composuit et ordinavit. In hoc siquidem loco, dum duo iuvenes essent in horto, videlicet fr. Minus Altimani, qui postea fuit minister Tusciae, et fr. Guido de Solvengo, et loquerentur de Deo, dominus Iesus in specie pueri apparuit inter eos, prout clare vidit sanctus frater (Petrus) Pectinarius de tertio ordine, qui tunc per hortum Deum contemplando pergebat... In hoc loco beatus Ludovicus noster, cum esset episcopus Tholosanus, parapsides lavit in signum humilitatis.]

[226] [De quo extitit oriundus fr. Ioannes de Caulibus magnus praedicator et devotus, qui meditationes super evangelia fecit pulchras.]

[227] [Qui (locus) habuit fratres praedicatione et vita praeclaros, videlicet fr. Albertum ord. Min. generalem ministrum (1239-1240), qui minister Angliae erat, dum ad generalatus officium fuit assumptus; fr. Agnellum, primum custodem Parisiensem et primum in Anglia ministrum, per cuius praedicationem et vitam ac miracula post mortem Angliae provincia fundata est et dilatata et conventus originatus Parisiensis. Multos habuit alios fratres excellentes in theologia magistros et in aliis virtutibus decoratos.]

[228] [In quo beatus Franciscus fuit et praedicavit.]

[229] [Qui (locus) habuit unum fratrem inter alios magnum praedicatorem videlicet fr. Antonium, qui multa quadragesimalia fecit, quibus claret sua subtilitas ingenii et scientia; et minister fuit primo provinciae Marchiae (Anconit.) et demum provinciae Thusciae.]

[230] [In quo (loco) iacet magister Petrus de Cansano generalis min. ordinis (1383-1384).]

[231] [Qui (locus) multos habuit fratres bonos et specialiter magistrum Antonium, qui Parisius et in Thuscia fuit notabilis homo et praedicator.]

[232] Ubi quiescit fr. Benedictus, unus de sociis B. Francisci; hic ductus fuit in paradysum deliciarum, ubi vidit Enoch et Helyam, qui inter colloquia ei dixerunt, quod adventus Francisci eis datus fuerat pro ultimo signo exitus sui. [Hic fuit primus minister Antiochiae [Terrae sanctae], qui imperatorem Constantinopolitanum et regem Ierusalem Ioannem ad Ordinem recepit. Hic suis claris miraculis et vita praedicando multos illustravit.]

[233] Ubi fr. Orlandinus (Rolandinus) de Florentia *(v. supra n. 221)*, dum oraret, certificatus est de sua corona sibi in coelo parata. Ibi etiam fr. Guillelmo de Radicofano laico apparuit magnus ignis super caput eius, dum staret in oratione. Ibi etiam fr. Hugolinus, qui fuit servitor fratrum, fuit vir maximae poenitentiae et habuit spiritum prophetiae; et alii multi *inprimis* fr. Ioannes de Alvernia *et* fr. Clemens, *de quibus plura Conf. VIII.* [Quem (locum) dominus Iesus suis saepissimis apparitionibus factis fratribus et stigmatizatione beati Francisci sanctissimum reddidit et honore dignissimum.] *Cfr. infra n. 262.*

[234] [In quo est crux, quam fecit sancta Helena filio suo Constantino imperatori, dum iret ad bellum... In loco antiquo de Cortona, ubi stetit beatus frater Guido, qui miraculis fulgens signis per populum inde levatus in civitatem deductus sepultus est in ecclesia cathedrali.]

[235] [De quo fuit fr. Mansuetus, qui a sancto Ludovico Francorum rege partem habuit de corona spinarum Christi, ut ipsius regis patet littera.]

[236] [In quo (loco) iacet fr. Iacobus Balectarius (Barletanus *Conf. VIII*), certificatus a Christo de remissione plenaria peccatorum.]

[237] *Ita recte in cod. Bamb., sed cod. Vat. habet solummodo:* Montem. [Qui (locus) habuit multos fratres scientiae et virtutis. In monte Policiano iacet fr. Bartholomeus Buccii Francisci (Pucci, † c. 1330 maii 6), qui uxorem, filios et omnia relinquens factus est fr. Minor devotissimus, et sanctus post mortem miraculis claruit.]

[238] *Cfr. supra n. 157.* [Alius quoque frater noster, qui canonicus fuerat sanctae Mustiolae de Clusio, vitae sanctissimae in die purificationis a Virgine visitatus Iesum habuit in suis ulnis ad instar sancti senis Simeonis. Plures alii sancti fratres in hoc loco devotissimo fuerunt.]

[239] *Ita recte in cod. Vat., in cod. Bamb. solummodo:* Mons. Ubi quiescit fr. Philippus laicus, qui multa fecit miracula, et inter cetera in sua translatione inundante pluvia sui portatores non sunt madefacti.

[240] [De quo fuit fr. Andreas de Plano homo vitae perfectae et magister multorum fratrum.]

[241] [In quo iacet fr. Guido de Solvena (Bolsena, *Conf. VIII, v. supra n. 225, ubi* de Solvengo *nominatur*), cui dominus revelavit, quod hinc ad paucos annos insurget quaedam secta in ordine et sub praetextu observantiae regulae dividetur de aliis fratribus, qui multa impie agent.]

VII. Maritimana: Massam (*Massa*),[242] Plumbinum (*Piombino*), Gresetum (*Grosseto*), Castellionis (*Castiglione*), Suveretum (*Suvereto*), [de Monterio (*Montieri*)]. [243]

XXVIII. MEDIOLANI.

I. Mediolanensis: Mediolanum (*Milano*), [244] Laudae (*Lodi*), [245] Poculum (*Pozzuolo*), Galaratae (*Gallarate*), Seronum (*Saronno*);

II. Modorcensis: Modorciam (Modoetiam, *Monza*), Vicomercatum (*Vimercate*), Oppronum (*Oreno*), Decium (*Desio*), Marinianum (*Mariano*), Caturium (*Cantù*);

III. Brixiensis: Brixiam (*Brescia*), Pergamum (*Bergamo*), Valemcamonicam (*Valcamonica*), Graganum (*Gargnano*), [de Iseo (*Iseo*), de Crema (*Crema*)];

IV. Cumana: Cumas (*Como*), Varisium (*Varese*), Luganum (*Lugano*), Locuranum (*Locarno*);

V. Vercellensis: Vercellas (*Vercelli*), Novariam (*Novara*), Yporegiam (*Ivrea*), Moollam (*Biella*), [Austae (*Aosta*)]. [246]

XXIX. MARCHIAE TARVISINAE. [247]

I. Paduana: Paduam (*Padova*),[248] Vicentiam (*Vicenza*), Montem Silicem (*Monselice*), Lendenariam (*Lendinara*), Rodigium (*Rovigo*), Bassianum (*Bassano*), Cortarodulum (*Cortarolo*), Plebem Sacci (*Pieve di Sacco*), Buvolentam (*Bovolenta*), Est (*Este*), [Montignanae (*Montagnana*), S. Petri de Viminaro (*San Pietro in Vimini*), S. Ursulae (*Sant' Orsola*), Galzignani (*Garzignano*)];

II. Venetiarum: Venetiis sunt duo (*Santa Maria ai Frari*,[249] *San Nicoletto*), S. Franciscus in Insula (*San Francesco in Contrada*),[250] Clugiam (*Chioggia*), Tarvisium (*Treviso*), Coneglanum (*Conegliano*), [251] Asillum (*Asolo*), Civitatem Belluni (*Belluno*), [S. Francisci de Vinea (*San Francesco alle Vigne*), de Feltro (*Feltre*), Seravallis (*Serravalle*)];

III. Veronensis: Veronam (*Verona*), Mantuam (*Mantova*),[252] Tridentum (*Trento, Trient*), Ripam (*Riva*), Coloniam (*Cologna*);

IV. Forumiulii (*Friuli, Friaul*): Civitatem Austriae (*Cividale*), Utinum (*Udine*), [253] Clemonam (*Gemona*), Pulcinicum (*Pulcenigo*), Portum Gruarii

---

[242] Ubi fr. Bernard[in]us multa miracula fecit. [Hic locus habuit plures praedicatores solemnes.]

[243] [Dicta loca habuerunt probos fratres litteratos et praedicatores praecipuos. Iam dicta sunt loca provinciae, in quibus fuerunt notabiles fratres verbo et vita apud saeculares famosi, quorum nomina, etsi non sunt multum nominata per fratres, sufficit, quod a Christo sunt inter electos ascripta; qui et opera plura fecerunt Deo accepta et mundo, et specialiter ad praedicandum.]

[244] Ubi fuit archiepiscopus fr. Leo (1243-1257), sanctitate clarus, [et fr. Petrus de Archagnano inquisitor, qui nolens delere haereticos de libro inquisitorum ab ipsis est occisus, ac fr. Antonius de Rosate, qui a Saracenis est interfectus.]

[245] In quo fuit episcopus fr. Leo (de Palatinis, 1318-1343) sanctitate praeclarus, qui corripiendo suos clericos ab eis est fortissimo veneno potionatus, sed in nullo laesus.

[246] *Innocentius papa VI anno pont. primo mandat archiepiscopo Tarentasiensi, ut ad civ. Augustan. (Aosta) se conferens de fundando ibi conventu fratrum Min. se informet (Arch. Vat. Inn. VI, Avin. t. 2, f. 182).* [Haec Mediolanensis provincia plures habuit et habet notabiles fratres magistros et non magistros qui apud suos cives praecipue in fama fuerunt notabili.]

[247] *Apud Barth. Pis. haec provincia appellatur* S. Antonii.

[248] Ubi quiescit B. Antonius, de quo c. CCXXXI, p. XXXVII *sc. hist. satyr. in eodem Cod. Vat. exist. Ibidem invenitur haec vita s. Antonii. Part. 37:* De nativitate et bonis initiis b. Antonii (In regno Portugaliae — a lectione divina cessabat). *Part. 38:* Qualiter zelo martyrii ordinem Minorum intravit et de mutatione nominis ipsius (Cum ex Yspania procedens Petrus infans primogenitus regis Portugaliae — quam alte in praedicatione tonabat). *Part. 39:* De via B. Antonii in Maroccum et reditu eius (Cum igitur martyrii ferveret desiderio — nisi ab aliis sustentatus). *Part. 40:* Qualiter fratribus scientia eius innotuit et de utili praedicatione contra haereticos (Congregatis multis et variis — licet magno spatio loca ipsa distarent). *Part. 41:* De fama praedicationum eius (Missus urgente necessitate — nomina docuisse). *Part. 42:* De transitu eius (Instante vero messis tempore — ante autem anni circulum catalogo sanctorum ascriptus est). [Iacet etiam in hoc loco fr. Fidentius, et multos alios fratres probos hic locus habuit.]

[249] In principali loco fr. Iohannes de Clugia cognominatus Karissimus; multa enim caritate fluebat ad omnes. Post multos menses aperto sepulchro corpus cum habitu ex omni parte integerrimum est repertum et cum manu in forma benedicentis populum; et plura fecit miracula translatus de communi loco ad ecclesiam. *Haec, quae codex Vat. omisit, habet cod. Bamb.* [In quo loco reconditi sunt fratres videlicet Carissimus de Clugia, assidue clarens signis, et Gentilis de Marchia *(v. infra n. 316)*, qui sua praedicatione multos infideles ad Dominum convertit; fuit enim in partibus illis multo tempore et ibi terminavit dies suos; corpus namque suum ductum fuit Venetias per dominum Marcum Cornerium, qui fuit postea dux Venetiarum. *Plura de eo Conf. VIII.* In hac civitate de ordine nostro fuerunt positi praecipui praedicatores pro consolatione civium dictae civitatis; et de ipsa civitate fuerunt multi fratres notabiles, sed inter alios fuit frater Nicolaus de Mutio, qui opera beati Gregorii per materias distinguendo fecit opus maximum, multum pulcrum et notabile, ipsumque domino Gregorio IX praesentavit. Habuit etiam locus ipse Venetiarum fratrem Ludovicum (Donati) magistrum in theologia, qui fuit generalis ordinis (1379-1381) et postmodum S. R. E. cardinalis (1381-1386).]

[250] [Quem locum fecit quidam civis videndo in raptu excellentiam b. Francisci et statum eius in vita beata; in dicto loco multa miracula fecit et facit beatus Franciscus.]

[251] Ubi fr. Lucas socius B. Antonii multis fulsit miraculis. *Secundum Barth. Pis. et ipse iacet Paduae.* [In quo (loco) conditus est fr. Marcus signis clarus.]

[252] [In quo (loco) iacet fr. Benevenutus, qui signis extitit gloriosus.]

[253] Ubi fr. Odoricus miris splendet miraculis, prius inter infideles gravia passus. *Pis. de eo, qui die 14 Ian. a. 1331 obiit, habet haec:* In quo (loco) iacet frater Ludovicus Odoricus suis virtutibus in patriarchatu Aquilegiensi canonizatus, qui quasi totum orbem perambulavit praedicando et informando.

(*Portogruaro*), Castellum (*Castello di Porpetto*), Guritiam (*Gorizia, Görz*). [254]

XXX. MARCHIAE ANCONITANAE.

I. Aesculana: Aesculum (*Ascoli-Piceno*), [255] Ofidam (*Offida*),[256] Ripatransonis (*Ripatransone*),[257] Polegium (*Poggio Canoso*), Montemflorum (*Montefiore*), [258] Aquaviva (*Acquaviva*), Monsaltus (*Montalto*), S. Victoria (*Santa Vittoria*), Mons falconis (*Montefalcone*), Cosinianum (*Cosignano*), Castellionis (*Castignano*), Furchae (*Force*), Venarupta (*Venarotta*), [de Pignano (*Appignano*)]; [259]

II. Firmana: Firmum (*Fermo*), S. Elpidium (*Sant' Elpidio*), Mons Rubianus (*Monte Rubbiano*), Mons Ulmi (*Monte dell' Olmo*), [260] Mollianum (*Mogliano*), [261] Massa (*Massa*), [262] Falleronem (*Fallerone*), [263] Laurum (*Loro*), Mons Actonis (*Monte Ottone*), Penna S. Iohannis (*Penna San Giovanni*), [264] S. Angeli (*Sant' Angelo in Pontano*), S. Genesius (*San Ginesio*), Brunforitium (*Brunforte, modo Sarnano*), [265] Rezabalumbi (*Cesa Colombo*), Mons S. Petri (*Monte San Pietro*), Amandulam (*Amandola*), M. Granarius (*Montegranaro*), [Montem Georgii (*Monte Giorgio*)];

III. Camerinensis: Camerinum (*Camerino*), [266] S. Severinum (*San Severino*), [267] Tolentinum (*Tolentino*), Maceratam (*Macerata*), Civitatem novam (*Civitanova Marche*), [268] Montem sanctum (*Montesanto*), Montem [Lu]ponis (*Monte Lupone*), [Pontem] Trabis (*Ponte la Trave*), [269] Serra (*Serrapetrona*), Murrum (*Muro*), [270] Ploracum (*Piorago*), Montem Milonis (*Monte Melone*);

IV. Anconitana: Anconae (*Ancona*) loca duo, [271] (H)auximum (*Osimo*), [272] Racanetum (*Recanati*), [273] Cingulum (*Cingoli*), Monticulum (*Montecchio*), [274]

---

[254] [Ista provincia beati Antonii plures habet et habuit magistros de Padua, de Venetiis, de Mantua, et aliis locis, et alios fratres, qui scientia praediti praedicatores fuerunt praeclari et opera praedicationum fecerunt.]

[255] [In quo (loco) fuerunt egregii praedicatores, videlicet sanctus frater Corradus (Miliani, † 1289 maii 19), de quo festum agitur ibidem; frater Hieronymus, in theologia magister et papa Romanus vocatus Nicolaus quartus (1288-1292, min. gen. 1274-1278, S. R. E. Card. 1278-1288), fr. Iacobus de Aesculo in theologia magister, et plures alii sufficientia et vita famosi.]

[256] [De quo extitit oriundus sanctus frater Corradus de Offida insignis praedicator et sanctus.] *Cfr. n. 122 et 125.*

[257] [De quo fuit magister Ioannes, qui tempore suo nullum habuit verbo et ingenio potiorem, ut eius scripta testantur.]

[258] [Qui (locus) illum virum habuit excellentem sc. fratrem Gentilem magistrum in theologia et E. R. cardinalem (1298-1312)].

[259] [De quo extitit oriundus magister Franciscus Rubeus de Marchia (*alias* de Aesculo), suo tempore praedicatione et aliis valde clarus, *sed per longum tempus sequax Michaelis de Caesena depositi ministri generalis.*]

[260] [De quo fuit sanctus frater Petrus, vita et miraculis praeclarus praedicator, ut dictum est conform. VIII.]

[261] [In quo iacet frater Iacobus de Fallerono, pater spiritualis fratris Ioannis de Alvernia (*v. supra n. 233 et infra n. 281 necnon « Fioretti » l. c. p. 170-190 et 257*), praedicator vita et doctrina singularis.]

[262] [De quo fuit fr. Iacobus, qui historiam acceptionis loci montis Alvernae habuit a fratre Leone, et de miris factis in dicto monte, et de stigmatibus sacris, ut dicetur infra conf. XXXI.] *Cfr. « Fioretti » l. c. p. 165.*

[263] [De quo fuit frater Peregrinus Bononiae a beato Francisco, dum esset studens, ad ordinem receptus, perfectionis magnae et sanctitatis.]

[264] [In quo iacet fr. Ioannes de Penna (Pinna), mirabilis praedicator sua vita perfecta, ut dictum est conform. VIII.] *Cfr. « Fioretti » l. c. p. 153.*

[265] [Ad hunc locum fuerunt reliquiae translatae multorum fratrum, qui in loco steterunt Suffiani, ut dictum est supra conform. VIII.]

[266] Ubi fr. Iohannes de Parma generalis minister multis coruscat miraculis; vide de eo c. CCXXXIII p. III *(hist. satyr., quae in eodem Cod. Vat. extat; sed neque ibi neque alibi de isto fr. Iohanne quidquam inveniri potest.) Cfr. supra n. 169. Barth. Pis. de eo tum alia tum haec habet:* « Hic prohibuit in horo cantari vel legi, quicquid in officio sanctae Romanae ecclesiae, quod habemus ex regula, non esset contentum vel per generale capitulum approbatum, exceptis quibusdam antiphonis post completorium decantandis. In missa quoque iuxta ritum ipsius Romanae ecclesiae a sinistris sacerdotis mandavit hostiam collocari et calicem a dextris et pallam divisam a corporalibus supponi.... Hic officium composuit ad omnes horas de beneficiis Creatoris et officium de Cruce, cuius invitatorium incipit: *Regem crucifixum*, dicitur etiam composuisse. » — Frater etiam Petrus de Monte Ulmonis post mortem multos a magnis infirmitatibus liberavit.

[267] [In quo iacet fr. Bentivola praedicans continue suis claris operibus et signis.]

[268] [De hoc siquidem loco fuit quidam sanctus fr. Iacobus valde spiritualis et devotus.]

[269] [In hoc loco dum staret fr. Bentivola, de quo dictum est supra *(v. n. 267)*, et solus custodiret quendam leprosum, a loco obedientia coactus recedere et nolens ipsum leprosum relinquere, involuto eo in pannis et in humeris posito, in parvo tempore, scilicet ab aurora usque ad ortum solis, per quindecim milliaria de loco Trabae usque ad montem sancti Vicini portavit, quod, si aquila fuisset, sic in brevi non potuisset volare.] *Cfr. « Fioretti » l. c. p. 145.*

[270] [De quo fuit Ioannes de Murro in theologia magister, ordinis Minorum generalis minister (1296-1302), cardinalis S. R. E. episcopus Portuensis (1302-1313), protector ordinis Minorum et ordinis sanctae Clarae, qui beatum Ludovicum filium regis Charoli primogenitum ad ordinem et professionem recepit. — In hoc loco de Murro clamat tuba miraculorum et populum informat frater Massaeus, qui, cum esset plebanus et fratrem Bentivolam in aëre sublevatum vidisset, dimisso mundo factus est frater Minor perfectissimus.]

[271] [Novum (et antiquum), sed in antiquo loco sanctus frater Servusdei de Urbino vidit fratrem Petrum de Monticulo (sive de Treia) per sex cubitos in aëre levatum usque ad pedes crucifixi.]

[272] Ubi fr. Gratianus *(ap. Barth. Pis. Conf. VIII eodem nomine, sed Conf. XI* Chatalanus *nominatus)* sacerdos multis coruscavit miraculis in vita et post mortem. *Cfr. infra n. 280 et Righini l. c. p. 22 n. 29.*

[273] Ubi fr. Martinus in vita et post mortem miraculis claruit. *Cfr. Righini l. c. p. 22 n. 30.* [Quem (locum) sua vita et miraculis illustravit Benvenutus (Mareni, † 1289 maii 5) homo sanctissimus et laicus...]

[274] [De quo fuit fr. Petrus fama sanctitatis et praedicatione excellens, de quo conform. VIII plura sunt dicta.] *Cfr. supra n. 271 et « Fioretti » l. c. p. 145.*

Foranum (*Forano*),[275] Tornasanum (*Tornasano*), Castrum Milii (*Castrignano*), Castrumfitardi (*Castelfidardo*), Camuranum (*Camerano*), Cirolum (*Sirolo*); [276]

V. Aesina: Aesium (*Iesi*),[277] Fab(r)ianum (*Fabriano*),[278] Saxum feratum (*Sassoferrato*), Rocha (*Rocca del Fluvione*), Sera comitum (*Serra dei Conti*), Monsnovus (*Montenovo*), Senogallia (*Sinigaglia*), Monsbodius (*Montalbo*), Sera S. Quirici (*Serra San Quirico*), Stafulum (*Staffolo*), Pura (*Apiri*), Mathelicam (*Matelica*);

VI. Fanensis: Fanum (*Fano*), Pensaurum (*Pesaro*), Forosinfronium (*Fossombrone*), Corinaltum (*Corinaldo*), Monsavium (*Mondavio*), S. Victoria (*Fratta*), Pergula (*Pergola*), Saltaria (*Saltara*), M. Scutanetus (*Montebaroccio*),[279] M. Formisinus (*Mondaino*);

VII. Feretrana (*Montefeltro*): Urbinum (*Urbino*), Calium (*Cagli*), Durantum (*Urbania*), S. Angeli in Vado (*Sant' Angelo in Vado*), Mercatellum (*Mercatello*), Leonanum (*Lunano*), M. Florentinus (*Montefiore*), Faggiola (*Faggiola*), S. Leo (*San Leo*), S. Marinus (*San Marino*),[280] Saxum Corbarium (*Sasso Corbaro*). [281]

XXXI. SCLAVONIAE. [282]

I. Aragusina: Duracium (*Durazzo*),[283] Ulcinium (*Olcinj, Dulcigno*), Scutarum (*Scutari*), Antibarum (*Antivari*), Catara (*Cotor, Cataro*),[284] Ragusium (*Ragusa*), Daxa (*Daxa*), [Corçulae (*Curzola*)];

II. Spaleti [Iadrensis]: Spaletum (*Spalato*), Tragurium (*Traù*),[285] Sebenicum (*Sebenico*), Scandelam (al. Scardonam, *Skradin*), Barberium (*Bribir*),[286] Iadriam (*Zara*), Pagum (*Pago*), [locum extra Iadram super insulam, qui S. Hieronymi vocatur, locum de Pagman (*Pagman*), Podnovi (*Castelnovo prope Fiume*)];

III. Arbensis: Arbum (*Arbe*), Seneam (*Senj, Zengg*), Veglam (*Veglia*), Kersum (*Cherso*), [287] [Modrusiae (*Modrus*)];

IV. Ystriae: Polam (*Pola*),[288] Parentum (*Parenzo*), Pyranum (*Pirano*), Iustinopoli i. e. Cap d' Ystria (*Capo d' Istria*),[289] Trigestum (*Trieste*),[290] [Mugglae (*Muggia*), Vallis (*Valle*)].

XXXII. SICILIAE.

I. Messanensis: Messanam (*Messina*),[291] Cataniam (*Catania*), Randacium (*Randazzo*), Taromenium (*Tauromina*), Pactis (*Patti*);

II. Panormitana: Panormum (*Palermo*),[292] Termis (*Termine*), Cefaludum (*Cefalù*), Curilionem (*Corleone*),[293] Policium (*Polizzi*),[294] Castrumbonum (*Castelbuono*);

III. Syracusana: Syracusam (*Siracusa*),[295] Lemtinum (*Lentini*), Notum (*Noto*), Ratgusiam (*Ragusa*), Calatagironem (*Caltagirone*); [296]

---

[275] [De quo fuit ille praedicator insignis fr. Angelus sanctitate et paupertate praeclarus, qui divinitus linguam graecam accepit et grammaticam graecam et Ioannem Climacum de graeco transtulit in latinum, dialogum beati Macharii pulcherrimum et quendam librum devotissimum beati Ioannis Chrisostomi; hic in praedicatione et aliis magister fuit fratris Simonis de Cassia ordinis Heremitarum praedicatoris famosi, prout in quadam epistola lugubri de morte dicti fratris Angeli asserit fr. Simon.] *Qui Angelus idem esse videtur atque Angelus de Clarino.*

[276] Ubi fr. Paulus de Marchia multa fecit miracula. *Cfr. Righini l. c. p. 22 n. 31.* [In quo (loco) quiescit dictus fr. Petrus de Monticulo.] *Cfr. supra n. 274.*

[277] [De quo fuit fr. Crescentius in utroque iure peritus, qui summam in iure fecit et generalis minister ordinis Minorum (1244-1247) fuit, cuius mandato fratres Leo, Ruffinus et Angelus beati Francisci socii legendam beati Francisci (dictam trium Sociorum) composuerunt pulcram et sermone luculentam.]

[278] Ubi fr. Franciscus multis fulsit miraculis, cui etiam apparuit angelus et praedixit in brevi tribulationem esse venturam.

[279] [In quo praedicat assiduis nunc miraculis quidam frater laicus ibi tumulatus nomine « frater sanctus ».]

[280] Ubi fr. Dominicus multa fecit miracula. [Item frater Petrus de Monte Ulmi (*v. supra n. 360*), et fr. Gratianus (*c. supra n. 272*), de quibus plura conf. VIII.]

[281] [Praefata loca sunt in provincia Marchiae, in quibus fuerunt fratres spirituales quamplurimi necnon et de dicta provincia fratres alii sc. Martinus, Rizerius (de Muccia, † 1336), Matthaeus de Monte Rubiano, Pacificus (a Ceredano, « rex versuum » primus minister in Francia), Paulus, Lucidus antiquior, Ioannes dictus de Alverna, qui omnes lingua et sanctitate mirabiles fuerunt in vita et post mortem, ad bonum peragendum fideles inducentes (*de quibus plura Conf. VIII*). Haec enim provincia Marchiae sanctis fratribus multum fuit adornata, de qua egregii praedicatores fuerunt, ut dictum est.]

[282] *Apud Barth. Pis. appellatur* DALMATIAE.

[283] [De quo fuit fr. Antonius miraculis fulgens, qui archiepiscopus fuit Duratii (1349-1363); hic multis annis in partibus infidelium Saracenis praedicavit fidem Christi.]

[284] [Ubi requiescit fr. Adam dicti sancti Antonii primo socius in praedicatione infidelium et nunc in gloria insignis.]

[285] [In quo tumulatus manet fr. Ioannes, cuius corporis lotura sanavit infirmos.]

[286] [In quo iacet sanctus frater Andreas, qui plurima miracula exercuit.]

[287] [In quo iacet fr. Michael homo sanctitate et prodigiis fulgidus.]

[288] Ubi fr. Otho caecos et alios infirmos mirabiliter curavit.

[289] [Ubi iacet fr. Monaldus, qui summam fecit Monaldinam in decretalibus.]

[290] [In quo (loco) iacet sanctus fr. Iulianus, de quo ibi fit festum.]

[291] Ubi fr. Symeon Aymonis fecit plura miracula in vita et post mortem.

[292] Ubi fr. Gerardus laicus fecit plura miracula et habuisse dicitur spiritum prophetiae.

[293] *Hunc locum omisit Barth. Pis.*

[294] Ubi fr. Gandulfus plura fecit miracula.

[295] Ubi fr. Iohannes portavit coram fratribus ignitum lapidem et ardentissimum in manibus a coquina usque ad infirmariam uni infirmo, et alia multa fecit miracula.

[296] Ubi fr. Ricardus post mortem curavit multos infirmos.

IV. Agrigentina: Agrigentum (*Girgenti*), Licatam (*Licata*),[297] Eracliam (*Terranova*), Plateam (*Piazza*), Castrum Ioannis (*Castro Giovanni*), [Narii (*Naro*), Castri novi (*Castelnuovo*)];

V. Trapanensis: Trapanum (*Trapani*), Marsanam (*Marsala*), Saccam (*Sciacca*), Massariam (*Mazzara*), [Montis S. Iuliani (*Monte di Trapani*), Alcarii (*Alcamo*)]. [298]

XXXIII. TERRAE SANCTAE.

Remanserunt in Cipro VI loca: Nicosia (*Levkosia*),[299] Famagusta (*Famagusta*), Pafum (*Paphos*), Nimocium (*Naplos*), Sissium (*Limissum, Limasol*), *quibus annumerandum est* Coenaculum montis Sion. [300]

XXXIV. IANUAE.

I. Ianuensis: Ianuam (*Genova*),[301] Clavarum (*Chiavari*), Albarium (*Albaro*), Clapettam (*Chiapetta*), Sextum (*Sestri Ponente*), Sagonam (*Savona*),[302] Carium (*Cairo*);

II. Papiensis: Papiam (*Pavia*), Tardonam (*Tortona*), Viguera (*Voghera*), Castrum novum (*Castelnuovo*);

III. Montisferrati: Allexandriam (*Alessandria*),[303] Valentiam (*Valenza del Po*),[304] Casale (*Casale*),[305] Cassinas (*Cassine*), Aquis (*Acqui*); [306]

IV. Pedemontis: Taurinum (*Torino*), Kerium (*Chieri*), Montem Kalerium (*Moncalieri*),[307] Penarolium (*Pinerolo*), Secusium (*Susa*), Riparolium (*Rivarolo*), Clavasium (*Chivasso*);

V. Astensis: Ast (*Asti*), [309] Albam (*Alba*), [310] Montem calvum (*Moncalvo*), Curtimilium (*Cortemiglia*);

VI. Albiginensis: Albegenam (*Albenga*), Naulum (*Noli*), Vigintimilium (*Ventimiglia*), Cevam (*Ceva*), Montem vici (*Mondovi*), Cuneum (*Cuneo*), Fosanum (*Fossano*). [311]

XXXV. ROMANIAE.

I. Nigropontis: Nigropontis (*Negroponte*), [312] Candiae (*Candia*), Caneae (*Canea*);

II. Tebana: Tebas (*Thivae*), Athenas (*Athinae*), Corintum (*Korinthos*);

---

[297] *Omissus est a Barth. Pis.*

[298] [Haec Siciliae provincia multos habuit et continue habet probos praedicatores, quibus scientia cum lingua conformis et concors fuit.]

[299] [In quo (loco) est sepultus rex Cypri Henricus cum habitu, et fecit signa.]

[300] *Apud Bartholomaeum Pisanum haec provincia duas habet custodias,* Nicosiae *et* Syriae. *Illius sunt priora quinque loca, huius* locus montis Sion, l. sepulcri Domini, l. de Bethleem et l. de Baruto *(Beirut). Adiungit Pis. haec:* In Nazareth fuit etiam locus, etsi modo ob pravitatem Saracenorum sit dimissus. In Terra sancta et provincia ob praedicationem fidei catholicae inter alios passi sunt XXXI martyres de ordine nostro, ut conform. VIII est dictum (sc. fr. Iacobus custos Syriae, fr. Ieremias socius eius; septem fratres, qui a Melchasa soldano Aegypti sunt decapitati; fr. Corradus de [H]allis, decollatus a Saracenis, super cuius corpus in mare proiectum in procellis stabant duo luminaria per triduum; duo fratres decoriati in capitibus a Saracenis; fr. Bartholomaeus Martinozi de Monte Politiano de provincia Thusciae apud Cairum de Babylonia pro fide a capite usque deorsum sectus fuit a Saracenis; fr. Ioannes de Etheo provinciae Castellae, confessor domini Infantis Fernandi fratris regis Aragoniae, qui profectus ad Ierusalem et captus a Soldano fidem primum quidem abnegavit, sed post tres annos ad eandem rediit et ipsam tam constanter tenuit, ut iterum a Saracenis captus pro eadem intrepide mortem subiret sex clavis crucifixus; fr. Iohannes de Neapoli diaconus, cum regi Gazae Christum praedicaret, captus et in frusta concisus est; fratres alii XVI, qui erant in terra promissionis tempore, quo Petrus rex Cypri Alexandriam cepit, capti et positi in Damasco in carceribus gloriosa morte confessionis et perseverantiae obierunt). Multi in hac provincia fuerunt fratres sanctitate praeclari, etsi non sint nomina eorum hic scripta. Qui primus frater Minor praedicavit in ista Terra sancta, fuit ipse beatus pater noster Franciscus, quando cum undecim sociis soldanum adiit.

[301] [In quo iacet frater Bolengarius (Berengarius) de Monteacuto miraculis insignis, et frater Bonifatius de Riparolo dictae provinciae minister, vitae sanctae et scientiae profundae. *Plura de eo Conf. VIII.* De hoc loco fuit magister Henricus de Monte Iardino homo sufficientiae magnae et praedicator egregius, qui super Ioannem scripsit luculenter et quadragesimalia plura utillima confecit. Habuit locus Ianuae magistrum Bartholomaeum de Cuturno (Cothurno) bonum praedicatorem, qui fuit cardinalis S. E. R. (1381-1386); habuit fratrem Antonium de Mari, qui summam fecit in theologia, et plures alios habuit fratres vita et scientia decoratos.]

[302] [De quo etiam fuerunt fratres notabiles.]

[303] De quo fuit magister Alexander, qui scripsit super omnes libros sententiarum, super libros metaphysicae et de anima multum excellenter et fuit ordinis fratrum Minorum generalis minister (1313-1314). De hoc loco fuit fr. Franciscus de Alexandria martyrizatus in Armalech in Tartaria *(v. infra n. 318).* In hoc loco beatus Franciscus dum fuit, fecit miraculum de membro caponis in piscem verso.]

[304] [De quo fuit magister Antonius (de Aribandis), sufficiens homo et post episcopus Gaietanus (1341-1344).]

[305] [Hic locus habuit fratrem Ioannem magistrum in theologia virum sufficientem, qui plures quaestiones edidit in theologia et philosophia.]

[306] *Hunc locum Barth. Pis. numerat inter loca cust. Asten.*

[307] [De quo fuit fr. Philippus, qui postillam notabilem super omnia evangelia dominicalia et quadragesimalia fecit.]

[308] [De quo fuit frater Martinus de s. Georgio, magister in theologia et generalis ordinis Minorum (1384-1387).]

[309] [De quo fuit fr. Astesanus, qui singularem summam edidit ex theologia, legibus et decretalibus multum utilem. (Hic locus) habuit alium fratrem, qui postillam pulcram super omnia evangelia dominicalia et quadragesimalia edidit, et appellatur « postilla ».]

[310] [De quo fuit fr. Iacobus Blancus, qui per conclusiones omnes philosophiae libros composuit et regi Roberto direxit.]

[311] [Haec siquidem provincia communitate fratrum sufficientium multum antiquitus viguit et viget; habuit multos magistros et alios scientia praeditos et virtute, qui in partibus propriis praedicatores famosi fuere.]

[312] [In quo iacent duo sancti fratres, videlicet fr. Petrus et fr. Matthaeus, de quibus dictum est supra conform. VIII.]

III. Clarenciae: Clarenciam (*Clarence*), Patras (*Patras*), Andrevillae (*Andreville*), Corvi (*Korfu*), Zefaloniae (*Kephallinia*), Iacinti (*Zante*), [de Saxaro (*Lixuri?*)].

XXXVI. VICARIATUS SARDINIAE

habet V loca: Villam Ecclesiarum (*Iglesias*), Algerium (*Alghero*), Castrum Castri (*Cagliari*), Arestanum (*Oristano*), Xassarum (*Sassari*).

XXXVII. VICARIATUS TARTARIAE AQUILONARIS

habet loca XVII: Cafa (*Caffa*), ubi sunt duo loca, Maieriam (?), ubi alia duo, Sodaya (*Soldaia, Sudak*), Sulcata (*Sulgat, Surgat, Krim*), Barasson (*Carassu, Kertsch*), Maurum Castrum (*Mauroloco aut Aspromili?*), Vicena (*Ilicena, Lusta*), Cimbulum (*Cembalò, Balaclawa*), Tana (*Asow*),[313] Saray (*Zarew*),[314] Ugek, Veler, S. Iohannes, item in regno Vieriae (Georgiae) duo loca. [315]

XXXVIII. VICARIATUS TARTARIAE ORIENTALIS

habet XIV loca: Thesalonicam (*Salonichi*), Peram (*Pera*), Synopium (*Sinope*), Symesso (*Amisus, Samsun*), Trapesundus (*Trabasun*),[316] Arzelonum (*Erzerum?*) Caleficium (Tefelicium, *Tiflis?*), Carpi (*Kars?*), Pisauith (?), in Tarvisio (*Tauris, Tabris*) duo loca, Congorlavum (?), Salamastrum (*Salmastro*),[317] Caraclesia (*Maku*), exceptis locis Indiae et Cathay, quorum numerum Vicarius ignoravit. [318]

XXXIX. VICARIATUS AMBALECH [319] VEL CATHAY [319a]

habet IV loca [sc. duo in Cambalù (*Peking*) et duo in Zayton].
Summa locorum MCCCCLIII. [320]

---

[313] [In civitate, quae dicitur Thana, a. d. MCCCXXI quatuor fratres Minores videl. fr. Thomas de Tolentino provinciae Marchiae, fr. Iacobus de Padua, fr. Petrus de Senis et fr. Demetrius de Tefolio martyrizati sunt. *Conf. VIII.*] *Sed haec civitas est alia ac supradicta; cfr. infra not. 320.*

[314] [Ubi martyrizatus est fr. Stephanus de Ungaria *(de quo plura Conf. VIII)*. In quo loco iacet Cathoganti, frater imperatoris Tartarum, conversus ad fidem per fratres nostros, qui dicto loco dedit multa iocalia et coruscat miraculis; nam quandam Saracenam vidit frater Pisanus ad sepulcrum eius a diabolo liberari.]

[315] *Apud Barth. Pis. « Vicaria Aquilonis » habet duas custodias,* Gazariae *et* Saraiae. *In illa sunt haec VII loca:* duo de Capha (S. Francisci et S. Mariae), de Soldaia, de Cymbalo, de Ilice, de Solcath, de Carassu; *in hac X loca:* de Thano, Agitarcan, de Sarai, de Comuch, de Tharchis, Mamucci, de Mager, de Ugueth, de Aesarai, de Organe.

[316] [In Trepesunda frater Gentilis de Marchia, qui iacet Venetiis *(v. supra n. 249)*, multa signa fecit et in partibus infidelium fructum animarum fecit sua praedicatione. *Conform. VIII scriptum legitur:* In civitate Argenga anno MCCCXIV martyrizati sunt a Saracenis frustatim fr. Antonius de Mediolano, fr. Monaldus et fr. Franciscus de Marchia.] *Cfr. infra n. 320.*

[317] [In Salmastro (Persidis *Conf. VIII*) quidam sanctus frater noster (Antonius *appellatur Conf. VIII*), quia in vita miracula fecerat, tandem ad gloriam martyrii fuit gloriose sublimatus; et fratres alii in hac vicaria ob praedicationes fructum magnum fecerunt animarum.]

[318] *Apud Barth. Pis. « Vicaria Orientis » tres habet custodias,* Constantinopolitanam, Trapesundarum, Chausrensem. *Prima habet praeter loca* de Pera *et* Thessalonicae *alia tria supra non recensita:* de Constantinopoli, de Fogia nova, de Metalina; *secunda habet haec tria loca:* de Trabesunda, de Simiso, de Sinopi; *tertia habet haec quinque loca:* de Chauritio, Alzaromi, Trifusii, Achalceke, de Salamastro. *Praeterea scriptum legimus apud eum haec:* In magna Tartaria iuxta contratam Millescorce fratres habebant plura loca... In Armelech in medio imperio Tartarorum, qui locus a Saracenis destructus est. In regno Vieriae (*v. supra Vic. Tart. Aquil.*) erant duo loca fratrum immobilia et quinque mobilia. In Thauricio erant duo loca fratrum. In Maxeria (Maieria, *v. ibidem*) erant alia duo loca. Et plura alia loca fuerunt in vicariis praefatis tam Orientis quam Aquilonis, quae hodie non habitantur per fratres.

[319] *Vel potius* Armalech. [In civitate Armalech, quae est in medio Tartariae imperio, anno dñi MCCCXL (postquam Falcherius Saracenus de sanguine imperiali nomine Alisolda successit priori imperatori fratribus Minoribus favorabili, cuius filius nomine Ioannes a fratribus baptizatus erat) passi sunt pro fide fratres Minores sc. fr. Ricardus (de Burgundia) episcopus de Armalech, fr. Franciscus de Alexandria, fr. Paschalis de Hispania et fr. Raymundus de Provincia, hi omnes sacerdotes, fr. Laurentius de Alexandria et fr. Petrus de Provincia, laici, et magister Ioannes niger corpore de India de tertio ordine beati Francisci, conversus ad fidem per fratres nostros. *Conf. VIII.*]

[319a] *Quod est imperium Sinarum, cuius caput est Cambalù sive Peking.*

[320] *Ita in cod. Vat., in cod. Bamberg.: MCCCCLIV. Ad haec uterque codex adiungit:* Fuerunt et in aliis locis a praedictis *(cfr. n. 66, 69, 199)* martyrizati multi fratres. In Africa vel Marocchio v. cap. 231 part. 38 *(hist. sat., ubi agitur de s. Antonii desiderio martyrii, quod incensum erat exemplo V protomartyrum ex ord. Min., Berardi et sociorum, qui passi sunt apud Marrochium)*. Et in Terra sancta duo: fr. Iacobus (de Podio) et fr. Ie(remias Leve), de quibus v. cap. 234 part. 15 *(hist. sat., ubi narratur, eos (capto a Soldano castro Saphet prope Accon die 24 iunii 1266) incolarum fidem christianam confirmasse et propterea capite caesos esse, splendente postea super corpora eorum luce)*. Item ibi a Saracenis fr. Conradus de (H)allis et super corpus eius proiectum in mare tribus diebus apparuerunt duo luminaria, unum ad caput, aliud ad pedes, cernentibus tam Christianis quam Saracenis. Item duo alii, quorum unus erat senex, alter iuvenis, a Saracenis ad stipitem ligati fuerunt et excoriati in capitibus, et tamen alte cantabant « Salve Regina Mater Misericordiae »; et tandem in mare proiecti sunt, et apparuerunt duo magna luminaria, et circa illa alia parva, quia cum illis multi Christiani fuerunt. In Tartaria fr. Monaldus martyr, cuius caput in Anconam deportatum est, fr. etiam Demetrius martyr. In Gazaria fr. Petrus Dulcis pro fide Christi a Saracenis excruciatus est. In Tanay tres fratres Minores (Monaldus Anconitanus praedictus, Franciscus Petrioli Firmanus, Antonius Mediolanus) suis orationibus illuminarunt caecum unum, cum quo pro fide a Saracenis martyrizati sunt. In Arzergam in Armenia fr. Angelus de Spoleto pro fide a Bulgaris martyrizatus est. Frater etiam Conradus de Saxonia et Stephanus Ungarus pro fide ab Alanis interfecti sunt. Fr. Stephanus de Hungaria

XL. VICARIA BOSNAE. [321]

I. Custodia DULMNAE habet locum Stagni (*Ston*), l. Novi Castri (*Castelnuovo*), l. Ilmotae (*Imotzki*), l. Cetinae (*Cetinje*, in Croatia), l. de Glamozh (*Glamoç*);

II. Custodia de GREBEN habet locum Corbaviae (*Krbava*), l. Crupae (*Crupa*), l. de Greben (*Greben*), l. de Glas (*Glaz*), l. de Otoch (*Otok*), l. S. Katharinae Podnovi (*Podnovi*);

III. Custodia BOSNAE habet locum curiae Bani (*Sutjeska*), l. S. Nicolai (*Visoko*), l. Lasciovae (*Lasva*), l. Plumbi (*Olovo*);

IV. Custodia USSORAE (*Usora*) habet locum de Diaco (*Djacovo*), l. S. Helyae (*Modrica*), l. Verbicae (*Vrbica*), l. Schachovae (*Skakava*), l. Lindvae (*Lindva*), l. Buchovicae (*Bukovica*);

V. Custodia MAZVAE habet locum de Alsan (*Alsan*), l. de Biblina (*Biblina*), l. de Lab, l. Mazvae (*Maçva*), l. S. Mariae in campo, l. Toscick (*Tosack, Toçak*), l. Verthocrup (*Vrh Krupa*), l. de Sreberniza (*Srebernica*);

VI. Custodia BULGARIAE habet locum de Severino (*Szöreny*), l. Orsciavae (*Orsova*) circa portam ferream, l. Sebes (*Karánsebes*), l. Srim (*Ceri-Cerevic*), l. Chevesdi (*Kövesd*);

VII. Custodia COVINI habet locum Armenes (*Armenes*), l. Covini (*Keve*) et l. de Chrani (*Hram*). [322]

XLI. VICARIA RUSSIAE

habet haec loca: Lemburgae (*Lwów, Lemberg*), de Grodech (*Gródek*), de Colomia (*Kolomea*), de Galciff (*Halicz*), de Nostin (*Sniatyn*), Cusminen (*Horyniec*), Cereth (*Seret*), Moldaviae (*Moldawitza*), Caminix (*Kamieniec*), Scotorix (al. Senatorix, *Czerniowce, Czernowitz*), Cotcham (*Chotin*), Licostoni (?), Albi castri (*Bialy Gród*). [323]

XLII. VICARIA CORSICAE

habet locum Bonifacii (*San Bonifacio*), l. Calvii (*Calvi*), l. Nunciae (*Nonza*), l. Bigugliae (*Bigoglia*), l. Avenzolaschae (*Avenzolasca*), l. Alisani (*Alisano*), l. Ernani (*Ornano*) et locum in Sardinia Montis rasi (*Monteraso*). [324]

Sic ergo apparet, quod non solum in Italia multa sunt loca fratrum Minorum, sed etiam extra Italiam, et non solummodo in partibus fidelium sed etiam infidelium. Et cum sint loca ultra mille quingenta et forte sexcenta, et plura alia de novo aedificentur; quae hic non sunt scripta, ac in praefatis locis tam missis, officio (divino), vita quam praedicationibus assidue fratres populis praedicent et eos informent: nulli dubium debet esse, maximum fructum animarum (eos) fecisse et facere.

---

in Saray primo suspensus a Christo conservatus est; postea in ignem proiectus et semper auxilio divino protectus postea ab Alanis apertus in ventre et effusis visceribus trahebatur post caudam equi, postremo gladio confossus migravit ad Christum. De fratribus quoque martyrizatis in Thana (vel potius Tatta aut Daman prope *Bombay*, non Tana ad mare Azovicum) v. cap. 238 part. 3 (*hist. sat., cfr. supra n. 313 et Righini* l. c. p. 26). *His verbis procinciale ord. Min. finitur.*

[321] *Haec vicaria, quae* aequipollet multis provinciis, *et quae sequuntur duae non inveniuntur in Cod. Vat. vel Bamb., sed tantum apud Barth. Pis.*

[322] In hac vicaria unus frater noster intravit ignem pro fide et illaesus permansit; et hac de causa aliquos convertit infideles. In hac vicaria fratres vivunt secundum regulam et mirabilem fructum suis praedicationibus in convertendo infideles assidue faciunt. In Bidinio (*Widdin*) Bulgariae quinque fratres martyrizati sunt, ut habetur supra conf. VIII.

[323] In hac vicaria sc. in Cereth (circa a. dom. MCCCLXXVIII) duo fratres nostri martyrizati sunt; et ab eisdem in Livonia (Lithuania, *Lithauen*, in terra, quae vocatur Vulna *i. e. Wilna*, ubi sunt homines idolatrae arbores adorantes) sunt alii quinque fratres interfecti ob fidem. *Cfr. Conf. VIII.*

[324] Qualem autem fructum fratres fecerunt in Corsica et faciunt, apparet, quod indomitos homines ad rationis tramitem, sacerdotes concubinarios et uxoratos ad pudicitiam et honestatem deduxerunt, ac multiplices errores in diversis partibus per haereticos disseminatos viriliter praedicatione et vita extirparunt.

INDEX NOMINUM

IN HUIUS APPENDICIS NOTIS POSITORUM.

APPENDIX II

FRATRES MINORES AD PRAELATURAS ECCLESIASTICAS EXTRA SUUM ORDINEM PROMOTI

Operum similium (ex. gr. Bullarii Dominicani) exempla secuti hic adiungimus conspectum illorum fratrum Minorum, qui ad praelaturas ecclesiasticas (scilicet episcopalem, cardinalitiam, papalem) sunt promoti. Multis enim causis effectum est, ut non pauci illorum religiosorum, qui a suo quidem fundatore vocati sunt fratres Minores, ne, s. Bonaventura teste, de ullo dignitatis gradu contenderent, nihilominus paulo post ad munera ecclesiastica promoverentur nobilissima. Et primo quidem ipsa rerum conditio cogebat, ut fratres Mendicantes, praesertim Praedicatores et Minores, qui inter Paganos et Saracenos missionariorum munere fungebantur, hierarchia in illis partibus restituta vel etiam instituta praesules praeesse iuberentur. Ita res contigerunt in Africa septentrionali atque inter Tartaros aliosve Asiae incolas; ita quoque factum est in ea Europae septentrionalis parte, quae Prussiam, Livoniam, Esthoniam continet. Plurimis praeterea iisque variis rationibus permoti tum Romani pontifices per provisiones, tum principes saeculares per commendationes, tum capitula cathedralia per liberas electiones, tum episcopi ipsi per collegarum vicariorum rogationem plurimos fratres Mendicantes ad sedes episcopales adduxerunt eas, quae aut inter ipsos Christianos iam dudum auctoritate vigebant aut in terris olim christianis ac postmodum ab Infidelibus occupatis ad titulares sunt redactae. Summi pontifices insuper nonnullos fratres universali ecclesiae regendae cooperaturos ad dignitatem cardinalitiam promoverunt. Aliqui denique fratres ad ipsum summi pontificatus apicem sunt elevati.

Ab Hyacintho Sbaralea, illo primorum quatuor voluminum Bullarii Franciscani auctore, confecta quidem est « Minoritanae ecclesiae synopsis sive chronologica episcoporum, archiepiscoporum, primatum, patriarcharum, cardinalium, summorumque pontificum ex ordine Minorum series », quae a Nicolao Papinio usque ad iniens saeculum nostrum continuata circa 2200 praelatorum e fratribus Minoribus (inclusis Observantibus, Capucinis, Tertiariis regulatis) promotorum nomina continet; sed manuscripta haec series adhuc publici iuris nunquam est facta. Editor tamen huius quinti tomi Bullarii Franciscani in folii periodici, quod *Römische Quartalschrift* inscribitur ,voluminibus quarto et quinto partem seriei istius anteriorem (quae ad a. 1320 pertingit) nuper recognovit atque emendavit. Quod quidem ita fecit, ut primo ageret tum de illis praesulibus, qui a nonnullis scriptoribus falso fratres Minores habebantur, tum de illis fratribus Minoribus, qui quidem ad praelaturas ecclesiasticas electi vel promoti erant, illis vero aut sponte renuntiarunt aut ad eas acceptandas licentiam suorum superiorum vel beneplacitum apostolicae sedis non obtinuerunt, deinde illos fratres Minores ordine chronologico recenseret, qui praelaturas ipsas, ad quas promoti erant, subierunt. Quo ipso ordine hic sequitur illa, de qua diximus, series usque ad extremum Ioannis XXII pontificatum.

A.

a) Antistites, qui ex ordine fratrum Minorum assumpti falso habentur, hi praecipue sunt:

I. Guilelmus dictus Malvoisin, ep. s. Andreae in Scotia (1202–1233), ex ordine Min. minime potuit assumi.

II. Idem dicendum est de Pepo ep. Grossetan. (1216–1228), qui quidem ab aliis ordini Cist. adscribitur.

III. Nicolaus Porta, ep. Spoletanus (1222-1236), postmodum patriarcha Constantinop., quum a. 1251 obiret, in ecclesia quidem fratrum Min. Mediolan. sepultus est, ipse vero minime erat frater Minor.

IV. Henricus de Schmiedelfeld, quum a. 1242 eligeretur ep. Bambergen., erat praepositus Aquensis (Aachen); post obitum sepultus est in ecclesia loci fratrum Min. de Wolfsberg in Carinthia ab ipso fundati, ipse autem non erat frater Minor.

V. Gerhardus e comit. de Kirberg, archiep. Maguntin., quum a. 1259 Erfordiae moreretur, in ecclesia fratrum Min. illius civitatis sepultus est, ipse tamen non erat frater Minor.

VI. Vivianus, ep. Ruthenen., quum a. 1247 promoveretur, ab Innocentio IV appellatus est notarius apostolicus, quo quidem munere fratres Mendicantes illo tempore minime fungebantur.

VII. Albertus Suerbeer Coloniensis, primo archiep. Armachan. et a. 1246 ad sedem metrop. in Prusciae et Livoniae partibus, quae a. 1253 Rigae stabilitur, translatus, frater ord. Praed., non Min. fuit.

VIII. Aegidius sive Gillanus, quum a. 1245 in ep. Constantien. in prov. Rothomagen. promoveretur, erat archidiaconus ipsius ecclesiae, minime autem frater ord. Min. vel Praed.

IX. Probari non posse videtur, b. Richardum ep. Forosymphronien. (*Fossombrone*) ex ordine fratrum Min. (a. 1243) assumptum esse.

X. Item dicendum est de Esgero ep. Ripen.

XI. S. Benvenutus Scotivoli, quum a. 1267 promoveretur in ep. Auximan. (*Osimo*), fuit archidiaconus eccl. Anconitan.

XII. Anselmus ep. Warmien. in Pruscia (1250-1272) fuit ord. Praed., non Min.

XIII. Imerio ep. Accien. in ins. Corsica (1267-c.1275), qui fuit ord. Erem. s. Aug., alter Imerius ord. Min. successisse dicitur; sed de illo Imerio solo agi videtur.

XIV. Maurus ep. Amelien., qui a. 1286 successit Bartholomaeo ex ord. Min., antea fuit abbas mon. s. Praxedis de Urbe, non frater Minor.

XV. Neque Thomas Franco neque Bartholomaeus Quirinus, qui uterque (ille 1260-1267, hic 1274-1291) ep. Castellanus fuit, ordini Min. nomen dederant; Bartholomaeum antea canonicum ipsius eccl. Castellan. fuisse constat. Iacobus Contarini, qui a. 1302 in ep. Castellan. promotus et antea frater Minor fuisse dicitur, ne in serie quidem episcoporum Castellan. inveniri potest.

XVI. Ioannes de Stamford, quum a. 1284 promoveretur in archiep. Dublinen., fuit decanus ipsius ecclesiae et ideo non confundendus est cum illo Ioanne de Stamford, qui eodem tempore minister prov. Angliae ord. Min. erat.

XVII. Ex litteris, quibus Bernardus Peregri-(nus) a Nicolao IV die 4 iunii 1288 ecclesiae Barchinonen. praefectus est, minime apparet, eum ord. Min. fuisse; neque *Sbaralea* illas litteras Bullario Franc. inseruit, quamquam eum in supradicta synopsi (auctoritate *Waddingi* ductus) inter episcopos ex ord. Min. assumptos recenset.

XVIII. Iacobus ep. Eugubin. a. 1266 Leonardum quidem de Asculo ord. Min. sibi assumpsit vicarium generalem, ipse vero non fuit frater Minor.

XIX. Item Franciscus de Monaldeschis, quum factus esset episcopus Florentin. (1295), Andream quidem de Fabriano ord. Min. sibi assumpsit vicarium generalem, ipse vero non fuit frater Minor.

XX. (Guilelmus) Vicedominus de Vicedominis, archiep. Aquen. (1257-1273) et postmodum ep. card. Praenestin., quum morti proximus esset, professionem regulae s. Francisci emisit, sicut illis temporibus multi alii fecerunt, ut gratiarum huic professioni annexarum participes fierent; sed propter hoc neque ille neque hi fratres Minores in sensu stricto habendi sunt.

XXI. Rostagnus archiep. Aquen. (1283-1310), antequam promotus est, fuit canonicus ipsius ecclesiae, non autem frater ord. Min. aut Praed.

XXII. Ille Munio, qui ep. Palentin. quidem electus, a summo vero pontifice (Bonifatio VIII) reiectus est, fuit ord. Praed., non Min.

XXIII. Petrus Lamballe, antequam archiepiscopus Turonen. (sedente Innocentio IV) factus est, fuit archidiaconus ipsius ecclesiae, non frater Minor.

XXIV. Item ille Rambotto, quum a. 1285 fieret ep. Camerinen., fuit archidiaconus ipsius ecclesiae. *Sbaralea* quidem in Bull. Franc. tomo IV p. 121 exhibet litteras apostolicas de concessa ei facultate testandi, in quibus ipsum ordinem Min. professum esse legimus; sed inspicienti cuique registrum pontificium, in quo illae litterae continentur, istam clausulam de ordine Min. non ad illum Rambottonem, sed ad alium pertinere apparet.

XXV. Philippus ep. Firman. (1273-1300) antea fuit praepositus Mantuan., non frater Minor.

XXVI. Gualterus ord. Min. a Timotheo ep. Zagabrien. a. 1264 assumptus est vicarius in spir. et temp. generalis, non autem fuit ipse ep. Zagrabien.

XXVII. Nicolaus ep. Leighlinen. (1275-1309), antequam promotus est, fuit archidiaconus ipsius ecclesiae, non frater Minor.

XXVIII. Franciscus, a Coelestino V in ep. Theatin. promotus et a Bonifatio VIII ad ecclesiam Aprutin. translatus, antea fuit archipresbyter illius ecclesiae, non frater Minor.

XXIX. Ioannes de Aragonia, archiep. Toletan., dein patr. Alexandrin. et admin. Tarracon., valde quidem addictus erat ordini Minorum, ipse vero frater Minor non fuit.

XXX. Conradus ep. Assisien., successor Theobaldi ex ord. Min., antea fuit presbyter saecularis, non ord. Min. Ille Benedictus ep. Assisien., qui 1328 eidem ecclesiae praefuisse et ex ord. Min. fuisse dicitur, a. 1410 e monacho Benedictino factus est ep. Assisien.

XXXI. Arnaldus s. Rinaldus ep. Bononien. (1322-1329) antea fuit canonicus Meldensis, non frater Minor.

XXXII. Barnabas Malaspina, quum esset primicerius Virdunensis (minime ord. Min.), factus est a. 1322 ep. Lunen.

XXXIII. Bartholomaeus ep. Spoletan. (1322-1344) atque Ioannes Panotta ep. Anagnin. (1330-1344) erant ord. Erem. s. Aug., non ord. Min.

XXXIV. Iacobus de Cingulo ep. Firman. (1334-1349) et Ioannes Nyborg ep. Roskilden. (1330-1344) erant ord. Praed., non Min.

XXXV. Arnaldus de Brusaco, quum esset abbas ord. s. Ben., factus est archiep. Beneventan. (1333).

XXXVI. Ad ecclesiam Arboren. in Sardinia a. 1306 translatus est Hugo ep. Biblien. ex ord. Praed., qui a. 1308 cum Oddone ep. Polan. ex eodem ord. Praed. sedem commutavit; huic Oddoni in archiepiscopatu Arboren. successit Guido Cattano ex ipso ord. Praed.; nullus igitur eorum fuit frater Minor.

XXXVII. Nicolaus de Matafaris, quum esset canonicus Varadien., a. 1333 factus est archiep. Iadren.; neque igitur ord. Min. neque antea ep. Nonen., sicut aliqui scribunt, fuit.

b) Nonnulli episcopi, postquam episcopatum resignarunt, ordini Min. nomen dederunt, ergo non inter episcopos ex ipso ordine Min. assumptos recensendi sunt. Illi fuerunt:

XXXVIII. Radulfus de Maidestone ep. Hereforden., qui a. 1239, Oliverius ep. Sirmien., qui a. 1262, Benedictus ep. Massilien., qui a. 1266 resignato episcopatu ingressi sunt ordinem Min.

XXXIX. Alexander de Verulis, canonicus Aprutinus, a. 1282 in episcopum Aprutin. electus, ordinem Min. quam episcopatum amplecti maluit.

XL. Mauritius praecentor ecclesiae Clonen., antequam in ep. Rossen. electus est, votum quidem ordinem Min. intrandi emiserat, huius vero voti immemor electioni consensit et per decennium (1254-1264) ecclesiae Rossen. praefuit; postmodum autem conscientia ductus resignavit votumque adimplevisse videtur. Litteras apostolicas hac de causa editas, quae in Bull. Franc. desiderantur, legas in Monum. Hibern. et Scot., ed. Theiner, p. 60 et 95.

XLI. An Gualterus, ipsius Mauritii successor in sede Rossen., antea frater Minor fuit, valde dubitandum est.

XLII. Idem dicendum est de Francisco ep. Cefaluden. (a. 1217), Iacobo ep. Roskilden. (1249-1253) et postea archiep. Lunden., Michaele ep. Caesenaten. (1255), Martino ep. Segobien. (1260), Ioanne ep. Cotronen. (1265), Guidone sive Vito ep. Corisopiten. (1261), Petro ep. Aquen. (1277), Bernardo archiep. Remen. (1279), Bernardo archiep. Arelaten. (1272-1282), Claro ep. Feretran., Daniel ep. Laquedonien. (1303); nonnulli eorum ne inveniuntur quidem in seriebus episcoporum illarum dioecesium, quibus ab aliquibus scriptoribus adscribuntur.

XLIII. Ille Reginaldus de Umbria, lector s. palatii, qui in archiepiscopum Rothomagen. et a Bonifatio VIII in S. R. E. cardinalem promotus esse dicitur, partim cum Oddone Rigaldi (cfr. infra n. 11) partim cum Ioanne de Murovallium (cfr. infra n. 158) confundi videtur.

c) Inter illos fratres Min., qui dignitatem episcopalem, ad quam electi erant, quoquo modo non adepti sunt, inprimis hi recensendi sunt:

XLIV. Iacobus ord. Min., capellanus Octaviani S. R. E. cardinalis, die 10 Aug. 1251 in ep. Valven. electus esse dicitur, sed istius ecclesiae episcopus ipse non factus esse videtur; nam iam 10 apr. 1252 alter Iacobus (ord. Cist.) in eiusdem ecclesiae episcopum consecratus est. Neve a. 1261 Iacobum Theatinum ord. Min. in ep. Valven. promotum esse credas; pro certo saltem habeas, a. 1263 Iacobum ord. Praed. praedictae ecclesiae praefectum esse in episcopum.

XLV. Adam de Marisco, doctissimus ille Minorita, circa a. 1256 in ep. Elien. promotus esse dicitur, quod, si verum esset, a Thoma de Ecclestone, qui scripsit de adventu fratrum Min. in Angliam, certe annotatum esset.

XLVI. Bartholomaeus, minister prov. Bohemiae, a Boleslao duce Poloniae maioris eiusque uxore b. Salomea in primum episcopum ecclesiae Luceoren., quam ab Innocentio IV in cathedralem erigi petebant, postulatus est; haec autem erectio, quamquam summo pontifici gratissima erat, illo tempore perfici non potuit, quare neque ille Bartholomaeus in episcopum ipsius ecclesiae promotus esse videtur.

XLVII. Iacobus Huolachduam an. 1259 in archiep. Tuamen. quidem electus, sed a summo pontifice non admissus est; Malachias autem de Simerico, a. 1271 in illius ecclesiae archiepiscopum electus, omnino renuntiavit.

XLVIII. Odericus, die 14 maii 1261 in episcopum Ceneten. electus, aut renuntiasse aut reiectus esse videtur, cum sedes ipsa 15 iulii 1261 vacaret et paulo post alius eandem obtineret.

XLIX. Ioannes de Alneto, die 3 dec. 1263 in ep. Rathboten. electus, resignavit, quin munus consecrationis obtinuerit (cfr. huius op. t. II, 530, et III, 5).

L. Antonius de Regio a Petro archiep. Athenien. ecclesiae Nigriponten. praefectus est in episcopum, reiecto Ioanne ord. Praed., qui a capitulo Nigrip. electus erat; hic autem appellatione per capitulum interposita a summo pontifice confirmatur reiecto illo Antonio (l. c. III, 106).

LI. Benvenutus in ep. Reatin. a. 1275

in discordia cum Iacobo Saraceno, canonico Reatin., electus est, sed neuter a summo pontifice obtinuit confirmationem (l. c. III, 330).

LII. Ioannes de Amelia in ep. Sutrin. a. 1279 electus infra tempus debitum a superioribus licentiam electioni consentendi obtinere non potuit, quare Nicolaus III alium, sc. Florasium, qui non erat Minorita, in ep. Sutrin. promovit (l. c. III, 418).

LIII. Marcus de Ancona in ep. Humanaten. a. 1280 electus licentiam electioni consentiendi a superioribus obtinere non potuit (l. c. III, 460).

LIV. Iacobus de Alifia a. 1282 in archiep. Beneventan. in discordia cum Ioanne de Castrocoeli, monacho Casinensi, electus eidem Ioanni cedere coactus est (l. c. III, 492).

LV. Henricus e comit. de *Brehna* (non de *Bremen*) in archiepiscopum Gneznen. a. 1281 electus renuntiavit (l. c. III, 479 et 509).

LVI. Item renuntiarunt Donatus de Castello, Nicolaus de Lavareto, Rufinus de Mediolano, qui circa a. 1282 successive in ep. Suanen. electi erant (l. c. III, 513).

LVII. B. Conradus Miliani a Nicolao IV a. 1288 in S. R. E. cardinalem promotus esse dicitur; sed, dum Parisiis Urbem petit, moritur.

LVIII. Item B. Andreas de Comitibus a Bonifatio VIII, nepote suo, in S. R. E. cardinalem promotus renuntiavit; id quod ipsi summo pontifici tam inopinatum accidit, ut, si foret avunculo superstes, eundem a se inter coelites renuntiatum iri affirmaverit.

LIX. Petrus in archiep. Consan. c. a. 1290 in discordia electus renuntiavit.

LX. Item Henricus a. 1292 in ep. Pergamen. electus (l. c. IV, 360).

LXI. Fernandus Alvari, in ep. Oveten. a. 1294 electus, apud sedem apost. decessit, antequam confirmatus est (Reg. Bon. VIII ed. *Digard* n. 580, quae litterae in Bull. Franc. desunt).

LXII. Raymundus Gaufredi, minister generalis, neque provisioni in ep. Paduan. a. 1295 neque promotioni in archiep. Mediolan. paulo post de se factis consensit.

LXIII. Matthaeus de Castropetri, a. 1296 in ep. Balneoregien. in discordia electus, a summo pontifice non confirmatus est; qui quidem idem habendus est atque ille Matthaeus, qui a. 1328 electus confirmationem sedis apost. obtinuit (cfr. huius op. t. IV, 379 et V, 391).

LXIV. Leo de Palatinis, a. 1296 in ep. Lauden. in disc. electus, a summo pontifice reiectus est; anno tamen 1318, denuo electus, a sede apost. confirmatur (cfr. huius op. t. IV, 391, et V, 144).

LXV. Bartholomaeus, minister prov. Thusciae, in ep. Faesulan. a. 1300 electus, renuntiavit (l. c. IV, 113, 518, 533).

LXVI. Michael de Maglachlyn, a. 1303 in archiep. Armachan. electus, a summo pontifice, qui eius loco alium (sc. Ioannem, non ord. Min.) illi ecclesiae praefecit, non confirmatus est (cfr. l. c. V, 31 et 72).

LXVII. Monaldus de Urbeveteri, a. 1306 in ep. Balneoregien. in disc. electus, a summo pontifice est reiectus; qui quidem idem atque ille Monaldus esse videtur, qui a. 1326 fit ep. Melfien. (cfr. l. c. V, 309).

LXVIII. Item sunt reiecti Ioanninus a. 1311 in ep. Civitatis novae et Guilelmus de Gigniaco a. 1312 in ep. Lunen. in disc. electi.

LXIX. Eduardus rex Angliae a. 1314 a Clemente V petiit, ut amoto Guilelmo ep. s. Andreae in Scotia Thomas de Riveriis ord. Min. eidem ecclesiae praeficeretur in episcopum: quod quidem minime factum est (cfr. l. c. V, 126).

LXX. Iacobus de Plombino, a. 1318 in ep. Civitaten. (in insula Sardinia) electus, obiit, antequam confirmatus est (cfr. Reg. Vat. t. 69, ep. 41).

LXXI. A. 1322 Ioannes XXII contra Rufinum de Assisio, qui se gerebat episcopum (forsitan Chien.), procedi iussit (cfr. Bull. Franc. V, 231).

d) De illis fratribus Minoribus, qui per Nicolaum V antipapam ad dignitatem cardinalitiam vel episcopalem promoti sunt, et de ipso antipapa cfr. supra p. 353 not. 3.

e) Interdum episcopi ex ord. Min. a scriptoribus aut falso tempore aut falso episcopatus nomine afferuntur. Inter ipsos nominandi sunt:

LXXII. Rufinus Lupatus de Padua, qui a. 1222 ep. Anconitanus fuisse dicitur, revera a. 1522 in ep. Acconen. promotus est; Simon Vereducius, qui a. 1228 ecclesiae Assisien. praefuisse dicitur, sed idem habendus est atque ille Simon Uffreducius, qui a. 1282 ad eandem ecclesiam promovetur; Raymundus ep. Venenen. in Bohemia (a. 1250), qui idem esse videtur atque ille Raymundus, qui a. 1328 ecclesiae Vencien. in Provincia praeficitur in episcopum; Simas ep. Maioricen. (1302), verisimiliter idem atque ille Petrus de Cima, qui a. 1377 fit ep. Maioricen.; Franciscus Scorrerius et Petrus, s. Ludovici ep. Tolosan. socii et biographi, ille postmodum Segetanus, hic Epulanus episcopi facti esse dicuntur, sed potius ille Gaietanus, hic Rapollanus facti sunt episcopi. Ad a. 1305 notatur in serie episcoporum Duracen. b. Antonius de Baustrio, qui quidem idem esse videtur atque ille Antonius de Alexandria ord. Min., qui a. 1349 ab ecclesia Hierapolitan. ad Duracen. transfertur.

Ad annum 1311 adscribitur in serie episco-

porum Guardien. Ioannes de Morlacchis, qui idem habendus est ac Ioannes de Mailhaco, qui a. 1348 eidem ecclesiae praeficitur in episcopum. Stanangius denique ep. Bosan., cui a. 1325 Aymericus Aragonius successisse dicitur, idem sine dubio est atque Antonius Stamingus, qui a. 1413 in ep. Bosan. promovetur.

Enumeratis et illis episcopis, qui ordini Min. falso adscribuntur, et illis fratribus Min., qui, quamvis electi, ad ipsas praelaturas ecclesiasticas quacunque ex causa non pervenerunt, recensemus illos fratres Min., qui easdem adepti sunt.

B.

1. Die 27 maii 1233 a Gregorio IX Agnellus (ex ord. Min.) ep. Facen. (*Fez*) sultano Marochitano commendatur. Qui Agnellus successor esse videtur illius Dominici (ex ord. Praed.), cui Honorius III a. 1225 cum aliis fratribus Praed. et Min. in Africam misso munus consecrationis episcopalis impenderat quique una cum illis fratribus die 16 sept. 1232 palmam martyrii adeptus est. Stabilita postmodum Marochii sede episcopali iste Agnellus (non confundendus cum illo Agnello de Pisis, qui primus minister provinciae Angliae factus est) episcopus Marochitan. et ipse nominatus est et successores eius. Circa a. 1246 Caesaraugustae piissime obiisse dicitur. Cfr. huius op. t. I, 106, 225, 444.

2. A Gregorio de Montelongo, apost. sedis legato, cui capitulum Mediolanense vices suas (sive sponte sive coacte) commiserat, ipsi ecclesiae Mediolanen. praefectus est in archiepiscopum Leo Valvasorius de Perego, minister prov. Lombardiae, qui ab Innocentio IV die 9 ian. 1244 confirmatur. Piissime obiit die 14 oct. 1257 Legnani apud fratres Min., in quorum ecclesia sepelitur. Cfr. l. c. I, 324 etc.

3. Die 31 oct. 1246 Lupus ep. Marochitan., successor Agnelli supradicti, dioecesanis suis commendatur ab Innocentio IV, qui litteris 12 dec. 1246 datis universos christianos in Africa degentes episcopo Marochitano subdit. Ab Alexandro IV die 18 mart. 1255 legatus apost. sedis per Africam instituitur. Paulo post resignasse et sepulchrum Dominicum visitasse ac demum Caesaraugustae piissime obiisse dicitur, nisi ille episcopus Marochitan. habendus sit, qui a. 1266 apud sedem apostolicam decessit. Cfr. infra n. 33.

4. Inter annos 1246 et 1247 Theodericus, e dioecesi Hildesheimen. aut Paderbornen. oriundus, instituitur ep. Vironen. (*Wierland* inter Livoniam et Esthoniam). In qua quidem terra, quae quasi tota ab infidelibus adhuc habitata erat, pedem figere non potuit, quare in aliis dioecesibus Germaniae suffraganeum illorum antistitum agebat. Paulo post diem 20 martii 1272, quo die in Thuringia quandam capellam dedicavit, obiit. Quo mortuo ecclesia Vironen. cum Revalien. unitur. Cfr. l. c. II, 401.

5. A. 1247 Gualterus a Montanario canonico Aesino in episcopum Aesin. eligitur, reliquis canonicis quendam Armannum eligentibus. Innocentius IV de his electionibus inquiri et ecclesiae Aesin. episcopum secundum consilium dicti Montanarii praefici iubet. Ex quo coniicere licet, illum Gualterum confirmatum esse. Sedes tamen Aesina a. 1252 denuo vacabat. Cfr. l. c. I, 459.

6. Daniel in ep. Clonen. in Hibernia a. 1247 electus et inquisitione de ipsa electione facta confirmatus est; obiit a. 1264. Cfr. l. c. I, 495.

7. Rudolfus in ep. Burglanen. in Dania a. 1247 electus a. 1252 resignavit. Fortasse nonnisi post ipsam resignationem ordinem fratrum Min. ingressus est. Cfr. l. c. II, 25.

8. Henricus de Luciburgo, nepos Sigfridi archiepiscopi Maguntin., a. 1247 ecclesiae Semigallen. in episcopum praefectus et ipsa ecclesia a. 1251 cum Rigensi unita ad Curonien., anno autem 1263 ad Chiemen. translatus est. Obiit c. a. 1273. Cfr. l. c. I, 444, 448, 498, 569, 570. De eo compilator huius elenchi scripsit diffusius in periodico *Histor. Iahrb. d. G.-G.* 1885 p. 92-103.

9. Ioannes de Plano Carpinis (*Magione* prope Perusium), de ampliatione ordinis Minorum in Germania optime meritus, a. 1232-1239 minister prov. Saxoniae, a summo pontifice a. 1245 nuntius apostolicus ad imperatorem Tartarorum destinatus, quum a. 1247 rebus feliciter peractis ad sedem apost. reversus esset, in archiepiscopum Antibaren. promotus est. Piissime obiit 1 aug. 1252. Cfr. l. c. I, 353, 506, 550 (b).

10. Mauris e Carthagine nova pulsis Petrus Gallaecus primus ipsius eccl. Carthaginen. episcopus institutus est a. 1248; obiit a. 1267. Cfr. l. c. I, 525 et 549.

11. Oddo Rigaldi mense martio a. 1248 in archiep. Rothomagen. ab Innocentio IV consecratus est; optime rexit dioecesim et provinciam suam, sicut apparet e regestro visitationum ab ipso institutarum, qui liber a. 1852 publici iuris est factus. Una cum s. Bonaventura cardinali et Paulo ep. Tripolitan. (ex ord. Min.) concilio Lugdunensi a. 1274 praesidebat; obiit 2 iul. 1275. Cfr. l. c. I-III passim.

12. Crescentius, olim minister generalis, a. 1250 a Guilelmo s. Eustachii diac. card. et sedis apost. legato ep. Assisien. institutus est; cum autem summus pontifex ipsi ecclesiae Nicolaum de Carbio praeficere intenderet, resignavit et postmodum (a. 1252) ad eccl. Aesin. transl. esse dicitur.

13. Nicolaus ep. Assisien., de quo supra n. 12. Cfr. l. c. I, 502.

14. Richardus Grizetta ep. Cefaluden. a. 1249-1253. Cfr. *Caligola*, hist. prov. Sicil. ord. Min.

15. Raynaldus de Aretio, a. 1249 in ep. Reatin. promotus resignavit a. 1252 et paulo post Senis obiit « non sine miraculorum gloria ».

16. Regnerus ep. Othonien. in Dania (Fionia) a. 1252-1267.

17. Ioannes de Diest, capellanus Guilelmi de Hollandia regis Romanorum, a. 1252 in ep. Sambien. (in Pruscia) promotus et a. 1254 ad ecclesiam Lubicen. translatus est. Resignavit a. 1259 et eo ipso anno obiit. Cfr. huius op. t. I et II passim.

18. Thomas O' Quin, custos prov. Hiberniae, ep. Cluanen. 1252-1279. Cfr. l. c. I, 641.

19. Samuel ep. Neocastren. in Calabria 1252-1266. Cfr. l. c. I, 639 et 766.

20. Iacobus de Velletris, a. 1252 a summo pontifice in Poloniam in causa canonizationis s. Stanislai ep. et mart. missus, anno sequente in ep. Ferentin. promotus est et ipsi ecclesiae per 7 annos praefuisse dicitur. Cfr. l. c. I, 616.

21. Gotifredus in archiep. Antibaren. promotus 12 apr. 1253 altero anno post iam moritur. Cfr. l. c. I, 653.

22. Raynerius ep. Mainen. in Peloponneso sive Romania a. 1253.

23. Iacobus archiep. Ragusin. c. a. 1253-1256.

24. Deodatus Squillacensis a. 1253 ecclesiae Anglonen. in Apulia praefectus paulo post obiit. Cfr. l. c. I, 690 et 691.

25. Raynuccius ep. Bisinian. a. 1254-1258. Cfr. l. c. I, 767.

26. Mauris e regno Legionis pulsis Petrus Petri primus ep. Pacen. institutus est a. 1255. Cfr. l. c. II, 80 (g).

27. Lanfrancus de Nigro ep. Albingan. 1255-1291. Cfr. l. c. II, 17.

28. Petrus de Popleto ep. Hortan. 1255-c. 1282. Cfr. l. c. II, 30.

29. Laurentius Hortanus sive (?) de Portugallia, poenitentiarius apostolicus, in archiep. Antibaren. promotus a. 1255, astitit a. 1265 dedicationi ecclesiae s. Clarae Assisien. Cfr. l. c. t. I-III passim (*s. v.* Laur. Hortanus, Laur. de Portug., Laur. archiep. Antibaren.).

30. Columbanus, in ep. Tragurien. in Sclavonia promotus 4 iul. 1255, resignavit 1276, obiit 1279. Cfr. l. c. II, 53 et III, 264.

31. Albertus de Vicentia ep. Tervisin. 1255-1275. Cfr. l. c. II, 68 et 73.

32. Bonaiuncta de Fabriano, socius b. Ioannis de Parma ministri generalis, a. 1256 in ep. Racanaten. promotus et a. 1263 ad ecclesiam Aesin. translatus est; obiit a. 1268. Cfr. l. c. t. II, 280 (c) et 508.

33. Blancus ecclesiae Marochitan. per resign. Lupi episcopi (cfr. supra n. 3) vacanti a. 1257 praefectus et a. 1266 apud sedem apost. mortuus esse dicitur. Sed fortasse ille episcopus, qui a. 1266 obiit, ipse Lupus, qui perperam a. 1257 resignasse dicitur, erat eique Blancus anno demum 1266 successit, qui a. 1289 e vivis decessit.

34. Laurentius Suecus secundum nonnullos iam a. 1244, secundum alios a. 1257 in archiep. Upsalen. promotus est; si autem non prius quam a. 1257 promotus est, illae priores litterae, quae in Bull. Franc. (II, 99 etc.) de archiepiscopo Upsalen. referuntur, non ad ipsum Laurentium, sed ad eius antecessorem pertinent.

35. Huguccio ep. Taurinen. c. a. 1258; iam die 20 febr. 1264 ipsi ecclesiae per obitum H. ex ord. Min. vac. alius praeficitur in episcopum.

36. Lucas ep. Treventin. c. a. 1258. Qui cum a. 1266 ad sedem apost. se contulisset, canonici ipsius ecclesiae, ac si ipsa esset vacans, Pacem ord. Min. in suum episcopum elegerunt; summus autem pontifex Lucam restituit. Cfr. l. c. III, 79.

37. Aleardus, die 2 febr. 1258 in archiep. Ragusin. promotus die 3 nov. 1268 ad ecclesiam Arboren., cuius electus, nomine Ioannes ord. Min., non confirmatus est, translatus et a. 1279 vel 1280 mortuus est. Cfr. l. c. II, 165 et 254.

38. Raynaldus ep. Aesculan., promotus 12 febr. 1259, obiit a. 1285. Cfr. l. c. II, 324.

39. Ioannes Saracenus, minister prov. Apuliae, a. 1259 in archiep. Baren. promotus est et 19 aug. 1280 decessit. Cfr. l. c. III, 351.

40. Franciscus ep. Bitecten. a. 1263 ad ecclesiam Terracin. translatus et a. 1268 vel 1273 mortuus est. Cfr. l. c. III, 307 (g) et Reg. Urb. IV a. 2 ep. 314 et a. 3 ep. 128 ac 386.

41. Petrus de Tibure ep. Sardanen. in Dalmatia 1260-1276. Cfr. huius op. II, 400.

42. Albertus ep. Pomesaniae sive Insulan. (*Marienwerder*), promotus a. 1261. Hic, qui a Clemente IV contra Infideles in Livonia Crucem praedicare iussus est, a. 1276 fundavit civitatem dictam *Riesenburg*, ubi postmodum sedes episcopalis fixa est; a. 1279-1285 in Constantien. aliisque finitimis dioecesibus commorabatur et a. 1282 capitulo generali ord. Min. Argentorati celebrato interfuit. A. 1286 obiisse et in ecclesia suâ cathedrali sepultus esse dicitur. Cfr. *Freiburger Diöz. Archiv* XVII, 301.

43. Simeon ep. Alben. in Liguria a. 1262-1276. Cfr. huius op. II, 522 (k).

44. Guilelmus ep. Antadaren. in Syria a. 1262-1274. Cfr. l. c. II, 461, 528, 545.

45. Dominicus Suarez de (Aragonia) ep. Abulen. 1263-1272. Cfr. l. c. II, 496, 504 (f), 506; I, 771 et 777.

46. Gotifredus Roncioni de Pisis ep. Agrigentin. 1264-1271. Cfr. l. c. II, 559.

47. Philippus ep. Viterbien. 1264-1286. Cfr. l. c. III, 548.

48. Valascus, in ep. Famagustan. in ins. Cypro a. 1265 promotus, a. 1267 ad eccl. Egitanien. in Lusitania translatus et a. 1278 mortuus est. Cfr. l. c. I, 663 et 738; II, 319 et 576; III, 30 (e) et 128.

49. Theobaldus Saraceni ep. Cannen. in Apulia 1266-1295. Cfr. l. c. III, 90.

50. Ioannes Martini, a. 1265 primus episcopus Gadicen. institutus, a. 1278 ad ecclesiam Egitanien. translatus et a. 1301 mortuus est. Cfr. l. c. III, 14, 71, 121, 123 (a), 198 ep. 17, necnon *Freib. Diöz. Archiv* IX, 27.

51. Petrus ecclesiae Wibergen. in Dania ab archiepiscopo Lunden. a. 1267 praefectus in episcopum, recusante et appellante capitulo, a. 1286 resignavit. Cfr. l. c. III, 488, 526, 534, 592.

52. Marcus de Assisio ep. Cassanen. 1268-1282. Cfr. l. c. III, 137 ep. 147.

53. Philippus ep. Casertan. 1267-1279.

54. Oliverius ep. Aesculan. in Apulia 1267-1280. Cfr. l. III, 129.

55. Petrus de Corneliaco archiep. Surrentin. 1267-1278. Cfr. l. c. III, 137 ep. 148.

56. Henricus de s. Germano ep. Isernien. 1267-1276. Cfr. l. c. III, 140.

57. Petrus ep. Othonien. in Dania 1268-1276.

58. Fulcherius de Zuccola-Spielemberg in ep. Concordien. a. 1269 promotus fundavit conventum fratrum Min. de Portugruario et obiit 17 apr. 1293.

59. Benvenutus de Syracusis, minister prov. Siciliae, ep. Mazzarien. 1270-1273.

60. Paulus e comit. Signinis in ep. Tripolitan. in Syria a. 1270 promotus concilio Lugdunen. interfuit (cfr. supra n. 11) et a. 1279 a summo pontifice ad Rudolfum regem Rom. nuntius est destinatus; episcopatu suo spoliatus obiit a. 1285. Cfr. l. c. t. III passim.

61. Gaucelinus ep. Aurasicen. 1272-1280. Cfr. l. c. III, 232 (b).

62. Franciscus, a. 1273 (vel iam 1268) in ep. Terracinen. promotus, a. 1295 ad ecclesiam Avellinen. promotus et a. 1310 defunctus est. Cfr. Reg. Bon. VIII ed. *Digard* ep. 329.

63. Ioannes Fidanzae de Balneoregio, cognom. Bonaventura, magister Parisiensis et minister generalis ord. Min., qui a. 1265 ecclesiae Eboracen. in archiep. praefectus renuntiavit, in angariis Pentecostes a. 1273 in ep. card. Albanen. promotus et 15 iul. 1274, cum concilio Lugdunen. praesideret, mortuus est, a Sixto IV a. 1482 inter sanctos et a Sixto V a. 1587 inter doctores Ecclesiae relatus. Cfr. l. c. III, 205 (b).

64. Illuminatus Theatinus, quum esset minister prov. Umbriae, a. 1273 in ep. Assisien. promotus et 1281 defunctus est. Cfr. l. c. III, 206.

65. Stephanus Fulburn, a. 1273 in ep. Waterforden. promotus, a. 1286 ad ecclesiam metrop. Tuamen. translatus est et a. 1288 obiit. Cfr. l. c. III, 573 et Reg. Hon. IV ed. *Prou* ep. 554 et 556.

66. Lucas ep. Acernen. (aut Acerrarum?) c. 1274-1295.

67. Petrus de Morano ep. s. Marci in Calabria 1275-c. 1278, quo anno ei successit Franciscus de Taverna ord. Min., qui 1282 obiit. Cfr. l. c. III, 476 et 502.

68. Hermannus de Colonia ep. Sambien. 1285; qui paulo post resignavit et Coloniae suffraganeum archiepiscopi agebat, ubi a. 1303 decessit.

69. Timideus sive Timotheus a. 1277 in ep. Veronen. promotus paulo post obiit. Cfr. l. c. III, 242 (b) et 259 (f).

70. Henricus de Isnia, nuntius Rudolfi regis Rom. ad sedem apost. destinatus, a. 1275 in ep. Basileen. promotus et a. 1286 ad eccl. metrop. Maguntin. translatus obiit die 17 martii 1288. Cfr. Reg. Hon. IV ed. *Prou* o. 368 necnon *Hist. Iahrb. d. G.-G.* 1888 p. 393-449.

71. Bentevenga a. 1276 in ep. Tudertin. et mense martio a. 1278 in ep. card. Albanen. promotus est (cfr. huius op. III, 257 et 470). Quum esset cardinalis, poenitentiariam apost. regebat; registrum quoddam ad id officium pertinens et ab eo relictum, quod in archivo sacri conventus Assisien. conservatur, compilator huius elenchi in periodico *Archiv für Kath. Kirchenrecht* t. 64 p. 3-69 publicavit. Obiit a. 1289, non 1290; iam enim die 29 apr. 1289 Nicolaus IV, statui vacantis ecclesiae Albanen. utiliter providere intendens, ipsius curam et administrationem fr. Bernardo de Tuderto ord. Min. commisit (Reg. Nic. IV ed. *Langlois* n. 7225).

72. Franciscus de Aesio ep. Pensaurien. 1276-1283.

73. Hieronymus Masci de Asculo, minister generalis, mense martio a. 1278 in tit. s. Pudentianae presb. card. promotus et tribus annis post ad ecclesiam episcopalem Paenestrin. translatus, die autem 15 febr. 1288 sum-

mus pontifex electus et Nicolaus IV nominatus est; obiit 4 apr. 1292.

74. Tellius, quum esset minister prov. Castellae, in archiep. Bracharen. promotus est; obiit 23 mart. 1292. Cfr. huius op. III, 297, 481, 518; IV, 55, 62, 104, 106.

75. Bartholomaeus de Amelia, inquisitor haer. prav. in prov. Romana, nuntius apostolicus ad regem Romanorum (1277), ad imperatorem Graecorum (1278), ad regem Angliae (1290), die 6 apr. 1278 in episcopum Grossetan. promotus est simulque vicarium apost. de Urbe agebat; obiit a. 1291. Cfr. l. c. III, 251, 253, 277, 284, 298; IV, 46, 119, 152, 231, 274.

76. Benvenutus de Urbe veteri, a. 1268 inquisitor haer. prav. in prov. Rom., nuntius apost. ad regem Castellae (1277) et ad regem Rom. (1289), in ep. Eugubin. promotus 5 iunii 1278, obiit a. 1294. Cfr. l. c. t. III et IV passim ac Reg. Hon. IV ed. *Prou* ep. 452.

77. Thomas in ep. Nepesin. promotus 9 aug. 1278, postquam Bartholomaeus de Carbonaria ord. Min. a capitulo electus, qui a superioribus suis facultatem electioni consentiendi non acceperat, resignavit; obiit a. 1283. Cfr. l. c. III, 334 et 505.

78. Guilelmus de Porcellet ep. Dignen. 1278-c. 1292. De eo, qui tempore illarum vesperarum Sicularum Mazzariae commorabatur, *Fazzettus* (de rebus Siculis p. 490) scribit: « Ab hoc uno ob probitatem suam abstinuere Siculi incolumemque in patriam dimisere. » Cfr. l. c. IV, 122 et 138 (k).

79. Ioannes de Trano ep. Iuvenacen. 1278-1304, cui successisse dicitur alter Ioannes de Trano ord. Min., qui a. 1321 decessit.

80. Ioannes de Peckham, magister Oxfordiensis et Parisiensis, minister prov. Angliae et deinde lector theol. in Curia sive magister sacri palatii, in archiep. Cantuarien. promotus 28 ian. 1279 obiit 8 dec. 1292 meritis miraculisque clarus. Reliquit praeter alia scripta illud Registrum litterarum, quod nuper publici iuris est factum. Cfr. l. c. III, 375 et 383; *Sbar.* Suppl. ad script. ord. Min. p. 447; *Zeitschrift für Kath. Theol. (Innsbruck)* 1889 p. 172.

81. Aegidius Leodiensis, in ep. Valven. promotus 25 febr. 1279, resignavit 23 sept. 1289; adhuc a. 1318 vixisse dicitur. Cfr. l. c. III, 380 et Reg. Nic. IV ed. *Langlois* ep. 2082.

82. Tancredus de Montefusculo, in ep. Neocastren. promotus 15 maii 1279, a. 1282 in archiep. Hydruntin. quidem postulatus, a papa vero reiectus, immo a. 1286 ipsa sede Neocastren. privatus est, eo quod astitit coronationi Iacobi regis Aragoniae in regem Siciliae; a. 1299 obiisse videtur. Cfr. l. c. III, 392 et IV, 491.

83. Conradus cognom. Probus de Tubinga, minister prov. Alamanniae superioris et a Rudolfo rege Rom. ad sedem apost. nuntius destinatus, 4 oct. 1279 in ep. Tullen. promotus et 21 aug. 1302 vel 1303 defunctus est, postquam a. 1296 resignavit. Bulla, qua hanc ob resignationem ecclesiae Tullen. alius praeficitur in episcopum, rescripta est in Reg. Bon. VIII ed. *Digard* ep. 957; in Bull. Franc. deest. Cfr. *Histor. Iahrb. d. G.-G.* 1888 p. 650-673.

84. Gentilis de Bettonia prope Assisium, inquisitor haer. prav. in prov. s. Francisci, familiaris summi pontificis, nuntius apostolicus ad imperatorem Graecorum, 9 oct. 1279 archiep. Regin. in Calabria factus est; a. 1292 ad regem Siciliae ac commune Ianuense et a. 1295 ad Adolfum regem Rom. a summo pontifice mittitur et a. 1307 e vivis decedit. Cfr. huius op. III, 424 et IV, 276 etc. ac Reg. Bon. VIII l. c. ep. 865-880.

85. Nicolaus de Cusoach ep. Daren. in Hibernia 1279-1299. Cfr. l. c. III, 425 et 461.

86. Gualterus Brugensis, minister prov. Franciae, 4 dec. 1279 in ep. Pictaven. promotus acerrimum propugnatorem iurium ecclesiae sibi commissae agebat; a. 1306 resignavit et 21 ian. 1307 sanctissime obiit. Cfr. l. c. III et IV passim ac V, 32; praeterea Reg. Nic. IV ed. *Langlois* epp. 441, 483, 484, 671, 709-711, 752, 753; Bon. VIII ed. *Digard* ep. 1329; Clem. V ed. *Mon. Bened.* epp. 138, 410, 603.

87. Raynerius, capellanus Caroli regis Siciliae, ep. Troian. 1280-1284, quo anno succedit Rogerius ord. Min., qui decedit a. 1302. Cfr. l. c. III, 378 et 459.

88. Sinibaldus, de lacu Perusino oriundus, inquisitor haer. in patrimonio s. Petri, die 7 maii 1280 in ep. Melfien. promotus, obiit a. 1285. Cfr. l. c. III, 460.

89. Ferdinandus, familiaris summi pontificis, ep. Burgen. in Castella 1280-1299. Cfr. l. c. III, 461.

90. Bonaventura Patavinus die 23 dec. 1280 (renuntiantibus prius vel decedentibus Marco de Venetiis, Philippo Bonacolsi de Mantua, Luca Patavino, singulis Minoritis, in archiep. Ragusin. electis) in ipsius eccl. Ragusin. archiepiscopum promotus est; a. 1289 visitatorem tertii ordinis s. Fr. agebat et a. 1292 obiit. Cfr. l. c. III, 426, 427, 477, 478.

91. Eustachius Rothomagensis, poenitentiarius apostolicus, ep. Constantien. in Britannia min. 1282-1291. Cfr. l. c. III, 512 n. 3.

92. Philippus Perusinus in ep. Faesulan. a. 1282 promotus resignavit a. 1298. Cfr. l. c. III, 349, 354, 359; IV, 182, 472, 473, 495.

93. Ioannes ep. Castellaneten. a. 1282,

quem postmodum ad eccl. Iuvenacen. translatum esse aliqui scribunt.

94. Simon Uffreduccii Assisiensis, inquisitor haer. prav. in provincia Romana, die 10 martii 1282 in episcopum Assisien. promotus a. 1295 resignavit. Cfr. supra LXXII.

95. Theobaldus a Ponte, custos s. conventus Assisien., a. 1283, ut dicitur, in ep. Stabien. promotus, a. 1295 ad ecclesiam Terracin. et a. 1296 ad Assisien. translatus est; obiit a. 1329. Cfr. l. c. IV, 473 (c), et V passim; Reg. Bon. VIII ed. *Digard* epp. 68 et 901.

96. Leonardus, a. 1284 in ep. Tricaricen. promotus et a. 1301 ad eccl. metrop. Arboren. et Tyren. translatus, obiit c. a. 1305. Cfr. l. c. III, 524.

97. Iacobus ep. Nuscan. 1285-1296. Cfr. l. c. III, 540.

98. Petrus Fechor ep. Salamantin. 1286-1306. Cfr. l. c. III, 562.

99. Englesius Caballatius ep. Novarien. 1287-1291. Cfr. l. c. III, 594.

100. Philippus Boschetti ep. Mutinen. 1287-1290.

101. Matthaeus de Aquasparta, qui a. 1281 lector (magister) s. Palatii et a. 1287 minister generalis ord. Min. institutus est, die 15 maii 1288 in tit. s. Laurentii in Damaso presb. cardinalem promovetur et a. 1291 ad ecclesiam Portuen. transfertur. Obit Romae 29 vel 30 oct. 1302 et in ecclesia Aracoelitana tumulatur. Cfr. *Sbar.* Suppl. ad script. ord. Min. p. 525.

102. Monaldus, inquisitor haer. prav. in prov. s. Francisci, die 20 iunii 1288 fit episcopus Civ. Castellanae et moritur a. 1306. Cfr. huius op. IV, 26 et Reg. Nic. IV a. 1 ep. 347.

103. Iacobus ep. Vico-equen. c. 1288-1294.

104. Ioannes Balastro die 20 oct. 1288 fit archiep. Nicosien. in insula Cypro et a. 1295 transfertur ad eccl. Turritan. in ins. Sardiniae; e vivis decedit a. 1298. Cfr. l. c. IV, 44, 45, 50, 107, 108, 413, et Reg. Nic. IV ed. *Langlois* n. 1729.

105. Albertus Gonzaga Mantuanus, olim nuntius apost. ad imperatorem Graecorum, fit ep. Iporien. die 12 febr. 1289 et obit c. a. 1320, apud fratres Min. Iporien. tumulatus. Aliqui perperam scribunt, eum ad dign. cardin. promotum esse. Cfr. l. c. IV, 74 et 90 ac Reg. Nic. IV l. c. nr. 487, 810, 1609-1612, 2090.

106. Robertus ep. Paphen. in insula Cypro 1289-1298. Cfr. Reg. Nic. IV l. c. n. 814.

107. Philippus Bonacolsi (cfr. supra n. 90), inquisitor haer. prav. in marchia Tervisana, fit ep. Tridentin. 31 iul. 1289 et mense nov. vel dec. 1303 transfertur ad eccl. Mantuan., sed eo ipso tempore moritur. Cfr. huius op. IV, 42, 89, 139.

108. Rodericus ep. Marochitan. 1289-1307. Cfr. l. c. IV, 123, 124, 134, et V, n. 220, ac Reg. Nic. IV l. c. n. 2117-2119 et 2153.

109. Gerardinus ep. Humanaten. 1290-1323. Cfr. l. c. IV, 126, 181.

110. Lambertus fit ep. Veglen. 8 mart. 1290 et 25 maii 1297 transfertur ad eccl. Aquinaten.; a. 1296-1299 Vicarium S. P. in Urbe agebat. Obiit a. 1300. Cfr. l. c. IV, 140, 175; Reg. Bon. VIII ed. *Digard* n. 1640 et 1843.

111. Guilelmus Bobbiensis, poenitentiarius apost., fit ep. Regin. 22 iunii 1290 et obit 3 sept. 1301. Cfr. l. c. IV, 161, 329, 490, 550.

112. Henricus Paduanus fit ep. Clugien. (non Clusin.) 17 sept. 1290 et moritur 14 sept. 1302. Cfr. l. c. IV, 175, 187.

113. Antonius fit ep. Cenadien. a. 1290; vicecancellarium Andreae III regis Hungariae agebat et a. 1305 unacum episcopo Vesprimen. Ottonem ducem Bavariae in regem Hung. coronavit; quare summo pontifice id aegre ferente resignare cogitur. Cfr. *Fejer*, Cod. Dipl. Hung. t. VI vol. II, p. 127 et t. VIII vol. 1, p. 198 ac 201; *Theiner*, Mon. Vat. Hung. I, 484.

114. Ioannes Tranensis al. Anagninus fit archiep. Iadren. 12 febr. 1291 et transfertur ad eccl. Tranen. a. 1297; obit a. 1299. Cfr. l. c. IV, 214, 215, 368, 438.

115. Iacobus de Casali ep. Bellunen. et Feltren. 1291-1298. Cfr. l. c. IV, 229, 256, 470.

116. Nicolaus de Ceva, olim procurator ord. Min. apud sedem apost., fit ep. Albingan. 28 ian. 1292 et decedit a. 1306. Cfr. l. c. IV, 317 (a).

117. Leo de Lambertengis fit ep. Cuman. 24 apr. 1292 et obit 10 iulii 1325.

118. Franciscus, die 11 nov. 1294 a Coel. V in ep. Senogallien. promotus, a Bon. VIII transfertur ad eccl. Spoletan. 28 mart. 1295. Decedit a. 1299. Cfr. l. c. IV, 336 et 578; Reg. Bon. VIII l. c. ep. 66.

119. Angelus ep. Absoren. 1295-c. 1315, qui proxime successit Iacobo ep. Absoren.; sed a. 1290 Michael (ex ord. Min.) ecclesiae Absoren. praefuisse dicitur. Cfr. l. c. IV, 368.

120. Guido ep. s. Agathae 1295-c. 1316. Cfr. l. c. IV, 372 et Reg. Bon. VIII l. c. ep. 570 ac 571.

121. Paulus ep. Molfetan. 1295-1321. Cfr. l. c. IV, 375, et V, 21.

122. Iacobus Thomasius Caietanus, nepos Bon. VIII, ab ipso in tit. s. Clementis presb. cardin. promotus 17 dec 1295, decedit 1 ian. 1300.

123. Guilelmus (al. Petrus) de Falgario, olim mag. s. Palatii et minister prov. Aquitaniae, fit ep. Vivarien. 9 iul. 1296 et paucis annis post moritur. Cfr. l. c. IV, 401 et Reg. Bon. VIII l. c. n. 1310-1314.

124. Iterius Burdegalensis fit ep. Lodoven. 17 dec. 1296 et decedit 29 iun. 1299, tumulatus apud fratres Min. Burdegalen. Cfr. l. c. IV, 420.

125. Ludovicus, filius Caroli regis Siciliae, cui iam Coelestinus V administrationem eccl. Lugdunen. commiserat, a Bon. VIII die 29 dec. 1296 in ep. Tolosan. promovetur, sed iam die 19 aug. 1297 sanctissime obit, die 7 apr. 1317 inter sanctos relatus. Cfr. l. c. IV, 332 et 422; V, 111; Reg. Bon. VIII l. c. n. 1842; Anal. Franc. III, 433.

126. Raynaldus (Peregrinus?) ep. Interamnen. 1296-1297. Cfr. Reg. Bon. VIII l. c. n. 2833.

127. Petrus Anagninus fit ep. Pensauren. 1 ian. 1296 (non 1297); obit a. 1315. Cfr. huius op. IV, 425, et Reg. Bon. VIII l. c. ep. 596.

128. Petrus fit archiep. Spalaten. 9 maii 1297, sed a. 1311 per aliquot annos suspenditur et a. 1324 decedit. Cfr. l. c. IV, 436, et Mon. Vat. Hung. (Acta legat. cardin. Gentilis) p. 394.

129. Matthaeus ep. Veglen. 1297-1301. Cfr. huius op. IV, 557 (e).

130. Henricus Tudertinus fit archiep. Iadren. 16 iun. 1297 et decedit Romae a. 1299. Cfr. l. c. IV, 438, 452.

131. Henricus, poenitentiarius apost., fit ep. Revalien. 18 febr. 1298; obit inter a. 1315 et 1323. Cfr. l. c. IV, 461, 462.

132. Ioannes Samesius, poenitentiarius apost., fit ep. Redonen. 28 mart. 1298 et transfertur ad eccl. Lexovien. 3 febr. 1299; decedit 4 dec. 1302. Cfr. l. c. IV, 195, 199, 203, 465, 468, 483, 582 n. 18.

133. Alexander Novello, inquisitor haer. prav. in marchia Tervisana, fit ep. Bellunen. et Feltren. 20 apr. 1298; obit m. febr. 1320. Cfr. l. c. IV, 470.

134. Angelus, fit ep. Nepesin. a. 1298 et a. 1302 transfertur ad eccl. Reatin. 8 iun. 1302; obit mense iulio a. 1302. Cfr. l. c. IV, 477, 558.

135. Martinus ep. Sebenicen. 1298-1319.

136. Laurentius de Velletri fit ep. Hortan. 3 oct. 1298; obit a. 1334. Cfr. l. c. IV, 478.

137. Petrus Buccaplanula archiep. Cusentin. 1298-1319. Cfr. l. c. IV, 479.

138. Ioannes (Ivanus) ep. Lacedaemonen. a. 1299 ecclesiam fratrum Min. Solodori in Helvetia (dioec. Lausanen.) consecravit; illis temporibus in dioec. quoque Basileen., Constantien., Argentinen. pontificalia exercebat.

139. Monaldus de Urbeveteri fit 23 ian. 1299 ep. Suanen. et 17 ian. 1303 archiep. Beneventan.; decedit a. 1331. Cfr. l. c. IV, 266 (b).

140. Porchettus Spinulae fit archiep. Ianuen. 3 febr. 1299 et obit 30 maii 1331. Cfr. l. c. IV passim. In cathedrali sua a. MCCXCIX (non MCCXLIX, sicut scribunt Bollandistae) confraternitatem in hon. s. Ioannis Bapt. erexit.

141. Antonienus, in ep. Cervien. promotus 6 apr. 1299, anno sequenti fr. Matthaeum ord. Min. habebat vicarium suum generalem; paucis annis post obiisse videtur. Cfr. l. c. IV, 484.

142. Alemannus de Balneoregio fit archiep. Arboren. et Tyren. 28 apr. 1299 et eodem tempore vicarius de Urbe, sed paucis mensibus post iam decedit. Cfr. l. c. IV, 485 et 381 (b).

143. Iacobus de Fulgineo, qui a. 1296 promotioni in episcopum Fulgin. non consensit, 15 iun. 1299 fit archiep. Iadren. et c. a. 1311 decedit. Cfr. l. c. IV, 417, 487.

144. Nicolaus Hungari ep. Anconitan. 1299-1326. Cfr. Reg. Bon. VIII a. 5, ep. 349.

145. Raynuccius archiep. Calaritan. 1299-1322; agebat vicarium Urbis 1300-1302. Cfr. huius op. IV, 492, 533.

146. Gentilis de Monteflorum, lector s. Palatii, 2 mart. 1300 in tit. s. Martini in montibus presb. cardin. promovetur et 8 aug. 1307 legatus apost. sedis in regnum Hungariae destinatur, de quo rebus bene gestis a. 1311 in Italiam revertitur. Thesaurum ecclesiae Romanae Perusii conservatum mandante Clemente V Avinionem transportaturus iam 27 oct. 1312 Lucae moritur; corpus autem eius Assisii in ecclesia s. Francisci tumulatur. Cfr. huius op. V, n. 7, 9, 83, 91, 207, 427, et Mon. Vat. Hung., quae de eius legatione Hungarica tractant, ac *Baluze*, Miscell. ed. *Mansi* IV, 617, et Vit. pap. Avin. II, 305; necnon *Archiv für Litt. - u. Kirchen-Gesch.* I, 238.

147. Henricus de Carreto fit ep. Lucan. 25 iulii 1300 et obit a. 1330. Cfr. huius op. IV, 507, et V, not. ad n. 464.

148. Guilelmus de Cunà (al. de Curia) ep. Cassanen. 1301-1309. Cfr. l. c. IV, 501 (d), 517, 518.

149. Bartholomaeus Malacria (al. Malague) de Pisis fit ep. Ampurien. in insula Sardiniae et obit a. 1332. Cfr. l. c. IV, 523.

150. Petrus Manolesso de Venetiis ep. Iustinopolitan. 1301-1317.

151. Matthaeus Ursinus Romanus fit ep. Imolen. 5 aug. 1302 et transfertur 12 ian. 1317 ad ecclesiam Clusin.; Romae 15 iunii 1322 decedens in ecclesia s. Francisci ad Ripam tumulatur. Cfr. l. c. IV, 556, et V, 105.

152. Thomas ep. Veglen. 1302-1311. Cfr. l. c. IV, 557 et 559; Acta legat. card. Gent.

(v. supra n. 146) p. 16, 19, 23, 24, 118, 126, 156, 185.

153. Paulus ep. Nepesin. 1302-1317. Cfr. l. c. IV, 558.

154. Robertus Vacca ep. Terraealben. in ins. Sard. 1302-1325. Cfr. l. c. IV, 559.

155. Petrus ep. Troian. in Apulia 1302-1309. Cfr. l. c. IV, 560.

156. Guilelmus de Gainesborough, doctor Oxfordiensis et lector s. Palatii, fit ep. Wigornien. 29 oct. 1302 et obit 17 sept. 1307. Cfr. l. c. IV, 562.

157. Petrus de Plana Castanea (Pleine-Chassagne) fit ep. Ruthenen. a. 1302 et a. 1307 legatus apost. mittitur in Orientem atque a. 1314 in patriarcham Hierosolym. promovetur, ita tamen, ut retineat ecclesiam Ruthenen.; obit ineunte a. 1318. Cfr. l. c. V passim.

158. Ioannes Minius de Murovallium, qui a. 1287 factus est lector s. Palatii et a. 1296 minister generalis ord. Min., 15 dec. 1301 promovetur in ep. Portuen.; in concilio Viennensi Bonifatium VIII strenue defendit a calumniis Philippi regis Francorum et obit m. iul. vel aug. 1313 (non 1312). Cfr. l. c. IV, 298 (g) et V, 8 et 14.

159. Gregorius ep. Suacien. c. a. 1303, resignat a. 1307. Cfr. l. c. V, 32.

160. Bartholomaeus Utinensis archiep. Ragusin. 1303-1312.

161. Fridericus (de Pernstein), poenitentiarius apostolicus, fit archiep. Rigen. et obit Avinione a. 1340. Cfr. l. c. V, passim.

162. Petrus (non Rodulfus) ep. Foropopulien. 1304-1320. Cfr. l. c. V, 22.

163. Martinus de Moravia ep. Alben. s. Nandoralben. (alias Nicopolen.) c. a. 1304, qui, cum in sua dioecesi residere non posset, suffraganeum episcopi Olomucen. agebat; a. 1306 Paduae commorans unacum Antonio ep. Cenadien. (v. supra n. 113) ecclesiae s. Antonii Pad. indulgentias concessit; obit a. 1320 et apud fratres Min. Brunen. tumulatur. Cfr. l. c. V, 248.

164. Huguccio de Monte Atestino ep. Sarsinaten. 1305-1326.

165. Restaurus ep. Grossetan. 1306-1328. Cfr. l. c. V, 25.

166. Franciscus ep. Gaietan. 1306-1320. Cfr. l. c. V, 26, et supra LXXII.

167. Gilbertus ep. Enachdunen. 1306-c. 1320; a. 1313 a Malachia archiep. Tuamen. episcopatu spoliatus suffraganeum episcoporum Wintonien. et Wigornien. agebat. Cfr. l. c. V, 293.

168. Andreas, lector conventus Iadrensis, fit archiep. Antibaren. 25 febr. 1307 et 1324 resignat; die 19 sept. 1319 a summo pontifice ad sedem apost. citatus erat. Cfr. l. c. V, 32 et 175.

169. Godefridus ep. Civitatis Castellan. 1308-1324. Cfr. l. c. V, 34.

170. Venutus de Neocastro a. 1307 in episcopum Catacen. in discordia eligitur et confirmatur minus canonice; ab adversariis ex episcopatu expulsus a Ioanne XXII restituitur; obit c. a. 1342. Cfr. l. c. V, n. 136, 163, 435, 567.

171. Ioannes de Montecorvino fit primus archiep. Cambalien. in imperio Cathay 23 iul. 1307, cuius suffraganei eodem die hi constituuntur:

172. Gerardus Albuini; 173. Peregrinus (non Petrus) de Castello; 174. Andreas de Perusio; 175. Nicolaus de Bantra; 176. Ulricus de Seyfriedsdorf; 177. Guilelmus de Villanova, qui postmodum transfertur ad eccl. Sagonen. et deinde ad Tergestin. Cfr. l. c. V, n. 85-88, 112, 489, 676.

178. Petrus ep. Rapollan. 1308-1316. Cfr. l. c. V, n. 102, 103, 157, 162, et supra LXXII.

179. Simon fit ep. Pacen. 15 iul. 1309 et transfertur 20 iul. 1324 ad eccl. Tuden.; obit c. a. 1327. Cfr. l. c. V, n. 139 et 546.

180. Rogerius ep. Callien.

181. Nicolaus ep. Turtibulan. (iam occurrit a. 1300).

182. Augustinus, frater germanus Guilelmi de Nottingham ministri prov. Angliae, a. 1307 in ep. Laodicen. promotus esse dicitur.

183. Antonius ep. Casertan.

184. Stephanus fit ep. Portugallen. 11 febr. 1310 et 8 oct. 1313 ad Ulixbonen., die autem 21 aug. 1322 ad Conchen. ecclesias transfertur; obit a. 1326. Cfr. l. c. V, n. 152, 221, 315, 478.

185. Petrus, 186. Thomas, 187. Hieronymus, assumuntur in suffraganeos archiepiscopi Cambalien. (cfr. supra n. 171) 19 februar. 1311; iste Hieronymus a. 1318 transfertur ad eccl. Caffen. Cfr. l. c. V, n. 176, 302, 303, 317, 446-450.

188. Hugolinus ep. Faventin. 1311-1336.

189. Raymundus de Mausacco fit ep. Alben. a. 1311 et transfertur a. 1321 ad Theatin. atque a. 1326 ad Adversan. ecclesias; obit a. 1336. Cfr. l. c. V, n. 419, 428, 603, 1010.

190. Daniel de Terdona archiep. Tarsen. a. 1311- c. 1320. Cfr. l. c. V, n. 183.

191. Percevallus fit ep. Nebien. 24 iul. 1312 et resignat a. 1332. Cfr. l. c. n. 200 et 793.

192. Vitalis de Furno, mag. theol. et minister prov. Aquitaniae, 23 dec. 1312 in tit. s. Martini in montibus presb. card. promovetur et a. 1321 ad eccl. Albanen. transfertur, obit 16 aug. 1327. Cfr. l. c. V, n. 167, 205, 290, 710, et not. ad n. 203, 207, 464, 486 (p. 234).

193. Martinus Oscavio ep. Oscen. 1311-1322.

194. Ioannes de Chrepsa ep. Stagnen. et Curzolen. 1313-1330.

195. Guilelmus de Sallone fit ep. Puteolan. c. a. 1313 et 1 iunii 1324 transfertur ad eccl. Adversan.; e vivis decedit a. 1326.

196. Guilelmus archiep. Patracen. 1317-1337. Cfr. l. c. V, n. 234 et 1070.

197. Petrus ep. Pensauren. 1317-1343. Cfr. l. c. V, n. 249.

198. Ioannes Rigaudi, poenitentiarius apost., fit ep. Trecorien. 21 febr. 1317 et obit a. 1323. Cfr. l. c. V, nr. 250.

199. Ioannes, poenitentiarius apost., fit ep. Nepesin. 28 febr. 1317 et paulo post simul vicarius Urbis instituitur; obit a. 1322. Cfr. l. c. V, n. 251, 278, 332.

200. Guilelmus, poenitentiarius apost., ep. Nicien. 1317-1322. Cfr. l. c. V, n. 264.

201. Richardus Ledred fit ep. Ossorien. 24 apr. 1317, exulat 1338-1347, obit a. 1360. Cfr. l. c. V, n. 265.

202. Ladislaus archiep. Colocen. et Bachien. 1317-1337. Cfr. l. c. V, n. 281 et not. ad n. 1070.

203. Aycardus Antimiani, minister prov. Mediolanensis, fit archiep. Mediolan., obit a. 1339. Cfr. l. c. V, n. 285, 718, 1035.

204. Leo de Palatinis, iam a. 1296 in episcopum Lauden., sed frustra electus, obtinet hunc episcopatum 15 mart. 1318 et sanctissime obit 16 mart. 1343. Cfr. l. c. V, n. 308.

205. Conradus archiep. Ephesin. confirmatur a S. P. 4 iul. 1318. Cfr. l. c. V, n. 329.

206. Iacobus ep. Tiburtin. 1318-1320. Cfr. l. c. V, nr. 341.

207. Robertus Lepetit, qui 10 febr. 1319 in ep. Clonferten. electus et consecratus, sed a S. Pont. reiectus erat, 8 nov. 1325 ecclesiae Enachdunen. praeficitur in episcopum. Cfr. l. c. V, n. 592.

308. Rossolinus des Baux ep. Regen. 1319- 1329. Cfr. l. c. V, n. 379.

209. Stephanus ep. Saraien., promotus c. a. 1319, occurrit a. 1321. Cfr. l. c. V, n. 445.

210. Petrus de Scalea ep. Neocastren. a. 1320-1323. Cfr. l. c. V, n. 460.

211. Laurentius ep. Arianen. 1320-c. 1340. Cfr. l. c. V, n. 389 et 954.

212. Ioannes ep. Tiburtin. 1320-1337. Cfr. l. c. V, n. 397.

213. Bertrandus de Turre, mag. theol., minister prov. Aquitaniae, nuntius apost., fit archiep. Salernitan. 3 sept. 1320 et 19 dec. 1320 in tit. s. Vitalis presb. card. promovetur, a. autem 1323 ad eccl. Tusculan. transfertur; deposito Michaele de Caesena ministro generali ord. Min. vicarius ipsius ord. instituitur et exeunte a. 1332 vel ineunte a. 1333 e vivis decedit. Cfr. l. c. V passim.

214. Matthaeus de Capua archiep. Surrentin. 1320-1332. Cfr. l. c. V, n. 409.

215. Ioannes de Beccaria administrator ecclesiae Papien. 1320-1323. Cfr. l. c. V, n. 410.

216. Raymundus, poenitentiarius apost., fit ep. Vigintimilien. 26 nov. 1320 et transfertur 6 sept. 1328 ad Vencien. ac 10 ian. 1334 ad Nicien. ecclesias; obit a. 1335. Cfr. l. c. V, nr. 412, 730, 1051.

217. Gerardus ep. Brugnaten. 1321-1340. Cfr. l. c. V, n. 418.

218. Guilelmus fit ep. Alben. 9 febr. 1321 et transfertur 6 dec. 1333 ad Brundusin. ac 3 mart. 1344 ad Beneventan. ecclesias; obit a. 1346. Cfr. l. c. V passim.

219. Petrus Aurioli mag. Parisiensis, fit archiep. Aquen. 27 febr. 1321 et a. 1322 iam moritur. Cf. l. c. V, n. 330, 425, 469.

220. Arnaldus Royardi, mag. Paris., fit archiep. Salernitan. 30 apr. 1321 et transfertur ad eccl. Sarlaten. a. 1330; obit a. 1334. Cfr. l. c. V, n. 225, 429, 525, 855 et not. ad n. 464.

221. Ioannes ep. Albiganen. 1321-1328. Cfr. l. c. V, n. 436.

222. Laurentius Feretranus, qui idem ac Laur. de Mondaino inquisitor haer. prav. esse videtur, fit archiep. Ragusin. 10 febr. 1322 et obit 31 dec. 1323. Cfr. l. c. V, n. 405 et 460.

223. Ioannes de Tessenderia fit ep. Lodoven. 9 iul. 1322 et transfertur ad eccl. Riven. 20 iul. 1324; obit c. a. 1347. Cfr. l. c. V, nr. 469 et 545.

224. Aymericus ep. Paphen. in ins. Cypro 1322-c.1330. Cfr. l. c. V, n. 470.

225. Bernardus, frater Bertrandi Poyet S. R. E. card. et sedis apost. in Lombardia legati, fit ep. Corisopiten. 19 iul. 1322 et transfertur ad eccl. Nemausen. 20 iul. 1324, sed eo ipso tempore moritur in Lombardiae partibus, dum ecclesiae negotiis insistit. Cfr. l. c. V, n. 470, 542.

226. Matthaeus fit ep. Beryten. 18 febr. 1323 et transfertur ad eccl. Mothonen. 10 septembris 1333; obit c. a. 1346. Cfr. l. c. V, 488 et 1032.

227. Petrus ep. Maceraten. 1323-1347. Cfr. l. c. V, n. 502.

228. Petrus ep. Humanaten. 1323-1338. Cfr. l. c. V, n. 503.

229. Paulinus de Venetiis, poenitentiarius et nuntius apost., scriptor " historiae satyricae " et compilator libri " provincialis ord. Min., " fit ep.

Puteolan. 20 iunii 1324 et obit a. 1344. Cfr. l. c. V, 461, 482, 501, et App. I (p. 579).

230. Bernardus ep. Nemausen. 1324-1331. Cfr. l. c. V, n. 548.

231. Gerardus ep. Hierapetren. 1325-c. 1350. Cf. l. c. V, n. 566.

232. Petrus, lector conventus Adversani, fit ep. Calinen. 15 ian. 1326 et transfertur ad eccl. Valven. 4 maii 1330; obit a. 1333. Cfr. l. c. V, n. 598 et 853.

233. Nicolaus de Machilona ep. Scarpaten. a. 1326-c.1350. Cfr. l. c. V. n. 610.

234. Sinibaldus, minister prov. marchiae Ancon., fit ep. eccl. Auximan. 6 aug. 1326 et obit a. 1342. Cfr. l. c. V, n. 468, 621, 632.

235. Monaldus ep. Melfien. 1326-1331. Cfr. l. c. V, n. 631, 707, 886, 948.

236. Lucas de Castello fit administrator ecclesiae Cuman. 25 maii 1327 et 30 mart. 1343 episcopus Lauden.; obit a. 1354. Cfr. l. c. V, n. 664.

237. Landulfus Caracciolo, mag. theol., fit ep. Stabien. 21 aug. 1327 et transfertur ad eccl. metrop. Amalfitan. 20 sept. 1330; obit a. 1355. Cfr. l. c. V, n. 671, 931, 963-965.

238. Alexander Venciolus de Perusio fit ep. Nucerin. 17 nov. 1327 et obit sanctissime a. 1363. Cfr. l. c. V, n. 689.

239. Albertus Sicardi fit ep. Callien. 14 mart. 1328 et obit a. 1342. Cfr. l. c. V, n. 703.

240. Antonius ep. Sagonen. 1328-1331. Cfr. l. c. V, n. 704.

241. Matthaeus de Castropetri fit ep. Balneoregien. 5 oct. 1328 et transfertur ad eccl. Acerrarum a. 1342. Cfr. l. c. V. n. 737.

242. Ioannes fit ep. Ayacien. in Armenia 17 oct. 1328. Cfr. l. c. V, n. 738.

243. Ioannes de Ancona, inquisitor haer. prav., fit ep. Senogallien. 7 nov. 1328 et obit a. 1349. Cfr. l. c. V, n. 536, 622, 627, 735, 739, 762.

244. Rudolfus ep. Dunen. 1328-1352. Cfr. l. c. V, nr. 832 et not. ad n. 743.

245. Ioannes fit ep. Bisacien. a. 1329 et obit paucis mensibus post. Cfr. l. c. V, n. 777.

246. Henricus de Appoldia fit ep. Lavacen. 3 iul. 1329 et agit suffr. archiep. Maguntin. Cfr. l. c. V, n. 801.

247. Rogerius ep. Bivinen. a. 1329-1340. Cfr. l. c. V, n. 787.

248. Vincentius a. 1329 ecclesiae Nebien., quae falso credebatur vacare, praeficitur in episcopum, sed 1 dec. 1330 transfertur ad eccl. Maranen. et a. 1343 ad Pacten.; obit a. 1346. Cfr. l. c. V, n. 814 et 827.

249. Galganus Blasii de Florentia fit ep. Alerien. 14 mart. 1330 et transfertur ad eccl. Cephaluden. a. 1342; obit a. 1351. Cfr. l. c. V, n. 846.

250. Henricus ep. Isernien. 1330-1331. Cfr. l. c. V, n. 858.

251. Guilelmus Alnvick, mag. theol., qui capitulo generali Perusii a. 1322 adfuit, consiliarius et familiaris Roberti regis Siciliae, ad eius instantiam eligitur in ep. Iuvenacen.; obit a. 1333. Cfr. *Wadd.* l. c. ad a. 1330, n. 12, et huius op. V, n. 520 et 1001 ac not. ad n. 486 (p. 234) et 1016.

252. Alemannus de Donatis Florentinus fit ep. Suanen. 22 oct. 1330 et transfertur ad eccl. Mutinen. a. 1342; obit a. 1352. Cfr. l. c. V, n. 880.

253. Salvatus Martini ep. Lamecen. 1331-1349. Cfr. l. c. V, n. 905.

254. Petrus ep. Acernen. 1331-1344. Cfr. l. c. V, n. 914.

255. Iacobus ep. Sagonen. 1331 – c. 1336. Cfr. l. c. V, n. 933.

256. Raphael ep. Nebien. 1332-1337. Cfr. l. c. V, nr. 939 et 973.

257. Guilelmus Jorneti fit ep. Sulcitan. a. 1332 (reiecto Bonifatio de Pisis ord. Min. in ep. Sulcitan. electo et consecrato, de quo v. n. 258) et obit a. 1334. Cfr. l. c. V, n. 975.

258. Bonifatius (cfr. n. 257) ep. Corbavien. 1332 - c. 1340. Cfr. l. c. V, n. 978 et 981.

259. Guilelmus Astre, poenitentiarius apost. in partibus Venaissini, fit ep. Apten. et obit 1336. Cfr. l. c. V, n. 655, 684, 922, 936, 984.

260. Alvarus Pelagii, auctor « Planctus Ecclesiae », fit ep. Coronen. 16 iunii 1332 et transfertur ad ecclesiam Silven. 9 iunii 1333; obit 25 ian. 1352. Cfr. l. c. V, n. 778, 962, 985, 1023.

261. Angelus ep. Accien. 1332-1344. Cfr. l. c. V, n. 994.

262. Vitus de Castroferreo, qui idem esse videtur ac Vitus de Monteferreo a. 1332 in ep. Milchovitan. promovendus, fit ep. Nitrien. 29 aug. 1334 et obit a. 1347. Cfr. l. c. V, n. 996 et 1064.

263. Ioannes in ep. Isernien. electus et consecr., sed a S. P. nón admissus, fit ep. Calven. 30 oct. 1332; resignat a. 1343. Cfr. l. c. V, n. 997.

264. Elias de Nabinalis, mag. theol. et olim minister prov. Aquitaniae, fit archiep. Nicosien. a. 1332 et patr. Hierosol. a. 1342; quo ipso anno promovetur in tit. s. Vitalis presb. cardinalem; obit a. 1348. Cfr. l. c. V, n. 596, 765, 908, 999, et not. ad n. 1020.

265. Franciscus ep. Satrianen. 1332-1348. Cfr. l. c. V, n. 1000.

266. Franciscus de Perusio ep. Sarnen. 1333 - c. 1340. Cfr. l. c. V. n. 1012.

267. Huguccio de Perusio ep. Sutrin. 1333-1340. Cfr. l. c. V, n. 1013.

268. Ioannes de Prestona ep. Neocastren. 1333-1334. Cfr. l. c. V, n. 1026.

269. Arnaldus de Claromonte, mag. theol., fit ep. Tutellen. 10 sept. 1333 et obit a. 1342. Cfr. l. c. V, n. 1033.

270. Nicolaus in archiep. Cambalien. promotus 18 sept. 1333 obit in partibus Tartarorum, dum ad ecclesiam accessurus est. Cfr. l. c. V, n. 1037, 1039, 1043, 1057.

271. Robertus Campuli ep. Cephaluden. 1333-1342. Cfr. l. c. V, n. 1042.

272. Henricus de Cephaludo ep. Milevitan. 1334-1342. Cfr. l. c. V, n. 1052.

273. Arnaldus de Antesaco ep. Vencien. 1334-1347. Cfr. l. c. V, n. 1055.

274. Gregorius ep. Sirmien. 1334-1338. Cfr. l. c. V, n. 1065.

275. Gratia de Aquila fit ep. Dulcinen. 9 sept. 1334 et transfertur ad eccl. Polen. 31 maii 1342; obit a. 1348. Cfr. l. c. V, n. 1072.

TABULA SEDIUM ECCLESIASTICARUM

IN HOC APPENDICE II RELATARUM.

Numeri singulis sedibus appositi respondent numeris ordinalibus, qui supra sub litt. A vel B occurrunt.

INDEX PERSONARUM

AD TRES ORDINES A S. FRANCISCO INSTITUTOS PERTINENTIUM

Numeri nominibus appositi respondent numeris diplomatum; asteriscus nonnullis numeris praepositus significat, nomen non in ipso diplomate, sed in notis reperiri.

INDEX PERSONARUM

AD ILLOS TRES ORDINES NON PERTINENTIUM

INDEX LOCORUM

I. PROVINCIAE ET CONVENTUS ORD. MIN.

I, Provinciae.

a) *Secundum ord. litter.*

Numeri indicant paginam.

b) *Secundum ord. append. I.*

II. Conventus.

Numeri uncis inclusi respondent numeris ordinalibus provinciarum earumque custodiarum in appendice I relatarum; ceteri numeri, qui nonnullis conventibus appositi sunt, indicant numerum diplomatum.

II. MONASTERIA ORD. S. CLARAE

Numeri respondent numeris diplomatum

III. ALIA LOCA

1. Ecclesiae.

2. Monasteria.

a) *Ord. s. Benedicti.*

Date Due

JY 16'71			
[illegible]			
DE23'88			
WIMGT	2211	JUL 28 [illegible]	
[illegible]	AP [illegible]	1 '99	

ITEM CHARGED

Patr CAMARIN MARISSA PORTER

Due 12/30/2003 11:45 PM

Titl Bullarium Franciscanum Romanorum Pontificum : constitutiones, epistolas, ac diplomata continens : tribus ordinibus Minorum, Clarissarum, et Poenitentium a seraphico patriarcha